THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.



Sylves. Gandini del. *Jo. Bap. Brustolon inc.*

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS
SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

VOLUMEN VIGESIMUMOCTAVUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLXV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

SACRAS, *quas jandiu edendas illustrandasque suscepi, Tuis amplissimis Auspiciis præmuniri, quod probe nossem, quantum ex Tuo præsidio & dignitate comparari illis posset præsidii & dignitatis. Genus vetustate, opibus, dignitatibus, civili & militari gloria, rerum domi bellique gestarum magnitudine, non in Italia solum, sed etiam in universa Europa, immo etiam in America ipsa præ ceteris celebratur. Majores Tui vel a temporibus vetustissimis omnium virtutum fama & gloria claruere. Patris recens extat memoria, qui Veneta pari cum dignitate & felicitate perfunctus legatione, Peruano Regno, omnium in orbe terrarum opulentissimo, tanta innocentia, æquitate atque integritate præfuit, ut adhuc extent honorificentissima suæ procurationis in provincia monumenta, abeuntique maximæ & singulares ab omnibus ordinibus pro suis maximis & singularibus promeritis tanquam parenti gratiæ publice actæ habitæque sint. Ipse cum suas, tum Majorum præclare res gestas, cum quotidie Tibi puero memoraret, magnopere sibi gratulabatur, Te suis moni-*

nitis , & Avorum gloriæ memoria adeo commoveri , ut ſibi plane perſuaderet Te ſuæ expectationi , & Majorum famæ ac dignitati non defuturum . Adoleſcens cum tantam de Tua prudentia , & probitate famam excitaſſes , dignus habitus es BENEDICTO XIV. *Pontificum omnium , quos adhuc vidimus , aut meminimus , ſapientia & pietate Optimo Maximoque , cui Auditoris Cameræ Apoſtolicæ munus ampliſſimum , honorificentiſſimumque committeretur ; quo munere tanta cum dignitate , atque integritate perfunctus es , ut a* CLEMENTE XIII. *Pontifice Sacra Purpura honeſtarere , tanto omnium ordinum , præſertim bonorum ſtudio , & gratulatione , ut pro Tuis maximis promeritis majora , & ampliora præmia atque ornamenta Tibi exoptent , & ominentur . Virtutes , quæ maxime Principem virum decent , Tibi ſunt peculiares , & celebrantur omnes . Beneficentia in primis prædicatur , qua complecteris omnes , præſertim eos qui a pietate & doctrina commendantur : Literis omnibus abs Te ampliſſima afſuerunt præſidia , & ornamenta , quæ ſpero* ANTI-

QUI-

QUITATIBUS SACRIS , *quæ antiquitate , præstantia , atque utilitate reliquas omnes antecellunt , non defutura* .



BLA-




BLASIUS UGOLINUS
LECTORI.

REm nummariam Veterum Hebræorum hoc XXVIII. Antiquitatum Sacrarum volumen Tibi exhibet. Præterea Nummi Phœnicii, Punici, Syriaci, Arabici & aliarum gentium illustrantur. Samaritanorum imprimis habita ratio est, quod ex iis, quod maxime Catholicorum interesse debet, Machabæorum æra illustrari, & confirmari possit.

INDEX OPUSCULORUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

JOH.



JOH. GEORGII WALCHII
PRÆFATIO
AD
BARTHOLOMÆI BEVERINI
SYNTAGMA
DE PONDERIBUS & MENSURIS,

Quo veterum nummorum pretium ac mensurarum quantitas demonstratur.

FRuctus, qui ex antiquitatum literis & in alias disciplinas, & ipsam mentem nostram redundant, uberrimi sunt, quum illæ sibi lucem & consilium exinde petere solent; hæc vero singulari & mirifica suavitate adficitur. Vetustatis quippe cognitio, quæ voce oratoris immortalitati commendetur, de moribus veterum judicat, quos variis casibus & sacris & profanis observarunt; quidve in illis aut inlustre fuit aut emendandum persequitur. Literis his Græcia, lux orbis terrarum Roma & aliæ gentes ad vitam quasi revocantur, ut ritus illarum, sacra, res publicas, rationem militiæ, incrementa earum interitusve, & quæ cætera sint, curatius perlustrare possimus. Hinc cum antiqua, tum nostra in primis ætate magnus eorum proventus fuit, qui ingenio florentissimi, literas has au-

auxerunt, explicarunt & quidquid ad culturam ejus atque incrementa faciat, ſtudio & labore non mediocri contulerunt. Haud præfaminis eſt, ut quævis ingenia large & copioſe commemorem, quorum opera hoc literarum genere præclara eſt, & quam Muſæ, quod earum munus & conſuetudo eſt, in honore famæ conſervant, & illorum gloriam immortali cura & cuſtodia tuentur. Nec eſt, ut de argumento illo ſcribendi ſollicitus ſim, quum hoc ingenii opere jam functus ſit conſummatiſſimus *Fabricius* noſter, vir in tantum laudandus, in quantum & doctrina liberalis, & omnes humanitatis diſciplinæ, quibus magna vis inſita eſt, intelligi poſſunt. *Bibliographia* enim *antiquaria* id præſtitit, ex quo antiquitatis alumni atque exiſtimatores tantos fructus conligunt, ut operis hujus præſidio muniti, viam ſibi ad omnes veterum ceremonias aperire poſſint. In primis ſacris & profanis autoribus intelligendis neceſſarium eſt, ut veterum rem nummariam haud penitus ignoremus, eaque in clariorem notitiam noſtram & uſum ingenii proferatur. Quod quo minus a liberalium artium cultoribus fiat, raritas quidem librorum, ex quibus lux hæc capienda ſit, haud impedire poteſt, quum uberrima extet eorum copia nec heic ingeniorum fœtus vehementer ſint deſiderandi. Sed id laboris & moleſtiæ nemo in ſe ſuſcepit, ut totius nummariæ rei principum antiquiorum gentium breviarium exhibeat, & quæ præcipua ſint momenta rerum nobiliorum, non tantum enarret breviter, verum etiam probet & ſumma fide demonſtret. Qua via compendium conſcribendum ſit, ut res omnis antiquorum nummaria ordinatior & diſtinctior fiat, neve commentariis aliis, iiſque diſperſis opus ad interpretandum ſit, paucis heic edocebo. Capite igitur.

I. *Nummariæ rei naturam* inluſtremus, ut quas complectitur, partes & ſtudia ipſa operaſve, quæ in diligentiorem culturam ejus transferendæ ſunt, circumſpiciamus ſatis atque abunde. Multa his literis cognata ſunt, quibus animus noſter prius præparandus, quam ad diſciplinas earum ſe appellit: ut illa ſubinde curatius obſervanda videantur. Monumentis quippe hiſtoriarum, antiquitatis, varii generis linguarum exercitatus beneque ornatus requiritur, qui ut ad nummorum res mentem transferat, dignus & maturus judicatur. Cave adhæc, ne laborem, quo ingenia vetuſtioris & noſtræ ætatis artes has in altiorem locum protulerint, confundas, quum recentior nummaria res non adeo magnæ molis eſt atque induſtriæ; antiquior vero majoris cum moleſtiæ; tum ornamenti ac elegantiæ. Nec cujuſque eſt, harum literarum ſtudia tractare, quia copia temporis, quies animi & opum magnitudo adeo ſunt neceſſariæ, ut harum præſidio deſtituti, haud ſcientiam parare, ſaltim confirmare poſſimus. II. Ad *originem* nummorum ſermo exinde tranſeat, ut autorem & primam eorum ætatem animo expendamus: quove fortunæ curſu ad alias gentes migraverint. Qua origine nummi derivandi ſint, accuratius definiri nequit; nec ſententia illorum firmiori argumento nititur, qui in ipſum Adami tempus (Hac opinione *Guiliel-*

lielmus quidam *Rovillus* est, qui anno CIↃ IↃ LIII. vulgavit librum: *La primiere partie & la secunde partie promtuaire des medailles de plus renommes Personnes, qui ont eté de puis le commencement du Monde* add. Labbe Bibl. numm. pag. 31.) eorum natales incidisse existimant. Id verum est, nec quisquam bonæ mentis in controversiam vocavit, quod *Hebræis* (adi *Casparum Waserum de antiquis Nummis Hebræorum; Johannem Morinum pentateuch. Samaritan.* Exerc. II. cap. 10. *Harduinum* f. 603. *Opp. Select. Wagenseilium de re monetali V. Rom.* pag. 9. *Hostum R. nummariæ veteris* lib. I. cap. 2. pag. 9. apud *Rechenbergium*, virum honoris caussa nominandum & *Schmidium de re nummaria Hebræorum*) inuentæ rei nummariæ gloriam debeamus, quum Abrahami *Sicli* (Gen. XXIII. 15.) locupletes testes & lux veritatis existant. Ab Hebræis, quæ artium innata quasi vis & indoles est, ad *Ægyptios* (vid. *Vaillant. historiam Ptolemæorum Ægypti regum, ad fidem numismat. accommodatum* Amst. 1701.), *Syrios* (consule ejusdem *Vaillantii Seleucidarum seu Syriæ regum historiam ex nummis ipsorum* Amst. 1681.), *Babylonios*, *Phœnices*. (Tyriorum nummum exhibet *Spanhemius* inlustris *de usu & præstantia numismatum*) *Græcos* (adi præter ceteros *Huberti Goltzii Siciliam & Magnam Græciam* lib. IV. 1576. & inter opera ejus, quæ *Balthasar Moretus* 1644. 1645. conlegit, & tom. V. fol. prodierunt. Antw. 1708. confer Mr. *Jobert. La science des Medailles, antiques & modern.* a Paris. 1692. quam notitiam 1695. Lips. *Junckerus*, teste *Placcio de Anonym.* pag. 377. in romanum sermonem transtulit. *Jacobi de Wilde selecta Numismat. antiqua.* Amst. 1692. *Harduini Nummos antiquos populorum & urbium illustratos*, Paris. 1684. qui fœtus ceteris longe præferendus, & Carolus Palatinus cap. II. Thesauri Numismatic.) *Romanos* [Plures de nummis Romanorum commentati sunt, de quibus consule *Philippi Labbe Bibliothecam nummariam* apud *Rechenbergium* & excellentissimi *Struvii* nostri *Bibliothec. numismat.* Jen. 1693. adde quæ infra dicemus], *Germanos* [vid. *Chiffletium* P. I. *Vesontion.* cap. XLIX. *Cluverum German. antiq.* lib. I. cap. 18. & I. M. *Weinrichium*, nobis amicum, *de ortu & progressu rei nummariæ inprimis apud Germanos 1710.*] cetera profecti sunt; nec invenerunt parcius, qui eos admirati ad summum elegantiæ & decoris fastigium evexerunt. Veterum Germanorum gentem nummorum, qui corporis saluti prospiciunt, fuisse studiosam, est, quod minime dubito, quum & *Tacitus*, alioqui expertæ fidei autor idem sentire videatur. Fuerunt quoque, qui omnem rem nummorum fugerunt, prout Busbequius *Epist.* III. ait: *Apud Colchos argenteum nummum norunt pauci, aureum pauciores, habent fere nulli. Argento is unus honor est, ut si quid e peregrinorum commercio redactum est, id omne ad usum templorum transferatur, crucibus aut calicibus aut aliis templorum ornamentis conflandis.* Nummis multa insunt (*Isidor. lib.* XVI. *Origin.* scribit: In numismate tria requiruntur, metallum, figura & pondus. Sed censuram *Fr. Hottomanni. de re nummar. P. R.* pag. 5. addas), quæ ad notitiam pertinent,

& illis magnam præſtant utilitatem, qui eorum literis animum exercent eaſque penitius indagare volunt. Hinc III. *Materiam*, quæ varii generis fuit, operæ pretium eſt, diligentius excutere, eamque ex antiquiſſimis veterum monumentis illuſtrare perſpicue. Uſi ſunt metallo naturali (vide *Jobertum* pag. 20. edit. latin. & ipſum *Beverinum* noſtrum pag. 10.), *ferro* [conſule *Hoſtum* pag. 47. 49.], *cupro*, *orichalco*, *ſtanno*, *ære*, *argento* [conf. *Reyheri* doctiſſimi diſſert. de *nummis argenteis antiquiſſimis*], *auro*, & aliis rebus, uti *corio* [conf. *Suidam* voce *Aſſarios* & *Platonem* Dialogo de divitiis], Metalli artificialis & permixti [vid. *Reyherum de nummis quibuſdam ex Chymico metallo factis*] *electri*, mentio quoque paſſim injicitur, quod *Lampridius Alex. Sever.* teſtatur & *Plinius* IX. 41. extr. *Argentum auro confundere, ut electra fiant*; ut alia de nummis *ſubæratis* [vide *Jobert.* pag. 25.], quæ Græcis νομίσματα ὑπόχαλκα dicuntur, ſilentio tranſeam. Quam igitur materiam veteres adhibuerint, ſingillatim accurate tradamus, ut exempli gratia de Hebræis, Græcis & Romanis inluſtratum exhibeatur, quod iſti כסף זהב נחוש; Hi χαλκὸν; ἄργυρον, χρυσὸν; hi *æs*, *argentum*, *aurum*, *electrum* nummorum operibus deſtinaverint, adi *Plinium* XXXIII. 3. & *Cellarius Antiquit. Roman.* pag. 84. noſter inquit: *Aurei nummi rariores ſunt, nec etiam tanti, niſi quod materia pretioſa ſit, æſtimantur, quam cæteri, quia id genus facile falſari poteſt, & alienum arte & fraude ſupponi*. De vario æris genere & cur interpoſito tempore materiæ facta fuerit mutatio, diligenter diſquirendum eſt, num id publica lege & autoritate cautum ſit; num ex magnificentia & luxuria promanaverit cauſſa; quomodo res fodinarum ſeſe habuerint, ut de ceteris quæ plurima reſtant, taceam. IV. *Ipſas ſpecies & nomina* nummorum diligenter recenſeamus, ut verbi gratia Hebræorum *argenteos*, *Siclos*; Græcorum *Ciſtophorum*, *Drachmam*; Romanorum *Aſſem*, *Aureum*, *Denarium*, *Sextertium*, cetera commemoremus, & nominis rationem, ſi expedita ſit, exponamus. *Solidus* nova moneta Romanorum (& Francorum) poſteriori ſeculo ita dictus eſt, quod ex ſolo auro conſtaret, intuſque nihil vilioris metalli haberet; dabatur enim tantummodo aurum, ut copioſe *Gronovius* de *ſeſtertiis* demonſtrat. A figura impreſſa etiam adepti ſunt nomen, præſertim conſulares, ut *victoriati*, *bigati*, *quadrigati*; nummi Romanorum; *ratiti*, (*Ovidius* lib. I. *Faſt.* v. 229. *Plinius* H. num. XXXIII. 13. *Plutarchus Quæſt. Rom.* Tom. II. pag. 274. *Macrobius Saturnal.* lib. 7. adde *Wedelium de Nummis Jani ratit.*) ut nobiles ſunt Jani; a forma, pondere, quantitate, autore, loco, tempore, ut larga & copioſa manu *Hoſtus* pag. 51. ceteris hæc omnia conlegit. Dantur nummi, quorum nomina variis quidem populis communia fuerunt; valor autem & dignitas diſcrepant, quod eo nomine, quum fructuoſum eſt, haud ſilentio prætereundum videtur. *Obolus* moneta fuit & Hebræorum & Græcorum; inter pretium vero utriuſque differentiam interceſſiſſe eum haud fugit, qui antiquorum nummorum cultor eſt atque exiſtimator. Præter nomen, ori-

ginem quoque ſingularum monetarum, item fata explicemus, quæ ratione valoris habita, experta ſunt, niſi obliteratis veterum monumentis, dilucide oſtendere ea, ſit difficile. V. *Forma*, quæ haud inevoluta atque intacta relinquenda eſt, ratione *quantitatis*, ut ajunt, dividitur in tres modulos, maximum, medium, minimum, quamquam id non tam accurate obſervetur, ut quiſque modulus ejuſdem ſit magnitudinis, quum ea maxime differat, quod *Monterchius de maximi moduli numiſmatibus*. Amſtelod. 1685. & *Jobertus* pag. 34. demonſtrarunt. Quodſi conſideratur *qualitas*, ut dicunt, nummi rotunda fere forma cuſi ſunt; licet interdum nec ab alia abhorruerint, prout Lucianus quadrati nummi meminit, & *Obolos* oblongos initio fuiſſe, conſtat. VI. *Imaginum*, quæ nummis olim impreſſæ fuerunt, tanta copia eſt, ut ſi iſtas commemorare velimus, difficilius ſit, ſermonis exitum quam principium invenire. Primi nummi haud imagine aut literis quibuſdam notati fuerunt, inveterata conſuetudine, quum eos ſolo pondere metiri & de dignitate illorum judicare ſolerent, *Ariſtotel. Polit.* I. cap. 9. vid. Geneſ. XXIII. 16. & XLIII. 21. Græci ætate Trojani belli pecunia ſignata caruerunt, nec veſtigia quædam ejus monumentis Homeri ſuperſunt; quod & de gente Romanorum (vid. *Wagenſeilium de re monetal. V. R.* pag. 16.) veteres ſcriptum reliquerunt. Sed interpoſito annorum ſpatio de imaginum forma cogitare cœperunt, ut homines a ponderum laboribus poſſent liberari & ipſis nummis major elegantia majusve ornamentum accederet. Ipſæ imagines Græcorum & Romanorum inluminant hiſtoriam Imperatorum, (de nummis Imperatorum commendari meretur *Carolus Patinus*, Pariſienſis Medicus Doctor, *Theſauro Numiſmatico*, qui cap. IV. nummos argenteos Imperatorum R. tradit; *Morellius Specimine univerſæ rei nummariæ*, Lipſ. 1605. *Patinus* inprimis ſingulis nummis & Imperatoribus addit explicationes eruditiſſimas. His adjungi poteſt *Joh. Vaillant.* qui Cæſarum nummos duobus tomis etiam edidit, priore æneos, poſteriore argenteos. Ut *Jacobi Biæi*, *Stradæ*, *Levini Hulſii*, *Adolphi Occonis* opera prætercam, laudem maximam meretur *Franciſcus Angelonius Hiſtoria Auguſta* Italica lingua Romæ edita, qui ſelectiſſimos Imperatorum nummos interpretatur & *Johannes Triſtanus*, qui gallico ſermone nummos elegantiſſimos explicat. His adde *Heinrici Meibomii Uſum nummorum veterum in inluſtranda Imperatorum Romanorum Hiſtoria*) Regum, (proſtant nummi *Seleucidarum in Syria*, *Ptolemæorum* in *Ægypto* per *Vaillantium*; cui *Goltzium* adjungas) regionum, provinciarum, coloniarum, urbium, [vide *Oiſelium Theſaur. ſelect. numiſm. antiquor.* Amſt. 1677. *Harduinum de nummis populorum & urbium*; *Vaillantium de nummis Coloniarum*; *Jubertum* d. l. pag. 251.] fluviorum, familiarum, [de Familiis Romanorum ex nummis commentati ſunt *Gorlæus*, *Fulvius Urſinus*, *Patinus* & alii vid. *Labbe Bibl. numm.* pag. 22. 26. 28.] Deorum, Dearum, [*Deorum*, *Dearumque capita ex antiquis Numiſmatibus opera Abrahami Ortelii collecta*, atque a *Franciſco*

Svver-

Svvertio historica narratione illustrata . *Antvv.* 1602. 4. add. *Oiselium Thesauro*] Virtutum sociarum , Consularium [vid. *cap.* III. *Thesauri Numism. Patini* & *Oiselium* præter plures alios] & aliorum virorum inlustrium ; expeditionum belli [*Goltzius* Fastos magistratuum & Triumphorum Romanorum ex nummis & aliis monumentis tradidit. add. *Oiselium*] ; ædificiorum publicorum , sacerdotum & reliquarum rerum , quas dicunt miscellaneas . Sicuti autem nummi duas facies habent ; quarum prior *recta* est , & imagines memoratas plurimum continet ; sic & posterior , quæ *aversa* dicitur , aliquod signum præ se fert ; adi *Jobertum* . Haud necessarium est , ut signa curatius & singulari industria pertractentur , sufficit , si mos & consuetudo , quæ veteribus fuit observata , generatim proponatur . VII. Ad *Inscriptiones* progredimur , quæ & parte priori & posteriori seu aversa conspicuæ sunt , nummos magis atque magis exornant & studiosis antiquitatum ac literarum historiæ magno extant adjumento . Ad res illarum , quas declarant ; & ipsas , quibus consignatæ sunt , linguas animum advertamus , uti de *Hebræorum nummorum inscriptionibus Samaritanis Relandus* [de *numm. Samarit.*] *Eisenschmidius* [*Disquisit. de pond.* & *mensur. nec non de valore pecun. veter.* Argent. 1708.] *Kochius* [de *nummorum Hebraicorum Inscription. Samaritanis*] & alii plura verba fecerunt . Ipsæ inscriptiones diversæ sunt naturæ ; & cave , ne illas & prioris & posterioris partis confundas , inter quas haud cognatio quædam aut adfinitas interest , adde *Jobertum* pag. 70. ceteris . VIII. Disputandum est de *ponderibus* & *pretiis* : quæ monetarum pars eruditorum ingeniis maxime exculta est ; adeo ut aliis nihil , quod posteriori eaque diligentiori cura egeat , relictum fuisse videatur . Verum ut ingenue fatear , omnia , quæ larga manu solent colligere , nituntur conjecturis , nec ulla ratione veterum monetarum valorem cum nostris conferre possumus . Moneta antiquorum per alteram explicatur ; quarum utriusque neque ratio neque pretium nobis manifestum , prout *Sestertium* per *asses* , *drachmas* , *denarios* interpretamur . Nec vinculo quodam Germaniæ nostræ & veterum regionum nummi conjuncti sunt : multo minus principes ad antiquitatis exemplum pretia monetis suis statuerunt . Ne tamen historia nummariæ rei , cujus imaginem heic repræsentamus , a seculi moribus videatur recedere ; illis aliquid dandum est , ut & de nummorum valore per leges constituto & supputandi ratione edisseramus . IX. Tractamus rem de *nummis adulterinis* ; eorum *publicis legibus* , (v. g. Romanis nummorum leges erant I. *Triumviri Monetales aurum* , *argentum* , *æs publice signanto* . II. *Nummorum ejusdem generis proborum omnium idem pretium est* . III. *Nummos legitimos reprobare nulli fas esto* . IV. *Numisma publice signatum nullus violato* . V. *Neque ad exteros morcandi caussa transferto* . VI. *Monetarii ipsi juste sincereque nummos faciunto* . Vide *Freberum de re monetaria Romanor.* Tom. XI. *Thes. A. R. Grævii* pag. 1411.) *ætate dijudicanda* , *utilitate* , quam præstant studiosis linguarum , sapien-

tiæ

tiæ & hiſtoriarum uberrimam [vide *Ezechielis Spanhemii* eminentiſſimi viri, Opus de *uſu & præſtantia numiſmatum*, Rom. 1664. Amſtelod. 1671. 4. & Londin. 1709. fol. Quo libro uſum veterum numiſmatum declarat luculenter, qui eſt in hiſtoria ſupplenda, in chronologia corrigenda, in orthographia ad certas rationes revocanda, cetera. Unde rectiſſime *Bælius* de *Spanhemio*: *Eſt conſomme dans la ſcience des medailles, & dans toute ſorte de literature & d'allieurs, ſes Ambaſſades lui donnent un rang glorieux parmi les hommes d'Etat. C'eſt une perſonne d'un merite extraordinaire*, add. *Morhofium Polyhiſt. Lit. V.* 2. 2.] X. Proſtant multi libelli, rei nummariæ notitiam præferentes, ex quibus multa, quæ tradenda ſunt, colligere atque haurire poſſumus, licet ſterile ſolum in certis argumentis ſit, vel parce nimis, uberius proponenda proferantur. Eorum egregios & qui præ ceteris præſtant in antiquitate nummorum, indicaſſe non abs re erit & magnam lucem ei qui literis his animum ſuum deſtinavit, quæ omnium conſenſio eſt, accendet. Attingendi ſunt, qui Bibliothecis rei nummariæ conſignatis, ſingulari opera nummorum autores indicarunt, quo genere *Philippus Labbe* [edidit *Bibliothecam Bibliothecar.* Pariſ. 1664. Rothomag. 1672. 8. Lipſ. 1682. 12. Cui operi *Bibliotheca nummaria* interpoſita eſt; quamve *Rechenbergius* ann. 1692. Scriptoribus rei nummar. Veteris iterum addidit. Ipſe liber uſui eſſe poteſt; licet omnia confuſe propoſuerit; eget quoque induſtria & novo labore viri cujuſdam doctiſſimi, ut autores, quorum magna copia dimiſſa eſt, poſſint accedere] *Ezech. Spanhemius* [Operis ejus præmiſſa eſt præfatio de autoribus omnis generis Nummariis, editis atque ineditis] *B. G. Struvius* [publicavit *Biblioth. numiſm.* Jen. 1693. Non dubito, quin graviſſimus autor plura additamenta congeſſerit] inprimis nobile atque inluſtre nomen a ſe dederunt. His adjungi poſſunt, qui viam antiquitati & naturæ nummorum generatim cognoſcendæ aperuerunt, quo præcellenti opere functus eſt *Will. Snellius, de re nummaria*, Lugd. Batav. 1613. 8. Liber utilitatis maximæ *Leonardus Porcius, de re pecuniaria*, Tom. IX. *Theſauri A. G. Gronovii Ludovic. Savot*, medic. Pariſ. reg. [*Diſcours ſur les Medailles antiques, diviſé en quatres parties*. Pariſ. 1627. 4. Hunc librum ex gallica lingua in latinam tranſtulit *Neocorus*] *Jobertus* dicto libro, *Carolus Patinus introduction a l'hiſtoire par la connoiſſance des Medailles*. Latin. prodiit Amſtel. 1683. & alii plures. Deinde de nummorum origine, valore & ſupputandi ratione demonſtremus libros, qui de monetis præcipuarum gentium, uti ſunt *Hebræi*, *Græci*, *Romani*, diſputarunt, qua parte poſſunt uſui eſſe *Hoſtus*, qui quondam Hiſtor. Profeſſor Academ. Francof. ad Viadrum, hiſtoriam rei nummariæ tanta induſtria conſcripſit, ut neque ante eum, neque poſt eum quendam videamus, qui eum hoc literarum genere antecedat *Eiſenſchmidius*, dicta commentatione ſine exemplo fere doctiſſima *Beverinus* noſter; quibus eos addas, qui nummos veterum ſpeciatim tractant, de He-

brævis

bræis præcipue Waſerum, de *antiquis nummis Hebræorum*, Villalpandum Part. II. Tom. III. *Apparat. in Ezechiel.* pagin. 249. Goodvvinum, *Moſ. & Aaron.* lib. VI. cap. 10. pagin. 605. cui adjunge alios antiquitatum hebraicarum autores, *Leydeckerum*, *Baſnagium*. Græcis & Romanis ſtudioſe commendo Freherum *lib.* II. *de re monetaria veterum Romanorum & hodierni apud Germanos imperii*, Tom. XI. *Theſaur. A. R. Grævii*, Camerarium *Hiſtor. rei nummar. Græc. & Latinor. Tom.* IX. *Gronov. Theſ. pag.* 1408. Lipſium *de re pecuniaria Veterum Roman.* Patav. 1608. Extat pag. 596. *Antiquitat. Romanar. Kippingii* Edit. Lugd. 1713. Seldenum *lib. de Nummis*, quo Romanam & Græcam pecuniam ad rationem æris Anglicani redegit [Addidit eum *Rechenbergius* ſcriptoribus rei nummar. quos junctos uno faſciculo edidit] Budæum, [edidit *de Aſſe & Partibus ejus* lib. V. apud *Rechenb.* d. l. adde *Labbeum*. Inter illos, qui *Budæum* in compendium contraxerunt, præcipua laus debetur *Tonſtallo*, *Glareano Grepſio*] Hottomannum (de *re nummaria populi Romani libr.* Cui acceſſerunt *Voluſius Mætianus*, *Rhemnius Fannius*, *Priſcianus Cæſarienſis de aſſe, ponderibus & menſuris* 1585. 8. *Hottomannus* omnibus fere palmam præripuit), Wagenſeilium dicta diſſert. *de re monetal. V. R. Altdorf.* 1691. 4., Gronovium (de *Seſtertiis ſeu pecunia veter. Græcæ & Roman.* lib. IV. Lugd. Bat. 1691. 4. de ceter. edition. conſule *Labbeum*. Liber, licet obſcurus ſit & turbate conſcriptus, ei tamen magno adjumento eſſe poteſt, cui veteris pecuniæ cognoſcendæ cura eſt). His abſolutis, recenſendi ſunt, qui ex numiſmatibus explicarunt partim hiſtoriam, profanam, ut Joachimus Oudaan [ejus prodiit *Roomſche Moogenheit*, id eſt romana potentia ex nummis inluſtrata] & alii, quos ſupra indicavimus; ſacram & militarem; partim Geographiam, Harduinus dicto libro: *de nummis populorum & urbium*, Vaillantius laudato opere, quod inſcripſit: *nummiſmata ærea imperatorum in coloniis, municipiis & urbibus jure Latio donatis*, Begerus [cura præſtantiſſimi viri hujus prodiit: *Crana Inſula Laconica, Eadem & Helena dicta & Mingarum poſteris habitata*, Berol. 1696. 4. Idem quoque ann. 1702. *de Nummis Cretenſium ſerpentiferis* ſcripſit, ut taceam de *Theſauris Palatino & Brandenburgico* & aliis operibus]; nec taceamus ſpecialiſſimos nummos, cum explicatione editos ſingulariter, v. gr. Falconerius de nummo Apamenſi, & Goltzius de nummis Julii Cæſaris, Auguſti, Tiberii. Superſunt libri, qui ſelecta numiſmata exhibent cum explicatione, cujus generis ſunt Conſtantii Landi *Expoſitiones ſelectiorum numiſmatum*. Lugd. Bat. 1695. 4., Petri Seguini *ſelecta numiſmata antiqua*, Pariſ. 1665., Jacobi Wildii de cujus *ſelectis numiſmatibus* ſupr., Jac. Oiſelii dicto *Theſauro Numiſmat.* Andreæ Morelli laudato *ſpecimine univerſæ rei nummariæ antiquæ*. Quodſi ad extremum operis locum theſauri [de his plura reperies apud autorem *des geoffneten Ritte-Platzes in dem erſten Theil.*], ut ajunt, nummorum veterum enarrentur, quibus ſummus honos & ſin-

ſingularis fama eſt; ex opera illa inſignem fructum jucunditatemque nobis elicere poſſumus. Quam plura in hanc nummorum rem colligi poſſunt; quæ omnia uberrime proferre, haud præfaminis eſſe, arbitror. Quod reliquum eſt, de noſtra commentatione Beverini, pauca, quæ intereſt non neſciri, memoremus. Quod ad præſtantiam & dignitatem libelli hujus pertinet, non eſt, ut copioſe de ea diſſeram; quum antiquitatum eruditionis cultores iſtam exploratam tenere, arbitrer. Saltim id profiteor ingenue, quod haud vana atque inutilis notitia, qua ex hoc Beverini fetu capienda eſt, inſtigaverit me, ut de nova illius editione, vel theatro eruditæ Germaniæ proferenda cogitaverim. Breviarium eſt, benigne Lector, quod haud inter arctas fines rerum continetur; ſed præcipua momenta nummorum ac menſurarum non tantum commemorat breviter, verum etiam probat, & ſumma fide, anima hiſtoriarum oſtendit. Nihil addidi, nihil mutavi, ut genuinum fetum, prout eum Beverini excluſit, exhiberem orbi erudito & ea ipſi relinquerem, quæ cenſura & additamentis egere judicat. Bene vale, AMICE LECTOR, & voluntatem meam, quæ pro bono publico meliorum literarum ſtat, favore TUO conſerva & benigne interpretare.

BARTHOLOMÆUS BEVERINUS
CANDIDO LECTORI
SALUTEM.

QUÆ de Ponderibus, & Menſuris a pleriſque doctiſſimorum Virorum hactenus tradita ſunt, ea ſubtilitate, ac implexarum Quæſtionum moroſitate tractantur, ut præterquam a cæteris vacuos, ac profundæ Literaturæ Homines nimia difficultate a cognitione deterreant. Inde mihi conſilium, dum Profeſſoris munus, me commodis ſtudioſæ Juventutis addiceret, ut quidquid laboris, ac tædii in re tam obſcura, ac ſalebroſa reperiretur ipſe haurirem. Juvenis autem, jam emollito clivo, faciliorem haberet aſcenſum: ac fractis, rejectiſque aliena manu putaminibus, purum ipſe nucleum eruditæ cognitionis exciperet. Fecimus igitur, ac non ſine maximo labore libris eorum, qui hac de re ſcripſerunt, diligentiſſime pervolutis, illud in tanta opinionum varietate ſelegimus, quod majoribus rationum momentis inſiſtere judicavimus. Itaque circumſcriptis, detractiſque diſputationum laciniis hic in anguſto Clavo brevis Commentariolus, quem una manu capies, excerptus. Nec tamen ſic adſtricti fuimus, ac tam avare pepercimus verbis, ut nobis, veluti ex Tripode loquentibus, aſſentire voluerimus Lectorem contumacioris ingenii, rem tantum Pythagorea majeſtate dixiſſe contenti, ſed ſubinde inſertæ rationes, advocatumque ad exſolvendam fidem vete-

rum Scriptorum Patrocinium. Siquidem vix brevis hic Commentarius prælegi in ſcholis cœpit, cum certatim omnes inde ſibi exempla flagitare: Viri etiam magnæ autoritatis, ut vulgaretur, obnixe hortari. Diu quidem Amicorum voces aure ſurda tranſmiſi, nec ita frangi conſtantiam meam ſum paſſus, ut cruda adhuc ſtudia, ac recens ab incude opus properata editione urgerem in publicum; cogitans cum magno illo Sapiente: quam magnum ſit venire in manus Hominum: *quamque periculoſum ſponte ſubire Vulgi ſententiam, plerumque ſine cognitione, raro ſine malignitate, cenſentis. Verum, cum præter ſpem nactus aliquid otii limam rurſus ſecundis curis adhibuiſſem; oculis etiam doctorum Virorum uſus, qui ſemper in alieno plus vident, adultum jam filium abire e patria poteſtate permiſi. Tuus erit, Lector, candida humanitate illum excipere; & ſi quid, unde proficere poſſis, ſecum feret, utilitatibus tuis natum a calumnia defendere. Nam, ſi quod tu plus, aut aliter ſapis, hoc velim ne neſcias, tibi non ſcripſimus: nec manus conſerendi, aut otium habemus, aut animum. Licet ex eo ſcombris tunicam, aut piperi cucullum conficias nemo coget, ut venias ad interdictum, aut intentabit malæ tractationis judicium. Unum impetrare liceat: quando tibi per nos fas eſt cum tua ſapientia pacate vivere, nobis quoque permiſſum ſit arbitratu noſtro, & ſine rixa deſipere.*

CANDIDO LECTORI
PROLUSIO.

QUoniam frequens eſt apud Scriptores veteris ævi tam Latinos, quam Græcos, præcipue autem Hiſtoricos, rei Nummariæ mentio, ne ſemper Juveni hærendum ſit, & in materia, ut ait Pineda lib. 5. de reb. Salom. cap. 5. *incredibiliter controverſa, & dubia*, non ſine tædio, & mora, ex implexis quæſtionibus ſumma exputanda, facturum me, ſi non pretium, ſaltem compendium opere duxi, ſi diligenter eorum libris, qui accurate, & egregie hac de re ſcripſerunt pervolutis, Budæo præſertim aureo de Aſſe commentario, Roberto Cenali *tract. de menſ. & ponder.* Villalpando *tom. 2. Apparat. in Ezechiel.* Alcaſario veſtigat. *de ſacris Ponder. ac Menſ.* edita ad calcem *Comment. in Apocalypſim*, & Cornelius a Lapide in *tract. de menſ. & ponder.* Commentariis in Pentateuchum adnexo, brevi velut abaco, veteres omnes Nummos, eorumque pretia proponerem: ea facilitate, ut etiam rudiſſimis in expedito foret, ſummam quamlibet ad calculos revocare, & noſtrorum temporum monetæ æſtimationi componere. Quod ut minimo Juvenum labore fiat operæ, in ſtudiis præcipue, parcentium, meliori, fortaſſis, ordine omiſſo Nomenclaturæ ſeriem per capitales literas ſequar, ſi non aliam, habiturus certe gratiam officioſæ voluntatis.

Ve-

Verum antequam id aggrediar, non ab re judicavi de Pecuniæ origine, nonnullisque ad eam spectantibus pauca præfari, quibus, sine dubio, iis, quæ mox dicentur, non levis accedet commendatio. Primis igitur, ac aureis mundi temporibus, cum nulla adhuc habendi cupiditas mentes hominum corrupisset, omnia erant in medio posita, ac publicis usibus naturæ lege in commune consulentis, patebant: idque ex communibus bonis tantum sibi quisque, quantum ad vitæ, cultusque rationem opus haberet, prohibente nullo, capiebat. Sed cum priscis moribus paulatim dilapsis, candida illa, & innoxia simplicitas simul obsolevisset, avaritia instigante, qui viribus præstabant, publicas utilitates in privata commoda vertere; & ea, quæ pertinebant ad genus hominum universum, ad sese trahere cœperunt, cæteros per injuriam arcentes: unde rixæ, discordiæque, publicam rem rapientium, ac vindicantium exorte: donec Terrarum Orbem in partes dividere, ac singulis portionem quandam addicere, quam veluti propriam, ac suis commodis destinatam, quisque possideret, certis finibus, limitibusque conclusam, pacis interfuit. Atque ita, communi nempe Gentium jure rerum proprietatem inductam, ac inde exortam Justitiæ commutativæ rationem censent Theologi. Lugo *tom.* 1. *de Just. & Jur. disput.* 6. *sect.* 1. *Molina tom.* 1. *de Just. & Jure tract.* 2. *disput.* 20. & alii.

Cum autem brevioribus spatiis dominatione contracta, non omnia apud omnes, sed alia apud alios nascerentur ad usum vitæ necessaria, inde cœptum consilium, ut rerum quibus alii abundabant, carebant alii, facta invicem permutatione, vitam, ut ante commode tolerarent: eaque ratione accepta per eam publicarum rerum divisione damna rependerent. Id autem per multa tempora mansit in populis institutum, nam & sacræ Literæ testantur *Gen.* 33. emptum a Jacobo agrum *centum agnis*: Licet quidam hunc locum ad nummos referant agnorum imagine signatos, ut ait Pererius in *cap.* 33. *Genes. num.* 19. quemadmodum etiam apud Basileenses denarius appellatur Corvus, ut notat Lippomanus in catena in Job, & generatim Pecunia a Pecudibus dicta, quod eorum imagine signaretur, ut scribit Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. Sed indubitatum habemus hujus permutationis exemplum apud Homerum, qui ex Profanis fere antiquissimus scripsit: nam *lib.* 6. *Iliad.* ait a Glauco permutata cum Diomede arma: *valentia centum boves, cum valentibus novem boves*: & *lib.* 7. ait Græcos vinum mercatos alios *ære*, alios *ferro*, virgis nempe æris, ac ferri, ut notat Alex. ab Alex. *lib.* 4. *cap.* 4. alios *coriis*; alios *bobus*.

At fodinis inventis desitum est aliis mercibus merces permutare; sed homines splendore metallorum capti, illa in emptionibus adhibuerunt: primum quidem rudibus virgis ad libram appensis, & nulla nota signatis, ut apud Græcos Trojano bello factum, ex Homero vidimus: & apud Romanos partim testantur Historici, in qui-

quibus *æris gravis* nomen, ſic enim appellabant rudes illas, & informes metallorum maſſas, ſæpiſſime occurrit. Sic Livius *lib.* 4. *Quia argentum*, inquit, *nondum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium contrahentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant*; & ibidem ait Poſthumium damnatum *decem millibus æris gravis*: quæ quanquam acciderint poſt ſignaturam æris, quam Servius Tullius jam antea inſtituerat, tamen ad antiquum morem firmandum admodum faciunt, tanquam illius, etiam poſt monetæ percuſſuram, manentia veſtigia. Et voces pendendi, impendii, expenſarum, ſtipendiorum, hunc rerum pretia appendendi uſum demonſtrant. Quæ autem ſic comparata erant, emta per *æs & libram* dicebantur, unde Horatius:

Si proprium eſt quod quis libra mercatur, & ære;

qui mos etiam poſt ſignatam pecuniam duravit in iis emtionibus, quæ ſunt mancipii, hoc eſt rerum quas mobiles vulgo appellamus; in quibus, ut ſcribit Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. etiam nunc libra interponitur; & ante ipſum Varro *lib.* 6. *de ling. lat.* & *Sveton. in Aug.* ait eum Principem ab Agrippa Cajum, & Lucium *per æs, & libram emiſſe*.

Succeſſu autem temporis graves illæ, ac informes metallorum maſſæ, in plures partes, commodioris uſus gratia, ſecari cœperunt, ponderibus tamen ſervatis, ut ſcilicet libra æris, vel argenti in tot fruſta divideretur; & quo major eſſet probatio bonitatis eorum, atque ad avertendas fraudes, aliqua nota publico jure ſignari. Hæc autem metallorum ſegmina in rotundam figuram a pleriſque gentibus conformata, & hujuſmodi publica nota percuſſa, Nummi, & Pecunia dicta fuerunt. & Nummi quidem a Græca voce *Nomu* hoc eſt a lege, quod Pecunia legibus ſit conſtituta, ut placet Ariſtoteli *lib.* 5. *Ethi. cap.* 5. Pecunia vero ſive quia, ut ex Plinio retulimus, primo pecorum imagine fuerit ſignata: quem morem a temporibus antiquiſſimis invaluiſſe nonnulli arbitrantur, eo ducentes præter locum Geneſis de Agnis jam adductum, id quod habetur Job *cap. ult.* ubi dicitur allatam ab amicis Job *unam ovem*, hoc eſt, nummum a ſignatura ſic dictum, qua de re videndus in eum locum Pineda: Sive, ut Varroni placuit *lib.* 2. *cap.* 1. *de re ruſtic.* ideo pecunia dicta, quia omnes divitiæ a pecoribus initium habuere: ſeu, ut placet Donato in 1. *Æneid.* quod antiquitus ex Boum coriis Nummi conficerentur. Et quidem Lacedemonios ex corio Nummos habuiſſe Stobæus eſt autor *cap.* 42. ex Nicolao de Moribus; quod etiam tradit Seneca *lib.* 5. *cap.* 14. *de Benefic.* qui ait a Lacedemoniis *Corium* adhibitum *publica forma percuſſum*, & ante æris ſignaturam fuiſſe in uſu, id etiam apud Romanos argumentum eſt, quod Numa congiarium populo dedit *ſcorteos aſſes*, ut Plutarchus eſt autor.

Quod autem attinet ad notas, quibus Nummi ſignati, variæ ſecun-

cundum diversas Nationes fuerunt. Nam præter pecudum imagines, de quibus jam dictum est, Athenienses Noctuam Pecuniæ impresserunt, ut scribit Plutarchus. Stater daricus, præter Darii regis imaginem, sagittas præferebat, ut idem Plutarchus in Agesilao, & Artaxerxe testatur. Germani serras, Bigasque Nummis incusserunt, ut scribit Tacitus *lib. de Morib. Germ.* Quidam Gallos, alii Lepores, nonnulli Mulas pecuniæ signandæ adhibuerunt, de quibus legendus est *Alexand. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 15. Romani vero primo Navi, ac Jani effigie Nummos signarunt, quorum nonnullos ipse vidi: unde *Ovidius* 1. *Fast.*

- - - - - - - - sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?

Postmodum vero Bigarum, & Quadrigarum, & Victoriæ, adhibuerunt imagines, unde Bigatis, Quadrigatis, & Victoriatis nomen. Demum Principum Virorum effigie, & forma aliqua, ipsorum virtutes aut res gestas referente, Nummos percussere.

Ceterum licet variæ fuerunt signandis Nummis secundum diversitatem Nationum imagines, in eo tamen omnes consenserunt, ut nulli pecuniæ signandæ, nisi principibus, Rebusque publicis jus esset: in eoque Gentes universæ maxime laborarunt, ut a privatorum manibus publicum hoc, ac regium munus, decusque intactum servarent: gravissimis pœnis, etiam capitis, ac ignis adversus eos latis, qui non modo falsam, ac adulterinam pecuniam cudere, sed etiam contra illos, qui forma, ac pondere servato, sine publica autoritate nummos signassent. Qua de re videndi Jurisconsulti ad l. *Quoniam*, & l. *Si quis nummos* C. de *Falsa moneta*, & ad l. *Monetarios*, & l. *Quicumque* ff. de *Falsis*. Et Canonum Interpretes ad estravag. *Johannis* XXII. Prodiens, de Crimine falsi. Et apud Romanos quidem cudendæ pecuniæ præsidebat Magistratus peculiaris trium virorum, qui dicebantur Triumviri Monetales, ut scribit Pomponius de origine Juris *lib.* 2. §. *Deinde*. Qui etiam æris, argentique, aurique flatores dicebantur: ut etiam in priscis Nummis videre est, in quibus sic legitur. III. Viri A. A. A. F. F. hoc est: Triumviri, Auro, Argento, Ære, flando, feriundo.

Quando vero signandæ pecuniæ usus incæperit, in obscuro est, aliis alia prodentibus. Illud sine controversia affirmari potest, eum morem ab antiquissimis temporibus invaluisse. Siquidem in sacris literis *Gen.* 23. dicitur Abrahamum pro agro, quem in sepulturam uxoris emebat, *appendisse pecuniam, quadringentos siclos argenti, probatæ monetæ publicæ:* quibus nihil clarius afferri potest ad usum pecuniæ vetustissimum ostendendum, ut notat Perer. ad eum locum, qui etiam observat illud verbum *appendisse* quasi non satis fuerit viro justi, ac recti cultori pretium solvisse, nisi ad libram nummos appenderet, ut omnino ponderi responderent; quemadmodum fieri etiam hodie cernimus: etenim monetæ, de quarum ju-

sto

ſto pondere timetur, ad libræ examen vocantur. In Latio autem Saturnum, ſeu Janum potius, pecuniam primo ſignaſſe autor eſt *Macrob. lib. 1. cap. 7. Saturn.* Apud Romanos vero id egit Ser. Tullius, ut ſcribit *Plinius lib. 33. cap. 3.* qui ſextus regnavit.

Materies autem, unde confecta pecunia, plerumque metallina. Ex ferro nummos conficere Spartanis præſcripſit Lycurgus, ut ſcribit Plutarchus in Lycurgum. Ex eadem materia confectos a Numa Pompilio Romanorum Rege ſcribit Suidas ex Tranquillo, & Byzantiorum nummum ferreum fuiſſe, refert *Cœlius lib. 10. cap. 2. Antiq. Lect.* Stanneam pecuniam Syracuſis in uſu fuiſſe autor eſt Ariſtoteles in Pec. Æreos nummos per longa tempora uſque ad Pyrrhi victoriam tantummodo adhibuere Romani, ex quo tempore argentum cudi cœptum, ut Plinius teſtatur. Deinde Livius Druſus æs argento miſtum in pecuniam adhibuit: ac denique aurum poſt ſexageſimum ſecundum annum ab argenti ſignatura apud Romanos excuſum, ut idem Plinius eſt autor.

Ceterum, & ex rebus aliis confectos nummos legimus. Coriaceos fuiſſe Spartanis, Romaniſque Numæ tempore jam traditum eſt: ante quem regem ſcribit Suidas [verbo *Aſſarias*] Nummos populo ſcorteos, teſtaceoſque congiarium datos. Apud Gothos etiam, & Sveones per multa ſæcula ſcorteam fuiſſe pecuniam argenteis ſtigmatibus compunctam ſcribit Olaus Magnus *lib. 6. cap. 12.* & papyraceos regio vultu ſignatos habuiſſe nummos, qui ad Catajum Tartari habitant, memoriæ prodit *Sabellicus lib. 6. Enn. 10.* ex Haytono. Sed tandem cupiditatis ingenio diſcuſſa barbaries, & auri, atque argenti fulgor cunctarum gentium oculos ſui admiratione perſtrinxit.

Ex pecuniarum uſu, rationes, & numeri, ad earum ſummam colligendam magno ſtudio addiſci cœperunt: & bonarum artium cura ſepoſita, Fœneratorum Jani hæc docentium, diſcentiumque turba fervere: unde non ſine felle ſcripſit Horatius in arte Poet.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum dividere: dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſupereſt? poteris dixiſſe Triens, heus tu!
Rem poteris ſervare tuam: redit uncia quid fit?
Semis - - - -

Et clariſſimorum Scriptorum voluminibus, tineis, blattiſque damnatis, libri tantum Rationibus perſcribendis inter manus, oculoſque verſari. Nam & fuere *Adverſaria*, in quibus abſque ullo ordine rationes adnotabantur tumultuarie, ut quæ Ciceronis teſtimonio in orat. pro Roſc. Comœdo, tantummodo *menſtrua erant*, & ſtatim *delebantur*, quem librum nos appellamus *Stracciafoglio*. Diaria & diurna, quæ & Græca voce *Ephemerides*, in quibus rationes ſingulorum dierum adnotatæ, nobis nunc *Giornale*, qui liber

ber idem cum Adversariis fuit. Asconius in 2. Verrin. meminit *Diariorum*; & Juvenalis Sat. 6.

---- Longi relegens transacta diurni.

Tabulæ *accepti*, & *expensi*, nobis *Libro de' debitori e creditori*. Postremo *Codex*, nobis *Libro grosso*, *e Scrittura doppia*, in quo rationes ordine diligentissime adnotabantur *mansuræ*, & *æternæ*, ut ait Tullius, qui omnes hujusmodi conficiendarum rationum, nominumque præscribendorum libros accurate enumerat, quem vide, ejusque interpretem Manutium. Demum ad hanc Pecuniariam rationem voces illæ pertinent *Colligere rationes*, quod nos Itali dicimus *far conti*. Summam colligere, nos *sommare*. Rationes subducere, nos *sottrarre*. Tabulas conficere, nos *tener la scrittura*. Acceptum & expensum ferre alicui, nos *dar credito*, *e debito*. Referre in codicem, nos *mettere al libro grosso*. Putare, & exputare, nos *tirare i conti al netto*. Aliaque vocabula pecuniis tractandis adinventa, quæ ideo memorare voluimus, ut Latinorum scripta versantibus facile ad manus essent in unum locum collecta. Sed jam, his breviter præmonendæ Juventutis gratia præmissis, ad promissi Operis summam accedamus.

BARTHOLOMÆI BEVERINI
SYNTAGMA
DE PONDERIBUS & MENSURIS.

ARgenteus est Nummus Hebraicus, de quo sæpe in sacra Scriptura fit mentio. Sic *Genes.* 37. Josephus dicitur venditus *viginti argenteis*: & *Zacar. cap.* 11. habetur: *Et acceperunt triginta argenteos*: sicut etiam in Evangeliis Dominus narratur venditus *triginta argenteis*. Quod attinet ad ipsius valorem Ribera in 3. Oseæ ductus autoritate Budæi, & Alciati putat esse ejusdem pretii cum drachma Attica, quæ Julio moderno æquivalet. Alii, ut innuit Cornelius de *mens.* & *in cap.* 26. *Matth.* duas drachmas Atticas perpendisse contendunt. Ceterum ut ait Perer. in cap. 20. Genes. *Hæc tria*, *Siclus*, *Stater* & *Argenteus ejusdem pretii*, *ac ponderis fuerunt*, *id est quatuor drachmarum*. Siclum fuisse talis valoris testatur Josephus *lib.* 3. *Antiq. cap.* 12. ubi ait tales esse Siclos apud Judæos, quales apud Græcos Tetradrachmi Attici. Et Philo item Judæus *lib. de Decal.* asserit triginta Siclos esse centum viginti Drachmas atticas: & pro quinquaginta Siclis Drachmas ducentas. Idem autem fuisse Siclum, ac Stateram diserte tradit S. Hieronymus in *cap.* 4. *Ezechiel.* his verbis: *Siclus autem*, *id est stater*, *habet drachmas quatuor*. Argenteum vero idem cum Siclo, & consequenter cum Statere fuisse, colligitur ex Josepho *lib.* 7. *Antiq.* qui ubi 2. *Reg. cap.* 18. habetur *Argenteus*; ipse *Siclum* vertit. Præterea LXX. Interpretes eodem modo loquuntur de Siclo, ac Argenteo, siquidem utrumque vocant didrachmum, ut notat *Perer. loc. citat.* nec proinde sequitur Argenteum habuisse valorem duarum drachmarum, quia didrachmus a LXX. dicitur, nam loquuntur de didrachmo Hebraico, qui fuit Attico duplo major, ut ostendit *Alcasar. investigat. de mens.* & *pond. proposit.* 19. Unde utrumque verum est, & Argenteum fuisse Tetradrachmum, & Didrachmum

mum respectu diversarum drachmarum, ut infra latius, ubi de Drachma agetur. Fuit ergo ex communi sententia *Argenteus* pretio quatuor drachmarum, hoc est, ut omnes, qui de hac re scripserunt, censent, quatuor Juliorum. Conciliari tamen poterunt omnes prædictæ sententiæ, si, ut ait *Alcasar. loc. citat.* quemadmodum nunc cuditur moneta, quæ semissem Julii valet, alia quæ Julium integrum, alia quæ tres, sic etiam dicamus fuisse apud Hebræos Siclum unius drachmæ pondere, alium duarum, alium quatuor: cum ut ait Arias Montanus apud eundem *Alcasar. loc. cit.* inventæ fuerint antiquæ monetæ Hebraicæ, aliæ pondere duarum drachmarum, aliæ quatuor. Sed quomodo in scriptoribus deprehendi possit de quo Siclorum genere loquantur, hoc opus, hic labor est. Quare minor erit erratio, si cum communi opinione sentiamus.

As quasi *Æs* ab *Ære* dictus, fuit genus monetæ Romanæ, primum pondere librali duodecim unciarum libræ nostrati respondentium, ut clarius patebit in V. *Mina*; unde pro eodem accipiebantur hæc nomina: *As*, *Libra*, *Pondo*, *Æs*, ut ex antiquorum scriptis colligit Budæus, & Cenalis. Fuisse autem *Assem* a principio librali pondere tradit *Dyonis. Halicarnas. lib. 9.* ubi ait: Menenium mulctatum fuisse duobus millibus Assium, *quod est numisma libralis ponderis*. Idem tradit Plutarchus in Camillo, & *Plin. l. 33. cap. 3.* ait, *denarium constitisse decem libris Æris*. Quod *Assis* pondus mansit usque ad tempora primi belli Punici, per annos quadringentos viginti: ante quam ætatem idem erant Decem pondo, Decem asses, Æs denus, ac Denarius.

At, cum eo tempore ob sumtus bellicos Respublica alieno ære gravaretur, ad illud solvendum, ut idem Plinius tradit, *constitutum est*, ut asses ex libralibus *sextantario pondere ferirentur*, hoc est duarum unciarum; hæc enim est sexta pars libræ, qua ratione a Republica *quinque partes lucri factæ*. Nam quo ære prius *As* unicus, sex deinde cudebantur, manente eadem in assibus sextantariis libralis *Assis* æstimatione. Neque hic minuendi *Assis* modus stetit: nam secundo Punico bello Annibale urgente, cum Respublica in magnis pecuniæ difficultatibus versaretur, Q. Fabio Maximo dictatore *Asses* ex duumcialibus, unciales facti, *atque ita Respublica dimidium lucrata est*: nempe unciam, cum ex duarum unciarum pondere altera esset detracta. Tamen, ut ait Plinius, placuit denarium, qui ab initio habuerat decem *Asses* librales, deinde decem sextantarios, in posterum sexdecim uncialibus permutari: atque ita Denarius ex *Decussi* factus est *decussisexis*, ut scribit *Vitruv. lib. 2. cap. 1. In militari tamen stipendio*, ut idem Plinius tradit, *denarius semper pro decem Assibus* datus est. Adeo severe militibus habitis, ut nihil utilitatis ex pecuniæ mutatione sentirent: sed cum aliis sexdecim *Asses* Unciales in singulos denarios darentur, ipsi decem tantum perciperent, ut eum Plinii locum interpretatur Lipsius ad *lib. 1. Annal. Taciti*. Demum Papyria lege iterum *As* minutus, & ab Unciali, ad semuncialem redactus, manente tamen pretio prioris *Assis*; atque ita factum est, ut *Asses* ex libralibus sextantarii, ex sextantariis unciales, ex uncialibus semiunciales evaderent, tanto Reipublicæ lucro, ut ea portione æris, qua prius unus *Assis* cudebatur, deinde viginti quatuor cuderentur. Quod etiam a Principibus hujus temporis fieri videmus, qui in rei Nummariæ penuria, ponderibus stantibus, augent pretia monetarum, atque ita sese alieno ære dissolvunt.

Hunc *Assem* Papyrianum mansisse in Romana Republica usque ad Vespasiani tempora putat Manutius in *Comment. ad 1. orat. Cic.* cum Plinius, qui eo tempore vixit, alterius mutationis non meminerit. Illud certum est Augusti ævo aliud fuisse denarium, aliud decem *Asses*: quod est argumentum fuisse adhuc denarium decussisexim, qualis erat Fabianus; & deinde, licet *Assis* pondere immutato, Papyrianum fuisse credibile est: vel saltem denarium habuisse *Asses* duodecim, quod arbitratur Lipsius ad *lib. 1. Annal. Taciti*. Aliud autem, ut ajebam, Augusto regnante fuisse denarium, aliud *Asses* decem liquido constat ex Tacito *loc. cit.* apud quem Milites post Augusti excessum in seditionem versi illud inter cætera quærebantur: *Denis in diem assibus animam, & corpus extimari*, proinde petere, ut *denarius diurnum stipendium foret*. Nam si pro eodem essent denarius, & *Asses* decem, ridicula sane fuisset postulatio. Quia igitur a tempore secundi Punici belli denarius factus erat sexdecim *Assium*, & milites non nisi decem *Asses* stipendii loco acciperent, inde acciderat, ut plus tertia stipendii parte fraudarentur, quare per eum tumultum postulabant, ut non denos *Asses* tantum, sed ut denarium, hoc est sexdecim *Asses*, sive duodecim, ut putat Lipsius, reciperent. Ceterum etiam Augusti ævo denarium fuisse decussisexim ducor autorita-

ritate Vitruvii, qui tunc scribebat, nec alterius denarii mentionem facit, quam denis *Assibus*, & Sexdenis constantis. Quamvis Lipsii conjectura non sit spernenda: nam cum milites solerent Augusti tempore Aureum menstruum accipere, hoc est denarios vigintiquinque, ipsi vero querantur *denis assibus* in dies animam, & corpus æstimari, sequitur eos, si mensis dies habeat triginta, trecentos *Asses* accepisse, ex quibus si vigintique denarii conficiantur, apparebit unicuique denario duodecim *Asses* respondere: nam duodecies vigintiquinque, trecentum efficiunt.

As igitur, ut perspicuitatis gratia dicta in arctum conferam, fuit primo pars decima denarii usque ad secundum bellum Punicum Fabii maximi Dictatura, quæ incidit in annum Urbis DXXXIII. primum unius libræ pondere, deinde sextantis. A Fabii dictatura usque ad legem Papyriam, *As* fuit denarii pars sextadecima pondere unciali. A Papyria lege usque ad Vespasianum, ultra quem non invenitur ulla mutatæ pecuniæ ratio, *As* itidem fuit pars sextadecima, vel duodecima denarii, pondere tamen semiunciali. Ceterum secundum istam temporum diversitatem immutatis ponderibus mansit tamen idem pretium: & pro eodem fuere decem Asses sextantarii, ac decem librales: & sexdecim unciales, ac semiunciales ejusdem valoris fuerunt cum denis libralibus, & sextantariis, præter quam in militari stipendio, in quo, ut ex Plinio diximus, pro eodem habiti sunt decem Asses unciales, & semiunciales, ac decem olim *Asses* librales, & sextantarii, & in *Asse* Fabiano, ac Papyriano sexdecim unciales, vel semiunciales.

Itaque cum Juvenis inter legendum Romanas Historias, incidet in *Asses*, ac *Denarios*, vel alias monetas in quas, ut proxime dicetur, *Assem*, ac Denarium dividi placuit, solerti animo animadvertendum erit, de quo ævo sit sermo. Nam si ante Fabium maximum, idem erunt decem *Asses*, ac *Denarius*: si vero post Fabium, & Papyrium, idem erit sexdecim *Asses*, ac *Denarius*. Quæ observatio necessaria est ad justam æstimationem inventæ summæ faciendam.

Quoniam vero Denarius, ut communi consensu omnium, qui hac de re scripserunt, constatque ex antiquis denariis argenteis ad libram appensis, Julio moderno æqualis est, & Regali Hispanico: inde colligitur *Assem* libralem, & sextantarium fuisse ejusdem valoris cum decima Julii parte, quæ appellatur *Bajoc*-*co*. *Asses* vero Fabianos, & Papyrianos fuisse ejusdem valoris cum sextadecima Julii parte quæ minor est solido nostro Lucensi: *Asses* vero Augustales fuisse duodecimam Julii portionem. Et hoc est, quod in re perplexa, afferre potuimus certi, & enucleati.

Cum igitur, ut dictum est, abinitio *Asses* librali pondere cuderentur, ac proinde nus illud monetæ valde esset incommodum ferentibus, placuit illum in alios minores nummos dividere, qui fuere, *Uncia*, quæ unam *Assis* partem, sive unciam, ut nomen ipsum præfert, habebat: *Dextans*, qui duas: *Quadrans*, qui tres: *Triens*, qui quatuor: *Quincunx*, qui quinque: *Semissis*, qui sex: *Septunx*, qui septem: *Bes*, qui octo: *Dodrans*, qui novem: *Dextans*, qui decem: *Deunx* qui undecim uncias continebat. Quas *Assis* partes, ut ait Manutius *loc. cit.* credibile est immutato *Asse*, etiam fuisse immutatas pro portione: exempli gratia, *Quadrans* cum *As* libralis esse desiit, non fuit amplius trium unciarum, licet fuerit quarta pars *Assis* eodem quo prius pretio: in sextantario *Asse* quidem fuit pondere quatuor drachmarum, siquidem drachmæ octo unciam constituunt. In unciali vero, & semiunciali proportione, ita ut semper Quadrans fuerit quarta pars ejus *Assis* cujus erat quadrans; & sic de ceteris aliis dicendum est.

Asse multiplicato plures nummi percussi ex Argento, vel æris argentique mistura. Nam Duopondius, qui & *Bes*, duos *Asses* valebat: *Tressis*, tres: *Quadrussis*, quatuor: *Quinarius*, quinque, qui etiam dictus *Semissis*, quod erat dimidium denarii, & *Victoriatus* a victoriæ imagine: *Senarius*, sex: *Septussis*, septem: *Octussis*, octo: *Nonussis*, novem: *Decussis*, decem: inde etiam *Vigesis*, *Trigesis*, *Centussis*, qui, ipsa nominis indicatura pretium suum ostendunt. *Sextertius* vero duos *Asses* cum *Semisse* valuit: eo tamen tempore, quo denarius decem *Assibus* constitit. Nam exinde, ut notat *Plin. lib.* 33. *cap.* 3. *Sextertius* quaternos *Asses* habuit: *Quinarium* vero, seu *Victoriatum* octonis placuit æstimari. Et, ne aliquid prætermisisse videamur, ultra pecuniariam significationem *As* etiam dicitur quæcumque res integra, sive continuis, sive discretis partibus conflata, quam deinde in partes duodecim dividamus. Sic Veteres, exempli gratia, Hæreditatem *Assem* appellaverunt, ejusque partes uncias: ita ut ille Hæres ex *Asse* diceretur, qui integram hæreditatem acciperet: ille vero ex *Quadrante*; *Besse*, *Semisse*, &c. qui quartam partem, vel duos

duos Trientes, vel Sexuncias reciperet. Sic Cicero in Oratione pro Cecina. *Testamento facto mulier moritur: facit hæredem ex deunce, & Semuncia Cecinam: ex duabus Sextulis M. Fulcinium libertum superioris viri, Æbutio Sextulam adspergit.* Quibus verbis significat Cicero, Cecinam institutum fuisse hæredem ex unciis undecim, id enim est deunx, & præterea ex semuncia. Aliam vero semunciam, quæ ad *Assis* complementum deest, in duas partes inæquales dissectam: datasque duas sextulas, hoc est duas sextas unciæ partes, id enim est sextula, Fulcinio, unam vero sextulam Obutio: tres enim sextulæ semunciam constituunt: atque ita totus *As* conficitur, quem in tres hæredes Mulier illa divisit. Eodem spectat illud Juvenalis

> *Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem.*

& Svetonius in Cæsare: *Novissimo*, inquit, *Testamento tres instituit hæredes sororum Nepotes, C. Octavium ex Dodrante, L. Pinarium, & Q. Pedium ex Quadrante.* Quæ partes totum *Assem* conficiunt: Dodranti enim, id est novem unciis additus Quadrans, tres videlicet unciæ, tria enim quater ducta duodecim efficiunt, habentur unciæ duodecim, nempe *As*. Et lib. 2. Instit. tit. de Hæredib. Instituen. *Hæreditas plerumque dividitur, in duodecim uncias, quæ Assis appellatione continentur. Habent autem, & hæ partes propria nomina, ab uncia usque ad Assem, ut puta hæc: Sexcunx*, id est uncia, & dimidia: *Sextans*, id est duæ unciæ, nempe sexta pars *Assis: Quadrans*, id est tres unciæ, nempe, quarta pars *Assis*: *Triens*, id est quatuor unciæ, nempe tertia pars *Assis*: Quincunx id est quinque unciæ: *Semis*, id est sex unciæ, nempe dimidium *Assis*: *Septunx*, id est septem unciæ: *Bes*, id est octo unciæ, seu Binus *Triens*: *Dodrans*, id est novem unciæ, quasi demtus quadrans, hoc est portio *Assis* quadrante minor ad *Assis* integritatem. *Dextans*, id est decem unciæ, quasi sexta parte *Asse* minor. *Deunx*, hoc est undecim unciæ nempe uncia de *Asse* demta. Quibus ad *Assis* intelligentiam secundum hanc significationem nihil expeditius.

Aureus, est moneta Romana. Meminit illius *Svetonius cap. 4. in Othon. Quoties*, inquit, *cœna acciperet Principem, aureos excubanti cohorti viritim dabat.* Et in Domitiano *cap. 7. Addidit*, inquit, *& quartum stipendium militi, aureis ternis.* Sic enim pro *aureos ternos*, legit *Lips. lib. 1. cap. 2. elect.* Valor hujus nummi fuit viginti quinque Juliorum nostratium, quod apertissime demonstratur, ex prædicto Svetonii loco in Othone, & in altero *Taciti lib. 1. Histor.* eandem largitionem Othonis memorantis his verbis: *Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias argenti viritim centenos nummos divideret.* Idem ergo *Aureus*, & Nummi centum: sed centum Nummi nempe sextertii, ut infra suo loco, viginti quinque denarios efficiunt, nam Nummus, sive sextertius est quarta pars denarii, ut jam dictum est, denarius autem Julio æquivalet, ex jam dictis; sequitur ergo idem prorsus esse Aureum Nummum, ac Julios viginti quinque, hoc est Aureos modernos Romanos duos, & semis, Illud etiam certissimum est argumentum ad *Aurei* pretium ostendendum, quod cum stipendium menstruum militis tres *Aurei* essent, ut ex Svetonio vidimus, & disertissime ostendit *Lipsius loc. cit.* & Domitianus quartum addiderit: hanc eandem illius Principis beneficentiam Zonaras narrans ait, *Cum singulis militibus quinque, & septuaginta drachmas solverentur, centum, dari jussisse.* Idem ergo centum drachmæ, ac *Aurei* quatuor. Sed drachmæ, ac denarii par cum Julio valor, ut dicetur infra. Viginti quinque igitur Juliis *Aurei* Romani pretium stetit; siquidem viginti quinque quater ducta centum efficiunt. Quanquam non est argumentis colligendus *Aurei* valor, cum Dio *l.* 55. eum aperte tradat, ait enim: *Aureum voco id numisma, quod viginti quinque denarios continet, sic enim nostrates Aureum accipiunt.* Quando vero *Aurei* nomen in Hebraicis Historiis reperitur, subintelligenda est vox *Siclus*, erat autem pretium *Aurei* Hebraici Juliorum 48. ut dicemus in v. *Siclus*.

Bes Romanus Nummus, duos Asses pendens, quasi *Binus As*. Quando Asses librales erant idem nobis est cum sexta parte Julii: Quando vero denarius constabat Assibus XVI. cum octava parte Julii: siquidem denarius sexdecem constitit Assibus. Denarius autem idem est cum Julio. Est item *Bes* nummus continens duos trientes Assis, respondens pretio duarum tertiarum partium *Bajocchi*, ut constat. Ab eo forsan Veneti nomen Peculiolæ habent *Besso*.

Bigati Pecuniæ Romanæ nomen a Bigarum sculptura ductum: quemadmodum dicimus *Sampetronios*, & *Sammartinos*: ab eorum Divorum effigie nummis impressa. Fuerunt hi nummi Argentei, ut Plinius tradit *lib. 33. cap. 3. Nota argenti fuere Bigæ, & Quadrigæ*, & nos apud An-

Antiquitatis studiosos hujusmodi nummos argenteos cum Bigis, Quadrigisque vidimus. Meminit etiam hujus generis nummorum *Liv. lib.* 3. Belli Punici. *Bigatosque*, inquit, *quingentos Quæstorem numerare jubet*. Valor horum nummorum incertus est, nam Plinio teste, tam Denarii, quam Quinarii, & Sextertii Bigarum, Quadrigarumque nota signati: quare nisi constet de quo *Bigatorum*, aut *Quadrigatorum* genere Scriptores loquantur, non poterit summa colligi. Illud certum est *Bigatos Quadrigatosque*, si Denarii fuerunt valuisse Julium: si Quinarii Julii semissem: si Sextertii quartam Julii partem: Sicuti apud Lucenses tam dicuntur *Sammartini* argentei illi quorum quinque Aureum efficiunt, quam illi, quorum tres eundem Aureum constant.

Centussis fuit nummus Romanos continens centum *Asses*. Meminit hujus nummi Persius *sat. 6.*

Et centum Græcos curto Centusse licetur.

Et Lucilius Fanniam legem, quæ sumtum in victu faciendum centum *Assibus* taxabat, *Centussem* appellabat; ut Macrobius autor est *lib. 3. Saturn. cap.* 17. Valor hujus monetæ, quo tempore denis Assibus denarii constabant, fuit denariorum decem, ac proinde Juliorum totidem. At denario per Fabiam legem ad sexdecim Asses redacto, valorem Centussis oportet fuisse sex Juliorum, & dodrantis: nam ad sex hujusmodi denarios conficiendos, & tres denarii quartas Centum asses requiruntur. At vero Augusti tempore, cum denarii essent ex XII. assibus Centussis valebat denarios octo, & tertiam ejus partem, ac proinde Julios totidem.

Cistophorus genus Græcæ pecuniæ: sic dictus quod in eo Cistophori insculti, hoc est sacras cistas ferentes, quales in sacris Cereris Eleusinæ, in Orgiis Bacchi, & in Misteriis Cibeles, inclusa arcana continentes præferri solent, ut scribit *Cælius lib.* 10. *cap.* 2. Meminit hujus nummi *Cic. Orat.* pro domo sua, & *Livius lib.* 36. ubi ait ex præda Asiatica illata in ærarium, *Cistophorum trecenta viginti unum millia & septuaginta*. Eodemque libro dicit pariter ab Acilio devictis Ætolis in Ærarium illata *Cistophorum ducenta quadraginta octo millia*. Valor *Cistophori* fuit paulo minus dimidio denario Romano, ac consequenter Julio nostrate. Colligitur id evidenter ex Festo, qui ait: *Talentum Euboicum constare Cistophoris septem millibus quingentis*, *Denariis vero Romanis quatuor millibus*; ex quo apparet quatuor denarios valuisse septem *Cistophoros*, & semis: & consequenter *Cistophori* pretium fuisse paulo minus dimidio Julio, qui idem est cum denario.

Daricus, qui & *Stater Daricus*, fuit Nummus Aureus sagittarum nota insculptus, ut testatur Plutarchus in *Apophteg. Laconic.* a Dario Persarum Rege percussus, a quo & nomen accepit, teste *Herodoto lib.* 4. ubi ait: *Darius ex auro quam potuit purgatissimo monetam percussit*. Meminit ejusdem Nummi *Xenophon. lib.* 1. *Expedit.* Cyri, ubi ait, stipendium militare apud Persas fuisse *Daricum* in singulos menses, quod Cyrus auxit, ut deinceps pro *Darico* acciperet miles *Sesquidaricum menstruum*. Valor Darici, ut monet *Lipsius lib. 7. milit. Rom. Dial. 16. & ad* 1. *lib. Annal. Tacit.* fuit viginti Drachmarum Atticarum, quæ Romano Denario, & nostrati Julio sunt pares. Quare duorum Aureorum nostratum *Daricus* pretium habuit. Videatur *Cæl. lib.* 10. *cap.* 2.

Decussis moneta Romana decem Assium valore, quo tempore Asses librales erant: at immutato per Fabium Asse sexdecim Assibus stetit. Augusti vero tempore XII. ut jam dictum est, cum de Asse verba fierent. Valor *Decussis* est Julii moderni: Idem est *Decussis* cum *Denario* de quo jam.

Denarius moneta Romana celeberrima ex Argento: sic dicta ab initio, quod decem Assibus constaret: unde & *Decussis* nomen habuit: rem sic Vitruvius testatur *lib.* 3. *cap.* 1. *Nostri primo decem fecerunt antiquum numerum, & in denario decem æreos Asses constituerunt: & ea re compositio Nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet*, & Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. *Placuit denarius pro decem libris æris*. Sub primum bellum Punicum ob inopiam Reipubl. ut dictum est, Assibus duarum unciarum percussis, *Denarius* non amplius decem Asses, sed sexdecim habuit. Unde *Vitruv. loc. cit. Postea quoniam animadverterunt utrosque numeros esse perfectos, & sex, & decem, utrosque in unum conjecerunt, & fecerunt perfectissimum Decussisexis*, & Plin. loc. cit. *placuitque Denarium sexdecim Assibus permutari*. Denique sub Augusto *Denarius* a sexdecim Assibus, ad duodecim redactus est, ut ex Lipsio jam dictum est. Verum in his mutationibus mansit semper idem pretium, quod fuit Drachmæ Atticæ respondens, ut Budæus censet: & Plinius diserte tradit *lib.* 21. *cap.* 34. *Drachma Attica Argentei denarii habet pondus*. Idem etiam colligitur ex aliis Scriptoribus, qui hæc duo *Denarium*, & Dra-

Drachmam pro eodem ſumunt. Sic ubi *Tacitus lib.* 1. ait, milites tumultuantes poſtulaſſe *Denarium Diurnum*; Dio de re eadem loquens ponit *Drachmam Diurnam:* & Zonaras pro ſeptuaginta quinque Denariis ponit *ſeptuaginta quinque Drachmas*, ut jam retulimus. Ceterum, ut obſervat Cenalis Tract. de Menſuris, & Ponderibus, & Agricola item de Ponderibus, fuit diſcrimen aliquod inter *Denarium*, & Drachmam; quia argenti uncia octo Drachmis conſtaret, *Denariis* vero ſeptem: & proinde *Denarius* ſeptima parte major erat Drachma. Ceterum hæc diverſitas, utpote modica, non admodum curata eſt, atque ita pro eodem uterque Nummus uſurpatur. Quin etiam, ut obſervat Alcaſarius, Drachma a quibuſdam pro ſeptima unciæ parte reputata, ac proinde omnino æqualis *Denario*. Ceterum *Ricciolus lib.* 2. *Geograph. cap.* 1. ait, a ſe Parmæ in Muſeo D. Guidonis Torelli multos *Denarios* Romanos cum omnibus notis genuinæ antiquitatis ponderatos, eorumque ſingulos Drachmam unam appendiſſe, hoc eſt octavam partem unciæ noſtratæ, quam eandem omnino cum antiqua uncia fuiſſe demonſtratur. V. *Pondo*. Valor *Denarii*, ut communiter ſentiunt Scriptores, & ex pondere cognitum eſt, appenſis nempe antiquis *Denariis*, idem eſt cum Julio, ac Regali Hiſpanico. *Cornel. in cap.* 14. *Matth. & in Tract. de Menſur. & Ponderib.*

Des idem quod *Bes*; nempe Nummus conſtans duobus Aſſibus, ut jam dictum eſt.

Dipondium, & *Duepondium*, ut nomen ipſum ſonat, & ſcribit Varro, fuit Nummus duorum Aſſium libralium, & idem cum Beſſe, & Deſſe. Meminit illius Cicer. pro Quint. *Si Dupondius tuus ageretur Sex. Næv.* & Petron. in Satyr. 2. *Sed præter unum Dipondium, quo deſtinaveramus Cicer., lupinoſque mercari*. Et in Evangelio *Lucæ* 12. *Nonne duos paſſeres veneunt Dipondio?* Ponitur plerumque, ut viſum eſt, pro pecuniola modici pretii: ejuſque valor fuit quintæ partis Denarii, ac proinde Julii. Mutato tamen Denario, neceſſe fuit etiam mutari *Dipondium*, quare cum Denarius ſexdecim Aſſibus conſtaret, oportuit *Dipondium* habuiſſe tres Aſſes, & quintam ejus partem. At vero Denario ex duodenis aſſibus confecto, oportuit, ut *Dipondius* eſſet, quinta pars Denarii, fuiſſe duorum Aſſium, & tertiæ partis ejuſdem, ac minimæ alterius portionis.

Drachma celeberrimus Athenienſium Argenteus nummus pondere Drachmali, hoc eſt octavæ partis unciæ, ut nomen ipſum ſonat. Nihil frequentius *Drachmæ* nomine apud Græcos, Latinoſque. Meminit illius *Xenophon. in* 1. *Helenicon.* ubi habet: *Drachmam Atticam*. Idem *Thucidid. lib.* 3. *Belli Pelopon.* Plutarchus, Dio, Zonaras, & Terent. in Andr.

Vix Drachmis obſonatus eſt decem.

Sic etiam in Evang. Matth. *Quæ mulier habens Drachmas decem.*

Drachmæ Atticæ valor idem habetur cum pretio Denarii, ac Julii, ut dictum eſt, traditque *Bud. lib.* 5. de Aſſe, aliique communiter. Fuit etiam *Drachma* Aurea Attica: quæ decem argenteos continebat, ut colligit idem Bud. ac proinde Aureo Italico par erat. Fuerunt etiam aliæ *Drachmæ* præter Atticam, ut Hebraica, Alexandrina, Æginetica, de quibus agetur V. *Talentum*. A Drachma fit *Didrachma*, quæ erat moneta duarum *Drachmarum*, alio etiam nomine dicta *Siciliquus*, nam *Siciliquus* eſt duarum *Drachmarum* pondus, ſive quarta pars unciæ, ut ait Priſcianus *lib. de Pond. & Menſuris*, iis verſibus:

Drachmam ſi gemines, aderit quem dicier audis
Siciliquus ——

Fit etiam *Tetracina*, & *Tetradrachmum*, Moneta Quatuor *Drachmarum*, ac eadem proinde cum Siclo, ſeu Statere Hebraico. *Didrachma* vero Hebraicum habuit quatuor *Drachmas* Atticas: *Tetradrachmum* vero octo, ſiquidem *Drachma* Hebraica fuit duplo major Attica: ut in confeſſo eſt apud omnes, qui ſcripſerunt de Ponderibus, ac Menſuris.

Mina, & *Mna* per Syncopen, idem apud Græcos valet, quod apud Latinos libra, & Pondo. *Mina* Attica prius habebat Drachmas ſeptuaginta tres. Verum Solon conſtituit, referente Plutarcho in Solone, ut deinceps eſſet Drachmarum centum. Et Plinius *lib.* 21. *cap.* 34. *Mna*, inquit, *quam noſtri Minam vocant, pendet Drachmas Atticas centum*; quapropter oportuit *Minam* Atticam fuiſſe Romana libra majorem ſemiuncia; nam, cum Drachma ſit octava pars unciæ, octies duodecim efficiunt nonaginta ſex; ac ſuperſunt quatuor Drachmæ, quæ ſemiunciam efficiunt. Verum communiter apud Autores utraque libra pro eodem habita, & centum Drachmæ centum Denariis æquatæ, ut etiam vidimus. *Mina* alia fuit argentea: cujus meminit Plautus:

Probati argentei ſexaginta Minæ.

Alia

Alia aurea, cujus idem etiam mentionem facit in Mil. Glor.

Ergo des Minam aurei nobis.

Verum tam Aurea, quam argentea centum Drachmis constitit: illa Aureis, hoc est centum Aureis nostratibus, siquidem Drachma aurea decem argenteas continebat, ut dictum est: hæc vero Argenteis, ac proinde Juliis totidem aureis nostratibus decem: ut ex dictis constat.

Mina Hebraica fuit duplo major Attica, ac præterea eam superavit Drachmis quadraginta. Nam cum sexaginta Sicli *Minam* constituerent, ut habetur *Ezechiel.* 45. *viginti Sicli, & vigintiquinque, & quindecim Sicli* (ipsi sunt 60. Sicli) *Mnam faciunt*. Ut Siclus autem esset Tetradrachmus, oportuit *Minam* Hebraicam habuisse Drachmas Atticas 240. Ex his *Minis* sexaginta Siclorum, quinquaginta constituebant Talentum Hebraicum, quæ Atticis 120. æquivalebant, ut ait Genalis: siquidem, ut probat Villalpandus, & ex eo refert *Pineda lib.* 5. de rebus Salom. *Talentum Hebraicum habuit Siclos termille, Drachmas duodecim mille, Minas*, de Atticis intellige, *centum vigintiquinque*. Quinquagies autem 240. efficiunt 12000. quarum Drachmarum numerum 120. *Minas* Atticas efficiunt, adeoque Talentum Hebraicum fuit duplo majus Attico.

Notandum cum Villaprando, Maldonato, Cornelio a Lapide, & Rabbi David, ex hoc loco Ezechielis colligi, fuisse apud Hebræos quadruplicem *Minam*. Unam Siclorum 15. aliam 20. Tertiam 25. Quartam vero, quæ has omnes comprehenderet, 60. Easque omnes sine ullo discrimine *Minas*, & *Mnas* appellatas in sacris literis: quæ observatio necessaria est ad justam æstimationem tenendam aliquorum ponderum Sacræ Scripturæ, quæ per *Minas* efferuntur, quæque si accipiantur secundum *Minam* sexaginta Siclorum, videntur omnino incredibilia. Sic 3. *Regum* 10. habetur, Salomonem fecisse stipatoribus suis peltas, quarum singulæ vestiebantur trecentis *Minis* auri: quem locum si de Minis sexaginta Siclorum intelligas, erit onus etiam valentissimis importabile. At si de minori 15. aut 20. Siclorum, vel etiam 25. accipias, robusti militis pondus habebitur. Ceterum eas peltas constitisse Minis trecentis, viginti Siclorum contendunt Villalpand. & Cornel. Siquidem dicit Scriptura in eas peltas, quæ fuerunt trecentæ numero, insumta sexcenta sexaginta sex talenta. Videatur *Villalp. tom.* 2. *lib.* 5. *disp.* 3. *cap.* 55. & Pineda *lib.* 5. *cap.* 6. de rebus Salom. Qui etiam notat eo *c.* 6. §. 8. *num.* 11. & 12. interdum *Minæ* nomine, Siclum in sacris Scripturis accipi; siquidem peltæ istæ, quæ in Regum historia dicuntur conflatæ ex *Minis* auri 300. 2. *Paralip.* 9. dicuntur compactæ *Aureis*, hoc est, Siclis trecentis. Quæ sententia erit etiam tolerabilior, atque ita singulæ peltæ habuerunt uncias auri 150. siquidem Siclus semunciam auri pendat, cum quatuor Drachmis aureis constet, quarum octo unciam constituunt, ut dictum est.

Fuit etiam *Mina* Alexandrina, Babylonica, Æginetica, & aliæ, de quibus dicetur V. Talentum.

Minutum, ut nomen ipsum sonat, fuit Moneta minimi pretii: de eo dicitur *Marc.* 12. *duo minuta, quod est quadrans*, quibus ostenditur minuti valor; nam si duo minuta Quadrantem Assis efficiunt, ergo minutum habet valorem dimidii Quadrantis: quod non pertingit ad pretium integri quatrini Lucensis, ut consideranti patebit. Nam si As est decima, aut sexdecima, aut duodecima pars Julii, quid erit octava pars ejusdem Assis?

Numus, & *Nummus* generatim de omni pecuniarum genere dicitur, ducta voce vocabulo *Numo*, hoc est, *a Lege*, quod pecunia legibus sit constituta, ut ex Arist. jam diximus. Verum apud Latinos idem valet, ac Sestertium. Cicer. pro Rabir. *Quis est ex tanto populo, qui bona Rabirii Posthumi Nummo Sestertio, sibi addici velit?* Et Vitruvius lib. 1. cap. 4. *Nummo sestertio singulis Municipibus mancipio dedit*. De ejus valore vide V. *Sextertius*.

Obolus, fuit Nummus, tam Græcis, quam Hebræis usitatus: ideo dictus hoc nomine, ut placet Photio apud Cœlium *lib.* 10. *cap.* 2. quod Obelisci imaginem præferret. *Obolus* Atticus fuit sexta pars Drachmæ, ut ait Eustathius apud eundem Cœlium loc. cit. nec non Vitruvius *lib.* 3. *cap.* 1. ac proinde valore sextæ partis Julii. At vero *Obolus* Hebraicus fuit vigesima pars Sicli, ut habetur *Exod.* 20. ubi dicitur: *Siclus viginti obolos habet*. Atqui cum Siclus, ut dictum est, quatuor Drachmis constiterit, sequitur *Obolum* Hebraicum fuisse majorem Attico, utpote quinta pars Drachmæ, cum ille sit sexta. *Obolus* Atticus dictus est etiam *Semiscrupulus*, siquidem duo *Oboli* scrupulum efficiunt, ac proinde Drachma tres habet scrupulos, ut scribit Budæus.

Philippus, seu *Philippæus*, qui, & *Stater Macedonicus*, fuit Aureus Nummus a Philippo Alexandri Magni Patre percussus,

ſus, ab eoque dictus *Philippus*, ſeu *Philippæus*, ut Diodorus eſt autor apud Cælium *lib.* 10. *cap.* 2. & *Jul. Pollux. lib.* 9. 6. Meminit hujus nummi Livius *lib.* 34. ait enim de Quintii triumpho loquens. *Et Philippæi nummi aurei quatuordecim millia quingenti quatuor decem.* & Horat. lib. 2. Epiſt. 1.

Rettulit acceptos regale Numiſma Philippos & Plaut. in Bacchide

> *Mille ducentos Philippos attulimus aureos*

ad quem locum ait Lambin. *Valebat autem Nummus Philippæus aureus duos circiter aureos Gallicos, quod ego ex uno nuper cognovi, quod mihi oſtendit Clemens Teveninus.* Ex quibus *Philippæi* Nummi valor deprehenditur, quem fuiſſe eundem cum valore Darici Stateris, Scriptores conſentiunt. Budæus *lib.* 4. de Aſſe, ac proinde *Philippæus* habuit Drachmas viginti: qui ſunt duo aurei noſtrates.

Pondo; idem ſonat, ac As, & Libra. Eſt autem libra notiſſimum ponderis genus, partibus duodecim conſtans, quæ Unciæ appellantur. Magna eſt inter Autores circa pondus librarum controverſia; nobis ſufficiat Romanæ, ac Græcæ pondus ſtatuere ad intellectum Scriptorum utriuſque linguæ. Aſſero igitur Libram Romanam duodecim unciis conſtitiſſe, quæ Libram noſtratem Romanam modernam conficiunt, omnino reſpondentibus. Cujus veritatis illud ineluctabile argumentum eſt, a Villalpando, & Alcaſario allatum, extare adhuc Romæ apud Farneſios Veteres Congios, in quibus inſcriptum eſt: *Menſuræ exactæ in Capitolio pondo decem*: quorum uno pluviali aqua repleto, & ad Libram ſubtiliſſime examinato coram Luca Pæto, inventum, eum fuiſſe ponderis Unciarum noſtrarum centum viginti, quæ ſunt libræ noſtrates decem. Libra autem Græca fere par Romanæ fuit, una tantum ſemuncia major: ſiquidem octo Drachmæ Romanam Unciam conficiebant, Libram vero Drachmæ *96*. At vero Mina Attica 100. Drachmis conſtabat, ac proinde quatuor Drachmis majorem fuiſſe oportuit. Verumtamen eſt pro eodem utramque Libram habitam: ac ejuſdem momenti centum Drachmas, ac centum Denarios Conſulares exiſtimatos.

Fuit autem tanta apud Veteres ſervandi ponderum juſta momenta Religio, ut Romani ea in Capitolio aſſervarint: Juſtinianus vero menſuras, & pondera in ſacratiſſima cujuſque Urbis Eccleſia cuſtodiri mandaverit, qua de re legendi Lucas Pætus *fol.* 14. & Mariana *cap.* 24. quem morem a Judæis hauſtum non dubitamus, cum 1. *Paralip. cap.* 23. legamus *Sacerdotes præpoſitos ſuper omne pondus, atque menſuram*. Quod intelligendum eſt, cum in ſcripturis dicitur aliquid examinatum pondere Sanctuarii. Non quia pondera ſacra majora eſſent Laicis, ut quidam perperam voluerunt, ſed quia in Templo juſtiſſima aſſervabantur pondera; atque adeo idem eſt pondere Sanctuarii, ac juſto, & exacto pondere, ut obſervat *Alcaſar. Prop.* 11. Qua diligentia Avaritiæ fraudibus cautum voluerunt, ne ſcilicet in hominum cupidorum poteſtate eſſet rerum pondera, & menſuras invertere. Unde etiam hoc tempore pondera, menſuræque cuſtodiuntur in publico adverſus privatorum calumnias.

Quando autem ſermonem de Libra inſtituimus, non injucundum Juveni futurum putavi, ſi ſummatim rerum gravium inter ſe comparationem a Villalpando *tom.* 3. *pag.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7. *prop.* 16. ſubtiliſſime, ac diligentiſſime, ante oculos præponere; quod etiam ex eodem Villalp. præſtiterunt Alcaſ. & Cornelius de Pond. & Menſ. Sumatur igitur Vas, quod capiat decem uncias, aquæ, vini, & aceti, hæc enim tria æqualis ponderis æſtimantur: idem vas capiet olei uncias novem: mellis quindecim: ſtanni ſeptuaginta quinque: ferri octoginta $\frac{12}{87}$ Æris Cuprei nonaginta unam: argenti centum quatuor: plumbi centum ſexdecim, & med. argenti vivi centum quinquaginta: auri octoginta ſex, & med. Quamquam hæc non ita exacte teneri poſſint, cum pro raritate, & denſitate majori, vel minori ejuſdem metalli, vel liquoris, dari poſſit ponderis inæqualitas: nam ut ait Fannius

> *Nec merſi puteis latices, nec fonte perenni*
> *Manantes par pondus habent, non denique vina.*

licet *Plin. lib.* 31. *cap.* 3. aſſerat aquas: *nullo fere ponderis momento inter ſe diſtare:* ac Villalpandus *loc. cit.* dicat: *diſcrimen aquarum in pondere a ſtomacho diſcerni, non a trutina*. Quomodo autem deprehendi poſſit exceſſus iſte liquorum ad invicem abſque eo quod in Statera penderentur, curioſe docent ex Archimede Villalpandus in Ezechielem, Marinus Ghetaldus in Archimede promoto, Joſeph Blancanus in Sphæra *lib.* 7. *cap.* 6. & Ricciolius *lib.* 2. *cap.* 5. Almageſti Novi,

vi, hoc pacto. Cum enim gravia descendant liquidis immersa magis, vel minus, secundum majorem, vel minorem densitatem, gravitatemque liquoris; primum ad Libram expendatur aliquod pondus, puta unciarum duodecim, hoc igitur primum in aere appensum, repertumque pondere unciarum duodecim rursus ponderetur non in aere, sed in aqua, deinde vino, mox in oleo, tum in melle, & quot unciis minus deprehendetur pondus illud diversis liquoribus immersum, tot unciis gravior erit altero liquor ille in pari quantitate. Nam si ex. gr. pondus illud vasi aquæ immersum erit unciarum 8. vini autem in eodem vase positum 7. vinum ponderabit uncia minus aqua: repleatur idem vas oleo, si pondus immersum erit unciarum 10. oleum erit aqua levius unciis duabus, & sic deinceps.

Quadrans, ut jam prædictum erat, quarta pars Assis, pendens paulo amplius Quatrino Lucensi, ut diximus. V. *Minutum*; & ex comparatione denarii Romani, cujus *Quadrans* erat pars vel Quadragesima, dum Asses librales erant; vel sexagesima quarta, dum Unciales; vel quadragesima octava, dum Denarius habebat asses duodecim, aperte colligitur. Hoc nummo persolvebatur pretium balneatoribus in Thermis publicis: unde Horatius

—— Quadrante lavari:

& Martialis

De nostro Matho centies lavetur.

Siquidem præcursoribus, & salutatoribus, e quibus Matho ille, dabatur sportula centum Quadrantium: unde idem alibi

Centum miselli jam valete Quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi.

Scrupulus tertia pars Drachmæ, sive unciæ pars vigesima quarta, ponitur pro minima pecuniæ portione; unde Valer. Maxim. lib. 4. *eadem gens nullum ante scrupulum habuit*. Et Cicer. ad Attic. lib. 4. Epist. 86. *Neque argenti scrupulum esse ullum in illa Insula*.

Sextertius: celeberrimus Romanorum Argenteus Nummus, quippe eo omnes pecuniariæ summæ taxatæ. Nihil eo apud Latinos Scriptores frequentius. Tacitus lib. 1. Annal. *Prætoriarum cohortium militibus singula nummum millia: Legionariis autem cohortibus Civium Rom. trecenos Nummos viritim dedit*. Idem autem cum *Sextertio* Nummum fuisse supra ostendimus. Et lib. 1. Hist. *Bis, & vicies millies sextertium largitionibus Nero effuderat*. Ipsi sunt *quinquaginta quinque milliones*, inquit ad eum locum Lipsius: & ex pretio, quod mox dicemus, supputanti liquebit. Mitto alia Autorum loca, Svetonii, Livii, Ciceronis, & aliorum, quæ vel pueris sexennibus in manu sunt. *Sextertius* fuit quarta pars Denarii Romani, dictusque est hoc nomine, quasi *Semistertius*, quod nempe ab initio, cum Denarius decem Assibus constabat, contineret duos Asses, & semissem tertii. Rem totam aperit Vitruvius lib. 5. cap. 1. *Etiamque quartam ejus* (denarii scilicet) *partem, quod efficiebatur ex duobus Assibus, & tertio semisse, sextertium vocitaverunt*. Fuisse autem *Sextertium* quartam Denarii partem, inde etiam evidenter liquet, quod apud Tacitum, ut supra vidimus, idem sunt *centum Nummi*, ac apud Svetonium *Aureus*. Oportuit ergo Nummum fuisse partem quartam Denarii, cum Aureus constaret Denariis viginti quinque. Constabat etiam ex Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. fuisse *Sextertium* quartam partem Denarii: nam cum dixisset Denarium ex Decussi factum Decussisexim, addit: *placuitque Sextertium quatuor Assibus æstimari*, ut scilicet *Sextertium* valorem suum retineret, essetque, ut antea, quarta pars Denarii, quatuor enim est quarta pars sexdecim. Ex quibus habetur Sextertii pretium fuisse quartam Julii partem, nempe undecim quatrinos Lucenses: Duas Gratias Florentinas: duos Bajocchos Romanos, & Semissem. Signantur autem, ut patet apud Scriptores *Sextertii*, hac nota, H-S. Tacit. lib. 12. Annal. *Pallanti Prætoria insignia, & centies quinquagies* H-S. Quod etiam exprimitur in veteri Inscriptione, cujus etiam meminit Plinus *lib.* 8. *Epist.* 5. ubi legitur: *& Centies* H-S *Quinquagies*, & passim apud Scriptores hæ notæ occurrunt. Quoties autem huic voci Sextertium H-S, adscribitur numerale nomen, Decies, Centies, Millies, &c. subintelliguntur semper, ac supplenda sunt centena millia. Ut autem in promtu sit summa *Sextertiorum*, brevem Abacum appono.

Centum	H-S	Aurei nostr. 2. $\frac{1}{2}$
Mille	H-S	Aurei nostr. 25.
Decem millia	H-S	Aurei nostr. 250.
C. millia	H-S	Aurei nostr. 2500.
Decies	H-S	Aurei nostr. 25000.
Centies	H-S	Aurei nostr. 250000.
Millies	H-S	Aurei nostr. 2500000.

Sex-

Sextertium neutro numero habuit sestertios parvos mille, denarios centum viginti quinque: dictumque est hoc nomine, quod duas libras argenti, & Semissem valeret. Colligitur evidenter pretium hujus monetæ, siquidem Autores discriminatim ponunt, exempli causa, Dena *Sextertia* pro decem millibus sestertium. Svetonius in Cæsare: *Ludis Laberius equus Romanus mimum suum egit, donatusque quingentis sestertiis, & anulo, sessum in quatuordecim ex Scæna per Orchestram transiit*. Atqui eandem rem sic narrat Macrobius lib. 2. Saturn. *Laberium asperæ libertatis equitem Romanum, Cæsar quingentis millibus invitavit, &c.* Ergo idem erant quingenta H-S, & Quingenta millia H-S. Licet etiam eandem veritatem ex Juvenali adnotare *Sat.* 14.

—— Mullum sex millibus emit,
Æquantem sane paribus sestertia libris.

Neque enim mullus potuit esse pondere sex millium librarum. Fuit igitur librarum sex, æquavitque libris *Sestertia*, quia idem *Sestertia* sex quod sex mille *Sestertii*; qua de re videndus est Covarruv. *cap.* 4. de Numismatis.

Cum autem mille Nummi, sive *Sestertii*, ducentos quinquaginta denarios efficerent, siquidem sunt quarta pars denarii, consequenter *Sestertium*, utpote constans mille *Sestertiis*, valebat denarios CCL. ac proinde Julios totidem, nostrates vero aureos XXV. Ad summas ergo recte colligendas solerter Juvenis animadvertat: & cum legerit centum *Sestertia*, Dena *Sestertia*, Vicena *Sestertia*, & alia hujusmodi, sciat intelligenda esse Centum millia, Decem millia, Viginti millia *Sestertium*. Bud. de Asse. Quare cum apud nonnullos leget Senatorium Censum fuisse *Octingenta millia* H-S, quem tamen Augustus postea *ad duodecies* H-S *taxavit*, ut *Svet. in Aug. cap.* 41. apud alios vero reperiet eundem Censum fuisse *Octingenta sestertia*: quemadmodum etiam de Equestri censu continget, quem aliqui per quadringenta *Sestertia* efferunt, ut *Plin. lib.* 33. *cap.* 2. qui de Equestri dignitate loquens, *Has de causa*, inquit, *constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno Sestertia quadringenta Census fuisset*: alii vero per quadringenta millia, ut alter Plinius *lib.* 1. Epistolarum ait enim amicum alloquens: *Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos Decurio es. Igitur ut te non Decurione solum, verum etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ab implendas. Equitis facultates trecenta millia nummum*: pro eodem summas illas accipiat, & utrobique Senatoris Romani Censum computet viginti aureorum nostratium millia; secundum vero Augusti taxatione triginta millia: Censum vero equitum aureorum nostratium decem millia.

Siciliquus, sive *Sicilicus*, idem cum Didrachma: vide V. *Didrachma*.

Siclus, qui & *Sicel*, & *Stater*, Nummus Hebraicus quatuor Drachmarum Atticarum valore, itidem est cum *Argenteo*, ut jam copiose dictum est. Fuit etiam *Siclus* aureus duodecim *Siclorum* argenteorum pretio: quod manifeste colligitur ex historia emptionis Areæ Ornan per David factæ, quæ 2. *Reg. cap.* 24. sic exprimitur: *emit ergo David Aream, & boves argenti Siclis quinquaginta*: at vero eadem 1. *Paralipom. cap.* 21. sic effertur: *Dedit ergo David Ornan pro loco Siclos auri justissimi ponderis sexcentos*. Ubi monent *Villalp. Alcasar. & Cornel.* ut infra latius, primos illos *quinquaginta Siclos* de aureis intelligendos: *sexcentos* vero de argenteis: unde cum quinquaginta Sicli aurei, sexcentis argenteis æquivalerent, oportuit singulos Siclos aureos duodecim argenteorum Siclorum pretium habuisse. Ex quo etiam illud liquet, eo tempore aurum habuisse duodeclupam proportionem ad valorem argenti: quem excussem tradit etiam de sua ætate Plato in Hipparco prope finem. Quare pretium unius aurei *Sicli* fuit Juliorum 48.; cum singuli *Sicli* argentei essent Tetradrachmis Atticis pares. Memorantur *Sicli* aurei Jud. 8. 25. *mille septingentis aurei Sicli*. Et 3. Reg. 10. *Sexcentos auri Siclos dedit in laminas Scuti unius*. Illud etiam notandum est, quoties in scripturis *Aureus dicitur*, ut 2. Paralip. 4. *de summa sexcentorum Aureorum, qui in singulis hastis expendebantur*, subintelligendum esse *Siclum*, ut de Argentei appellatione monuimus.

Excogitarunt nonnulli sacrarum literarum Interpretes duplicem *Siclum*, Sacrum, & Communem. Sacro Rabbini tribuunt pretium viginti obolorum, Communi Quadraginta: E contra vero Pagninus noster arbitratus est sacrum valere Obolos Quadraginta, Communem viginti. Verum hæc distinctio nec a Philone, nec a Josepho, aut Hieronymo cognita est, proinde passim rejicitur; revinciturque ex Scriptura, quæ tam Sacro, quam Communi *Siclo* viginti Obolos tribuit. Nam *Ezech.* 15. ubi agitur de *Siclos*

clo Vulgari dicitur: *Siclus viginti obolos habet:* & *Exod.* 30. ubi de Sacro: *Dabit dimidium Sicli juxta mensuram Templi: Siclus autem viginti obolos habet*. Ubi Nota, sermonem hic esse de Obolis Hebrairis: Nam *Siclus* habebat obolos Atticos viginti quatuor: siquidem Obolus est sexta pars Drachmæ, *Siclus* autem habet Drachmas Atticas quatuor.

Solidus fuit aurea moneta sextam unciæ Auri partem pendens, unde & *Sextula* dictus, Isidoro teste. De aliis *Solidorum* generibus, quæ multa, ac varia fuerunt, videantur Budæus, & Cenalis. Illud ex Cassiodoro adverto, *Solidum* Gothicis temporibus *Sex millia Denariorum habuisse* lib. 1. ep. 10. Variorum. Quare videtur, quod veteribus Talentum, id posterioribus seculis *Solidum* fuisse.

Stater, sic a Statera dictus, fuit Nummus Hebraicus, tum aureus, tum argenteus. Meminit illius Sacra Scriptura pluribus in locis 1. Reg. *Inventa est in manu mea quarta pars Stateris Argenti*: &: *Invenies in ore ejus Staterem*. Fuit autem idem cum Siclo, ut jam dictum, ac proinde ejusdem valoris tam in auro, quam in argento.

Stateris etiam nomen habuere Aurei Persici, & Macedonici: illi appellati *Stateres Darici*, hi *Philippæi*, & *Alexandræi*, ab eorum Regum imagine: de quorum pretio jam dictum, quod fuit Drachmarum Atticarum viginti; Juliorum totidem.

Talentum, maximum, ac celeberrimum in re Nummaria, tam sacris, quam Prophanis Scriptoribus memoratum, non tam Moneta dicendum est, quam ingens pecuniarum acervus. Fuit autem, ut magnum, ita, & varium; tamen in hac varietate illud commune habuerunt omnia *Talenta*, ut observat Alcasar. ex Africano, & Polluce, quod constiterunt sex millibus Drachmarum sui generis: nempe Atticis, Hebraicum Hebraicis, &c. Memorantur autem *Talenta Attica*, *Hebraica*, *Alexandrina*, *Æginetica*, *Ægyptia*, *Babylonica*, *Euboica*, *Syracusana*, *Rhodia*, de quibus breviter dicendum est.

Talentum Atticum, sic dictum, quod eo Athenienses utebantur. Meminit illius Cic. 5. Tuscul. *Cum Legati ab Alexandro quinquaginta ei Talenta attulissent*, *quæ erat pecunia temporibus illis*, *Athenis præsertim*, *maxima*. Valor ipsius fuit Minarum Atticarum sexaginta, siquidem constabat Drachmis Atticis sex mille; singulæ autem Minæ centum Drachmas habent, ut jam dictum. Quibus addo autoritatem Diodori apud Suidam V. Talentum, ubi ait: *Talentum sexaginta minas*, *Mina centum Drachmas*, *Drachma sex Obolos*, *Obolus sex Æreos*, *æreus*, *septem minuta continet*.

Idem *Talenti Attici* valor colligitur ex Plin. lib. 35. cap. 11. *Talentum Atticum* $\overline{\text{XVI}}$. *taxat Marcus Varro* hoc est, ut interpretatur *Bud. lib.* 4. de Asse, Denariis (id enim significat numeralis nota $\overline{\text{X}}$. quæ etiam in Denariis vetustis, qui adhuc supersunt, ad eorum valorem indicandum, cernitur) sex mille; idem enim Drachma, & Denarius. Valor ergo *Talenti Attici* Juliorum nostrorum sex mille, Aureorum vero sexcentum.

Fuit etiam secundum quosdam aliud *Atticum Talentum*, quod a Scriptoribus appellatur Magnum, unde *Plaut. in Mostell.*

Sex Talenta magna argenti.

Et Virg. 5.

——— *Argenti magnum dat ferre Talentum.*

Quod dicunt, ut Cerda in hunc Virgilii locum, fuisse minarum Atticarum octoginta; Drachmarum octo millium. Verum hoc *magnum Talentum* non fuisse majus sexaginta minis Atticis, evidenter colligitur ex Plauto *loc. cit.* ut bene notat Lambinus. Nam cum dicatur ibi domum quandam emtam duobus *Talentis magnis*: & Venditori jam datas *quadraginta minas*: subjungitur, ut tota pretii summa conficiatur restare, *octoginta minas*, quæ si cum quadraginta jam solutis componantur, centum viginti minas conficiunt; hoc est *Talenta Attica* duo: idem ergo *Talentum Atticum*, & *Talentum Magnum*. Quamquam, & his minime obstantibus, adhuc affirmari possit *Talentum Magnum* habuisse Minas quidem sexaginta, verum Minas magnas, nempe duplo majores communi: quale enim *Talentum*, tales & Minæ, ex quibus illud componebatur: sed hoc *Alexandrinum* potius, & *Hebraicum*, quam *Atticum* fuit. Ideo quotiescumque in libris Græcorum, aut Latinorum reperitur *Talentum* sine alia additione, nisi quid aliud ex rerum serie occurrat, pro *Attico* intelligendum est, Minarum argenti sexaginta, Drachmarum Atticarum sex mille.

Talentum Atticum aureum, quale fuerit, licet ex dictis colligere: nam si quodlibet *Talentum* sexaginta Minis constabat, oportuit habuisse sexaginta Minas aureas, Drachmas aureas sex mille, ac proinde totidem nostrates aureos. Quod

idem de aliis *Talentis* pro portione dicendum erit, Minis argenteis in aureas commutatis; Drachmisque similiter, ex argenteis in aureas conversis.

Talentum Hebraicum tam aureum, quam argenteum, duplo majus Attico fuit. Et quidem unum hujusmodi dari *Talentum*, quod *Atticum* pondere duplicaret, autores sunt Vitruvius, *Dionys. Halicarn.* Suidas, & Hesychius, apud Marianam *cap. 7. de Mens. & Ponder.* Hujus autem generis fuisse *Talentum*, quo utuntur Sacræ Scripturæ, testatur Josephus, qui affirmat *Talentum* Scripturæ pendere Minas centum viginti, ut emendat Alcasar. Atticas scilicet, nam Hebraicas habuit 50. ut dictum est in V. Mina: deinde universi sacri Interpretes ad *cap.* 18. Exodi colligunt *Talentum* fuisse Siclorum trium millium: atqui Siclus Tetradrachmus fuit, ac proinde *Talentum* oportuit fuisse Drachmarum duodecim millium, Attico videlicet duplum sic Villalp. tom. 3. in Ezechiel. Stanisl. opusc. de Siclo. Cornel. in cap. 18. Exod. Alcasar. de Mens. & Pond. Proposit. 21. *Talentum* ergo *Hebraicum argenteum*, siquidem habuit Drachmas duodecim mille, fuit valoris Aureorum nostratium mille ducentorum. *Aureum* vero, cum totidem Drachmis aureis constiterit, Aureos nostrates valuisse oportebit duodecim mille.

Pro colligendis summis pecuniariis Sacræ Scripturæ, notandum est cum Alcasario l. c. Proposit. 22. Sæpe in sacris Literis Auream pecuniam pro argentea poni: ita ut idem sit, exempli causa, decem Auri *Talenta*, ac decem *Talenta* argenti auro appensa: hoc est tanta auri summa, quanta conficiat Argenti Talenta decem, ut si quis dicat se habere trecentos Asses aureos, significet se habere Aureum Italicum, vulgo *Doppia d' Italia*, cujus pretium est triginta Juliorum, qui conficiunt trecentos Asses, seu *Bajocchos:* habet igitur hic trecentos Asses aureos in æstimatione, & pretio, non in materia. Colligitur apertissime hæc Sacræ Scripturæ locis rem eandem narrantibus: nam ubi 2. *Reg. cap.* 24. dicitur: *Emit ergo David aream, & boves argenti Siclis quinquaginta*, idem factum sic exprimitur 1. *Paralip.* 21. *dedit ergo David Ornan pro loco, Siclos aurei justissimi ponderis sexcentos;* nam, ut hæc duo Scripturæ loca sibi consentiant, oportet fateri Sacram Scripturam valori sexcentorum argenteorum Siclorum in auro tribuisse appellationem sexcentorum auri Siclorum: & illos Siclos quinquaginta, qui in sacra Regum Historia memorantur, in libris Paralipomenon elata esse per Siclos sexcentos: siquidem quinquaginta aurei Sicli, valent sexcentos Siclos argenteos: Ut *Alcasar.* loc. cit. & *Villalp.* tom. 3. in *Ezech.* Quod cum ita sit, valde minuuntur summæ quædam incredibiles, quas nonnulli ex sacris Literis, præcipue computando divitias Salomonis collegerunt: si illa tot *Aureorum Talentorum* millia moderata supputatione leniamus, ea ad totidem *Talenta argenti* in auro revocando: unde opes a Davide relictæ Salomoni ad Templum ædificandum a maxima illa, & incredibili summa millionum bismille quadringentorum, revocarentur ad summam ingentem quidem, sed tamen longe minorem centum viginti quatuor millionum. Videatur *Alcasar.* loc. cit. & *Cornel. de Mens. & Pond.* qui tamen dicit aliquid plus a Sacra Scriptura requiri.

Talentum Alexandrinum fuit duplo majus Attico, ac proinde habuit Minas Atticas centum viginti, Drachmas duodecim mille: fuitque par Hebraico. Fuisse autem hujusmodi colligitur manifeste: nam Septuaginta Interpretes, qui in urbe Alexandrina Sacram Scripturam in Græcam linguam transtulerunt, ut etiam supra observavimus, Siclo qui fuit quatuor Drachmarum Atticarum, nomen didrachmi tribuunt, in quo verisimile est, eos sequutos usum Regionis, in qua scribebant: ubi oportuit viguisse Drachmas magnas, nempe Attica duplas, ac proinde Minam itidem magnam, & *Talentum* Minæ par: siquidem si Drachma Alexandrina fuit Siclo par; Drachma vero est pars centesima, Mina autem pars *Talenti* sexagesima, opportuit & *Talentum* Alexandrinum fuisse Minarum Atticarum centum viginti, Drachmarum Atticarum duodecim mille: & Aureorum nostratium mille ducentorum. Quin Festus aperte tradit *Talentum Alexandrinum* constitisse Denariis duodecim millibus, ipsæ sunt Drachmæ Atticæ totidem. Videatur *Alcasar. Proposit.* 19. qui refert ad *Talentum Alexandrinum* ea, quæ Talento magno scribuntur a Vitruvio, Dionysio Halicarn. Hesychio, & Suida. *Talentum Ægineticum*, ab incolis Æginæ Jonii maris Insulæ dictum, habuit, secundum *Talenti* legem, Drachmas Ægineticas, quas Athenienses crassas appellabant, ut scribit *Bud. lib.* 4. de Asse, sex mille, Atticas decem mille: siquidem Drachma Æginetica, ut omnes consentiunt apud Mariana *cap. 7. de Pond. & Mens.* pendebat decem obolos Atticos, cum Attica sex obolis constaret; ac proinde erat Attica major $\frac{2}{3}$; unde se-

ſequitur fuiſſe valoris noſtratium Aureorum mille.

Talentum Ægyptium, ut Plin. lib. 3. ex Varrone tradit, *pendebat octoginta pondo*: igitur fuit valoris octoginta Minarum Atticarum; illæ enim Romanæ libræ pares habitæ, Drachmarum Atticarum octomillium, Aureorum noſtratium octingentorum. Meminit *Ægyptii Talenti* Appian. in Proem. Hiſt. Libycæ, ubi ſummam Romanæ potentiæ, ut erat illa ætate, nempe Hadriano Principe, recenſens ait: illos habuiſſe pecunias in uſus bellicos comparatas *ad ſeptuaginta quinque millia Talentorum Ægyptiorum*, qui ſunt Aureorum noſtratium milliones centum viginti, ſi hæc *Talenta* erant Argentea; ſi vero Aurea, milliones ſexcentos, ut computat *Perer. lib.* 8. *comment. in Daniel.* Siquidem cum *Talentum* quodlibet Drachmas Aureas haberet octomille, totidem Aureos noſtrates pendebat. Septuagies autem quinquies octies millies efficiunt ſexcentos Aureorum milliones, ut computanti patebit. Vero ſimilius autem eſt Romanam potentiam non ignorantibus de Aureis *Talentis* dici: nam & ita magis cæteris aliis, quæ Appianus ibi narrat, nempe tunc temporis habuiſſe Romanos ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecentos Elephantos, tria millia curruum, armorum in ſupplementum trecenta millia, Navium duo millia, Triremes mille, & quingentas, magnas vero Naves proris, puppibuſque aureis in oſtentationem Romanæ Majeſtatis, & uſum Imperatorum octoginta, cum navalibus inſtrumentis ad armandum Navium numerum duplo majorem, his inquam magis numerus ille ſexcentorum millionum conſentit: quæ parergi loco ſint dicta.

Talentum Babylonicum, ut ſcribit Herodotus *lib.* 3. conſtitit Minis Euboicis ſeptuaginta. Cum autem Mina Euboica ſit minor Attica: nam *Talentum Euboicum*, ut inquit Feſtus, valet *Denarios Romanos quater mille*, ac proinde Minas Atticas quadraginta; ſequitur ſeptuaginta Minas Euboicas idem fuiſſe cum Minis Atticis quadraginta ſex, & $\frac{1}{6}$ hoc eſt unciis duabus, ſeu Drachmis ſexdecim per regulam auream trium. Unde *Talentum Babylonicum* fuiſſe convincitur valoris Drachmarum Atticarum quatuor millium ſexcentarum ſexdecim: Aureorum vero noſtratum quadringentorum ſexaginta unius, ac $\frac{6}{10}$. Hujus Talenti pondere ſtatuiſſe Darium Hyſtaſpſis Regem Perſarum, ut a populis qui argentum pendere regio debebant Ærario, tributa ſolverentur, tradit idem Horodotus loc. cit. qui etiam ait, eum Regem illo nomine male audiſſe, appellatumque Capelum, hoc eſt Inſtitorem, ſive Mercatorem.

Talentum Euboicum, ut jam dictum eſt, valebat Denarios quater mille: proinde Aureos noſtrates quadrigentos. Meminit præter Herodotum *lib.* 3. *Talenti Euboici* etiam Livius *lib.* 37. ubi ait multam a Romanis Antiocho dictam *quindecim millia Talentum Euboicorum*.

Talentum Syracuſanum, quo Syracuſani videlicet utebantur, ſecundum nonnullos habuit uncias Romanas trecentas ſeptuaginta quinque. Suidas vero V. Talentum, ait: Talentum quo olim Siculi utebantur habuiſſe Minas Atticas viginti quatuor; illud vero quo ſuo tempore utebantur habuiſſe duodecim. Unde primum valebat Drachmis Atticis duabus mille, & quadrigentis: ſecundum mille ducentis.

Talentum Rhodium ſic appellatum, quod in uſu eſſet apud Rhodios, quod etiam Ciſtophorum dictum eſt, quod nummis Ciſtophoris computaretur, habuit Minas Rhodias ſexaginta, Atticas vero ſecundum Cenalem Minas quadraginta quinque, Drachmas quater millia quingenta, Denarios Romanos totidem.

Quod autem de *Talentis Argenteis* dictum eſt, idem de *Aureis* dicendum: ſingula nempe conſtitiſſe ſexaginta Minis aureis ſui generis, Attica videlicet Atticis, Æginetica Ægineticis, & ſic de cæteris: Drachmis vero ſex millibus, cum ſingulæ Minæ Drachmas centum contineant: quod & ſuperius præfati ſumus.

Teruncius Nummus Romanus, ſic dictus, quod eo tempore, quo Aſſis libralis erat, tres uncias contineret, ac proinde quarta pars illius eſſet: unde & *Quadrans* etiam appellatus. Immutato tamen pondere Aſſis, & ipſum diminutum oportuit: retinuit tamen, ut quarta eſſet Aſſis portio. Ponitur pro pecunia minimi pretii. *Cic. lib.* 3. *de Finib. ut in pecuniis*, inquit, *Craſſi Teruncii acceſſio*: & *Plaut. in Captiv.*

Neque ridiculos jam Teruncii faciunt.

Pretium ipſius eſt quartæ partis *Bajocchi* Romani, nempe unius quatrini, & quartæ partis ejuſdem.

Tetracina idem cum *Tetradrachmo*.

Tetradrachmus Monetæ Atticæ, atque Hebraicæ nomen, ſic dictum, quod quatuor Drachmas penderet, *Atticus* quatuor Atticas, *Hebraicus* quatuor Hebrai-

cas duplo Atticis majores. *Atticus* valebat quatuor Denarios Romanos. Variat tamen Livius *lib.* 34. qui ait *Tetradrachmi* pretium esse trium fere Denariorum: *signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, Tetradrachmum vocant; trium fere Denariorum in singulis argenti est pondus*. Forte mendum irrepsit, & nota una numeralis detracta, cum prius diceret *IV. fere Denariorum*: hoc enim verum est, nam, ut supra vidimus, Denarius major fuit Drachma parte septima: unde quatuor Drachmas oportuit excessisse tres Denarios, & fere ad quatuor accessisse. Verum, ut jam notavimus, pro eodem habiti Denarius, & Drachma.

Victoriatus Nummus Romanus, de quo sic Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. *Qui nunc Victoriatus appellatur, Lege Clodia percussus est. Antea enim hic Nummus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria & inde nomen*. Ubi notandum est, obiter posse Nummos loco mercis distrahi, quemadmodum his temporibus fieri videmus in Argenteis Denariis Gallicis, qui ob Regis Ludovici imaginem appellantur *Luigini*, quos magno compendio apud Turcas vendunt Mercatores: cum barbara illa gens ex eis torques fœminis intexere, equorumque phaleris, loco bullarum infigere gaudeat. Meminit Nummi Victoriati Quintilian. *lib.* 6. *cap.* 4. *dicente*, inquit, *quodam Victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse*, Tullius quoque in oratione pro Fontejo, & Livius *lib.* 41. de C. Claudii triumpho loquens, *Tulit*, inquit, *in eo triumpho Denarium CCCVII. millia, & Victoriatum LXXXV. millia DCCII.* ex quibus patet *Victoriatos* fuisse diversos a Denariis. Quis autem fuerit eorum valor; Cenalis ait fuisse Assium quinque: idemque proinde *Victoriatum* extitisse cum Quinario; ac propterea dimidium Denarium valuisse, nostrique Julii dimidium.

Hæc breviter dixisse sufficiat de Re Nummaria, quam initio præfati sumus incredibiliter controversam, ac proinde perplexam admodum, & obscuram. Nos expeditam rationem sequuti sumus omissis disputationibus; ita tamen, ut subinde argumenta inserta sint, nec quicquam sine magnorum Virorum autoritate definitum. Quorum libros, ut eos, quibus a summo perlegere otium erit, operæ non pigebit: ita apud occupatos, & studiorum compendia, certa tamen & tuta quærentes, laboris nostri gratiam non dubito valituram.

DE MENSURIS.

PARS SECUNDA.

QUoniam Ponderibus valde sunt affines Mensuræ, ideo usus obtinuit, ut eorum Tractatio conjungatur. Fecerunt hoc ex Antiquis quamplures, ut Galenus, Priscianus, Julius Pollux, Fannius, & alii: ex Nuperis vero non minus multi eximia subtilitate, ut Villalpandus, Alcasarius, Cornelius, Mariana, Lucas Petus, Cenalis, & his omnibus antiquior Budæus in libris de Asse: quare ne ab eorum vestigiis aberremus, pauca etiam de Mensuris delibare visum est, tam de iis, quæ arida, & liquida, quam quæ longitudines, latitudinesque metiuntur, eodem ordine, quem agendo de Ponderibus servavimus.

De Mensuris Liquidorum, & Aridorum, &c.

ILlud in primis sciendum est, cum rerum pondus in pari quantitate molis pro ratione materiæ sit inæquale, mensuras omnes æstimandas esse secundum capacitatem aquæ, quam continere possunt, quod idem de vino, & aceto dicendum est, quos liquores ejusdem fere esse ponderis experientia docuit: quare sive amphoram aqua impleam, sive frumento, sive farina, sive auro, quoad ambitum, & capacitatem tantumdem capiet, nempe pedem Romanum cubicum, hoc est secundum omnes dimensiones, latitudinis, longitudinis, & profunditatis, aquæ, frumenti, farinæ, auri: sed inæqualis erit in pondere, secundum inæqualitatem ponderis materiæ, quæ secundum majorem, vel minorem raritatem, aut densitatem major est, vel minor. Unde vas, quod capiet libram aquæ, idem si auro impleatur continebat libras auri $18\frac{1}{4}$, hæc enim est proportio auri ad aquam, nempe $18\frac{1}{4}$ ad unum, & sic de cæteris pro por-

portione. His generatim præmissis, jam singulares mensuras explicemus.

Acetabulum mensuræ genus, de qua Cato *cap.* 108. *de Re Rust. Dimidium Acetabuli in caliculum novum indito*; & Plinius lib. 21. cap. 34. *Cum Acetabuli mensura dicitur, significat Heminæ quartam partem:* erat autem Hemina, quæ & Cotyla, dimidium Sextarii, qui continet uncias aquæ viginti; consequenter Hemina continet decem, *Acetabulum* vero cum sit quarta pars Heminæ, habebit aquæ uncia 2. & med.

Amphora sic appellata, quod duas ansas haberet, quo ferri facilius posset, celeberrima est tam Romanorum, quam Græcorum Mensura. Meminit Amphoræ Sacra Scriptura 1. *Reg.* 1. *Tribus modiis farinæ, & Amphora vini*, & Zach. 5. Hæc est *Amphora egrediens*, & Lucæ 22. *Amphoram aquæ portans*. Apud prophanos autem tam Græcos, quam Latinos passim Amphora nominatur. Dioscorid. *lib.* 7. *cap.* 63. Plinius *lib.* 35. *cap.* 12. *Q. Coponium invenimus damnatum, quia vini Amphoram dedisset dono ei, cujus suffragii latio erat*: & Cicero pro Fontejo ait, *Titurium Tholosæ quaternos Denarios in singulas Amphoras portorii nomine exegisse:* & Martial:

> *Amphora vigessis, modius datur ære quaterno.*

Amphora Romana fuit, ut Budæus *lib.* 5. de Asse, Cenalis, & cæteri omnes, qui de Mensuris scripserant, vas per omnes sui partes longitudinem Pedis Romani habens. Fiat enim area quadrata per omnes partes habens Romanum pedem; atque huic areæ in altitudinem pedis item Romani superponatur a quatuor lateribus quadrata alia superficies, fiet Cubus ex omni sui parte Romanum pedem quadratum habens, qui si vacuus erit, ipsa est *Amphora Romana*, quam describimus. Hanc *Amphoræ* figuram expressit Fannius his versibus:

> *Pes longo spatio, latoque notetur in anglo:*
> *Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex,*
> *Quatuor ex quadris medium cingatur inane,*
> *Amphora fit cubus, quem ne violare liceret,*
> *Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.*

Quid autem in secundo carmine sit *linea triplex* exponit Bud. *lib.* 5. de Asse, nempe ait esse longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ab hac autem Romani pedis quadratura, appellata est *Amphora Quadrantal*: unde Festus: *Quadrantal antiqui vocabant Amphoram, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta Sextarios capit*. Per quæ planum fit, quid per illa significetur, quibus vinosam anum carpit quidam apud Plautum in Curcul.

> *---- modica est*
> *Capit Quadrantal*,

Hoc est vini *Amphoram*. Itemque cujus capacitatis sit vas illud, quod parari jubet Cato *cap.* 10. *de Re Rust. Abenum aliud, quod capiat Quadrantalia decem*, nempe decem *Amphoras*. Pedis autem Romani, ex cujus cubica quadratura constabit Amphora, hanc ex Luca Pæto *lib. de Vet. Mensuris*, ex Villalpando *tom.* 3. *in* Ezechiel. & Ricciolo *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. Almag. Novi, mensuram accepimus, quæ in duobus Æneis Congiis Romæ in ædibus Farnesiorum impressa cernitur: ut longitudo AB hic descripta, sit ejus pars sexta, hoc est Romani pedis unciæ duæ. *Vid. fig.* 1.

Hoc igitur vas ex Romano pede quaquaversus quadrato in morem Cubi, seu lusoriæ tesseræ excavatæ, continebat libras Romanas aquæ octoginta; frumenti vero sexaginta, ut omnes conveniunt. Colligitur ex Festo, qui Plebiscitum antiquum in hæc verba refert: *Uti Quadrantal ad vini octoginta pondo siet. Congius vini decem pondo is siet. Sex Sextarii Congius siet, vini duo de quinquaginta Sextarii Quadrantal siet vini*. Et re experta cognitum est. Qua mensura constituta, facile cæterarum quoque Romanarum mensurarum capacitas deprehenditur: siquidem *Amphora* duabus Urnis constabat: Urna quatuor Congiis: Congius Sextariis sex: Sextarius duabus Heminis, vel Cotylis; Quartariis quatuor, Acetabulis octo; Cyathis duodecim. Idem Culeus continebat Amphoras viginti; Medimnus duas; Modius tertia parte *Amphoræ* constabat: unde satis expedite habetur omnium Romanarum Mensurarum ratio: quam tamen perspicuitatis gratia explicatius exequemur.

Illud etiam scitu dignum est, quod evidenti ex Mathematica patet demonstratione: cum Pes Romanus Cubicus *Amphoram* capiat, nempe libras aquæ 80. si conficiatur Cubus, cujus latus duos habeat Pedes Romanos continebit octo *Amphoras*, libras vero aquæ 340. Si autem latus habeat tres Pedes, Vas continebit *Amphoras* 27. si quatuor 64. si quinque,

que, 125. Si sex, *Amphoras* 216. Si vero decem Pedes, capiet Cubus *Amphoras* mille. Videatur Alcazar. *de Mensur. & Pond. propos.* 3. & 4.

Sic etiam per diminutionem retrocedendo; si ut *Amphora* conficitur ex Pede Cubico, ita etiam conficiatur vas Cubicum, cujus latus sit Semipedis Romani, vas illud non continebit, nisi octavam *Amphoræ* partem nempe Congium, & sic de cæteris proportione dicendum.

Et quoniam de *Amphora Romana* loquimur, illud ad cognitionem antiquitatis Nobili Juveni in mentem revoco, quod tradit Livius *lib.* 1. *Belli Punici*: nempe suasore C. Flaminio Q. Claudium Tribunum legem tulisse (quoniam Senatores Mercaturam agere, ac negotiari, instituerant) *ne quis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam Navem, quæ plusquam trecentarum Amphorarum esset, haberet: id satis visum ad fructus ex agris vectandos, quæstus omnis Patribus indecorum visus:* magna tamen Nobilitatis contentione, & in Flaminium invidia, ut notat Livius.

Amphora Græca communis, quam & Metretam appellabant, fuit tertia parte major *Amphora Romana*: nam Galenus *lib. de Pond.* & *Mensur.* Cleopatra item *de Pond.* & *Mensur.* asserunt *Amphoram*, seu *Metretam habere sextarios septuaginta duos*. Atqui Amphora Romana constabat Sextariis quadraginta octo, ut dictum est, nam habebat Congios octo, singuli autem Congii Sextarios sex: si autem ad quadraginta octo adjicias 24. habetur 72. Ergo *Metreta*, sive *Amphora Attica* erat tertia parte amplior *Romana*: nam 24. est tertia pars 72. Fannius quoque affirmat, *Atticam Amphoram* habuisse tres Urnas, cum Romana duas tantum haberet.

Artaba Mensuræ genus: fuit autem triplex *Persica*, *Ægyptia*, *Medica*, ut observat Pererius in *cap.* 14. Danielis. De Prima sic Herodotus *lib.* 1. *Est autem Artaba Mensura Persica capacior, quam Atticus Medimnus tribus Chœnicis Atticis*: quibus verbis ejus capacitas deprehenditur fuisse Modiorum Romanorum $6\frac{3}{4}$. Nam cum Medimnus Atticus constet sex Modiis, Chœnix autem sit quarta Modii pars, necesse est *Artabam Persicam* constare Modiis Romanis $6\frac{3}{4}$; ac proinde continere libras aquæ, vinique $166\frac{2}{3}$; frumenti $126\frac{2}{3}$.

Artaba Ægyptia, continebat Modios Romanos quinque. De qua sermo est Danielis 14. *& impendebantur in eo per dies singulos simile Artabæ duodecim*: Item Isai. 5. ubi dicitur: *& triginta Modii sementis facient Modios tres*. Septuaginta, ut notat Hieronymus *lib.* 2. in Isai. verterunt *Artabas sex, quæ Mensura est Ægyptia Mediorum triginta*, corrupte viginti. Ex quibus liquet *Artabam Ægyptiam* æqualem fuisse quinque Modiis Romanis, uno Modio minorem Attico Medimno; ac proinde habuisse libras aquæ, vinique $133\frac{1}{3}$ frumenti 100. farinæ 60. Quare pro cibo Beli cum duodecim Artabæ similæ impenderentur quotidie, ea summa erat sexaginta Modiorum Romanorum, ac proinde librarum similæ 720. Siquidem Sextarius continet farinæ uncias 4. Modius continet Sextarios 16. Artaba Modios 5. Videatur Perer. in Daniel. & Cornelius ibidem.

Artabæ Medorum meminit Polybius *lib.* 5. ut refert Perer. loc. cit. eamque idem Pererius cum Suida, & Hesichio tradit fuisse capacitatis ejusdem cum Medimno Attico; quapropter continebat illa Modios Romanos sex, ac proinde aquæ, vinique libras 160. frumenti 120.

Batus Mensuræ Hebraicæ genus, cujus sæpe in Scriptura Sacra fit mentio. Sic 3. Reg. 7. *Duo millia Batos capiebat:* & Ezechiel. 45. *Et Batus justus erit vobis*. Notandum est autem, ut subtiliter Alcasarius observat *Tract. de Mens. & Pond.* Batum fuisse Quintuplicem.

Primus, qui dicebatur major, ejusdem capacitatis cum Ephi, de quo dicitur Ezechiel. 45. *Ephi, & Batus æqualia:* hic autem par erat Romanæ Amphoræ, ac proinde continebat libras aquæ, vinique 80.

Batus secundo capiebat uncias aquæ centum: de quo *Bato* contendit Alcazar. loqui Sacram Scripturam, cum 3. *Reg.* 7. describit amplitudinem Maris Ænei a Salomone constructi: *ideo millia batos capiebat*: unde valde minuitur de immensa illa capacitate, quam Villalpandus, & alii tribuunt Mari Æneo. Fuit ergo hic secundus *Batus* minor primo unciis octingentis sexaginta, siquidem primus constabat Libris 80. Unciis proinde 960.

Batus tertius capiebat uncias aquæ $66\frac{2}{3}$ ex quibus Mare Æneum tria millia capiebat: Hujusque capacitatis *Batum* putat Alcazar fuisse in usu quo tempore scriptus est liber Paralipomenon.

Batus quartus erat quarta pars *Bati* secundi, ac proinde capiebat Uncias aquæ 25.

Batus quintus continebat Uncias aquę $6\frac{2}{3}$

Ca-

Cabus, qui & *Kabus*, est Mensura Hebraica cujus fit mentio 4. *Reg.* 6. ubi dicitur tantum in Samaria famem invaluisse, ut *venumdaretur caput Asini octoginta argenteis, & quarta pars Cabi stercoris Columbarum quinque argenteis*. Capacitatem illius, ait Alcasar, fuisse decimam octavam partem Bati majoris, sive Ephi, ac proinde habuisse pondus Unciarum aquæ $53\frac{1}{3}$ quæ sunt pars decima octava Unciarum 960. quibus constat Batus major, sive Ephi.

Cadus genus vasis vinarii, sæpissime a Scriptoribus memoratum. *Virgil.* 1. *Æneid.*

Vina bonus, quæ deinde Cadis onerarat Acestes.

& Martial. *lib.* 11. *Epigr.* 36.

—— *senem poscunt talia vata Cadum.*

Fit etiam illius in Evangelii mentio Lucæ 16. *Centum Cados olei;* ad quem locum ait Cornel. Cadum habuisse Sextarios 60. communiter tamen pro eadem accipi *Cadum*, & Batum. Unde S. Hieronymus in *cap.* 45. Ezechiel. *Decima pars Cori in liquidis vocatur Batus, sive Cadus. Corus triginta habet modios*. Unde colligitur *Cadum* habuisse capacitatem trium Modiorum, siquidem fuit decima pars Cori: ac proinde cepisse Libras aquæ, vinique 80. Paremque omnino fuisse Romanæ Amphoræ, itemque continuisse frumenti Libras 60. *Cadi* formam fuisse turbinatam colligitur ex Plinio *lib.* 27. *cap.* 4. ubi loquens de Aloe: *ob id*, inquit, *in turbinibus cadorum eam servant*. Fuisse autem ejus, quam diximus, Mensuræ Cadum asserit etiam Columella *lib.* 22. *cap.* 28. *Si vetustatem*, inquit, *servare voles, in Cado duarum Urnarum, &c.* atqui Amphora duabus Urnis constat.

Chœnix Græcæ Mensuræ nomen. Varia hæc fuit. Nam communis Chœnix, quam & Minam etiam appellatam reperimus, continebat Uncias aquæ 25. ut observat Alcazar *Proposit.* 18. At Cenalis ait *Chœnicem Atticam* habuisse capacitatem Sesquisextarii, nempe Unciarum triginta. Ceterum *Chœnix* in vulgari acceptione diurnum hominis cibum significat, eratque, ut notat Cornel. Quarta Modii; ac proinde continebat Sextarios quatuor, Hemitias octo, ut ait Galenus lib. de Pond. & Mensur. *Chœnix Cotylas, id est Heminas, habet octo*; Libras aquæ, vinique $6\frac{2}{3}$. Unde illud Pythagoræum *Chœnici non insidendum*, hoc est adlaborandum esse, nec sedendo cibum expectando.

Congius notissima Romanorum Mensura. Nil ea frequentius apud Autores. Plinius lib. 14. cap. 9. *Cum quinque Congiis Austeri musti.* Fuit *Congius* communi sententia quarta pars Urnæ, proinde octava Amphoræ; continebatque Sextarios sex, Uncias vero vini, & aquæ 120. frumenti vero 90. Hanc autem fuisse *Congii* capacitatem extra controversiam est, siquidem adhuc extant Ænei *Congii* veteres Romæ apud Farnesios, quorum meminere Villalpandus Alcasar, Ricciolius, & alii, ut supra retulimus; in quorum uno sic legitur inscriptum: *Mensuræ exactæ in Capitolio pondo X.* Quod vas, pluviali aqua repletum, repertum est continere Libras 10. hoc est Uncia 120. A *Congio* Tricongii nomen traxit Torquatus Mediolanensis, ut refert Plinius lib. 14. cap. 22. *uno impetu tribus Congiis epotis*. Marcusque Ciceronis Magni Ciceronis filius, ut idem refert, *binos congios simul haurire solitus*. A *Congio* dictum Congiarium, quod erat donum publice Populo ab Imperatoribus distribui solitum, quod forte ab initio in *Congiis* daretur.

Corus Mensura Hebraica, & cæterarum Principium, sicut apud Romanos Amphora. *Cori* Capacitas aperte colligitur *Ezechiel.* 45. ubi dicitur: *Batus olei decima pars Cori est: & decem Bati Corum faciunt, quia decem Bati implent Corum*. Cum enim Batus idem sit, quod Amphora, ergo Corus habuit Amphoras 10. De eo sic Hieronymus in eundem locum: *Corus triginta habet Modios, & in utraque mensura, hoc est, tam aridarum, quam liquentium tenet principium. Decima pars Cori in his, quæ modio mensurantur, appellantur Epha, id est tres Modii: & decima pars Cori in speciebus liquidis vocatur Batus, sive Vadus: ut ejusdem mensuræ sit Epha, & Batus*, & in comment. cap. 5. Isaiæ ait: *Et pro triginta Modiis, quos nos pro Coro posuimus*. Cori ergo capacitatis erat triginta Modiorum, Sextariorum 480. Heminarum 960. Librarum aquæ vinique 800. frumenti 600. Unde ille, qui Lucæ debebat *centum coros tritici*, erat debitor Modiorum 3300. hoc est, Librarum frumenti 66000. Sic etiam 3. *Reg.* 4. dicitur Salomonis mensæ, omnes scilicet, qui in Palatio Regis sumtibus vivebant, computando, ministratos fuisse in dies singulos 30. *Coros* similæ, & 60. farinæ, nempe in totum panis Libras 57000.

Cotyla, & *Cotula* idem quod *Hemina*, nem-

nempe dimidium Sextarii, quatuor constans Acetabulis. Idem autem esse *Cotylam*, atque *Heminam*, testatur Galenus lib. de Pond. & Mensur. *Chœnix Cotylas, id est Heminas, habet octo;* ac proinde aquæ, ac vini Uncias decem, olei novem. Meminit Cotulæ Martial. *lib.* 8. *epist.* 71.

Post hunc in Cotula rasa selibra data est:

hoc est, dedisti Cotylam argenteam sex Unciarum ponderis.

Culeus Mensura Romana maxima. Meminit illius Varro *lib.* 1. da Re Rustica: *In singula jugera dona Culea vini fiunt*. Et Plinius lib. 7. cap. 24. *Junius Valens meruit in Prætorio, Augusti Centurio, vehicula cum Culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere*: & lib. 14. cap. 4. quæ sit *Culei* capacitas exponit: *Digna*, inquit, *opera, quæ in Cæcubis, Setinisque agris proficeret, quando & postea sæpe numero septenos Culeos singula jugera, hoc est, Amphoras centenas quadragenas musti dedere*. Si enim septem *Culei* 140. Amphoras continent, ergo singuli viginti Amphoras capiunt; nam septies viginti efficiunt 140. nempe libras aquæ, vinique 1600. frumenti 1200.

Culeo insuebantur Parricidæ apud Romanos, ac in mare projiciebantur, ut liquet ex *Cic.* pro *Sext. Roscio*, unde jocus ille in Neronem matris interfectorem: deligata enim ascopera, bulga nempe coriacea ad collum ipsius statuæ quidam subscripsit; *Ego quod potui, sed tu Culeum meruisti*.

Cyathus fuit duodecima pars Sextarii, ut ibi latius: Habuitque aquæ, vinique Unciam $4\frac{4}{6}$.

Epha, & *Ephi* idem, quod Batus major, ut dictum est auctoritate Ezechiel. & Hieronymi in eundem locum. Vide V. *Batus*.

Gomor Mensura Hebraica, sæpe in Scriptura memorata. Exod. 16. *& Mensi sunt ad Mensuram Gomor.* Et infra: *In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo Gomor per singulos homines:* ex quibus facile arguitur *Gomor* fuisse apud Hebræos, quod Græcis Chœnix, nempe diurni cibi pondus. Sed manifestam habemus *Gomor* capacitatem ex Sacra Script. ibid. in fine capitis, ubi habetur: *Gomor autem decima pars est Ephi*: cum autem Ephi idem sit quod Batus major, cum ille caperet libras aquæ, vinique 80. oportet capacitatem *Gomor* fuisse Librarum octo aquæ, vinique. Dictus est etiam *Gomor Asserion*, & sic eum vocat Josephus *lib.* 3. *Antiquit. cap.* 7. quod idem est, ac *Decima*. Alii aliam tribuunt *Gomor* capacitatem; ego Alcazario adhæsi.

Hemina vide *Cotyla*.

Hin Mensura Hebraica. Fit ejus mentio *Levitici* 19. *num.* 36. secundum Hebraicam lectionem, ut observat *Cornel. ibi*, *& Alcazar. de Mens. & Pond.* ubi Vulgatus Interpres pro *Hin* reposuit *Sextarium*: sive quia, ut notat Cornel. cum non sit Mensura Romana, vel Græca respondens ex æquo mensuræ Hebraicæ, Interpres posuit nomen Mensuræ notissimæ, cum alioquin, ut idem Corn. ait, *Hin* contineat Sextarios Romanos 12. sive, ut melius censet Alcazar. quia *Hin* est sexta pars Bati majoris; ideo ab Interprete loco *Hin* repositus est Sextarius: ac proinde *Hin* capiebat Libras aquæ, aut vini 10. uncias $3\frac{1}{3}$, cum Batus sit Librarum 80.

Lethec Mensura Hebraica aridorum. Ejus capacitas est dimidii Cori, nempe Modiorum quindecim, Librarum aquæ, vinique 400. frumenti 300. Dicitur *Lethec* ab elevatione, quod est sarcina, quæ a vegeto adolescente potest imponi jumento sine alterius auxilio. Ita Alcazarius.

Log Mensura Hebraica liquorum. Ejus capacitas fuit fere Sextarii Attici, qui, ut tradit Galenus *lib. de Ponder. & Mensur.* capiebat Uncias aquæ 15.

Medimnus Græcæ Mensuræ nomen. Meminit illius sæpe Tullius in Verrinis. Ejus capacitas, ut scribit Budæus *lib.* 5. de Asse, ut Modiorum sex. Tradit id aperte Suidas: *Medimnus*, inquit, *mensura est aridorum, ut tritici, vel hordei: Medimnum igitur est mensura sex modium*. Colligiturque aperte ex Tullio *loc. cit.* ubi ait, Verrem auxisse pretium frumenti, Medimnumque, qui prius ex lege 12. Sestertiis venibat, vendidisse 15. H. S. & deinde subjungit: *est enim Modius lege Sestertiis duobus*. Si ergo Modius Sextertiis duobus extimabatur, *Medimnus* vero eadem lege æstimabatur 12. oportuit *Medimnum* habuisse Modios sex: ac proinde fuisse capacitatis duarum Amphorarum, habuisseque Libras aquæ 160. frumenti 120. Idem apertius constat ex eodem Tullio *Act.* 2. ubi sic ait: *Agri Leontini Decumæ anno tertio venierunt Tritici Medimnum* XXXVI. *millia, hoc est tritici Modium ducentum sexdecim millium*: ergo Modius sexta pars *Medimni*, nam triginta sex millia est pars sexta ducentorum sexdecim millium.

Metreta Mensura Græca. Meminit illius Evangel. Johann. 2. *Erant ibi lapideæ Hydriæ sex, capientes singulæ binas Metretas, vel ternas.* Erat autem *Metreta*, ut jam dictum est, idem cum Amphora Attica; capiebatque Sextarios septuaginta duos, ac proinde major erat Amphora Romana tertia parte; quapropter continebat aquæ, vinique Libras 120.

Modius, Mensura Romana, erat tertia pars Amphoræ, Sexta Medimni: continebat Sextarios 16. Heminas 32. aquæ, ac vini Libras $26\frac{2}{3}$ frumenti 20.

Quadrantal. Vide Amphora.

Quartarius fuit Quarta pars Sextarii, ac proinde continebat Uncias aquæ, vinique 5.

Satum Mensura Hebraica, de qua in Evang. *abscondit in farinæ satis tribus.* Ejus capacitas fuit tertiæ partis Ephi: unde, ut notat Alcazar. a Vulgatæ Interprete pro *Sato* ponitur Modius siquidem erat tertia pars Amphoræ, quæ Bato Majori, & Ephi æqualis. Continebat igitur *Satum* Libras aquæ, vinique $26\frac{2}{3}$, frumenti 20.

Sextarius Mensuræ Romanæ nomen, sic dictus, quod esset Sexta pars Congii. Passim reperitur Sextarii mentio apud Scriptores. Columella lib. 2. cap. 9. *quippe Sextariis fere quatuor jugerum implent.* Et apud Livium *lib.* 7. memoratur *Sextarius vini*, & apud Tullium 2. offic. *Sextarius aquæ.* Fuit ergo *Sextarii* capacitas Unciarum aquæ, vinique 20., olei 18., frumenti 15., farinæ 9., mellis 30., plumbi 233., stanni 150., cupri 182., argenti 207., ferri 161., auri 375. secundum proportionem harum rerum, quam in tractatu de Ponderibus retulimus.

Sextarium, sicuti de Asse dictum est, in partes duodecim, velut Uncias, divisum reperio: quarum singulæ dicebantur Cyathi, capiebatque Cyathus vini, & aquæ Unciam, & $\frac{4}{6}$. *Sextans* capiebat duos Cyathos: *Quadrans*, & *Quartarius* tres, nempe quartam partem Sextarii. *Triens* quatuor Cyathos: *Quincunx* quinque Cyathos: *Hemina*, vel *Cotyla*, sex *Cyathos*: *Septunx* septem *Cyathos*: *Bes* octo Cyathos: *Dodrans* novem Cyathos: *Dextans* decem Cyathos: *Deunx* undecim Cyathos vulgaris in mensa apud veteres unius potionis mensura. Hinc lux affulget illis Martialis *lib.* 8. *Epigr.* 51.

> *Det numerum Cyathis instantis litera Rufi:*
> *Autor enim tanti muneris ille mihi.*
> *Si Theletusa venit, promissaque gaudia portat,*
> *Servabor Dominæ, Rufe, Triente tuo.*
> *Si dubia est, Septunce trahar te, &c.*

& illis

> *Quincunces & Sex Cyathos, Bassemque bibamus:*

& lib. 12. Epigr. 28.

> *Poto ego Sextantes, tu potas Cinna Deunces.*

Illud etiam observandum est cum Villalpando, quem sequuti sumus, eandem fuisse capacitatem *Sextarii Romani*, *Attici*, & *Hebraici:* quamquam Alcasarius diversam fuisse contendat: ita ut *Romanus* habuerit uncias aquæ viginti, *Atticus* quindecim, *Hebraicus* $13\frac{1}{3}$.

Urna Mensura Romana notissima. Ea duplex Amphoram constituebat, ut ex Collumella *lib.* 13. colligit *Bud. lib.* 5. de Asse, proinde Congiis quatuor constabat; Sextariis 24., Heminis 48.; Cyathis 288.; Libris aquæ, ac vini 40. *Urna* fictili, cujus forma in fine turbinata, ac desinens in acumen, ut facilius terræ insigeretur, cineres defunctorum Antiqui condebant, unde idem Urna, ac Sepulcrum. Inde Lucan.

> *Cælo tegitur qui non habet Urnam.*

Quarum Urnarum plurimas sæpe Romæ spectavi, ex antiquis Monumentis plurimas erutas: earumque speciem exhibet Guttherius de jure Manium. *Lib.* 2. *cap.* 24.

Hæc habui, quæ breviter, & expedite de Liquidorum, Aridorumque Mensuris ex molestissimis Commentationibus expressa Juventuti proponerem, non sine multo labore; cum in hac materia verissimum sit, tot esse sententias, quot capita: unde Hieronymus in *Præfat. lib.* 14. *in Ezechiel.* illam partem expositurus, in qua de Ponderibus, & Mensuris agitur, Virgilianum illud usurpat:

> *Hic labor, ille domus, & inextricabilis error.*

Quare facilis erit erroris venia ex errandi facilitate, & quod non nisi cum magnis ac doctis Viri erravimus.

DE MENSURIS LONGITUDINIS

PARS POSTERIOR.

INtervallorum Mensuras, ut observat Vitruvius lib. 3. cap. 1. *ex corporis membris* antiqui homines collegerunt, ut etiam repugnanti apertissime demonstrant nomina Pedis, Cubiti, Digiti, & Palmi. Tantam enim symmetriam, ac tam admirabilem partium inter se coaptationem in humano corpore formando Divinus ille Artifex servavit, ut ex illo, tanquam a prima regula, cæterarum omnium rerum proportiones, atque Mensuræ desumerentur. Unde idem Vitruvius loc. cit. affirmat: *non posse Ædem ullam sine symmetria, & proportione, rationem habere compositionis, nisi ut ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem*. Quapropter etiam Plato ille divinus in Theæteto non dubitavit asserere, *Hominem rerum omnium esse Mensuram*. Unde Mensurarum quantitas major, minorve secundum staturam illius hominis, quam singulæ Nationes pro prima Mensurarum regula constituerunt: nam qui procerum aliquem virum pro prima Mensura elegerunt, ii consequenter majores Digitos, Pedes, Palmos, Cubitos, Passus habuerunt illis, quibus fuit Mensuræ primæ loco vir submissioris staturæ; & inde orta inæqualitas in Mensuris Græcis, Romanis, Hebraicisque, ut operis processu videbimus. In his autem Mensuris exponendis brevem operam impendemus, iis ducibus, qui de hac re subtiliter, & exacte scripserunt, quales sunt Budæus, Cenalis, Clavius in Sphæra, Villalpandus, & Alcazarius; & novissime Joannes Baptista Ricciolius, qui omnium labores in suum opus Geographicum derivavit lib. 2.

Quoniam vero *Pes* omnium Mensurarum est princeps, & ad eam cæteræ referuntur, visum est hic extra ordinem Nomenclaturæ ejus cognitionem Lectori proponere, quo facilius ea, quæ mox dicentur, Juvenis percipiat: nec semper illi in suspenso hærendum sit, donec prope ad extremum operis perveniat.

Cum ergo dictum sit, omnes Mensuras ab humani corporis figuratione originem habuisse, omnium Architectorum consensu a *Pede* metiendi factum initium, quem humani corporis Sextam partem computarunt: unde Vitruvius lib. 3. c. 1. *Pes hominis altitudinis sextam habet partem, ita etiam ex eo quod perficitur pedum numero, corpus his sex altitudinibus terminando eum perfectum constituerunt*: quod etiam Hesychius, Suidas, Pollux, aliique complures tradunt, quamquam, ut notat Alcasar Tract. de Ponder. & Mensur. prop. 8. *Pes* communiter sit sexta pars humani corporis, & fere dimidia: nihilominus Architecti, ut rotundam aliquam, & expeditam Mensuram haberent, in eo convenerunt, ut humanæ staturæ sextam partem *Pedi* tribuerent, ad quem deinde cæteras omnes Mensuras referrent; nam & Palmum dixerunt, quæ est quarta pars *Pedis*; & Cubitum qui *Pedem* continet cum dimidio; & Pollicem qui est *Pedis* pars duodecima; & Passum qui *Pedes* habet quinque; & Milliare qui *Pedes* habet 1000. atque ita *Pes* tanquam Mensurarum omnium regula cæteris dimetiendis adhibita.

Quoniam vero non eadem staturæ altitudine, ut prædictum est, Nationes universæ utebantur, idcirco *Pedes* quoque pro magnitudine corporum, quorum sexta pars erant, inæquales fuere. Quare alia fuit Romani *Pedis* magnitudo, alia Græci communis, alia Olympici, alia Hebraici, de quibus sigillatim agetur.

Pedis magnitudo, qua Romani per Augusti, & Vespasiani tempora utebantur, illa est, quæ adhuc impressa cernitur in duobus Æris Congiis, qui Romæ visuntur in Ædibus Farnesiorum, ut jam dictum est, cum de Amphora ageremus; eamque primus publici juris fecit Villalpandus *tom.* 3. in *Ezechiel.*, quem cæteri secuti sunt, nempe Lucas Pætus de *Mens. & Ponder.*, *Marin. Ghetald.* in Archimede redivivo. *Ricciol. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7., *Almag. novi*, & *lib. Geograph. cap.* 2., & *Alcasar. de Pond.*, & *Mens. propos.* 1. Hujus ergo Pedis pars quarta est, quæ inter A B continetur. *Vide figur.* 2.

Hanc *Pedis* magnitudinem, cujus hic partem quartam spectas, quemadmodum Assem, diviserunt Romani in partes duodecim, quas Uncias appellarunt: unde legitur apud Scriptores *uncialis altitudo*, ut

ut apud Plinium lib. 18. cap. 16., & *unciales literæ*, ut apud Hieronymum in Præfat. in Job, quod nempe constarent magnitudine Unciæ *Pedis* Romani, seu duodecimæ partis ejusdem. Sic etiam in fontibus Uncia Aquæ appellatur, quæ, ut ait Cenalis, fluit per siphonem, seu epistomium, cujus diameter est magnitudine Unciæ *Pedis*, illudque implet, qua de re consulendus est Julius Frontinus *lib.* 1. de Aquæ ductibus. Partes ergo *Romani Pedis* fuere.

Uncia, quarum duodecim *Pedem* constituebant.

Pollex, seu crassior digitus per latum, qui Unciæ æqualis est: unde quam Plinius lib. 15. cap. 24. *Pollicarem* appellat *crassitudinem*, idem significat, ac latitudinem Romani Pollicis, ac proinde Unciæ æqualem.

Sextans, sexta pars *Pedis*, sive Unciæ duæ. *Palmus* minor quatuor ordinariis digitis in latum constans, sive Unciis tribus, ac proinde quadrans dictus, quod esset *Pedis* pars quarta.

Triens. Tertia pars *Pedis* sive Unciæ quatuor.

Quincunx habet Uncias quinque.

Sexcunx, ut *Semissis*, Unciæ, seu *Pedis* dimidium.

Septunx septem Unciæ.

Bes, seu maxima extensio manus ab extremo Pollicis ad extremum Indicis, habet Uncias octo, sive duos Quadrantes.

Dodrans, seu *Palmus* major, quem Græci Spithamam, nos dicimus *Spanna*, nempe maxima extensio manus ab extremo Pollicis ad extremum Auricularis, habet Uncias novem.

Dextans habet Uncias decem.

Deunx habet Uncias undecim. Sic enim dicitur, quod illi ad Assem integrum una desit Uncia. Et hæ quidem Mensuræ *Pedem* constituunt. Ex *Pede* autem fiunt Passus, & Cubiti: ex Passibus Stadia: ex Stadiis milliaria, de quibus infra dicetur.

Pes Græcorum duplex fuit, alter Mediocris, qui fere Par Romano extitit; alius Magnus, qui & Herculeus, & Olympicus, eo quod essent ad mensuram *Pedis*, quo Hercules taxavit Stadium Olympicum, quod ut scribit Gellius lib. 1. cap. 1., *sexcentis pedibus metatus est* ipse Hercules. Hic ergo *Pes* fuit major Romano *Pede* una tantum Semiuncia, unde portio inter A B erat quarta illius pars. *Vide figur.* 3.

Singuli autem horum *Pedum* erant sexta pars staturæ sui generis: constabantque singuli Palmis quatuor, seu Digitis sexdecim: ex uno, & semisse eorum fiebat Cubitus: sex constituebant Orgyam, seu Passum: Sexcenti vero Stadium: singuli tamen sui generis, aut Mediocre, aut Olympicum.

Pes Hebraicus, prima Mensurarum Hebraicarum, erat, ut & Græcus, & Romanus, sexta pars Hebraicæ staturæ: illum conficiebant Palmi quatuor, Digiti sexdecim: ex eo, & Semisse constabat Cubitus Hebraicus; Calamus vero ex Cubitis sex, & Palmo. Erat autem *Pes Hebraicus* major Romano Unciis tribus, & $\frac{75\frac{1}{3}}{100}$; quare portio inter A B fuit quarta Pedis Hebraici portio. *Vide figur.* 4.

Fuit etiam *Pes Alexandrinus*, cui par Samius, & Byzantinus; qui erat magnitudine *Pedis* Romani, & duarum Unciarum, ac $\frac{40}{100}$.

Item *Pes Babylonicus*, qui fuit magnitudine Romani *Pedis*, & unius Unciæ, & med.

Pes autem *Antiochenus* constitit Romano *Pede* Unciis quatuor, & $\frac{32}{100}$ ex computatione Ricciolii.

Ex quibus maxima lud dicendis affulgebit: ac facile admodum erit ex notitia *Pedis*, cæteras Mensuras percipere, quæ ex illo vel illam formant: tum etiam comparatione *Pedis* Romani, cujus notio exacte tenetur, cætera omnia intervalla, ac spatia dimetiri.

Actus, ut Varro *lib.* 1. *cap.* 10. *de Re Rust. Colum. lib.* 5. *cap.* 5. item de Re Rustica, Plinius *lib.* 8. *cap.* 9. est spatium terræ quadratum habens quaquaversum cxx. Pedes Romanos, ita ut omnis ambitus sit Pedum CCCCLXXX. Constat autem Romanis Pedibus quadratis 14400.; centies enim vicies centeni viceni hanc summam efficiunt. Erat autem *Actus* dimidium Jugeri, ut dicemus V. *Jugerum*.

Arura, genus Mensuræ Terræ dimentiendæ instituta. Meminit hujus Mensuræ Herodotus lib. 2. *Habet*, inquit, *Arura centum Cubitos Ægyptios quaquaversum*. Reperitur quoque illius mentio apud Josephum *lib. cont. Appionem*. Cubitus autem Alexandrinus fuit par Pedi Romano, & duabus Unciis ejusdem, ac $\frac{60}{100}$. Quod Mensuræ genus fuit admodum simile Romano Jugero, quod etiam per quadratum mensurabatur, ut suo loco dicemus. Fuit ergo *Arura* spatium terræ quadratum, cujus singula latera Romanos Pedes continebant $166\frac{2}{3}$, universa autem $666\frac{2}{3}$, quare ambitus *Aruræ* erat Mil-

Milliaris antiqui Romani, & præterea Pedum 166. Quid autem intereſſet inter Pedem Romanum Antiquum, & Pedem Modernum, dicemus in V. *Pes*, & V. *Milliare*.

Aſcena, Menſura Græca, cujus meminit Hero in Iſagoge. *Diaulon*, inquit, *habet ſtadia duo: Plethra duodecim: Aſcena centum viginti*. Ex quibus patet *Aſcenam* fuiſſe ſexageſimam partem Stadii Alexandrini, de quo ibi loquitur Hero, ut recte colligit *Ricciol. lib. 2. Geograph. cap. 4.* Habuit autem *Aſcena* duodecim Pedes Romanos Antiquos.

Calamus, Menſura Hebraica *Chene* ab eis dicta: Nobis autem *Canna*: Romanis antiquis Decempeda. Ejus quantitas deſcribitur ab Ezechiel. cap. 14. *In manu viri Calamus menſuræ ſex Cubitorum, & palmi*. Cum autem Cubitus Hebraicus, ut mox dicetur, contineret Romanum Pedem, ac præterea Uncias undecim, & $\frac{\overset{1}{622}}{100}$, oportuit Calamum habuiſſe Pedes Romanos 12. Uncias, & $\frac{\overset{1}{654}}{100}$ Unciæ. Hujus magnitudinis fuit Goliath Gethæus, qui 1. *Reg.* 17. dicitur *fuiſſe ſex Cubitorum & Palmi*, nempe magnitudine Calami.

Chibrath Terræ Menſura eſt Hebraica mille Cubitorum. *Iter* autem *Sabbathi*, de quo in Scripturis fit mentio *Actor.* 1., quia illud Sabbathi die excedere non licebat, conſtabat duobus *Chibrath*, ſeu duobus Cubitorum millibus, ut tradit Origenes apud Œcumenium; referuntque Lorinus, & Cornelius in 1. *Act.*, nempe duobus milliariis parvis Hebraicis Cubitis mille ut ſcribit Bonfrerius *Exodi* 20. *num.* 8.; Stadiis vero Romanis duobus, & med. Quare *Chibrath* conſtabat mille Cubitis Hebraicis; Romanis Pedibus 1468., Unciis 6.; Stadiis vero Romanis 2. & med.

Cubitus, ſeu *Cubitum*, ut nomen ipſum oſtendit, a brachii humani flexura, quæ Cubitus appellatur, nomen habet. Eſt autem Cubitus, ut indicat Julius Pollux, *Menſura quantum a flexura Cubiti uſque ad medium digitum patet*. Quod ipſum tradit Suidas v. Cubitum, ubi ait: *Cubitum eſt extenſio a Cubito ad digitos manus*. Magnitudo Cubiti in univerſum fuit Seſquipedalis, ut idem Suidas tradit. *Cubitum vero habet Pedem unum, & dimidium*. Et Heſych. *Cubitum eſt Pes unus cum dimidio*: ſecundum autem varietatem Pedum, ex quibus componebatur major, vel minor. *Cubitus* enim *Romanus* conſtabat Romano Seſquipede: *Olympicus*, ſive *Herculeus* Pede Herculeo, & dimidio: *Hebraicus* item Seſquipedalis ad Menſuram Hebraici Pedis fuit.

Cubitus igitur *Romanus* conſtabat Pede Romano, & dimidio, cujus quantitas petenda eſt V. *Pes*.

Cubitus Græcus communis conſtabat Seſquipede Græco communi, nempe Palmis ſex minoribus, Digitis 24.; Pedibus vero Romanis uno, & Unciis ſex.

Cubitus Græcus Herculeus, ſive *Olympicus*, conſtabat Seſquipede Olympico, Pedibus vero Romanis uno, Unciis ſex, & quarta parte Unciæ.

Cubitus Hebraicus, & ipſe Seſquipedem Hebraicum habuit, nempe Palmos ſex, Digitos autem 24. Dictus Hebraica voce *Amach*: eratque etiam ipſe pars brachii virilis a flexura ejuſdem uſque ad extremum medii digiti manus porrectæ: ut cenſent Hebræorum doctiſſimi, quibus ſubſcribunt Arias Montan. Opuſcul. de Sacris Menſur., Johan. Budæus de Arca Noe, Villalpandus *tom.* 3. in *Ezechiel. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. & 17., & *Salian. ad Ann. Mundi* 1557. *n.* 13., qui addit: *Cubitum*, quo Arca Noe dimenſa fuit, *Seſquipedem fuiſſe, & Digitorum majorum* 18.; *minorum* 24., *& a flexu brachii ad extremum manus viri proceræ ſtaturæ*: & ante illos Hieronymus in *cap.* 40. & 43. Ezechiel. ait, *Palmum eſſe ſextam Cubiti partem*. Habuit autem Cubitus Hebraicus Pedes Romanos unum, Uncias undecim, & $\frac{\overset{1}{622}}{100}$ Unciæ, ut colligit Ricciol.

De *Cubito Hebraico* magna eſt apud Autores varietas: nam inprimis quidam Rabbini, & Serarius in 3. *Reg. cap.* 6. duplicem Cubitum induxerunt, unum majorem, & ordinarium Palmorum ſex; alterum minorem Palmorum quinque: ſive unum Sacrum, & Legalem majorem; alterum vero Prophanum, & minorem. Item Rabbi David excogitavit unum Cubitum majorem, æqualem toti brachio ab axilla uſque ad extremum manus extentæ; alterum vero minorem, & Semibrachio æqualem, a flexura ſcilicet uſque ad extremum manus. His autem opinionibus occaſionem dedere aliqua Scripturæ loca, præcipue autem 2. *Paral.* 3. *num.* 3., ubi nominatur *Cubitus primæ Menſuræ*, quaſi cum reſpectu ad Cubitum ſecundæ Menſuræ, ut hi interpretantur.

Tamen, ut antea dictum eſt, cum de Siclo ageretur, nulla eſt ex Scripturis neceſſitas inducendi hanc Ponderum, ac Menſurarum duplicitatem; præcipue Domino reclamante, apud quem Prov. 20.

Pon-

Pondus, & Pondus Mensura, & Mensura: utrumque abominabile est. Sicut ergo, salvo Sacræ Scripturæ sensu, illa verba *Pondere Sanctuarii* interpretati sumus, non quod aliud esset Pondus Prophanum aliud Sacrum; sed quod in Sanctuario prima Pondera asservabantur, quibus tum plane justa erant alia Pondera, cum ad amussim respondebant: sic etiam hic dicimus *Cubitum primæ Mensuræ* illum a Sacra Scriptura intelligi, qui in sacro loco asservabatur, ut a Romanis Mensuræ in Capitolio asservabantur, ut esset prima Regula, & Mensura, cui cæteræ omnes conformarentur; ut sentiunt Perer. *tom. 2. in Genes. lib. 10. disp. 3. Villalp. in Ezechiel. tom. 2. lib. 4. cap. 24.* & *Ricciol. lib. 2. Geograph. cap. 5.* Atque secundum Mensuram Cubiti, quem statuimus longitudinis unius Pedis Romani, Unciarum undecim, & $\frac{62\frac{1}{2}}{100}$ dimetiendæ sunt omnes quantitates, quæ in Scripturis per Mensuram *Cubiti* exprimuntur.

Cubitus Alexandrinus, cujus meminit Herodot. *lib.* 2. constitit Sesquipede Ægyptio: nempe Romanis Pedibus uno, Unciis 9., & $\frac{60}{100}$ Unciæ. Ei par fuit *Cubitus Samius*, ut asserit eodem loco Herodotus; nec non Byzantius, ut putat Ricciolus.

Cubitus Babylonicus, seu *Regius*, quo nempe Babylonii utebantur, habuit magnitudinem unius Pedis Babylonici cum dimidio. Quæ fuerit hujus *Cubiti* quantitas, sic aperit Herodot. *lib.* 1., ubi sic de mœnibus Babylonis: *Murus quinquaginta Cubitorum Regiorum crassitudine, ducentorum altitudine: Cubitus autem Regius mediocri Cubito, tribus digitis major est*. Ubi pro Cubito mediocri intelligit communem Græcorum Cubitum ad discrimen Cubiti Herculei, qui major, utpote hominis Heroici. *Cubitus* igitur *Babylonicus* fuit amplior Græco communi Digitis tribus, habuitque Romanos Pedes unum, Uncias octo, & $\frac{1}{4}$.

Cubitus Antiochenus, quo Syri utebantur, ab Antiochia Syriæ Urbe celeberrima nuncupatus. Ejus magnitudo colligitur ex Herone in Isagoge, ubi ait: *Antiochenam Metretam, sive Amphoram, esse Italiæ duplam sesquialteram*: seu ut quinque ad duo. Unde Pes Antiochenus ad Italicum erit, ut latus Cubi 5., ad latus Cubi 2.; & sic, ut Ricciol. computat, Pes Antiochenus continebit Pedem Romanum, Uncias 4 $\frac{32}{100}$; *Cubitus* vero Pedes Romanos duos, & Unciæ $\frac{48}{100}$.

Decempeda Mensura Romana magnitudine Decempedum Romanorum, ut ipsum nomen indicat. Ea etiam Pertica a portando dicta, quasi Portica, ut ex Libell. de Limitibus. Meminit Decempedæ Tullius 14. Philip., & pro Milon. *Qui cum Architectis, & Decempedis villas multorum, hortosque peragrabat*. Ab ea Mensores dicti Decempedatores, quos hodie Agrimensores dicimus, qui ad agros dimetiendos etiam nunc utuntur Pertica.

Diaulon Græca Mensura. Ea fuit duorum Stadiorum, ut scribit Vitruvius *lib. 5. In palæstris Peristylia quadrata, sive oblonga, ita sunt facienda, uti duorum Stadiorum habeant ambulationis circuitionem, quam Græci vocant Diaulon*. Dicebatur autem Diaulos, seu Diaulodromus is, qui in Ludis Olympicis Stadium cursu confecerat, & rursus a meta ad carceres recurrebat: *Diaulodromas* enim Græce est recurrere. Et quoniam Cursus ille duo Stadia continebat, unum accedendo, alterum retrocedendo, idcirco spatium ipsum *Diaulon* dicebatur. Etat igitur *Diaulon* $\frac{1}{4}$ milliaris Romani antiqui.

Didoron vide *Palmus*.

Digitus, Mensurarum minima apud omnes Nationes est quantitas latitudine ordinarii Digiti per latum æqualis, & apud omnes fuit quarta pars Palmi minoris, qui constat latitudine quatuor Digitorum, nempe Indicis, Medii, Annularis, & Auricularis; qui tamen computantur æquales in latitudine. Fuit autem Digitus major, minorve secundum magnitudinem illius staturæ, quam sibi unaquæque Natio pro mensura constituit, eadem tamen ubique proportione servata, ut Digitus sit decima sexta pars Pedis; nam, ut ait Vitruvius *lib. 3. cap. 1. Palmus habet quatuor digitos; ita efficaciter uti Pes habeat sexdecim digitos*, Romanus nempe Digitos Romanos, Græcus Græcos, Hebraicus Hebraicos. Pollex autem, seu Digitus crassior fuit duodecima pars Pedis, ut suo loco dicetur.

Dipletbrum, duplex Plethrum. Vide V. *Plethrum*.

Dolichus Græca Mensura, cujus meminit Hero in Isagoge his verbis: *Dolichum* (habet) *stadia duodecim*: At vero Suidas V. Dolichus inquit, *Dolichus est longus cursus 24. stadia continens*. Secundum Heronem ergo Dolichus fuit spatium Romani Milliaris unius, & med., secundum Suidam trium; sed in Suidæ tex-

textu putamus mendum irrepsisse, cum potior sit Heronis fides.

Doron Vide *Palmus*.

Hippicon Mensuræ Græcæ nomen, cujus meminit Plutarchus in Solone: *Legem*, inquit, *præscripsit*, *ut ubi publicus esset puteus*, *eo aquatum intra spatium Hippici*. Est autem *Hippocon* spatium quatuor Stadiorum; nempe dimidii Milliaris Romani. Dicebatur autem *Hippicon* ab equorum cursu, quod nempe per id spatium equorum fierent agitationes.

Jugerum fuit apud Romanos terræ spatium, quod in longitudinem porrigebatur Pedibus 240., in latitudinem vero 120.: unde universus Jugeri ambitus erat Pedum 720. Fuit autem hoc spatium terræ appellatum hoc nomine, *quod*, ut inquit Plinius *lib.* 18. *cap.* 3., *uno jugo boum in die exarari posset*. Ejus magnitudo, quam prænotavimus, insinuatur a Varrone *lib.* 1. *cap.* 10. *de Re Rustica*: *Jugerum* vocant, *quod quadratos duos Actus habeat*: *Actus quadratus*, *qui & latus*, *est Pedes centumviginti*, *& longus totidem*, nam Jugerum habet duos Actus. Actus autem singuli Pedes quadratos 120.; ergo Jugerum habebit duo latera 240. Pedum, duo vero 120. Paria Varroni scribit Plin. *lib.* 18. *cap.* 3. *Jugerum*, inquit, *vocabatur*, *quod uno jugo boum in die exarari posset*. *Actus*, *in quo boves agerentur*, *cum aratur*, *uno impetu justo*. *Hic erat CXX. Pedum*: *duplicatusque in longitudinem Jugerum faciebat*. Magis autem aperte Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 10. ait: *Jugeri mensuram* CCXL. *longitudinis Pedes esse*, *dimidioque in latitudinem patere*: cui consentit Appianus *lib.* 1. *Civil.* qui scribit, *Jugerum fuisse tantum spatii*, *quantum uno die par boum arare poterat*: *ejusque mensuram fuisse* CCXL. *Pedum in longitudine*, CXX. *in latitudine*: *Mensuram Pedis fuisse Palmorum quatuor*: *Palmi Digitos quatuor*: *Digiti secundum Geometras*, *tria hordei grana*. Nec Columella dissentit, qui *lib.* 5. *cap.* 1. *Actus* inquit, *quadratus undique finitur pedibus* CXX. *hoc duplicatum facit Jugerum*; & infra: *duo Actus faciunt Jugerum longitudine Pedum* CXL., *latitudine* CXX., *quæ utræque summæ*, *inter se multiplicatæ*, *quadratorum faciunt Pedum viginti octomillia*, *& octingentos*. Nam centies vicies duceni quadrageni efficiunt 28800. Fuit ergo in hunc modum Jugeri forma. *Vide figur.* 5.

Passim apud Autores Jugeri mentio reperitur. Horat.

Arat Falerni mille Fundi Jugera.

& Liv. lib. 41. *Et Lucam Colonia eodem anno MM. Civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt P. Ælius*, *L. Egilius*, *Cn. Sicinius*. *Quinquagena*, *& singula Jugera*, *& Semisses agri in singulos data sunt*.

Lychas, Mensura Græca, illud spatium amplectens, quod includitur inter Pollicem, & Indicem, quantum potest extentos. Est autem *Lychas* duæ tertiæ partes Pedis Græci, seu Digiti $10\frac{2}{3}$, sicut apud Latinos *Res* continet duos Trientes Pedis Romani, sive Uncias octo.

Milliare, Celeberrima Mensura, sic dictum quod mille Passibus constaret: Fuit autem pro Gentium, ac Nationum varietate multiplex.

Milliare Romanum constabat Romanis Pedibus quinque millibus: Passibus Geometricis, quorum singuli constabant quinque Romanis Pedibus, mille: Stadiis vero Herculeis octo: Isidorus *lib.* 15. *orig. cap.* 16. *singula*, inquit, *Stadia centum viginti quinque Passibus explicata*, *quorum octo millenos passus absolvunt*. Et Suidas V. Milion *Milliare* inquit, *Terræ est Mensura*, *nam decem Milliaria continent Stadia octoginta*.

Milliaria autem Romæ numerari incipiebant a Columna quadam ab Augusto Cæsare, cum esset Curator Viarum, in foro posita, ut scribit Dio *lib.* 54. Ea fuit ad Saturni ædem, ut scribunt Tacitus *lib.* 1. Histor. & Svetonius in Oth. *cap.* 6.; nec dissentit Plinius *lib.* 3. *cap.* 5., dum ait cum Columnam *statutam in capite Romani Fori*: siquidem Saturni ædes fuit ad Fori caput, ubi nunc S. Adriani Templum, ut scribit Faunus *lib.* 2. *cap.* 11. Antiquæ Urbis. Vocabatur autem hæc Columna Milliarium aureum, quod ex eo Metallo, ut censet Lipsius ad *lib.* 1. *Histor.* Taciti, & consentit Plut. in Galba: *In forum*, inquit, *ibat ad eam partem*, *in qua stabat aurea Columella*, *ad quam omnes Italiæ viæ terminantur*. Memoratur hoc nomine Aurei milliarii a Tacito loc. cit., ubi de Othone loquens: *Inde ad Milliarium aureum sub ædem Saturni pergit*: & Sveton. cap. 6. in Oth. *Sub æde Saturni ad milliarium aureum*.

Ab ea igitur Columna numerabantur *Milliaria* per Columellas, seu cippos ad singulos mille Passus erectos, cujus rei fuit inventor C. Gracchus, ut scribit Plutarchus in ejus vita: *Ad hæc*, inquit, *vias omnes per milliaria dimensus Columnas lapideas signandi causa notavit*. Cujus moris, Romana plane magnificentia di-

digni, meminit etiam Strabo *lib. 7. Ex Apollonia*, inquit, *per Macedoniam via est Jamnia, quam per millia passuum dimensi sunt, lapideasque Columellas*. Et Romæ in ascensu Capitolii una ex his Columnis antiquæ basi imposita cernitur, in cujus fastigio, quæ res sane majestatem auget, ænea pila insistit: colligiturque ex Inscriptione, eam fuisse Notam primi ab Urbe Milliarii. Quæ res mirifice ad levandum viatorum tædium faciebat, quibus ex ignorantia termini longiora fiunt itinera; quasi illud finem minime habiturum sit, cujus terminus ignoratur, ut observat Arist. in Problem.; unde etiam evenit, ut breviores in regressu appareant, quam in accessu viæ. Fecisse id ad laboris levamentum canit Rutilius in Itiner.

> *Intervalla viæ fessis præstare videtur,*
> *Qui notat inscriptus millia multa lapis.*

Hinc autem ortum habuit, ut pro numero Milliariorum Scriptores passim lapidum merum usurpent: unde Sveton. *c.* 4. in Calig. *Ad vicesimum lapidem effudere sese*. Plinius lib. 36. *cap.* 15. *ab octavi lapidis diverticulo*.

Fuisse autem *Milliaria Romana*, multo quam nunc sunt, breviora, illud videtur convincere, quod antiquitus ad Pontem Centesimum, nunc *Ponte Centino*, Milliaria centum ab Urbe erant, unde & Centesimus appellatus; nunc autem non sunt nisi quinquaginta quinque: verum, ut notat Ricciolus, Romanus Pes modernus est aliquanto brevior antiquo, & consequenter Milliara quoque antiquis breviora: verum Millaria illa longiora non sunt juxta Mensuram Romani passus moderni, sed juxta eas Mensuras quibus utuntur in Piceno, & Umbria, quæ majora sunt cæteris.

Nobis autem Lucensibus facile admodum est, Milliariorum Romanorum veterum spatia capere: sicut etiam aliarum nationum antiquas Mensuras tenere comparatione Romanorum veterum, quippe eodem, quo Romani antiqui utimur milliario. Cujus rei illud apertissimum est Argumentum, quod Oppida quædam sita in via Cassia, quæ Romam per Senas, Lucamque usque Mutinam ducebat, adhuc antiquum nomen retinent a Columnis Milliariis desumta, secundum spatium, quo aberant a Colonia: sicuti Pons Auxeri impositus operis admirandi, qui nunc quoque dicitur *Ponte a Sesto*, quod nempe esset ad Sextum a Colonia Luca lapidem: & Pagus, qui appellatur *Valdottavo*, nempe quod situs ad octavum lapidem: Oppidumque quod vocant *Diecimo*, quod nempe ad lapidem decimum erat constructum: quorum locorum distantia eadem nunc censetur esse, quæ erat apud Antiquos: nam sex, octo, ac decem milliaria nunc quoque ab Urbe Luca, ut prius, absunt ea oppida. Unde Milliare Lucensis Reipublicæ par est antiquo Romano, saltem quod attinet ad eam ditionis partem, in qua inter Auxerum, & præruptos montes aperitur via Cassia, ferro inter rupes, miro opere excisa: ac proinde illius spatii, quod nobis notum est, comparatione, Romani Milliarii antiqui, & aliorum ad illud relatorum magnitudinis, perfacile est speciem capere.

Milliare Græcum duplex fuit, Mediocre, & Magnum: utrumque tamen constitit Orgiis, seu Passibus mille sui generis. Milliare commune fuit majus Romano Passibus ducentis; habuit enim Romanos Passus 1200., Pedibus vero mille; nam 600. Pedibus Romanis constitit. Milliare vero Magnum, sive Olympicum, & Herculeum superavit Romanum Passibus Romanis 250.; Commune autem, seu Mediocre 50., atque utrumque habuit Stadia decem sui generis: quorum singula sexcentenis Pedibus sui pariter generis constabant, ut apertius in V. *Stadium*.

Milliare Alexandrinum, sive Ægyptium habuit Passus Romanos 1080., Pedes 5400.: ejusdem etiam Mensuræ fuit *Samium*, & *Byzantinum*.

Milliare Antiochenum, sive Syrum, habuit Pedes Romanos 6112., ac proinde majus fuit Milliari Romano Pedibus 212., Passibus vero $42\frac{2}{5}$.

Milliare Hebraicum duplex fuit, Majus, & Minus. Minus fuit cum Chibrath, de quo jam diximus. Majus, quod appellatur Parsach, fuit Stadiorum Hebraicorum 10., quorum singula habent Cubitos Hebraicos 400. Unde ipsum *Milliare* habebat Cubitos 4000., ac proinde quatuor Chibrath erat æquale. Continebat autem hoc Milliare majus Romanos Pedes 7875., Passus vero Geometricos 1575., ac propterea excedebat Milliare Romanum dimidia parte, ac Passibus 75. Videatur Ricciol. *lib.* 2. *cap.* 5. *Geograph.*

Orgya, Græca Mensura, cujus meminit Aristotel. 6. de Animal., & Xenophon. *lib.* 2. *Memor.* Orgya autem fuit Passus Græcorum, qui sex Pedibus constabat, ut diserte tradit Herodotus *lib.* 4., ubi ait. *Stadia tria millia, & sexcenta effi-*

efficiunt sexaginta Schœnos: centum justæ Orgyæ implent Stadium sex Plethrorum. Orgya taxata Pedibus sex. Fuit autem duplex, alia communis sex pedum communium, æqualis sex Romanis Pedibus: Alia Olympica, sive Herculea, sex Pedibus Herculeis constans, Romanis vero 6., Unciis 3.

Palmus Mensuræ notissimæ genus, tam apud Romanos, quam Græcos, Hebræosque a manu hominis dictæ. Fuit autem Palmus duplex Minor, Majorque.

Palmus Romanus Minor habuit quatuor Digitos in latitudine: nam, ut ait Pollux, *Palmus sunt quatuor conjuncti arte Digiti*, quod etiam tradit Hesychius.

Palmus Romanus Major, quem Græci Spithamam, Itali dicimus *Spanna*, fuit spatium, quod complectitur manus extensa ab extremo Pollicis ad extremum Auricularis: fuitque novem Unciarum Pedis Romani, seu trium Quadrantium. Colligitur id aperte ex Vitruvio *lib.* 2. *cap.* 3. *Didorum fuisse longum Sesquipede*: Didorum autem erat mensura duorum Palmorum; nam ut ait Plinius *lib.* 36. *cap.* 14. *Græci Doron Palmum vocabant*: unde oportuit Palmum fuisse Semicubiti magnitudine, seu novem Unciarum, aut dodrantis Pedis.

Palmi item *Græcanici*, & *Hebraici* ejusdem rationis fuere proportione. Nam Palmus Minor Græcus mediocris habuit quatuor digitos staturæ mediocris: *Palmus* Major mediocris habuit novem partes Pedis staturæ mediocris: At *Palmus* Minor Herculeus constitit quatuor Digitis Herculeis: *Palmus* vero Major, seu *Spithama Herculea*, fuit extensio manus Herculeæ a pollicis extremo ad extremum auricularis, cum eadem proportione ad *Palmum* & *Spithamam Romanam*, quam habent inter se Pedes cum Pedibus, & Cubiti cum Cubitis; de quibus jam dictum.

Parasanga, Mensura Persica, cujus meminit sæpe Xenophon in Pedia, & expeditione Cyri. Fuit autem incertum spatium *Parasangæ*, ut ait Plinius lib. 6. cap. 26. *Inconstantiam*, inquit, *mensuræ diversitas Autorum facit, tum Persæ quoque Schœnos, & Parasangas alii alia mensura determinent*. Nos Herodotum sequemur, qui sic scribit *lib.* 2. de Ægyptiis: *Etenim qui modicum terræ possident metiuntur illam Orgiis: qui minus inopes terræ sunt, metiuntur Stadiis: qui multum possident, Parasangis: qui plurimum sane, Schœnis: constant autem Parasangæ tricenis, Schœni sexaginta Stadiis*. Ex quibus constat, cum Parasanga habuerit Stadia 30. fuisse spatium trium Milliarium Romanorum ac $\frac{6}{8}$.

Passus, Geometricum intelligo, quo mensurantur Milliaria, fuit apud Romanos spatium quinque Pedum Romanorum, ut omnes consentiunt. Et aperte colligitur ex Columella *lib.* 5. *cap.* 1., ubi ait: *Stadium deinde habet Passus centum viginti quinque, id est pedes sexcentos viginti quinque*; quod idem scribit Plinius *lib.* 2. *cap.* 27. si enim pedes 625. distribuas, quinque cuilibet *Passuum* contingent. Fuit ergo hic *Passus* millesima pars Milliarii. Cur autem *Passus* sit appellatus, quidam dicunt sic vocatum, quod id spatium *Passis*, id est protentis brachiis, manibusque conficeretur, ut tradit Alciatus in *l. Mille passus* ff. de sign. verb. Alii vero quod *Passu*, hoc est gressu hominis, duplicato constet. De Græcorum *Passu* jam dictum est in V. *Orgya*.

Pes, de quo jam abunde dictum est.

Pollex latitudo crassioris digiti: æqualis Unciæ Pedis Romani, ut dictum est.

Plethrum, Mensura Græca, *habens centum Pedes, & est sexta pars Stadii*, ut scribit Suidas: cum autem Pedes Græcorum alii Mediocres sint, alii Olympici, sive Herculei, uterque habebit 100. Pedes sui generis, eritque sexta pars Stadii sui etiam generis: ac proinde *Plethrum* mediocre æquale erit Pedibus Romanis 100. Herculeum vero 104. A *Plethro* fit Diplethron, hoc est duplex *Plethrum*: quod habet spatium duorum *Plethrorum*, sive Herculeorum, sive Communium.

Schœnus, quod funem ex junco significat, est Mensura Græca, varia tamen: nam ut ait Strabo lib. 11. *Nos cum Nilum navigaremus, aliis, atque aliis mensuris utebamur, ita ut idem hchœnorum numerus alibi majorem, alibi minorem navigationem contineret*: quod etiam evenire hodie cernimus in Milliariis ob varietatem minoris, vel majoris Passus, quo constant. Duplicem *Schœnum* legimus, alium Minorem, quem Plinius *lib.* 7. *cap.* 10. ait *habuisse Stadia triginta*: ac proinde ejusdem spatii fuisse cum Parasanga; alium vero Majorem Stadiorum sexaginta, ut colligitur ex Herodoto *lib.* 2.; nam cum scribat *ab Heliopoli ad Thebas* intercedere spatium *quatuor millium octingentorum, & sexaginta Stadiorum, hoc est unius, & octoginta Schœnorum*, oportet singulos *Schœnos* habuisse Stadia sexaginta; etenim in numero 4860. numerus sexagesimus reperitur vicibus octoginta, & una. Fuit ergo hic Major *Schœnus* æqualis duobus Parasangis, Milliariis vero Romanis $7\frac{1}{4}$.

Stadium Mensurarum Græcarum celeberrima, sic dicta a verbo *Statio*, quia videlicet id spatium Hercules uno spiritu

tu cucurrerit, ibique tandem steterit. Hoc igitur spatium terræ, quod primo *Stadium* est appellatum, fuit Pisis Græciæ Urbe apud Jovem Olympicum, quod scribit Gellius *lib.* 1. *cap.* 1. Herculem pedibus suis metatum, idque fuisse longum Pedes sexcentos: ad cujus imitationem *Stadia* in aliis Græciæ terris, ut idem scribit, instituta fuere, Pedum quidem numero sexcentum, sed tamen aliquanto breviora: Hoc igitur *Stadium* ab autore dictum Herculeum, & a loco Olympicum, fuit octava pars Romani Milliaris: unde Plinius lib. 2. cap. 25. *Stadium centum viginti quinque nostros efficit Passus, hoc est Pedes* 625. Cum autem Miliare constet Passibus 1000., Stadium consequenter est octava pars Milliaris, nam octies 125. efficiunt 1000. Sed in hac re non est opus argumentis, cum aperte tradat Isidor. lib. 15. Orig. cap. 16. *Singula Stadia centum viginti quinque Passibus explicata*, quorum octo millenos Passus absolvunt: & Strabo lib. 7. *Computatis*, inquit, *per singula Milliaria octo Stadiis*. At vero Milliare Græcum constabat *Stadiis* decem, Pedibus vero Herculeis 6000.; Alexandrinum vero *Stadiis* 7. & med. ut scribit Plutarchus in Gracch. *Milliare autem paulo minus est quam octo Stadia*: & Hero Mechanicus in Isagoge: *Milliare habet Stadia septem cum dimidio;* quod item scribit Suidas V. Stadium, & Photius in Bibliotheca, quos omnes de Alexandrino Milliari loqui convincit *Ricciol. l.* 2. *Geogr. c.* 4.

Cum autem, ut dictum est, ex Gellio, alia quoque *Stadia* fuerint ad Herculei imitationem, aliquanto tamen breviora, illud pro comperto tenendum est, quoties in Scriptoribus *Stadii* nomen occurrit, de Magno illo, & celeberrimo accipiendum esse; nisi peculiaris nota, vel Scriptoris contextus aliud suadeat.

Omnia ergo *Stadia* apud Græcos Sexcentum sui generis Pedibus constiterunt: Olympicum vero idem fuit cum octava Milliaris Romani parte, habuitque Pedes Romanos 625.; Passus vero Geometricos 125.

Stathmus, Mensura Græca, idem quod apud Latinos Statio, Stativa, & Castra, quæ militare inter unius diei significant. Unde idem est apud Græcos duobus *Stathmis* aliquo pervenire, ac apud Latinos Scriptores duobus castris. Colligitur hæc significatio ex Herodoto lib. 5. *Ubique sunt Regii Stathmi, id est mansiones, ac diversiones, ac diversoria pulcherrima. Iter omne per loca culta, atque tutum: id nunquam intermissum per Lydiam, ac Phrygiam viginti Stathmorum, hoc est vicenorum castrorum est, Parasangæ nonaginta quatuor, & dimidiatus*. Ex quibus etiam *Stathmi* spatium innotescit; nam si 20. *Stathmi* continent Parasangas 94. & med. ergo singulari habent Parasangas quatuor, & in super Stadia 21. & med. & aliquid amplius. Unde iter unius *Stathmi* erat inter Romanorum Milliarium sexdecim $\frac{7}{8}$, & paulo amplius. Idem fere militare iter apud Romanos: nam nisi urgeret accelerandi necessitas, non temere ultra viginti milliaria progressum. Videtur Lipsius *lib.* 5. *de Milit. Rom.*

Quæ cum ad Ponderum Mensurarumque qualemcumque cognitionem Juveni sufficere possint, calamo imponentes modum, nos quoque, tot spatiis excursis, in Stathmo consistimus.

Fig. I. *col.* LVIII




Fig. II. *col.* LXVIII




Fig. III. *col.* LXIX



Fig. IV. *col.* LXX





Fig. V. *col.* LXXV



JOH. CASP. EISENSCHMIDII
DISQUISITIO
DE PONDERIBUS & MENSURIS
Veterum Romanorum, Græcorum, Hebræorum, nec non de valore Pecuniæ Veteris.

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

HAud uni tantum incommodo se exponunt, qui argumentum nostro geminum cum cura pertractandum sibi sumunt. Ut enim nihil nunc dicam de ipsius instituti difficultate, qua tot eruditi Viri jam fuerunt elusi; sola aliorum judicia satis interdum iniqua, negotium facessere possunt. Sunt enim inter Viros doctos haud pauci, qui existimant, ejusmodi ἐγχειρήματα ad aurifices, zygostatas, fabros, aliaque sordidiora opificia pertinere, indignum censentes homines literas profitente, circinum cum decempeda, lancesque manibus versare; dum interim, quas ipsi moliuntur, disceptatiunculas, omni sæpius utilitate destitutas, ad cœlum usque extollunt, in sublimi aliqua sed fere inani meditatione tanquam in mustaceo laureolam quærentes. Sunt etiam alii ex eodem ordine viri, qui ex solo lucro actiones tum suas tum aliorum metientes, non sine acerbitate hæc spernunt, eosque maxime rident, qui non equæ ut ipsi, omnes ingenii nervos eo potius intendunt, ut rem suam augeant, sed suo etiam dispendio aliis prodesse malunt. His igitur similibusque præjudiciis si quis aures præbere velit, is facile ab omni cogitatione, de hisce suscipiendis, animum avertet. Ego, uti suis quemque moribus vivere, haud ægre fero, ita quoad hos ultimos, ut sordibus suis ad satietatem usque gaudeant, facile concedo, & satis habeo puncturas ipsorum quasi muscarum contemnere. Reliquis oppono plures haud minus doctos, longe tamen cordatiores Viros, & si hi sigillatim non sufficiunt, integra etiam Collegia a Magnis Regibus nostra ætate eum in finem instituta, ut artes scientiasque in publicum maxime profuturas ad summum culmen evehant: tantum vero abest, ut magnorum Virorum eruditioni deroget, manus operi, occasione sic ferente, admovisse, ut eo ipso potissimum se sentiant profecisse.

Quod vero attinet nostram, quam præ manibus habemus, lucubrationem, eam aliqua saltem complecti, quæ præstant insignem alicubi usum, nemo forsan inficiabitur, nisi cui plane fungus pro cerebro, pepo pro corde est. Habent enim hic quod agant Theolo-

gi, omnesque qui attentiori cura lectioni sacrarum paginarum incumbunt, ubi frequenter hæc talia occurrunt, quæ nisi rite intelligantur, crucem lectoribus figunt. In legibus quoque vetustis crebra fit mentio Librarum, Sestertiorum, Aureorum, Solidorum, similiumque, quorum neglecta cognitio solidam earum moratur interpretationem. Quidem jam dicam de Medicis, quibus adhuc curæ sunt veterum formæ remediorum? in quorum usu, nisi exacta habeatur ponderum atque mensurarum ratio, facile subnasci poterit error periculosus, in negotio ubi de vita agitur humana: extant sane adhuc Galeni super hac re querelæ, de quibus suo loco. Qui Philosophorum, Historicorum, Poetarum, imprimis Geographorum, Architectorum, quin & rei agrariæ Scriptorum monumenta evolvunt, magna hinc perfunduntur luce. Quinimo fatendum est, eo qui hac doctrina destituuntur, in meris hic errare tenebris: simili prorsus modo, ac si quis hodie sui loci pondera, mensuras, pecuniæque rationem vellet ignorare, nihiloque minus commerciis studere, & quid in foro agatur, curiose cognoscere averet, omnium risui propterea exponendus; Nam veteres auctores cum cura perlegens, quasi cum ipsis eodem loco eodemque tempore versari existimandus est.

Hæc satis causæ fuerunt, quare doctissimi quidam viri jam ante ducentos plus minus annos, post renata literarum bonarumque artium studia, totos sese huic operæ applicuerunt: hinc nata illustria *Barbarorum*, *Budæorum*, *Alciatorum*, *Agricolarum*, *Portiorum*, *Cænalium*, *Pætorum*, reliquorum, nomina. Horum mox vestigia presserunt tanto numero alii, ut *Labbeus*, celebris Bibliothecarum scriptor, in solo eorum indice consignando, multis etiam omissis, integrum volumen compleverit. Quid ergo, inquies, Iliada post Homerum scribere, quidve spicas post largissimam aliorum messem legere opus est? imprimis, postquam *Eduardus Bernardus*, vir summæ eruditionis, libro suo de Ponderibus & Mensuris nuper edito, huic rei quasi coronidem imposuerit, cui nihil amplius addi possit. Sed enimvero sciendum est, sua quæque habere tempora, in quibus recentem ponant industriam. Saltem a nostra ætate remotioribus sæpius defuit occasio, sæpe etiam modus experimenta justo studio tentandi, quorum tamen nunc, in hodierno, quod experimentorum appellare possis, sæculo, copia abundat.

Accidit vero mihi, Geographiam paulo operosius nuper tractanti, ut in haud leves inciderem difficultates, ob incertam determinationem Milliaris Romani, Stadiique Græci, quibus scilicet veteres locorum distantias accurate solebant describere. Consulebam quidem probatiores hac de re auctores, eventu tamen minus felici, ob magnas in eis deprehensas discrepantias, quæ ad altiora tendenti præcidebant progressum. Constitui igitur, rem ab ovo, quod ajunt, aggredi; & primo quidem per pondera Romana, quæ e nummis præcipue argenteis & aureis propria experientia accurate, ut confido, deduxeram, Pes Romanus fuit stabilitus. Idem deinde fiebat per vasa ex antiquitate residua, nec non ex analogia ædificiorum vete-

rum,

rum, quibus tandem accedebant diſtantiæ quorundam locorum, recenter accuratiſſime dimenſæ, & cum iis quæ veteres ſcriptores annotata reliquerunt, collatæ. Adeo vero quæ ex diverſiſſimis fundamentis eruta erant, inter ſe convenerunt, etiam in minimis, ut omnem ſpem inde conceptam longe ſuperarent. Non itaque tantum menſuræ e ponderibus, ſed & pondera e menſuris ſuæ hauſerunt magnitudinis certitudinem. Minus tamen id mirari debemus, ſi cogitemus, quales quantique ſint fuerintque Viri, a quibus maxima pars obſervationum fuit profecta: ſufficit nominaſſe Illuſtr. *Dn. Caſſinum*, *Picardum*, *Auzout*, paucoſque alios, a quibus non niſi magna ſolidaque exſpectari poterant.

Dixi pro inveſtigando pondere Rom. vetere, veluti reliquarum menſurarum norma, me uſum fuiſſe nummis argenteis & aureis: quandoquidem autem magnus eorum numerus requirebatur, ut negotium rite ſuccederet, compellandi erant Viri quidam curioſi, a ſuppellectili nummaria inſigniter inſtructi, qui etiam magna cum benevolentiæ conteſtatione mihi obtulerunt, quicquid ad rem præſentem aliquo modo facere potuit; honoris itaque cauſa nominandi: nimirum *Dn. Johannes Fridericus Spoor*, Senator Reipublicæ noſtræ ſpectatiſſimus, cujus cimeliothecam inſtructiſſimam in remotis etiam oris celebrari videmus: *D. Johannes Philippus Boeclerus*, magni *Boecleri* filius, Reipublicæ Quæſtor, reique monetalis Curator integerrimus: *Dn. Auguſtus Krieg*, Chirurgus in ſua arte dexterrimus, reique nummariæ veteris æque ac novæ apprime gnarus. Aliquid etiam contulerunt propria ſcrinia, potiſſimum quod Græca attinet numiſmata. Memorandus mihi præterea eſt Vir Celeberrimus, *Dn. D. Henrion*, JC. Pariſienſis, Regiſque Linguæ Syriacæ Profeſſor, nec non Academiæ Regiæ Inſcriptionum & Numiſmatum Sodalis, qui non tantum hortatu ſuo, ſed & collatis ſubſidiis tum librariis tum nummariis, quicquid eſt hujus opuſculi, inſigniter promovit.

An vero hic aliquod a me factum ſit operæ pretium, alii judicabunt; id ſaltem aſſerere audeo, his noſtris rite perceptis, longe jucundiorem quin & utiliorem fore lectionem vaſtiorum voluminum, qualia ſunt *Budæi*, *Agricolæ*, *Hoſti*, ipſius etiam *Gronovii*, qui in multis hæſerat, præcipue circa denarii Rom. ad drachmam Atticam rationem, in reliquis vero plane eſt admirabilis.

De cetero rogatum volo Lectorem, ne ſiniſtre interpretetur, ſi forſan aliquid humani a me fuerit admiſſum; imprimis vero ne vitium ἀκριβολογίας mihi imputet, dum majora pondera, majoreſque menſuras in Tabulis noſtris per minutiſſima determinatas reperit: neque enim id mihi tribuo, ut ex. gr. Milliaris magnitudinem in milleſima unius pedis parte definire audeam; factum id fuit non aliam ob cauſam, quam ut analogia cum menſuris minoribus conſervaretur, præcipue vero, ubi menſuræ minores numero aliquo ſunt augendæ.

Tandem, cum in magna Scriptorum copia, haud dubie multa occurrant dicenda, quæ jam dicta ſunt prius, lubens ſuum cuique tribuo, ſi modo, quæ mea ſunt, mihi relinquantur.

Dum

DUM opusculum hoc nostrum sub prælo sudaret, accepi Lutetia pondera variorum nummorum Rom. vetustissimorum, Assium nimirum ejusque partium, quæ Vir supra a me laudatus multa cum cura e diversis Musæis collegerat. Cum igitur oportunus se offerat locus, ea his exhibemus, additis paucis ex tenui nostro apparatu. Inservire hæc possunt ad uberiorem explicationem eorum, quæ dicta sunt a nobis.

Transmissa quoque una fuerunt examina nonnullorum ponderum antiqu. Rom. quorum aliqua hic commemorare operæ pretium erit.

1. Libra, *figuræ sphæricæ compressæ, cum nota* I. *cujus pondus Unc. Paris.* 10. *Gross.* 2.
2. Selibra, *figuræ quadratæ, in cujus una parte* Γ † S. *in altera SOL. XXXVI. Unc. Paris.* 5. *Gross.* 2.
3. Exagium *Honorii, Gross.* 1. *Gran.* 6. *cum semisse.*
4. *Aliud* Exagium, *ejusdem cum priori ponderis, capita habens adversa Constantii & Constantis imberbia, non barbata, ut delineata sunt apud Molinet. Cabin. de S. Geneviefe.*

Unciæ cum Grossis & Granis sunt Parisinæ.

Libra seu As cujus nota est I.			*Semis* cujus nota est S.			*Triens* cujus nota est ○○○○			*Quadrans* cujus nota est ○○○			*Sextans* cujus nota est ○○			*Uncia* cujus nota est ○		
Unc.	Groff.	Gran.	Unc.	Groff.	Gran.	Unc.	Groff.	Gran.	Unc.	Groff.	Gran.	Unc.	Groff.	Gran.	Unc.	Groff.	Gran.
11	3	40	5	3	—	3	4	—	2	6	—	2	3	—	–	5	6
11	2	—	5	2	—	3	2	30	2	4	36	2	–	36	–	4	—
9	2	—	5	1	—	3	–	20	2	2	36	2	–	—	–	3	66
9	–	—	4	5	—	2	7	36	2	2	—	1	7	36	–	3	42
8	6	—	4	–	—	2	7	—	*Alius item*			1	6	—	–	3	27
8	6	—	1	1	42	2	6	36	2	1	7	1	3	—	–	3	7
8	5	—	–	5	33	2	3	36	2	–	—	–	7	36	–	3	4
8	3	—	–	5	13	1	5	—	1	7	36	*Alius item*					
8	1	—	–	4	10	1	4	—	1	3	—	–	7	32			
7	–	—	–	2	30	–	3	37	–	4	36	–	7	4			
6	7	—	–	2	15	–	3	—	–	3	50	–	7	—			
4	1	—	–	1	70	–	2	18	–	3	40	*Alius item*					
1	6	—							–	1	—	–	6	66			
1	4	7										–	6	36			
1	2	51	*Quadrussis*									–	6	15			
1	2	—	45	1	36							–	6	9			
1	1	36										–	5	47			
												–	1	36			
												–	1	3			
												–	–	50			

Quemadmodum verò hinc patet, vix aliquid subsidii ex his peti posse pro definiendis accurate ponderibus Romanis antiquis; ita certum inde sumitur argumentum, Asses olim haud semel & derepente, ut ex Plinii narratione concludi potest, e Libralibus factos fuisse Sextantarios, sed sensim & repetitis vicibus ad Unciales, tandemque ad Semunciales fuisse reductos.

Videmus porro quam parum fidendum sit ponderibus, quæ e vetustate supersunt, nisi forte fuerint majoris molis, decem nimirum aut amplius librarum; sic enim intertrimenta, quæ fere nunquam desunt, non ita evidenter sentiuntur, in reliquam eamque majorem massam dispersa, quod de ponderibus minutis affirmari non potest.

S E-

SECTIO PRIMA DE PONDERIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Ponderibus quibusdam hodiernis.

Pondera cultioribus veteris ævi populis usitata, primo consideranda veniunt. Quanta fuerint, haud commode tradi potest, nisi facta comparatione cum ponderibus hodiernis. De his igitur ante omnia est agendum.

Mutuam ponderum hodiernorum rationem cum cura investigaturo, necesse est, ut ad manus sint ectypi seu moduli metallici librales, vel selibrales, vel ad minimum unciales, ad prototypos, qui in bene constitutarum Rerumpublicarum archivis conservari solent, accurate exacti. Solenne enim est, ut pondera inter vulgus prostantia, ob metum intertrimenti, tantillo augeantur. Exstat in hanc rem edictum Francisci I. Galliarum Regis, promulgatum A. 1540. sur le fait des monnoyes, estat & reglement des Officiers d'icelles. *Il est ordonnè aux Changeus, orfèvres, & Joyauliers, qu'ils ayent bonnes & justes balances, sans aucun remede sur le foible, mais sur le fort remede, estant à sçavoir qu'un poids de 25. marcs, doit avoir jusques a un esterlin & demy de force, & des marcs en pile en la piece pesant 8. marcs, de remede de force jusques à trois felins: en la piece pesant un marc, de my felin, & en la piece pesant quatre onces, jusques à demiquart de felin, sans quelconque autre remede. Et si aucun Changeür, Orfèvre, Joyaulier, ou autre soy entremettant de peser, est trouvè saisi d'autre poids, il sera confisquè & l'amandera envers nous.* Simile etiam alibi observatur. Sed hæc cautio non omnem tollit errandi occasionem; diversimode enim pondera atteruntur, pro frequentiori vel rariori eorum usu. Testis est Mersennus de *Pond. pag.* 10. Semillardum Libripendem Parisiensem, spatio duorum annorum, marcam suam tribus granis imminutam repetisse: unde de reliquis ferri potest judicium.

Equidem hic nobis non est propositum, de ponderibus quorumcunque locorum disserere, quod fere infinitum foret, sed de nostratibus præcipue, iisque quæ in nostra vicinia sunt recepta, aut saltem quod nonnulla circumstantias in universum adhiberi solent, ideoque præ reliquis sunt notiora. Sic Libra & Marca Parisina in omnibus Galliæ officinis monetariis est usitata; ipsumque pondus Coronarium, vulgo *Das Kronen-Gevvicht*, quo auri quantitas in Germania definitur, eidem originem debet, desumptum scilicet a nummo aureo Gallicæ monetæ, quem Coronatum Solatum alii Scutum aureum vocant, vulgo *Escu d'or* Gallice, *Sonnenkron* Germanice. Similiter Marca Coloniensis per totam fere Germaniam in officinis monetariis, ponderandoque præterea argento inservit. Libra Norimbergensis utplurimum circa regimen tormentorum bellicorum, & in reliquo armamentariorum apparatu apud Germanos usurpatur.

Libram igitur Parisinam quod attinet, distinguitur ea in duas Se-libras, quas Marcas appellant; singulæ Marcæ sunt octo Unciarum; Uncia continet octo Grossos, *Gros*; Grossus complectitur tres Denarios, *Deniers*; singuli tandem Denarii viginti quatuor Grana: ut adeo in Uncia sint octo Grossi, viginti quatuor Denarii, quingenta septuaginta sex Grana. Præter hanc, alia quoque passim in usu est unciæ partitio in 20. Sterlinos, *Esterlins*; Sterlinus dividitur in 2. Obolos, *Mailles*; Obolus in 2. Felinos, *Felins*; Felinus in 7. Grana cum quinta unius parte. Conspectum horum ponderum, videsis in hoc schemate.

Libra ———	1.								
Marca ———	2.	1.							
Uncia ———	16.	8.	1.						
Groſſus ———	128.	64.	8.	1.					
Eſterlinus ———	320.	160.	20.	$2\frac{1}{2}$.	1.				
Denarius ———	384.	192.	24.	3.	$1\frac{1}{5}$.	1.			
Obolus, *Maille*	640.	320.	40.	5.	2.	$1\frac{1}{3}$.	1.		
Felinus ———	1280.	640.	80.	10.	4.	$3\frac{1}{3}$.	2.	1.	
Granum ———	9216.	4608.	576.	72.	$28\frac{4}{5}$.	24.	$14\frac{2}{5}$.	$7\frac{1}{5}$.	1.

Olim quoque Marcam in 24. Karatia diviſam fuiſſe, probatur a Dn. Bouteroue, *Recherch. curieuſ. des monnoyes de France*, *pag.* 146. e duobus nummis aureis rariſſimis, regnante Carolo VII. percuſſis, quorum alter eſt granorum 192., quæ vigeſimam quartam marcæ partem conficiunt, cum hac epigraphe; *De fin or ſuis un droit Karat peſant*; alter eſt uncialis ſeu 576. granorum, quæ ſunt ter 192. grana, cum ſequenti epigraphe ſeu *legenda* quam vocant:

D'or fin ſuis, extrait de Ducats,
Et fus fait peſant trois Karats.

Hodierno tamen tempore, ſi excipias gemarum ponderationes, karatium inter pondera locum non habet, ſed eo utuntur artifices ad indicandum gradum puritatis in auro. Sic marca auri, ex qua cuduntur hodie Ludovicei aurei $36\frac{1}{4}$, continet auri puri karatia viginti duo, ita ut duo reliqua karatia, ſeu duodecima maſſæ portio ſit ex argento, vel ære, vel utroque. Sed ut calculus in hoc mixturæ negotio accuratius inſtituatur, dividitur porro karatium, apud Germanos ſaltem, in 12. grana; ſic marca auri, ex quo cudi ſolet Aureus, vulgo Ducatus appellatus ſeu Hungaricus, continet karatia 23. cum granis 8. vel 9. Auri marca, ex quo fiunt Aurei Rhenenſes, *Die Rheiniſche Gold-Gulden*, habet karatia 18. grana 6.; ſi vero grana 6. adhærentia abjiciantur, tale aurum vocatur noſtratibus, *Kronen-Gold*, ex quo monilia plerumque confici ſolent. Apud Hiſpanos tamen karatium diſtinguitur in 24. grana: in Gallia monetarii in diviſione ejuſdem karatii ad partes 32. progrediuntur. In argenti puritate ſeu qualicunque mixtura deſignanda, aliam rationem tenent exploratores: Marca enim dividitur in 12. Denarios (Gall. *Deniers*, Germ. *Pfenning*,) Denarius in 24. grana, qua ratione in marca idem utrinque granorum numerus, ſcil. 288. emergit. Sic marca argenti, ex qua cuduntur $8\frac{1}{12}$, Ludovicei argentei, continet 11. denarios argenti puri. Argentum nummorum 4. ſolidorum (*des pieces de* 4. *ſols*) eſt 10. denarior. eorumque 150. marca capit. Salvo tamen ubique *Remedio*, de quo mox dicetur. Vallenſes ſeu Unciales Germanici, *Die Reichſthaler*, habent 10. denar. 16. grana.

Libra Argentoratenſis vulgari ratione dividitur in 2. Selibras, 4. Quadrantes, *Vierling*, 8. Semi-quadrantes, *Halbe Vierling*. Eadem vero libra habet etiam 32. Semuncias, quas Lothones, *Loth*, appellant; unde ſelibræ obtingunt 16. lothones, quadranti 8., ſemiquadranti 4. Semuncia porro diſtinguitur in 4. Quartas, *Quintin* vel *Quintlein* vocant, nomine minus concinno: Quartam denique in partes 2. 4. 8. 16. 32. dividunt, ibique fere ſolent ſubſiſtere. Nos tamen in Tabulis noſtris, ad imitationem Pariſienſium, unciam hanc diſtinximus in 576. grana, quartæ igitur ſeu drachmæ 72. eorum debentur, ut nimirum comparationes cum ponderibus veterum accuratius inſtituerentur. In aſſignanda vera magnitudine hujus libræ, nullum non movimus lapidem. Primo offerebant ſe moduli ærei antiquiſſimi, diverſæ magnitudinis, in Turri juxta Ærarium publicum, vulgo *Pfenningthurn*, inter alia cimelia aſſervati, in quorum una parte cælo pictum eſt ædificium turritum (*Vid. Fig.* XII.) cum epigraphe: ANNO DOMINI MCCXLIX. FORMATUM EST. Ex altera parte imago eſt Epiſcopi cum inſcriptione; HEINRICUS EPΩS. Fuit hic natus de Stahlecke, Epiſcopalem dignitatem nactus *Ann. Chr.* 1238., eique immortuus Anno 1260., ſic referente Regiovillano. Examine horum ponderum de-

debita circumſpectione facto, compertum mihi fuit, libram integram æquivalere 15. unciis Pariſ. cum 2. groſſis & 20. granis, ſeu granis Pariſ. 8804. Erit ideo uncia Argentoratenſis granorum Pariſ. $550\frac{1}{4}$ unciæ Colonienſi ad amuſſim æqualis. In Curia monetaria Reipublicæ noſtræ inter varia ſacomata, quorum poteſtatem mihi fecit Dn. Joh. Phil. Bœclerus, Reipublicæ Quæſtor, reique monetalis Curator, occurrit quoddam 16. librarum, cum inſcriptione PFUNT GEWICHT MVXVIII. juncto rythmo chronoſticho: ex ductu tamen literarum facile patet, legendum potius eſſe MDXVIII. Eleganter admodum eſt fabrefactum, diviſumque in partes continue dimidiatas uſque ad drachmam. Loco prototypi ſumi poſſe, omnino judico. Conſtat inde, libram Argentor. æquipollere 15. unciis Pariſ. cum 3. groſſis & 14. granis, ſeu granis Pariſ. 8870. Hinc uncia Argentor. gran. Pariſ. $554\frac{3}{8}$. Aliud præterea ibidem reperitur priori paulo recentius, 4. librarum, ubi libra 4. granis auctior adeoque uncia gran. Pariſ. $554\frac{5}{8}$ exiſtit. In officina etiam Libripendis ordinarii, *Bey dem Gevvichtſæcher*, omnis generis pondera librata fuerunt, quæ cum prioribus fere conveniunt, nec niſi libra & ſelibra, pauculis granulis repertæ ſunt fortiores. Fx quibus omnibus concludo, unciam Argentoratenſem optimo jure ſumi poſſe æqualem $554\frac{3}{8}$, vel ſi mavis rotundiore numero, $554\frac{1}{2}$ granis Pariſienſibus. Veroſimile autem omnino eſt, Status Germaniæ ad Rhenum ſitos, olim inter ſe conveniſſe de certa & uniformi libra, ob commerciorum reique monetariæ oportunitatem, quemadmodum Status Alſatiæ inferioris ſæculo decimo quinto de æquali amphora convenerant: poſtea vero nimia arcendi intertrimenti ſolicitudine factum eſſe, ut pondera paulatim augerentur, neglecto, ſaltem rarius conſulto prototypo, donec tandem in eam quam diximus amplitudinem excreverunt; dum interim Colonienſes ſuarum antiquitatum tenaciores, ea ad noſtra tempora ſarta tecta conſervarunt. Solidum hujus rei argumentum præbent Aurei Rhenenſes antiqui ad Marcam Colonienſem omni tempore exacti. Præterea in hac opinione confirmor pondere metallico antiquiſſimo 4. librarum penes me aſſervato, quod forſan haud multo recentius eſt prototypis primo allegatis, per vetuſto Civitatis noſtræ ſigillo, Genii alati figura, notatum, & cum iiſdem prototypis quoad pondus mire conveniens. Tandem circa pondera Argentoratenſia & hoc monendum eſt, Centumpondium ſeu Centenarium non præciſe habere 100. libras, ſed iis ſuperpondii loco addi libras 4., qua ratione vix ſenſibiliter differt a Centenario Pariſienſi, vulgo *Quintal.*

Marca ſeu ſelibra Colonienſis, quæ κατὰ ἐξοχὴν noſtratibus Marcæ nomine venit, *Die Silber Marck*, proprio experimento eſt ad Pariſinam in ratione 2201 ad 2304. Uncia igitur Colonienſis continet $550\frac{1}{4}$ grana Pariſ. Communiter Marca Colonienſis eodem plane modo in 16 Lothones ſeu Semuncias, reliquaſque partes dividi ſolet, prout ſupra de ſelibra Argentoratenſi fuit dictum. Alia tamen diſtinctionis in eadem ratio eſt apud monetarios. Uncia nimirum ſeu octava Marcæ pars dividitur in 19 Anglicos, Germ. *Engliſch*, quorum 20 componunt unciam Troſicam ſeu de Troy, quæ in Belgio tum Hiſpanico tum Fœderato in uſu eſt. Singuli Anglici iterum in 32 momenta ſeu grana diſpeſcuntur, Germ. *As* vel *Es*, quorum etiam ſemiſſis & quarta pars attenditur. Habet itaque uncia Colonienſis 608 talia momenta, ſed uncia Troſica 640 eorundem: ſicut videre licet apud Budelium *lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 64. de Monetis & Re Nummar. qui cum fuerit monetarum præfectus in Archiepiſcopatu Colonienſi, præ aliis meretur fidem: apud artifices etiam res in vulgus nota eſt. Et hæc Marca Colonienſis, ut in re nummaria per Germaniam univerſam adhibeatur, ſolenni decreto Ordinum Imperii fuit ſancitum Ann. 1559. *Und dievveil alle Rheiniſche Gulden, ſo biſsher gemuntzt, auff Cœlniſch Gevvicht geſchlagen vvorden, ſo iſt unſer ernſtlicher Will, Meinung und Befelch, daſſ auch hinfuro alle Gulden auff daſſelbig Gevvicht gemuntzt vverden, darnach ſich ein jeder, der ein ander Gevvicht hat, dervvegen zu richten und ſein Rechnung darauff zu ſtellen.* A diviſione Marcæ in 16 Lothones, oritur etiam modus vulgaris æſtimandi mixturam argenti cum ære: Marca enim argenti puriſſimi dicitur 16 lothonum, 16 *lothig*; idem vero cum octava æris parte mixtum, appellatur 14 lothonum, 14 *lothig*, (quale quidem olim apud noſtrates fere erat argentum ex quo vaſa artifices parabant, quod nunc ad 13 lothones eſt reductum) quia ſcilicet reliqui duo lothones non argenti ſed æris ſunt. Singuli lothones iterum in 18 grana diſtinguuntur: ſic Mar-

Marca massæ argenteæ ex qua cuduntur Imperiales, *Die Reichsthaler*, continet 14 lothones, 4 grana argenti puri. Partitio Marcæ Coloniensis compendio talis est:

Marca —	1.				
Uncia —	8.	1.			
Semuncia —	16.	2.	1.		
Drachma —	64.	8.	4.	1.	
Anglicus —	152.	19.	$9\frac{1}{2}$.	$2\frac{5}{8}$.	1.
Momentum	4864.	608.	304.	76.	32. 1.

Libræ Norimbergensis ratio ad Parisiensem est ut 4797. ad 4608. Hinc uncia Norimberg. granorum Paris. $599\frac{5}{8}$. Dispesci solet libra hæc, ut aliæ, in 32 Lothones seu Semuncias; hæc in 4 Quartas, *Quintlein* vocant; Quarta denique in 4 Denarios, *Pfenning*.

Dicendum est quoque aliquid de Libra Medica, quæ officinis Pharmaceuticis in usu esse solet. Hæc, quia est 12 unciarum, persuadere sibi nonnulli sunt conati, parem eam esse cum Romana vetere, sed falsi sunt, ut ex sequentibus patebit. Præterea libra Medica, quæ tum in nostratium tum reliquis Germaniæ myropoliis adhibetur, longe recedit ab ea quæ in Gallia Hispaniaque est recepta. Testatur enim Fernelius *lib.* 4. *cap.* 6. Meth. med. item Savotus, Medicus Regius, *Discours sur les medailles antiques*, part. 3. cap. 37. pag. 287. unciam Medicam in Gallia esse 480. granor. Paris. Dubius tamen diu hæsi, an talia grana cum granis libræ civilis conveniant, & annon potius oriantur a divisione scrupuli apud Medicos consueta in 20 grana; sic enim numerus prædictus granorum in uncia producitur. Certior demum factus sum per amicos Parisienses, unciam Pharmacopæorum Parisiensium omnino esse æqualem unciæ civili seu monetariæ, ea tamen ratione, ut juxta ordinariam Medicorum partitionem, duodecim ejusmodi unciæ libram constituant, ipsa vero uncia in 8 drachmas, hæc in 3 scrupulos, scrupulus in 20 grana distinguatur. Eandem unciæ Medicæ Parisiensis cum civili convenientiam concludere licet ex Dn. Boizardo, *Traitè des Monoyes* pag. 259. In Hispania uncia Medica minor fuit uncia vulgari, hujus parte decima sexta, testibus Mariana & Covarruvia, adeoque per ea quæ l. c. habet Savotus, $502\frac{1}{2}$ gran. Paris. sed nostro calculo $506\frac{1}{4}$. Verum quia Hispani erant persuasi, vulgarem suam unciam per observata Villalpandi esse eandem cum Romana vetere, reduxerunt pondera Medica ad normam ponderis vulgaris, uti testatur Lud. Alcasar. *pag.* 5. At vero uncia Medica nostratium, qualem a Norimbergensibus omnia Germaniæ Pharmacopolia accipere in more positum habent, est 562 gran. Paris. Qua vero autoritate, quove tempore hæc ita fuerint instituta, difficile est explicatu. Uncia Veneta totidem præcise habet grana Paris. unde probabile fit, simul cum mercibus, pharmacis potissimum in peregrino solo natis, quæ a solis Venetis olim Germani petebant, ipsorum pondera fuisse traducta. Albertus Quadrocchus, Medicus Venetus, peculiari Dissertatione Venetiis Ann. 1617. edita, probare conatus est, pondera Veneta respondere iis quibus ætate Galeni usa est antiquitas; sed frustra: uncia enim Veneta duobus fere scrupulis Romanam antiquam superat.

Ex modo dictis patet, libram Argentoratensem esse ad Coloniensem in ratione 4435 ad 4402: Argentoratensem ad Norimbergensem ut 4435 ad 4797: denique Coloniensem ad Norimbergensem ut 4402 ad 4797.

Atque hæ ponderum enumeratorum comparationes propria observatione expensæ, pro specimine nobis proposito sufficiant. Pondus Parisinum & Norimbergense e propriis singula locis petita adhibui, Coloniense vero, quale in Curia monetaria Reipublicæ nostræ inde jam a remotis temporibus asservatur. Longe plures ab autoribus allegatæ inveniuntur, quas quilibet, cui volupe est, suo loco examini ulteriori subjiciet. Delibabimus pauca, sub aliorum tamen fide. Primo se sistit libra Anglica, eam saltem ob rationem, quod Johan. Gravius, Vir eruditus & diligens, multa alia ad eandem exegit. Duplex apud Anglos libra in usu est, altera *de Troy* dicta, altera *Avoir du pois* vel *de Havre*, ut nonnullis eam appellare placet: prior, qua gemmæ, aurum, argentum, sericum, aliæque res pretii expenduntur, est 12 unciarum, quarum ad Parisinam est ratio ut 480 ad $472\frac{1}{2}$, habetque adeo grana Paris. $585\frac{1}{7}$. Mersennus eam statuit Parisina graviorem 10 granis. Dividitur in 8 Drachmas, 24 Scrupulos, 480 Grana. Altera Anglorum libra, *Avoir du pois* dicta, pro rebus crassis & caducis, in 16

Un-

Uncias distinguitur, harumque singulæ in 8 Drachmas, 24 Scrupulos; habentque se ad Parisinam ut 12169 ad 13125, unde 534 grana Paris. singulis obtingunt, tot præcise quot sunt in uncia Romana hodierna ex observatione Gravii: sed Dn. Auzout ex suis observatis eandem Romanam statuit granor. Paris. 533. Ex eodem Gravio sequentia pondera deducuntur, referente Bernardo, *lib. de Mens. & Pond. ant.* pag. 134.

	Gran. Paris.
Uncia Veneta	$562\frac{1}{2}$.
Neapolitana	503.
Florentina & Pisana	537.
Senensis	526.
Genuensis	494.
Gaditana	$540\frac{1}{2}$.

Convenit ergo uncia Gaditana cum Hispanica monetaria, quod ex Aureo Hispanico, *Demie Pistole*, patet; horum 68 cuduntur e singulis octonis unciis Hispanicis, teste Villalpando, *tom.* III. *pag.* 416. Mariana, *pag.* 150, 151. Sed Ludovicei aurei, *Demi Louis d'or*, ejusdem gravitatis, $72\frac{1}{2}$ æquantur octonis unciis Paris. Hinc uncia Hispanica ad Paris. ut 136 ad 145; illa igitur est gran. Paris. $540\frac{1}{4}$. Libra Hispanica sedecim unciarum est, Marca seu Marcus (sic enim Hispani plerique scribunt) unciarum octo. Centumpondium, vulgo *Quintal*, centum habet libras: ejus quadrans, *Arroba*, 25 constat libris. Uncia continet 16 *Adarames*. Sed aurifices Hispani Marcam dividunt in 50 *Castellanos*, Castellanum in 8 *Tomines*, Tominem in 12 Grana. Argenti autem marcam dividunt in uncias 8. unciam in totidem octavas, octavam in 75 grana; sic marca argenti aurique eundem granorum numerum sortitur. Et hæc quidem ex Mariana de Pond. & Mens. *pag.* 67.

De uncia Trosica seu *de Troy*, qualis in Belgio tum Hispanico tum αὐτονόμῳ circa rem monetariam in usu est, testatur Budelius *loc. cit.* per experimentum fuisse deprehensum Coloniæ, coram Legatis Ordinum Brabantiæ, eandem ad Coloniensem esse ut 20. ad 19. Habet itaque grana Paris. $579\frac{1}{5}$. Sed ex observatione Mersenni 577: fluctuat ergo certitudo rei intra grana Paris. duo. Puto tamen standum esse iis, quæ comperta fuisse in actu quodam solenni narrantur a Dn. Boizardo de Monet. *pagin.* 259. marcam monetariam Belgicam excedere Parisiensem granis 24: unciæ itaque Belgicæ monetariæ obveniunt grana Paris. 579.

Aurum in Germania appenditur pondere quod Coronarium vocant, sumto vocabulo ab Aureo Coronato Solato, qui Gallicæ monetæ species est. Per edicta Regia singulis auri marcis respondere debent $72\frac{1}{2}$ Coronati, erunt ergo singuli $63\frac{81}{145}$. gran. Paris. seu $63\frac{1}{2}$ fere. Sed in ponderibus auri vulgatis fractio negligi solet, habent enim tantum 63 grana. Usu receptum est in Germania, ut marcæ Coloniensi attribuantur $69\frac{1}{2}$ Coronati, adeoque uni Coronato obveniunt grana seu momenta Colon. 70. proxime, seu drachma Colon. minus momentis 6, id est $63\frac{1}{3}$. gran. Paris.

Accidit sæpius, ut auri pretiosioris pondus, nummorum inprimis valoris incogniti, in *Ducatis* exhibeatur, *in dem Ducaten Gevvicht*. Sciendum ergo est, per leges Imperii constitutum esse, ut 67 *Ducati* marcæ Coloniensi æquiponderent: singulis igitur competunt $72\frac{3}{5}$ momenta Trosica, seu drachma Coloniensis minus $3\frac{2}{5}$ momentis; sed juxta pondus Parisinum grana $65\frac{2}{3}$ fere, quorum tamen loco pondera auri Vulgata non nisi 65 habent. Causa hujus discrepantiæ hæc est. Quoniam impossibile est operis monetariis, exactissimum pondus (de mixturis metallorum idem intelligendum est) juxta præscriptum legis observare, quod Pedem vocant, ex. gr. *sur le Pied de* $36\frac{1}{4}$ *Louis d'or au Marc*, *Auff dem Fuss von 67 Ducaten auff die Marck*; idcirco indulgentia Magistratus & tolerabili conniventia, intra spem veniæ, ipsis concessum est, determinato granorum numero in singulas marcas, a rigore legis deficere; quod artifices, ipsæque publicæ constitutiones *Remedium*, *le Remede*, *das Remedium*, appellant. Sic in mixtura, Remedium Ludoviceorum aureorum est quarta pars karatii, sumique possunt sine læsione legis, loco 22 karatiorum, karatia $21\frac{3}{4}$. Remedium Ludoviceorum argenteorum est duorum granorum, licetque adeo sumere, loco 11 denariorum, denarios 10, grana 22. At in pondere,

Remedium Ludoviceorum aureorum est duorum felinorum seu granorum $14\frac{2}{5}$, Ludoviceorum argenteorum, duodecima unius nummi pars, seu gran. 43. proxime, in singulas marcas. Præterea nummorum continua de manu in manum versatione semper aliquid ipsis de pondere decedit, maximeque interest, ne nummi præter solitum graviores fiant, statim quippe malitiosorum manus sentirent, in alios usus conflandi.

Gemmæ, præsertim Adamantes, peculiare sibi ponderis genus vindicant, *Karatia* scilicet, quorum quodlibet in 4. Grana subdividitur. Facto periculo didici, una uncia Coloniensi comprehendi $142\frac{1}{3}$ ejusmodi *karatia*, sed uncia Parisina 149., vel accuratius $148\frac{15}{16}$ eorundem; adeoque quam proxime singula $3\frac{6}{7}$ grana Parisina æquant. Sic inter Adamantes totius orbis facile maximus, cujus possessor est Rex Indorum sub magni Mogolis nomine notus, pendet $279\frac{9}{16}$ karatia, teste Tavernerio, qui eum vidit & delineavit. Is vero, quem Serenissimus Princeps Hetruriæ inter cimelia primi ordinis servat, pondus habet $139\frac{1}{2}$. Karatiorum, auctore eodem Tavernerio. In schemate tamen hujus adamantis, quod Florentiæ in arce Principis curiosis peregrinatoribus communicari solet, karatia tantum 138. eidem adscribuntur.

CAPUT II.

De Ponderibus veterum Romanorum.

Apud Romanos veteres ex ponderibus maxime in usu erat Libra, quæ etiam Pondo vocabatur, unde Dupondium, Centumpondium. Libra hæc instar Assis, solenni apud Romanos more, in duodecim uncias dividebatur, præprimis cum As, qua nummus, libralis initio fuerit, unde Volusius Mætianus, *Ponderis eadem divisio quæ æris, nam in quas partes As dividitur, in has & Libra dispenditur*. Hanc partitionem, per se satis vulgatam, denuo per compendium hic sistere placet:

			Unciæ
As	$\frac{12}{12}$		12
Deunx	$\frac{11}{12}$		11
Dextans	$\frac{5}{6}$		10
Dodrans	$\frac{3}{4}$		9
Bes	$\frac{2}{3}$		8
Septunx	$\frac{7}{12}$		7
Semis	$\frac{1}{2}$	Unciæ	6
Quincunx	$\frac{5}{12}$		5
Triens	$\frac{1}{3}$		4
Quadrans	$\frac{1}{4}$		3
Sextans	$\frac{1}{6}$		2
Sescuncia	$\frac{1}{8}$		$1\frac{1}{2}$
Uncia	$\frac{1}{12}$		1

Unciæ partes sunt:

	pars Unciæ	& pars Assis
Semuncia	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{24}$
Duella	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{36}$
Sicilicus	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{48}$
Sextula	$\frac{1}{6}$	$\frac{1}{72}$
Scripulum	$\frac{1}{24}$	$\frac{1}{288}$

Nummi etiam argentei, Denarii puta & Victoriati, interdum loco ponderis sumebantur, ut patet ex Celso, Scribonio Largo, Plinio, aliisque.

Præter enumeratas ponderum species apud vetustos rerum Romanarum scriptores nihil occurrit. Postquam vero ipsis arctior cum Græcis intercederet consuetudo, horum quoque pondera Romanis fuere permista. Inprimis vero a Galeni tempore Drachmæ usus apud Romanos, Medicos inprimis, invaluit: cumque vetus esset traditio, Drachmam Atticam pondere Denario Romano æquivalere, hic autem tum temporis octavæ unciæ parti æquiponderaret, factum est, ut non tantum uni unciæ octo drachmæ adscriberentur, sed & æquales drachmæ Atticæ crederentur. Adeo firmas hæc opinio egit radices, ut vel hodierno die vix quisquam aliud sibi persuaderi patiatur. Suo tamen loco patebit, quam invalido nitatur fundamine.

Videndum nunc, quanta fuerit uncia Ro-

Romana antiqua, instituta comparatione cum pondere aliquo moderno, quod præ ceteris sit notius, usuque receptius, quale quidem Parisinum existit, quod jam a plurimis eruditis ad hanc rem fuit adhibitum. Variis autem mediis usi sunt viri docti, uno alteroque abhinc elapso sæculo, quibus pondera antiqua restituerent, quæ ad quinque capita possunt reduci: Suntque

I. Fructus, nuclei, semina, grana, vegetabilium; ex. gr. nuces, semina siliquæ dulcis, lentes, speltæ, hordeum, triticum, lupini.

II. Pondera ex antiquitate residua, lapidea, ærea, ferrea.

III. Pes Romanus antiquus.

IV. Variæ mensuræ Romanæ, metallicæ, marmoreæ, itidem ex ævo vetusto restantes, quales sunt Amphora, Modius, Congius, Sextarius &c.

V. Numismata Romana, aurea, argentea, ærea.

Percurramus singula. Primo quidem quod attinet vegetabilium species, natum inde est Grani nomen inter pondera hodierna, quo minus non datur. Tanta vero est granorum in singulis speciebus differentia qua pondus, pro diversitate regionum, agrorum, annorum, ut vix quicquam effatu dignum eorum ope determinari possit, tædeatque ideo plura de iisdem proferre. Unicum tamen de granis siliquæ dulcis non est omittendum; videri ea saltem præ reliquis ad hoc negotium aptiora, quod inter se appareant satis æqualia, prætereaque in paucioribus regionibus proveniant, ex quibus ad nos portantur adhuc hodie, unde & olim in Græciam & Italiam, adeoque in ipsis non tam metuenda est, quæ in aliis, a regionibus orta differentia. De his ita Fannius:

> *Semina sex alii siliquis latitantia curvis*
> *Attribuunt scripulo:*

& mox

> *Scripla tria drachmam faciunt, quo pondere doctis*
> *Argenti facilis signatur nummus Athenis.*

Patet hinc drachmæ Atticæ adscripta fuisse hujusmodi grana octodecim, quod etiam nos docet Cleopatra, Dioscorides, alii. Facto sæpius experimento, mihi constat, horum granorum bene siccatorum octodecim, æquiponderare granis Paris. 87. interdum 88. quod a tribus scripulis Romanis seu octava unciæ parte multum, a drachma vero Attica parum abest, ut ex sequentibus patebit. Statuendum tamen in universum videtur, his talibus nihil solidi superstrui posse, nisi accedant alia certiora.

Multo saltem certiori indagine hæc venari liceret ex vetustis lapidibus ponderalibus, quorum teste Luca Pæto l. 5. adhuc maxima copia diversarum magnitudinum a libris centum usque ad selibras, trientes, & quadrantes Romæ conspicitur; modo ipsis in tanta antiquitate, continuo attritu vel vi externa, nihil decesserit, illis inprimis, qui uno vel pluribus ferreis annulis aut ansis, in superiori parte plumbo ferruminatis, suspendebantur. Libra certe Romana, quam Pætus inde deduxit, notabiliter minor est ea, quam alia indubiæ fidei experimenta commonstrant. Illustris quoque Peireskius expertus est per pondera antiqua, libram Romanam modo paulo plus decem unc. Paris. modo paulo minus continere, teste Gassendo in ejus Vita: cum tamen certum sit, ad undecim uncias Paris. eam propius accedere. In Gruteri opere, quo Inscriptiones antiquas complexus est, pag. 221. multa referuntur pondera antiqua, marmorea & ærea, ad libram Romanam hujus temporis, Anno scil. 1562. examinata. Duo ex iis prima & integriora, decem librarum, inventa sunt æqualia libris Rom. hod. 9. cum unciis 8. Unde deducitur uncia Rom. antiqua gran. Paris. 516. fere.

Quod si exacta Pedis Romani longitudo nobis innotesceret, neque libra Romana nos lateret. Id enim singulare habent mensuræ & pondera Romana, ut accuratam inter se servent symmetriam: Amphora enim, alias Quadrantal dicta, cubus erat, cujus singula latera pedem æquabant, & aqua plena (quam ejusdem cum vino gravitatis esse veteres crediderunt, teste Dioscoride, Fannio, aliisque) octuaginta libras pendebat. Hujus cubi pars octava erat Congius, pars vero quadragesima octava, Sextarius; tresque præterea Modii eandem amphoram complebant. Experimentum non esset admodum difficile, sed obstat pedis hujus qua longitudinem, incerta determinatio: minimum autem a vero pede discrimen, sat magni in definiendo pondere est momenti; præstatque adeo, ex ponderibus longitudinem pedis indagare, quam vicissim. Ut nihil dicamus de aquarum diversitate, earumque diversa gravitate, prout vel hyeme vel æstate appenduntur.

Majori certitudine adhibentur mensuræ e Romana antiquitate superstites, modo constet, eas non pertinuisse ad usum alicujus provinciæ, cui diversa fuere a Ro-

Romanis pondera & mensuræ, qualis haud dubie est Congius æreus, qui servatur Lutetiæ in Bibliotheca Abbatiæ S. Genovefæ, majoris, quam Romanus ferre possit, amplitudinis. Celebratissimus est Congius æreus, qui Romæ inter rariora Serenissimæ Familiæ Principum Farnesiorum monstratur, (nisi una cum pretiosissimo numismatum thesauro Parmam ante annos haud adeo multos sit translatus.) Typus ejus exhibetur a Villalpando, in Urb. ac Templi Hierosol. Apparatu *Tom.* III. *pag.* 501. Speciosa superbit inscriptione, magnam ipsi auctoritatem conciliante:

IMP. CAESARE
VESPAS. VI. COS.
T. CAES. AVG. F. IIII.
MENSVRAE
EXACTAE IN
CAPITOLIO
P. X.

Ultimas duas literas pondo decem significare, extra controversiam est, & ea propter congium indicare, qui est octava amphoræ pars. Insigne hoc est omnino ex antiquitate monumentum, dignumque habitum, in quo industriam suam exercerent complures viri celeberrimi, successu tamen diverso. Luc. Pætus, qui primum ejus examen tentavit pondere, invenit eum capere aquæ libras Romanas hodiernas novem cum unciis sex & semisse, seu uncias $114\frac{1}{2}$. Subducto calculo apparet, unciæ Romanæ veteri per hanc Pæti observationem competere grana Parisf. 509. Sed litem Pæto intendit Villalpandus, eam maxime ob causam, quod stateram, quæ fallax est admodum, loco bilancis adhibuerit, ceteraque haud recte curarit. Ipse vero Villalpandus Apparat. *Tom.* III. *pag.* 351. refert multis verbis, se in præsentia Illustrissimi Odoardi, Cardinalis Farnesii, aliorumque doctissimorum virorum, eundem congium bilance examinasse, aquamque limpidissimam eo contentam, fuisse librarum, Romæ nunc usualium, decem præcise; adeoque libram Romanam veterem parem plane fuisse hodiernæ. Testatur hoc idem P. Christoph. Griembergerus, eidem experimento assistens, apud *Ricciol. Geogr. lib.* 2. *cap.* 2. Hanc tamen Villalpandi observationem plurium errorem incusat Savotus, *Discours sur les medall. antiqu. part.* 3. *ch.* 32. *&* 38. sumpta maxime occasione a vitiosa bilance. Parum igitur subsidii ex hac parte sperari poterat, nisi Dn. Auzout, vir doctissimus, & in experimentis faciendis probe exercitatus, suam etiam operam hic locasset. Expertus is est, aquam fontanam *di Trevi*, quam congius ceperat, esse librarum Parisf. *6.* cum unciis 12. grossis 7., & granis 48.; sive unciarum Parisf. 109., minus granis 24., adeoque granor. Parisf. *62760.* Unciæ itaque Romanæ veteri competunt grana Parisf. 523. Haudquaquam dubito, quin hæc omnia summa diligentia a Dn. Auzout fuerint peracta, adeoque duabus antecedentibus a Pæto & Villalpando factis observationibus longe sint anteponenda. Aquarum tamen natura novum suggerit dubium: aqua enim fluvialis & pluvialis levior est aliquantum fontana, præterea que omnes liquores a frigore condensari, a calore vero dilatari certum est, unde tempore hyberno aquæ centesima quadragesima sui parte ponderosiores reperiuntur quam æstate. Confer. *Commentar. Acad. Scient. Reg. Ann. 1699. pag.* 48. Quod si ergo ponamus experimentum Dn. Auzout factum fuisse hyemali tempore, primum vero congii examen olim institutum, tempore æstivo, sequeretur, differentiam quatuor granorum inde in unciam ex observatione Dn. Auzout inventam redundare, quibus scilicet gravior redderetur vera. Dispiciendum etiam esset, annon idem congius a longævitate sit exesus; cavitates enim in parietibus internis inde exortæ justo majus redderent ipsius volumen, rimas certe eum egisse ex Villalpando constat, qui eas cera rubra obturare necesse habuit. Utut sit patere hinc existimandum est magnitudinem unciæ Romanæ, si non omnibus numeris absolutam, saltem a vera parum aberrantem.

Confugiendum est tandem ad ultimum præsidium, sacramque veluti anchoram, Numismata nimirum veterum Romanorum. Vetustissimorum typos nobis dedit Dn. Bouteroue, Regum temporibus cusorum vel fusorum, usque ad Quadrussem; ex quibus se comperisse dicit, unciam tunc temporis eandem exstitisse cum hodierna Parisina, sed expulsi Regibus, reductam fuisse eam in formam, quæ ad finem usque Imperii Romani duravit, ita ut libra Romana par fuerit decem unciis Parisf. cum semisse. Quicquid sit, nos hic maxime soliciti sumus de libra Romana, unciaque, qualis florentissimis Romæ rebus in usu fuit. Nummi quidem ærei non unam passi sunt mutationem, teste Plinio & Festo: qui enim librales primo erant, semunciales tandem fiebant. Sed neque hoc obstat, quominus vera unciæ Romanæ magnitudo inde elici possit, si quidem debita fuisset adhibi-

Ro- ta

ta exactitudo, in assignando legali, quod singulis nummis æreis debebatur, pondere. Priorum Imperatorum tempore, ultra Antoninos, quatuor potissimum species cudebantur ex ære; Quadrantes, Asses, Duppondiarii & Sestertii. *Plinius lib.* 34. *cap.* 11. de ære, materia nummorum, sequentia habet: *Summa gloria æris nunc in Marianum conversa, quod & Cordubense dicitur. Hoc a Liviano Cadmiam maxime sorbet, & Aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio suo assibus contentis.* Ex immensa farragine nummorum æreorum veterum, qui hodie supersunt, indiesque e terra parietinisque effodiuntur, contemplabimur eos maxime qui sub primis Imperatoribus ad Severum usque cusi sunt, intra hos enim terminos rei monetariæ sua constitit integritas, quæ mox in pejus ruere cœpit. Quatuor nunc eorum, ratione magnitudinis, constituuntur classes; minimorum, ex ære potissimum Cyprio, pondus est a gran. Paris. 50. usque ad 64. Nullum igitur dubium est, quin ea nummi species sit, quæ Quadrantum nomine olim fuit nota. Qui magnitudinis sunt mediocris, seu formæ mediæ, ex ære Cyprio ut plurimum constant, Asses haud dubie e testimonio Plinii, quorum pondus a gran. Paris. 220. ad 260. excurrere deprehenditur, semunciæ igitur proxime æquales. Sed & permulti ejusdem fere magnitudinis reperiuntur ex Aurichalco seu ære flavo, pondere 300. grana Paris. interdum superantes; hos si quis pro Dupondiariis Plinii accipere velit, ei non refragabor; certum enim est, Aurichalcum olim tanta cura elaboratum longe pluris æstimatum fuisse ære crudo, quod vel ex ipsa Plinii expressione conjicere licet: secus hodie se res habet; æs enim Cadmia tinctum, ob magnam hujus mineralis copiam absorptam, minori aliquantum pretio venire solet. Si hæc mihi concedantur, facile jam concludere possumus, nummos formæ majoris ex Aurichalco tantum non omnes, pro ipsis Sestertiis veterum esse habendos, quorum tam frequens in veterum scriptis fit mentio, sed frequentior adhuc extitit usus; horum pondus unciam quandoque attingit, aliquando etiam superat: omnes Senatus auctoritate fuerunt cusi, quod literæ S. C. Senatus consulti nota satis indicant. Sed hoc charactere plerumque carent nummi maximi moduli, quos *Medalgiones* nunc vocant, quorum adeo fabricandorum potestas apud solos Principes stetit; pecuniæ ordinariæ loco eos haud fuisse, raritas ipsorum & artificium singulare ostendit, pro missilibus igitur in populum spargendis, strenisque potius, vel etiam ornamentis signorum militarium eos adhibitos, verosimile omnino videtur. E singulis jam horum nummorum speciebus elicienda esset unciæ Romanæ magnitudo, sed in universum, tanta reperitur variatio ponderis, intra sescunciæ quidem amplitudinem, ut vix granorum numerum excogitare liceat, cui non aliquando nummus æquiponderet. Nihil quicquam igitur solidi huic experimento superstrui poterit. Duplex hujus rei mihi videtur causa: diversitas ponderum in provinciis variis, quibus jus cudendæ monetæ competebat; inprimis vero metalli vilitas, ob quam in accurata nummorum dispensatione, tempus terere, inutile judicabant.

Longe aliter se habent nummi argentei, de quorum mutatione, si quæ vetustioribus temporibus facta fuit, nihil attinet hic dicere: de iis enim solum tractare animus est, qui florente Republica cusi sunt, usque ad excessum Augusti, & qui communiter sub Consularium nomine noti sunt, saltem si nomen alicujus familiæ in ipsis signatum reperiatur. De iis Corn. Celsus, de re Medica *lib.* 5. *cap.* 17. *Sciri volo in uncia pondus Denariorum septem esse.* Plinius item *l.* 33. *cap.* 9. *Justum esse*, scribens, LXXXIV. (denarios) *e libris signari.* Quod eodem recidit, septenarius enim in duodenarium numerum ductus, 84. producit. Idem Plinius *loc. cit.* addit, *alios e pondere subtraxisse:* suum videlicet ævum respiciens. Nemo autem hodie est ex illis, qui pondera denariorum tantillum tractarunt, quibus compertum non sit, ab excessu Augusti, sub Tiberio, Cajo, Claudio, nummos hos paulatim fuisse diminutos, adeo quidem, ut sub Nerone numerus eorundem ad octonarium in uncia fuerit redactus, quem sequentes Imperatores ad Pupienum usque atque Balbinum retinuerunt: sub his enim ex argento æri mixto nummi cudi cœperunt pondere insigniter aucti, ut nonnulli 90 granor. Paris. inveniantur, quæ sextulæ Rom. fere æquantur; continuatum hoc fuit ad tempora usque Gallieni & Postumi, post quos res nummaria plane concidisse apparet. Septimius Severus primus ex Imperatoribus pessimam argenti mixturam cum plumbo, loco argenti probi, quale antea fuerat, substituit, pondus tamen retinere studuit. E prioribus duobus denariorum generibus ut veram unciæ antiquæ magnitudinem expiscarer, id inprimis egi, ut rejectis adulterinis & subæratis, qui ærei vel etiam ferrei tenuissima pellicula argentea superin-

inducta satis copiose offeruntur, (Gallis vocantur *medailles fourrèes*) istos solum seligerem, qui integerrimi viderentur, nec ullum detrimentum ab attritu, lima, cultello aut erosione passi sunt, asperi olim vocabantur, hodie apud Venetos *ruspi*. Sed inter hos ipsos nonnulli, quanquam rarius, inveniuntur, qui multum a reliquorum pondere deficiunt, haud dubie ob particulas quasdam minutas a vehementiori percussione dispersas, cujus rei vestigia etiam interdum apparent: rejecti ergo & hi sunt. Appenso selectissimorum hujusmodi nummorum sat magno cumulo, sæpius diversoque modo, & instituta per ipsorum numerum divisione totius ponderis, constanter reperi, Consularibus singulis convenire paulum ultra grana Paris. 74, sed 65 grana satis præcise illis qui a principatu Neronis ad Septimii Severi tempora usque cusi sunt. Per rationem etiam horum numerorum, quæ proxime est ut 8 ad 7, firmatur amplius justum singulorum pondus. Posito itaque alteram speciem continere grana 65, per earum rationem legitimam priori competunt grana Paris. $74\frac{1}{7}$: sed horum septeni constituunt unciam, reliquorum vero octoni; habet itaque uncia Romana antiqua, grana Paris. 520, integra autem libra 12 unciarum, eorundem granorum 6240, seu uncias Paris. 10, grossos 6, & grana 48, id est uncias Paris. $10\frac{5}{6}$. Eundem granorum Paris. numerum in uncia Rom. ant. deprehendi, quoties 7 denarios Consulares, vel 8 Imperatorios, nimirum Neroniani generis, sigillatim appendi; raro enim unum alterumve granulum vel abundabat, vel deficiebat.

De aureis Romanorum nummis hæc habet Plinius lib. 33. cap. 3. *Aureus nummus post annum LXII. percussus est quam argenteus, &c. Posthæc placuit X. XL. signari ex auri libris, paulatimque Principes imminuere pondus: minutissime Nero ad XLV.* Nonnulli, ut Snellius, hic legere malunt XLVIII. contra omnium MSS. fidem, uti testatur Harduinus in notis ad hunc locum. Fateor, mihi ex istis qui ante Tiberium percussi sunt, nullos fuisse ad manus, qui satis integri essent, ut ex eorum pondere unciam antiquam deducerem. Testatur quidem Dn. Bouteroue, duos Julii se appendisse integerrimos, granor. Paris. 152. ipseque talem, sed detritum inveni gran. 151. ex quo tamen nihil deducere audeo, sicut nec ex Tiberii nummis, quos inveni gran. Paris. 147, integros quidem, sed de quorum pondere legitimo nobis non constat. Superest igitur ut confugiamus ad nummos sequentium Imperatorum. Dn. Bouteroue, plurimis ex musæo Dn. Seguini appensis, comperit a temporibus Neronis usque ad Septimium Severum ejusque filios, nihil in ipsorum pondere fuisse mutatum, quod invenit a granis Paris. 133 ad grana usque 138. Notat tamen ut singulare aliquid, aureum Didii Juliani, alterumque Manliæ Scantillæ, non nisi grana 125 habuisse. Ego eandem experientiam cepi circa magnum nummorum aureorum numerum, quos ex parte amici suppeditarunt, inveni vero, omnes fere, qui singularem præ se ferebant integritatem, plus 136 granis continere, sed & facta diligentiori inspectione, oculo etiam armato, omnes ita læsos reperi, ut in ponderosissimo metallo facile unum alterumque granum ipsis decessisse potuerit. Unus est penes me Neronis nummus, in quo nihil quicquam læsionis investigare potui, granor. 138, cum quarta unius parte, de quo tamen asseverare vix audeo, nihil plane eum per attritum perdidisse: simile quid in Othonis & Hadriani nummis elegantissimis expertus sum. Unde eadem unciæ antiquæ magnitudo quam proxime, ut supra, determinatur; numeratis enim 45 aureis in singulas libras, singulis obveniunt grana Paris. $148\frac{2}{3}$. Ex pondere nummorum Didii Juliani & Manliæ Scantillæ sequitur, quinquaginta ex singulis auri libris fuisse percussos. Alium præterea aureum Postumi rarissimum & integerrimum ex apparatu Dn. Kriegii appendi granor. 104, in cujus aversa facie victoria cum inscriptione, QVINQVENNALES POSTVMI AVG. ex quo facile est concludere, sexaginta singulis auri libris respondere: solenne enim fuit antiquitus, numerum hunc fere rotundum efficere, quemadmodum ex Plinii loco supra allegato manifestum est. A Constantini Magni ævo usque ad Justiniani tempora & ultra, Solidi aurei septuaginta duo cudebantur ex auri libra, adeoque seni ex uncia. Sunt tamen, qui perperam eorundem octuaginta quatuor in libram numerant, quos erudite redarguit Gronovius de Sest. *lib.* 4. *cap.* 13. qui omnino hic est consulendus. Conveniunt igitur tali solido grana Paris. $86\frac{2}{3}$. Sed appensi plures, a Constantinis usque ad Honorium, optimæ notæ, nonnisi grana 84, rarius 85 & paulo ultra exhibebant. Est præterea apud Dn. Bouteroue *pagin.* 130. figura Exagii ærei, forma quadrata,

ta, quod ab una facie habet imaginem & nomen Honorii, ab altera vero monetæ typum cum epigraphe, EXAGIVM SOLIDI. Pondusculum hoc habet grana Parif. 83. ipfe tamen Dn. Bouteroue fatetur, aliquid ipfi per ætatem deceffiffe. Simile Exagium exhibet quoque Molinetus, Cabin. de la Biblioth. de S. Genevieve *pag.* 65. fed non addito ejus pondere. An vero hoc folidorum aureorum pondus aliquid per ętatem perdiderit, aut ab initio refectum fuerit de legitimo pondere pro lucro Principis & refarciendis fumtibus, aut demum libra ipfa decreverit, difficile eft afferere.

Ratum interim maneat, magnitudinem uncię Romanę veteris per denarios argenteos inventam & per meliorem partem aureorum nummorum comprobatam, nimirum 520 granor. Parif. effe verę proximam. Et licet congius Farnefianus eam tribus granis augere videatur, aliud tamen noftrę magnitudini propius apparebit, fi non aqua fontana fed fluvialis adhibeatur, ut nihil dicam de rationibus fupra allatis circa erofionem. Quin potius exiguus hic diffenfus experimenta circa præfatum congium, vetuftofque lapides ponderales facta, amplius confirmat: quemadmodum enim iftius volumini per internam erofionem aliquid accedere potuit, ita his facile fuit per externam læfionem aliquid deperdere. Noftra itaque determinatio 520 gran. Parif. inter grana 523 & 516, qualium uncia Romana ex iftis reperta fuit, media fere, adeoque fecurior incedit. Neque nos movent quæ alii de hac uncia ftatuunt. Villalpandus eam tredecim granis auget, Savotus & Bouteroue eandem fedecim granis minuunt. Propius accedit Dn. le Blanc, dum octo tantum granis eam minorem ponit; in hiftorico enim tractatu de monetis Gallicis *pag.* 3. 12 uncias Romana libra contentas unciis Parif. $10\frac{2}{3}$ æquales ftatuit, unde uncia Romana gran. Parif. 512. Singulos fcilicet fua deceperunt experimenta haud fatis expenfa.

Tentavit quoque denariorum pondus Eduard. Bernardus. Imperatorios, puta Neronianos, deprehendit habere grana argentaria Angliæ 53, quæ exæquant Parifina $64\frac{3}{5}$, fed Confulares 61. $61\frac{1}{2}$ 62. id eft grana Parif. $74\frac{1}{3}$ 75. $75\frac{1}{2}$. Unde deducitur uncia Rom. antiqua gran. Parif. 517. 520. 525. 528. In eam vero fententiam ipfe inclinat, unciam Rom. antiquam eandem fuiffe cum Rom. hodierna, nimirum gran. Parif. 534. quod tamen pondus nec argentei nec aurei nummi fuftinent. Singularis etiam eft in eo, quod Vefpafiano Imp. attribuit libram a Romana vetere diverfam; feductus enim potiffimum Pæti obfervatione circa congium Farnefianum facta, unciæ Vefpafianicæ adfcribit gran. Parif. 508. Sed majorem hic fidem meretur diligentia Clariffimi Auzour, cujus experientiam a Pæti longe diftantem fupra allegavimus. Aliud etiam perfuadet ipfa congii Farnefiani infcriptio ad menfuram Capitolinam provocans.

CAPUT III.

De Ponderibus veterum Græcorum.

INter pondera Græca, fama atque ufu maxime præcellunt Attica, quorum præcipuæ fpecies; Talentum, Mina, Drachma, Obolus. Determinabimus primo Drachmam; hac enim cognita, nec reliqua nos latebunt. Comparatur communiter Denario Romano veteri, quorum 7 in uncia & 84 in libra continentur. Plinius *lib.* 21. *cap. ult. Drachma*, inquit, *Attica (fere enim Attica obfervatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus*. Eodem Plinio tefte, *lib.* 35. *c.* 11. *Talentum Atticum* (6000 drachmarum) X. $\overline{\text{VI}}$ (id eft denarium fex millibus) *taxat M. Varro*. Feftus fimiliter Atticum talentum definit fex millibus denarium. Celfus ad Natalem, epiftola præfixa operi Marcelli Empyrici: *Græci medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt: quæ quia ad denarium conveniunt*, (84 *enim in libram incurrunt*) *pro nota Græcæ drachmæ notam denarii pofui*, & *ad ejus pondus drachmas redegi*. Scribonius Largus ad Calliftum: *Erit nota denarii unius pro Græca drachma: æque enim in libra denarii* 84 *apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt*. Præterea, fcriptores Romani tantum non omnes, pro drachma conftanter reddunt denarium; viciffim autores Græci pro denario fubftituunt drachmam. Ofcitavit itaque Livius, quando *lib.* 34. tot aliis hiftoriæ fuæ locis adverfus inquit: *Argenti fignati octoginta millia fuere Atticorum, Tetradrachma vocant, trium fere denariorum in fingulis eft pondus*. Quicquid vero fit de populari olim fententia circa denarii cum drachma convenientiam, lubens quidem fateor, in commerciis & permutationibus, alterum pro altero promifcue fuiffe fumtum, non minus ac hodie Scutati argentei Gallici, Patagones Hifpanici, Vallenfes Germanici atque Leo-

Leones Belgici, sub eodem invicem pretio offeruntur, licet gravitate aliisque minus conveniant: quod tamen pondus attinet, accurate & præcise non fuit idem, factumque hinc, ut in quibusdam casibus jam olim operæ pretium videretur, exactiorem ponderis Attici cum pondere Romano comparationem instituere. Hujus rei luculentum nobis exhibet exemplum Livius *lib.* 8. ubi agitur de conditionibus pacis a Popul. Rom. Antiocho impositis: *Argenti probi Attica talenta duodecim millia dato, intra duodecim annos, pensionibus æquis. Talentum ne minus pondo LXXX. Romanis ponderibus pendat*. Scilicet intererat Reipublicæ, ut ratio talenti ad pondera Romana exquireretur majori opera, quam vulgari æstimatione fiebat: alias enim facile detrimentum passura, sed & injustum fuisset, ab hoste pacato plus quam promissum erat, exigere. Computatione facta, palam fit, talento Attico, quod est sex millium drachmarum, quoad pondus competere denarios *6720*: vel minam Atticam, quæ est centum drachmarum, æqualem esse pondere 112 denariis, seu unciis *16*, quod etiam testatur, sub aliena tamen fide, Galenus *lib.* 1. *cap.* 15. de Comp. med. per gen. item *lib.* 5. *cap.* 3. Præterea autor libelli de mens. & pond. Galeno vulgariter adscripti, Cleopatra item de mundic. & Dioscorides, vel inter medias contradictiones, *16* uncias minæ Medicæ seu Atticæ attribuunt. Similiter hinc patet, in libra Romana vetere contineri drachmas Atticas 75, unde iterum manifesta fit eorum ratio, qui libræ totidem drachmas adscribunt: Fannius sequentia habet.

Hæc magno Latio libra est, gentique togatæ.
Attica nam minor est. Ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt explerier unam.

Priscianus etiam, lib. de fig. & nom. numer. *Libra*, inquit, *vel mina Attica, drachmæ septuaginta quinque. Libra vel Mina Graja, drachmæ nonaginta sex.* Uterque tamen auctor aliquid monstri alere mihi videtur. Haud dubie in veterum scriptis invenerant, libram, scil. Rom. drachmis Atticis 75. æqualem esse; cui ex propriis hypothesibus attribuerunt paulo ante drachmas *96*. Aliud itaque haud agere potuerunt, quam fingere libram a Romana diversam, Atticam nimirum. Quis vero unquam inaudivit de libra Atticis usitata, saltem ante Romanorum in Græcos imperium? Per libram igitur Atticam non alia hic intelligenda est quam Romana in drachmis Atticis aliove pondere Attico expressæ. Nugæ sunt quæ Priscianus docet de distinctione inter minam Atticam & Grajam: de priori enim, non de alia sermo est.

Quod si ergo denarius Consularis statuatur gran. Paris. $74\frac{1}{7}$, competent drachmæ Atticæ gran. $83\frac{1}{5}$. At vero non sine admiratione totidem præcise grana pro drachma invenio in statere seu nummo tetradrachmo Attico antiquissimo æque ac integerrimo, quem possideo, in quo ne minimum quidem intertrimenti vestigium deprehendere licet. Noctuas appellant, quod ab una parte alitis hujus figura exstat cum ramo olivæ & literis ΑΘΕ, ab altero vero caput galeatum Minervæ, quæ Γλαυκῶπις Homero dicitur, non ob cæsios tantum sed magnos tetrosque oculos, quod in nostro maxime observare jucundum est (Vid. Fig. I.) unde & alibi eadem Minerva αἰὲ ἐνορῶσα δριμὺ, id est, *semper intuens torve*, vocatur. Pendet hic nummus grana Paris. 333., cujus quarta pars $83\frac{1}{4}$. Permulta quidem alia Græciæ numismata appendi, quæ aliquot granis erant leviora, sed manifesta quoque defectus indicia aderant, detrita nimirum, perforata, derasa apparebant. Alexandri Magni nummi drachmales fere superabant 80. grana. Ejusdem tetradrachma erant gran. 322. 318, 314. Noctuæ seu Attica tetradrachma gran. 318. 315. 314. 309. Stateres aurei seu didrachma Alex. M. gr. 158. Ex his autem solum graviores seligendi sunt, non enim ex ævo auctos sed imminutos potius fuisse verosimile est. Mersennus de Mens. & Pond. p. *26*. aliquot producit numismata Romana & Græca a se adpensa, in quibus noctua Attica gran. $310\frac{1}{2}$. Alexander M. gr. 324. Savotus item pag. 230. noctuæ mentionem facit gran. 315. sed perperam eam pro pentadrachmo sumit, ut scil. drachma proveniat *63*. gran. qualem quidem eam, sed falso, statuit. Clarissimus Bernardus invenit drachmarum Atticarum perfectiores gran. Angl. *67*. quæ faciunt Paris. $81\frac{2}{3}$ aureos Daricos, aureos item Philippi, Alexandri M. aliorumque Macedonum, gr. Angl. 134. seu Paris. $163\frac{1}{3}$ stateres sive tetradrachma Attica maxima sed rariora gr. Angl. 268. Paris. $326\frac{2}{3}$. Provoco hic por-

ro ad omnes, qui vel tales nummos possident, vel saltem quibus ad nummophylacia instructiora liberior patet accessus, ut pondus eorum lance examinandi occasionem non omittant, Atticorum inprimis, ne quis diversitatem ponderum Græcorum, pro ratione locorum, causetur. Hac enim sola ratione certitudo rei constat. Tetradrachma hæc Attica de cetero satis sunt obvia, minimeque inter rariora numeranda: hoc unum tamen addam, tria fere eorum ratione ætatis (quam ex artificio, singularibusque typi circumstantiis quadantenus hariolari licet,) reperiri genera: antiquissima, quale nostrum est supra allegatum, a Solonis ætate certo haud longe recedens: his successerunt itidem simpliciora, in quibus tamen tum cultus reliquus tum facies Minervæ præter ordinaria nihil habet, (*Vid. Fig.* II. III.) nisi quod noctua formæ quadratæ, ut in priori, sit inclusa; sed & hæc Phidiæ aliorumque clarissimorum artificum tempora antecessisse, ex arte mecum judicabunt, qui præstantissimas vetustorum Græcorum adhuc dum superstites scalpturas curioso oculo contemplati sunt: tertiorum typus est paulo operosior & elegantior, noctua enim vasculo insistit, signataque circumstant ut plurimum nomina Prætorum. Postremorum nummorum ætatem conjicio ex quodam, quem possideo, (*Vid.Fig.*IV.) in quo nomen Themistoclis ante duo alia occurrit; & ne quis putet, diversum hic intelligi ab eo qui Persas prœlio navali ad Salaminam vicerat, trophæum quoque navale adjunctum est. Tandem & hoc notari meretur, tetradrachma argentea reliquorum Græcorum tantum non omnia, stateres etiam aureos didrachmos, ad pondus Atticum olim fuisse exacta, multos etiam ex simplicibus drachmis, at vero ex didrachmis argenteis perpauca.

Ceterum, probe quidem video, omnes in universum, qui scripserunt de ponderibus Romanis & Græcis, mihi stare adversos, dum Galenum, Fannium, Priscianum, aliosque secuti, octo drachmas Atticas unciæ Romanæ inesse putant; eos tamen non moror, præcipue cum simul videam, quam egregie in tortuosis & perplexis veterum ænigmatibus solvendis, Andabatarum modo depugnent; dum quæstionem hanc mere Grammaticam faciunt, nec aliquid statuendum censent, nisi ex aliquo scriptorum veterum probari possit: quod bene quidem se habet, modo id in tanto eorum dissensu liceret. Erit tamen operæ pretium, tricarum atque errorum fontem aperire. Denarium argenteum vetustiorem, quem Consularem nunc vocant, populari quadam ratione drachmæ Atticæ fuisse æquiparatum, supra ostensum est: sed sub finem principatus Claudii, aut saltem circa initia Neronis, octava priorum parte, qui tunc cudebantur, fuerunt minuti, ut jam in superioribus indicatum est, ita ut octoni fierent ex uncia, quam antea non nisi septem complebant. Medium tenebant, incerta tamen ratione, qui sub Tiberio & Cajo, quin & sub initia Claudii prodibant. Dubium hoc videtur nonnullis scriptoribus, quod nulla constitutio vel edictum Cæsarum hac de re exstat; vide Gronovium de Sestert. l. 3. c. 5. sed parata est responsio, Imperatores in more habuisse, non sibi sed aliis leges publicas præscribere: quin potius subdole & clam sibi hanc imminuendi nummi licentiam sumebant, (cujus rei memorabile exemplum exhibet Dn. Boizardus, de Monet. pag. 299.) ut pote quę non ab omnibus fuit animadversa, neque enim amplius pecunia adpendebatur, sed numerabatur. Sufficit nobis hac de re experientiam indubiam testari: ut nihil dicam de iis, quę supra de imminutione nummi aurei ęque ac argentei ex Plinio allegavimus, & quę huic omnino pertinent. Itaque cum denarii gravitatis diversę essent, & nihilo secius promiscua eorum cum drachma crederetur ęquipollentia, fieri sane aliter haud potuit, quam ut magnę inde orirentur turbę. Hinc frequentes Galeni aliorumque Medicorum querelę, quoties antecedentium formas remediorum referebant. Unicum Galeni locum allegare satis erit lib. 3. cap. 3. de med. compos. sec. gen. *Etenim Heras recte faciens omnium pharmacorum pondus in denarios redegit. Crito autem ampelitidem terram, bitumen, argenti spumam, non pro denariorum pondere scripsit, sed duas singulorum minas injiciendas censuit.* (Heras pro dimidiata compositione hujus medicamenti, nimirum emplastri Icesii, singulorum denarios centum posuit) *At ab his dissentiunt, qui de ponderibus & mensuris scripserunt, quantum videlicet minæ pondus existat: nonnulli enim sexdecim unciarum esse dicunt, quidam viginti, alii etiam distinctionem faciunt, Alexandrinam ponentes XX. uncias pondere, alias sexdecim, atque hoc quidem levius est. Verum ex his qui minam in denarios redigunt, alii centum, alii plurium denariorum esse confirmant: quin & unciam plerique septem denarios & semissem valere malunt, alii septem dumtaxat, reliqui octo. Hæc cum ita se babeant, quod denariorum minam a Cri-*

tone positam æstimare oporteat, invenire operosum est. Hos tamen nodos a Galeno nexos, solvere facillime poterit qui a nobis allata probe perpenderit. Maximopere autem miror, Galenum alios potius scriptores in comparandis ponderibus Roman. & Græc. consulere, quam suis & manibus oculisque credere maluisse. Sed enim vero commune hoc habet cum plerisque virorum doctorum, qui sola eruditione sibi placentes, satius ducunt cum antiquis scriptoribus latebrosas semitas sentesque pererrare, quam regiam planamque viam per experimenta patentem sequi: quasi hæc pertineant ad solos nummularios & monetales atque aurifices, qui decoloratos collybo manus habent. Confer. Gronov. de Sest. l. 2. c. 6. circa fin. item lib. 3. c. 3.

Ne vero quis existimet, minam sedecim unciis æqualem a Galeno allegatam, diversam esse ab Attica, repeti debet testimonium Plinii supra memoratum, Medicos fere Attica observatione fuisse usos: ipseque Gronovius *lib.* 3. *cap.* 3. hanc ponit regulam, quotiescunque alia talento vel minæ finitio apud scriptores antiquos deest, pro Attico esse accipiendum. Locus Livii cum experimentis nostris mire conveniens, a multis quidem varie vexatorum, sed interdum satis ridicule, certe frustra.

Maneat itaque & hic nobis ratum, drachmam Atticam fuisse æqualem granis Parif. $83\frac{1}{5}$, adeoque sensibiliter majorem non solum octava sed etiam septima parte unciæ Romanæ antiquæ. Neque vel Galeni, Fannii, Prisciani, Dioscoridis, Cleopatræ, aliorumque omnium recentiorum auctoritas, vel etiam usus ad hodiernum usque diem receptus, statuendi octo drachmas in uncia, nos moveat. Quin potius asserere ausim, per monumenta ex antiquitate residua non minus in potestate nostra esse comparationem hanc instituere, quam olim tempore scriptorum modo allegatorum, qui ex sola perversa ratiocinatione, nulla suffulti experientia, fœde & falsi fuerunt & fefellerunt.

Mina Attica, Μνᾶ, centum fuit drachmarum, unanimi scriptorum consensu. Plinius *lib.* 21. cap. ult. *Mna*, inquit, *quam nostri Minam vocant, pendet drachmas Atticas centum*. Fannius:

Accipe præterea patrio quam nomine Graii
Μνᾶν vocitant, nostrique Minam dixere priores.
Centum hæ sunt drachmæ.

Concinunt Pollux, Suidas, reliqui, loco non uno.

Tallentum Atticum, Τάλαντον, sexaginta fuit minarum, seu sex millium drachmarum, iisdem ut supra testibus. Fannius iterum:

Cecropium superest post hæc docuisse talentum:
Sexaginta minas, seu vis, sex millia drachmas.
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.

Priscianus *loc. cit.* ex eo, quod Livius talenti meminerit LXXX. librarum, Seneca vero statuat idem 24. Sestertia, duo finxit talenta, magnum alterum, 8000. & amplius denariorum, alterum parvum, 6000. denariorum. Sed talenti parvi nomen omnibus antiquis est ignotum nec usquam apparet, uti testatum facit J. Fr. Gronovius, vir eruditissimus, vastæque lectionis, de *Sest. lib.* 3. *cap.* 3. Magni quidem mentio fit apud Plautum in Curcul. & Mostell. Tertium etiam in Phorm. *Act.* 3. *sc.* 3. Virgilius præterea ejusdem meminit *lib.* 9. *Æneid.*

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

Puto tamen, si hinc duo talentorum genera fingere velimus, idem esse ac si ex eo, quod dicitur elephas magnus; concludere debeamus, duo esse elephantorum genera, pusillum alterum, alterum magnum. Negari interim non debet, pusilla admodum exstitisse talentorum quædam genera, Homericum videlicet, Siculum, &c. Sed hæc Prisciano nihil patrocinantur, nummi enim non pondera fuerunt.

Drachmæ Atticæ sexta pars dicebatur Obolus, Ὀβολός. Plinius *lib.* 21. *cap.* 43. *Eademque*, (Drachma Attica) inquit, *sex obolos pondere efficit*. Eadem habet Pollux *lib.* 8. *&* 9. Frustra esset, alia allegare testimonia, cum nullus auctorum veterum contradicat.

Χαλκοῦς, Æreolus, sexta pars erat Oboli. Suidas ex Diodoro: Ὀβολὸς παρ' Ἀθηναίοις ἕξ ἐστι χαλκῶν, *Obolus apud Athenienses sex est æreolorum*. Plinius *loc. cit.* obolo 10. chalcos tribuit. Juxta Cleopatram & Pollucem *lib.* 9. chalci octo obolo obveniunt. Sed secundum Dioscoridem non nisi tres. Adeo omnia sunt incerta, præprimis cum pondera & monetæ diversi metalli sed cognomines, interdum soleant inter se confundi.

Septem præterea Λεπτὰ Suidas chalco

PONDERA ATTICA ET ROMANA INTER SE COMPARATA.

Centumpondium Rom.	1.															
Talentum Atticum.	$1\frac{1}{4}$.	1.														
Mina Attica.	75.	60.	1.													
Libra Romana.	100.	80.	$1\frac{1}{3}$.	1.												
Uncia Romana.	1200.	960.	16.	12.	1.											
Tetradrachmum Att.	1875.	1500.	25.	$18\frac{3}{4}$.	$1\frac{9}{16}$.	1.										
Semuncia Rom.	2400.	1920.	32.	24.	2.	$1\frac{7}{25}$.	1.									
Stater aureus Attic.	3750.	3000.	50.	$37\frac{1}{2}$.	$3\frac{1}{8}$.	2.	$1\frac{9}{16}$.	1.								
Aureus Consul. Rom.	4000.	3200.	$53\frac{1}{3}$.	40.	$3\frac{1}{3}$	$2\frac{2}{15}$.	$1\frac{2}{3}$.	$1\frac{1}{15}$.	1.							
Aureus Imperat. Rom.	4500.	3600.	60.	45.	$3\frac{3}{4}$.	$2\frac{2}{5}$.	$1\frac{7}{8}$.	$1\frac{1}{5}$.	$1\frac{1}{8}$.	1.						
Sextula Rom. Exagium.	7200.	5760.	96.	72.	6.	$3\frac{21}{25}$.	3.	$1\frac{23}{25}$.	$1\frac{4}{5}$.	$1\frac{3}{5}$.	1.					
Drachma Attica.	7500.	6000.	100.	75.	$6\frac{1}{4}$.	4.	$3\frac{1}{8}$.	2.	$1\frac{7}{8}$.	$1\frac{2}{3}$.	$1\frac{1}{24}$.	1.				
Denarius Consul. Rom.	8400.	6720.	112.	84.	7.	$4\frac{12}{25}$.	$3\frac{1}{2}$.	$2\frac{6}{25}$.	$2\frac{1}{10}$.	$1\frac{13}{15}$.	$1\frac{1}{6}$.	$1\frac{3}{25}$.	1.			
Denarius Imper. Rom.	9600.	7680.	128.	96.	8.	$5\frac{3}{25}$.	4.	$2\frac{14}{25}$.	$2\frac{2}{5}$.	$2\frac{2}{15}$.	$1\frac{1}{3}$.	$1\frac{7}{25}$.	$1\frac{1}{7}$.	1.		
Scrupulum Rom.	28800.	23040.	384.	288.	24.	$15\frac{9}{25}$.	12.	$7\frac{17}{25}$.	$7\frac{1}{5}$.	$6\frac{2}{5}$.	4.	$3\frac{21}{25}$.	$3\frac{3}{7}$.	3.	1.	
Obolus Atticus.	45000.	36000.	600.	450.	$37\frac{1}{2}$.	24.	$18\frac{3}{4}$.	12.	$11\frac{1}{4}$	10.	$6\frac{1}{4}$.	6.	$5\frac{5}{14}$.	$4\frac{11}{16}$.	$1\frac{9}{16}$.	1.

co adſcribit. Sed ultra obolum ejuſque dimidium pleraque ſunt dubia, in eo itaque & nos acquieſcimus, concludimuſque cum Fannio:

Nam nihil his obolove minus, majuſve talento.

Ponderum Atticorum & Romanorum rationem mutuam ſequens exhibet abacus.

Locus hic eſſet de aliis quoque ponderibus tum Græcis tum peregrinis & Barbaricis agere, ſed præter id quod notitia eorum uſu fere careat, incerta plerumque eſſe ſolent, niſi auctores, qui eorum mentionem faciunt, ſimul addant rationem ad notiora. De Æginetarum ſaltem Drachma, Athenienſibus *παχέα*, *craſſa*, dicta, notandum eſt, decem obolos Atticos eam valuiſſe, ut refert Pollux l. 9. eadem vero ratio drachmarum obſervata fuit etiam inter minas & talenta. Talenti Euboici memoria aliquoties occurrit; idem fuit cum Attico, cum ambo in uno tertio conveniant, ſi vera ſunt quæ de Babylonico talento habent Herodotus l. 3. & Pollux l. 9. Hic enim 70. minas Euboicas, iſte 7000. drachmarum Atticarum eidem adſcribit. Utrique vero refragatur Feſtus, *Euboicum*, inquiens, *talentum nummo Græco ſeptem millium & quingentorum ciſtophorum eſt, noſtro quatuor millium denariorum.*

Ponderum & Menſurarum Georgicarum, nec non Hippoiatricarum ſeu Veterinariorum memoriam nobis conſervavit Cleopatra in fragmento de Mundic.

De Ponderibus quibus Medici Arabes uſi ſunt, multi egerunt. Præter paucula propria, ex. gr. *Rotulum*, Libram; *Sacros*, Unciam; reliqua a Græcis mutuati ſunt, mire corruptis nominibus: ſic *Manes*, ipſa eſt Mina; *Darchmi*, Drachma; *Garme*, Gramma ſeu Scrupulum; *Onolaſſat*, Obolus; *Kirat*, Ceratium, &c.

CAPUT IV.

De Ponderibus Hebræorum.

MAxima ponderis ſpecies apud priſcos Hebræos, *Kikar* erat, quod *Talentum* interpretari communiter ſolent. Tradit hoc idem Joſephus l. 3. ἀρχαιολ. c. 7. ἑβραῖοι μὲν καλοῦσιν κίγχαρες, εἰς δὲ τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενον γλῶσσαν σημαίνει τάλαντον: h. e. *Hebræi quidem vocant Kicchares, in Græcam vero linguam converſum talentum ſignificat.* Siclis 3000. conſtabat, quod calculo proclivi patet ex iis quæ narrantur Exod. XXXVIII. Iſraelitarum, qui viginti annos & ultra ætatis habebant, numerus traditur 603550. ſinguli vero offerebant ſemiſiclum, ſumma igitur ſiclorum integrorum erat 301775. Dicitur autem collecta fuiſſe talenta 100, cum reſiduis 1775. ſiclis. Cedunt itaque uni Talento ſicli 3000.

Minah, Maneh, ſeu Mina Hebraica ſiclos comprehendebat ſexaginta, Ezech. XLV. 12. Minah XV. & XX. & XXV. ſiclis conſtare dicitur. Joſephus l. 14. antiq. c. 12. ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῶν ἴσχει λίτρας β' καὶ ἥμισυ. *Mina apud nos valet libras duas ſemis*; quæ ſunt unciæ triginta. Siclo ergo competit ſemuncia Romana.

Siclum Tetradrachmo parem fuiſſe æſtimatum, docet nos Hiſtoria Evangelica, Matth. XVII. Solicitatus fuerat Petrus Apoſtolus de ſolvendo Didrachmate per Salvatorem noſtrum. Juſſit hic Petrum Staterem extrahere ex ore piſcis, ut pro ambobus ſolveret. Stater itaque æqualis erat Tetradrachmo, quod etiam aliunde patet. Singulis vero annis Judæus quiſque ſemiſiclum ſolvere tenebatur in Templum, qui proinde æquabatur Didrachmo, integer vero Siclus Tetradrachmo. De drachmis Atticis interpretatur Joſephus l. 3. ant. c. 9. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβραίων ὢν ἀττικὰς δραχμὰς τέσσαρας, h. e. *Siclus autem, nummus Hebræorum, Atticas capit drachmas quatuor.* Tetradrachmum igitur Atticum ejuſdem ponderis cum ſemuncia Romana (cum qua etiam Siclum confert) credidit Joſephus, vulgari præjudicio abreptus. His tamen veriora capite præcedenti docuimus. Unde alia quoque ratione Sicli pondus eruere nobis incumbit, per nummos ſcilicet vetuſtos. Siclos vero ex antiquitate ſuperſtites appendere, ex iiſque pondera Hebræorum deducere, multorum hactenus fuit inſtitutum. Arias Montanus ſuum exemplum, quod multis mactat elogiis Antiquit. Judaic. pag. 126. invenit æquiponderare ſemunciæ (Hiſpanicæ procul dubio, quæ reſpondet granis Pariſ. 270.) quanquam Villalpandus affirmet, ſibi compertum eſſet, aliquot granulis eum defeciſſe a juſto ſemunciæ Hiſpanicæ pondere. Ipſe Villalpandus multos appendit, comperitque ſingulos argenti ſiclos ex æquo ſemunciæ Romanæ hodiernæ reſpondere, ita ut ne minimum quidem hordei aut frumenti granulum huic vel illi lanci addi potuerit, quin in eam examen propenderet: eoſdem præterea a ſumma integritate commendat. Conf. Tom. III. l. 2. diſp. 4. c. 28. pag. 397. Æquivalet vero ſemuncia Romana hodierna granis Pariſ. 267. Merſennus etiam, de Pond. & Menſ. p. 21. argenti ſicli valde integri, ut verba ejus habent, pondus deprehendit

dit granor. Pariſ. 268. Tres itaque hæ ſiclorum ponderationes ſatis belle inter ſe conveniunt. Sed enormiter ab iiſdem recedit experimentum literatiſſimi Bernardi, cui, ut ipſe ait, ſolicite ponderanti, Tetradrachmum argenteum Hebræorum, charactere Samaritico notatum, Siclus verus Moyſis & Judæorum omnibus ſæculis, mole ſua 1, 2 ſemuncia Anglica argenti inventum eſt, h. e. grana monetaria 288, (quæ reſpondent Pariſienſibus 351) quantum ſane pollent Tetradrachma Thaſi & inſularum Græcanicarum. Contra hanc doctiſſimi Viri experientiam nihil quidem habeo quod dicam: nulla enim Siclum pondere examinandi occaſio mihi ſe obtulit, qui quidem non fuerit ſuſpectæ fidei, appendi tamen Tetradrachma Thaſi, cum Hercule ſuo Salvatore, aliaque Inſularum, quæ juxta Bernardum exæquare debent Siclum, comperique tantum abeſſe ut Tetradrachma Attica pondere multum ſuperent, quin vix ac ne vix quidem eadem attingant, licet haud vulgarem præ ſe ferant integritatem. Durum erat, fateor, Viro integerrimo non credere: ne tamen nihil non tentatum relinquerem, altiora egi conſilia. Sciebam in Theſauro numiſmatum antiquorum incomparabili, vereque Regio Chriſtianiſſimi noſtri Monarchæ, multos reconditos eſſe nummos Hebraicos ex utroque metallo; avebam igitur & hoſce in concilium vocare, ut veritas ponderum Hebraicorum certius eluceſceret. Hujus voti ut damnarer, effecit Vir Conſultiſſimus, Dn. D. Henrion, Jureconſultus Pariſienſis, Regius Linguæ Syriacæ Profeſſor, Academiæque Regiæ Inſcriptionum & Numiſmatum Sodalis, qui precibus meis adductus, id aſſecutus eſt ab Illuſtri Dn. Oudineto, cujus cuſtodiæ Theſaurus hic commiſſus eſt, ut ſingulorum pondera e plumbo, cum ipſorum etiam ſchematiſmo mihi tranſmitterentur. Pro quo inſigni beneficio Illuſtri Virorum Clariſſimorum pari, vel publico nomine gratiæ ſunt perſolvendæ. Ex his nummis tres ſunt argentei, ſex ærei, omnes literis Samaritanis inſcripti. Argenteorum duo, Sicli ſunt integri, pondere prorſus æquales, paulum ultra grana Pariſ. 267. pendentes, quoad typum (*Vide Fig.* IX.) conveniunt cum Siclo Montani, Merſenni, prioribuſque duobus Villalpandi. Tertius eſt gran. 54. quintæ itaque Sicli parti æquivalens, ſeu Obolis Hebraicis quatuor. Ærei ſunt diverſi ponderis. I. 306 gran. II. 268 gran. III. 216 gr. IV. 108 gr. V. 47 gr. VI. 81 gr. Variæ hic latent partes Sicli integri; ſic 108 grana faciunt 8 obolos Hebr. ſed 81 grana, 6 obolos ſeu Geras. Ex his omnibus evinci nemo non videt, Siclum Hebraicum ſtatuendum eſſe granor. Pariſienſ. 268. octo granis majorem ſemuncia Romana vetere, ſed 64 granis leviorem Tetradrachmo Attico. Illatus quoque eſt nuper admodum Cimeliarchio Regio nummus maximi moduli, literis Samaritanis inſcriptus, pondere unciæ unius Pariſienſ. cum groſſo fere, quod vero per vim externam deperditum eſt, dimidio groſſo circiter æquale eſſe poteſt, unde pondus ejus ad Siclos duos cum ſemiſſe, ſeu obolos Hebraicos quinquaginta aſcendit. Hujus nummi rariſſimi ectypon cum nactus ſim, iconem ejus (*Vid. Fig.* X.) in curioſorum gratiam hic adjungere placet. Veteres Rabbini pondus Sicli antiqui definiunt 320 granis hordeaceis mediocribus, quæ per experientiam tot fere grana Pariſina mihi exhibuerunt, quot ſupra Siclo adſcripſimus.

Sicli vigeſima pars fuit Gerah, uti docemus *Exod.* XXX. 13. *Lev.* XXVII. 25. *num.* III. 47. XVIII. 16. *Ezech.* XLV. 12. Reſpondet adeo proxime Obolo Attico.

Plerique ſcriptorum duplex commenti ſunt pondus apud Hebræos, Sacrum ſcilicet & Regium ſive profanum, ita ut prius duplum fuerit alterius. Sed hanc fabellam alte jam radicatam merito explodit Villalpandus, *Tom.* III. *lib.* 2. *Diſp.* 4. *cap.* 28. *pag.* 397. præcipue vero Wilh. Schickardus, Diſſert. de Num. Hebr. §. 13. *pag.* 15. Operæ pretium erit hujus verba ipſa allegare, cum Diſſertatio ejus non ubivis ſit obvia. Ea ſic habent. *Non differebat ſiclus ſacer a profano. Ingens hoc paradoxum e multis nos difficultatibus extricabit, in quas duplicis ſicli autores magno ſe agmine præcipitarunt. Statuunt illi profanum dimidio minorem, nec tamen ipſi norunt, ubi ille vel iſte ſit ſubintelligendus. Dum autem attente ſingula circumſpiciens, in illorum rationes inquiro, reperio, binas tantum & valde debiles. Unam, quod Scriptura nunc ſanctum*, Exod. XXX. 13. *nunc Regium*, 2. Sam. XIV. 26. *vocat: alteram, quod Græci vel pondere minuto*, δίδροχμα *vertunt, ut* 2. Sam. XIV. 26. *Centenos pro ducentis*, ἑκατὸν σίκλων ἐν τῷ σταθμῷ τῷ βασιλικῷ, (*ita quidem in editione Regia pro Hebræo:* מאתים שקלים באבן המלך *Reſpondeo ad prius: ideo dici alicubi ſanctum vel regium, quod ejus authenticum exemplar publice in ſanctuario, & æquiponderans lapis in aula Regis aſſervaretur, quæ eſſent veluti normæ reliquorum, per totam Regionem. Ad poſterius; eſſe aliquas e plurimis hallucinationibus Græcorum,*

rum, quæ non præjudicent veritati Hebrææ, & reperiri in mea editione Argentor. in oct. de Anno 1526. *etiam recte*, διακοσίους σίκλους ἐν τῷ βασιλικῷ. *Præterea, leves Græculos ſibi non conſtare, dum* Lev. XXVII. 25. *etiam ſanctuarii ſiclos didrachmos faciunt. Nobis vero potiores ſunt rationes, cur duplicem ſiclum invitæ Scripturæ non obtrudamus.* 1. *habet illa jam ante dimidium ſiclum, de quo deinceps; is æquaretur integro: & ſic duæ partes evaderent toto majores, contra* τὴν κοινὴν ἔννοιαν *Euclidis.* 2. *Eadem ratione etiam oboli, gerah, quadrantes, trientes, ipſumque talentum, quippe ex ſicli vel diviſione, vel multiplicatione orta, eſſent duplicia, confuſiſſima, nec quicquam amplius certum.* 3. *Textus hoc diſcrimen prorſus ignorat. Sæpe in negotio ſacro, ut* Ex. XXI. 32. Jud. IX. 4. *epitheton* קדש *vel contra in profano, ut* 2. Reg. XV. 20. *titulum* חול *omittit: quis tunc Oedipus nobis expediet, utrum ſignificet? inde adeo dubitant, & diſſentiunt autores ipſi: quæſo vide quomodo Schindlerus in Radd.* ככר & שקל *ſibi contradicat: niſi forte alterum in poſthumo opere, ab editionis procuratore, ſui parum memore inſertum eſt.* 4. *Accedit autoritas Scholiaſtis Talmudici, qui l. Bechor. cap.* 1. *pag.* 5. *a. in marg. expreſſe ait, ſiclos profanos & ſacros æquales fuiſſe &c.* Confer. quæ habet Hottingerus, de Num. Hebr. *pag.* m. 24. & 181. item Joh. Wulferus in Schekalim, *pag.* 3. & *ſeqq.* aliique qui iſthic allegantur. Imprimis vero legi merentur quæ habet Abr. Calovius Bibl. Illuſtr. *pag.* 176.

Dubitant etiam nonnulli, an Siclus auri, adeoque & Talentum auri, idem pondere fuerit cum Siclo & Talento argenti æriſve. Mihi tamen ut diverſa ſtatuam, nondum ſatis perſuadent quæ in hunc finem adducuntur. Aurum quidem quod attinet, talentum ejus puſillum adeo eſſe non potuit, cum claſſe Salomonis, ex Ophir advecta inter alia fuiſſe legantur talentorum auri 420. juxta 1. *Reg.* IX. ult. ſed 450, juxta 2. Paral. VIII. ult. quod parum ſane fuiſſet in opulentia Salomonis, ſi ejuſcemodi talentum longe ſuperaretur a talento alterius generis. De argenti talento, præter ſuperius allata, res clara eſt ex 2. *Reg.* V. 23. ubi refertur, ſingulis famulis ſingula argenti talenta in ſaccis ligata fuiſſe impoſita, ut per ſpatium aliquod transferrent. Si admodum exiguum hoc talentum fuerit, cur duo non unus ad hanc operam præſtandam vocabantur? Bajuli noſtrates haud adeo difficulter ſex tritici modios Argentor. deportant, qui talento Hebraico altero tanto ponderoſiores ſunt: quidni ergo vir unus robuſtus unico talento ferendo par eſſe poterit? ſi forte ex alia parte objiceretur, pro translatione hujus oneris unum virum non ſuffeciſſe.

Æſtimari hinc poterit, quantam auri argentique vim David Rex Iſraelitarum Salomoni filio ad ædificandum & exornandum Templum Hieroſolymitanum reliquerit, 1. *Paralip.* XXII. 14. ipſe de ſe teſtatur: *Ego in paupertate mea præparavi impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.* Ex meis rationibus aurum æquat pondere 1222 milliones Ducatorum ſeu Hungaricorum; argentum vero 1500. milliones Uncialium, ſeu Vallenſium Imperialium argenteorum. Pretium in univerſum ad 11832 milliones librar. Turonicarum aſcendit. Summa immenſa. Cui adhuc accenſenda quæ Salomon ipſe, Principeſque cum populo contulerunt. Sed nec multo minus requirebatur ad tot vaſa & inſtrumenta, totque parietes laminis aureis obducendos. Varie quidem ſe torquent Interpretes, ut ſummam hanc veluti incredibilem minuant, aliud atque aliud talenti genus a communi diſcrepans fingentes: quibus tamen egregie reſpondet Abr. Calovius in notis ad hunc locum, Bibl. Illuſtr. *pag.* 843.

SECTIO SECUNDA DE MENSURIS CAVIS.

CAPUT PRIMUM.

De Mensuris quibusdam, quæ nostro tempore sunt in usu.

MEnsuras cavas determinandi modus convenientissimus est, qui stereometrice, id est, per cubos mensuræ notæ peragitur. Incertum saltem, quod plerique stathmice, id est, per pondera præstare moliuntur. Id modo mirum videri debet, tam pauca circa mensuras hodiernas adhuc dum prostare, in quibus exquisita fuerit locata opera. Hanc potissimum ob causam, ex infinitis aliis, duorum duntaxat locorum mensuras cavas examinare licet, nimirum Parisinas & nostrates Argentoratenses, ut scilicet mensuræ veteres cum ipsis componantur.

De Parisinis habet quædam Mersennus *de Mens. & Pond.* 4. quæ tamen neutiquam comparari possunt cum iis, quæ a celeberrimo Picardo tradita, inserta sunt Tomo Operum diversorum, ab Academia Regia Scientiarum edito *Ann.* 1593. *pag.* 370. e quibus pauca excerpsisse juvabit.

Dolium Parisiense, *un Muyd*, æquale habetur 8. pedibus cubicis Paris. Dolium idem continet 288. Pintas; vel etiam 36. Sextarios, *Sextiers*.

Sextarius vero Pintas 8.

Pinta continet pollices cubicos 48.: sed modulus in domo publica Lutetiæ asservatus, tantum $47\frac{2}{7}$. *Confer. Comment. Ac. Sc. Reg. Ann.* 1701. *pag.* 168.

Sextarius, *Chopine*, est pollicum cub. Paris. 24.

Sextarius dimidius, *Demisextier*, poll. cub. 12.

Modius Parisiensis pro granis, *le Boisseau*, (Budæus Bossellum appellat) æquatur cubo cujus latus est 8. pollieum, $7\frac{13}{20}$. lineol. habetque eapropter pollices cubicos $644\frac{68}{100}$. Hactenus Picardus. Et quidem hæc modii magnitudo exactissime convenit cum experimento, quod institutum fuit hic Argentorati, coram Viris quibusdam Illustrissimis, quorum maxime intererat hæc talia novisse. Hinc enim constabat, duodecim modios Paris. æquari octo modiis Argentorat. ruralibus cum octava unius parte, adeoque unum modium Paris. æqualem esse duobus quartariis Argent. *Vierling*, cum $2\frac{5}{6}$ semioctantibus, *Mæslin*. Continet autem modius ruralis Argent. pollices cubicos Parisinos $952\frac{723}{1000}$, ut mox patebit.

E mensuris liquidorum, quæ apud nos Argentorati in usu sunt, præcipuo loco, reliquarumque norma est Amphora, quam *Obmam* vocant. Hæc distinguitur in 24. Mensuras aut Cantharos, majores seu antiquas, *Grosse oder alte Massen*, quæ proprie hoc nomine veniunt. Eadem enim amphora in tabernis, ubi vinum minutatim divenditur, itidem in 24. mensuras minores dividitur, demta prius, in commodum Reipublicæ, quinta ejus parte, *in* 24. *kleine oder Wirths-Massen*, quarum adeo singulæ continent trigesimam amphoræ partem. Vectigalis hoc genus appellant *das grosse Umbgeld*, de quo Daniel Specklin, Architectus famosus Argentoratensis, in Chronico suo MS. *Tom.* II. *pag.* 289. sequentia habet: *Anno* 1547. *auff Simon und Judæ gieng es an mit dem neuen Ungeld, do vvar das Ungeld græser, und die Moss kleiner gemacht, von vvegen dievveil man gross geld verbauen und verkriegt hatte: das solte* 10. *Jahr vvehren, die sind noch nicht herum.* Obiit vero Specklinus Anno Chr. 1589. Utriusque generis mensura dispescitur in 4. Schopinas, vulgo *Schoppen*, in cujus vocis etymologia festive jocatur Waserus, de Ant. Mens. Hebr. lib. 3. cap. 2. pag. 102. *quia, si vino repleta exhauriatur sæpius & præsertim* ἀμυστὶ καὶ ἀπνευστὶ, *ohne Schnaufen und Bartvvischen, homini corpus, mentem sensusque obstruit & pessundat, per metonymiam duplieem, continentis & efficientis.* Jac. Cappello de Mens. cub. pag. 73. *Pinta* ἀπὸ τοῦ πίνειν *dicta. Et hujus dimidia pars Chopina, Germanice Schopen a* χέω *&* πίνω, *indicat græcandi morem non in Germania modo, & in multis Galliæ partibus pridem inolevisse.*

Præterea 24. Amphoræ seu Ohmæ conficiunt Vehem vel Culeum, *Ein Fuder*.

Inter mensuras nostrates aridorum eminet Modius, *der Sester*, qui duplex est, Urbicus, *der Statt-Sester*, & Ruralis seu Georgicus, *der Land-Sester*. Hic urbicum 32da. ejus parte superat: *Ist umb ein halbes Stattmæslein græser*. Uterque nimirum dividitur in 4. Quartarios, *Vierling*; Quartarius autem in 4. Semioctantes, *Mæslin*. Aliter etiam modius distinguitur in tres Trientes, *Dreiling*, quorum tamen rarior est usus. Modii sex Saccum implent, *ein Fierthel*, Medimnum appellare posses. Notandum tamen est, pro Sacco avenæ modios septem requiri.

Harum mensurarum prototypi e solido metallo, asservantur cum aliis cimeliis in sacratiori urbis loco, Turri nimirum ad Ærarii usum magna olim mole exstructa, *auff dem Pfenningthurn*, ad quam semel tantum in anno, festo scil. Divi Johannis Baptistæ, patet accessus. Operæ vero pretium me facturum puto, si modum ipsum, quo contenta eorum solida investigare conatus sum, hic adjungam. Ad manus erant duo vasa e stanno confecta, figuræ parallelepipedæ, basin habentia quadratam; majoris altitudo pedem Argentoratensem exacte æquabat, latus vero baseos erat 686½ partium, quarum 1200. pes integer habet: vasculum minus ejusdem erat figuræ, cujus altitudo 520 partium, dupla erat latitudinis seu lateris baseos quadratæ, scilicet 260. partium earundem. Prototypus Amphoræ, *das Obmen-Mass*, coni figuram habet, cui apex ademtus, basis vero est paulum excavata, adeoque refert exacte figuram modii Romani in nummis vetustis (*Vid. Fig.* VI. VII.) toties exhibitam: in ejus ambitu hæc verba leguntur; *Anno Dni.* MCCCCXXXVI. *do. vvart. dis. erin. emige. vvin. mes. gemacht. und. haltet. dem. ungelt. noch.* XXVIII. *der. nuvven. mossen. do. je. die. mosse. vviget.* III. *lib. und.* XIIII. *lot. und. haltet.* XXIIII. *der. alten. mossen. do. je. die. mosse. vviget.* IIII. *lib. und. ein. quintin.*

Parum vero aberat, quin modulus hic Amphoralis sexies caperet vas nostrum majus aqua plenum, tantum enim supererat, ut vasculum minus ter præcise inde repleretur. Unde haud difficulter concludere licet magnitudinem cubi amphoram æquantis, modo sciatur, quam altitudinem in vase majore obtineat aqua ex vasculo minore pleno, isti infusa; quod assequemur si contentum solidum vasis minoris dividatur per basin majoris. Ut vero calculus a tricis variarum tum involutionum liberetur, haud male factum mihi videtur, rem totam per Logarithmos expedire, quorum ea imprimis spectanda est proprietas, qua per exponentem alicujus potestatis divisi, reddunt Logarithmum Radicis ejusdem potestatis, si quidem Logarithmus unitatis sit 0; alio enim in casu Logarithmus unitatis prius Logarithmo potestatis erit jungendus. Esto itaque

2.4149733. Logar. 260. lat. baseos vasculi min.
4.8299466. Log. quadrat. baseos ejusdem.
2.7160033. Log. 520. altitud. ejusd.
7.5459499. Log. contenti solidi vasculi min.
5.6732810. Log. quadrati baseos vasis maj.

1.8726689. Log. altitudinis aquæ in vase majore, pro uno vasculo minore.
0.4771212. Log. 3.
2.3497901. Log. 224. altit. aquæ in vase maj. pro tribus vasculis minoribus.

Patet hinc, contentum solidum unius amphoræ æquari parallelepipedo, cujus altitudo *6976*. partium, latitudo vero baseos quadratæ *686½* partium earundem. Sit porro

2.8366405. Log. *686½*. lat. baseos quadratæ
5.6732810. Log. quadrati, s. ipsius baseos
3.8436065. Log. *6976*. altit. parallelepipedi

9.5168875. Log. contenti solidi unius amphoræ
3)3.1722958. Log. 1487. Latus cubi Amphoræ æqualis

Continet itaque Amphora pollices cubicos Argentoratenses, quorum 1728. pedem cubicum conficiunt, $3287\frac{665}{1000}$.

Eodem in loco asservatur etiam prototypus æneus Modii Urbici, figuræ cylindricæ. Capiebat vero bis vas nostrum majus, una cum quinque vasculis minoribus. Unde eadem qua prius methodo incedendo, sit

1.8726689. Log. altit. aquæ in vase majore pro uno vasculo minore.
0.6989700. Log. 5.
2.5716389. Log. 373. altit. aquæ in vase maj. pro 5. vasc. min.

Erit ergo contentum ſolidum hujus modii æquale parallelepipedo, cujus latus baſeos quadratæ eſt $686\frac{1}{2}$ partium, altitudo autem 2773. partium earundem, cui æqualis cubus eſt inveniendus.

2.8366405. Log. $686\frac{1}{2}$. lat. baſ. quadratæ.
5.6732810. Log. quadrati, ſeu ipſius baſ.
3.4429499. Log. 2773. altit. parallelepipedi.
9.1162309. Log. contenti ſolidi unius Modii Urbici.
3)3.0387436. Log 1093. Latus cubi Modio Urbico æqualis.

Hinc Modio Urbico tribuendi pollices cubici Argentoratenſes $1306\frac{866}{1000}$.

Eadem prorſus magnitudo modii prodit per cylindrum æneum ibidem aſſervatum, in quo per inciſuras notata eſt modii altitudo partium 927. ejuſdemque baſeos circularis diameter partium earundem 1340. Similem cylindrum vidi & dimenſus ſum apud Menſorem Reipublicæ ordinarium, *beydem Statt-Sinner*. Calculus talis eſt:

2. 8260748. Log. 670. ſemidiametri modii.
0. 4971499. Log. rationis diametri ad peripheriam.
3. 3232247. Log. ſemiperipheriæ modii.
6. 1492995. Log. areæ baſeos ejuſdem.
2. 9670797. Log. 927. altitudo modii.
9. 1163792. Log. contenti ſolidi ejuſdem.
3)3. 0387931. Log. 1093. Latus cubi Modio æqualis.

Sed præſtat modus prior.

Jam quia Modius Urbicus a Rurali ſeu Georgico ſuperatur 32da ſui parte, erit

9. 1295948. Log. contenti ſolidi Modii Ruralis.
3)3.0431983. Log. $1104\frac{1}{2}$. Latus cubi æqualis Modio Rurali.

Habet igitur modius Ruralis pollices cubicos Argentor. $1347\frac{705}{1000}$.

Præter modulum Modii Urbici, reperitur etiam in eodem Ærario alius major, itidem æneus, ſuperans urbicum, $3\frac{66}{100}$ ſemioctantibus. Qui tamen, quod ſciam, non eſt in uſu.

Supereſt, ut menſuras enumeratas exhibeamus in pollicibus cubicis Pariſienſibus, quod quidem facile obtinebitur, cum pes Pariſinus ſit ad pedem Argentoratenſem ut 1035. ad 922. Adjectus eſt in hunc finem ad calcem hujus opuſculi laterculus, in quo comparationes utriuſque menſuræ ſiſtuntur.

Collatis invicem quæ de menſuris cavis Anglorum tractat Bernardus, pag. 69. 147. 149. 150. poſitaque ratione pedis Londinenſis ad Pariſienſem, ut 15. ad 16, ſequentia deduxi.

	Poll. cub. Lond.	Poll.cub.Pariſ.
Galo vinarius Angl.	227,144	184, 194
Pinta vinaria	28,393	23, 024
Buſellus Angl.	2180,400	1796, 576
Peccus	545,100	449, 144
Galo frumentar.	272,550	224, 572
Pinta frument.	34,069	28, 071

CAPUT II.

De Menſuris Cavis Romanorum.

Menſuræ Romanorum id præ reliquis omnibus ſingulare habent, quod ſervant elegantiſſimam convenientiam non tantum inter ſe, ſed etiam cum libra & pede Romanis, Villalpandus peculiari tractatu fuſe hæc proſecutus eſt, adjectis demonſtrationibus Geometricis. Tom. III. P. 2. lib. 3. cap. 1. Præcipua menſurarum ceterarumque fere norma fuit Amphora, alias Quadrantal dicta. Vas olim erat cubicum, cujus ſingula latera pedum Romanum æquabant. Aqua vel Vinum (quæ ἰσοστάσια a veteribus credebantur) ea contentum pendebat pondo Roman. octoginta. De ſubdiviſione ejus & pondere exſtat apud Feſtum vetus plebiſcitum, quod correctum ita exhibemus: *Ex ponderibus publicis quibus hac tempeſtate populus oetier ſolet. Quadrantal vini octoginta pondo ſiet. Congius vini decem pondus ſiet. Sex Sextarii Congius fient vini. Duodequinquaginta Sextarii Quadrantal ſient vini. Sextarius æquus libræ cum beſſe fiet. Sexdecimque Sextarii in Modio ſient.* Ex his igitur & inſcriptione Congii Farneſiani manifeſte patet, cum Quadrantal dicitur librarum 80, Congius libr. 10. Sextarius libræ unius cum beſſe, ſeu unciarum 20, id de ponderalibus tum libris tum unciis eſſe intelligendum, non de menſuralibus, in quo luto hæſerunt G. Agricola, eumque ſecutus Hoſtus.

His jungenda quæ habet Voluſius Mætianus, celebris Juriſconſultus Antoninorum tempore: *Quadrantal, quod nunc plerique Amphoram vocant, habet Urnas duas, Modios tres, Semodios ſex, Congios octo,*

octo, *Sextarios quadraginta octo*, *Heminas nonaginta ſex*, *Quartarios centum nonaginta duos*, *Cyathos quingentos ſeptuaginta ſex*. Conſuli etiam debent Feſtus, Fannius, alii.

Præter hæc, ſequentia etiam notari merentur:

I. Amphora Culei viceſima pars fuit, quod præter Fannii teſtimonium, colligitur ex Plin. l. 14. c. 4. ubi ſeptem culeos, 140. amphoras interpretatur.

II. Modius ad ſola arida, fruges & grana ſpectabat, reliquæ menſuræ & aridis & liquidis erant communes.

III. Sextarius non ſecus ac As in duodecim Cyathos, quaſi totidem uncias dividebatur, unde Sextantis, (2. cyath.) Quadrantis, (3. cyath.) Trientis, (4. cyath.) Quincuncis, (5. cyath.) &c. nomina, Poetis maxime, præprimis Martialis uſitata. Neque prætereundus eſt mos veterum a Budæo jam obſervatus, l. 5. de aſſe; cum hilariori convivio ſeſe ad potus ſolutiores invitarent, tot eos cyathos hauſtibus ſingulis ebibere ſolitos, quot erant literæ in nomine amicæ, amici, aut patroni. Martialis Epigr. I. 71.

Nævia ſex cyathis; ſeptem Juſtina bibatur;
Quinque Lycas; Lyde quattuor; Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno, &c.

Idem Epigr. IX. 93.

Addere quid ceſſas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de ſeniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calociſſe, deorum
Sex jubeo cyathos fundere? CAESAR erit.

IV. Præter Sextarium Urbicum ſeu Italicum, alius fuit Caſtrenſis, duos Urbicos capiens, uti intelligi poteſt ex D. Hieronymo in Ezech. ubi explicat qualis menſura apud Hebræos Hin fuerit.

V. Hemina alias quoque dicta fuit Libra, ſcil. Menſuralis, in ſuas uncias, more recepto, diſtincta. Unde Andromachus junior apud Galenum l. 4. de ſanit. tuend. οὐσῶν δὲ κοτυλῶν, ἃς δὴ καὶ λίτρας ὀνομάζουσι. h. e. *Cum vero ſint Cotylæ Italicæ* (Heminæ) *quas ſane etiam Libras nominant*. Ipſe etiam Galenus l. 6. c. 8. de med. comp. per gen. teſtatur, ſe, facto experimento, inveniſſe, 12. unciis menſuralibus, decem uncias ponderales æquari, totidem ſcil. quot Hemina Rom. pendebat.

VI. Quid Acetabulum ſit, diſcimus ex Plin. l. 21. c. ult. *Cum Acetabuli menſura dicitur, ſignificat Heminæ quartam partem.*

Ceterum, mira facilitate, nec minore certitudine contenta harum menſurarum eruuntur ex libra Romana vetere ſuperius a nobis definita, tum etiam e Congio Veſpaſianæo inter cimelia Farneſiana aſſervata. Congius olim exæquare debebat libras Rom. decem, quæ pares nunc ſunt granis Pariſinis 62400. In Congio Farneſiano Dn. Auzout invenit eorundem granorum 62760. Differentia haud adeo magna eſt, de cujus cauſa conjecturam ſupra retuli, ubi inter alia de cavitatibus & fiſſuris Congii, ex eroſione ob antiquitatem remotam ortis, egimus. Patet autem per experimentum a curioſiſſimo Picardo in Curia Monetaria Lutetiæ inſtitutum, vas, cujus capacitas $171\frac{1}{2}$ pollicum cubicorum Pariſ. continere aquæ puræ fontanæ *d'Arcueil* grana Pariſ. 63650. Conſtat igitur per magnitudinem libræ Rom. a nobis definitam, Congium habuiſſe pollices cubicos Pariſ. $168\frac{168}{1273}$. ſed juxta experimentum Dn. Auzout, $169\frac{649}{6365}$ eorundem pollicum cubic. Commode tamen, & ſine magni erroris periculo ſtatuere poſſumus poll. cub. $168\frac{1}{2}$ pro capacitate Congii antiqui. Optandum autem fuiſſet, ut præter pondus aquæ Congio Farneſiano contentæ, Dn. Auzout nobis etiam reliquiſſet ejuſdem menſuram ſtereometricam. Congio ſic determinato, nec reliquarum menſurarum magnitudines nos latebunt, quas ſuo loco exhibemus.

A Congio inſignes quidam vini gurgites cognomen ſortiti ſunt, ut alii bicongii, nonnulli tricongii dicerentur Plin. l. 14. c. 22. *Gloriam hac virtute* (bibendi) *Parthi quærunt, famam apud Græcos Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanenſis, ad Proconſulatum uſque e Prætura honoribus geſtis, tribus Congiis (unde & cognomen illi fuit) epotis uno impetu, ſpectante miraculi gratia Ti. Claudio principe, in ſenecta jam ſevero, &c. Torquato rara gloria (quando & hæc ars ſuis legibus conſtat) non labaſſe ſermone, non levatum vomitione, non altera corporis parte, dum biberet: matutinas obiſſe vigilias, plurimum hauſiſſe uno potu: plurimum præterea aliis minoribus addidiſſe: optima fide non reſpiraſſe in hauriendo, neque exſpuiſſe: nihilque ad elidendum in pavimentis ſonum ex vino reliquiſſe, diligenti ſcito le-*

legum contra bibendi fallacias. Tergilla Ciceroni M. F. binos Congios simul haurire ipsi objicit: Marcoque Agrippæ a temulento scyphum impactum, &c. Duo Congii pares sunt fere 7. Pintis Parif. aut tribus nostratium Mensuris cum semisse. Tres vero Congii æquantur proxime 10. Pintis Paris. cum semisse, seu 5. Mensuris Arg. cum una quarta.

Hyperbole est apud Plautum:

> *Anus hæc quantillum sitit? modica est.*
> *Quadrantal capit.*

De Maximino Imp. Capitolinus tradit, *Bibisse illum sæpe in die vini Capitolinam amphoram, comedisse & XL. libras carnis.* Amphora fere est Pintar. Parif. 28. Mensur. Arg. 14.

Ex adverso continentiæ exemplum proponit Suetonius de Augusto scribens: *Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit: aut si excessisset, rejiciebat.* Senos sextantes: ut bene explicat Budæus l. 5. pro sextario dixit, sed significare voluit, senis haustibus sextarium tantum bibere eum solitum.

CAPUT III.

De Mensuris Cavis Græcorum.

De Atticis erit nobis ante omnia sermo. Mensuræ hæ vel ad liquida pertinent, vel ad arida, vel denique utrisque sunt communes. Ad utrumque spectant Χῦς sive Χοῦς, Congius; Ξέςης, Sextarius; Κοτύλη, Cotyla, seu Cotula; Ὀξύβαφον, Acetabulum; Κύαθος, Cyathus. Ad liquida solum mensuranda, in usu fuerunt, Μετρητής, Metretes, sive Cadus. Pro aridis, Μέδιμνος, Medimnus; Ἑκτεὺς, Sextans; Χοῖνιξ, Chœnix.

Ex his considerabimus primo notiora, qualis est Κοτύλη, Cotyla. Huic antiquitus pro pondere aquæ vel vini adscriptæ fuerunt drachmæ sexaginta, teste Plinio de mensuris Atticis sive Medicis agente, *lib. 21. cap. ult. Cum Acetabuli mensura dicitur, significat Heminæ* (Cotylæ) *quartam partem, id est drachmas XV.* Idem confirmat Heras Medicus apud Galenum de comp. med. per gen. *lib. 5. cap. 6.* & Cleopatra, Κοσμετ. Sed sexaginta drachmæ conficiunt uncias $9\frac{3}{5}$ adeoque hac ratione non nisi $\frac{2}{5}$ unciæ, quæ respondent $2\frac{1}{2}$ drachmis, deficiunt, quominus Cotyla Attica æquetur Heminæ Romanæ. Easdem vero æquales fuisse, patet ex eo quod Fannius Metretem seu Cadum Atticum, qui est 144. Cotylarum Atticarum, æqualem statuit Amphoræ Rom. cum dimidio, seu tribus Urnis, quæ sunt 144. Heminæ Rom.

> *Attica præterea discenda est Amphora nobis*
> *Seu Cadus, hanc facies nostræ si adjeceris urnam.*

Idem Fannius Cotylam & Heminam pro mensura eadem habet:

> *At Cotylas, quas si placeat, dixisse licebit*
> *Heminas, recipit geminas sextarius unus.*

Plinius quoque passim Heminam pro Cotyla sumit. Huc facit, quod, quoties Scriptores Romani Sextarii, Græci vero Ξέςυς mentionem faciunt, id tantum non semper fiat sine adjectione vel Romani vel Attici, eam haud dubie ob causam, quod nullam aut saltem exiguam inter eosdem invenerint differentiam.

His tamen non consonant, quæ habet Galenus de med. comp. per gen. *lib. 5. cap. 6. Siquidem Heras centum octoginta denarios posuit, in pondus non mensuram oleum reducens, tanquam hemina denarios sexaginta pendente. Nam Attica novem Italicas uncias (mensurales) conficit. Pendent enim novem Italicæ unciæ quas in cornibus insectis metiuntur, septem uncias ponderales & semissem, quæ sexaginta denarii fiunt, singulis unciis octo denarios recipientibus.* Sed probe hic notandum est, Galenum fefellisse pravam de magnitudine drachmæ Atticæ opinionem, quasi æqualis fuisset octavæ parti unciæ Romanæ: non enim experimento, sed calculo tantum Heminam seu Cotylam Atticam hic determinare conatus est. Posito enim, drachmam esse octavam unciæ partem, utique sexaginta drachmæ conficerent septem uncias ponderales cum semisse, qualium Hemina Roman. seu Libra Mensuralis continebat decem: sed hæ decem unciæ ponderales respondent duodecim unciis mensuralibus; æquantur igitur septem unciæ ponderales cum semisse; seu Hemina Attica Galenica, novem unciis mensuralibus. Hæc tamen omnia corruunt, si drachmæ vera restituatur magnitudo. Certe Andromachus & Heras, quos Galenus toto hoc libro perstringit, quod Cotylæ seu Heminæ non adjecerint distinctionem Atticæ aut Romanæ, suas habuerunt hujus rei causas; cum qua-

qualiſcunque intelligeretur, perinde eſſet. Mirum etiam eſt, Agricolam, Hoſtum, Villalpandum, ex hoc Galeni loco haud ſatis intellecto, perverſam de Cotylæ Atticæ ad Heminam Romanam ratione deduxiſſe ſententiam, quos egregie redarguit, inprimis Villalpandum, Savotus *part.* 3. *cap.* 40. *pag. m.* 295. Ceterum ipſe Savotus Galeni erroneam de Cotylæ Atticæ magnitudine opinionem retinet, ſeductus itidem falſo ſuo de drachma Attica ſyſtemate, quaſi octava tantum unciæ Romanæ pars fuiſſet. Nobis hic ſufficit, cum Villalpando, *pag.* 444. Heminam Romanam ejuſdem cum Cotyla Attica capacitatis per ſupradicta ſtatuere; præprimis cum ſummam accurationem ſperare vix liceat, ſi vel maxime tantilla adfuiſſet differentia.

Ξέϛης Atticus duas continebat Cotylas, ſicut Sextarius Romanus duas habebat Heminas.

Χῦς, Congius, menſura fuit ſex ξέϛων, ſeu Sextariorum, vel duodecim Cotylarum. Cleopatra hæc habet: ὁ χῦς, ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας ἀττικὰς δώδεκα, ξέϛας δὲ ἕξ. h. e. *Congius habet menſura cotylas quidem Atticas duodecim, ſextarios vero ſex.*

Μετρητὴς, Κάδος, Κερόμιον: Metretes, Cadus, Ceramium: menſura Attica duodecim Congiorum. Nicandri Scholiaſtes: ὁ μετρητὴς ἔχει ξέϛας ἑβδομήκοντα δύο. h. e. *Metretes habet ſextarios ſeptuaginta duos.*

Αμφορεὺς Græcorum a Cleopatra & Scholiaſte Nicandri traditur 36. ſextariorum, adeoque metretæ dimidium: aliis tamen pro ipſo metreta ſumere placet.

Reliquæ Atticarum menſurarum, ſcil. Τέταρτον, Quartarius; Κύαθος, Cyathus; Ὀξύβαφον, Acetabulum; eandem ad ξέϛην ſeu ſextarium ſervabant rationem, quam apud Romanos habuiſſe ſupra diximus.

De minimis menſuris, Concha, Myſtro, Cheme, Cochleari, non eadem eſt apud ſcriptores veteres ſententia, plerique tamen recentiorum ſequuntur ea, quæ de iiſdem tradit Cleopatra in fragmento de Coſmeticis, quos & nos imitemur.

Inter menſuras Atticas aridorum, Μέδιμνος, Medimnus, ſex modios Romanos capiebat; quod luculente nos docet Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici, his verbis: *Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam univerſos* (Athenienſes) *frumento donavit, ita ut ſingulis ſex Modii tritici darentur, qui modus menſuræ* Medimnus *Athenis appellatur.* Atticus itaque Medimnus æqualis fuit Siculo, quem itidem ſex modios complexum fuiſſe, patet ex Cicerone in V^ta^ Verrina, ubi 36. medimna interpretatur modios 216. Idem 90000. medimnum, 540000. modiorum exponit. Utrobique vero numerus modiorum ſexies comprehendit numerum medimnorum. Suidas de medimno in genere tradit: Μέδιμνος ἦν μοδίων ϛ'. *Medimnus igitur modiorum ſex.* Similia habet Fannius de Amphora loquens:

> *Hujus dimidium fert urna, ut & ipſa*
> *medimni*
> *Amphora, terque capit modium.*

Χοῖνιξ, Chœnix, ἡμεροτροφὶς, item, ἡμερησία τροφὴ dicta, quod victum præſtet diurnum unius hominis. Hanc quadragies octies in medimno contineri, unanimis eſt autorum veterum conſenſus. Octo igitur Chœnices modio inſunt, ſicut duo ſextarii uni Chœnici, cujus rei teſtem habemus, præter Marcellum Empyricum & Paulum Æginetam, Galenum, aut quiſquis fuerit autor libelli operibus Galeni annexi de Menſ. & Pond. cujus verba merentur ut integra apponantur: *Modius Ægyptius & Italicus habet chœnicas* 8., *chœnix ſextarios* 2., *ſextarius duos ſemiſextarios, quas etiam heminas vocant. Hemina vero continet cyathos* 6. *Atticus autem Medimnus habet hemiecta* 12. *Hemiectum capit* 4. *chœnicas: ut ſic Medimnus habeat modios* 6., *chœnicas* 48., *ſextarios* 96. Præterea cum chœnice convenit demenſum Romanorum diurnum: in ſingulos enim menſes quatuor modii apud ipſos ſufficiebant, adeoque in ſingulos dies octava circiter modii pars. Sed crucem hic figunt ea, quæ Cleopatra, Pollux, Suidas, habent de chœnice, cui tres cotylas adſcribunt, quæ reſpondent, ſextario cum ſemiſſe. Hinc nonnulli diverſas chœnices magnitudine diſtinctas ſtatuunt. Jac. Capellus certe ſex earum ſpecies producit; Opilionum, Seſtertiariam, Atticam ſeu Villicorum, Italicam ſeu Vinitorum, Georgicam & Militarem. Alii diverſitatem cotylarum incuſant. Sunt etiam qui hinc argumentantur, medimnum nonniſi ſextarios 72., ſeu 4. modios cum ſemiſſe cepiſſe, præſertim cum ex Joſepho ſimile quid concludi poſſit, de quo mox dicemus. Ego quidem non admodum adverſabor, ſi ſtatuatur, duorum generum medimnos aliquando Athenis fuiſſe in uſu; majorem ſextariorum 96., & minorem, ſextariorum 72.: ſive jam iſte appelletur Georgicus, ſive recentior, a Solonis ſcilicet tempore, qui, Plutarcho aliiſque teſtantibus, pondera & menſuras Athenienſium auxit, hunc vero ſive dicas Urbicum, ſive vetuſtiſſimum, mihi perinde erit. Sic oportu-

tune difficultates, quæ apud autores occurrunt, tanquam nodum aliquem Gordium, ſecare licebit. Certum interim eſt e tot manifeſtis Veterum autoritatibus, ſaltem a Solonis ævo, Medimnum Atticum ſex Modiorum Romanorum fuiſſe æſtimatum: neque quicquam derogare poſſunt, quæ pauci quidam conturbant. Singularis quoque hic eſt Fannius, qui chœnici quatuor ſextarios tribuit:

At cotylas, quas ſi placeat, dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius unus.
Qui quater aſſumtus, Græjo fit nomine χοῖνιξ.

Sunt tamen qui legere malunt:

Quis quater aſſumptis, ut de heminis intelligatur, ſed tunc non cohæret verſus ſequens:

Adde duos, χοῦς fit: vulgo qui eſt Congius idem.

Præter enumeratas, multæ aliæ occurrunt menſuræ, Grecæ & Barbaricæ, quas diligenter collegit Hoſtus. Paucas tantum percurramus.

Αχάνη, *Achana*, Menſura Perſica, teſte Ariſtotele, capiebat medimnos Atticos 45., ut habet Suidas. Alia eſt Achana, menſura frumenti in Bœotia, quæ capit medimnum unum, apud Heſychium.

Αρτάβη, *Artaba*, triplex fuit a regionibus: Perſica, Medica, Ægyptiaca. Perſica, juxta Herodotum, cepit Medimnum Atticum, & amplius chœnices tres Atticas. Medica, teſte Suida, idem erat quod medimnus Atticus. Artabæ Ægyptiacæ anonymus Grecus, (vulgo Galenus) adſcribit 5. modios Ægyptiacos ſeu Italicos, id eſt, ſextarios 80., Fannius vero tres modios cum triente, ſeu Sextarios $53\frac{1}{3}$ verba ejus ſunt:

Eſt etiam terris, quas advena Nilus inundat,
Artaba, cui ſuperat modii pars tertia poſt tres.
Nam decem modiis explebitur artaba triplex.

Idem confirmat Hieronymus Comment. in *Eſai. cap.* 5. ubi per viginti modios interpretatur ſex artabas. Epiphanius eandem ſtatuit ſextariorum 72., adeoque Ephæ Hebraicæ æqualem.

Καπίθη, *Capitha*, apud Xenophontem *lib.* 1. Exp. Cyri, duas chœnices Atticas capiebat; ſed ſecundum Heſychium capax duarum cotylarum Atticarum erat.

Αδδιξ, *Addix*, Heſychio & Scholiaſtæ Homeri Odyſſ. τ. menſura eſt quatuor chœnicum.

Αλάβαστρον, *Alabaſtrum*, cujus fit mentio *Marc.* XIV. 3. *Luc.* VII. 37. Epiphanio eſt ſextarii dimidium.

Κόφινος, *Cophinus*, menſura Bœotica Polluci *lib.* 4. & Heſychio, capiens congios tres.

Λάγυνος, Λάγυνον, Λάγηνον, *Lagena*, apud Athenæum *lib.* 11. menſura eſt 12. cotylarum.

Μάρις, Μάρης, *Maris*, Polluci *lib.* 4. & 10. eſt cotylarum 6. capax. Ariſtoteles idem habet *lib.* 8. *cap.* 9. de Hiſt. Animal. Polyæno tamen *lib.* 4. longe amplior, decem ſcil. congiorum: apud Heſychium Μαριστὸν, Mariſtum ſex cotylas facit.

Arabes quoque menſuras Rom. & Græc. in ſuum uſum tranſtulerunt, perverſis ut plurimum nominibus, noviſque impoſitis. Sic *Dorach Italicum*, ipſis eſt Amphora Romana; *Chus Jobem* Congius; *Kiſt*, *Acſat*, Sextarius; *Korboni*, *Mena*, Hemina ſeu Cotyla; *Kiliathi*, Quartarius; *Lasfuf*, *Kiſſuf*, *Anecſune*, Acetabulum ſeu Ὀξύβαφον; *Cuathum*; Cyathus; *Falgerin*, Cochleare; *Muſtarum*, Myſtrum.

CAPUT IV.

De Menſuris Cavis Hebræorum.

IN definiendis menſuris priſcorum Hebræorum, ſaltem quarum fit mentio in ſacra Scriptura, vix quicquam auxilii ſupereſt, præter ea quæ paſſim tradit Fl. Joſephus, facta ipſarum comparatione cum Græcis aut Romanis. Eum ſecuti ſunt veteres Eccleſiæ Patres, Hieronymus, Theodoretus, alii. Hujus præſertim notanda ſunt verba, in *cap.* 29. *Exod.* πιστευτέον δὲ ἐν τούτοις τῷ Ιωσήπῳ, ἀκριβῶς τοῦ ἔθνους τὰ μέτρα ἐπισταμένῳ; ſcilicet, *habendam eſſe in his fidem Joſepho, menſurarum ſuæ gentis ſumme perito.*

Joſepho ſane, inter præcipuos Sacerdotum, frequentiſſime vaſa ſacra in Templo tractare & metiri non deerat occaſio, eaque poſtea cum Romanis, in urbe degenti, conferre.

Ceteri Rabbini, menſuras ſuas fere determinare conati ſunt per capacitatem teſtarum ovorum gallinaceorum. Quia tamen experientia conſtat, ova noſtratium regionum magnitudine Rabbinicis longe eſſe inferiora, ſi nimirum ex iis deductæ men-

menſuræ conferantur cum iſtis quas tradit Joſephus, vix operæ pretium videtur, hujuſmodi nugis diutius inhærere. Expertus tamen ſum, quadraginta quam proxime ex ovis noſtratibus mediocribus Menſuræ Argentoratenſi ſufficere.

Inter menſuras Hebraicas liquidorum maxima fuit Bath, Bathus & Badus; de quo Joſephus *lib.* 8. Αρχαιολ. *cap.* 2. ὁ δὲ βάδος δύναται χωρῆσαι ξέστας ἑβδομήκοντα καὶ δύο: h. e. *Bathus capere poteſt ſeptuaginta duos ſextarios*. Par itaque fuit metretæ Attico.

Bathi pars ſexta fuit Hin; Joſeph. *l.* 3. *antiq. cap.* 9. de Hine verba faciens, Μέτρον δὲ, inquit, ἐστὶ τοῦτο ἐπιχώριον, δύο χόας ἀττικοὺς δεχόμενον. *Menſura vero hæc eſt patria, duos congios Atticos capiens*, item *cap.* 10. ὁ δὲ εἶν μέτρον ἀρχαῖον ἑβραίων, δύναται δὲ δύο χόας ἀττικοὺς ποιῆσαι: *Hin autem menſura eſt vetus Hebræorum: poteſt vero duos congios Atticos facere*. Duo autem congii Attici conficiunt ſextarios 12. Propter magnam ſacrificantium frequentiam, præter alia magnus quoque vaſorum Hinem capientium numerus apud Templum aſſervabatur. Juxta Joſephum, *lib.* 8. *antiq. cap.* 2. *Menſuras Hines & Eſſarones Moſis menſuris pares* (paravit Salomo), *aureas quidem vicies mille*, *argenteas vero bis totidem*.

Log. Logus, menſurarum minima, ex Rabbinorum traditione, portio duodecima extitit Hinis, adeoque æqualis ſextario: tantumque capiebat quantum ſex ovorum teſtæ.

Ex aridorum menſuris, maxima, Corus alias Chomer dictus, (qui tamen & oleo menſurando aliquando adhibitus legitur), duo complexus eſt Letheca ſeu ſemicoros; teſte Hieronymo & Rabbinis.

Ephah conveniebat magnitudine cum Batho, quod expreſſe nos docet *Ezechiel* XLV. 11. *Epha & Bath menſuræ unius ſunto, ut capiat decimam Chomeris Bath, & decimam Chomeris Epha*. Quæ verba abunde nobis ſufficiunt, nec opus habemus Rabbinorum idem affirmantium teſtimonia allegare. Erit itaque Ephah ut Bathus, 72 ſextariorum, ſeu modiorum Rom. $4\frac{1}{2}$. At vero Joſephus, *lib.* 15. *cap.* 12. Coro tribuit medimnos Atticos decem, unde Ephah medimno par eſſet, qui tamen per indubia veterum teſtimonia ſex modiorum Rom. repertus eſt. Conferri debent quæ paulo ante de medimno Attico diſſeruimus.

Seah vel Satum, tertia pars fuit Ephæ, teſtibus Rabbinis, quibus concinit Joſephus *lib.* 9. *cap.* 2. Ἰσχύει δὲ τὸ σάτον, μόδιον καὶ ἥμισυ Ἰταλικόν: *Valet autem Satum modium unum & dimidium Italicum*

& ex eo Hieronymus in Matth. *cap.* 13. *Satum genus menſuræ juxta morem Paleſtinæ provinciæ, unum & dimidium capiens modium*. Continet vero modius Italicus ſeu Romanus cum ſemiſſe, ſextarios 24.

Homer ſeu Gomor decima pars fuit Ephæ, cujus rei teſtis eſt omni exceptione major, ipſe Moſes, *Exod.* XVI. 36. Unde & ſimpliciter Decima vocatur *Num.* XV. 4. *6. 9.* Joſephus *lib.* 3. *cap.* 7. item *lib.* 8. *cap.* 2. effert per Ἀσσαρὼν. Priori loco ita loquitur: Ἀσσαρὼν ὃ μέτρον ἑβραίων ἑπτὰ κοτύλας ἀττικὰς ἔχει: *Aſſaron, quæ menſura Hebræorum, ſeptem cotylas Atticas habet*. Sed Joſephum rectiſſime corrigit Epiphanius, ſubſtituendo pro ſeptem cotylis, totidem ξέστας ſeu ſextarios.

Kab ſeu Kabo Rabbini tribuunt 4. Logos, $\frac{1}{3}$ Hinis & $\frac{1}{6}$ Sati, ſeu 24. ova. Haud diſſonant quæ Joſephus habet *l.* 9. *cap.* 2. ubi quartam partem Kabi, 2. *Reg.* VI. 25. vertit per ſextarium.

Hæc de Menſuris Hebraicis ſufficiunt nobis ad ea deducenda, quæ ſuo loco in Tabulas redacta exhibemus.

Ex eo quod Metretes & Bathus æquales reperti ſunt, confidentius concludere licebit, quantum ceperint ſex Hydriæ, *Joh.* II. 6. capientes ſingulæ metretas binas aut ternas. Si enim binas, provenient pro ſex hydriis, 10. Ohmæ, 10. Menſ. Argent. ſeu Pintæ Pariſ. 505. Sin ternas, 15. Ohmæ, 16. Menſ. Argent. ſeu Pintæ Pariſ. 757. Medium eſt 13. Ohm. 1. Menſ. Arg. ſeu Pintæ Pariſ. 631.

Coronidis loco, indicanda ſunt etiam pondera diverſorum liquorum ad certam menſuram revocatorum. Sublevavit nos hac opera Academia Regia Scientiarum Pariſienſis, edita Tabella, in qua liquores varii, pollicis Pariſ. cubici quantitate, in pondere Pariſ. determinantur. Eam illibatam ſuo loco ſiſtimus. Superſtructa eſt experimentis factis cum Aræometro ingenioſe a celeberrimo Hombergio nuper adinvento. Conf. Commentar. Acad. Reg. Scient. Ann. *1699. pag.* 44. & J. B. du Hamel. Hiſtor. Reg. Sc. Ac. *pag.* 439. 540. Oportuna maxime nobis videtur hæc ratio, quod menſuræ antiquæ omnes in pollicibus cubicis Pariſ. a nobis exhibentur.

Frumentorum pondera majorem pariunt difficultatem, quia eædem etiam ſpecies quam maxime inter ſe differunt. Apud nos experientia docuit, meſſibus præter ordinem fecundis, Tritici medimnum Argentoratenſem, id eſt, ſex modios Georgicos, 200. fere libras Argent. pondere æquaſſe, qui annis ſterilioribus

vix 150. attigerunt. Subducto calculo, pro modio Romano proveniunt libræ Romanæ, modo 22. cum semisse, modo 18.; media igitur ratione 20. libr. fere. Quadrant huc verba Plinii H. N. *l.* 18. *cap.* 7. *Nunc ex his tritici generibus, quæ Romam invehuntur, levissimum est Gallicum, atque e Chersoneso advectum; quippe non excedunt in modium vicenas libras, si quis granum ipsum ponderet. Adjicit Sardum selibras, Alexandrinum & trientes: Hoc & Siculi pondus. Bœoticum totam libram addit: Africum & dodrantes.* Itaque vel hinc aliquo modo constat, veram magnitudinem modio Romano a nobis fuisse assignatam.

SECTIO TERTIA DE MENSURIS INTERVALLORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Intervallis in genere, in specie vero de hodiernis.

MEnsuræ intervallorum minores, ex quibus deinde nascuntur majores, desumtæ fuerunt, jam ab antiquissimis temporibus, a corpore humano, modulo nimirum cuilibet obvio, miramque in se complexo partium symmetriam. Sic Digiti quatuor transversim juncti, constituunt Palmum, tresque hominis ejusdem Pollices; duodecim eorundem Spithamam; sedecim Pedem; viginti quatuor Cubitum. Sex pedes, aut quatuor cubiti æquantur staturæ humanæ, vel quod idem, Orgyiæ, scil. brachiorum, præter pectus latum, extensioni maximæ. Synopsin horum exhibet sequens laterculus:

Orgyia	1.						
Cubitus	4.	1.					
Pes	6.	$1\frac{1}{2}$	1.				
Spithama	8.	2.	$1\frac{1}{3}$	1.			
Palmus	24.	6.	4.	3.	1.		
Pollex	72.	18.	12.	9.	3.	1.	
Digitus	96.	24.	16.	12.	4.	$1\frac{1}{3}$	1.

Quia vero homines statura quam maxime inter se differunt, nata hinc est mensurarum, quoad loca & tempora, maxima diversitas.

Propositum quidem nobis est de antiquis maxime mensuris hic agere. Commode tamen id fieri nequit, nisi quædam præmittantur de iis, quæ hodierno die in cultioribus Europæ regionibus sunt notæ. Paucis itaque primarias earum percurramus.

Pes Regius Parisiensis, *le Pied de Roy*, nemini per totam Galliam ignotus esse potest. Eum tamen determinandi modus ab omni comparatione independens, adinventus est ab Academia Scientiarum Regia, mediante longitudine simplicis penduli oscillatorii, singulis minutis secundis horariis unam simplicem vibrationem conficientis. Talis longitudo est ped. Paris. 3. poll. 0. lin. $8\frac{1}{2}$. Idem enim hic Pes distingui solet in 12. Pollices, Pollex in 12. Lineolas, Lineola in 10. Particulas; adeoque pes totum in 1440. partes. Incertam quidem reddunt hanc methodum, observationes institutæ in partibus Telluris versus Æquatorem sitis, ubi pendulum ejusmodi longius aliquanto deprehensum fuit, quam in locis ad Polos magis vergentibus; nondum tamen satis definita est hæc differentia, ob experimenti præsertim difficultatem. Illustr. Dn. de la Hire ejusmodi differentias fallaciis quibusdam a diverso aeris statu ortis adscribi posse statuit, non sine veri similitudine. Confer. Comment. Acad. Reg. Scient. Ann. 1703. pag. 291. & seqq. Sex horum pedum Hexapodam constituunt, vulgo Tosiam vocant, *une Toise*.

Pes Rhinlandicus per totum Belgium fœderatum, Germaniam item, & circumjacentes regiones notissimus est. Dividi solet in partes mille. Pertica Rhinlandica est pedum duodecim. Propria experientia didici, comparatis diversis modulis, pedem Parisiensem Regium continere harum partium millesimarum 1035., seu pedem Rhinlandicum complecti partes $1391\frac{3}{10}$, qualium pes Parisiensis habet 1440. Dn. Picardus eum statuerat primo particularum 1390., postmodum Leydæ eun-

eundem invenit partium 1392., ut ipse testatur in Hodœporico Uraniburgico.

Romæ Palmo nunc utuntur, quem Architectorum vocant. Habet is partes 1440^{mas} pedis Parisiensis 988 $\frac{1}{2}$, ex observatione Dn. Auzout; eundem tamen Vir Illustriss. Dn. Cassinus reperit, habere se ad Pedem Regium Parisiensem ut 11. ad 16., adeoque partium ped. Paris. 990. Palmus hic (Spithama potius seu Dodrans) dividitur in 12. Uncias, Uncia in 5. Minuta. Decem palmi æquantur Cannæ Rom. Architectonicæ. Quod si idem palmus sumatur pro dodrante pedis Romani, proveniet pes Rom. partium 318. aut accuratius 1320. pedis Paris. Alius Romæ palmus est Mercatorum, partium 1102 $\frac{1}{2}$ pedis paris. Horum palmorum 8. faciunt Cannam.

Pes Londinensis Anglicus, juxta Bernardum continet 1350. partes pedis Paris. quem Picardus antea statuerat 1351., qui & eum quem Gravius adhibuit, deduxit 1348$\frac{2}{3}$. Snellius Eratosth. Bat. pag. 521. rationem hujus pedis ad Rhinlandicum tradit, ut 968. ad 1000., unde pes Anglicus 1347. partium ped. Paris. prodit. Sed placet retinere rationem Bernardi, quæ insuper media via inter cæteras incedit. Continet adeo pes Londinensis partes 970$\frac{3}{10}$ pedis Rhinland. Sex ejusmodi pedes, *Fathomum* constituunt, quasi diceres funiculum orgyiæ æqualem.

Pes noster Argentoratensis urbicus, exquisita indagine a nobis deprehensus est continere 922. partes millesimas pedis Rhinlandici, vel 1282$\frac{3}{4}$ particulas pedis Paris. Prævivit hic nobis, uti in aliis, Venerandus Dn. Julius Reichelt, peculiari Dissertatione de Pede Argentoratensi Geometrico, ubi multa præclara de nostratium mensuris reliquis. Ipse pes dividitur in 12. pollices, quorum singulos iterum in 100. particulas distinguere placuit. Decem pedes componunt Decempedam seu Perticam, *eine Ruthe*. Pes Argentoratensis ruralis, *der Landschuhe*, est partium 941. pedis Rhinland. adeoque 1309. pedis Paris.

Pes Norimbergensis urbicus est partium 968. ex millesimis Rhinlandici, seu 1346$\frac{3}{4}$ ex 1440^{mis} Paris. uti me edocuit Nobilissimus Dn. Wurzelbaur. Pes adhuc alius est in usu Norimbergæ, lapicidis & ruricolis præsertim vicinis, quem operarium, *Den Werck-schuhe* appellant; hic uncia minor est urbico, at nihilominus in partes duodenas, uti prior, divisus.

Pes Dantiscanus, observante Hevelio, in Præfat. ad Selenogr. est partium Rhinland. 914. qua faciunt in pede Parisiensi 1271 $\frac{1}{2}$ minutias 1440^{mas}.

Pes Danicus seu Hafniensis, notante Picardo, habet 1403$\frac{2}{5}$ part. pedis Paris. quæ respondent partibus 1008$\frac{1}{2}$ pedis Rhinland. Eidem Picardo tradita etiam fuit longitudo Pedis Svecici, 1316$\frac{2}{3}$ part. ped. Paris. id est, 946$\frac{1}{2}$ part. ped. Rhinland.

Pes Bononiensis, qualis in Aula Collegiorum expositus exstat, observatore Clariss. Auzout, est 1686. part. pedis Paris. Brachium vero Bononiense, *Il Braccio*, unius est ped. Paris. cum 1386. ejus partibus. Sed juxta Dn. Cassini observationem (Memoir. de l'Acad, 1701. p. 17.) pes Bononiensis est ad Paris. ut 701. ad 600. habetque adeo particulas 1682$\frac{2}{5}$.

Brachium Florentinum Geographicum, quorum tria passum unum efficiunt, continet ex observatione Illustr. Dn. Cassini, (uti habeo ex ejusdem literis) pedem unum Parisiensem cum 8. pollicibus & 3. lineis, ita ut sit ad Parisiensem pedem Regium, ut 243. ad 144. Dn. Picardus idem determinavit particulis ped. Paris. 2580., seu pede uno, cum pollicibus 9. & 6. lineis.

Pes Venetus est partium 1540. ped. Paris. secundum Auzout, apud Bernardum; habet igitur partes millesimas 1107. pedis Rhinland.

Ulna Hispanica, *Vara de Castella*, juxta Ricciolum *Geogr. Ref. lib.* 2. *cap.* 2. §. 4. continet 4. palmos Hispanicos, quorum singuli ad pedis Romani typum a Villalpando impressum sunt, ut 1078. ad 1558. Sed hunc typum Villalpandi invenio partium ped. Paris. 1328. Erit igitur tota *Vara* partium ejusdem ped. 3676., seu pedum Paris. 2. cum part. 796., singuli vero palmi Hispanici partium 919.: aut in mensura pedis Rhinland. *Vara* erit ped. 2. cum part. 642., palmi autem singuli 660 $\frac{1}{2}$ part. Ubi tamen notari meretur, me typum semipedis Rom. a Ricciolo *loc. cit.* expressum paulo laxiorem reperire, pes enim prædictus proveniret part. ped. Paris. 1335., adeoque 7. particulis major Villalpandino. Invenio autem meo calculo, pro pede Roman. ant. ex observationibus Villalpandi provenire 1335 $\frac{1}{2}$ part. ped. Paris. supposita uncia Rom. hodierna gran. Paris. 533.

De Ulnis seu Cubitis hodiernis aliquid addendum est. Ulna Parisiensis, juxta Picardum duplex est, altera *des Merciers* con-

continet pedes 3., poll. 7., lin. $10\frac{4}{5}$, altera *des Drapiers* continet pedes 3. poll. 7., lin. $9\frac{3}{5}$. Prior respondet pedibus 3. Rhinland. cum part. millef. 786., altera 3. pedibus cum part. 778. Sed Ulna Parisiensis, qualis Argentorati in usu est, *der Pariser Stab*, habet pedes Paris. 3., poll. 7., lin. $11\frac{1}{5}$.

Ulna Argentoratensis, qualis e ferro Curiæ affixa & correcta exponitur, est ped. Argent. 1., pollic. $10\frac{82}{100}$; ped. Paris. 1., pollic. 7., lin. $10\frac{3}{5}$; ped. Rhinland. $1\frac{715}{1000}$. Sed apud Mensorem publicum, *dem Statt-Sinner*, est ped. Argent. 1., poll. $10\frac{37}{100}$; aut ped. Paris. 1., poll. 7., lineol. $11\frac{1}{5}$; sed ped. Rhinland. 1. cum partic. 719. Vulgari æstimatione Ulna Parisiensis continere creditur Ulnas Argentoratenses $2\frac{3}{16}$. Sciendum vero est, mensuras in universum, tam cavas quam porrectas, quæ vulgo prostant, non minus ac pondera, prototypis suis, ob metum intertrimenti, esse tantillo auctiores.

Inter mensuras superficierum, primo loco se offert Arpenum Gallicum, *un Arpent*. In hoc determinando non Hexapoda seu Tosia, ut in aliis, utuntur, sed Pertica, quæ est pedum Paris. 22. Centum vero Perticæ quadratæ seu pedes quadrati 48400., Arpenum constituunt: quæ aperte patent ex Edicto Regio mensis Augusti 1669. sur le fait des Eaux & Forests. De la Police & conservation des Forests, Eaux & Rivieres; Artic. XIV. *Nulle mesure n'aura lieu, & ne sera employée dans nos bois & Forests & en ceux tenus par indivis, grurie, grairie, segrairie, tiers & dangers, appanage, engagement, usufruit, & mesme des Ecclesiastiques, Communautez & Particuliers nos sujets, sans aucun excepter, que la mesure de douze lignes pour pouce, douze pouces pour pied, vingt deux pieds pour perche, & cent perches pour arpent, a peine de mille livres d'amende, non obstant & sans avoir egard à tous usages & possessions contraires, ausquelles avons derogé, derogeons, & voulons qu'au Greffe il soit mis un estalon de la mesure cy dessus prescrite.*

Jugerum Argentoratense, *ein Acker Feldes*, continet 24000. pedes quadratos Argentoratenses.

Inter mensuras solidas, occurrit Strues lignorum, Gallice *une Corde*, Germ. *ein Klafter*, & apud nostrates, *ein Fuder Holtz*.

Quanta sit Strues seu Chorda lignorum in Gallia, idem Edictum Regium nos docet, cujus modo facta est mentio; artic. XV. *Dans toutes nos Forests & bois, & ceux des Ecclesiastiques, Particuliers, & autres denommez en l'article cydessus, il ne sera fait aucune livraison de bois a bruler, soit en cas de vente, ou delivrance de chaufages, a autre mesure qu'à la corde, qui aura huit pieds de long, quatre de haut, les buches de trois pieds & demy de longueur, compris la taille; le bois des cotrets de deux pieds de longueur & le cotret de dix-sept a dix-huit pouces de grosseur, abrogeant les rotées, mesures, moules, sommes, charges, voyes, & toutes autres mesures contraires.*

Pertica Lignaria Argentoratensis, qua strues lignorum, *das Fuder Holtz*, quoad longitudinem & altitudinem determinatur, continet sex pedes Argentoratenses cum vigesima quarta unius parte, ipsaque admensio paulo largiori manu dispensari solet, ita ut frustum ligni cædui tum superne tum in latere fere abundet. Longitudo ligni cædui debet esse 3. ped. Arg. duorumque pollicum. Ipsa strues in 12. uncias, quas *Ring* appellant, distinguitur.

CAPUT II.

De Mensuris Intervallorum apud Romanos veteres.

CONsiderabimus primo Pedem, ex quo deinde reliqua facillime deducuntur. Modus eum restituendi optimus videtur, qui fit per pondera & mensuras cavas, quas in superioribus satis accurate, ni me omnia fallant, dedimus. Pedem deinde sic inventum cum residuis etiam ex antiquitate vestigiis comparabimus.

Libra Romana vetus reperta fuit 6240. granorum Paris. Congius autem aqua plenus 62400. eorund. gran. Sed constat per experientiam celeberrimi Picardi, aquæ fontanæ 63750. granis Paris. respondere $171\frac{1}{2}$ pollices cubicos Paris. Posita ergo aquarum similitudine, provenient pro Congio pollices cubicis Paris. $168\frac{168}{1273}$. His multiplicatis per cubum numeri 120., prodibunt cubi particularum qualium pes Paris. continet 1440. Hæ particulæ cubicæ iterum ducendæ sunt in numerum octonarium, ut ex Congio fiat Amphora.

ra. Denique extrahenda est Radix cubica, quæ monstrabit, quot particulas pedis Parif. contineat Pes Rom. vetus, cujus scilicet cubus Amphoram æquabat. Si modo ordinario rem peragere velimus, in magnam prolixitatem incideremus, quæ forte etiam calculi fallaciis esset obnoxia; substituemus itaque numeros artificiales loco naturalium.

2.2342641. Logar. $171\frac{1}{2}$.
4.7951846. Log. 62400.
7.0294487.
4.8037984. Log. 63650.
2.2256503. Log. $168\frac{168}{1273}$.
2.0791812. Log. 120.
3.
6.2375436. Log. cubi 120.
2.2256503. Log. $168\frac{168}{1273}$.
8.4631939. Log. $168\frac{168}{1273}$. multipl. per cub. 120.
0.9030900. Log. 8.
9.3662839. Log. Amphoræ Rom. in part. cub. ped. Parif.
3) 3.1220946$\frac{1}{3}$. Log. 1324$\frac{1}{2}$. Rad. cub. Amph. Rom. in part. ped. Parif.

Sunt igitur in pede Rom. vetere particulæ 1324$\frac{1}{2}$ qualium in pede Parif. sunt 1440. Totidem particulæ respondent 952. partibus millesimis pedis Rhinlandici.

Sed videamus etiam, quid ex analogia veterum ædificiorum concludi possit. Ex iis adhuc hodie Romæ eminet Pantheon a M. Agrippa Augusti genero primo fundatum. Portæ hujus Templi latitudo est pedum Parif. 18. cum pollic. 4 $\frac{3}{4}$, observante Clariff. Auzout. Certum ergo est, latitudinem hanc parum abesse a 20. ped. Rom. seu 4. passibus. Estque verosimillimum, ad certum eumque rotundiorem pedum numerum eandem fuisse exactam: posita ergo ea 20. pedum, provenient pro singulis pedibus Romanis 1324$\frac{1}{2}$ partic. pedis Parif. præcise, uti quidem eundem prius inveneramus. Clariff. Sponius Athenis adhuc vidit turrem marmoream ventorum octogonam, Andronici Cyrrhestæ opus, cujus meminit Vitruvius *lib. 1. cap. 6.* lateraque ejus singula deprehendit 11$\frac{1}{2}$ pedum Parif. Quod si igitur latus statuamus cubitorum Græcorum octo, seu pedum Græc. duodecim, provenient pro pede Græco particulæ pedis Parif. 1380. Est vero pes Græcus ad Romanum, ut 25. ad 24. Pedi ergo Romano cedunt earundem particularum 1324$\frac{3}{4}$, quod nonnisi quarta unius parte nostram mensuram excedit. Et hæc quidem minime sunt contemnenda.

Præterea Romæ supersunt duo lapides sepulchrales, quibus insculpta pedis Romani vestigia, alter T. Statilii Mensoris, in horto Vaticano quem *Belvedere* vocant, in quo pes divisus est in palmos & pollices, sed rudiori opera; alter est Cossutii, qui asservatur in hortis Matthæorum: prior continet 1311. part. pedis Parif. posterior 1315. part. ejusdem. Quia tamen ambobus aliquid decessisse videtur in margine, judicio Dn. Auzout, æquales sumi poterunt *16.* unciis palmi moderni, qui observatus fuerat ab eodem 988$\frac{1}{2}$ part. pedis Parif. erunt ergo dicti pedes 1318. partium earundem; nonnisi *6*$\frac{1}{2}$ particulis nostra mensura minores. Sed facile fieri potuit, ut a longævitate aliquid amplius de longitudine sua perdiderint, propter obliquitatem incisuræ; si enim lapides ejusmodi vel vi vel ætate in superficie sua parum fuerint derasi, id omne in sculpturam redundat. Multo minus me movet Lucæ Pæti auctoritas, qui typum pedis Romani marmori incisum, ante annos circiter 130. in Capitolio collocavit a nostro multum recedentem: continet enim *1306.* vel 1307. partic. ped. Parif. Deduxerat eum tum ex mensuratione sua Congii Farnesiani, tum ex modulis ferreis & æneis inter ruinas veteres repertis, qui tamen multis modis decurtari potuerunt. Villalpandus eundem pedem Rom. exhibet per experientiam suam in eodem Congio factam, nostro longiorem. Et quidem in schemate Congii apud Villalpandum ipsum invenio partic. ped. Parif. 1328. sed apud Ricciol. *G. R. lib. 2. cap. 2.* principiis Villalpandinis convenientius, partium earundem 1335. Hujus tamen discrepantiæ a nostro causæ in propatulo sunt ex iis, quæ superius de Congio Romano retulimus.

Nulla igitur superest causa, qua moti vel minimo apice a nostra determinatione recedere debeamus, præprimis cum tot argumentis egregie inter se conspirantibus eadem sit stabilita.

Hisce conscribillandis cum finem jam posuissem, commode mihi offertur Historia & Commentarii Academ. Scient. Reg. Anni 1702. In his pag. 15, sed in ista pag. 80. invenitur ab illustri Viro, Dn. Cassino observata inter Narbonam & Nemausum, celebres veterum Romanorum colonias, (quarum etiam splendore

rem ex antiquitate relucentem contemplatum esse, mihi, dum recordor, jucundum est) distantia 67500 Hexapodarum Paris. seu pedum Paris. 405000. Strabo huic intervallo, via satis directa permeabili, tribuit milliaria Romana 88, quæ æquantur pedibus Romanis antiquis 440000. Est itaque pes Rom. vetus ad pedem Paris. ut 81. ad 88, adeoque iste partium $1325\frac{1}{2}$ pedis Paris. Porro inter Bononiam & Mutinam repertum fuit intervallum a Ricciolo & Grimaldo, assistente Dn. Cassino, *19666.* passuum Bononiensium, qui respondent 19147 Hexapodis Paris. seu pedibus Paris. 114882. Sed eidem intervallo adscribit Itinerarium Antonini, Tabulæque Peutingerianæ milliaria Rom. 25, seu pedes Rom. 125000. Hinc deducitur pes Roman. $1323\frac{1}{2}$ part. ped. Paris. Inter has duas pedis Rom. magnitudines licebit optimo jure sumere medium, partes nempe pedis Paris. $1324\frac{1}{2}$. Iterum itaque præcise talis exoritur pes Rom. antiquus, qualem eum supra inveneramus. Quis nunc quæso de hujus rei veritate dubitabit? Sane talis consensus nec sperandus erat.

Dividebatur Pes in quatuor Palmos, palmus in quatuor Digitos. Idem pes ad instar Assis in duodecim Uncias, unciaque in suas partes consuetas distribui solebat: unde Sescuncia, Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semissis vel Semipes, &c. Dupondium etiam pro duobus pedibus dicitur apud Columellam l. 3. c. 15. Sicilici mentio fit apud Plinium l. 13. c. 15.

Mensuræ ex multiplicatione pedis ortæ, sunt Palmipes ex pede & palmo constans: Cubitus vel Cubitum, idem quod sesquipes; Vitruvius l. 3. c. 1. *E cubito cum demti sunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum.* Idem ibidem, *Cubitum*, ait, *animadverterunt ex sex palmis constare, digitis viginti quatuor.* Cubitum & Ulnam quidam veterum scriptorum confundunt, ut Solinus & Pollux. Plinio tamen l. *16.* c. 32. & 40, Ulna idem est quod Orgya Græcorum.

Passus quinque pedes porrectos habet, juxta Columell. l. 5. c. 1. Vitruvius l. 10. c. 14. quinque millia pedum, mille passus interpretatur. Mitto alios.

Milliare, Milliarium, Mille passus, idem apud Romanus erat. Cippis & lapidibus cum numerorum inscriptione olim signabantur, institutore C. Graccho, uti testatur Plutarchus in ejus vita: unde etiam lapides pro milliaribus dicebantur. Viginti milliaria Diætam seu iter diei nonnullis faciunt, aliis 25; Herodoto stadia 200.

Stadium ad Mensuras Græcorum proprie pertinet, eo tamen Romani haud raro utebantur. Secundum Plinium l. 2. c. 23. & Columell. l. c. efficit centum & viginti quinque passus Rom. hoc est, pedes sexcentos viginti quinque. Octo igitur Stadia unum Milliare complebant.

Et hæc de Mensuris Romanorum porrectis. Superest ut aliquid quoque dicamus de superficiebus seu mensuris ad rem Rusticam pertinentibus.

Actus dicitur Plinio l. 18. c. 3. *in quo boves agerentur cum aratro impetu justo. Hic erat CXX. pedum: duplicatusque in longitudinem Jugerum faciebat.* Actus duplex erat: simplex & quadratus. Simplex secundum Varronem, latitudinis pedum quatuor, longitudinis pedes habebat 120, adeoque pedes quadratos 480, quod repetit etiam Columella l. c. *Actus quadratus*, teste iterum Columella, *undique finitur pedibus CXX. & hec duplicatum facit Jugerum, & ab eo quod erat junctum, Jugeri nomen accepit. Sed hunc Actum Provinciæ Bæticæ rustici agnam vocant.*

Jugerum ergo est spatium patens in longitudinem 240. pedes, in latitudinem vero pedes 120, conficitque propterea pedes quadratos 28800. Fabius Quintilianus Inst. orat. l. 1. c. 18. idem docet; *Jugeri*, inquiens, *mensuram ducentos & quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudine patere, non fere quisquam est, qui ignoret.*

Clima Columellæ est quoque versus pedum 60, pedum itaque quadratorum 3600.

Versus quoquo versus est pedum 100, adeoque pedum quadratorum 10000.

Jugeri duplum, Varroni, l. 1. c. 10. dicitur Hæredium, estque propterea quadratum habens undique pedes 240, quadratos vero 57600.

Centum Hæredia, Centuria vocabantur, quadratum scilicet patens in singula latera 2400. pedes, erea ejus 5760000. ped. quadrat. Hæ porro quatuor Centuriæ junctæ, ut sint in utramque partem binæ, appellabantur in agris divisis viritim publice, Saltus: singula ergo ejus latera 4800. ped. ærea vero 2304000. ped. quadr.

Jugerum præterea distingui solebat ad modum Assis in duodecim Uncias; Uncia in duas Semuncias, quatuor Sicilicos, sex Sextulas, 288. Scripula, ut ex modo allegatis autoribus patet.

Quid Gallis olim circa has mensuras usi-

usitatum fuerit, docet Columella l. 5. *Galli*, inquiens, *Candetum appellant in areis urbanis spatium centum pedum, in agrestibus autem CL. quod aratores Candetum nominant, semijugerum quoque & Arepennem vocant.* Ubi tamen Jac. Capellus legere mavult, *quod aratores Candetum nominant, Jugerum quoque & Semi-Arepennem vocant.*

CAPUT III.

De Mensuris Diastematum apud Græcos.

HÆ mensuræ non minus a corpore humano desumtæ fuerunt apud Græcos ac apud Romanos, qui haud dubie ab istis eas mutuati sunt.

Δάκτυλος μικρὸς, Digitus; Δάκτυλος μέγας, Pollex, ἡ Παλαιστὴ, seu ὁ Παλαιστὴς, alias Δοχμὴ, item Δῶρον, Palmus, quatuor digitorum, vel trium pollicum; Σπιθαμὴ, Spithama, Dodrans, 3. palmorum vel 12. digitorum, est intervallum a maximo digitorum ad minimum; aliæ ejus species sunt Διχὰς & Ὀρθόδωρον; Διχὰς, 10. digitorum, est extensio pollicis indicisque; Ὀρθόδωρον, 11. digitorum, est mensura a carpo ad digitorum summitates.

Πȣ̃ς, Pes Herodoto τετραπάλαιστος: apud Suidam ὁ πȣ̃ς ἔχει δακτύλȣς ιϛ'. *Pes habet digitos 16.* Quantus fuerit, e Stadio noscitur. Fuit hoc pedum sexcentorum apud Græcos, sed juxta mensuram Romanorum, pedum suorum sexcentorum viginti quinque, quod testatur Columella & Plinius locis supra citatis. Est ergo pes Græcus Olympicus seu Herculeus ad Romanum in ratione 25. ad 24. Sed pes Rom. antiq. habet $1324\frac{1}{2}$ partes pedis Parisf. ergo Græcus $1379\frac{3}{4}$ seu rotunde 1380. partium earundem, quæ æquivalent partibus millesf. pedis Rhinland. 992. proxime. Et in hoc fundatur universa mensurarum Græcarum ratio. Mariana de Mensf. & Pond. pag. 34. tres typos exhibet pedis Romani, quorum primum Porphyreticum vocat, e columna scilic. porphyretica, cui insculptus erat desumtum. Æquat hic part. ped. Parisf. 1384, ideoque haud dubie Græcus fuit. Cura adhibita fuit singularis, ne moduli hi ab exsiccatione chartæ post factam impressionem contraherentur.

Πῆχυς, Cubitus, quantum a flexu brachii pergit ad finem medii digiti, æstimatur digitis 24, aut sesquipede. Sunt præterea duæ aliæ Cubitorum decurtatorum species: Πυγμὴ, quantum a cubito usque ad extremum metacarpium, digitorum 18. Απυγμὴ nomen est Pygmeorum: Πυγὼν, mensura a cubito ad nodos medios digitorum, 20. est digitorum-comparandus itaque Palmipedi Romanorum.

Βῆμα διπλȣ̃ν, Gressus duplex, Passus Geometricus; Βῆμα ἁπλȣ̃ν, Gressus simplex: Ille est pedum 5, hic pedum $2\frac{1}{2}$.

Ὀργυιά, Orgia, ambarum manum extensio, Herodoto l. 2. est mensura τετράπηχυς, h. e. quatuor cubitorum: ab eodem ἑξάποδης dicitur, a sex pedum magnitudine. Aliis vocatur Ὠλένη, Ulna.

Πλέθρον, Plethrum, apud Suidam habet pedes centum: apud Herodotum est sexta pars stadii: Latus Jugeri quadrati. Apud Plutarchum in Camillo sumitur pro ipso Jugero.

Στάδιον, Στάδιος, Stadium Herodotus l. 2. αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαι ἐισι ϛάδιον ἑξάπλεθρον: h. e. *Centum Orgyiæ justæ sunt Stadium sex Plethrorum.* Constat etiam ex reliquis scriptoribus consensu unanimi, Stadium longitudine sexcentos pedes sui generis habuisse. Strabo testatur l. 17. Pyramides Ægypti stadium altas esse. Clariss. Dn. Chazelles latus baseos quadratæ Pyramidis maximæ funiculo deprehendit Parisf. *690*, sed solo inæquali, versus medium lateris paulo elatiori, uti refert J. B. du Hamel, Hist. Reg. Sc. Acad. l. 4. c. 2. pag. 428. edit. ult. Commode itaque sumi poterit dimensio R. P. Elzear Capucini apud Thevenotum Itinerar. P. 1. pag. 412. qui idem latus invenerat ped. Parisf. 682. & quia gradibus 208. ab imo solo ad summum fastigium scanditur, quorum singuli duos circiter pedes cum semisse alti sunt, totam altitudinem 520. pedum statuit. Dn. Chazelles eandem ad pedes 600. exigit. Sed idem observavit, exteriorem superficiem Pyramidis componi e quatuor triangulis æquilateris; erit igitur altitudo perpendicularis æqualis semissi diagonalis baseos, ideoque non nisi pedum Parisf. 482. Circa verticem eadem Pyramis est parum truncata, ea ratione ut latus quadrati inde orti habeat $16\frac{2}{3}$ pedes. Decedunt idcirco altitudini 12. pedes, ut adeo 470. pedes Parisf. in altum assurgat Pyramidum maxima. Stadium Græcum secundum nostram supputationem continet ped. Parisf. 575. abundant igitur 105. ped. Parisf. in Strabonis mensura. Turris Templi Cathedralis Argentoratensis, ex observatione non una, exsurgit in altitudinem ped. Argentor. 500, satis præcise, qui æquantur ped. Parisf. 445. Pyramidum

dum igitur maxima ſuperat altitudine Turrim præfatam 25. fere ped. Pariſ. Monconyſius in Itinerario, æſtimatione oculari, & ex numero graduum, Turrim commemoratam & Pyramides, quas antea luſtraverat, pares altitudine judicavit. Illuſtr. Caſſinus earundem menſuras juxta Herodotum, Diodorum Siculum, Plinium, alioſque, ſedulo expendit, *Memoir de l' Acad. R. des Sciences. Ann.* 1702. *pag.* 19.

Stadium antiquitus dicebatur etiam Αὐλὸς; unde Δίαυλος, Stadium duplex, ſeu curſus reciprocus.

Ἱππικὸν, ἱππικὸς δρόμος, Plutarcho, in Solone, ſpatium eſt quatuor Stadiorum, cui conſentit Heſychius.

Μίλιον Ἰταλικὸν, Milliare Romanum, ad Græcas menſuras non pertinet, eo tamen ſæpius utuntur ſcriptores Græci, inprimis ubi de rebus agunt Romanis. Octonum Stadiorum fuiſſe, ſupra jam vidimus, quod comprobat Suidas: τὰ δέκα μίλια ἔχυσι ςάδια π'. h. e. *Decem Milliaria habent Stadia octuaginta*. Hero, ab aliis allegatus, hæc habet: ςάδιον κατὰ μῆκος ἔχει πόδας χ. δίαυλος αβ. μίλιον ςάδια η. δόλιχος ςάδια ιβ. h. e. *Stadium in longitudine habet pedes 600, Diaulus 1200; Milliare Stadia 8, Dolichus Stadia* 12.

Ex his definitis formata eſt Tabula Menſurarum Græcarum.

Si Plethrum ſumatur pro Jugero Græco, quaqua verſus centum pedes Græcos patente, oriuntur pro eo pedes quadrati 10000, qui æquales ſunt ped. Rom. antiq. quadr. 10851, Pariſ. quadr. 9180. Argentorat. quadr. 11568, Necdum ergo attingit dimidium Jugeri Argentoratenſis.

Præter menſuras Olympicas, celebres quoque fuerunt Ægyptiæ ſeu Alexandrinæ. Teſtatur Hero in Iſagoge, pedum Alexandrinum ſeu Philethæreum fuiſſe ad Romanum, ut 6. ad 5, adeoque part. ped. Pariſ. $1589\frac{2}{5}$, unde Cubitus Alexandrin. 2384. part. earundem; Stadium vero Alexandrinum 110. Hexapod. Pariſ. cum ſemiſſe. Ægyptio Cubito Samius par fuit, ſicut pes pedi, quod conſtat ex Herodoto in Euterpe.

Inter menſuras Intervallorum externas, eſt quoque *Paraſanga* Perſarum triginta Stadia conficiens, tradente Herodoto *l.* 2. *&* 6. Idem patet ex Xenophonte, Exped. Cyr. *lib.* 5. *&* 7. ſub finem. Strabo tamen *l.* 11. Paraſangam ſtadiorum 40, imo 60, ſtatuit.

Σχοῖνος, *Schœnus*, apud Ægyptios fuit Stadiorum 60, teſte Herodoto *l.* 2. Plinius tamen & Strabo, Schœnos etiam faciunt 30. & 40. Stadiorum.

Erat etiam Ægyptiis inter Menſuras Ruſticas, Ἄρυρα, *Arura*, centum cubitorum Ægyptiorum quoquoverſus, teſtante iterum Herodoto, *l.* 2. unde Aruræ latus quadratum, 120. cubit. Rom. Area vero ped. Rom. quadr. 32400; ped. Pariſ. quad. 27411; ped. Argent. quadr. 34542.

CAPUT IV.

De Menſuris Intervallorum apud Hebræos olim uſitatis.

HEbræi quoque menſuras ſuas e corpore humano ſunt mutuati: non tamen pedem, ſed modo magis urbano, palmum, ſpithamam, cubitum adhibuerunt. Proportio harum menſurarum ſatis manifeſta eſt ex ſuperioribus. At ſi de vera earum magnitudine quæratur, meræ ſeſe offundunt tenebræ.

Apud Ezechielem XLIII. 13. magnitudo altaris definitur in *Cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum*. Cubitus veriſſimus idem haud dubie hic eſt, qui 2. Paralip. III. nominatur primæ menſuræ, ſeu primarius. Per ſimplicem cubitum ſine additione palmi, Villalpandus & Ricciolus G. R. *l.* 2. *c.* 5. intelligunt Babylonicum, cui Iſraelitæ in captivitate aſſueverant, qui ab Herodoto definitur per cubitum mediocrem & tres inſuper digitos ſeu octavam cubiti partem. Quod ſi Herodotus hic intelligat cubitum Græcum, efficientur pro cubito Babylonico particulæ pedis Pariſ. $2328\frac{1}{2}$, pro cubito autem Hebraico $2716\frac{1}{2}$: omniaque eſſent plana. Rationi tamen magis conſonum eſt, cubitum ſimplicem Ezechielis, quin & mediocrem Herodoti, ita nominari ad inſtar illius, qui Deuteron. III. 11. dicitur ad menſuram virilis manus, id eſt, habita ratione ſtaturæ virilis, qualis nunc erat. Quod ſi itaque hic cubitus Moſaicis legalis fuerit, & ejuſdem magnitudinis cum veriſſimo Ezechielis, ſequitur, hujus tempeſtate ſtaturam humanam ſexta ſui parte ab ea, qualis Moſis tempore fuit, defeciſſe. Sed hac ratione notitia cubiti Hebraici minus promota apparet. Proponam tamen meas hac de re conjecturas. Iſraelitis ante exitum ſuum ex Ægypto, nulla fuit reſpublica, nullæ leges politicæ, in dura ſcilicet captivitate conſtitutis. Veroſimillimum igitur eſt, eos ut in aliis, ita & in menſuris ſuis inſtitutos fuiſſe Ægyptios,

præ-

præprimis cum ipſe Moyſes in omni ſapientia Ægyptiorum, quibus Geometriæ potiſſima cura, fuerit eruditus, teſte, præter Stephanum Actor. VII. 22. Joſepho, aliiſque. Conſtat vero ex Heronis Iſagoge, pedem Ægyptium Regium ſeu Philetæreum fuiſſe ad Romanum in ratione 6. ad 5. adeoque partium pedis Pariſ. $1589\frac{2}{5}$, ipſumque cubitum in ratione ſeſquialtera, earundem partium 2384. Sunt qui confugiunt ad modulum cubiti Ægyptii hodie extantem Cayri, longum part. ped. Pariſ. 2462, ut ex Bernardo patet: dubitare tamen omnino quis poterit, an talis cubitus cum cubito vetuſtiſſimo plane conveniat, an vero potius a Caliphis Arabum invectus demum fuerit. Hæc ideo nondum ſatis perſuadent. Tentabimus igitur, an ex luteribus, ſeu lavacris, quæ Salomon Regum ſapientiſſimus in Templo poſuit, aliquid lucis appareat. Procul dubio hemiſphæricæ erant figuræ, ſaltem parum ab eo receſſiſſe, credere par eſt. Singula continebant Bathos 40, amplitudine diametrali 4. cubitorum, juxta 1. Reg. VII. 38. Bathus per nos inventus fuit ſupra, pollicum cubicorum Pariſ. 2022. Ponamus primo, lavacra ad labrum uſque plena, cepiſſe Bathos 40, provenient per leges Geometricas pro ſingulis cubitis partes pedis Pariſ. 2028. Veroſimile autem omnino eſt, nunquam dicta lavacra fuiſſe uſque ad ſummum repleta. Deſcribitur uſus eorum 2. Paralip. IV. 6. ut, quæ ad ſacrificia pertinebant, iis immerſa lavarentur. Ne itaque Sacerdotes aqua cruenta & fœda conſpurcarentur, dimidii ſaltem cubiti altitudo requirebatur ab aquis vacua. Hac igitur aqua 40. Bathis æſtimata, ſubducto calculo ope Geometriæ interioris, reperietur cubitus part. pedis Pariſ. 2362, qui tamen partibus 2384. æqualis evadet, ſi altitudo aquæ dimidio digito adhuc minuatur, aut ſi accuratius loqui velimus, poſito cubito Hebraico part. ped. Pariſ. 2384, altitudo aquæ maxima proveniet 2. ped. Pariſ. 5. poll. $3\frac{4}{5}$ lin. erit igitur diſtantia aquæ a labro ſupremo 10. poll. Pariſ. 5. lin. cum ſemidiameter ſit 3. ped. Pariſ. 3. poll. $8\frac{4}{5}$ lin. Mare quoque æneum fuſile ejuſdem Regis, documento nobis eſſet, ſi de figura ejus conſtaret; hemiſphęricam ſaltem eam non fuiſſe, multę rationes nos docent. Incerta etiam eſt ejus capacitas. 1. Reg. VII. 26. 2000. Bathorum ei tribuuntur, quod tradit etiam textus Græcus Joſephi Antiq. Jud. lib. 8. c. 2. At 3000. Bathorum id cepiſſe, docemur 2. Paralip. IV. 5. quod ſequitur Latinus Joſephi interpres, perperam tamen congios pro bathis ponendo. Latera præterea cubica Cori & Bathi ſcrutatus ſum, iſtius 3269, hujus 1517. partium pedis Pariſ. Nihil tamen ex his concludere licet. Rabbini, Arabes, aliique Orientales, Digito attribuunt grana hordei lata 6, Palmo 24, adeoque Cubito 144. Eſto, Maimonidem ponere eum 168. granorum, palmo ſcil. ſeu 24. granis auctum, minus ut videtur recte, cum palmus iſte ut cubito jam comprehenſus conſiderari debeat. Expertus ſum ejuſmodi grana 87. pedi Pariſino cedere, cubitus ergo erit $2383\frac{1}{2}$ part. pedis Pariſ. cum prioribus mire conveniens. Quidni itaque in tanta caligine nobis liceat ſtatuere Cubitum Hebraicum 2384. part. ped. Pariſ. ſeu partium milleſim. pedis Rhinland. $1713\frac{1}{2}$; donec dies meliora doceat. Sane eruditiſſimus, dum viveret, Bernardus pios viatores ablegavit ad ſepulchra S. S. Regum & Prophetarum, quæ contra tot ſæcula, tot hoſtes Hebraici nominis, in hunc uſque diem oſtendit Palæſtina, ut ad menſuram ipſorum magnitudo Cubiti probetur. Et hæc de Cubito Hebræorum, quem *Ammah* ipſi vocant. Locus hic eſſet oportunus, aliqua commemorandi de fabrica & magnitudine arcæ, qua Noachus cum familia, & ſingulis animantium ſpeciebus, Divina providentia, diluvium evaſit. Sed prævertit nos Clariſſ. Jo. Pelleterius, peculiari diſſertatione hac de re nuper edita, cujus ſciagraphiam vid. in Act. Eruditorum Lipſiæ publicatis Anno 1702. menſ. Decembr. ſub finem.

Menſuræ cubito minores fuerunt Palmus, *Topbach*, quatuor digitorum, ſeu ſexta pars cubiti. Spithama, Dodrans, *Zereth*, dimidium erat cubiti, quod patet, ſi conferantur Exod. XXV. 10. cum iis quæ habet Joſephus *l.* 3. *c.* 7. ἀρχαιολ, Goliath 1. Sam. XVII. 4. dicitur fuiſſe 6. Cubitorum cum Spithama; fuit igitur ejus altitudo ultra 10. ped. Pariſ. cum dodrante: hujus vocis *Zereth* mentio quoque fit Exod. XXVIII. 16. Eſai. XL. 12. Ezech. XLIII. 13. Præter hæc Judic. III. 16. reperitur vox Gomed, quod Interpr. reddunt σπιθαμὴν, alii cubitum.

Kaneh, Hebr. Calamus, Arundo, Canna, erat 6. cubitorum, Ezech. XL. 3. confer Apocalypſ. XXI. 15. Dimenſiones etiam inſtituebant per *Chebel*, funiculum.

Kerab, vel *Barab*, vel ut aliis placet *Kibrab*, interpretes vertere ſolent per

Milliare, vel indefinite aliud exiguum terræ ſpatium, quo ſenſu exponendum videtur 2. Reg. 5. 20. Geneſ. XXXV. 16. XLVIII. 7. Conf. Waſer. *l.c. c.* 11.

Itineris Sabbathi mentio fit Actor. i. ubi de monte Oliveti agitur: ὅ ἐςιν ἐγγὺς ἱερουσαλὴμ, σαββάτου ἔχον ὁδὸν h. e. *qui prope Hieruſalem, Sabbathi iter diſtans*. Unanimi Rabbinorum conſenſu intelligitur ſpatium 2000. cubitorum, quod tantum ſpatii, nec plus, licebat Judæis eo die per traditionem conficere. Conſentit Origenes in V. ςρωμάτων, (ubi perperam Hoſtus allegat 3000. cubit.) quæ Theophylactus ſuo etiam calculo comprobat, ut habet Waſerus de Menſ. Hebr. *l.* 1. *c.* 12. qui tamen 2000. greſſus ſeu paſſus ſimplices hic intelligit. Syrus Interpres vertit per 7. Stadia. Joſephus autem ἀρχαιολ. *l.* 20. *c.* 6. de hac diſtantia montis Oliveti ita ſcribit: ὁ καὶ (ὄρος ἐλαιῶν) τῆς πόλεως ς ἄντικρυς κείμενον ἀπέχει ςάδια πέντε. h. e. *qui etiam (mons Oliveti) e regione urbis ſitus abeſt Stadia quinque*. Noſtro calculo 2000. Cubiti Hebr. æquantur Stadiis Olympicis $5\frac{3}{4}$; ſed Alexandrinis ſeu Samiis 5. præciſe. Quod ſi Joſephus talia Stadia intellexerit, ut omnino eſt veroſimile, non leve deſumitur hinc argumentum, pro confirmanda magnitudine Hebraici cubiti ſuperius a nobis ſtabilita, ponendo eum æqualem cubito Ægyptiaco. Efficiunt enim quinque Stadia Ægyptiaca 3000. pedes Ægyptiacos, ſeu 2000. cubitos, qui propterea 2000. cubitis Hebraicis, Itineri ſcilicet Sabbathico, pares ſunt.

In Novo Teſtamento ſæpius fit mentio Stadiorum. Luc. XXIV. 13. Joh. VI. 19. XI. 18. Apocal. XIV. 20. Milliaris item, Matth. V. 41. Ubi tamen extra controverſiam eſt, menſuras haud alias quam Græcorum & Romanorum innui: quibus nimirum Judæi tum temporis ſatis erant aſſueti.

De Ambitu Orbis Terrarum.

DEfinitis ita menſuris intervallorum, ſupereſt, ut in uſum Geographiæ reique nauticæ, videamus, quantum circulus Terræ magnus ex potiſſimis earum capiat. Equidem hic non recenſebimus, quid ſinguli, qui dimenſionem hanc aggredi auſi ſunt, invenerint, alienus enim omnino locus eſt. Sufficit referre, quid nuper admodum actum fuerit hoc in negotio ab Academia Regia Scientiarum. Jam Ann. 1669. magnum aliquid præſtitum fuit, menſore potiſſimum accuratiſſimo Picardo, qui etiam obſervata cum publico communicavit. Magnitudo unius Gradus Latitudinis ipſi inde deducta fuit Hexapodarum Pariſienſium 57060. Portio Meridiani quæ operationi huic inſerviit, Gradum unum haud multum ſuperabat. Viſum eſt igitur ad certitudinem majorem, ſpatium longe laxius eligere. Poſt varia impedimenta, tandem Anno 1700, juſſu Regis Maximi, difficile hoc ſed glorioſum opus ſuſcepit Vir Illuſtriſs. Dn. Joh. Dominicus Caſſinus, cum plurimis e laudata Academia adjutoribus, invenit autem poſt exantlatos immenſos labores, per tractus maxime montanos, portionem Meridiani gradibus 6, min. 18, ſec. 55, interceptam, eſſe Hexapodarum Pariſ. 360600. unde, ſuppoſita graduum æqualitate, uni eorum contingunt Hexapod. 57100; uti me edocuit idem Vir magnus in humaniſſimis ſuis ad me literis: a quo etiam exſpectare jubemur integram operationum ſeriem cum aliis iſtuc pertinentibus.

Sed ex ſuperius dictis, 57100. Hexapodis conveniunt Perticæ Rhinlandicæ $29549\frac{1}{4}$, Paſſus Rom. vet. 74495, ſeu proxime Milliaria Rom. vet. $74\frac{1}{2}$, Orgyæ Olympicæ 59596. adeoque Stadia Olympica 596, ſed ſtadia Alexandrina $517\frac{1}{3}$.

Integer vero ambitus circuli Terræ magni, habet Hexapodas Pariſ. 20556000, Perticas Rhinlandicas 10637730, Milliaria Rom. vet. $26818\frac{1}{4}$, Stadia Olympica 214546, Stadia Alexandrina 186237.

Semidiametro itaque Terræ obveniunt Hexapod. Pariſ. 3271589, Perticæ Rhinlandicæ 1693047, Milliaria Rom. vet. 4268, Stadia Olympica 34146. Stadia Alexandrina 29641.

S E-

SECTIO QUARTA
DE
VALORE PECUNIÆ VETERIS,
Eamque numerandi ratione.

POpulum Romanum ab initio nummis ex ære fuisse usum, apud omnes in confesso est. Asses primum librales cudi vel etiam flari cœperunt, item Semisses, Trientes, Quadrantes, Sextantes, Stipes Unciales, Semunciæ, Sextulæ; quin & Dupondii & Quadrusses, forte etiam Decusses. Horum plerorumque exempla asservantur inter cimelia curiosorum, quæ diligenter delineata dedit Dn. Bouteroue, *Recherch. curieuf. de Monnoyes de France*, ab initio: item Molinetus, *Cubin. de la Biblioth. de S. Genevieve*, *pag.* 45. *seqq.* Miror itaque, doctissimum Wagenseilium, de *Re Mon. Vet. Rom. pag.* 27. asserere, asses hos librales ad unum omnes periisse: cum tamen passim nummophylacia tales ostendant superstites, indubiæ antiquitatis.

Asses hos numerando exprimere fere solebant per vocem æris, ex. gr. deni æris; centeni æris; mille æris; dena millia æris; centena millia æris; decies centena millia æris; subintellige asses.

Postquam vero res Romanæ tot victoriis auctæ essent, magnaque argenti copia ex opulentis spoliis congesta; tum etiam nummi argentei cudebantur, Denarii appellati; singuli enim denis assibus æstimabantur. Percutiebantur etiam Quinarii a valore quinorum assium dicti, qui & Victoriati a signo impresso: Sestertii præterea, Libellæ, Sembellæ, Teruncii: quorum tamen exempla rarius hodie occurrunt. Ab eo tempore ratio numerandi Sestertiaria Romanis maxime arrisit. Eam Budæus primum cum successu explicare conatus est, quem secuti sunt G. Agricola, Hotomanus, Hostus, Jos. Scaliger, Eryc. Puteanus, de Choquier, Salmasius, alii. Rem totam vero exhausisse videtur Fr. Gronovius in eruditissimo tractatu de Sestertiis. Nimirum summas minores numerabant per Sestertios, scil. nummos, quorum singuli duos asses & semis æris gravis valebant, majores vero ex ejusdem, Budæum secuti, sententia etiam per Sestertia, scil. pondera vel pondo: libram enim comminiscebantur nummariam centum denariorum, a stathmica & mensurali diversam, quæ responderet minæ Græcorum totidem drachmis constanti. Verum enim vero, licet ex infinitis fere veterum scriptorum locis satis aperte demonstrari possit, contra Agricolam ejusque sequaces, singulos Sestertios denarii quartæ parti, singula vero Sestertia denariis ducentis & quinquaginta fuisse æquiparata; ratio tamen nondum satis patet, quare genus masculum millesimam duntaxat generis mutati partem denotet, cum non ubique τὸ *millia*, quod Scaliger voluit, commode subintelligi possit, aliique hic a Budæi & Gronovii sententia recedant. Præterea si uspiam, hic certe desideratur fides lectionum in libris vetustis.

Lapides antiqui inscripti, qui longe pluris in hoc casu æstimandi sunt, quam codices manu exarati sæpiusque transcripti, si certæ pecuniæ summæ mentionem faciunt, rarius Sestertii vocem, sed ejus loco notam characteristicam HS expressam habent, cui sæpissime juncta litera N. nummi nota. Millenarius numerus indicatur ut plurimum virgula jacente super capite numeri: sic $\overline{X}$., decem millia; $\overline{CC}$., ducenta millia significat. Aliquando loco virgulæ additur M. nota millenarii. Constanter autem intelliguntur Sestertii minores seu quadrantes Denariorum, nunquam Sestertia majora. Ejusmodi Inscriptiones copiose inveniuntur apud Villalpandum, Gruterum, Reinesium, Sponium. Unicam apponere lubet, quam ante annos hos viginti Tollentini, quod agri Piceni oppidum est, Curiæ affixam descripsit & in pugillares retuli. Exstat eadem sed parum alterata apud Gruterum *pag.* 169.

EX. S. C.
SCHOLA. AVG. COLLEG. FABROR.
TIGNVAR. IMPENDIS. IPSORVM. AB
INCHOATO. EXSTRVCTA. SOLO. DATO. AB. T. FV
RIO. PRIMOGENIO. QVI. ET. DEDIC. EIVS. HS. X.N. DEP.
EX. CVIVSVMM. REDIT. OMNIB. ANNIS. XII, K. AVGST.
DIE. NATALIS. SVI. EPVLENTVR.

Decem hæc millia ſeſtertium nummum ex meis rationibus efficiunt libras Turon. mille, ſeu florenos quingentos, quorum reditus annuus (uſura centeſima in menſem) eſt librar. Tur. 120., ſeu flor. 60.

Operæ pretium erit, integrum etiam Martialis Epigramma 75. *lib.* 10. adjungere, in quo diſcrimen generis aperte notare licet:

Millia viginti quondam me Galla popoſcit,
Et fateor magni non erat illa nimis.
Annus abit, Bis Quina dabis Seſtertia, dixit:
Poſcere plus viſa eſt, quam prius, illa mihi.
Jam duo poſcenti poſt ſextum Millia menſem,
Mille dabam nummos, noluit accipere.
Transierant binæ forſan, trinæve Kalendæ,
Aureolos ultro quattuor ipſa petit.
Non dedimus, centum juſſit me mittere nummos;
Sed viſa eſt nobis hæc quoque ſumma gravis.
Sportula nos junxit Quadrantibus arida centum:
Hanc voluit puero diximus eſſe datam.
Inferius numquid potuit deſcendere? fecit,
Dat gratis: ultro dat mihi Galla? nego.

Viginti millia Seſtertium nummum noſtra computatione æquantur 2000. libr. Turon. Bis quina, i. e. dena Seſtertia, 1000. libr. Tur. Duo millia Nummum, 200. libr. Tur. Mille Nummi, 100. libr. Tur. Quatuor Aureoli ſeu Aurei æſtimabantur apud Romanos 400. nummis, id eſt, 40. libr. Tur. Centum Nummi, 10. lib. Tur. Centum Quadrantes pares ſunt 25. aſſibus, id eſt, 12. ſolidis Turon. cum ſemiſſe.

Hoc modo progrediebantur uſque ad Decies centena millia, quæ vel hac ipſa ratione enunciabant, vel compendio per Decies centena, vel ſimplicius per *Decies*, ſcil. HS. Plutarchus in vita Antonii, τῶν φίλων τινὶ, ait, *μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ρωμαῖοι δέκιες καλοῦσι. Amicorum cuidam quinque & viginti myriadas* (drachmarum) *dari juſſit; hoc Romani Decies vocant*. Cicero *lib.* 3. & 4. in Verr. eandem ſummam modo Decies centena millia HS., modo Decies HS. appellat. Dignum eſt etiam Epigramma elegans Martialis quod e *lib.* 1. *Ep.* 103. hic apponatur: ex cujus verſu primo & ultimo idem patet.

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum,
Dicebas, nondum, Scævola, factus eques:
Qualiter o vivam? quam large? quamque beate?
Riſerunt faciles & tribuere dei.
Sordidior multo poſt hæc toga, penula pejor:
Calceus eſt ſarta terque quaterque cute.
Deque decem plures ſemper ſervantur olivæ,
Explicat & cœnas unica menſa duas.
Et Vejentani bibitur fæx craſſa Rubelli:
Aſſe cicer tepidum conſtat, & aſſe focus.
In jus, o fallax atque inficiator, eamus.
Aut vive, aut Decies, Scævola, redde deis.

Eadem ratione dixerunt duodecies, vicies, centies, millies, HS. &c. Apud Tacitum Ann. XIII. 42. P. Suilius, Senecam increpando, quærit: *qua ſapientia, quibus philoſophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies Seſtertium paraviſſet*: valet hoc noſtro calculo triginta milliones librar. Tur. vel decem milliones Imperialium. Vicies ſepties millies Seſtertium Tiberius reliquerat, quod Cajus non toto vertente anno abſumſit; facit milliones lib. Tur. 270. Quadringenties millies HS. Veſpaſianus, te-

teste Suetonio, initio sui principatus professus est opus esse, ut Respublica stare possit, quod efficit 4000. milliones lib. Tur. Plurima ejusmodi exempla collegit Hostus, *lib.* 2. rei *numm. vet. cap.* 5. Hotomanus *pag.* 189. *seqq.*

Summas has majores notabant vel ipsis verbis expressis, vel per signa. Prioris exemplum suppeditat nummus æreus Hadriani Imperatoris, cum hac epigraphe: (*Vid. Fig.* XI.) RELIQUA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA. Adstat Imperator face fasciculum comburens. Pertinet huc etiam Inscriptio Romæ in ponte Senatorio, apud Gruterum *pag.* 10.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. D. NERVAE.
NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. II. COS. II. QUOD. VNVS. OMNIVM. PRINCI
PVM. ET. SOLVS. REMITTENDO. SESTERTIVM.
NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA. N̄.
DEBITVM. FISCI. NON. PRAESENTES. MODO. SED. ET.
POSTEROS. SVOS. PRAESTITIT. HAC. LIBERALITATE.
SECVROS. &c.

Amplius hæc illustrat Spartianus, de Hadriano, in vita, verba faciens: *Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero, etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro Divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis.* Æquantur vero HS. novies millies ex nostris rationibus, 90. millionibus libr. Turon. Exemplum itidem majoris summæ per signa notatæ desumere placet e libro Imagin. & Elog. Viror. Illustr. ex Bibliotheca Fulvii Ursini Romæ Ann. 1570. edito, ubi *pag.* 99. monumentum exstat Medici a divitiis permagnis commendati:

P. DECIMIVS P. L. HEROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR.
HIC PRO. LIBERTATE. DEDIT. IIS. IↃↃ.
HIC. PRO. SEVIRATV. IN REMP.
DEDIT. IIS. ∞∞.
HIC. IN. STATVAS. PONENDAS. IN.
AEDEM. HERCVLIS. DEDIT. IIS ↈↈↈ
HIC. IN. VIAS. STERNENDAS. IN.
PVBLICVM DEDIT. ↈↈↈ IↃↃ ∞∞
HIC. PRIDIE. QVAM. MORTVVS. EST.
RELIQVIT. PATRIMONI
HS ∞ ↈↈ

Hæc sic lego: *Publius Decimius, Publii Libertus, Heros Merula, Medicus Clinicus, Chirurgus Ocularius, Se-Vir. Hic pro libertate dedit HS.* 5000. (500. libr. Tur.) *Hic pro Seviratu in Rempublicam dedit HS.* 2000. (200. libr. Tur.) *Hic in statuas ponendas in ædem Herculis dedit HS.* 300000. (30000. libr. Tur.) *Hic in vias sternendas in publicum dedit HS.* 307000. (30700. libr. Tur.) *Hic pridie, quam mortuus est, reliquit patrimonii HS.* 200000000., *id est*, 200000. *Sestertia*, *seu Bis Millies HS.* (20. milliones libr. Tur)

Paulo aliter hæc leguntur inter Gruteri Inscriptiones *fol.* 400. *num.* 7.

Quotiescunque scriptores Romani certum commemorant numerum nummorum, aliam eorum speciem non intelligunt quam Sestertios.

Negligi non debet mos peculiaris Romanorum computandi æs excurrens per par-

partitionem assis, quem tradit Volusius Mætianus, subobscure tamen; quem feliciter interpretatur Gronovius *l.* 3. *c.* 10. *seq.*

Assium libralium mutationes, aliaque monetæ apud Romanos fata, e verbis Plinii *lib.* 33. *cap.* 3. discere possumus, sic enim ille juxta textum a R. P. Harduino emendatum: *Populus Romanus ne argento quidem signato, ante Pyrrhum regem devictum usus est. Librales* (*unde etiam nunc libella dicitur, & dupondius,*) *appendebantur asses. Quare æris gravis pœna dicta.* —— *Servius rex primus signavit æs. Antea rudi usos Romæ Tymæus tradit. Signatum est nota pecudum: unde & pecunia appellata. Maximus census CX. M. assium fuit illo rege: & ideo hæc prima classis. Argentum signatum est anno Urbis CCCCLXXXV.* (ante æram Christ. CCLXVII.) *Q. Ogulnio, C. Fabio Coss. quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit denarium pro decem libris æris, quinarium pro quinque, sestertium pro dupondio ac semisse. Librale autem pondus æris imminutum bello Punico primo* (cœptum hoc anno Urbis CCCC. XC., ante æram Chr. CCLXII. duravit per 24. annos, Romani vero maxime circa finem premebantur) *cum impensis Respublic. non sufficeret: constitutumque ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero & quadrante, rates. Quadrans antea teruncius vocatus a tribus unciis. Postea Hannibale urgente Marcum, Q. Fabio Maximo Dictatore,* (anno Urbis fere DXXXVII. ante æram Christ. CCXV.) *asses unciales facti: placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita Respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: & inde bigati quadrigatique dicti. Mox lege Papiria semunciales asses facti,* (quod alii ad annum Urbis DLXIII. ante æram Chr. CLXXX. IX. alii vero ad ann. Urb. DLXXXVI. ante ær. Chr. CLXVI. referunt) *Livius Drusus in Tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit.* (Anno Urbis DCLXIII. ante æram Chr. LXXXIX. Sed acta Drusi uno deinde Senatus consulto abrogata sunt, docente Cicerone, *lib.* 2. de leg.) *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus victoria, & inde nomen. Aureus nummus post annum LXII. percussus est, quam argenteus,* (ideoque anno Urbis DXLVII. ante ær. Chr. CCV.) *ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis: quod effecit in libras, ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios DCCCC. Post hæc placuit X. XL. signari ex auri libris: paulatimque principes imminuere pondus: minutissime Nero ad XLV.*

Celebris hic notari meretur disquisitio, an denarii argentei primo cusi, diversi fuerint ponderis ab illis, qui post diminutionem assis prodierunt; quorum adhuc maxima copia sub Consularium nomine occurrit. Affirmativam reddit probabilem, maxima proportionis æris ad argentum mutatio. Vix enim credibile est, unius generis nummum argenteum certæ æris portioni respondisse, cui mox vigesima quarta ejus pars esset æquiparanda. Savotus sane, quanquam a plerisque idcirco irrisus, primos denarios unciales, aut minimum quatuor eorum in uncia statuit. Vidit enim exempla eorum, qui 126. grana Parif. pendebant, ex quorum una parte exstant Jani frontes, ex altera quadrigæ cum Jove fulgurante victoriaque & epigraphe, ROMA: estque ille ipse cujus iconem dedit Patinus in tabula incertorum, qua Fulv. Ursini familias Romanas auxit, ubi primum occupat locum: eundem etiam delineatum dedit Molinetus, *Cabin. de la Biblioth. de S. Genevieve, pag.* 56. ubi Denarium duplicatum nominat. Ipse non tantum apud amicos tales nummos inveni, sed & propriæ arculæ unum recondunt, indubiæ antiquitatis, operisque elegantis, a Græca haud dubie manu; pondus est granorum Parif. 124., cetera integerrimus: literæ non sunt exstantes ut in reliquis, sed cavæ & post percussionem nummi demum impressæ, in iisque notari meretur figura literæ A, (*Vid. Fig.* VIII.) non clausa, sed ex parte aperta, quod remotæ antiquitatis est indicium. Videat præterea Savotus alios nummos ejusdem ponderis cum imagine equi vel etiam cervicis equinæ & epigraphe, ROMANO, quales icones etiam reperiuntur in Goltzii Græcia Magna *Tab.* XVIII. Hanc Savoti sententiam pernegat inprimis Gronovius *lib.* 2. *cap.* 1. de Sest. item *lib.* 3. *cap.* 9. non uno allato argumento. An vero rem conficiat, alii viderint, nostram enim non facimus hanc controversiam.

Deveniendum tandem est ad examen valoris pecuniæ Rom. veteris relatæ ad nummos hodiernos, quod commode peragitur per denarium argenteum Consularem, qui inventus est gran. Parif. $74\frac{2}{7}$

D. Bou-

D. Bouteroue experimento didicit in denario quodam Augusti, puritatem argenti eo ascendisse, ut non nisi 5. grana in marca deessent ad summam perfectionem. Talem autem reliqui denarii raro assequuntur. Quod si itaque argentum denariorum ejusdem gradus statuamus cum eo, ex quo Ludovicei argentei hodie percutiuntur, nempe 11. den. in marca, pondusque ejusdem Ludovicei argentei, *du Louis blanc*, *de l' Escu blanc*, ponamus ex legibus 516. gran. Paris. (scil. neglecto remedio), ejus vero pretium, 3. librarum seu 60. solidorum Turonens. (mutationes enim subinde factas non moramur), provenient pro valore Denarii Romani Consularis, 8. Solidi cum besse non integro. Sed & bessem hunc negligere possumus, si cogitemus, quod antiquitus neque a Romanis neque a Græcis aliquid fuerit exactum in percussione nummorum, tum in sumtus, tum in lucrum Reipublicæ, vel Principis, quod Galli vocant *le droit de Seigneuriage & de Brassage*. Difficile quidem est certi aliquid hac de re in universum statuere, propter perpetuam æstimationis argenti variationem; nostra tamen tempora præcipue respicimus. Præivit nobis in hoc valore statuendo R. P. Harduinus Soc. Jes. in doctissimis ad Plinium notis passim. Respondent vero octo Solidi Turon. tribus nostratium *Batziis*, vel duobus *Schillingis*, vel 12. *Cruciatis*, vel 24. nummulis Argentoratensibus, *Strasburger Pfenning*. Septem igitur Denarii cum semisse, pretio æquantur uni *Imperiali* seu *Vallensi einem Reichsthaler*, quatenus hic sumitur par *Floreno* cum semisse, *anderthalben Reichsgulden*, seu ut alibi effertur, 24. *Sachsischen odor guten Groschen*, seu 36. *Marien-Groschen*, seu 3. *Marck Lubisch*, seu 90. Cruciatis, *Creutzer*. Tot enim fere sunt computandi rationes quot urbes. Apud nostrates unus *Florenus*, 1. Fl. continet 10. *Schilling*, unus *Schilling*, 1. Sch. complectitur 12. *Pfenning*, Pf. in quo fere subsistere solent. In contractibus tamen publicis aliisque negotiis Reipublicæ, computis item Notariorum, Libris utuntur, *Pfund Pfenning*, quarum singulæ viginti Schillingis, seu duobus Florenis, seu 120. Cruciatis æstimantur. Hæc ita præmitti conveniebat pro faciliori intellectu, & (si ita videretur) conversione Tabularum nostrarum, in quibus pretia pecuniæ veteris exhibentur.

Hunc ipsum veteris pecuniæ Roman. æstimandæ modum, etiam isti tempori, quo Asses adhuc librales erant, applicant omnes, quicunque hactenus hac de re scripserunt, etiam vetusti. Dionysius certe Halicarnassæus ubi de classibus agit, in quas Servius Tullius cives Romanos, census causa, distinxerat, centum millia æris vertit ἑκατὸν μνᾶς, *centum Minas*, & mox μυρίας δραχμὰς, *decem millia Drachmarum*, quod quidem verissimum est, si respiciamus pretium æris ad argentum, quale tum fuit cum Denarius Assibus libralibus decem permutaretur. At vero sciendum est, Romanos tunc temporis ære quidem sic satis abundasse, non item argento, quod non minus ac ipsum aurum, gemmarum loco habebatur. Minime itaque mirari debemus immane argenti pretium supra æs, cum istud ad usum pecuniæ flari primo cœpit: septima enim unciæ argenti portio (si quidem e tali pondere denarius primum fuerit) decem æris libris æquabatur, id est, una argenti pars 840. partibus æris. Unde nemo, nisi plane iniquus censor, negare poterit, pecuniæ hujusmodi æstimationem ex ære non argento esse instituendam; maximeque hic valere debet de eodem argento, quod Ausonius de auro prædicat:

> *Auro magnus honos, auri pretium tamen est æs.*

Sane non possunt non ridendos se sistere, qui aliter de hac re statuunt. Denarium scilicet communiter comparant cum Regali Hispanico, seu Julio Italico, adeoque decimam ejus partem, scil. assem libralem cum Bajocco. Bonum factum! æquiparare assem libralem veterem nummulo novello ejusdem metalli, qui vix decimam sextam alterius partem in pondere habet: quasi vero post tot exhaustos montes toties rarius hodie æs existeret, quam olim primis post Romam conditam sæculis fuerat. Certe qui tunc centum millia æris possedit, totidem libras æris possedit, unde haud aliter ipsius divitiæ sunt æstimandæ, quam ex æstimatione æris. Sed si vel maxime æs pro norma pecuniæ ponere velimus, difficultas oboritur in assignando vero ejus pretio: commodissima tamen mihi videtur via, si attendamus ad tempora, quibus Romæ asses semunciales facti sunt, eorumque sedecim uno denario permutati. Hinc enim discimus, si sedecim semunciæ, seu unciæ octo ęris valent 8. solidos Turonicos, duodecim uncias, seu libram integram, id est ipsum assem ęris gravis, duodecim solidos Tur. valituram. Ad hodiernum ęris prętium proxime hęc accedunt, saltem in nostris regionibus. Ne vero quis existimet, nimium fieri a no-

nobis, adducamus iterum primæ classis censum a Servio Tullio institutum, nempe centum millia æris, quod efficit 60000. libr. Turon. nostro calculo, sed aliorum, 4000. tantum. Hic exclamabunt nonnulli, tantam summam nulli civium Romanorum tunc temporis quadrare. At secus omnino apparet, cum & multæ familiæ illustres atque potentes Romæ tunc reperirentur, aliæque subinde ex circumjectis populis, imo & remotis, opibus valentes, illuc migrarent, quod ex historia non grave erit monstrare. Quin potius abjecte nimis de potentia Rom. judicare censendi sunt, qui summas privati civis divitias non ultra 4000. libr. Tur. se extendisse asserunt. Sed de his suum cuilibet judicium liberum esto, nobis proposuisse sufficiat.

Pretia Denarii Imperatorii, quales sub Nerone cudi cœperunt, non exhibentur in Tabulis nostris, in quibus ad solum Consularem attendimus. Si itaque & horum valores veri desiderantur, pretia octava sui parte sunt multanda. Puto tamen æque facile hanc reductionem in computo posse omitti; tantundem enim valebant hi Denarii apud Romanos, ac illi antiquiores & graviores, intelligendumque est, tum primum ponderi aliquid demptum fuisse, ad sumptus, commodumque Principis, quod antea non fiebat.

Aureos Rom. nummos difficile est determinare, ob rationem auri ad argentum varie mutatam; istud enim ad hoc fuit olim ratione pretii, ut 12. ad 1., nunc vero ut $15\frac{1}{2}$ ad 1. fere. Apud ipsos Aureus 25. denariis seu centum sestertiis æstimabatur. Ob similitudinem auri, licebit saltem eosdem conferre cum *Ducatis* hodiernis. Sic Aureus Consularis pondere æquivalet Ducatis $2\frac{3}{8}$; Imperatorius vero Ducatis $2\frac{1}{8}$. Solidus Constantini M. & successorum ejus convenit pondere cum Ducat. $1\frac{1}{3}$. Libræ præterea Rom. vet. competunt pondere Ducati 95., proxime.

De nummis argenteis ac æreis a Constantino M. primo cusis, nihil habeo quod dicam, nisi prioris generis, Milliarenses & Milliaresios dictos, sexaginta e libra fuisse percussos, singuli itaque 104. gran. Paris. pensabant, 12. propterea solidis Turon, æquiparandi. Uno solido aureo 12. Milliarenses permutabantur. De Folle vero, ejusque materia & pondere perplexior quam utilior tractatio est, fatente Hotomano de Re nummar. *pag.* 317. cui & nos subscribimus. Qui plura desiderat, adeat Gronovium *lib.* 4. *cap.* 13. erudite de his disserentem. Ex valore quidem Follis & pretio æris infecti, deducit Vir hic doctissimus, Follem exstitisse uncialem. Sciendum tamen est, monetam haud fuisse, sed nummorum summam: maxima enim nummi ærei species a Constantino percussa, uti quidem hodie copiose adhuc supersunt, Sicilici solum pondus habet, seu quartam unciæ partem. Appendi etiam nummos argenteos Constantinianos, majores & minores: istorum pondus ad 90. grana Paris. accedit; horum vero, 40. grana Paris. raro assequitur.

De Valore Pecuniæ Atticæ.

PEcunia Græca, Attica inprimis, duplici modo taxanda est: primo pretio vero, quemadmodum nummum Romanum determinavimus; deinde habito respectu ad ejus pretium apud Romanos. Hi enim pecuniam peregrinam adeoque & Græcam, non inter nummos, sed inter merces ponebant, quod expresse testatur Volusius, Mætianus, *Victoriatus enim*, inquiens, *nunc tantundem valet, quantum Quinarius olim, ac peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma habebatur.* Ut adeo mirum videri non debeat, Drachmam Atticam æqualem æstimatam fuisse Denario apud Romanos, utut eum pondere superaverit. Si ergo argentum Græcum Romano simile sumatur, & sola ratio ponderis expendatur, proveniet ratio Drachmæ Atticæ ad Denarium Romanum ea quam proxime, qualis est inter 9. & 8. Neque enim adeo scrupulose minutias sectari licet ob argenti diversitatem. Drachma itaque Attica par erit 9. solidis Turon. Et quia Drachma sex Obolos, Minas 100. Drachmas, Talentum 60. Minas continebat, omnia jam plana sunt. Nummus tetradrachmus argenteus in specie Stater appellabatur. Sed aureus Stater didrachmus fuit, valuitque propterea Ducatos $2\frac{1}{2}$ cum tribus fere granulis; sed idem apud Græcos 20. Drachmis Att. argenteis æquipollebat, quod Darici aurei pretium etiam fuit. Paulo ponderosiores fuerunt Stateres Cyziceni, qui, teste Demosthene ad Phormionem 28. Drachmas Atticas, scil. argenteas, in Dardania valebant; adeoque $3\frac{1}{2}$ Ducatos, pendebant, si quidem eadem argenti ad aurum ratio utrobique fuerit.

Ex argenteis nummis peregrinis aliquoties apud Livium & Ciceronem fit mentio *Cistophori*, κιςοφόρȣ, qui apud Rhodios cudebatur. Nomen habet, sic cen-


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
ΑΘΕ
ΝΙΚΗΦΟ
LIVINEIVS
REGVLVS
ROMA
SC
RELIQVA VETERA HS NOVIES MILL ABOLITA

censente Hosto, lib. 3. cap. 11. *a forma & effigie Canephoræ insculptæ, cistam, cui sacrorum arcana inclusa erant, in sacris mysticis Minervæ ferentis*. Mihi tamen videtur, si a κίϛη hoc nomen derivandum esset, potius κιϛηφόρος dicendus fuisset, quemadmodum a νίκη dicitur Νικηφόρος. Præterea omnes Rhodiorum nummi ab una facie præferunt caput Solis, ab altero vero florem, (*Vid. Fig.* V.) quem Rosam vulgo interpretantur. Doctissimus Isaacus Vossius eundem existimat esse Balaustium, seu florem mali Punicæ, uti pluribus testatur Vir Illustriss. Ezech. Spanhemius, de Præst. & Usu Numism. ant. p. m. 273. Verum si rem propius inspiciamus, apparebit utique, ratione tum denominationis nummi, tum ipsius figuræ, haud alium hic exhiberi florem, quam qui a frutice producitur, qui a Dioscoride κίϛος, *Cistus* vocatur, ad cujus radices plantula subnascitur, Hypocistis dicta, cujus succus inspissatus magni olim usus erat in re medica & arte tinctoria. Figuram hujus fruticis elegantem præ aliis tradit celeberrimus Botanographus, Carolus Clusius, Histor. Plantar. rar. *lib.* 1. *pag.* 68. Quandoquidem vero in universum nummi Rhodiorum hunc florem ostendant, cujuscunque fuerint metalli & magnitudinis, adeoque singuli Cistophori nomen mereantur, Festi tamen autoritas nos credere jubet, non nisi minutam nummi argentei speciem hoc nomine venire. Verba ejus supra jam sunt prolata. *Euboicum talentum nummo Græco septem millium & quingentorum cistophorum est, nostro quatuor millium denariorum*. Idem Festus alio loco hæc habet: *Talentorum non unum genus. Atticum est sex millium denarium, Rhodium & Cistophorum, quatuor millium, quingentorum denarium. Alexandrinum, duodecim millium denariorum &c.* Appenso uno alteroque minutorum ejusmodi nummorum Rhodiorum, expertus sum, integriores eorum grana Paris. 47. pondere assequi, quod cum Festi rationibus satis convenit. Manifestum hinc est, Cistophorum pretio nunc comparandum esse cum 5. solidis Turon. proxime.

Ceterum Romanos veteres Denarium suum cum Drachma Attica præcipue qua nummus est non pondus, æquiparasse, latis, ut puto, supra a nobis fuit ostensum, unde 6000. Denarii aut 24. Sestertia Talentum conficiebant. Patet hoc præterea ex variis veterum scriptorum locis. Cicero pro Rabirio Postumo: *Quid vociferabere, inquit, decem millia talentum Gabinio esse promissa? Huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu vis, avarissimum exoraret, sestertium bis millies & quadringenties ne magnopere contemneret*. Summa hæc conficit 240000. Sestertia seu 60000000. Denarios pro decem millibus Talentum, unde singulis competunt 24. Sestertia seu 6000. Denarii. Livius *lib.* 34. hæc habet: *Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Annibal, cum a suis non redimerentur, venundederat. Multitudinis eorum argumentum est, quod Polybius scribit, centum talentis eam rem Achæis stetisse, cum quingentos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. Mille enim ducentos ea ratione Achaja habuit*. Subducto calculo, pro centum Valentis 600000. Denarii proveniunt, adeoque pro singulis 6000. Denarii, ut prius. Apud Senecam *lib.* 10. controversiarum Marci, Controv. quæ inscribitur *Parrhasii Prometheus*, sequentia leguntur: *Asinius, qui bellum cum omnibus Atticis gerebat, cum donaret ei Cæsar talentum, in quo viginti quatuor sestertia sunt, Athceniensium more*, ἢ πρόσθες, φησὶν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ Ἀττικὸν ᾖ. i. e. *aut auge, dixit, aut minue, ne Atticum sit*.

DE VALORE PECUNIÆ VETERUM HEBRÆORUM.

De pecunia seu nummis Hebræorum veterum id monuisse sufficit, *Siclum*, si eadem ratione uti supra Denarius Rom. cum nummis hodiernis comparetur, inveniri proxime æqualem 30. Solidis seu Assibus Turonicis, aut semissi Uncialis Imperialis, unde reliqua facile deducuntur. Præter Siclum ejusque partes, in V. Testamento sæpius occurrit vox *Kesepb*, quam Siclum vertit melior pars Interpretum. *Zuza* aliis est quarta, aliis dimidia Sicli pars. *Adarkon* seu *Darkmon*, Esdr. VIII. 27. Nehem. VII. 71. aureus est, forte idem quod Daricus, alii ad Drachmam referunt. De *Kesitah*, Genes. XXXIII. 19. Jos. XXIV. 32. Job. XLII. 11. dubium est, an nummus an vero pecus intelligatur. Species nummorum quorum in N. Testamento frequens fit mentio, sunt: Δραχμή, Drachma, *Luc.* XV. 8. *Denarius*, Δηνάριον, *Matth.* XX. 2. *seqq.* XXII. 19. *Marc.* XIV. 5. *Luc.* X. 35. *Joh.* VI. 7. XII. 5. *Assarium*, Ἀσσάριον, *Matth.* X. 29. *Luc.* XII. 6. *Quadrans*, Κοδράντης, Matth. V. 26. *Leptum* seu *Minutum*, Λεπτὸν, quod est Quadrantis dimidium, *Marc.* XII. 42. *Luc.* XII. 59. XXI. 2. Extra controversiam vero est, Denarium, Assem, Quadrantem Romanorum hic intelligi. Ἀργύριον, *Argenteus*, cujus meminit *Matth.* XXVI. 15. XXVII. 3. saniores scriptores interpretantur per Siclum, estque verosimile vel ob citatum *cap.* XXVII. 10. Prophetæ testimonium. Conferantur quæ habent Hostus, Villalpandus, Waserus, Schickhardus, Hottingerus, de Numm. Hebr. aliique.


EXPLICATIO

Notarum ponderalium, mensuralium, numeralium, apud Romanos & Græcos.

Confer. Tab. II.

α. Teruncius; quadragesima pars Denarii.
β. Libella; decima pars Denarii.
γ. Dimidium Scripulum, Simplium.
δ. Sestertius, scil. Nummus; quarta pars Denarii.
ε. Scripulum, Scriptulum, Gramma; vigesima quarta pars Unciæ.
ϛ. Victoriatus, Quinarius; dimidia pars Denarii.
ζ. Dimidia Sextula, Hemisescla, duodecima pars Unciæ.
η. Denarius.
θ. Sextula, Sescla, ἑξάγιον; ξάγιον; sexta pars Unciæ.
ι. Sicilicus, Sesquisextula; quarta pars Unciæ.
κ. Duella, Binæ Sextulæ; tertia pars Unciæ.
λ. Semuncia.
μ. Uncia, ὀγκία, οὐγγία.
ν. Sescuncia; Uncia una semis.
ξ. Sextans; Unciæ duæ.
ο. Quadrans, Teruncius; Unciæ tres.
π. Triens; Unciæ quatuor.
ρ. Quincunx; Unciæ quinque.
ς. Semissis, Semis, Selibra, Dimidium Pondo; Unciæ sex.
τ. Septunx; Unciæ septem.
υ. Bessis, Bes; Unciæ octo.
φ. Dodrans; Unciæ novem.
χ. Decunx, Dextans; Unciæ decem.
ψ. Deunx; Unciæ undecim.
ω. Libra, Pondo, As, Integrum, Λίτρα; Unciæ duodecim.
a. Χαλκοῦς, Æreolus.
b. Κεράτιον, Ceratium, Siliqua.
c. Ἡμιώβολον; Dimidius Obolus.
d. Ὀβολός, Obolus.
e. Διώβολον; duo Oboli.
f. Τριώβολον, Τροπαϊκὸν; tres Oboli.
g. Δραχμή, Ὁλκή, Drachma, Holce.
h. Μνᾶ, Mina.
i. Τάλαντον, Talentum.
k. Cyathus.
l. Quartarius.
m. Hemina, dimidius Sextarius, Libra mensuralis.

n. Sex-


Notæ Ponderales Romanorum.
Notæ Ponderales Græcorum.
Notæ Mensurales Romanorum.
Notæ Mensurales Græcorum.
Notæ Numerales Græcorum et Romanorum.

n. Sextarius.
o. Congius.
p. Semodius.
q. Modius.
r. Urna; dimidia Amphora.
s. Quadrantal, Amphora.
t. Χήμη, Cheme.
u. Κοχλιάριον, Cochleare, Ligula.
x. Μύστρον, Myſtrum.
y. Κύαθος, Cyathus.
z. Ὀξύβαφον, Βάφιον, Acetabulum.
aa. Κοτύλη, Τρύβλιον, Ἡμίνα, Cotula, Hemina.
bb. Ξέστης, Sextarius.
cc. Χοῖνιξ, Chœnix.
dd. Χοῦς, Congius.
ee. Μέδιμνος, Medimnus.
ff. Κεράμιον, Μετρητης, Κάδος, Ceramium, Metreta, Cadus.
gg. Ἕν, Unum, 1.
hh. Πέντε, Quinque, 5.
ii. Δέκα, Decem, 10.
kk. Πεντάκις δέκα, Πεντήκοντα, Quinquaginta, 50.
ll. Ἑκατὸν, Centum, 100.
mm. Πεντάκις ἑκατὸν, Quingenta, 500.
nn. Χίλια, Mille, 1000.
oo. Πεντάκις χίλια, Quinque millia, 5000.
pp. Μύρια, Decem millia, 10000.
qq. Πεντάκις μύρια, Quinquaginta millia, 50000.
rr. Δεκάκις μύρια, Centum millia, 100000.
ss. Μυριάκις μύρια, Millies centena millia. 100000000.

SEQUUNTUR IPSÆ TABULÆ.

PONDERA ROMANA INTER SE COMPARATA.

Libra	1.							
Uncia	12.	1.						
Duella	36.	3.	1.					
Sicilicus	48.	4.	$1\frac{1}{3}$.	1.				
Sextula	72.	6.	2.	$1\frac{1}{2}$.	1.			
Denarius Conſ.	84.	7.	$2\frac{1}{3}$.	$1\frac{3}{4}$.	$1\frac{1}{6}$.	1.		
Denar. Imper.	96.	8.	$2\frac{2}{3}$.	2.	$1\frac{1}{3}$.	$1\frac{1}{7}$.	1.	
Scripulum.	288.	24.	8.	6.	4.	$3\frac{3}{7}$.	3.	1.

EADEM PONDERA COMPARATA CUM HODIERNIS.

Pond. Rom. antiqua.	*Pond. Pariſina.*				*Pond. Colonienſia.*			
	Lib.	unc.	groſſ.	grana.	Marc.	ſemun.	dr.	mom.
Centumpondium	67	11	2	48, 00	141	12	0	18, 23
Libra	—	10	6	48, 00	1	6	2	54, 90
Uncia	—	—	7	16, 00	—	1	3	42, 58
Duella	—	—	2	29, 33	—	—	2	39, 53
Sicilicus	—	—	1	58, 00	—	—	1	67, 64
Sextula	—	—	1	14, 67	—	—	1	19, 76
Denar. Conſul.	—	—	1	2, 29	—	—	1	6, 08
Denar. Imper.	—	—	-	65, 00	—	—	-	71, 82
Victoriatus	—	—	-	37, 14	—	—	-	41, 04
Scrupulum	—	—	-	21, 67	—	—	-	23, 94

RESIDUUM TABULÆ PRÆCEDENTIS.

Pond. Roman. antiqua.	*Pond. Argentorat.*				*Pond. Medica ſive Veneta*				
	Lib.	ſemunc.	dr.	gran.	Lib.	unc.	dr.	ſcrup.	gran.
Centumpondium	70	10	2	42, 77	92	6	2	1	13, 74
Libra	—	22	2	1, 95	—	11	0	2	9, 54
Uncia	—	1	3	36, 16	—	—	7	1	4, 13
Duella	—	—	2	36, 13	—	—	2	1	8, 04
Sicilicus	—	—	1	63, 04	—	—	1	2	11, 03
Sextula	—	—	1	18, 03	—	—	1	0	14, 02
Denar. Conſ.	—	—	1	5, 17	—	—	1	0	3, 45
Denar. Imper.	—	—	-	67, 52	—	—	-	2	15, 52
Victoriatus	—	—	-	38, 58	—	—	-	1	11, 72
Scripulum	—	—	-	22, 51	—	—	-	-	18, 51

Libra Pariſina habet uncias 16.; Uncia groſſos 8.; Groſſus grana 72.

Marca Colonienſ. habet ſemuncia 16.; Semuncia drachmas 4.; Drachma momenta 76.

Libra Argentorat. habet ſemuncias 32.; Semuncia drachmas 4.; Drachma grana 72.

Libra Medica ſeu Veneta (qualis in officinis Pharmaceuticis per Germaniam in uſu eſt) habet uncias 12.; Uncia drachmas 8., Drachma ſcrupula 3.; Scrupulum grana 20.

Granis ubique junctæ ſunt partes eorum centeſimæ.

PON-

PONDERA ATTICA INTER SE COMPARATA.

Τάλαντον	1.				
Μνᾶ	60.	1.			
Δραχμή	5000.	100.	1.		
Ὀβολός	26000.	600.	6.	1.	
Κεράτιον	108000.	1800.	18.	3.	1.

EADEM PONDERA COMPARATA CUM HODIERNIS.

Pond. Attica.	*Pond. Parisina.*				*Pond. Coloniens.*			
	Lib.	unc.	groſſ.	gran.	Marc.	ſemunc.	dr.	mom.
Τάλαντον	54	2	5	24, 00	114	6	1	60, 19
Μνᾶ	—	14	3	40, 00	1	14	0	70, 20
Τετράδραχμον	—	—	4	44, 80	—	1	0	63, 73
Δίδραχμον ;	—	—	2	22, 40	—	—	2	31, 87
Δραχμή	—	—	1	11, 20	—	—	1	15, 93
Ὀβολός	—	—	-	13, 87	—	—	-	15, 33
Κεράτιον	—	—	-	4, 62	—	—	-	5, 11

Pond. Attica.	*Pond. Argentorat.*				*Pond. Medica ſ. Veneta.*				
	Lib.	ſemunc.	dr.	gran.	Lib.	unc.	dr.	ſcrup.	gran.
Τάλαντον	56	8	2	11, 82	74	0	2	0	2, 99
Μνᾶ	—	30	0	1, 60	1	2	6	1	6, 05
Τετράδραχμον	—	1	0	57, 70	—	-	4	2	4, 24
Δίδραχμον	—	—	2	18, 85	—	-	2	1	2, 12
Δειαχμή	—	—	1	14, 43	—	-	1	0	11, 06
Ὀβολός	—	—	-	14, 40	—	-	-	-	11, 84
Κεράτιον	—	—	-	4, 80	—	-	-	-	3, 95

PONDERA HEBRAICA INTER SE COMPARATA.

Kikar, Talentum	1.			
Maneh, Mina	50.	1.		
Sekel, Siclus	3000.	60.	1.	
Gerah, Obolus	60000.	1200.	20.	1.

EADEM PONDERA COMPARATA CUM HODIERNIS.

Pond. Hebr.	*Pond. Pariſ.*				*Pond. Colon.*			
	Lib.	unc.	groſſ.	gran.	Marc.	ſemunc.	dr.	mom.
Talentum	87	3	6	48, 00	812	10	1	17, 64
Mina	1	11	7	24, 00	3	10	1	59, 63
Siclus	—	—	3	52, 00	—	—	3	68, 13
Obolus	—	—	-	13, 40	—	—	-	14, 82

Pond. Hebr.	*Pond. Argentorat.*				*Pond. Medica ſ. Veneta.*				
	Lib.	ſemunc.	dr.	gran.	Lib.	unc.	dr.	ſcrup.	gran.
Talentum	90	19	3	46, 03	119	2	3	2	9, 89
Mina	1	25	3	71, 48	2	4	4	2	13, 80
Siclus	—	—	3	62, 39	—	-	4	2	8, 90
Obolus	—	—	-	13, 92	—	-	-	-	11, 44

MENSURÆ ARGENTOR. IN POLLICIBUS CUB. ARGENT. ET PARIS.

	Poll. cub. Arg.	*Poll. cub. Parif.*
Amphora, *Obma*	3287, 665	2324, 124
Menfura	136, 986	96, 838
Schopina	34, 497	24, 210
Modius urbicus, *Statt-Sefter*	1306, 866	923, 853
Quartarius, *Vierling*	326, 716	230, 963
Semioctans, *Maslin*	81, 679	57, 741
Modius ruralis, *Land-Sefter*	1347, 705	952, 723
Quartarius ruralis	336, 926	238, 181
Semioctans ruralis	84, 231	59, 545

MENSURÆ PARISIENSES COMPARATÆ CUM ARGENTORATENSIBUS.

	Obmæ	*Menf.*	*Schopin*	*Poll. cub. Parif.*
Dolium, *und Muyd*	5	22	3, 014	13824
Sextarius major	—	3	3, 861	384
Pinta	—	—	1, 983	48
Sextarius minor, *Chopina*	—	—	0, 991	24
Sextarius dimidius, *Demi-Seftier*	—	—	0, 496	12
	Quarta, Semioct.			
Modius, *le Boiffeau*	2	3, 165 urbic.		$644\frac{68}{100}$
	2	2, 827 rural.		

Partes Pollicum cubicorum, item Schopinæ & Semioctantis funt millefimæ.

MENSURÆ ROMANÆ LIQUIDORUM, INTER SE COMPARATÆ.

Culeus	1.									
Amphora	20.	1.								
Urna	40.	2.	1.							
Congius	160.	8.	4.	1.						
Sextarius	960.	48.	24.	6.	1.					
Hemina	1920.	96.	48.	12.	2.	1.				
Quartarius	3840.	192.	96.	24.	4.	2.	1.			
Acetabulum	7680.	384.	192.	48.	8.	4.	2.	1.		
Cyathus	11520.	576.	288.	72.	12.	6.	3.	$1\frac{1}{2}$.	1.	
Ligula	46080.	2304.	1152.	288.	48.	24.	12.	6.	4.	1.

EÆDEM MENSURÆ, COMPARATÆ CUM PARIS. ET ARGENT.

Mensuræ Romi. antiquæ.	*Poll. cub. Paris.*	*Mens. Paris.*		*Mens. Argentor.*		
		Pintæ	Chopinæ	Ohmæ	Mens.	Schopinæ.
Culeus	26960	651	1, 360	11	14	1, 606
Amphora	1348	28	0, 168	—	13	3, 680
Urna	674	14	0, 084	—	6	3, 840
Congius	$168\frac{1}{2}$	3	1, 021	—	1	2, 960
Sextarius	$28\frac{1}{12}$	—	1, 170	—	—	1, 160
Hemina	$14\frac{1}{24}$	—	0, 585	—	—	0, 580
Quartarius	$7\frac{1}{48}$	—	0, 292	—	—	0, 290
Acetabulum	$3\frac{49}{96}$	—	0, 146	—	—	0, 145
Cyathus	$2\frac{49}{144}$	—	0, 097	—	—	0, 097
Ligula	$0\frac{337}{576}$	—	0, 024	—	—	0, 024

MENSURÆ ROMANÆ ARIDORUM, INTER SE COMPARATÆ.

Quadrantal	1.							
Modius	3.	1.						
Sextarius	48.	16.	1.					
Hemina	96.	32.	2.	1.				
Quartarius	192.	64.	4.	2.	1.			
Acetabulum	384.	128.	8.	4.	2.	1.		
Cyathus	576.	192.	12.	6.	3.	$1\frac{1}{2}$.	1.	
Ligula	2304.	768.	48.	24.	12.	6.	4.	1.

EÆDEM MENSURÆ, COMPARATÆ CUM PARIS. ET ARGENTOR.

Mensuræ Rom. antiquæ.	*Poll. cub. Paris.*	*Mens. Paris.* Modii	*Mens. Argentor. urbicæ.* Modii	Quartar.	Semioct.
Quadrantal	1348	2, 09096	1	1	3, 346
Modius	$449\frac{1}{3}$	0, 69699	–	1	3, 782
Semodius	$224\frac{2}{3}$	0, 34849	–	–	3, 891
Sextarius	$28\frac{1}{12}$	0, 04356	–	–	0, 486
Hemina	$14\frac{1}{24}$	0, 02178	–	–	0, 243
Quartarius	$7\frac{1}{48}$	0, 01089	–	–	0, 122
Acetabulum	$3\frac{49}{96}$	0, 00545	–	–	0, 061
Cyathus — —	$2\frac{49}{144}$	0, 00363	–	–	0, 040
Ligula	$0\frac{337}{576}$	0, 00091	–	–	0, 010

MEN.

MENSURÆ ATTICÆ LIQUIDORUM, INTER SE COMPARATÆ.

Μετρητής	1.										
Χοῦς	12.	1.									
Ξέστης	72.	6.	1.								
Κοτύλη	144.	12.	2.	1.							
Τέταρτον	288.	24.	4.	2.	1.						
Ὀξύβαφον	576.	48.	8.	4.	2.	1.					
Κύαθος	864.	72.	12.	6.	3.	$1\frac{1}{2}$.	1.				
Κόγχη	1728.	144.	24.	12.	6.	3.	2.	1.			
Μύστρον	3456.	288.	48.	24.	12.	6.	4.	2.	1.		
Χήμη	4320.	360.	60.	30.	15.	$7\frac{1}{2}$.	5.	$2\frac{1}{2}$.	$1\frac{1}{4}$.	1.	
Κοχλιάριον	8640.	720.	120.	60.	30.	15.	10.	5.	$2\frac{1}{2}$.	2.	1.

EÆDEM MENSURÆ COMPARATÆ, CUM PARIS. ET ARGENTOR.

Mensuræ Atticæ.	*Poll. cub. Paris.*	*Mens. Paris.* Pintæ	Chopinæ.	*Mens. Argentor.* Ohmæ	Mensur.	Schopin.
Μετρητής	2022	42	1, 252	—	20	3, 520
Χοῦς	$168\frac{1}{2}$	3	1, 021	—	1	2, 960
Ξέστης	$28\frac{1}{12}$	—	1, 170	—	—	1, 160
Κοτύλη	$14\frac{1}{24}$	—	0, 585	—	—	0, 580
Τέταρτον	$7\frac{1}{48}$	—	0, 292	—	—	0, 290
Ὀξύβαφον	$3\frac{49}{96}$	—	0, 146	—	—	0, 145
Κύαθος	$2\frac{49}{144}$	—	0, 097	—	—	0, 097
Κόγχη	$1\frac{49}{288}$	—	0, 049	—	—	0, 048
Μύστρον	$0\frac{335}{763}$	—	0, 025	—	—	0, 024
Χήμη	$0\frac{337}{720}$	—	0, 019	—	—	0, 029
Κοχλιάριον	$0\frac{337}{1440}$	—	0, 010	—	—	0, 010

MEN-

MENSURÆ ROMANÆ ARIDORUM, INTER SE COMPARATÆ.

Μέδιμνος	1.								
Ἑκτεύς	6.	1.							
Ἡμίεκτος	12.	2.	1.						
Χοῖνιξ	48.	8.	4.	1.					
Ξέστης	96.	16.	8.	2.	1.				
Κοτύλη	192.	32.	16.	4.	2.	1.			
Ὀξύβαφον	768.	128.	64.	16.	8.	4.	1.		
Κύαθος	1152.	192.	96.	24.	12.	6.	1½.	1.	
Κοχλιάριον	11520.	1920.	960.	240.	120.	60.	15.	10.	1.

EÆDEM MENSURÆ, COMPARATÆ CUM PARIS. ET ARGENTOR.

Mensuræ Rom. antiquæ.	*Poll. cub. Paris.*	*Mens. Paris.*		*Mens. Argentor. urbicæ.*		
			Modii	Modii	Quartar.	Semioct.
Μέδιμνος	2696	4,	18192	2	3	2, 692
Ἐκτός	$449\frac{1}{3}$	0,	69699	–	1	3, 782
Ἡμίεκτον	$224\frac{2}{3}$	0,	34849	–	–	3, 891
Χοῖνις	$56\frac{1}{6}$	0,	08712	–	–	0, 973
Ξέστης	$28\frac{1}{12}$	0,	04356	–	–	0, 486
Κοτύλη	$14\frac{1}{24}$	0,	02178	–	–	0, 243
Ὀξύβαφον	$3\frac{49}{96}$	0,	00545	–	–	0, 061
Κύαθος	$2\frac{49}{144}$	0,	00363	–	–	0, 040
Κοχλιάριον	$0\frac{337}{576}$	0,	00036	–	–	0, 004

MEN-

MENSURÆ HEBRAICÆ LIQUIDORUM, INTER SE COMPARATÆ.

Bathus	1.			
Hin	6.	1.		
Logus	72.	12.	1.	
Ovum Rabbin.	432.	72.	6.	1.

EÆDEM MENSURÆ, COMPARATÆ CUM PARIS. ET ARGENT.

Mensuræ Hebr.	*Poll. cub. Paris.*	*Mensur. Paris.*		*Mens. Argent.*		*Sextarii Romani.*
		Pintæ	Chopinæ.	Mensur.	Schopin.	
Bathus	2022	42	0, 252	20	3, 520	72
Hin	337	7	0, 042	3	1, 920	12
Logus	$28\frac{1}{12}$	—	1, 170	—	1, 160	1
Ovum	$4\frac{49}{72}$	—	0, 195	—	0, 193	$\frac{1}{6}$

MENSURÆ HEBRAICÆ ARIDORUM, INTER SE COMPARATÆ.

Corus ſ. Chomer	1.						
Lethech	2.	1.					
Epháh	10.	5.	1.				
Satum	30.	15.	3.	1.			
Homer ſ. Gomer	100.	50.	10.	$3\frac{1}{3}$.	1.		
Kabus	180.	90.	18.	6.	$1\frac{1}{5}$.	1.	
Ovum Rabbin.	4320.	2160.	432.	144.	$43\frac{4}{5}$.	24.	1.

EÆDEM MENSURÆ, COMPARATÆ CUM PARIS. ET ARGENTOR.

Mensuræ Hebr.	*Poll. cub. Paris.*	*Mens. Paris.*	*Mens. Argentor. urb.*			*Sextarii Romani.*
		Modii	Modii	Quartar.	Semioct.	
Corus	20220	31, 36440	21	3	2, 190	720
Lethech	10110	15, 68220	10	3	3, 095	360
Epháh	2022	3, 13644	2	0	3, 019	72
Satum	674	1, 04548	—	2	3, 673	24
Gomer	$202\frac{1}{5}$	0, 31364	—	-	3, 502	$7\frac{1}{5}$
Kabus	$112\frac{1}{3}$	0, 17425	—	-	1, 945	4
Ovum	$4\frac{49}{72}$	0, 00726	—	-	0, 081	$\frac{1}{6}$

TA-

TABULA GRAVITATIS LIQUORUM.

Pollex cubicus Parif. Liquorum.	Gravitas Liquorum In Pondere Paris.					
	Tempore Æſtivo.			*Tempore Hyberno.*		
	Unc.	Groſſ.	Gran.	Unc.	Groſſ.	Gran.
Mercurii	7	1	66	7	2	14
Olei Vitrioli	—	7	59	—	7	71
Spiritus Vitrioli	—	5	33	—	5	38
Spiritus Nitri	—	6	24	—	6	44
Spiritus Salis	—	5	49	—	5	55
Aquæ fortis	—	6	23	—	6	35
Spiritus Sulphuris	—	5	34	—	5	39
Aceti	—	5	15	—	5	21
Aceti deſtillati	—	5	11	—	5	15
Vini Campanici	—	4	66	—	4	70
Vini Burgundici	—	4	67	—	4	75
Aquæ Titæ	—	4	48	—	4	57
Spiritus Vini	—	4	32	—	4	42
Cereviſiæ albæ	—	5	1	—	5	9
Cereviſiæ fuſcæ	—	5	2	—	5	7
Vini Pomacei, *Cidre*	—	5	0	—	5	6
Lactis Bubuli	—	5	20	—	5	25
Lactis Caprini	—	5	24	—	5	28
Lactis Aſinini	—	5	17	—	5	21
Seri Lactis	—	5	14	—	5	19
Urinæ	—	5	14	—	5	19
Spiritus Urinæ	—	5	45	—	5	53
Olei Tartari	—	7	27	—	7	43
Olei Olivarum	—	4	53	Duo hæc olea congelata		
Olei Amygdalarum dulc.	—	4	52	Aræom. excipi non poſſunt.		
Olei Terebinthinæ	—	4	39	—	4	46
Aquæ Marinæ	—	6	12	—	6	18
Aquæ Fluvialis	—	5	10	—	5	13
Aquæ Putealis	—	5	11	—	5	14
Aquæ deſtillatæ	—	5	8	—	5	11

MEN-

MENSURÆ INTERVALLORUM ROMANÆ INTER SE COMPARATÆ.

Milliare	1.								
Stadium	8.	1.							
Paſſus	1000.	125.	1.						
Cubitus	$3333\frac{1}{3}$.	$416\frac{2}{3}$.	$3\frac{1}{3}$.	1.					
Palmipes	4000.	500.	4.	$1\frac{1}{5}$.	1.				
Pes	5000.	625.	5.	$1\frac{1}{2}$.	$1\frac{1}{4}$.	1.			
Palmus	20000.	2500.	20.	6.	5.	4.	1.		
Uncia	60000.	7500.	60.	18.	15.	12.	3.	1.	
Digitus	80000.	10000.	80.	24.	20.	16.	4.	$1\frac{1}{3}$.	1.

MENSURÆ EÆDEM COMPARATÆ CUM MENSURIS HODIERNIS.

Menſuræ Rom. antiquæ.	*Menſ. Pariſ.*		*Menſ. Rhinl.*		*Menſ. Argent.*	
	Toſ.	Ped.	Pertic.	Ped.	Pertic.	Ped.
Milliare	766	2, 1380, 0	396	7, 922, 0	516	2, 726, 0
Stadium	95	4, 1252, 5	49	6, 990, 2	64	5, 390, 7
Paſſus	—	4, 862, 5	—	4, 759, 9	—	5, 195, 1
Cubitus	—	1, 546, 7	—	1, 428, 0	—	1, 658, 5
Palmipes	—	1, 215, 6	—	1, 190, 0	—	1, 348, 8
Pes	—	0, 1324, 5	—	0, 952, 0	—	1, 39, 0
Palmus	—	0, 331, 1	—	0, 238, 0	—	0, 309, 3
Uncia	—	0, 110 4,	—	0, 79, 3	—	0, 103, 1
Digitus	—	0, 82, 8	—	0, 59, 5	—	0, 77, 3
Sicilicus	—	0, 27, 6	—	0, 19, 8	—	0, 25, 8
Scripulum	—	0, 4, 6	—	0, 3, 3	—	0, 4, 3

Partes pedis Pariſ. ſunt 1440^{mæ}, pedis Rhinland. 1000^{mæ}, pedis Argent. 1200^{mæ}. Adjectæ etiam ſunt partium particulæ decimæ.

MENSURÆ AREARUM AD REM RUSTICAM ROM. PERTINENTIUM, INTER SE COMPARATÆ.

Saltus	1.							
Centuria	4.	1.						
Hæredium	400.	100.	1.					
Jugerum	800.	200.	2.	1.				
Actus quadr.	1600.	400.	4.	2.	1.			
Versus	4608.	1152.	$11\frac{23}{25}$.	$5\frac{19}{25}$.	$2\frac{22}{25}$.	1.		
Clima	12800.	3200.	32.	16.	8.	$2\frac{7}{9}$.	1.	
Actus simplex	96000.	2400.	240.	120.	60.	$20\frac{5}{6}$.	$7\frac{1}{2}$.	1.

EÆDEM MENSURÆ COMPARATÆ CUM HODIERNIS.

Mensuræ Rom. antiquæ.	Arpena Gall.	Ped. quadr.	Jugera Argent.	Ped. quadr.
Saltus	402	35425	1023	10936
Centuria	100	33056	255	20733
Hæredium	1	330	2	13407
Jugerum	—	24365	1	6704
Actus quadrat.	—	12182	—	15352
Versus	—	4230	—	5331
Clima	—	1523	—	1919
Actus simplex.	—	203	—	256

MENSURÆ INTERVALLORUM GRÆCÆ INTER SE COMPARATÆ.

Μίλιον	1.								
Ἱππικόν	2.	1.							
Στάδιον	8.	4.	1.						
Πλέθρον	48.	24.	6.	1.					
Ὀργυιά	800.	400.	100.	$16\frac{2}{3}$.	1.				
Πῆχυς	3200.	1600.	400.	$66\frac{2}{3}$.	4.	1.			
Ποῦς	4800.	2400.	600.	100.	6.	$1\frac{1}{2}$.	1.		
Παλαιστή	19200.	9600.	2400.	400.	24.	6.	4.	1.	
Δάκτυλος	76800.	38400.	9600.	1600.	96.	24.	16.	4.	1.

EÆDEM MENSURÆ COMPARATÆ CUM HODIERNIS.

Mensuræ Græcæ.	*Mens. Paris.*		*Mens. Rhinl.*		*Mens. Argent.*	
	Tos.	Ped.	Pertic.	Ped.	Pertic.	Ped.
Μίλιον	766	2, 1380, 0	396	7, 922, 0	516	2, 726, 0
Ἱππικόν	383	1, 690, 0	198	3, 961, 0	258	1, 363, 0
Στάδιον	94	4, 1252, 5	49	6, 990, 5	64	5, 390, 7
Πλέθρον	15	5, 1168, 7	8	3, 165, 0	10	7, 665, 1
Ὀργυιά	—	5, 1078, 1	—	2, 949, 9	—	6, 543, 9
Πῆχυς	—	1, 629, 5	—	1, 487, 5	—	1, 736, 0
Ποῦς	—	0, 1379, 7	—	0, 991, 6	—	1, 90, 7
Παλαιστή	—	0, 344, 9	—	0, 247, 9	—	0, 322, 7
Δάκτυλος	—	0, 86, 2	—	0, 62, 0	—	0, 80, 7

MENSURÆ INTERVALLORUM HEBRAICÆ INTER SE COMPARATÆ.

Iter Sabbati	1.					
Kaneh, Arundo	$333\frac{1}{3}$.	1.				
Ammah, Cubitus	2000.	6.	1.			
Zereth, Spithama	4000.	12.	2.	1.		
Tophach, Palmus	12000.	36.	6.	3.	1.	
Esban, Digitus	48000.	144.	24.	12.	4.	1.

EÆDEM MENSURÆ COMPARATÆ CUM HODIERNIS.

Mensuræ Hebr.	*Mens. Paris.*		*Mens. Rhinl.*		*Mens. Argent.*	
	Tos.	Ped.	Pertic.	Ped.	Pertic.	Ped.
Iter Sabbati	551	5, 160	283	11, 278	371	6, 443
Kaneh, Arundo	1	3, 1344	—	10, 281	1	1, 178
Ammah, Cubitus	—	1, 944	—	1, 714	—	1, 1030
Zereth, Spithama	—	0, 1192	—	0, 857	—	0, 1115
Tophach, Palmus	—	0, 397	—	0, 286	—	0, 372
Esban, Digitus	—	0, 99	—	0, 71	—	0, 93

RATIO ROMANORUM COMPUTANDI ASSEM LIBRALEM SEU ÆS GRAVE, EJUSQUE PARTES.

	Lib. Tur.	Solid.	Flor.	Sch.	Pf.	Thaleri	Cruciat.
Sextula	—	$\frac{1}{6}$	—	-	$\frac{1}{2}$	—	$\frac{1}{4}$
Semuncia	—	$\frac{1}{2}$	—	-	$1\frac{1}{2}$	—	$\frac{3}{4}$
Uncia	—	1	—	-	3	—	$1\frac{1}{2}$
Sextans	—	2	—	-	6	—	3
Quadrans	—	3	—	-	9	—	$4\frac{1}{2}$
Triens	—	4	—	1	-	—	6
Semissis	—	6	—	1	6	—	9
As	—	12	—	3	-	—	18
Dupondius	1	4	—	6	-	—	36
Sestertius	1	10	—	7	6	—	45
Quadrussis	2	8	1	2	-	—	72
Quini æris	3	—	1	5	-	1	—
Deni æris	6	—	3	-	-	2	—
Centeni æris	60	—	30	-	-	20	—
Mille æris	600	—	300	-	-	200	—
Dena millia æris	6000	—	3000	-	-	2000	—
Centena millia æris	60000	—	30000		-	20000	—
Decies centena millia æris	600000	—	300000		-	200000	—

PRETIA NUMMORUM ARGENTEORUM HUJUS ÆVI.

Teruncius,	$\frac{1}{40}$	Denarii	æstimabatur	1 Quadrante.
Sembella,	$\frac{1}{20}$	Denarii	—	1 Semisse.
Libella,	$\frac{1}{10}$	Denarii	—	1 Asse.
Sestertius,	$\frac{1}{4}$	Denarii	—	$2\frac{1}{2}$ Assibus.
Quinarius,	$\frac{1}{2}$	Denarii	—	5 Assibus.
Denarius,	—		—	10 Assibus.

RATIO COMPUTANDI ASSEM SEMUNCIALEM, QUATENUS EST PARS DECIMA SEXTA DENARII.

	Denarii	Libr. Tur.	Sol.	Flor.	Sch.	Pf.	Thal.	Cruciat.
Quadrans	$\frac{1}{64}$	—	$\frac{1}{8}$	—	—	$\frac{3}{8}$	—	$\frac{3}{16}$
As	$\frac{1}{16}$	—	$\frac{1}{2}$	—	—	$1\frac{1}{2}$	—	$\frac{3}{4}$
Dupondius	$\frac{1}{8}$	—	1	—	—	3	—	$1\frac{1}{2}$
Sestertius	$\frac{1}{4}$	—	2	—	—	6	—	3
Quini æris	$\frac{5}{16}$	—	$2\frac{1}{2}$	—	—	$7\frac{1}{2}$	—	$3\frac{3}{4}$
Deni æris	$\frac{5}{8}$	—	5	—	1	3	—	$7\frac{1}{2}$
Centeni æris	$6\frac{1}{4}$	2	10	1	2	6	—	75
Mille æris	$62\frac{1}{2}$	25	—	12	5	-	8	30
Dena millia æris	625	250	—	125	—	-	83	30
Centena millia æris	650	2500	—	1250	—	-	833	30
Decies centena millia æris	62500	25000	—	12500	—	-	8333	30

PRETIA NUMMORUM ARGENTEORUM HUJUS ÆVI.

Quinarius seu Victoriatus,	$\frac{1}{2}$	Denarii,	æstimabatur	8 Assibus
Denarius		—	—	16 Assibus.

RATIO COMPUTANDI SESTERTIARIA APUD ROMANOS.

Sestertii	HS	Denarii	Lib.	Tur.	Sol.	Flor.	Sch.	Pf.	Thal.	Cruciat.
1		$\frac{1}{4}$	—		2	—	–	6	—	3
2		$\frac{1}{2}$	—		4	—	1	–	—	6
3		$\frac{3}{4}$	—		6	—	1	6	—	9
4		1	—		8	—	2	–	—	12
5		$1\frac{1}{4}$	—		10	—	2	6	—	15
6		$1\frac{1}{2}$	—		12	—	3	–	—	18
7		$1\frac{3}{4}$	—		14	—	3	6	—	21
8		2	—		16	—	4	–	—	24
9		$2\frac{1}{4}$	—		18	—	4	6	—	27
10		$2\frac{1}{2}$	1		—	—	5	–	—	30
20		5	2		—	1	—	—	—	60
30		$7\frac{1}{2}$	3		—	1	5	–	1	—
40		10	4		—	2	—	–	1	30
50		$12\frac{1}{2}$	5		—	2	5	–	1	60
60		15	6		—	3	–	–	2	—
70		$17\frac{1}{2}$	7		—	3	5	–	2	30
80		20	8		—	4	–	–	2	60
90		$22\frac{1}{2}$	9		—	4	5	–	3	—
100		25	10		—	5	–	–	3	30
1000		250	100		—	50	–	–	33	30
10000		2500	1000		—	500	–	–	333	30
100000		250000	10000		—	5000	–	–	3333	30
1000000 seu Decies		2500000	100000		—	50000	–		33333	30

Sestertia	HS	Denarii	Lib.	Tur.	Sol.	Flor.	Sch.	Pf.	Thal.	Cruciat.
1		250	100		—	50	–	–	33	30
2		500	200		—	100	–	–	66	60
3		750	300		—	150	–	–	100	—
4		1000	400		—	200	–	–	133	30
5		1250	500		—	250	–	–	166	60
6		1500	600		—	300	–	–	200	—
7		1750	700		—	350	–	–	233	30
8		2000	800		—	400	–	–	266	60
9		2250	900		—	450	–	–	300	—
10		2500	1000		—	500	–	–	333	30

RATIO COMPUTANDI SESTERTIARIA APUD ROMANOS.

Sestertia		Denarii	Libr. Tur.	Flor.	Thal.	Cruciat.
20		5000	2000	1000	*666*	60
Talenti pre- 24		6000	2400	1200	800	—
tium. 30		7500	3000	1500	1000	—
40		10000	4000	2000	1333	30
50		12500	5000	2500	*1666*	60
60		15000	6000	3000	2000	—
70		17500	7000	3500	2333	30
80		20000	8000	4000	*2666*	60
90		22500	9000	4500	3000	—
100		25000	10000	5000	3333	30
1000		250000	100000	500000	33333	30
seu Decies	HS					
Duodecies		300000	120000	60000	40000	—
Quindecies		375000	150000	75000	50000	—
Vicies		500000	200000	100000	*66666*	60
Vicies quater		600000	240000	120000	80000	—
Tricies		750000	300000	150000	100000	—
Quadragies		1000000	400000	200000	133333	30
Quinquagies		1250000	500000	250000	*166666*	60
Sexagies		1500000	600000	300000	200000	—
Centies		2500000	1000000	500000	333333	30
Ducenties		5000000	2000000	1000000	*666666*	60
Trecenties		7500000	3000000	1500000	1000000	—
Quadringenties		10000000	4000000	2000000	1333333	30
Quingenties		12500000	5000000	2500000	*1666666*	60
Millies		25000000	10000000	5000000	3333333	30
Bis Millies		50000000	20000000	10000000	*6666666*	60
Ter Millies		75000000	30000000	15000000	10000000	—
Decies Millies		250000000	100000000	50000000	33333333	30

RA-

RATIO COMPUTANDI PECUNIAM ATTICAM

	Pretium apud Romanos.	*Verum pretium.*						
Oboli	Sestertii	L. Tur.	Sol.	Flor.	Sch.	Pf.	Thal.	Cruciat.
1	$\frac{2}{3}$	—	$1\frac{1}{2}$	—	-	$4\frac{1}{2}$	—	$2\frac{1}{4}$
2	$1\frac{1}{3}$	—	3	—	-	9	—	$4\frac{1}{2}$
3	2	—	$4\frac{1}{2}$	—	1	$1\frac{1}{2}$	—	$6\frac{3}{4}$
4	$2\frac{2}{3}$	—	6	—	1	6	—	9
5	$3\frac{1}{3}$	—	$7\frac{1}{2}$	—	1	$10\frac{1}{2}$	—	$11\frac{1}{4}$
6	4	—	9	—	2	3	—	$13\frac{1}{2}$
Drachmæ								
1	4	—	9	—	2	3	—	$13\frac{1}{2}$
2	8	—	18	—	4	6	—	27
3	12	1	7	—	6	9	—	$40\frac{1}{2}$
4	16	1	16	—	9	-	—	54
5	20	2	5	1	1	3	—	$67\frac{1}{2}$
6	24	2	14	1	3	6	—	81
7	28	3	3	1	5	9	1	$4\frac{1}{2}$
8	32	3	12	1	8	-	1	18
9	36	4	1	2	0	3	1	$31\frac{1}{2}$
10	40	4	10	2	2	6	1	45
20	80	9	—	4	5	-	3	—
30	120	13	10	6	7	6	4	45
40	160	18	—	9	-	-	6	—
50	200	22	10	11	2	6	7	45
60	240	27	—	13	5	-	9	—
70	280	31	10	15	7	6	10	45
80	320	36	—	18	0	-	12	—
90	360	40	10	20	2	6	13	45
100	400	45	—	22	5	-	15	—
1000	4000	450	—	225	-	-	150	—
Μυριάς. 10000	40000	4500	—	2250	-	-	1500	—
Minæ.								
1	400	45	—	22	5	-	15	—
2	800	90	—	45	-	-	30	—
3	1200	135	—	67	5	-	45	—
4	1600	180	—	90	-	-	60	—

RATIO COMPUTANDI PECUNIAM ATTICAM.

	Pretium apud Romanos.	*Verum pretium in pecunia hodierna.*				
Minæ.	Seſtertii.	Libr.	Turon.	Flor.	Sch.	Taler.
5	2000	225		112	5	75
6	2400	270		135	–	90
7	2800	315		157	5	105
8	3200	360		180	–	120
9	3600	405		202	5	135
	Seſtertia.					
10	4	450		225		150
20	8	900		450		300
30	12	1350		675		450
40	16	1800		900		600
50	20	2250		1125		750
60	24	2700		1350		900
70	28	3150		1575		1050
80	32	3600		1800		1200
90	36	4050		2025		1350
100	40	4500		2250		1500
Talenta						
1	24	2700		1350		900
2	48	5400		2700		1800
3	72	8100		4050		2700
4	96	10800		5400		3600
5	120	13500		6750		4500
6	144	16200		8100		5400
7	168	18900		9450		6300
8	192	21600		10800		7200
9	216	24300		12100		8100
10	240	27000		13500		9000

VALOR PECUNIÆ VETERUM HEBRÆORUM.

Oboli	L. Tur.	Sol.	Flor.	Sch.	Pf.	Tal.	Cruciat.
1	—	$1\frac{1}{2}$	—	-	$4\frac{1}{2}$	—	$2\frac{1}{4}$
2	—	3	—	-	9	—	$4\frac{1}{2}$
4	—	6	—	1	6	—	9
10	—	15	—	3	9	—	$22\frac{1}{2}$
20	1	10	—	7	6	—	45
Sicli							
1	1	10	—	7	6	—	45
2	3	—	1	5	-	1	—
3	4	10	2	2	6	1	45
4	6	—	3	—	-	2	—
5	7	10	3	7	6	2	45
6	9	—	4	5	-	3	—
7	10	10	5	2	6	3	45
8	12	—	6	—	-	4	—
9	13	10	6	7	6	4	45
10	15	—	7	5	-	5	—
20	30	—	15	—	-	10	—
30	45	—	22	5	-	15	—
40	60	—	30	-	-	20	—
50	75	—	37	5	-	25	—
100	150	—	75	—	-	50	—
Minæ							
1	90		45			30	
2	180		90			60	
5	450		225			150	
10	90		450			300	
Talenta Argenti							
1	4500		2250			1500	
2	9000		4500			3000	
3	13500		6750			4500	
4	18000		9000			6000	
5	22500		11250			7500	
10	45000		22500			15000	
Talentum			Ducati.				
Auri 1	— — —		12220				



OTTHONIS SPERLINGII DISSERTATIO DE NUMMIS NON CUSIS

Tam veterum quam recentiorum.

PROŒMIUM.



De nummis publice cusis & signatis varios scriptores legimus, & manibus nostris quotidie versamus, at de nummis non cusis nemo quidquam, quod sciam, nisi sparsim, & obscure satis, nos docuit. Ii igitur nummi, non signati, non cusi, argumentum erunt hujus dissertationis. Nummos autem tam cusos quam non cusos aliquando cœpisse, nec originem cum ipsa rerum natura sibi vendicare posse, omnes fere consentiunt. In nummis cusis ultra Phidonem in Græcia, Croesum in Lydia, Darios in Perside, Servium Tullium in Italia Romæ nullos antiquiores monumenta prodiderunt autores. Nummos vero non cusos antiquior ætas illustrat, utpote inter Cananæos jam introducti, cum populus Dei terras illorum occuparet, & ab Abrahamo ipso repetendi, quin & ante ipsum, quod Sacra Scriptura docet. Hi igitur limites sunt fixi, intra quas decurrere oportet, de nummorum omnium initiis, & eorum inventoribus primo verba facturi.

CAPUT PRIMUM.

De Autoribus nummorum cuſorum.

HÆC cum ita ſint, & quod quævis terra ſuis nummis originem aliquam debeat, non conſiderandi veniunt illi Scriptores, qui etiam ante diluvium nummos in uſu fuiſſe contendunt, licet Sacra Scriptura illis adverſetur, & cum plures res ac mores enumeret, de monetis plane taceat illis temporibus. Quis autem Scriptura tacente, conjecturas ſuas aliquid eſſe velit? ſive Joſephus hoc dicat, ſive alius? Qui cum Scriptura non loquitur, jam contra illam locutus eſt; qui dubitat, fatetur ſe neſcire, aut quod neſcimus ſatius eſt non proloqui, cum non deceat bonos. Joſephus equidem de monetis nihil ante diluvium ſtatuit, ſed Cain primum inventorum ponderum ac menſurarum eſſe voluit. Hinc ita concludunt: monetæ in ponderibus maxime conſiſtunt, & ab initio præprimis conſtitere, ergo monetæ etiam a Caino ſunt inventæ. Nondum ſane de ponderibus & menſuris a Caino inventis liquet, quamvis Joſephus hoc dixerit; ſed manifeſtum hoc eſſe demus; dum de monetis conſtitutis ac percuſſis hoc quidquam probat? Quaſi pondera & menſuræ ſine monetis & nummis nullæ ſint, & quaſi ponderum ac menſurarum autor Cainus dici non poſſet, niſi etiam monetæ adjicerentur. Quam hæc frivola ſint, nemo non videt, nec ad hiſtoriam ullam referenda, ſed ad philoſophiam quandam Scepticam, & veritatis omnino vacuam.

Idem dicendum de Tubalcain, qui primus in ſacris ex ære & ferro vaſa neceſſaria fabricaſſe legitur. Monetam igitur ex ejus officina quoque procuſam volunt. Amplius ſane dicunt & inferunt, quam Sacra Scriptura, cui facile fuiſſet & pronum hæc addere, noſque de iis docere, ſi veritas ſubeſſet. Noluit autem, nec potuit referre quæ nondum patrata fuerant. Dum de his dubitant & ambigunt, etiam a Noacho poſt diluvium artem monetandi reſtauratam credunt; pondera & menſuras cum filiis ejus conſtituta volunt, quod ferri poteſt; neque enim ſine ponderibus & menſuris diu commercia hominum ſubſiſtere queunt, at ſine moneta poſſunt: & diu tractata ſunt nulla moneta interveniente omnium Hiſtoricorum conſenſu. Quid igitur dicunt? ne hilum quidem, quod pueri in faba reperire gaudent. Sacra Scriptura nec de his, nec de illis in Noacho aut Noachi filiis monuit. Hoc concedunt tandem, & ad Magog nepotem Noachi, Scytharum parentem delabuntur, illum monetam primum introduxiſſe clamant. quibus teſtibus? nullis omnino. Haberemus profecto, quod Scythis, & nobis ex illa cognatione deſcendentibus gratularemur, ſi verum hoc eſſet, monetas & nummos a Magogo fabricatos. Alii rurſus ad Thærah patrem Abrahami primam originem referunt, quod Sculptor is fuerit; cum igitur primos & incudes monetarum elaboraſſe, & nummos excudiſſe, ſaltem in ſua gente.

Ipſi Gentiles veteres nobis ſapientiores, nihil tale de nummis prodiderunt, imo adeo felicia deſcripſerunt tempora, ut nummis indigeret nemo. Sic Cratinus Comicus, primis ipſi temporibus ſub Saturno ad felicitatem eorum pertinuiſſe ſubinnuit, quod nummi vel ἄσημοι vel ἐπίσημοι nuſquam gentium cogniti eſſent, dum pueros non ob pecunias, ſed ob panes & placentas talis certaſſe ac luſiſſe refert: Οἱς δὲ Βασιλεύς Κρόνος ἦν τὸ παλαιὸν ὅτε τοῖς ἄρτοις ἠστραγάλιζον. Μᾶζαι δ' ἐν τᾶισι παλαίστραις Αἰγιναῖαι κατεβέβληντο, ſcilicet, ut eſſent præmia victorum: prout adduxit Athenæus *l. 6. c. 19. p.m. 267.* Ita quoque ex Teleclide *p. 268.* de iiſdem temporibus.

> Μήτραις τε τόμοις καὶ χναυματίοις οἱ
> παῖδες ἀνεστραγάλιζον.

Et nemo ſane veterum, de aureo illo ſeculo loquens, nummorum meminit, cum omnia abundaſſe vere dicant, ſuiſque licet figmentis ampliſſime S. Scripturæ ſuffragentur. Deus enim initia univerſi fertiliſſima & formoſiſſima produxerat, ut nihil unquam niſi vir purpureum & formoſiſſimus annus occurreret, ſponte naſcentibus & frugibus & herbis & pomis, adeo ut Deus ipſe in hac machina & compage exornanda ſibi placuerit, quod nihil deeſſet. Nuſquam enim vara aut avara manus. Und Gott ſahe an alles waſſ er gemacht hatte / und ſihe da / es war ſehr gut / Gen. 1.

Falluntur etiam, qui primos nummos ex terra vel luto coctos voluerunt, quibus ſucceſſiſſe ſcorteos, ex aluta paratos, poſtea ex ære, & argento; ex auro demum factos. His enim Sacer textus adverſatur, qui neque de luteis, neque de ſcorteis, neque de æreis nummis quidquam annotavit, ante argenteos, qui ſecundum ſacram hiſtoriam prima materia ſunt, ex qua nummi proponuntur; cum nec auro vel argento ulla mentio incidat, antequam Abrahamus ex Ægypto a Pharaone rediiſſet. Geneſ. 13. v. 2. De

ære & ferro etiam ante diluvium in Tubalcain Lamechi filio ex Zilla memoratum eſt, & prodiiſſe ex ejus domo artifices, qui ferrum & æs in varias formas ducere poterant. Geneſ. *cap.* 4. *v.* 22. ex quo loco dixi, quoſdam nummorum uſum etiam ante diluvium exſculpere. ſed fruſtra: cum nihil de nummis loquatur Hiſtoria Sacra, quando de ære & ferro locuta fuit. Villalpandus Appar. Templi *part.* 2. *l.* 2. *p.* 387. Lamecho jus primæ monetæ tribuit; & apud Judæos jus illud conſervatum eſſe uſque ad excidium ipſum ſtatuunt, Seldenus, Waſerus & Hottingerus. Si de nummis non cuſis intelligi ſe volunt, Judæos in iis perſeveraſſe, uſque ad excidium, una cum peregrinis nummis cuſis in commerciis ſuis, facile concedimus. At ſi de Siclis & nummis eorum cuſis ſententiam fovent, hic contradicere oportet, quod nulli tales reperiantur veri & genuini, nec rationibus firmis doceri hoc queat. De Abimelechi nummis eſt in textu Hebræo הנה נתתי אלף כסף לאחי *Ecce dedi mille argenti fratri tuo*. Non poteſt intelligi locus niſi de nummis argenteis donatis, cum numerus adſit, nam ſi argentum factum vel infectum donaſſet, alia formula hoc extuliſſet ad pondus potius reſpiciente quam ad numerum, qui mille argenteos donatos indicat: ita ut nihil certius ſit quam ab Abrahami ætate nummos argenteos in populo Judaico natos fuiſſe, ſive ab Ægyptiis ſive a Chaldæis, ſive a Cananitis illos in commerciis uſitatos velimus dicere; nam Judæi num proprios nummos ea ætate cuderint, alia quæſtio eſt, quos nondum in Rempublicam aut civitatem coaluiſſe conſtat, diſperſos inter gentes ac populos; priuſquam, promiſſam terram Canaan duodecim tribus occuparent, & Rempublicam formarent. Haud vero recte Salmaſius infert loco ſupradicto de Abrahami nummis, eos ſignatos fuiſſe, quod addatur, Silberſ das im Kauſ genbe und gebe war. עבר לסחר *tranſeuntis ad mercatorem*, quaſi argentum nullum inter mercatores valuerit, niſi ſignatum. Nemo ita reddidit aut credidit, Septuaginta τετρακόσια δίδραχμα ἀργυρίȣ δοκίμȣ ἐμπόροις, habent; Poteſt autem argentum in nummis non cuſis etiam probum intelligi, & mercatoribus placere, ſicut etiam illo tempore fuit, ita ut de ſignatis nummis nihil ex illis verbis exſculpi poſſit, prout Salmaſius credidit *lib.* de uſur. *p.m.* 424.

Unde falluntur illi egregie, qui conjecturis dictis, de Caino, Tubalcain, aut Thara patre Abrahami innituntur. Tacet Scriptura Sacra, nihil dicit eorum, quæ nos elicimus. Falſos igitur oportet eſſe, qui non erubeſcunt ſine Scriptura loqui, & aſſerere, cum jubeat Imperator pudorem, quoties abſque lege quiſquam audet. Nec Medicaſtro minimo credatur, ſi ſine Hippocrate & Galeno, aut ſupra illos ſapere velit. Nobis cum ſupra ſacra & veritatem ipſam divinam opiniones ſunt, quod libet, licebit?

O cæcas hominum mentes, o pectora cæca!

Jam vero cum nullibi nummorum cuſorum reperiatur, certa, Græcis primum nummos ſignatos repetendos eſſe omnia nos docent, quam ſibi gloriam adſcribunt quoque non ſemel, nec qua ratione denegari aut eripi poſſit, hactenus videmus. Orientales enim & Aſiaticos argento quidem non ſignato, in fruſtula & lamellas ad certum pondus defecto, & pro nummis uſos eſſe antiquitas commonſtrat, donec ſignandi artem a Græcis primum edocti ſequi cœperunt, ex iis quæ toties attulimus, puto, mihi concedent. Videamus Pollucem, qui autores monetandi recenſet, *p. m.* 437. Φήδων πρῶτος ὁ Αργεῖος ἔργαψε νόμιςμα, εἴτε δημοτικῇ ἢ κυβαίᾳ συνοικήσας, εἴτε Αθηναῖος Εριχθόνιος ϗ Λυκίοις, εἴτε Λυδοὶ, καθά φησι Ξενοφάνης, εἴτε Νάξιοι, κατὰ τὴν Α'γλωσθένȣς δόξαν. Pulchre dixit ἔργαψε νόμισμα, *inſcripſit nummos primus*, cum antea uſi eſſent rudibus & non inſcriptis. nec ante Phidonem nummos nullos fuiſſe dixit, fuerunt enim uamplurimi, ſed non publici, aut publice inſcripti & cuſi. De Lydis Herodotus *l.* 1. teſtatur, Πρῶτοι ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν νόμισμα χρυσȣ̃ ϗ ἀργύρȣ κοψάμενοι ἐχρήσαντο. Nam & illud κόπτειν νόμισμα ad veterem morem reſpicit, cum nummos non ſignabant, aut procudebant, ſed ſub forficibus cadere ſinebant, & ideo καλλίςȣ & πονηρȣ̃ ϗ κακίςȣ κόμματος vocabantur genuini & fraudulenti nummi ὀρθος κοπεῖσι, dicit Ariſtophanes, quod poſt κόμμα perfici non poſſent amplius. hodie autem poſt κόμμα etiam ſub cuneo ſudare coguntur nummi, adeo ut omnia antiqua eo ſpectent quod nummis quidem uſi ſunt omnes aureis, argenteis, æreis & ferreis, ſed ſibi quilibet, donec publici facti ſunt, & publica nota inſigniti. Salmaſius *l.* 1. uſur. *p. m.* 423. in eo totus eſt, ut probet nummos cuſos primos a Phœniciis ad Græcos perveniſſe. Sed revera defecit in ea re probanda. Nemo enim hoc dixit, nulla autoritate nititur, rationibus utitur, ſed quæ nihil de nummis cuſis a Phœniciis ad Græcos translatis concludunt. Nam quod paſ-

passim frequentabantur, primos in Græciam Phœnicios intulisse, & in alias regiones, eosque docuisse in usum convertere, & recipere lubens etiam concedam. At eos, nummos cusos, de quibus loquitur Salmasius, etiam primos attulisse, vel ullum Asiaticum populum, in Græciam aut ad alias nationes, hoc nusquam probavit Salmasius, nec ullus probare poterit. Quomodo enim quod ipsi non dum habuerunt cum aliis communicare poterant? Nummos non cusos non signatos in metallis, in ponderibus certis & diversis, ponderumque nominibus totus orbis antiquus diu retinuit, nec de cusis ullum verbum exstat, nisi cum male nummos non cusos pro cusis intelligunt & capiunt. Hi enim nusquam fuerunt apud antiquissimos, sive in Asia, sive in Græcia, sive alibi, usque dum Phidon in Græcia novo illo invento cudendi nummos se primus probavit, & celebrem ac utilissimam hanc artem fecit. Et quamvis multi præter Phidonem inventores statuantur nummorum cusorum, omnes tamen Græci sunt, præter Lydos, qui quo tempore nummos cudere cœperint, an ante vel post Græcos, nemo dixit. Herodoti locus de Lydis talis est, ut Salmasium minime juvet, potest enim sano sensu de nummis non cusis intelligi. Verba Herodoti sunt; Πρῶτοι δὲ ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κοψάμενοι ἐχρήσαντο. πρῶτοι δὲ καὶ καπηλοὶ ἐγένοντο. Primo non certus est se recte scire, Herodotus, sed addit, *quantum nos scimus*; deinde non cudisse nummos dicit, sed κόψασθαι. quod ambigui sensus est. Significat enim κόπτειν nullo modo proprie cudere, sed *secare*, *conscindere*, quod de nummis non cusis in lamellas & alia κέρματα pro usu nummorum sectis, melius dicitur quam de cusis. At cum Herodotus eo tempore vixerit, quo nummi jam cudebantur, nempe 77. annis post Crœsum Lydorum Regem, quem aureos primos cusos produxisse scripsimus, concedere decet, illud κοψάμενοι apud Herodotum, ut apud alios Græcos, de percussis nummis intelligi, quod illam vocem etiam eo traxerint. sed quia recens hoc erat de Lydis, & pauci adhuc in Græcia nummis cusis utebantur Herodoti tempore, hinc quod scivit, quantum scivit, prodidit, nam alias de nummis cusis in toto suo opere nihil Herodotus ullibi tradidit, quod ego observaverim. Ego statim post Græcos Crœsum in aureis idem tentasse, quod Phidonem in argenteis dixi, hinc natos Κροισείους στατῆρας aureos in nullum sane sic consentiunt antiqui Scripto-

Phœnicii navigationibus & mercibus transferendis studuerint, in iisque reliquis nationibus præcelluerint, ac Græcos etiam vicerint, nemo negaverit, adeo ut etiam nummos non cusos, qui per Asiam res, ac in Phidonem, ideoque hunc cœteris ut certiorem autorem præponimus in istis antiquis recipiendis & dijudicandis. Nam hinc quoque est, quod pondus Æginæum reliquis gravius sit, quod ibi a Phidone cęperint & constituta sint pondera graviora, & majores mensuræ, quam post reliqua Græcia observavit, nimirum quod Ægina prius, quam reliqua Græcia, ponderibus, nummis & mensuris studuerit. Nam plerumque posteri his detrahunt, & leviora ac minora νομίσματα hodierni præ antiquis in ponderibus & nummis & mensuris sequuntur. In nummis hoc manifestum est, denarii enim Germanici & Danici, qui dicuntur, quid sunt ad denarios antiquos? 72. pars drachmæ, & 144[ta]. Hoc etiam in aureis contigit & æreis, plenique sunt Scriptorum libri, nunquam auctiorem; sed in suo genere semper minorem nummum factum, eodem licet nomine perseverante. Attici, quorum pondera propterea Græci plus amabant quam Æginea, quod essent leviora, quatuor obolis minus drachmam nominare cœperunt, ita ut Hesychius optime monuerit. Αἰγιναῖον νόμισμα ἀργυροῦν μέγα καὶ Αἰγιναῖος ὁμοίως ὀβολὸς, quod antiquius esset Attico. Hinc quoque talentum Æginæum Attico gravius est 4. mille drachmis, nam Atticum non nisi sex mille talentum vocavit; Æginetæ decem mille drachmas, sed Atticas, Polluce testante. Haud tamen oboli a Phidone ortum habent, nec ab illo cusi sunt, sed drachmæ solæ argenteæ; in auro & ære nummos suos Phidonem produxisse non adeo legimus, sed sequens ætas hoc addidit. Unde præter Hesychium, qui ἀργυροῦν μέγα νόμισμα Ægineam drachmam vocavit, Ephorus quoque hoc dixit apud Strabonem *l.* 8. Εφορος δὲ ἐν Αιγίνῃ ἄργυρον πρῶτον κοπῆναι φησὶν ὑπό φείδωνος. Εμπορεῖον γὰρ γενέσθαι, δὶα, τὴν λυπρότητα τῆς χώρας, τῶν ἀνθρώπων θαλαττουργούντων ἐμπορικῶς. ἀφ' οὗ τὸν ῥῶπον Αἰγιναῖον ἐμπολὴν λέγεσθαι. Phidon igitur primus drachmas argenteas, hactenus sine charactere *usuales*, ut loquuntur, ad cuneum vocavit, & signum publicum sub malleis recipere docuit, hoc non edoctus ab Asiaticis, sed ex suo ingenio ad usum publicum nummorum respiciente, fraudibus jam multis inter privatos, & jurgiis, querelis ac litibus, imo cædibus, ob nummos istos hactenus non cusos occurrentibus, quæ incommoda

da publico nomine & charactere nummis impoſito, vitare ſe poſſe credidit, privatis facile moleſtias illas, qui nummi non cuſi ſecum ferebant, declinantibus, & publicæ curæ relinquentibus. Quod ab initio quidem egregie ſucceſſit, dum reſpublicæ incorruptius tractabantur, oneraque libentius ſuſciperent ac ferrent, muneribus ſuis ſatisfacientes, ut populo ſe probarent admodum ſoliciti. ſed labes ſeculorum etiam hanc in nummis integritatem ubique fere nunc pervertit. Sic neque affirmare cum Salmaſio, Phœnicios mercatores Æginam nummos ſuos tranſtuliſſe, aut Ægineos ab illiis petiiſſe, multum nocebit, modo navigationes iſtas pecunioſas, prout debent, de nummis non ſignatis uſque ad Phidonem intelligant, qui non minus *Æginæ*, & in tota Græcia valebant, quam in Aſia. At ſi ubique nummos cuſos etiam ante Phidonem ſtatuere velimus, quodvis regnum, quamvis Rempublicam in ſuis potius nummis adquieſcere debuiſſe, nec alienos facile permittere, ratio ſtatus cujuſque videtur ſuadere, ac ſi nec Phœnicios, nec Sidonios aut Tyrios nummos cuſos Græciam agnoviſſe, ſed ſuos prætuliſſe quemvis, ſequitur: ita ut Phœnicii nullo cum fructu ſuos nummos cuſos transfretaſſent, aut Æginæi ſuſcepiſſent, ſed ſtatim, etiam ante Phidonem nummos proprios Græciam edoctam eſſe ab illis cudere; de qua tamen re nulla antiquitas vel famam reliquit, aut ullibi terrarum nummos excuſos exſtitiſſe, priuſquam Phido, vel forte Græcus alius, hoc inventum in Græcia prodidit: Navigent ergo quamdiu velint tam Phœnicii quam Græci commerciorum ad invicem cauſa, nullum profecto mihi nummum cuſum ante Phidonem Græcum & Argivum illorum exſculpent commercia: ne veſtigium quidem ullum apud alios nummorum cuſorum ſupereſt ante Phidonem. Cur igitur illa quæ Scriptores antiquiſſimi memoriæ prodiderunt, nullo contradicente, tam ægre ferimus, ut alia nunquam dicta vel ſcripta ambabus manibus amplectamur, illiſque fidem facere ſtudeamus, & præferre?

Salmaſius quoniam in eo errore verſatus eſt, etiam Abrahami nummos cuſos fuiſſe, recte ſatis argumentatus eſt, ab iis populis Cananitis & Phœniciis nummos cuſos in Græciam transfretaſſe, ſed quoniam hoc nullibi in S. Scriptura dicitur, aut Abrahami, aut Jacobi, aut filiorum ejus nummos cuſos fuiſſe, nec aliorum Orientalium aut Aſiaticorum, ſed ſolo pondere diſtinguantur ac metallo, hinc neque Græcos ab Aſiaticis nummos cuſos accepiſſe, aut cudere didiciſſe, ulla ratione ſequitur. Aſiatici præterea nullibi autorem nummorum cuſorum apud ſe produnt, ut Græci, quibus nemo hanc inventionem dubiam fecit, inter antiquos, niſi quod ſolos Lydos obducant Herodotus & Pollux: quod contra tot teſtimonia pro Græcis nihil efficit, qui non ſolum nummos apud ſe cuſos jactant, ſed & autores ipſos nominant, & qua ætate nummos illos cuſos productos legerint, ex antiquis monumentis nobis commemorarunt, quorum fidem tuto ſequor, donec aliter & ſolidius contrarium probetur. Alterum argumentum, quo utitur Salmaſius, pro nummis cuſis primis ex Oriente deducendis eſt ex nominibus nummorum, μνᾶ, δραχμαῖς & ὀβολοῖς &c. hæc alibi in hac diſſertatione confutaſſe me memini, nec præter μνῶν ullum nomen ab Orientalibus Græcos retinuiſſe docui, cætera omnia indigenatum ſuum præferunt. Jam quod Homeri & Heſiodi ætate nullos nummos apud Græcos fuiſſe vel legi ponit, hoc ego concedam de nummis cuſis, de non cuſis minime, licet forte νομίσματος nomen nondum fuerit introductum, aliis tamen nominibus illos non cuſos ſubindicarunt, metalla ipſa indicantes, quibus merces emebant, & ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων. βοῦν appellantes argentum vel æs certo pondere, quo bos emi poterat. Sed & τάλαντα tunc nota fuerunt tam in trutinæ inſtrumento, quam in pondere. Trutinam τάλαντα vocat in hoc verſu Homerus:

> Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.

De pondere vero auri

> Κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύο χρυσοῖο τάλαντα.

Et in Odyſſ:

> Καὶ χρυσοῖο τάλαντον ἐείκοσι τιμήεντος.

Ἡμιτάλαντον quoque apud ipſum legere eſt, ut Pollux obſervavit *p. m.* 430. καὶ διτάλαντον ἂν εἴποις κατὰ Δημοσθένην, καὶ τριτάλαντον, καὶ ἡμιτάλαντον ὡς Ὅμηρος.

> Ἀλλά τοι ἡμιτάλαντον ἐγὼ χρυσοῦ ἐπιθήσω.

Cur μνᾶς, cur δραχμῆς non meminit? nam & illa in pondere erant. Num nihil niſi talenta noverant tunc Græci? quis hoc perſuadebit? Uno pondere poſito, ponuntur reliqua: & minora magis ſunt ex uſu, quam maxima, qui igitur ma-

maximum non ignoravit pondus, minima creditur satis cognita habuisse. Sed Poetæ de rebus magnis loquenti non tam convenit minas & drachmas proferre quam talenta. Hæc causa est, cur in ejus carminibus non legantur, licet fuerint una cum talentis. Talenta enim sola pondera omnia non possunt absolvere. Jam etiam fatetur Salmasius Arabes ante Caliphas suos nummos non cudisse, post Mahometum scilicet, num propterea nummis cusis aliorum non usi sunt? num etiam prius non cusos ignorarunt? num vocem *darhem*, quod est drachma Græcorum de nummis non prius usurparunt? dixi alicubi, Græcos nummos veteres cusos & inscriptos, Arriano teste, ipsis ad mare Erythræum in usu mansisse, qui non fuerunt nisi *darhem* & drachmæ, ut nulla causa sit, cur non a Græcis hanc vocem sumserint, & Persis etiam tradiderint, quamvis Salmasius existimet, a *dirham* Persarum Arabes *darhem*, & Græcos δραχμὴν didicisse, quod rationi satis sanæ non convenit, inverti enim illud debet, Græca lingua in Asiam, Ægyptum & alias regiones Orientalium se disseminante feliciter, non vero Orientalibus in Græciam. Persica vero lingua hodierna in multis Arabicæ se debet, ideoque illorum literis scribitur. Sic *Dinar* quoque didicerunt a Romanis Arabes, & *folles* quoque obolos æreos. Hæc igitur nihil probant nummos cusos ab Orientalibus primum prodiisse: Græcorum inventum est, & manet nummus cusus. De mensuris a Phidone restauratis & correctis tandem credit *p. m.* 431. Salmasius, cur de nummis cusis credere non potest? cohærent illi fere cum pondere, mensura & numero. Dicit celebrem & constantem nimis famam apud Græcos de Phidone superesse, quam ut nihil horum credi possit, & tamen adversatur, inprimis de nummis cusis; cum nullibi terrarum nummos cusos orbis viderit ante ipsum, saltem nemo fuisse docuerit aut ostenderit.

De Phidone inventore numismatum cusorum in Græcia legitur apud Strabonem *lib.* 8. Φείδωνα τὸν Ἀργεῖον δέκατον μὲν ὄντα ἀπὸ Τημένου, δυνάμει δ' ὑπερβεβλημένον τοὺς κατ' αὐτὸν ἀφ' ἧς τήν τε λῆξιν ὅλην ἀνέλαβε τὴν Τημένου διεσπασμένην εἰς πλείω μέρη, ϗαὶ μέτρα ἐξεῦρε τὰ φειδώνεια καλούμενα, ϗ σαθμοὺς, ϗ νόμισμα κεχαραγμένον τότε ἄλλο ϗ τὸ ἀργυροῦν. Dum νόμισμα κεχαραγμένον primum produxisse Phidonem asserit, ante eum quidem numismata alia viguisse non signata, non procusa, non κεθαραγμένα, pariter subindicat, & omnis generis nummos eum primum signasse vult, non solum æreos & ferreos, & stanneos, sed etiam argenteos, qui hactenus nondum signa incusa acceperant. Diximus paulo ante, quod & aureos cusos illi tribuant. Exstant quoque Phidonii nummi apud Antiquarios, ut in Thesauro Brandenburgensi per Nobliss. Begerum edito *p.* 279. Denarii Romani magnitudine & quod excedit, cujus prima facies scutum excisum ancile ostendit, altera urceum & uvam, per medium ΦΙ-ΔΟ. Ad mensuras a Phidone constitutas respici hoc urceo, nullus dubito: sed illum illique similes nummos esse ex iis, quos Phidon ille apud Æginenses percussit, non ego quidem statuam, ut statuit Begerus. Dicit Strabo ejusmodi metra omnia diu post ipsum Φιδώνεια appellata esse, imo ipsum vasculum ΦΕΙΔΩΝ. ut habet Pollux, εἴη δ' ἂν ϗ φείδων τι ἀγγεῖον ἐλαιηρὸν, ἀπὸ τῶν Φειδωνίων μέτρων ὠνομασμένον. Et ut mensuræ Phidoniæ dictæ sunt, sic nummus drachmæ Æmineæ pondere signatus a Phidone, Αἰγίνειον. Drachmæ Æginææ Pollux meminit *p. m.* 435. quam παχεῖαν δραχμὴν vocarunt, quod 4. obolis plus valeret aut ponderosior esset quam Attica drachma, decem enim obolos Atticos pendebat drachma Æginæa, Phidone, nisi fallor, sic constituente, cum Attica non nisi sex haberet. Pollucis verba sunt. ἀλλὰ μὴν τὴν μὲν Αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς Ἀττικῆς. δέκα γὰρ ὀβολοὺς Ἀττικοὺς ἴσχυεν, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλουν. Hoc igitur ΦΙΔΟ, in hoc nummo significabit non ab ipso cusum, sed in ejus memoriam, qui nummos, mensuras & pondera curavit, ab aliis cusum, & Phidonii ponderis seu gravioris, non vero Attici, vel levioris esse. Nam Phidonem pondere imitari potuerunt seri posteri in nummis cudendis, Phidonis, vero nummos nisi Phido cudere nemo potuit aut curare, ita ut Phidonis ætate nummum istum cusum asserere haud conveniat. Et quamvis multi alii nummorum cusorum inventores in Græcia ponantur, Erichtonius, 700. fere annis ante Phidonem, Hermodice, uxor Midæ Regis Phrygum, quæ Cumæis prima nummos signaverit, ut Coel. Rhodiginus observavit, vel Lydi, quibus Herodotus primum numisma tribuit, Itonus vel Ionus apud Lucanum Thessalorum Rex, Theseus, quem Plutarchus *p. m.* 11. Atheniensibus nummos cudisse memoravit, ante Phidonem annis 438. Phidonem tamen formam cudendi monstrasse primum judico, qua deinceps meliorem reperire non dabatur. Tum quod plerique doctiores in eum consentiant, tum quod ejus monetæ nummi ponderosiores fuerint, inge-

geniosiores, & elegantiores quam ulli prius. Et ante omnia, quod nemo non ad Græcos solos hanc artem cudendi constantissime retulerit, nec alios autores nummorum cusorum ullibi animadvertamus quam in Græcia sola. Hinc Plutarchus ait de Theseo: Ἔκοψε δὲ καὶ νόμισμα βοῦν ἐγχαράξας, ἢ διὰ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, ἢ διὰ τὸν Μίνω στρατηγὸν, ἢ πρὸς γεωργίαν τοὺς πολίτας παρακαλῶν. Proverbium quoque notum est ex hac pecunia natum Βοῦς ἐν γλώττῃ *Bos in lingua*, de iis qui pecunia corrupti linguam venalem locabant, aut tacendo dicenda, aut pervertendo facta. Post quæ tempora Græci etiam in nummorum Inscriptionibus luxuriare cœperunt: & quando in Romanis nummis Inscriptiones creverint, ex jam dictis constat. At non eadem ratio in nummis Danicis obtinet, licet enim verum sit æreos plerosque inscriptione carere, haud tamen eadem causa Romanis & Danis Inscriptiones omittendi, vetustas scilicet, & simplicitas seculi: sed in nummulis Danicis ideo sunt omissæ Inscriptiones, quod sine cura, ut vilissimi omnium expedirentur, nec literas plures talia corpuscula nummorum, qualia sunt Danica, caperent, & sufficeret W. pro Waldemaro, E. pro Erico ponere, & C. pro Christophoro, in argenteis concinnandis & inscribendis semper accuratiores, ita ut nec Danica res nummaria, vel antiquitate vel ingenio Romanæ comparari possit, nec ullum ex absentibus inscriptionibus in tam minutulis æreolis antiquitatis argumentum desumi queat.

CAPUT II.

De Nummorum non Cusorum Origine.

Singulis populis certa nummorum initia constituta, sed omnium antiquissima in populo Dei, ubi sicli civiles, & Sanctuarii, aliique minores nummi. Hos secuti sunt Græci, & inter eos Thessali primi, per Itonum Deucalionis filium nummos cudere cœperunt, annis circiter 1486. ante Christum, si vera sunt, quæ Lucanus cecinit *lib. 6. v. 402.*

Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit & immensis coxit fornacibus æra.

Quis vero primus nummos illos non signatos in usum deduxerit haud quidem satis constat. Ultimæ antiquitatis inventum esse nemo dubitat, nec ante Abrahamum quidquam de emtionibus argento factis observari potuit: non quod Abrahamum autorem istorum nummorum asserere velim, sed quod Abrahami tempore passim per Cananææ Provincias illorum usum reperiam: Abimelech enim inter Kedes & Zur qui rerum potiebatur, Abrahamo illuc migrante *Gen.* 20. primus dicitur mille argenteos expendisse, cum quibus Saram dimisit: Sihe da/ ich habe deinem Bruder tausend Silberling gegeben: qui argentei non intelligi possunt nisi pondere & numero divisi, sive in massa argenti, vel πλίνθοις, vel κόμμασι vel κέρμασι, vel in omnibus eos argenteos præbuerit, quod in tanta antiquitate nescire nobis licet; mille argenteos nummos Saræ tribuit Abrahamo ferendos, eo magis ut hoc munere placaretur. Ante emtionem Abrahami hæc acciderunt, ut ex Sacris notum est, & nihil aliud colligi potest, quam inter Cananæos istum usum argenti instar nummorum invaluisse jam, eosque venditiones & emtiones illis argenteis peregisse, quos etiam in Ægypto aliisque regionibus receptos ostendunt filii Jacobi Patriarchæ illuc venientes. Hos autem nummos nemo facile dicat signatos publice aut procusos fuisse, alicujus Principis imagine aut literis, prout hodie nummos habemus, cum nullibi de moneta publica, aut monetarum artificibus vel ædibus quidquam annotatum legamus, ipsaque antiquitas simplicitatem istam nobis commendet, qua nummi tales suo pondere appensi & expensi sufficiebant. Habent enim nummi non signati illud peculiare, ut recipi possint quacunque venerint, modo pondere certo sint, & argenti probitate non fallant, quod illis seculis ignotum fuit, quæ tot fraudes nesciebant, quas sequens ætas immiscuit. Nummi vero signati intra suas provincias & ditiones plerumque solum valent, ab exteris pro lubitu rejiciuntur. Quæ causa est, cur nummos omnes sive argenteos sive aureos ejus ætatis non signatos fuisse judicemus, quod ubique valuerint, ubi argentum vel aurum recipi consueverat. Fuerunt quippe gentes, qui argentum vel aurum recipere nolebant, sed merces mercibus permutari maluerunt, prout hodie quoque supersunt, qui neque signatos, neque non signatos nummos in negotiationibus suis admittunt, sed permutationi mercimoniorum unice insistunt ut ex variis exterarum gentium historiis docemur. Non enim quod inter Cananitas obtinuit, ut nummis argenteis non signatis mercarentur,

tur, illud protinus ad omnes reliquos populos trahendum eſt. Sodom & Gomorrha, Adama & Zeboum & Zoar, quo Loth frater Abrahami ſeceſſerat, non iis moribus vixiſſe videntur quibus Cananitæ, nec nummis uſi leguntur ut Cananitæ. Hinc, puto, eſt, quod de ſolo Abrahamo dicatur: Abram war ſehr reich von Vieh / Silber und Gold / *Gen.* 13. de Loth vero, Loth aber der mit Abram zog / der hatte auch Schaffe / Rinder / und Hütten. nulla mentione auri vel argenti facta; quod etiam obſervatur, *cap.* 14. victis Sodomitis & vicinis populis a Kedorlaomor Rege Elamitarum, neque iſtos, neque illos argento vel auro uſos: Sic enim exſtat: Da nahmen Sie alle Habe zu Sodom und Gomorrha / und alle Speiſe / und zogen davon. Nec in victoria Abrahami contra hos Reges, aurum ullum aut argentum reportatum, in præda licet inſigni, memoratur. Adeo ut illos populos ſine auro & argento ſola permutatione vixiſſe vero perquam ſimile videatur, nec veluti Cananitas, ubi Abrahamus degebat, aureis vel argenteis κεκερματισμένοις uſos eſſe, cum alias Scriptura Sacra non neglexiſſet, prout de Abrahamo monuit, etiam illorum opes in auro & argento recenſere. Joſephus *lib.* 4. *Antiq. p. m.* 117. quando prædam a Midianitis victis captam recenſet, aurum & argentum ex ſuo addit, neque enim Sacra Scriptura hoc expreſſit, at aurum illud & argentum nec in nummis ἀσήμοις nec ſignatis poſuit, ſed χρυσȣ̃ καὶ ἀργύρȣ ἄπειρόν τι πλῆθος κατασκευῆς, ἣ κατ' οἶκον ἐχρῶντο, nominavit, addens, ὑπὸ γὰρ εὐδαιμονίας καὶ ἁβροδίαιτοι σφόδρα ἐτύγχανον. Ad vaſa igitur & ſuppellectilem aurum illud omne & argentum, ut inſtrumentum luxus ſpectabat, & tamen ex *cap.* 37. *Gen.* notum eſt Midianitas eoſdem multis ſeculis prius nummis ſuis argenteis emiſſe Joſephum triginta ſcilicet כסף aut ſiclis argenteis numeratis, qui licet ἄσημοι fuerint, pro more populorum iſtorum, ut docui, haud tamen ille numerus fuiſſe videtur, ut dignum cenſuerint, qui ad reliquas divitias componerentur. Nummis igitur non ſignatis primis poſitis in Cananæis populis, quia nullibi prius reperiuntur, diſquirendum venit an ſicli pondere fuerint illi, quos Abimelech Abrahamo donavit, & fuiſſe colligo, licet ſicli nomen non addatur, ſed ſimpliciter כסף dicantur. At quoniam in Abrahami emtione *Geneſ.* 23. ex ore Epron Zoarenſis, qui inter Cananæos & Hethitas agros poſſidens degebat, primi ſicli eorumque nomen producitur, hos nummos omnes ſicli nomine & pondere conſideremus neceſſe eſt, ita ut ubi כסף reperitur in Sacris de numiſmate, elliptica locutio cenſeri debeat, & ſiclus ſubintelligi, quod ante monui.

Sola Sacra Scriptura lucem his non ſignatis fœneratur, & recentiora quædam quæ ſuperſunt per orbem veſtigia, antiquorum mores præferentia & retinentia. In Scriptoribus vix aliquid, niſi ſatis obſcure, quod nummi cuſi ipſis ſcribentibus plena luce ac meridie ſemet offerrent. Jam quod ſub pondere & libripende etiam nummi cuſi perrexerint accipi & expendi, veterem morem non cuſorum ob oculos ponit, in quibus neceſſarium fuit, ad pondus quemlibet nummulum exigi, & quemvis accipientem vel erogantem libripendem eſſe, quod in nummis cuſis non adeo requiritur, publico pro integritate & pondere reſpondente, cujus fidem in dubium vocare non eſt cujuſvis, ideoque hodie fere intermittitur, niſi quod daniſtæ Judæi uſum ejus aliquem revocarint, noſque docuerint attentiores eſſe, inter tot fraudes, quas ponderi nummorum cuſorum quoque male feriati homines inferunt. Proprie enim trutinæ examen aut ponderis ad nullum privatum pertinet, poſtquam publica fide; publico cuneo probati exierunt nummi cuſi; at nummi non cuſi ſine pondere nec dari nec accipi poterant a quoquam; In his igitur pondus primario, in illis non niſi ſecundario vel ex ſuperfluo ſpectabatur. Eodem pertinet, quod nummi cuſi ponderum nominibus vocari perrexerint, quippe quod ante eos nummi non cuſi nominibus aliis non exprimerentur, nec exprimi poſſent, ita cum ponderibus arcte conjuncti, ut ſine iis nullum nomen forent. Quæ igitur nomina præter pondus nummis ſubnata ſunt, ea poſt nummos cuſos fere acceſſerunt, cum pondera non amplius reſpicerentur, ut γλαῦκες, χελῶναι, Darici, Philippei, denarii, ſolidi &c. quorum nomen in pondere δραχμαὶ fuerunt, δίδραχμα, τετράδραχμα. Hoc vero ex nummis iſtis ἀσήμοις apud Athenienſes & Lacedæmonios colligitur, Principes illarum Civitatum Theſeum & Lycurgum νόμον ac modum utendi ſuis præſcripſiſſe, ut quanti & quales eſſe deberent hi nummi, cives ſcire poſſent & obſervare: quod quoque Moſes in populo Dei non prætermiſit, ad ſiclum ſanctuarii & Gerah aurum & argentum omne, eorumque metallorum probitatem hos nummos, & νόμον illorum redigendo, ne falli poſſent accipientes, niſi vellent, vel pondere vel metallo. Sic jus & νόμος fuit publicus totius rei nummariæ, uſus autem & examen

men nummorum ſingulorum penes privatos & ſingulos manebat, quorum erat κερματίζειν, quouſque poſſent, & rerum venalium pretia deſiderarent. Non igitur mirum, ſi a Scriptoribus etiam hæc ἄσημα vocantur νομίσματα, cum non ſine νόμῳ liceret illis uti, prout convenerat: adeo ut etiam ſermonis νόμισμα, modum loquendi argutum & brevem Lacedæmoniorum vocaverit Plutarchus *p. m.* 51. Τὸ μὲν γὰρ σιδηροῦν νόμισμα μικρὸν ἔχειν ἐποίησεν ἀπὸ πολλοῦ σταθμοῦ δυνάμιν ὁ Λυκοῦργος, ὡς εἴρηται, τὸ δὲ τοῦ λόγου νόμισμα τοὐναντίον, &c. quæ commonſtrant, qua ratione veteres vocabulo τοῦ νομίσματος non de ſolis nummis ſignatis acceperint, ſed etiam de non ſignatis, quin & ulterius tranſtulerint a corporeis ad animum. Erant etiam aliarum rerum νομίσματα h. e. *inſtituta*: ut κοτυλῶν νόμισμα apud Ariſtophanem, ſic σταθμῶν νόμισμα, inſtitutum de ponderibus, & mos in iis receptus. Sic eleganter Demoſthene ait, ἀργύρειον μὲν νόμισμα εἶναι τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἕνεκα, τοῖς ἰδιώταις εὑρημένον, τοὺς δὲ νόμους ἡγεῖσθαι τῆς πόλεως νόμισμα, *leges eſſe inſtituta Civitatis, nummos vero privatorum*. Sic νόμισμα tam nummum, quam quævis inſtituta ſignificat, at in plurali numero νομίσματα non niſi de nummis tantum uſurpari obſervamus, νομίζειν vero etiam ſic accipitur ut νόμισμα, prout Ariſtides loquitur; Οἱ Βυζάντιοι σιδήρῳ νομίζουσι: *Byzantii ferro utuntur vice nummi*. Ita Pollux quoque; τοὺς μέντοι Συρακοσίους κατασίτερον πότ' αὐτ' ἀργυρείου νομίσαι Διονύσιος κατηνάγκασε. Quin & Plato in Eryxia: ἐν δὲ Λακεδαίμονι σιδηρῷ σταθμῷ νομίζουσι. *Lacedæmones ferreo pondere utuntur loco nummi*. Et ut νομίζειν, *in more habere & uſu* explicatur, ſic νομίζεσθαι *in more eſſe vel haberi* dicitur. Hæc me docuit Salmaſius d. Uſur. *pag.* 436. qui docte hæc perſequitur adeo, ut νόμισμα & νομίσματα tam nummis non cuſis quam cuſis tribui poſſit, & ſæpiſſime tribuatur. Hinc quoque nummi nomen, quod etiam ex νόμῳ & νομίζειν deſcendit, iſtis non cuſis abjudicari minime debet, idem enim finis eſt utrorumque, ut beneficio eorum copia rerum neceſſariarum nos non deficiat, ſed in promtu & expedita ſint hæc συναλλάγματα.

Eadem ratio nummorum apud veteres Britannos, quando Julius Cæſar illos acceſſit, in laminas enim ac particulas ferri & æris metalla comminuta ad uſum geſtabant, ut pro nummis in emtionibus & venditionibus eſſent, de quibus etiam alibi in hoc opere diſquiſitionem inſtitui.

Ideo cum Ariſtoteles de nummo ejuſque initiis loquitur, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ h. e. quod ſimplex nummus fuerit ſine charactere & ſignis, ſola magnitudine & pondere conſpicuus, ejuſque particulas & κέρματα non excludit, quod eæ magis eſſent neceſſariæ & quotidianæ, quam magna illa & ponderoſa numiſmata, quæ fere ſervabantur, ut eſſet ſemper, unde κέρματα ſibi decerpere poſſent, tum vero etiam, cum myriades, & multa centenaria ſolvenda erant, ſuus magnis illis maſſis uſus manebat, ita ut σταθμὸς omnibus illis ſeu parvis ſeu magnis inhæreret ſemper, τὸ μέγεθος vero pro re nata. Nec minus τὸ κέρμα τῷ αὐτοῦ μεγέθει καὶ σταθμῷ ὁρισθὲν νόμισμα dici poteſt, quam alius nummus major, ita ut τὸ μέγεθος Ariſtoteli hic ſit quantitas, ſeu exigua, ſeu quævis alia, ſicque κέρμα etiam comprehendat. Sed ſimpliciter etiam μέγεθος intelligi poteſt, quod Ariſtoteles ea ſententia fuerit, omnes nummos primos, ſicut in Græcia, ab ære cœpiſſe & ferro, ac βαρυστάθμοις illis: poſt homines deveniſſe ad argenteos, & tandem ad aureos: qui gradus tamen non ubique obſervati, ſed pro metallorum feracitate inter gentes, his aureos primos fuiſſe credimus, illis argenteos, aliis æreos, aliis plumbeos aut ſtanneos. Argenteis tamen uſos eſſe pleroſque ex S. Scriptura patet, & Cananitarum ac Judæorum commerciis cum aliis. Lacedæmonios etiam argento tali uſos ante Lycurgum, qui ferreos voluit ſolos, ex ipſa Reipublicæ emendatione inſtituta ſequitur. Quoniam igitur æris copia Græciam magis bearat, quam metalla cætera, originem nummorum non ſignatorum illis ab ære factam negare nolumus, ita tamen, ut nec argenteos nec aureos reſpuerent, quantum poterant: nam ære ſolo uti non poterant ut νομίσματι, niſi reſpiciendo quoque ad argentum & aurum, quantum inter ſe pretio differre deberent, illudque conſtituendo, ut uſus æris introduci poſſet. Et cum ab initio ſtatim inter omnes aurum, argentum, & æs & ferrum & plumbum dignitate quadam præferri ac diſtingui cœperint, neceſſe fuit majus æris pondus eſſe in pretio rerum & mercium, argenti minus, auri minimum; ut ubi argenti vel auri drachma opus erat, ibi centum vel ducentæ æris requirerentur. Hic erat ille νόμος, qui νομίσματα ab invicem diſtinguebat, & ſecundum quem ἐνόμιζον, his pondus tale, illis aliud approbantibus: illi his nominibus, iſti vero aliis. Omnia tamen certo pondere conſtabant, & ad ſe invicem referebantur. Hinc illud μέγεθος nummi apud Ariſtotelem, qui non niſi æreos & ferreos primos fuiſſe, ut plurimos & fre-

frequentiores in Græcia credidit. Minimi tunc erant librales, qui sane μέγετος faciunt & ὄγκον, si argenteos compares & aureos. Ita quoque, dum permutatio sola substitit, & nummi nulli sive signati sive non signati introducti erant, quædam magni pretii & βοώνητα dicebantur, quædam vilis pretii, quæ ἀλώνητα vocarunt: quamvis nummo introducto ista nomina perseveraverint, & βοώνητα etiam dicta, quæ nummorum magno numero & gravi emebantur, ut quæ vili pretio, nec tanta summa æris gravis adquirebantur, etiam ἀλώνητα perrexerunt dici. Sic Pollux l.7.c.2. ἀλώνητοι, ait, ἐκαλοῦντο, οἱ μηδενὸς ἄξιοι τῶν οἰκετῶν. ὅτι τῶν Θρακῶν οἱ μετόγειοι ἁλῶν ἀντὶ κατηλλάττοντο τοὺς οἰκέτας. Quod vero Pausanias in Lacedæmoniis Polydori Regis domum ipsis bobus emtam esse post ejus mortem scripsit: hoc mihi non videtur factum esse, sed nummis. Nummos enim tunc suos ferreos tenebant Lacedæmonii, quibus emere poterant, & tamen quæ emerant βοώνητα vocare licebat. Polydorus annis 189. post Lycurgum regno præfuit. Pausaniæ verba sunt: Λακεδαιμονίος δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν τούτην ἐστὶν, ὡς ἤδη λέλεχται ἴμοι, τὰ ὀνομαζόμενα βοώνητα, Πολυδώρου ποτὲ τοῦ Βασιλέως. Ἀποθανόντος δὲ παρὰ τοῦ Πολυδώρου τῆς γυναικὸς ἐπρίαντο ἀντιδιδόντες βοῦς; ἀργύρου γὰρ οὐκ ἦν ποιτότε οὐδὲ χρυσοῦ νόμισμα. κατὰ τρόπον δὲ ἔτι τὸν ἀρχαῖον ἀντιδιδώασι βοῦς καὶ ἀνδρόποδα, καὶ ἀργὸν τὸν ἄργυρον καὶ χρυσόν. Nihil de ære aut ferro memorat, quæ tamen in Græcia, dum nummi non cusi valebant, quos vocat ἀργὸν ἄργυρον καὶ χρυσὸν, frequentiora fuerunt auro & argento. Eo vero tempore, nummis jam in promtu, domum regiam permutatam esse facile judicatur, sed nummis ferreis, quibus omnia reliqua Lacedæmone emebantur. Vera tamen sunt, quæ Pausanias dicit de temporibus antiquis, & bobus ipsis & mancipiis & rudi argento & auro res emi solitas, priusquam nummus cusus prodiit, quamvis Polydori Regis ætate hoc non amplius fieret, quod nummi non cusi jam permutationem illam commodiorem reddidissent, quam bobus ipsis & mancipiis. Utrumque tamen in hac venditione concurrisse, & boves, & mancipia, & nummos, nihil prohibet. Ita non opus est, quod Salmasius vult, verba Aristotelis detorqueri, ut legamus ὁρισθὲν μεγέθει, οὐ σταθμῷ. Sine pondere enim certo nullum plane νόμισμα dari potest, rude metallum potest, quod certo ponderi non alligatur, nec servit nummorum usui, nisi ad pondus certum redactum. Nam ideo νομίσματος nomen acceperunt metalla, quod certus νόμος, usus ac modus illis poni cœperit ad res alias æstimandas, quæ æstimatio nummis facilius fieri poterat, quam aliis rebus. Hunc ob finem igitur introducti nummi, qui dicti sunt, ut pondere suo certo, certum rebus pretium darent & constituerent sive in massis, sive in κέρμασι. At quod Collybistas mensæ suæ insedisse non adsedisse, ex Græca voce ἐπικαθῆσθαι judicet *p. m.* 511. hoc mihi quidem non probatur. Quis enim nescit varias & ambiguas significationes præpositionis ἐπὶ apud Græcos? sic ἐπικομίζειν τι, nihil aliud est, quam afferre, non inferre. Sic ἐπίπηχυ non dicitur pars, quæ inest aut insidet cubito, sed pars superior cubiti. Aliquando *post* significat, ut κύλιξ ἐπινιπτεὶς, poculum, quod post lavationem præbetur; & hæc sint innumera, in quibus ἐπὶ significationem mutat, ἐπιβώμιον μέλος saltem addam, quod non significat stantem aut sedentem in ara canere, sed ad aram: sic quoque ἐπικαθήμενος τραπέζῃ non significat argentarium insidentem mensæ, sed adsidentem. Quomodo enim commodum argentario fuisset insidere mensæ, in qua nummos suos expositos habet, ut videant, qui permutare cupiunt? nonne commodius adsidebit, nihil agens nisi custodiam mensæ, aut adstabit, ut accedentes melius observare possit? sic puto. Uni sane homini insidere mensæ, ex qua nummi qui petuntur tradi debent, sive permutando sive fœnori dando, plane non convenit: non enim solum est τραπεζίτης & mensarius, qui ex mensa recipit, sed & est κολλυβιστὴς & δανειστὴς, ἀργυραμοιβὸς, λιτροσκόπος &c. quæ sedendo vel insidendo mensæ nequaquam negotiari potest; Et de his satis.

CAPUT III.

De Nummis ἐπισήμοις & ἀσήμοις.

Agnoscit ipse Pollux, ἀργύρειον dici non solum de argenteis omnibus, factis, infectis, sed etiam de numismatibus. Τὸ ἀργύρειον, inquit, καλεῖται χρήματα καὶ νομίσματα, agnoscit etiam in nummis argentum tam dici ἐπισημον, quando signatum, quam ἄσημον, quando non signatum, æque ac in vasis argenteis, quæ signis sunt illustrata, argentum ἐπίσιμον reperitur, ut in nudis & simplicis artificii ἄσημον. Sic quoque in vestibus, aliæ erant ἐπίσημοι, figuris suis intextis superbientes, aliæ ἄσημοι. Nam quod argentum aliud παράσημον, παρασεσημασμένον, παρατετυπωμένον, παρακεχαμένον, παρεγγεγραμμένον appellavit, hæc ad num-

nummos male cusos, improbi argenti, perperam sculptos, aut ex alia causa rejectos pertinent. Ἄσμοι autem videntur Salmasio etiam dici, qui sunt detriti & fere deleti nummi, ut ἐπίσημοι qui novi sunt & asperi. *c.* 17. d. Usur. *p. m.* 492. De his non loquimur nunc, non enim revera sunt ἄσημοι, qui ἐπίσημοι aliquando fuerant, usu detriti & vestigia ἐπισήμων retinentes. Nec tamen ἄσημοι, licet hodie primum sub forfice ceciderint, & plane novi sint, asperi propterea dici queunt, quia sunt & manent læves. Sed soli cusi, & a cuneo recentes aspraturam commonstrant in notis exstantibus & signis, unde argentarii *pro aspratura* & integritate nummorum quiddam recipiebant, quando nummos novos & asperos detritis & deletis permutabant. Aliud est igitur ἐπίσημος nummus, aliud ἄσημος plane, aliud asper, aliud detritus & deletus.

Initio igitur cum non nisi ἄσημοι essent, ἀργύριον dicebantur, quod erant, sed nummis cusis accedentibus, jam ἀργύριον prodiit ἐπίσημον & ἄσημον, pariter nummis cusis & non cusis obtinentibus, ideo Josephus *l.* 17. Antiq. *c.* 19. *p.m.* 599. bis τὸ ἀργύριον ἐπισημον de nummis cusis, quos Herodes Augusto reliquit & ejus cognatis, adduxit: τῇ ἀδελφῇ αὐτȣ̃ καταλείπει ἀργυρίȣ ἐπισήμȣ μυριάδας πεντήκοντα —— Καίσαρι δὲ ἀργυρίȣ μὲν ἐπισήμȣ μυριάδας χιλίας, χοεὶς δὲ σκέυη τὰ μέν χρυσȣ̃, τὰ δ' ἀργύρȣ̃ καὶ ἐσθῆτα παμπολυτελῆ. Hic videmus ἀργύρεον ad nummos solos pertinere, ἄργυρον autem ad vasa, quod Latini distinguere nequeunt, illi enim & vasa & nummos & infecta ac rudia uno verbo argenti exprimunt, adeo ut cum ἀργύριον ponitur, antiquis sane, & nummi cusi & non cusi significentur, cum vero ἀργύριον ἐπίσημον additur, soli nummi cusi: aliud enim est ἄργυρον ἐπίσημον, quo signa in vasis & poculis exstantia denotantur, non nummi; ita quoque ἀργύρεον ἄσημον, & ἄργυρον ἄσημον distinguenda.

Neque enim nummis cusis statim cessarunt non cusi. Κέρματα quidem & λεπτὰ & ὀβελισκοὶ perierunt, quod non amplius pondere ista minuta considerarentur ut prius, cusis forte prævalentibus; at massæ, πλίνθοι, tam auri quam argenti, hodienum in usu, quibus æque solvitur ac nummis cusis, ut in Notitia Imperii, sub Comite Sacrarum largitionum, non solum Procuratores Monetarum respondebant, sed & Primicerii Scrinii aureæ massæ; Primicerius Scrinii argenti, & Primicerius Scrinii a pecuniis, quæ sunt nummi cusi. An vero Primicerius Scrinii a Miliarensibus, qui additur in Notitia Occidentis, ad nummos cusos pertineat, an vero ad argentum non cusum, vix mihi licet definire cum ponantur inter argenti Scrinium & pecuniæ, ut ad utrumque pertinere possint Miliarensia. At ad aurum & aureos nummos, quod voluit Pancirolla, trahere non licet, quia cum argento & pecuniis conjungitur, quæ non nisi argenteos nummos complectuntur.

Nec putandum frustra esse, quod Josephus toties τὸ ἀργύρεον ἐπίσημενον efferat, voluit enim peregrinos nummos indicare, eosque distinguere a Judæorum propriis & ἀσήμοις. Sic *l.* 17. *c.* 13. repetit quod Herodes legaverit Salomæ Sorori ἀργυρέȣ ἐπισήμȣ μυριάδας πέντε, & quod Cæsar Augustus hæc confirmaverit; & paulo post eundem Augustum filiabus Herodis donasse μυριάδας ἀνὰ πέντε καὶ εἴκοσι ἀργυρέȣ ἐπισήμȣ, quæ sunt drachmæ argenti 250000. aut unciales Thaleri 31250. Illud ἐπίσημον sane non obiter aut perfunctorie a Josepho Sacerdote Hierosolymitano toties additum dici potest, sed ex causa certa, quod etiam ἄσημον ἀργύρεον in thesauris servari sciret. Nemo enim toties ἐπίσημον ἀργύρεον inter Scriptores usurpavit Josephus: ἀργύρεια vero simpliciter ponit, ut *c.* 12. ejusdem libri, *p. m.* 610. μηδὲ ὅπως μηδὲ ἀργυρείων δεδομένων. Athenæus *l. XI. c.* 8. *p.m.* 480. etiam præter nummos aliud argentum ἐπίσημον vocat, ut pocula: ἐφέροντο ἐπίσημοι κύλικες αἵτε Ἀργέαι καὶ αἱ Ἀττικαί. Multa enim pocula ἄσημα erant, multa ἐπίσημα, ut Virgilius cecinit quoque Ecl. 3. *v.* 36.

> —— *Pocula ponam*
> *Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis,*
> *Lenta quibus torno facili superaddita vitis,*
> *Diffusos hedera vestit pallente colymbos.*
> *In medio duo signa Conon, & quis fuit alter*
> *Descripsit radio totum qui gentibus orbem;*
> *Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.*

Hæc enim emblemata, autumni & veris labores designantia, *duo signa* vocavit, propter quæ hæc pocula ἐπίσημα fuerunt. Cætera, ut vites & corymbi ad ornatum spectabant non ad signa. Ita Damoetas quoque sua pocula distinxit, illorumque ornamenta ut a signis alia recensuit.

Et

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et moli circum est anſas amplexus acantho
Orpheaque in medio poſuit ſylvaſque ſequentes.

Hic *achantus* ornamenti loco fuit, *Orpheus* vero cum Sylvis ad ſigna ſpectavit, propter quæ ἐπίσημα fuerunt hæc pocula. Myuntis poculum, quod Ilii excidium torno ſculptum præferebat, huc pertinet ex fragmento quod exſtat apud Caſaubonum in notis ad *cap.* IV. *lib.* XI. *pag. m.* 784. κατασκευάζουσι, ait, οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τὴν ὕαλον μεταῤῥυθμίζοντες πολλάκις πολλαῖς ἰδέαις ποτηρίων παντὸς τοῦ πανταχόθεν κατακομιζομένου τὴν ἰδέαν μιμούμενοι, quod fictilia antiquiora fuiſſe vitreis facile oſtendit. In Hedyli Epigrammate purpureum vitrum legitur apud Athenæum *lib.* XI. *cap.* 2.

—— μετροῦσα θυωθὲν
Ἀεὶ πορφυρέης λέσβιον ἐξ ὕελου.

Ita ut purpureus color etiam in vitris ut veſtibus fuerit eximius. Sed de ἐπισήμοις ſic habet: Μῦς, οὗ εἴδομεν σκύφον Ἡρακλεωτικὸν, τεχνικῶς ἔχοντα Ἴλιον ἐντετορνευμένην, ἔχοντα ἐπίγραμμα τόδε:

Γράμμα Παρασίοιο τέχνα Μυὸς ἐμμὶ δὲ ἔργον,
Ἴλιου αἰπεινᾶς, ἂν ἕλον, ἂν ἦλον Αἰακίδαι.

Vides τὸ ἐπίσημον hujus poculi fuiſſe Trojam captam, reliqua velut ornamenta acceſſiſſe. Pollux etiam τοὺς δακτυλίους σφραγῖδας vocavit ἐπισήμους, quod illi ſigna inſculpta habeant. Nec aliter in nummis, alii enim ἐπίσημοι, alii ἄσημοι.

CAPUT IV.

De Nummis æſtimato ſumtis.

AGidem quidem Regem Lacedæmoniorum *pag. m.* 799. in bonis habuiſſe οὐσίαν πολλὴν, οὖσαν ἐν τοῖς γεωργουμένοις καὶ νεμομένοις, ἄνευ δὲ τούτων ἑξακόσια τάλαντα νομίσματος οὖσαν. *Pecuniæ ſignatæ ſexcenta talenta* reddiderunt Interpretes, faciuntque monetæ noſtræ 450000. unciales thaleros. In ferreis obolis illam ſummam Agidem non tenuiſſe quilibet facile videt, ſed in auro & argento, at propterea in nummis ſignatis conſtitiſſe totam, haud mihi videtur ex Plutarchi loco hoc elici, multo minus eos nummos Lacedæmone ſignatos, qui ab initio nummis ſignatis argenteis & aureis peregrinis, & extra Lacedæmonem cuſis uſi ſunt, nec de moneta eorum propria in argento vel auro quidquam hactenus allatum eſt. Repetit hanc ſummam deinde *pag. m.* 844. τὴν οὐσίαν τὴν ἑαυτοῦ τοῖς πολίταις ἐπέδωκεν, ἄνευ τῶν ἄλλων κτημάτων ἑξακόσια τάλαντα νομίσματος ἔχουσαν. Fuit ſane Plutarchus in ea ſententia, omnes fortunas & opes in nummis cuſis conſiſtere; prout ejus tempore res ſe habuit, hodieque perſeverat: ergo autem dum Plutarchum ex aliis Scriptoribus antiquis hæc hauſiſſe conſidero, & illa ſic reperiſſe ſcripta, hæc & hujuſmodi alia non intelligi aliter debere judico, quam illa quæ produxit Agis, vel in agris, vel in auro & argento, purpura, gemmis, aliiſque theſauris Regiis, ad ſexcenta talenta redigi vel æſtimari potuiſſe, non vero ſexcenta in nummis ſolis cuſis Agidem in medium attuliſſe. Sic in Demoſthenis vita *pag. m.* 847. patrem ipſius ipſi reliquiſſe talenta quindecim annotavit, non in nummis cuſis ſolum, ſed in aliis bonis æſtimatis, μικρὸν γὰρ ἀπέλιπεν ἡ σύμπασα τίμησις αὐτοῦ τῆς οὐσίας πέντε καὶ δέκα ταλάντων, quæ nobis undecim mille ducenti & quinquaginta thaleri Imperiales aut unciales ſunt, qui machæropæo ſufficere poterant, cujus conditionis & opificii pater Demoſthenis fuerat. Talia igitur numiſmata, eorumque ſummæ, non niſi æſtimato in bonis conſideranda veniunt, ex quibus ea ſumma pecuniæ cuſæ redigi poſſet, ſi venderentur. Ita quæ donabantur Demoſtheni ab Harpalo Athenis, aurea erant omnia, & poculum Regium, & pecunia; æſtimata vero argenti talentis viginti, quæ ſunt unciales thaleri 15000. in auro vero ejuſque pondere non niſi talentum cum quadrante faciebant, & Daricos aut χρυσοῦς, ſi δίδραχμοι fuerunt 3750. Ducatos vero monetæ noſtræ Hungaricos, 7500. Addit poſtea in vita Ciceronis *pag. m.* 862. Syllæ Libertum Chryſogonum proſcripti & interfecti cujuſdam bona licitatum eſſe, quæ ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν, cum contra Roſcius filius interfecti τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἄξιον. Tanti momenti eſt æſtimatio; quam Chryſogonus hereditatem non æſtimavit pluris, aut emit 250. uncialibus thaleris, eam veri heredes thaleros 187500. valuiſſe perſuaſi ſunt. Sed exinde ſatis conſtat, multa talenta & argenti pondera nummos cuſos non fuiſſe, ſed nec niſi æſtimato ad nummos pertinuiſſe, adeo, ut argento vel auro, nummis cuſis vel non cuſis, talentorum pondus ſem-

ſemper ſuppleri & præſtari potuit, quod æſtimatio non ad ſolos nummos cuſos iis temporibus ſpectaverit, ſed ad omne argentum ejuſque pondera. Cicero Verri litem cum Siculis, quos concuſſerat in Prætura ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων ut æſtimarent Judices, obtinuit, dicente Plutarcho in Cicerone *pag. m.* 864. Hæ myriades de drachmis intelliguntur argenti, faciuntque noſtræ monetæ unciales thaleros 93750. Interpres Latinus per Seſtertia ſummam efferre maluit, *lite*, ait, *æſtimata tricies HS*. Seſtertium itaque 250. drachmas ſeu denarios efficiebat, hocque tricies centies ſumtum ſummam jam dictam drachmarum & uncialium nummorum reddit. Hæc igitur æſtimatio quacunque ratione ſolvatur, ſive per talenta, ſive per ſeſtertia, ſive nummis cuſis, ſive non cuſis, ſive agris & prædiis, modo in auro vel argento, vel utroque ſimul, exhibeatur, ſoluta dici poterit; nec opus erat nummis cuſis, ſi non ſuppeterent, ſed eorum loco aurum & argentum quodvis idem præſtabant, prout etiam hodie æſtimationes eadem ratione procedunt, cum nummos cuſos reperire non poſſunt, quos offerant, quidquid enim æſtimari poteſt, pro nummis valet, auro & argento deficiente. Sic dos Terentiæ, uxoris Ciceronis, δώδεκα μυριάδων dicitur fuiſſe, & hereditas quæ obvenit, ἐννέα δηναρίων μυριάδων, ibidem adducitur. Latinus interpres extulit per nummos ſeſtertios, 480000. & 360000. quatuor nummos in denarium computando, qui denarii collecti unciales nummos noſtros 26250. conſtituunt. At ſi quis aut dotem aut hereditatem in meris nummis cuſis exſtitiſſe ſibi perſuadet, næ ille fallitur, cum vel ſine unico nummo cuſo & dos & hereditas repræſentari poſſit. Aliud igitur eſt ad nummos cuſos omnia referre, & nummis cuſis æſtimata recipere, vel ſolvere, aliud vero in nummis cuſis & ſignatis ſolis theſauros poſſidere. Quamdiu quippe aurum & argentum nummi non cuſi cuſique in manibus hominum verſati ſunt, hæc æſtimatio rerum aliarum, propter compendia, quibus metalla gaudeat, ad ea fuit relata & computata, ſed ad nummos cuſos non niſi poſtremo, quod hi omnium ultimi prodierunt. Hæc etiam cauſa eſt, cur per pondera vel nummos minimos ſignatos efferre maluerint, eorumque ſummas drachmas, aſſes, libras, minas ἡμιμναίες ἀργυρᾶς &c. vocare, quod ab initio nihil niſi pondus obſervarent in nummis non cuſis, illudque in nummis cuſis & ſignatis magis etiam reſpicere pergerent, quam ſigna ipſa & probitatem metalli, aliaſque res; modo enim pondere ſibi conſtaret nummus, cœtera non adeo accurate inquirebantur, aut controvertebantur. Nam majores ſummas per pondera numerari haud quidem miror, cum ſine nominibus aliis ſint, nec aliter exprimi poſſint. Sic nummorum ſummam ingentem quam Suſis victo Dario Rex Alexander recepit, per Plutarchum non aliter exprimitur *pag. m.* 686. quam τετράκις μύρια τάλαντα νομίσματος. Idem eſt ac ſi dixiſſet quadraginta mille talenta auri. Vix enim in Perſide talenta argenti poſſunt intelligi, ubi auro ſcatebant theſauri; aurum inferebatur, non argentum, niſi ad Græcos mores reſpexerit Plutarchus, & eorum talenta in argento, & ſecundum ea computum collegerit. Utroque modo ſummam hanc exponemus in moneta noſtra, ut quæ ſit vero ſimilior retineri poſſit. In argento igitur Alexander 300. tonnas auri reperit; ſingulas centum millium thalerorum uncialium. At ſi per talenta auri computare magis Regium quis exiſtimet, 3000. tonnas auri colligemus. Ingentes utique ſummæ, quamcunque elegeris. At cuſos illos fuiſſe nummos omnes nemo dixerit, ſed multas jacuiſſe maſſas & πλίνθους nummis deſtinatas, ac regni caſibus ultimis ſervatas facile quivis judicat. Taxilæ Indorum Regi χίλια τάλαντα νομίσματος προέπιεν Alexander M. ut dicitur *p. m.* 698. Interpretes *mille talenta argenti ſignati* expreſſerunt, faciunt noſtræ monetæ ſeptem tonnas auri cum dimidia. Cum vero Taxilæ nummos cuſos aut ſignatos propinaſſet, cui nihil ſerviebant tales nummi? Indicos enim nummis cuſis tunc uſos eſſe quis evincet? inprimis Indos illos, qui Hyrcaniæ ad Orientem oppoſiti degunt? nam ex Hyrcanis Alexander in Indiam movit, Septentrionalem maxime, quos homines nummos cuſos ne noviſſe quidem hactenus diſcere potuimus. Dona igitur ejus pretii Alexandrum Taxilæ obtuliſſe vero ſimilius videtur quam nummos cuſos. Sed ita loqui amant Scriptores, quaſi ſine nummis cuſis nihil actum ſit, ut ut ſæpe nummus nullus intervenerit. Neque enim hæc attendunt. Sic cum Abulites unus ex Satrapis *p. m.* 703. Alexandro dicitur attuliſſe τετρακισχίλια τάλαντα νομίσματος, καὶ ἐκέλευσε τοῖς ἵπποις τὸ ἀργύριον παραβαλεῖν. Diſcimus primum talenta non niſi in argento intelligi, quod alias monui, & hic expreſſit Plutarchus, deinde Abuliten, Præfectum Provinciæ Perſicæ, hæc argenti talenta attuliſſe, quæ in nummis ſignatis & cuſis ſi quis computare velit, ut ſolent

lent interpretes capere & reddere, næ ille rem nummariam iſtorum temporum ignorare mihi videtur. Quomodo enim Abulites Perſa tot nummos cuſos five διδράχμυς ſive τετραδράχμυς uſque ad ter mille talenta Alexandri theſauris intuliſſe credi poterit? & non potius maſſas auri & argenti, quæ tot talenta penderint, non ſignata, non cuſa? cum in illis regionibus vixerit, ubi cudere nummos haud ſolebant, in primis argenteos, ſed maſſas nummorum cuſorum loco perſolvere, quod in hunc uſque diem illis gentibus permanet. Hæc enim ter mille talenta tonnas 22. auri cum dimidia noſtræ monetæ conficiunt, quas in meris nummis cuſis perlatas ab Abulita nemo facile perſuadebit, antiquitate & iſtis temporibus refragantibus, ubi nummorum cuſorum tanta copia exſpectari nequaquam poterat. Perſæ ſane nummos aureos maxime cuderunt, non argenteos, unde additur, Alexandrum redeuntem in Perſiam ἀποδῶσαι τὸ νόμισμα ταῖς γυναιξὶν, ὥσπερ εἰώθεισαν οἱ Βασιλεῖς, ὁσάκις εἰς Πέρσας ἀφίκοιντο διδόναι χρυσοῦν ἑκάστῃ, multosque Reges, illud ut evitarent, Perſiam raro acceſſiſſe, Ochum vero nunquam. Daricum igitur aureum ſingulis mulieribus expendere tenebatur, qui erat δίδραχμος, ut ſæpe monuimus. Et tales nummi qui cuſi fuerint, nequaquam pugno. Cum Ptolomæus Cypri Rex mortem ſibi veneno paraſſet, & Cato Romanorum cauſa illis adeſſet, οὔσης δὲ πολλῆς καὶ βασιλικῆς ἐν ἐκτυπώμασι καὶ τραπέζαις καὶ λίθοις καὶ πορφύραις κατασκευῆς, ἣν ἔδει πραθεῖσαν ἐξαργυρισθῆναι, πάντα βουλόμενος ἐξακριβοῦν &c. Dicit Plutarchus in Catone Minore *p. m.* 776. ubi ἐξαργυρισθῆναι, Germanis Zu Gelde machen und Verſilberen / reddi poteſt ac debet. Redegit autem ex iis theſauris Regiis venditis 7000. talenta argenti paullo minus, quæ noſtra moneta faciunt 52. tonnas auri, ut loquimur, & dimidiam. Nec aliter eam ſummam expreſſit, niſi quod in diverſa vaſa diſpeſci curaverit argentum illud, & quidem ejus magnitudinis ſingula, ὧν ἕκαστον ἐχώρει δύο τάλαντα καὶ δραχμὰς πεντακοσίας, nobis $1255\frac{1}{2}$ unciales thaleros. Unius generis nummos illos cuſos fuiſſe, quos ex Cypro attulit, vel in drachmis Atticis, vel in denariis Romanis, nemo facile adſtruet; aureos quin etiam commixtos fuiſſe, & ad rationem argenti computatos quis non judicabit? At nec cuſos ſolum nummos ad hanc ſummam pertinuiſſe ſtatuere audeo, ſed & multos non cuſos in πλίνθοις & maſſis, quas hodie Francicis, *de barres* novimus vocari. Lapides memini Scriptores mediæ ætatis quoſdam, & laterculos vocaſſe, quoniam Plutarchus ubique, quando de nummis illatis ex provinciis mentionem injecit, multum argenti κεχωνευμένον & conflatum in eandem ſummam computat, ut Romani quoque diſtinguunt, argentum infectum, argentum factum, & argentum ſignatum, ita ut fere ſemper plus in argento infecto attulerint, quam in ſignato & nummis cuſis. Quamvis enim illud argentum infectum tunc temporis inter nummos haud numeraretur, nummi tamen prius fuerant, ſed peregrini, & inſerviit iterum nummis Romanis cudendis, quin & olim, cum nummi nondum cuderentur, unice nummi fuerunt, in tot particulas diviſum & κεκερματισμένον, pro re nata & pro lubitu, ut nunc nullis nummis cuſis tot imitari κέρματα poſſimus. Sane cum exprimere voluit Plutarchus ibidem *p. m.* 781. quo pretio venderentur Romæ a populo ſuffragia candidatis, aut quid ſinguli deponerent, qui ambirent, non niſi per drachmas argenti & denarios ſummam ſignificavit, ἔδοξεν αὐτοῖς εἰς ταυτὸ συνελθοῦσι παραβαλέσθαι δραχμῶν ἕκαστον ἀργυρίου δέκα δύο ἥμισυ μυριάδας, ſunt centum vicies mille & quingentæ drachmæ. Hic talentis aut minis aut libris argenti, aliiſve nominibus, quæ non cuſum argentum involvere juxta cum cuſo ſolent, non uſus eſt, ſed in denariis cuſis numeratis tot myriadas quemlibet candidatum depoſuiſſe, populo donandos ab eo, qui ſuffragia obtinuiſſet, dicit. Efficiunt hæ drachmæ ad nummos noſtros unciales thaleros $15062\frac{1}{2}$. Interpretes Plutarchi quingena ſeſtertia Latine numerant. Potuiſſet Plutarchus, ut ſolet, hoc argentum ad talenta redigere, erant enim viginti talenta Attica, & $500\frac{1}{2}$ drachmæ, ſed ut conſtaret hanc pecuniam in denariis meris cuſis exſolutam, illas myriadas drachmarum maluit proponere. De C. Graccho Plutarchus refert *p. m.* 825. ὅτι δελφῖνας ἀργυροῦς ἐπρίατο τιμῆς εἰς ἑκάστην λίτραν δραχμῶν χιλίων καὶ διακοσίων πεντήκοντα. Quidnam hic ſint delphines, an vaſa, an pocula, fateor me neſcire, magnum eſt autem ejus argenti manu pretium, libram argenti Romanam emere $156\frac{1}{4}$ uncialibus thaleris, quæ ſunt mille ducentæ & quinquaginta drachmæ. Interpretes Plutarchi ita ſummam extulerunt; *Delphinos comparaſſe eum argento repenſos in libras quinis millibus nummum*. Quomodo hic computus ipſis inſtitutus ſit, me quidem latet, niſi quod videam nummos quatuor in drachmam ipſis numeratos eſſe, atque ſic nummi ſeſtertii indicantur, quorum qua-

quatuor drachmam argenti seu denarium efficiebant. Cur potius sic efferre voluerint, & a drachmis vertendo recedere, hoc illud est quod non capio; an forte latinius & elegantius sic se locutos credunt? Hæc elegantia sane eorum, qui Græca transtulerunt multa nobis loca intricatissima reddidit, & a vero plerumque sensu distorsit. Tib. Gracchus cum in agris populo dividundis versaretur, & a Senatu sumtus peteret, *ἀνάλωμα εἰς ἑκάστην ἡμέραν ἐννέα ὀβολὰς τάξαντες* reperiuntur, apud Plutarchum *p. m.* 830. Interpres Latine vertit: *ad sumtum sestertios in diem senos attribuerunt*. Obolos intellexit more Græco, quorum sex drachmam conficiebant, qua ratione novem oboli sunt sex sestertii, & nostræ monetæ novem asses Lubecenses reddunt, quo sumtu quotidie Gracchus, munus Tribuni plebis gerens, tantos conatus solari non potuit: nam parce satis adhuc dimensum præbitum dicemus, si obolos Romanos novem Senatum in dies persolvisse dicamus. Obolus enim Romanus dimidium fere drachmæ denariique continuit: & sic novem oboli facient asses Lubecenses 27. quod pretium Senatus Tribuno non sufficere optime noverant, ut tamen ægre facerent, & contemtu se vindicarent, ita contra eum statuerunt. Hi oboli quin ærei fuerint dubitari nequit. Romanis enim vix oboli argentei fuerunt ut Græcis.

CAPUT V.

De pretio nummorum non cusorum & cusorum.

IN pretio igitur mercium & rerum tam nummi non cusi quam cusi dominabantur. Nam Athenis cum fame conflictantibus Demetrio Poliorcete urbem premente, *ἁλῶν μέδιμνον ὠνοῦντο τετταράκοντα δραχμῶν, ὁ δὲ τῶν πυρῶν μόδιος ὤνιος ἦν τετρακοσίων*. Salis ergo medimnus 5. uncialibus thaleris nostris væniit, modius vero tritici 37. uncialibus cum dimidio, fame pretium hoc imperante, quod gravissimum erat; Et longe a pretio hoc abit, quod in Sacra Scriptura modio farinæ & frumenti ponitur unius sicli 2. *Reg.* 6. seu dimidii uncialis thaleri. In Antonii exercitu contra Parthos *λέγεται ἡ χοῖνιξ Ἀττικὴ πυρῶν πεντήκοντα δραχμῶν ὤνιος γενέσθαι. τοὺς δὲ κριθίνους ἄρτους πρὸς ἀργύριον ἱστάντες ἀπεδίδοντο*. Hæc fames pretia convalescere facit, meliora tempora etiam vile pretium imponunt: medium qui tenuere, beati censendi, quod tunc in commerciis res maneant, prospera & adversa supra commercia sint, necessitatis mancipia & temporis. Tempus enim & deprimit & evehit pretia rerum ut apud Aristophanem in Pace:

> *Οὐδεὶς ἐπρίατ᾽ ἂν δρέπανον οὐδὲ κολλύβου,*
> *Νυνὶ δὲ πεντήκοντα δραχμῶν ἐμπολῶ.*

Quo etiam spectant verba Plutarchi, quæ Cyrum minorem protulisse scribit *p. m.* 437. *κἂν ἐπιλίπῃ πάντα, κατακόψειν, ἔφη, τὸν θρόνον, ἐφ᾽ ᾧ καθήμενος ἐχρημάτιζε χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν ὄντα*, non ut omnia verteret in Daricos percutiendos, sed ut maximam horum *κομμάτων* partem suo ponderi relinquens Lysandro traderet; nihil enim promisit nisi *κατακόψαι θρόνον*, quod efficiebat ad inopiam Lysandri liberalitate Regia sublevandam. Publicæ sane monetæ signatæ ab his non signatis privatorum illud discrimen erat, quod ex publico aurum & argentum & æs promeretur, & publico nomine signarentur, libripendes quoque publici adessent, sicque civibus cum onere redimendi traderentur, quod necessarium omnino fuit evenire, dum contra priscam simplicitatem & fidem privatorum fraudes in metallis præbendis & recipiendis quotidie gliscerent & innumeras ac *ἀτρβέστους* tandem lites parerent, ut remedium amplius nullum superesset, nisi publica fides intercessisset, plurimasque privatorum manus avaras factas cohibuisset, lites omnes dirimendo, & suas imposterum faciendo. Tunc *χάραγμα* publicum accessit, ut publica fide cusos viderent omnes, cum antea circa valorem ejusque *νόμον* solum curam Principes publicam susciperent, cœtera privatis permitterentur. Hoc vero Græcis præcipue transscribendum est, ubi fraudum major fenestra fuit aperta quam inter Asiaticos populos. Pergamus autem ad locum *Maccab.* 70. *v.* 20. ubi habemus 35000. gülden seu aureos, quibus se redemerunt obsessi, ubi quoque *δραχμὰς* textus habet, & in dubio adhuc relinquitur, an nummi fuerint cusi, vel pondus auri, ita ut ante locum Matthæi nihil de aureis nummis cusis certi quid in sacro codice appareat.

CAPUT VI.

De nummis non cusis S. Scripturæ.

ANte Abrahamum siclos aut nummos, & eorum nomina non reperies, 429. annis fere post diluvium. Tunc enim siclorum prima mentio in Sacro Codice, Sara mortua, cui sepulchrum Abraham siclis quadringentis, moneta mer-

mercatoribus tunc usitata, emit. Nec minus *Genes.* 20. *v.* 16. occurrunt mille nummi argentei quos Abimelech dedit Abrahamo reddens ipsi Saram. Non quidem constat ex his quando nummi cœperint percuti, sed de nummis ante hoc tempus nihil in Sacris. Huc pertinent, quæ de servis emtis pecunia *Genes.* 17. *v.* 12. & *v.* 27. dicuntur. Sed & *cap* 13. *v.* 2. memoratur Abrahamum adscendentem ex Ægypto divitem pecorum, argenti & auri fuisse. Si nummos argenteos & aureos sub his verbis comprehensos dicamus, forte non aberrabimus, & primos ex Ægypto nummos in alias terras Asiæ allatos sic conveniet. Quamvis etiam aurum & argentum sine nummis esse possit, & fuerit etiam Abrahamo procul dubio. Sed nondum præcipua divitiarum pars in auro & argento constitit, ut hodie, cum in postremis ponatur hoc loco; & ante *cap.* 12. *v.* 16. veræ divitiæ recenseantur, oves, boves, asini, servi & ancillæ. Omnia igitur illa loca, quæ adduximus, nondum aliquid probant nummos cusos revera expensos esse, sed aurum & argentum, ejusque pondera indicantur, quibus emebant & vendebant Abrahami ætate. Aurum autem & argentum variis modis considerari potest, neque tamen nummorum cusorum formam induere: unde valde abit Anglica interpretatio Sacri Codicis, quæ semper *money* & monetam addit, ubi textus Sacer Hebræus ejus nequaquam meminit. Sed locus *Genes.* 20. *vers.* 16. omne dubium videtur tollere, ubi non solum argentum, sed argentei, certo numero, pondere, & mensura divisi. Silberlinge/ Stücken von Silber nominantur, qui non possunt nisi nummis cusis tribui, nec aliis rebus conveniunt. Si sunt, (*) qui sine ulla nota vel charactere primos nummos concipiunt fuisse usque ad Moysen & legem in monte Sinai scriptis traditam, & aliquid dicunt quoad Inscriptiones, sed quoad sculpturas & imagines adversari videtur omnino locus *Genes.* 33. *vers.* 19. ubi centum *Kesitah* Jacobus Patriarcha filiis Hemor numerasse legitur. Si nummi fuerunt *Kesitah*, propter agni figuram impressam sic appellati fuerunt. Sed sunt, qui nec illud concedunt, unde Chaldaicus interpres centum agnos datos esse voluit, ut & *Jobi* 42. *vers.* 11. *Kesitah* non per nummum, sed per agnum explicavit, quod etiam vulgata sequitur. Egregie tamen, mihi quidem, videtur probasse Oligerus Nicolaides, qui de *Kesitah* dissertationem peculiarem Hafniæ 1691. edidit, nummos illo nomine significari tam argenteos quam aureos, ex illo loco Jobi, ubi cognati & amici Jobo gratulantes donarunt & nummos *Kesitah* & alia ornamenta ex auro; ubi de agnis donatis intelligi nequit locus, sed cum auro nummos rectissime sub nomine *Kesitah* conjungi docuit: tum etiam, quod nunquam *Kesitah* in Sacro Codice agnum significet, sed aliis pluribus Synonymis efferatur. *Actor.* 7. *vers.* 16. ubi tangitur & repetitur hæc historia Jacobi Patriarchæ, ex Vet. Testamento, pretium argenti vocatur, & Jacobum cum suis repositum esse ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχεμὶ, *in monumento quod emerat Abraham a filiis Emmor Sichemitæ*, nisi quod non respiciant hæc ad *Kesitah*, & nummos illos, quos Jacobus Patriarcha exsolvit, sed ad emtionem Abrahami, quæ facta est argento. Quidquid sit, non multum auri vel argenti Jacobus Patriarcha vel in Mesopotamiam attulit, vel ex Mesopotamia adsportasse scribitur. Fratri suo nihil nisi pecudes donavit, cum vellet pretiosissima, quæ sibi tunc erant, ut muneribus saltem animum placaret offensi, adeo ut si *Kesitah* agnos & oves non significat, nummos & quidem *Grossos*, (nam ita Lutherus vertit) illo tempore non videam tamen certo statui posse. Aliud est Jobi temporibus, tunc enim ad nummos vere translatum fuit hoc nomen, & de iis intelligi posset, quod Jacobi temporibus vix licet, inprimis novo nomine posito, quod Scriptura Sacra hactenus ignoravit, quæ Abrahamum avum Jacobi per siclos argentum expendisse monstravit. Nec ex aliis vocibus certo concludi potest, nummos cusos indicari potius quam argentum ponderatum; nam *Sekel* ponderis nomen est, כסף de omni argento dicitur, maxime infecto, unde *Genes.* 20. *vers.* 16. Silberlinge non δίδραχμα nec χρυσοῦς reddi debuerat, sed ἀργύρεον, subintelligendo pondus sicli, qua ratione 1000. Silberling. 10. Silberling &c. melius exprimerentur & Sacræ Scripturæ convenientius, 1000. Seckel Silbers/ 20. Seckel Silbers. Est enim כסף *argenti*, elliptica locutio, siclos, quos solum notos ea ætas in pondere noverat, ex vulgari & communi intelligens, ideoque quod *Genes.* 23. *vers.* 15. *&* 16. dicitur, das selb ist 400. Seckel Silbers werth/ elliptice quoque efferri poterat, 400. argenti seu כסף quod idem est ac 400. Silberlinge, nec propterea monetam argenteam cusam hæ formulæ indicant, sed pondus argenti, ut etiam indicat

vers.

(*) *Illorum sententiam sequimur, qui nummos cusos statim ab initio volunt.*

verſ. 16. Abraham wug Jhm das geld dar. Quamvis enim reſpondere velint, etiam nummos cuſos ad libram pertinuiſſe, & libripendes tam nummorum quam argenti pondus examinaſſe, haud tamen hoc initiis iſtis convenit, cum ſciamus diu ſine nummis cuſis populos vixiſſe, nec argentum aut aurum niſi pondere loco mercium datum eſſe, & quemlibet ſibi ipſi libripendem fuiſſe, nulloſque publice conſtitutos adhibuiſſe, a qua ſignificatione diſcedere non debemus, quamdiu nihil impedit priorem retinere ut jam docui. Melius Luth. & κατὰ πόδα vertiſſet, wug Jhm das Silber dar. Nam Geld hodie non niſi nummos ſignatos indicat, in Hebraico textus eſt כסף, quod non nummos ſignatos, ſed argentum, & quidem non cuſum, ſignificat. Idem quoque eſt 2. *Reg.* 6. *verſ.* 25. biß das ein Eſels kopff acht ſilberling / und ein virtel kag Tauben mis Silberling galt. Nihil eſt in textu Sacro niſi כסף *argentum*, ſed ſubintelliguntur Sicli, ut ſint Sicli argenti non cuſi, ſolo pondere tales, nullibi enim de cuſis quidquam habet Scriptura Sacra. Ideoque Joſephi verba *lib.* 9. *Antiqu. cap.* 2. *pag. m.* 303. quibus hæc exponere voluit, ad mentem S. Scripturæ ſunt applicanda, ex qua ſua hæc hauſit, dum ait: ὡς διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐνδείας ἐν τῇ Σαμαρείᾳ πραθῆναι ὀγδοήκοντα μὲν ἀργυρῶν νομίσματος κεφαλὴν ὄνου, πέντε δ᾽ ἀργυρῶν νομίσματος ξέστου κόπρου περιστερῶν ἀντὶ ἁλῶν ὠνεῖσθαι τοὺς Ἑβραίους. Hæc ita reddiderunt interpretes: *ut propter nimiam indigentiam intra Samariam veniret octoginta denariis argenteis caput aſini, & quinque denariis Hebræi columbini ſtercoris Sextarium vice condimenti emerent*. Ubi, quæſo, tunc denarii? nec νόμισμα ſemper nummos cuſos indicat, ſed etiam non cuſos. In Hebraico enim populo fruſtra illis temporibus nummos cuſos animadvertunt qui ſane non fuerunt, nec fuiſſe quiſquam hactenus evicit, licet a pleriſque perperam intelligantur, & nobis obtrudantur. Sic igitur locus hic Joſephi debebat reddi: *quod propter ſummam inopiam annonæ ſiclis argenteis octoginta caput aſini emerint, & Sextarium columbini ſtercoris Hebræi quinque ſiclis argenteis vendiderint loco ſalis*. Non enim reprehendo Joſephum, quod octoginta Siclis caput aſini emtum dixerit, quamvis Luth. octo tantum expreſſerit; eſt enim in Hebræo textu בשמנים quod eſt *octoginta*, ut ex aliis locis patet, *Exod.* 7. *verſ.* 7. ubi בשמנים שנה octoginta annos denotat, & 1. *Reg.* 6. *verſ.* 1. Non igitur denarii hic locum habent, quibus cum ſiclis Hebræorum non convenit, nec νόμισμα Joſephi ad nummos cuſos trahendum, ſed ad ſiclos argenti non cuſos, κεκερματισμένους, qui quoque nummi fuerunt, & numiſmata illis temporibus.

Eſt quidem locus 1. *Sam.* 2. *verſ.* 36. qui tunc nummos argenteos cuſos Judæos tractaſſe commonſtrare videtur: Der wird kommen / und für jenem nieder fallen / und einen Silbern Pfenning. לאגורת כסף quod interpretantur, licet plures ſignificentur nummi, non unus. Si autem אגורה idem eſt quod גרה, ut volunt, vigeſima pars ſicli fuit hic nummulus argenteus, & ſecundum ſiclum vulgarem noſtræ monetæ Lubecenſis $7\frac{1}{5}$ denariolos efficiet, at ſecundum ſiclum Sanctuarii, aſſem Lubecenſem cum 2. denariolis & $\frac{2}{5}$ quod potius amplector, & *agorah* tunc minimum in populo Judaico nummum verſatum eſſe liquet. Trecenti autem 97. anni effluxerant ab exitu Iſraelitarum uſque ad Samuelem. De Gerah Bened. Ariamontanus ſentit *pag.* 127. eum ſiliquæ parem fuiſſe, ſed oſtendi hoc alibi falſum eſſe. Deinde monuit apud quoſdam Hebræos doctos, *Gerah* eſſe grana *Charub*, quod vero illis *Charub*, hoc Arabibus *Albarob*, Hiſpanis *Algarrova*, & Latini ſiliquam: Quod de Siliqua dicit, non convenit ponderi. Gerah enim 20. pars ſicli, τετραδράχμου: ſiliqua, non niſi ſeptuageſima ſecunda, & decima octava drachmæ. Adde locum 1. *Sam.* 9. *verſ.* 8. Jch habe ein viertheil eines Silbern Seckels bey mir. Quin hæc quarta pars Sicli nummus fuerit noſtræ monetæ 6. aſſium Lubecenſium nemo dubitet, ſi ad ſiclum Sanctuarii ponderandus venit, vel 3. aſſium, ſi ad ſiclum vulgarem. Siquidem illum ſecum attulit in zona, & Prophetæ Samueli muneris loco illum expendere voluit. Sed hinc neque conſtat ſiclos cuſos fuiſſe in populo Judaico, neque nummum illum, quem famulus Saulis habebat, Judaicæ monetæ fuiſſe. Neque enim nummos appellare vereor argentum in particulas diſſectum, ſecundum pondera ſua, licet effigies aut inſcriptio nulla inſit cuſa, pondus enim revera pretium dat nummis, non malleus, aut inſcriptio, aut quidquid fortean præterea cuditur, quæ publicæ rei cauſa accedunt: quamdiu enim illa abfuerunt, non publica ſed privata fuit res nummaria, quod quilibet domi ſuæ pondus addere poterat argento ſuo in particulas ducto & ſecto, & libra illud examinabat, an recte ſe haberet.

Nam locum 1. Sam. 13. v. 19. qui nullum

lum fabrum ferrarium in tota Judæa fuisse ponit: Es ward kein Schmidt im gantzen lande Jsrael erfunden / capiendum esse quoque de monetariis, si fuissent, facile intelligo, quod & illi variis ferramentis indigebant ad nummos fabricandos, quos Philisthæi pariter ac alios fabros abduxissent. Hinc neque in tota lingua Hebraica pro monetario exprimendo vox ulla reperitur. Targum explicat זוזא חדא drachmam vel denarium unum, drachmam vero, quia nummus iste drachmæ pondere erat, recteque interpretatur Schindleri lexicon tres grossos Misnicos, einen halben ort thalers / octadam partem Joachimici seu unciæ. Tales nummi etiam Christi tempore in usu fuerunt, & δραχμαὶ dicebantur, ut patet ex *Lucæ* 15. *vers.* 8. γυνὴ δραχμὰς ἔχουσα δέκα, ἐὰν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, & *vers.* 2. εὗρον τὴν δραχμὴν, ἣν ἀπώλεσα. Quamvis & δίδραχμα tunc reperiantur valuisse, ut ante monui, dimidii sicli pondere, sed an Judaici fuerint, non constat. Reperiuntur quidem Græci nummi argentei, & drachmæ pondere & δίδραχμοι, circumferuntur etiam ejusdem ponderis Judaici, sed vix genuinos ullos διδράχμους assequeris Judaicis literis insignitos. Semel tantum δίδραχμον possedi Hebræum genuinæ notæ, ut præ cœteris videbatur, sed non diu felix fui hujus pignoris Dominus. Sunt enim amici, ut temporis ita quoque harum rerum fures. At veros siclos Hebraicos & τετραδράχμους nummos nusquam dari, neque unquam cusos fuisse asserere mihi liceret, si vellem. Illorum vero, qui hodie passim venduntur, siclorum, sive δίδραχμοι, sive τείδραχμοι, sive τετράδραχμοι, nullus ne formam quidem aut figuram habet genuinam. Quidnam tandem sit, & unde hauserit Schindlerus, זוז argenteam drachmam, דינר vero auream solum significare, hoc nondum mihi constat. Arabes certum est δραχμανίους suos aureos *Dinar* vocare, Romano nomine, ut argenteos drachmæ nomine & pondere *Derhem*. Judæi quoque non solum in N. T. denarios cognitos habuerunt Christi tempore, sed etiam postquam dispersi vagantur, tam argenteos quam aureos denarios in eorum Scriptis observamus, a Judæis sane non cusos, sed ab aliis gentibus. Et quemadmodum vaga cępit hæc gens esse, ita quoque pondera nummorum nequaquam sibi constant. Nunc enim denarium sex *meboth*, h. e. octodecim asses Lubecenses faciunt, nunc quartam partem *Selah*, h. e. duodecim asses Lubecenses. Ita quoque in aliis ponderibus vagantur, & nominibus, prout Græcorum aut Romanorum nomina ad gentes alias, & ad ipsos pervenerunt, nunc hoc, nunc illo pondere imposito. Petronius tamen aureos non minus denarios vocavit, quam argenteos, dum Trimalchionis aleam vitreis tesseris & chrystallinis, calculis vero etiam instructam fuisse monet: sic enim ait: *pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios*. Denarii aurei vocantur, qui Solidi pondere denarios argenteos magnitudine referebant. Apertius deinde loquitur: *Jam scio, unde acceperit denarios mille aureos*. Solidos nimirum indicat, nec Petronius ita locutus esset, si tempore Neronis vixisset, quando denarii nomen argento solum tribuebant, auro nunquam. Alias denarius aureus Scriptoribus dici cœpit nummus, qui decem solidos aureos continebat sub una forma, ut Heliogabali *formæ denariæ* vocatæ sunt, decem solidorum nummi, nobis 30. uncialium thalerorum. Macrobius, sub finem Seculi IV. qui scripsit, etiam asses æreos denarios vocare videtur. *Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur, in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes capita aut navim lusu teste vetustatis exclamant*. Loquitur de assibus æreis, cujus prima facies Jani bifrontis caput exhibet, altera proram navis, quem assem hic denarium vocavit, in argento enim denarii non signabantur sub ista figura.

Sed porro alios nummos fuisse decem talenta argenti, quæ Tobias Judæo & Israelitæ nomine Gabel mutua dedit sub chirographo, quam non signatos, ex verbis libri Tobiæ non apparet *c.* 1. *v.* 16. Er hatte bey sich zehen pfund Silbers / damit Jhn der König begabet hatte / und da Er unter anderen Jsraelitern sahe einen mit Nahmen Gabel, aus seinen Stamm (Naphtali) der sehr Arm war / thät Er Jhm dasselbige Geld / und nam eine Handschrifft von Jhm. Χειρόγραφον est in Græco textu, nec ante hunc Scriptorem libri Tobiæ de chirographis in mutui obligationibus datis quidquam in sacro codice exstat, prout nec chirographa evincunt in solos nummos cusos ea data fuisse. Salmanassar erat Rex Assyriorum, sub quo Tobias vixit, & a quo talenta hæc argenti consecutus erat; pondus quidem exprimitur argenti, at in nummis signatis, aut argenti rudis, hæc summa num fuerit, nihil dicitur aut declaratur, hinc est, quod quia reliqua Scripturæ loca omnia, ne semel quidem, de nummis signatis in Oriente quidquam diserte proferunt, etiam hunc locum de nummis signatis nequaquam intelligere possimus, sed pondere solo in argento rudi expensam hanc summam, ut reliquas om-

omnes, dicere debeamus: tacente enim Sacra Scriptura de nummis cusis, tacere quoque nos oportet, eamque rationem veram putare, quæ ponderi est aptior, & propior, & antiquior, quam in argento & nummis non signatis esse omnes novimus. Ante quippe nummos signatos & aurum, & argentum, & æs omne in ponderibus fuit, datum, acceptum, expensum & solutum, quod sine controversia ratio nos ipsa docet, prius ad pondera argentum fuisse expensum, quam ad nummos signatos perveniri potuit. Nec aliter quam ad pondus Tobias argentum illud a Gabel repetit, quod mutuo ipsi dedit, unde nec ipsi per libram illum solvisse certum est, nihilque obstare debet, quod hodierni interpretes ad nostros mores argentum de nummis cusis hactenus in Scriptura Sacra velint intelligi, quod tamen ex Scriptura nequaquam docere poterunt ullo verbo. Neque enim Scriptura Sacra de monetis aut monetariis aut nummis cusis tam obstinate tacuisset, si quidquam horum apud Judæos in usu fuisset illis temporibus, atque hinc esse cernimus, quod in tota Judæa de nullis monetariis usquam mentio fiat, quod a veteri more recedere consultum non duxerint, sed peregrinis nummis signatis rem suam fecerint.

Locus Jos. 7. *v.* 21. videtur Siclos in moneta, & alios in pondere observasse, dum sic loquitur Achan, se ex præda retinuisse zwey hundert Seckel Silbers / und eine güldene zunge funffzig Seckel wegt am Gewichte / quia Sicli tam aurum spectantes, quam nummos, de argento sunt intelligendi, velitque dicere, lingulam istam auri ad pretium 50. siclorum argenti potuisse referri, mihi quidem, si quid ego video videtur. Neque enim pondus 50. siclorum auri, quod facit libram Romanam & semunciam, lingula auri commode diceretur, sed majus quid, inprimis si ad siclum Sanctuarii verba velis interpretari, siquidem auri quinquaginta sicli, pondere Sanctuarii duas libras Romanas, cum uncia redunt, quod pondus Stücken / aut massæ potius auri posset appellari, quam lingula. Novimus enim aurum in lingulas hodie quoque distribui a fusoribus, ut eo melius ad opera minuta aurifici servire possit. Lingulam igitur auri hic intelligo pro parvo frustillo, cujus pretium duodecim unciales thaleros & dimidium non excessit, siclo argenti pondere civili sumto. Unde ducenti sicli argenti, qui hic quoque nominantur 50. unciales thaleros nostros valuerunt, quæ summa argenti auro præponitur, quod major esset quam pretium auri. At si aurum pondere 50. siclorum fuisse statuamus, jam longe lingula ista pretio argentum superare debuit, utpote cum libra auri & semuncia argenti decem libras & quinque uncias confecerit, nostræ monetæ 125. thaleros unciales, quæ menti S. Scripturæ non congruunt. Nec satis apparet ducentos illos siclos argenti, quos Achan ex præda Hierichuntina servavit, nummos cusos fuisse sicli civilis aut externi pondere singulos, cum vel in massa vel in lingulis etiam illud argentum 200, siclorum pondus reddere potuerit, & magis est, ut hoc exinde concludatur, quam nummos malleo Hierichuntino percussos exstitisse. At cum 2. Sam. 18. *v.* 12. Joab exiguam summam argenti nominat, nummos cusos videtur denotare, wolt ich dir von meinentwegen zehen Silberlinge und einen gürtel gegeben haben. In Hebræo non est nisi כסף *argentum*, & apud Septuaginta *ἀργύριον*, quod est nudum argentum, unde nec illud intelligo quam argentum pondere 10. Siclorum, inprimis cum sequatur de pondere: Wenn du mir tausend Silberlinge in meiner Hand gewogen hättest / pondus sane videmus, monetam aut incudem adhuc nullam. Id quod etiam testantur tot victoriæ hactenus recensitæ, quæ auri, & argenti affatim cum aliis pretiosis captum ubique docent, & ad unguem enumerant, sed ne semel quidem de nummis cusis loquuntur, cum eorum præda tamen omnium sit maxime ἐλκυστική. Sed ita semper intelligi volo, me nummos tunc temporis cusos inter gentes agnoscere, at in populo Judaico nullos, sed ut aurum & argentum factum & rude nummos peregrinos sicli pondere expensos. David Rex Arafnæ aream emens 50. siclis argenti, 2. Sam. 24. *v.* 24. argentum ejus ponderis exsolvit, forte non totam in nummis peregrinis, sed & in alio argento. Nam siclos nummos Judaicos fuisse cusos, nondum exinde patet, nec mihi persuadent, qui nullibi aut incudes, aut Monetas, vel cuneos, vel fabricam ullam monetariam animadverto, quæ tamen præcedere omnino debent, priusquam nummi cusi prodire possint. Pondera enim metallorum loco quidem nummorum, at nummi cusi non sunt, nisi hoc diserte dictum & probatum sit, cum pondera intelligi plane possint sine nummis cusis, & res diversæ sint. Nam quare Scriptura per centum libras numeraret, si siclus nummus cusus fuisset? & non potius pars libræ? Sic enim 1. Reg. 16. *v.* 24. De Amri Rege Israelis dicitur, Er kauffte den Berg Samaria von Semer umb zween Centner ilbers / qui faciunt si-

clos 2400. non vero in nummis cusis Hebræorum, sed in pondere. Hiram quoque Rex Tyri Salomoni Regi auri pondus 12000. librarum mutuo dederat, 1. Reg. 9. v. 14. quæ sane nummi cusi non fuerunt, ergo nec currus Salomonis unus sexcentis siclis emtus, & equus unus 150. siclis argenti, tot siclos faciens, non vero nummi sicli pondere cusi, prout voluit Lutherus vertens: 1. Reg. 10. v. 28. ja einen Wagen umb 600. Silberlingen und ein Pferd umb 150. argentum enim ejus ponderis datum fuit, non argentei nummi cusi. Unde recte satis 1. Reg. 20. *v.* 39. so solldeine Seele an statt seiner Seelen seyn / oder solt ein Centner Silbert darweegen; argenti scilicet aut facti aut infecti, aut signati, sed moneta Judaica minime percussi; appendebatur enim vel ideo argentum, quod nummi exterorum una cum argento rudi vel facto ad libram revocarentur, quod hodie non fit, quia argento rudi vel facto raro aliquid solvitur, sed nummis cusis fere omnia. Locus autem 2. Reg. 5. *v.* 5. nummos cusos videtur ponere, cum distinguantur nummi aurei diserte a pondere argenti, quod Naeman Syrus una ferebat. Er zog hin / und nahm mit sich / 10. Centner Silbers / und sechs tausend Gulden. Ita reddidit Lutherus, cum in Hebræo textu nihil sit זהב *aurum*. Haud tamen aurum est moneta aurea, sed erat in pondere, ex auro tam facto, quam infecto, vel etiam signato mixtum, & ad 6000. drachmas pendens. Drachmæ enim subintelliguntur, quoties de auro loquuntur numerato, ut videre licet ex Esdræ 2. v. 69. & *c.* 8. *v.* 27. & Nehemiæ 7. v. 70, 71, 72. & Maccab. 10. v. 20. ubi 35000. δραχμαὶ exprimuntur, quas Lutherus etiam vertit Gulden / nec tamen an in nummis, vel in pondere aurum illud fuerit, satis certum reddunt hæc loca, pondus enim respici certum est, nec magis aurum in nummis cusis accipi potest, quam argentum, quod præcedit, centum librarum pondere. Cur enim nummos potius cusos, quam vasa aurea & argentea, & vestes pretiosas cogitare necesse est? Sequitur enim de vestibus: und zehen Feyer-Keyder. Et tam in vasis aureis, quam in nummis dona Regibus afferuntur magnificentius. Val. Maximus de Ætolorum Legatis ad Romanus testatur *p. m.* 169. quod *omnis usus vasa argentea magno pondere, & exquisita arte fabricata attulerint*. Nihil igitur vel hic locus de nummis adhuc evincit inter Judæos fabricatis, ex Syria enim, sive nummi sive vasa fuerunt, adducta sunt. Nec nummi cusi argentei sunt propterea, quod postea vers. 23. dicatur, und Hand zween Centner Silers in zween Beutel, non enim solos nummos cusos, sacculis indere possum, sed & vasa argentea, & quodvis argenti pondus colligare, ac saccis constringere solemus. Sed objicient mihi, hæc quidem in magno pondere & numero consistere posse, ut pondus, non nummi intelligantur, at quomodo in exiguo pondere sine nummis cusis res consideretur, ex. gr. si siclum unum expendere opus sit, ut Reg. 7. *v.* 16. es galt ein Scheffel Semmelmehl einen Seckel / und zween Scheffel Gersten / auch einen Seckel. Num pondus solum aut nummus etiam cusus fuit siclus iste? Nondum ego ad nummum signatum hæc traho, sed ad laminas argenti, pondere unius sicli, & minoris intelligo, quibus si cuneus & moneta accessit publica, jam nummi cusi faciem induit: hactenus cuilibet argentum suum in lingulas diducere, & quodvis pondus minus majusque dare licuit, modo sibi constaret pondus, omnia recte, etiam sine nummis cusis, se habuerunt: Sic emebantur, sic vendebantur merces auro & argento privatorum, sine moneta publica.

Sed ut distinguerent tamen hos nummos non signatos, vel alios, quam æreos, argentos vel aureos, coriaceos scilicet, & figlinos, vel ligneos eos numismata aut nummos vocare quidam Græci non dignabantur, sed peculiariter νούμμια Græci recentiores; quasi non veri nummi essent, aut fuissent, sed nummis tantum similes, quod eorum locum sustinerent, ut illa flexio Græca subindicat. Sic Suidas ex Svetonio tradit de Numa: ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πρῶτος ἐχαρίσατο Ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν, ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νούμμια, ὥς φησι Τράγκυλος: Et quanquam Suidas hæc intellexit de nummis a Numa nomen retinentibus, ego tamen satis video Tranquillum, quem citat νούμμια non vocasse nisi coriaceos & figlinos, ex metallo vero cusos νούμμους, quasi non comparandi forent, νούμμια νούμμοις. Aliud enim est nomen νούμμιον quam νοῦμμος aut νόμισμα, quamvis ejusdem originis sint. Utitur etiam eadem voce νουμμίων Hesychius, & distinguit a νομίσματι. Ὀβολοὶ, inquit, νουμμία καὶ τόκοι. καὶ εἴδη νομισμάτων. Respicit, ni fallor, ad obolos cusos, & non cusos, ut non cusi sint νούμμια, cusi vero τόκοι, καὶ εἴδη νομισμάτων, Nec obstat, quod *Genes.* 23. *vers.* 16. argentum desideretur, das im kauff genge und gebe war / quod de nummis solis cusis hodie accipitur, quia nummis illis solis emtio & venditio fere perficitur, & post: 1. *Reg.* 12. *vers.* 4. das

Gel-

Geldt das geheyliget wird/ das es in das Haus des Herzen gebzacht werde/ das genge und gebe iſt. hoc non nummos cuſos ſpectat, ſed argentum, ut purum ſit, & δόκιμον, probatum ſatis, prout ſeptuaginta Interpretes reddiderunt, argentum enim adulteratum afferri noluit Deus, ſed συντίμησιν eſſe puri argenti, quod ab omnibus probaretur, neque enim nummos ſolos offerre poterant Hebræi, ſed & vaſa argentea, & omne argentum, quod probæ notæ eſſet, quocunque pondere illud Deo dicarent & voverent. Moneta ſiquidem nulla publica adhuc conſtituta fuiſſe legitur, ex qua nummi ſignati prodierunt, ſed argentum ſuum quilibet in ſicli pondera, aut minora, pro uſu ſuo diſcerptum & diviſum expendebat, lege nulla aut νόμῳ, ut nummus eſſe poſſet, niſi ut δόκιμον afferrent argentum. Nec ſtatim hinc ſequitur, ubi nummi cuſi reperiuntur, ibi neceſſario monetam publicam eſſe: In multis enim regionibus privatis etiam hoc cudendi officium manet, ut in Moſcovia aurifabris, teſte Heberſteinio *pag. m.* 42. *Omnes fere aurifabri Moſcoviæ nummos cudunt, & quicunque affert maſſas argenteas puras, nummoſque cupit, tam nummos & argentum appendunt, atque æqua lance librant; Exiguum eſt & conſtitutum pretium, quod ultra æquale pondus ſolvendum eſt aurifabris, parvo alioquin laborem ſuum vendentibus.* Nulla igitur autoritate publica monetæ domus aut eriguntur, aut exercentur illic, modo argentum purum ineſſe faciant nummis, reliqua non attenduntur. Deinde nec nummos cuſos explicare poſſumus argentum illud, quod Menahem Rex Iſraelis Phul Aſſyriorum Regi contradidit 2. *Reg.* 15. *verſ.* 19. tauſend Centner Silbers/ & *v.* 20. funffzig Seckel Silbers auff einen jeglichen Mann. Hæc enim pondera ſine moneta facile tradi poterant in argento rudi, aut cœlato & facto. Nam ſi quis credit, quando Sacra Scriptura pondera argenti vel auri centenaria nominat, in nummis ſolis ea fuiſſe appenſa, næ ille fallitur: & evincit locus 2. *Reg.* 18. *verſ.* 14. & 16. haud nummos cuſos, ſed lamellas portis ſuperinductas in illo argento ad ſummam conficiendam numeratas 300. Centner Silbers/ und 30. Centner Goldes/ quorum minima pars nummis ſoluta eſt, ſed vaſis templi & aulæ. Alſo gab Hiskia all das Silber das in hauſe Gottes und in Schäken des Königes Hauſes funden ward. Zur ſelbigen zeit zubzach Hiskia der König Juda die Thüren am tempel des Herrn/ und die Bley die Er ſelbſt über ziehen hat laſſen/ und gab ſie dem Könige von Aſſyrien. Trecenta centenaria argenti, ſi ad libram Romanam exigantur, 30000. libras efficiunt, unciales thaleros 360000. non adeo magnam, ſi regnum integrum ſpectes, ſummam; ſæpe enim privatus unus has divitias excedit noſtro tempore: jungantur vero 30. centenaria auri, ſeu 3000. libræ quæ, una libra auri contra decem libras argenti numerata, itidem 30000. libras argenti faciunt, & exibit ſumma 720000. uncialium thalerorum, quos Hiskias Rex ſolvere tenebatur. Nec video ad lamellas corradendas opus fuiſſe devenire Regem Optimum, ſi nummorum copia fuiſſet iis temporibus, facile enim pro ſervando regno locupletiores hanc ſummam & nullo negotio contraxiſſent. Haud igitur de nummis cuſis hic quoque textus ſumi poterit, ſed de ponderibus argenti & auri rudis factique. Si nummorum peregrinorum aliquid adjectum fuit, exiguum hoc erat; nam ſi Judæis moneta fuiſſet, inſaniiſſe puto, ſi aurum ſuum & argentum in nummos convertere neglexiſſent: maximo enim lucro hoc poterat tunc fieri & debebat. Eadem ratione Pharao Necho Rex Ægypti tributariam fecit Judæam, & æſtimato ſolvere coegit 100. centenaria argenti & unum centenarium auri 2. *Reg.* 23. *verſ.* 33. quæ ſumma reddit 132000. unciales thaleros, noſtræ monetæ. Nummos autem aut denarios ſolutos eſſe cuſos nuſquam leges, ſed pondera argenti & auri. David Rex 2. *Chron.* 19. *verſ.* 11. dicitur omnia vaſa argentea & aurea, quæ Hadadeſar Regi rapuerat, mit dem Silber und Golde/ quod ab Ethnicis Edomitis, Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis & Amalekitis occupaverat, Deo conſecrata Hieroſolymis repoſuiſſe. Ibi argentum & aurum diſtinguitur ab argenteis & aureis vaſis: eodem tamen res recidit, ut argentum & aurum infectum, rude & factum, intelligatur, nummorum cuſorum nulla nomina aut ſigna indicantur. Quin & alii populi eadem ratione mercabantur, etiam poſtquam nummi cuſi cœperant. Sic enim de Græcis Carani Regis Macedoniæ temporibus Hippolochus ſcripſit, ubi convivæ nuptiarum Regis iſtius tot donis aureis & argenteis, in poculis, diſcis, ſcyphis, lagenis & coronis cumulati diſceſſerunt, ut ἐκ τȣ͂ Καρανȣ δείπνȣ πλȣ͂τον ἀντὶ μειρίδων εὐωχηθέντες, νῦν ζητȣ͂μεν οἱ μὲν οἰκίας, οἱ δὲ ἀγρȣ̀ς, οἱ δ᾽ ἀνδράποδα ὠνήσασθαι, quod legitur apud Athenæum *lib.* 4. *cap.* 2. *pag. m.* 130. Vaſis igitur iſtis & poculis emebant quæ voluerunt, non nummis cuſis. Dudum enim nummi cuſi jam per Græciam obtinuerant, cum Caranus hic Rex, de quo loquitur, non ſit primus ille, Phidonis Argivi frater, nummorum cu-

ſorum veri & primi autoris, ſed ex ſucceſſoribus Regni Macedoniæ ejuſdem nominis alter, 500. & amplius poſt Caranum primum annis, quippe cum Hippolochus, qui feſto huic opiparo interfuit, Theophraſti Ereſii diſcipulus fuerit, ut habet Athenæus; Vixit Theophraſtus Olympiade 114. obiit Olymp. 122. quæ neceſſario mihi dicenda fuerunt, ne tempora confundantur Carani nomine addito, cum Chronographi nobis non niſi Caranum primum Macedoniæ Regem adduxerint. Nec in moneta aut nummis cuſis quiſquam percipiet fuiſſe mille centenarios argenti, quos Ammonitæ militibus conducendis contra Davidem impenderunt 1. *Chronic.* 20. *verſ.* 6. pondus utique ingens indicatur 100000. librarum argenti, nummi vero cuſi nullo verbo: unde nec denarii, nec Pfenninge / nec Müntke in tota S. Scriptura V. T. occurrunt; Nam quod Luthero אגרה 1. *Sam.* 2. *verſ.* 36. Pfenning vertere placuerit, ex Septuaginta Interpretibus imitatus eſt, qui ὀβολὸν vocarunt. At quia in plurali numero ibi לאגרות exprimitur, & ex גרה vocem deducunt, non tam nummum cuſum, quam pondus aliquod exiguum argenti puto ſignificari. Nec obeſt, quod facile a ponderibus ad nummos perveniatur, illud enim nummis cuſis exſtantibus ita ſe habet, at non exſtantibus, pondera perperam cum illis confunduntur. Hactenus autem docui nummos nullos reperiri Hebræorum aut Judæorum cuſos. Antiochus Demetrii primus fuit, qui monetæ cudendæ jus impertiri ſe velle ſcripſit, 1. *Maccab.* 15. *verſ.* 6. quod an effectum ullum ſortiri potuerit, neſcitur. Illud novum erat, quod cæteri Reges non conceſſerant, ſed Antiochus hoc addidit dicens: Darumb erlaſſe ich dir alles / ſo dir die Könige zuvor erlaſſen haben. Und gebe dir Gewalt eigene Müntze in deinem Lande zu ſchlagen &c. Priores enim Regem Judæorum Principibus multa conceſſerant, regiones & civitates multas, ut liberæ & immunes eſſent: ut Amici Regum vocarentur; ut vaſis aureis in menſa uti poſſent; ut purpura & aureo cingulo: ut a tributis & coronariis liberi manerent. Quæ Antiochus Θεὸς Seleuci nepos Judæis conceſſerit, Joſephus Epiſtolam ad Ptolomæum Ptolomæi Eupatoris filium producit, & alias conſtitutiones ac privilegia eorum *lib.* 12. *cap.* 3. *pag. m.* 399. Sed de Moneta propria nullus eorum ante Antiochum Demetrii commemoraverat, ſcribentem ad eos ex Græcia & inſulis; quæ ſatis indicant Judæos moneta propria regionis ſuæ hactenus uſos non fuiſſe. Nam ſi prius rem monetariam exercuiſſent, ſub Regibus ſuis, vel Hieroſolymis, vel alibi, redeuntes ex captivitate & liberati, rediiſſent omnino ad priores mores, nec monetam neglexiſſent. Nec dicitur eodem *cap. v.* 26. ubi auxilia Simonis Principis Antiocho ſubmiſſa recenſentur, nummos ullos cuſos ſimul ſuppeditatos, ſed viel Gold und Silber / und Maſſen. καὶ ἀργύρεον καὶ χρυσίον, καὶ σκεύη ἱκανά, prout exſtat in Græco textu, quidni expreſſiſſent nummos, ſi fuiſſent uſi? cur ſolo pondere aurum & argentum expendiſſent, nec unquam nummi aut monetæ nomen legeremus in tota Scriptura, niſi ſolo pondere aurum & argentum tractaſſent, nunc Sicli, nunc *Kiccar*, nunc *Gerab*, nec nummos ſub monetam vocaſſent unquam? Nec niſi ponderis nomen *verſ.* 31. occurrit, ubi Antiochus loco Civitatis petit fünff hundert Centner Silbers / und für den Schaden und Schoß auch fünff hundert Centner / πεντηκόσια τάλαντα. Hoc pondere nummos cuſos deſignari nemo dicet, & tot talenta ſoluta Antiochus accipere potuit argenti, quamvis in nummis cuſis minime conſiſterent; locus alius 2. *Maccab. cap.* 3. *verſ.* 6. prout ex verſione Lutheri explicatus legitur, poterat opponi, ubi de ciſta pauperum habetur, wie der Gottes-kaſten zu Jeruſalem über die maſſen Reich von Geld wehze / und ſehen viel übzig / daß man nich bedürffe zum Opffer. Summa deinceps *verſ.* 11. exprimitur, ſed in pondere, es ſind nicht wehz dann veirhundert Centner Silbers / und zweyhundert Centner Goldes. Si nummi inter hæc pondera vel aurei vel argentei fuerunt cuſi, illi ſane monetam Judæorum propriam minime præferebant, ſed ab aliis cuſi apud Judæos appenſi, atque illuc repoſiti pondus illud talentorum augebant. Sed quia ciſta pauperum hic occurrit, der Gottes-kaſten / dicat aliquis ad noſtra tempora reſpiciens, noſtroſque mores & arcas, non poſſe intelligi niſi nummos, cum aliæ res illas arcas intrare nequeant; & ſi arca pauperum fuit ejuſmodi, prout hodie videmus arcas illas compingi, ipſe fateor nihil niſi nummos admittere iſtas arcas potuiſſe, quod tamen noſtram ſententiam non evertit, tam enim nummi cuſi peregrinorum, quam nummi non cuſi Judæorum in arcam pauperum conjici valebant, & illa excipi. Sed talem arcam hoc loco non intelligi docet *verſ.* 28. & 39. ejuſdem capitis, ubi eundem locum die Schatzkammer vocavit, ubique autem textus Græcus habet Γαζοφυλάκιον, quod non tam de arca pauperum, quam de camera ampla dicitur, licet omnis locus, ſive anguſtus, ſive amplior, ubi theſauri conduntur,

γα-

γαζοφυλάκιον ſit. Verſus quoque 10. hoc arguit, Cameram ampliorem fuiſſe, in qua viduarum & pupillorum opes ſervabantur depoſitæ, quod melius & tutius illic in templo cuſtodiri poſſent quam domi, ubi his hominibus omnia ſolent eſſe infirma & intuta. Jam viduas & pupillos non multum nummorum deponere, ſed reculas alias, & ſupellectilem pretioſiorem, minus neceſſariam, vel raro, niſi ſtatis temporibus convenientem, novimus. Haſque res locum non anguſtum requirere, quo congeri poſſint, ipſi judicare poſſumus, adeo ut de ſolis nummis illic inditis opinio evaneſcat, & ceſſare jubeatur. Jam vero omnia quæ promittit Regi Jaſon Oniæ frater, pro Sacerdotio Hieroſolymitano obtinendo 2. *Maccabæor.* 4. *verſ.* 8. in pondere & talentis conſiſtunt, non in nummis cuſis. Huc quoque ſpectant trecentæ illæ drachmæ, quas Jaſon Herculi offerendas Antiochiam tranſmiſit. In nummis enim ſi fuerunt, aut cuſæ, aut non cuſæ cenſendæ ſunt, cuſæ Græcorum, non cuſæ Judæorum, primus ſane locus, qui drachmas Græcorum memoravit, illi enim nummos argenteos drachmæ pondere produxerunt primi, quos ſecuti ſunt Romani, denariorum nomen drachmis imponendo. Menelaus cum ad magna adſpiraret, ſacrilegio commiſſo, non nummos ex templo Hieroſolymitano depeculatus eſt, ſed aurea monilia, gulden Kleinoth/ χρυσώματα habet textus Græcus, ut dicitur *verſ.* 32. *cap.* 4. und ſchenckts dem Andronico, und verkaufft etliches gen Tyro, und in andere umbliegende Städte. Bis mille drachmas, quas Judas Maccabæus Hieroſolymam miſit, ad expianda peccata populi, ex collatitia ſtipe provenientes, Græcorum nummos fuiſſe, ſi cuſi fuerunt, minime eſt dubitandum, ideo enim drachmas non ſiclos expreſſit codex ſacer, quod ſiclis tum non uterentur Hebræi, poſtquam a captivitate Babylonica, exierant ſed nummis Græcorum fere.

CAPUT VII.

De Siclis Judaicis non cuſis.

HEbræis non fuit drachmæ nomen, quo illam exprimerent, ſed ex Græco, aut *Adarcon*, aut *Darkemon* jam Eſræ temporibus, 400. ante Chriſtum annis adhibuerunt. 1. *Chronic.* 29. *v.* 7. eſt ככרים חמשת אלפים אדרכנים רבו Eſt vero *Kickar* auri talentum Græcis aut ſexaginta minæ, aut ſicli vulgares 3000. qui faciunt drachmas auri 6000. Hoc igitur dicit ille textus eos contuliſſe auri talenta 5000. & decem mille drachmas, nam ſi duo mille drachmæ acceſſiſſent, jam ſex mille talenta effeciſſet illa ſumma, unde Lutherus non recte ſatis auri pondus in nummos convertit illo loco: dum reddidit: fünfftauſend Centner goldes und zehentauſend Gülden. Sunt enim Gülden/ aut aurei non pondus proprie, ſed nummi, neque illud Gülden in Sacro textu habetur, ſed ponderis drachmalis nomen, ultra quod extendi non debet, ut nummos inde faciamus, cum de pondere præcedat, cum quo nummi perperam conjunguntur, nihilque niſi pondera ſequuntur etiam argenti, æris, ferri. Eadem ratione locus Eſræ eſt depravatus *cap.* 2. *verſ.* 69. ubi Lutherus ſic: und gaben nach Ihrem Vermögem zum Schatz an das Werck ein und ſechzig tauſend Gülden/ und fünff tauſend Pfund Silbers in Hebræo textu eſt, זהב דרכמונים שש-רבאות ואלף וכסף מנים חמשת אלפים: h. e. *auri drachmas ſexies decies mille, & argenti minas quinque mille.* Nehemias eadem lingua utitur, *cap.* 7. *verſ.* 70. pro gülden זהב דרכמנים: pro Pund מנים legitur, quæ ſunt drachmæ & minæ. Difficillimus eſt locus *Ezech.* 45. *verſ.* 12. Ein Seckel ſoll zwanzig Gerah haben/ und ein Mina machet zwanzig Seckel/ fünff und zwanzig Seckel/ und fünffzehen Seckel. Hebræus ſic habet עשרים שקלים חמשה ועשרים שקלים עשרה וחמשה שקל המנה יהיה לכם: verbum verbo redditum ſic habet: *Siclus viginti Gerah viginti ſicli, quinque & viginti ſicli, decem & quinque ſiclus mina erit vobis.* Quare ſic locutus ſit Propheta, ut ſiclus in plurali bis, & cum quindecim in ſingulari poſuerit, nemo, quod ſciam, explicavit, & ſententia reliquorum verborum, quaſi viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli minam facerent, non mihi placet, nec ex illis verbis ſequitur, cur enim mina tam incerti & varii ponderis in uno populo ſtatui debet? haud illud convenit. Addere volo ex Buxtorfii lexico; quæ ad hunc locum ſcripſit. *Mina Sacra antiqua continebat quinquaginta ſiclos Sacros, centum vulgares. Mina nova Ezechielis ſexaginta ſiclos ſacros, centum viginti vulgares, adjecta nimirum ſexta parte. Fuit & mina viginti quinque ſiclorum, ſive centum zuzin aut denariorum: nam* זוז *quarta pars ſicli,* ſc. ſacri. Ille igitur locum ſic intellexit, quaſi tribus numeris iſtis 20. 25. & 15. una mina argenti comprehenderetur, collecti enim faciunt ſexaginta ſiclos. Sed nec difficile fuiſſet Prophetæ uno numero rem exprimere, ſi minam intelligi voluiſſet 60. ſiclorum, qualem minam ullibi fuiſſe, aut 50. ſiclorum,

rum, non facile probabit Buxtorfius. Mina Græca pondus habuit centum drachmarum vel denariorum, idcirco mina Judæorum non poterit esse vel quinquaginta, multo minus sexaginta siclorum. Quinquaginta sicli sanctuarii faciunt centum vulgares, & aliquam rationem minæ ostendunt, quæ centenario numero absolvebatur, adeo ut centum sicli vulgares in Judaica gente minam Judaicam videantur reddidisse: at quomodo sexaginta sicli sanctuarii, qui centum viginti vulgares faciunt, in minam numerari potuerint, nequaquam video, inprimis cum pondera non crescant, sed imminui soleant a posteris, quod in omni re nummaria observare licet. Hinc Buxtorfii sententiam pro explicando loco isto Ezechielis amplecti nequeo. Veram istius loci mentem nondum mihi quisquam satis declaravit, unde nec ego hactenus satis intelligo, quid sibi velint 20. & 25. sicli isti, qui hic conjunguntur, nam 15. siclos sanctuarii, qui 30. vulgares faciunt, minam populi Judaici conficere lege hac potuit introduci, licet abeant a centenario numero, quem minæ passim tribui legimus. Imminutum tamen pondus minæ potius est ut credamus, quam illud auctum; quoniam minuere pondus proni omnes fuerunt argentarii & nummularii, quam ut illud unquam augerent. Manum igitur mihi de tabula post tot doctos, qui rationem inire veram nondum potuerunt. Sunt qui sic interpretantur, 20. siclos fuisse ponderis Regii minam, 25. siclos ponderis sacri, & 15. ponderis vulgaris. At nescio, num locum Samuelis *cap.* 14. *vers.* 26. recte sint interpretati, aliudque pondus fuisse Regibus, aliud vulgo, probare possint. Verba quidem ita sonant. Absalonis Haupt-Haar wug zwey undert Seckel nach dem Königlichen Gewicht/ reddere debuerat Lutherus, auff der Königlichen Wage באבן המלך *in lapide Regis*; erant enim lances & pondera lapidea, ut nobis ænea. Sed non evincit locus ille Regibus aliud pondus fuisse quam vulgo. Loquitur de Absalonis Regis Filii fœcunda capillatura, quam in lance Regiæ aulæ expensam monuit Scriptor Sanctus; quod in aula hanc tonsuram quotannis Absalon subiret, ibique ponderis Regii examine trutinaretur, quod sane peculiare pondus Regium a vulgari non fuisse probat. Loco enim solo Scriptura pondus distinguit, & libram, ut olim libra Regia in arce haud alia est a vulgari in oppidis & provinciis. Quod igitur fingunt de siclis Regiis & Regii ponderis, diversis a siclis vulgaribus, ex hoc loco est, male, ut mihi videtur, intellecto: non enim dicit textus, secundum pondus Regium appensos fuisse capillos, sed in libra & lance Regia: unde ego nec siclos Regios, nec minam Regiam, nec pondus aliquod Regium diversum fuisse a vulgari, in tota Sacra Scriptura occurrere video; ideoque nec hanc interpretationem locus Jeremiæ potest admittere, aut Ezechielis Prophetæ. Posito autem pondus Regium diversum fuisse, atque se habuisse ut 20. ad 25. & 15. libram aut minam Regiam, vulgarem quinque siclis superasse, & minorem fuisse libra Sanctuarii, haud tamen ratio sibi constabit; nunquam enim libra 25. siclis Sanctuarii respondebit, qui sunt 12. unciales thaleri cum dimidio, Difficillimum igitur puto hunc locum enodare. Posteriores Judæi etiam minæ dimidiæ pondus nomine peculiari commemorant *Peres* dictum, ut ex Misnajoth affert Ariamontanus *pag. m.* 135. Utrumque nomen & *Manim* & *Darkemonim* ex Græco petitum & effictum Hebræis videtur, nec Hebræis siclis aut ponderibus quidquam illis locis exprimitur, unde licet hic quidquam in nummis signatis intelligi debeat, quod negare nolim, Persicos tamen aut Græcos nummos explicare docet quos attulerint, non vero Judaicos. Pondus auri & argenti certum est hic exprimi, sive in nummis fuerit, seu auro & argento. Ad nummos autem hoc pondus redactum, bene se habet in auro Lutheri explicatio, gülden, si aurei Hungarici intelligantur, drachmæ pondere singuli, qui faciunt thaleros hodiernos unciales 122000. At in argento fallet nos computus, si Pfundt more hodierno capere volumus, quod necesse est, verba enim valent ex usu. At si libras Romanas intelligimus, exibunt 60000. unciales thaleri nostræ monetæ: secundum minas vero Græcorum, ut hic nomen indicat, si computus instituitur, habebis unciales thaleros 125000. mina argenti 25. thaleris aut centum siclis vulgaribus numerata. Nec aliter Esræ 8. *vers.* 27. Zwanzig gülldene Becher / die halten tausend Gülden. ארדכוים אלף *Drachmarum millia* sunt bis mille unciales thaleri. Neque tamen de nummis loquitur, sed de ponderibus vasorum, unde postea *v.* 30. dicitur, da nahmen die Priester und Leviten das gewogene Silber und Gold und Gefässe. Pretium quidem in nummis computari potest, sed secundum pondus ejusque nomina intelligi debet.

Josephus sane Hebræus ipse, sub Vespasianis & Domitiano scribens, nihil de nummis Judæorum observavit. Antiquitatum quidem *lib.* 3. *pag. m.* 88. Siclum νόμισμα vocat: ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων

A'τ.

Α'ττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας, de pondere loquitur ſicli, haud vero de ejus ſculptura ulla, erat enim νόμισμα, h. e. inſtar nummi, haud vero nummus cuſus, ſed κόμμα, & κέρμα, Minam Hebraicam *lib.* 14. *p. m.* 478. adducit, dum trabem auream quam Craſſus donatam accepit, pondere minarum trecentarum fuiſſe prodidit, additque ſtatim, ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἴσει λίτρας β. καὶ ἥμισυ, quibus oſtendit minam Hebræorum ad libram Romanam vel Atticam peculiarem eſſe. Nam mina Attica erat centum drachmarum, quæ faciebant libram unam Romanam, Mina autem Hebraica, quæ libras duas faciebat cum dimidia, denarios vel drachmas 250. in minam recipiebat. Hoc erat diſcrimen inter minam Atticam, & minam Hebræam. Quapropter minas apud Lucam Evangeliſtam, quas Dominus ſervis ſuis, ut quæſtum illis facerent, elocavit, minas Hebraicas interpretor, ſuntque δέκα μνᾶι, hodiernæ monetæ unciales thaleri 300. cum Atticæ minæ decem non ſint niſi 120. thaleri, quæ non videntur ſumma ſatis Regia, quam decem ſervis elocaret, ideoque Hebræo more minas eſſe intelligendas illo loco ſatius eſt. Suidas autem ex Joſepho, ſub voce Α'μφορεὺς, locum adducit de Tyriis nummis, quem in Joſepho hactenus offendi, συνωνέμενος δὲ τῦ Τυείυ νομίσματος ὁ τέσσαρας Α'ττικὰς δύναται. Ejuſdem igitur valoris Tyrium numiſma, cujus erat Judaicus ſiclus, ſed & non ut nummus cuſus quadam effigie Tyrius eſt accipiendus, verum plane velut ſiclus κομμα aut κέρμα intelligendus, quod malleum nullum publicum expertum erat. Et hæc tantiſper mihi ſententia ſedit, donec locum Joſephi exſtantem reperi *lib.* 2. *Bell. Jud. pag. m.* 824. tunc enim ex antecedentibus & conſequentibus judicare mihi licuit, Tyrium illud numiſma apud Tyrios peculiariter cuſum eſſe, Neronis inprimis temporibus de quibus hic loquitur, quando Syria tota Romanis paruit, & Tyrus omnis generis incolis ac mercatoribus habitabatur, Græcis, Romanis, Judæis, Arabibus, Perſis aliiſque. Quibus ſignis ac characteribus hi nummi Tyrii percuſſi exſtiterint, non indicavit Joſephus, ſed pondus ſolum, nimirum quod unus Tyrius quatuor Atticos valeret nummos aut drachmas, quæ me primum in illam ſententiam pertraxerunt, nummos illos Judaicos fuiſſe, aut Judaicis ſiclis ſimiles, quod τετράδραχμοι eſſent ut ſicli, ideoque velut ſicli non cuſi. Nunc vero perpendens Tyrios jamdudum ab Alexandro M. ejuſque Succeſſoribus Græcis paruiſſe, deinde Romanis; Tyrios hos nummos, quod τετράδραχμοι eſſent, Græci cunei & inſcriptionis fuiſſe ſtatuendum eſſe video. In qua ſententia me confirmat Antiochus Syriæ Rex, qui Judæis & Maccabeis jus propriam monetam cudendi obtulit, quod ſane non feciſſet, niſi tales jam in ſuis provinciis ſtabilitum & exercitatum habuiſſet; inter quas Tyriorum provincia aut civitas non erat ex ultimis ſed ex primis. Romanorum autem nummi, licet Tyri percuſſi eſſent, non potuerunt dici Tyrii, ſed etiam ubique Romani, nec 4. Atticis æquivalebant, ſed denario vel drachmæ, more Romanorum, qui non a provinciis vel civitatibus vel Conſulibus aut Cæſaribus nummos ſuos denominabant, excepto unico Luccullo, a quo Lucullei denarii in Græcia vocati ſunt. Græci vero ſuos nummos ſub variis nominibus colligentes, alios Philippeos, Alexandreos, Daricos, Demaretios, &c. quin & Lydios, Atticos, Æginæos, Lacedæmonios, Corinthios, Siculos, Varentinos, & innumeros alios a provinciis & civitatibus appellarunt, ſic quoque Tyrios, poſtquam Græci Tyrum occuparunt, ibique monetam & monetæ domum erexerunt, τετραδράχμυς nummos percutiendo. Hæc cauſa eſt, cur Tyrii illi nummi, apud Joſephum, Græci, & Græcis characteribus, non vero Hebraicis aut Syriacius aut Tyriis vetuſtis inſigniti fuiſſe judicari debeant. Poſtquam enim Alexandri M. Succeſſores & Græci Syriam tenuerunt, & Græce illic locuti ſunt, & non niſi Græce ſcripſerunt, & Græcorum moribus res omnes adminiſtrarunt, ergo nummos quoque, omniſque Tyria vel Phœnicia Scriptio evanuit ac periit. Nam & χρυσοῖ ἑξακόι illi, qui Ptolomæo cuidam eodem loco Joſepho memorante erepti leguntur, non Hebraicis literis fuerunt inſcripti, quod Agrippa Judæus & Rex eſſet, ſed Græcis aut Romanis, quia Græcanica tunc erant illic locorum omnia, una cum monetis, quas tam Græci ſuo, quam Romani ſuo more & jure exercuerunt.

Et hac ratione ſicli omnes Sacræ Scripturæ intelligendi veniunt, ad pondus & libram, nunquam vero pro nummis ſingulis cuſis, aut pro pondere nummum unum ſive argenteum ſive aureum cuſum conſtituente. Ubique Scriptura clare de ponderibus loquitur, nuſquam clare de nummis ſive aureis. Pondera ſunt, quæ templo Domini ædificando David collegerat, *Chronic.* 23. *verſ.* 14. Ich habe in meiner Armuth verſchaffet zum Hauſ des Herzn / hundert tauſend Centner Goldes / und tauſend mahl tauſend Centner Silbeas / dazu Erß und Eyſen ohn Zahl. Si ſicli aut aurei, aut ar-

argentei tunc cusi fuissent, cur rationem David non secundum nummos instituisset, ut hodie solemus, sed secundum pondera? Et cum 1. *Chronic.* 24. *vers.* 29. officia & munera filiorum Levi longa serie enumerantur, etiam iis curam ponderum & mensurarum concreditam legis, zu allem Gewicht und Maß: nummorum aut in expensis aut in acceptis nulla mentio, quod tamen præteriri nequaquam potuit, si nummi fuissent cusi. Sæpius Lutherus Geld reddidit, quod non nisi כסף est, argentum omne cujuscunque generis, præter nummos cusos.

Monui jam ante numerum additum argento siclos significare eosque subintelligi debere, ut *Cantic. cap.* 8. *vers.* 11. das ein jeglicher für seine früchte bringen solte tausend Silberlinge/ אלף כסף *mille argenti*, scil. siclos, hoc est pondus argenti mille siclorum. Nam si nummi censendi sunt, haud erant tamen publice cusi, aut signati, quibus non utebantur Judæi, sed frustra argenti, ad illud pondus accedentia, quæ quilibet privatus suo more concidebat, & afferens exponebat ad pondus. Sunt autem mille sicli sacri nostræ monetæ 500. unciales thaleri. Quando igitur apud Amos Prophetam *c.* 8. *v.* 5. dicitur de Judæis & Israelitis, das sie den Epha ringeren/ und den Seckel steigeren/ und die Wage fälschen; de ponderibus & mensuris agitur non de nummis cusis. Mensuram enim minorem adhibebant in Epha, admetiendo frumentum, sicli vero pondus non augebant, sed valorem ultra solitum, quo frumentum emebant, & libra injusta appendentes, siclum plus æquo minorem, valorem & pretium ejus vendenti frumentum majus obtruserunt. Haud igitur siclus nummus erat cusus, sed pondus argenti imminutum, valorem sicli in immensum provehebat, ita ut vendentes læderentur, siclos justi ponderis & pretii nunquam obtinentes, ex libra enim imminuta fraus ponderi quantum detrahebat, pretio tantum accrescebat. Et quod maxime notandum ibi venit, non loquitur de principibus in populo, quibus forte cura siclorum aut mensurarum concredita, sed de privatis mercatoribus, qui injusta mensura, injusto pondere sicli, injusta libra aliorum opes corradebant, adeo ut, quod sæpius dixi, etiam hic locus evincat, eo tempore monetam non fuisse publicam, sed ex cujusvis libra & pondere appensam fuisse & fraudes adinventas irrepsisse. Ita quoque apud Micham Prophetam *cap.* 6. *vers.* 10. & 11. Noch bleibet mir unrecht Gut in des Gottlosen Hause/ und die feindselige geringe Epha. Oder solte ich die unrechte Wage und falsche Gewichte im Seckel billigen? Hic Seckel non est siclus, sed sacculus, in quo אבני מרמה lapides & pondera fraudulenta gestabant semper Judæi, ac ad manum habebant argentum expendentes, sive sicli pondere, sive alio. Nihil enim ibi de siclis textus Hebræus habet. Sit tamen de siclis nummis locum Amos loqui, & tam de pondere quam de nummis intelligi: est enim in Hebraicis שקל להגדיל zu vergrösseren den Seckel/ & aliquid ejus ponderi addere, quod libra dolosa sibi præstabant lucrum, siclos ab aliis accipientes, ut hac ratione siclum sibi majorem adquirerent. Demetrius Rex Syriæ 15. mille siclos argenti Judæis promisit ex suis propriis reditibus, 1. Maccabæorum 10. *vers.* 40. Sed & *vers.* 41. siclos 5000. quos Præfecti ipsius e templo surripuerant, restituit. At num quis siclos hos omnes Judaica moneta & sicli pondere cusos sibi persuadebit, propter sicli nomen additum? Hi 15. & 5. mille sicli efficiunt nostræ monetæ thaleros unciales 5000. quis non in aurea moneta a Demetrio solvi potuisse credat, aut alia moneta sive argentea sive aurea, usque dum pondus 20000. siclorum expletum esset? De nummis enim sicli pondere cusis qui intelligi cupiunt, illud quod non est in Sacris literis usquam nobis obtrudunt, quæ siclos cusos, aut nummos sicli pondere cusos nesciunt in totum, nisi quod nos ex sicli pondere toties in sacris repetito, nummos non solum producamus, quod ferri posset, sed nummos etiam cusos fingamus & fecerimus, de quibus Scriptura nullibi verbum ullum reliquit. Eupolemus apud Eusebium Præp. Evang. *l.* 9. *p. m.* 451. τὸ τάλαντον εἶναι σίκλον voluit, quod ita intelligendum, siclum auri, esse talentum argenti: quæ ratio quomodo sibi constet non video. Siclus enim auri si decies in argento computetur, vel duodecies, non efficiet nisi 4. thaleros unciales, vel si sacro pondere intelligi debet, unciales octo. Vel si ad pondus sicli vulgaris & sacri examinari debet siclus aureus, non excedit dictam summam, nisi quod ad quamlibet semunciam auri hodie decem unciales argentei comparentur, sicque siclus aureus ponderis sacri decem thaleros argenteos conficeret, sed ponderis vulgaris non nisi quinque argenteos, qui num talentum fuerint Judæis nescio: videtur autem ex hoc loco statui debere, si incorruptus est. Jam vero producamus Josephi verba de Siclo, quæ exstant *l.* 3. Antiq. *c.* 10. *p. m.* 88. & videamus, num ille siclos ut nummos cusos adduxerit, quod videtur, quia sic ejus verba jacent. ὁ δὲ Σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέ-

δέχεται δραχμάς τέσσαρας. Interpres ita reddidit: *Siclus autem nummi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradrachmi Attici*. Melius expreſſiſſet, ſi ſic interpretari voluiſſet: *Siclus autem nummus eſt Hebræorum, qui drachmas Atticas quatuor recipit*. Hæc vera ſunt ſano ſenſu, ſi primo nummos intelligas non cuſos, neque enim nummos cuſos eſſe ſiclos dixit Joſephus, ſed ſimpliciter νομίσματα, quod ego quidem concedere poſſum, nam & nummi non cuſi νομίσματα ſunt pondere ſuo, licet nihil procuſum in iis exſtet: ſiclos deinde Sanctuarii reſpicit, qui ſoli quatuor drachmis Atticis pares erant, at Joſephi tempore non amplius ſicli dicebantur, ſed ἀργύρια, ut ex Sacro codice Novi Teſtamenti manifeſtum redditur, in quo nullibi ſicli nomen amplius apparet, ergo nec Joſephi tempore ſiclos dictos fuiſſe ſequi puto. Loquitur autem Joſephus hoc loco de Moſis ætate, qua ſicli nomen celebre erat: hinc eſt, quod ſiclos adducere voluerit & debuerit, nec ad ſuam ætatem illa trahi debere ſignificavit. Haud igitur ex illo loco evincitur ſiclos fuiſſe nummos cuſos, ſed νομίσματα non ſignata, non cuſa: nec ullibi docet eos publica moneta cuſos fuiſſe, aut eorum ſigna, literas & characteres habuiſſe, quæ publicam monetam diſcernunt a non cuſis. Nomiſmata igitur fuerunt ſicli Sanctuarii, ſed pondere, non ſignis publicis, quod nullibi Joſephus aſſeruit, nec nos aſſerere debemus, ſi Judæorum inſtituta a primæva ætate ſequi volumus, quorum ſemper fuit ſiclos pondere numeratos proferre, non ex moneta publica. Optime Interpres hic νόμισμα *nummi genus* vocavit, nec auſus fuit vocem ambiguam nummos dicere, ne cuſi intelligerentur: omnia enim quæ nummi vim ac poteſtatem obtinent, licet cuſa non ſint, nummi, nummorum genera, ſeu νομίσματα recte appellari queunt. Vox igitur νόμισματα non illud efficiet apud Judæos, quod doctiſſimi Viri volunt, nummos cuſos intelligi, cum hactenus non probarint, Judæis monetam publicam unquam fuiſſe, ſed potius eo res redit hæc omnis, eos ſiclos & ἀργύρια ſua more veteri ſine moneta retinuiſſe ſub νομίσματος nomine. Obſervari quoque meretur Joſephum ſiclos ad pondus potius, & in ſolo argento reſtringere, non autem ad aurum trahi velle, ut patet ex verbis ipſius ibidem *p. m.* 90. πρὸς τούτοις ἕκαστος φιάλην τε κομίζει καὶ τρυβλίον καὶ θυίσκην, τὴν Δαρεικοὺς δέκα δυναμένην, καὶ πλήρη θυμιαμάτων. τὸ δὲ τρυβλίον καὶ ἡ φιάλη, ἀργυρᾶ δὲ ἦν, σίκλους μὲν αἱ δύο διακοσίας εἷλκον, εἰς δὲ τὴν ἑβδομήκοντα μόνον δεδαπάνητο, ita ut trulleum 130. ſiclos penderet, ſeu lothones noſtri ponderis, uncias 65. marcas ponderis octo cum uncia una, h. e. libras Colonienſes quatuor & unciam in argento. De hoc pondere vel in Daricis vel in ſiclis nihil habet Sacer Codex; ſed Joſephus ex antiquis lectionibus vel traditionibus obſervavit ut alia plura.

Credo autem Chriſti tempore hoc genus laminarum & nummorum, ad ſicli pondus plerumque exactorum, deſiiſſe, quoniam in hiſtoria Sacra illorum temporum ſicli nomen aut *Gerah* antiquis uſitata penitus evanuerant, Aſia tota undique nummis cuſis referta, ut ad laminas illas privatorum, niſi in ſacris, confugere haud opus eſſet amplius. Ita quadraginta illi ſicli, quos Præſidibus provinciæ Judaicæ coacti fuerant expendere, Nehem. *c.* 15. *v.* 15. erant formati, ſecundum pondus argenti capiendi ſine figura quadam, aut Aaronis thuribulo & virga aut literis exprimi ſolitis, illa enim publica nummorum indicia & ornamenta neſciit illa ætas; ſolo pondere & puritate argenti ſpectabantur. Nuſquam S. Scriptura aliter loquitur de nummis Hebræorum, quam ut ſic intelligi debeat, nummos enim ſignatos plane præteriit. Hinc tertia pars ſicli, quæ Nehem. 10. *v.* 32. offerenda promittitur, eodem ſpectat, ejuſdemque generis nummus eſt, cujus ſiclus integer, pondus enim eos diſcernit, alter dimidii thaleri pretio, pondere ſemunciæ; alter octo aſſium Lubecenſium, pondere drachmæ $1\frac{1}{3}$ nulla figura illis incuſa, nec imagine, quam Hebræi averſabantur, nec literis ullis. Cur vero Judæi non ſint imitati gentes alias, in nummis cudendis, alia equidem quæſtio eſt, nam nunquam eos nummos percuſſiſſe affirmare plane licet, eo quod uſque poſt Chriſtum & Apoſtolorum ætatem nondum de nummis eorum cuſis aliquid annotatum reperiamus. Succeſſerunt tempora brevi poſt, quæ totum populum exciſum in varias orbis partes diſperſerunt, ubi nulla Reipublicæ facies civilis uſquam, ideoque nec monetæ ullius cura eos inceſſit.

Hæc autem pro illuſtrandis S. Scripturæ locis adducere libuit: qua ratione omnis difficultas, qua hactenus laborarunt, tollitur, ſi nummos cuſos publicos nullos Judæis fuiſſe ſtatuamus, laminas vero & lamellas, ſicli aut alio pondere, eos ſemper in promtu habuiſſe, quibus mercari poſſunt. Quando igitur. 2. Chronic. *verſ.* 17. dicitur ja einen Wagen umb ſechs hundert Silberlinge / ein Roß / umb hundert

und

und funffzig: argentei tales ſunt intelligendi, ex laminis ejuſmodi reciſis, donec pondus ſexcentorum ſiclorum redderent. In Sacro textu & hic, ut alibi, ſicli nomen non additur, ſed ſubintelligitur, בשש מאות כסף *in ſexcentis argenti* ſcil. ſiclis. Sic quoque explicandus locus Geneſ. 37. de vendito Joſepho Iſmaelitis viginti argenteis, umb zwantzig Silberlinge/ ut Lutherus vertit. Joſephus minas habet. *l.* 2. Antiq. *p.m.* 39. μνῶν εἴκοσι. Ego per כסף ſubintelligi ſiclos ſtatuo, ut in aliis locis, & quidem vulgares, aut commercales, qui faciunt noſtræ monetæ quinque unciales thaleros: nondum enim ſiclus ſacer introductus erat per Moſen eo tempore. Si vero minæ argenti fuerunt, ſicli 2000. eſſent, qui ſummam faciunt 500. uncialium thalerorum, quo pretio adoleſcentem 17. annorum vendi potuiſſe iſtis temporibus, non credo: Fratres enim quovis pretio ipſum facile dimittebant. Sed eſt tamen locus Jeremiæ 32. *v.* 9. ubi ſicli & argentei diſtinguuntur, dicitque Jeremias emiſſe ſe agrum, und wug ihm das Geld dar/ ſieben Seckel und zehen Silberlinge. אשקלה לו את-הכסף שבעה שקלים ועשרה הכסף Bened. Aria Montanus intelligit per כסף drachmas, quod non poteſt, ſunt enim decem drachmæ duo ſicli cum dimidio: & ſic dixiſſet Jeremias, ſe appendiſſe novem ſiclos & dimidium. Unde minores argentei ſunt intelligendi, quam qui ſiclum argenteum faciunt, qui non poſſunt eſſe alii quam Gerah. Ita ut decem illi argentei fuerant Gerah, & κέρματα argenti, quorum viginti ſiclum reddebant, decem ergo ſiclum dimidium. Sic argentum ſicli contradiſtinguitur argento Gerah, ut ſint ſeptem ſicli, & decem Gerah, quibus emtus eſt hic ager, quod alias in S. Scriptura non occurrit, ideoque probe notandum. Locum *Chronic.* 9. *verſ.* 15. & 16. Lutherus ita vertit: das ſechshundert Stück Goldes auff einen Schild kam. Haud quidem male, cum ſicli pondera etiam fruſta ſint. Sed vertere debuiſſet 600. Seckel Goldes/ & 300. Sechkel Goldes zu einer Tartſchen: ex genio Hebrææ linguæ ita loquentis; *ſexcentos auri*, *trecentos auri* ſcil. ſiclos. Jam vero ſiclos ſubintelligi debere, ſi conferas 1. *Reg.* 10. *verſ.* 17. apparebit. Sicut enim hic dicitur 300. Stück Goldes zu einer Tartſchen/ ſic ibi: ja dzeh Pfundt Goldes zi einer Tartſchen: In Sacro textu habes: שלשת מנים יעלה על-המגן האחד *tres minas induxit ſcuto uni*. Mina autem continebat centum ſiclos vulgares, ita ut minæ tres ſiclos faciant trecentos vulgares, aut centum ſiclos Sanctuarii in mina, & trecentos idcirco ſiclos Sanctuarii, ſicque videmus textum Chronicorum cum textu Regum nihil diſcrepare, ſi pondera recte penſitentur, & ſiclos ſubintelligi debere jam manifeſtum eſt. Erant enim ſicli in omni pondere, non in ſolis nummis, Obſtare videtur locus *Jeremiæ* 32. *v.* 9. ich wug ihm das Geld dar/ ſieben Seckel und zehen Silberlinge; ubi ſicli ab argenteis minoribus diſtinguuntur, quod ante dixi. At nihil obſtat: minora enim ipſis argenti pondera fuiſſe qua ſiclis, quibus pro nummis utebantur haud dubito nec nego. Gera enim 20. conſtituebant ſiclum Sanctuarii ſeu 24. aſſes Lubecenſes, qua ratione Gerah unum valebat aſſem unum Lubecenſem, cum $2\frac{2}{5}$ denariolis. Decem igitur Gerah argenti ſiclum vulgarem ſeu commercare efficiebant, 12. aſſium Lubecenſium, decem vero denariolos argenteos nondum effeciſſe ſiclum vulgarem ex hoc loco probari poſſet, qui ſeptem ſiclos & decem denariolos argenti perſolutos eſſe monſtrat, quos Gerah minores adhuc fuiſſe intelligimus, cum ſiclum unum non effecerint: at quanti fuerint iſti denarioli, & quot requirantur ad ſiclum unum conſtituendum, & quo nomine vocati ſint, non patet. Illud vero ſequitur, nummos hos appenſos fuiſſe, non ut cuſos, ſed ut rudes, & ſolo pondere argenti ſummam efficientes, κέρματα, nihilque præterea, quales Judæorum nummi veteres fuerunt omnes, ideoque *v.* 10. additur, und wug das Geld dar auff einer Wage. Jungatur locus Matth. 10. *verſ.* 9. ubi de zona nummaria loquitur Chriſtus: zona enim non niſi nummis erat dicata: μὴ κτήσησθε χρυσὸν μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, nihil niſi nummis eos inſtructos incedere prohibet. Sed ita locutus eſt, quod nummos etiam non ſignatos comprehenderit, nam & nummi cuſi & non cuſi aurum, argentum, & æs revera ſunt, ſed forma diſtincta. Nummi non cuſi κέρματα fuerunt, nummi cuſi, moneta: nummi non ſignati, Judæorum proprii; ſignati, peregrini. Hanc ob cauſam ſic loquitur Chriſtus, nam alias denarios ſuo nomine expreſſiſſet, aut aliam monetam cuſam, niſi Judæorum nummos etiam intelligi voluiſſet: alia ratio eſt in noſtris loquendi formulis, qui aurum & argentum ſæpe de nummis cuſis efferimus, haud enim aliis quam nummis cuſis nos utimur, quod apud Judæos, multoſque alios populos olim aliter ſe habebat, ut jam ſæpius oſtendi. De hoc auro & argento non ſignato apud antiquos, non judicabat Rex, Senatus, aut Magiſtratus ullus, ſed ſolus mercator, qui ſi probitatem non repudia-

diaret aut pondus, jam recte solvebat venditor ut de Abrahamo dicitur *Genes.* 23. *vers.* 17. Vier hundert Seckel Silbers das im Kauff genge und gebe war. כסף עבר לסחר *argentum transiens ad mercatorem*. Mercatore enim non approbante argentum, quod offerebatur, libra forte & examine non respondente, cogebatur venditor emendare; ut exhinc videamus etiam fraudes ejus temporis non ignotas fuisse, & fucum argenti, quin & nummos istos non signatos haud ad magistratus curam pertinuisse, sed ad mercantium. Præterquam enim quod quondam quilibet ementes & vendentes libra instructi incedebant & cotibus, pro auro & argento, quod ipsis occurrebat, examinando, etiam deinceps collybistas secum tempore Christi habebant; haud enim ante leguntur. Exstant κολλυβισταὶ apud Matthæum *cap.* 21. *v.* 12. qui in templo petentibus præsto erant, ad mensas omnia permutantes, etiam nummos non signatos, signatis, & signatos non signatis, prout res cujusque flagitabat. Unde Johann. 2. *vers.* 14. κερματισταὶ proprie dicebantur, quod κέρματα non signata loco nummorum peregrinorum signatorum vel darent, vel reciperent. Marci *XI. vers.* 15. dicitur, quod ingressus templum Christus everterit τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν. Nec dubium est hos mores eos a Græcis suos fecisse, ut mirari liceat, cur etiam nummos signare non didicerint, studio enim videntur neglexisse, quod a more patrio antiquo & recepto in nummis non signatis discedere vererentur, collybistas vero & trapezitas & κερμαμιστὰς adhiberent, ad nummos suos cum peregrinis signatis comparandos, & peræquandos.

CAPUT VIII.

De Siclis aureis.

JAM quod sicli nomen non solum de argento, sed etiam de auro S. Scriptura usurpat, ponderis illud nomen indicat esse, non nummorum cusorum: alia sane nomina sunt argenteorum nummorum, alia aureorum inter omnes gentes, quibus distinguuntur & dignoscuntur, postquam cusi fuerunt. Quin & siclus auri, si nummus fuit in argento, drachmarum quatuor, seu semunciæ, nostræ monetæ siclus aureos octo thaleros unciales reddidit, cujus ponderis aut valoris nummos cusos aureos ista ætas nequaquam in toto terrarum orbe vidit. Optime igitur Lutherus Sacri codicis verba 1. *Chronic. v.* 25. expressit: Also gab David Arnan umb den Raum Goldt am Gewicht sechshundert Seckel. in pondere aurum vel rude vel factum, nequaquam vero cusum vel signatum in nummis.

Dicant, quæso, mihi nunc, cur cum eadem ratio sit siclorum auri, quæ siclorum argenti, & metallo solo distinguantur ac valore, pondere conveniant, æque enim πετρδράδχμον auri siclus dicebatur, quam πετράδραχμον argenti, dicant, inquam, aliquam rationem, cur aureus siclus nummis conveniat quam argenteus? Uterque non signatus fuit, uterque in commerciis, in prædis, in emtionibus, & venditionibus adhibebatur, uterque pretium rei statuebat, nihilque excogitari potest, cur aureum sicli pondus magis inter nummos esse prohibeatur, quam pondus sicli argenteum. Quæ Ariamontanus & alii contra disputant p. 130. miror tam doctum Virum detinere potuisse. Nam quæ ille consequi putat, ego minime sequi video. Producit cochlearia aurea demum siclorum: Nemo in illis cochlearibus argenteis, sunt enim & manent cochlearia, non nummi. Neque enim omnis res aurea & argentea nummos fecit aut cusos, aut non cusos, sed aurum & argentum in sicli pondera digestum, eo fine, ut illis utar in emendo, in donando, in solvendis debitis &c. omnino nummi naturam induunt, & νομίσματα sunt certi ponderis cum expenduntur, & transferuntur ad alium: ita ut quæ in siclis argenteis nummum constituunt, eadem in siclis aureis nummos quoque constituere necesse sit. De siclis in auro diserte testatur locus 1. *Chronic. vers.* 25. ubi legitur Davidem Arnano dedisse siclos aureos pondere sexcentos. Fuerunt igitur sicli aurei æque ac argentei, sed pondere: alios enim nummos Hebræi vel Judæi nesciebant suis moribus, sive argentei essent, sive aurei: cusos aut signatos nullibi leges in S. Scriptura, nec nos fingere debemus, quæ non fuerunt. Hæc si attendissent judicii exactissimi Scriptor, Herm. Conringius, non opus fuisset tanto conatu, quo siclos argenteos nummos tantum fuisse defendere voluit, non aureos, non æreos. Ita enim statuere debuit omnino, quia cusos nummos aureos intellexit & argenteos. Nullus autem aureus veteribus πετράδραχμος inter cusos observatur fuisse, prout siclus & stater argenteus: at non fuisse inter nummos non cusos haud perinde sequitur. Illi enim nummi, sive in argento, sive in auro, secundum sola pondera & fiebant & dabantur, adeo ut sicli nomen æque ponderi & nummo πετραδράχμῳ aureo ac argenteo apud Judæos convenirent. Nummi enim fuerunt sicli aurei 600. quod

pro

area Arnonis a Davide darentur, ab Arnone reciperentur, & area emta illo pretio penes Davidem maneret. Facta est igitur hæc emtio & venditio nummis aureis, sed ἀσήμοις, at ponderatis ad siclos sexcentos aureos, qui faciunt nostræ monetæ 4800. thaleros unciales argenti vel 2400. Ducatos Hungaricos δραχμιαίους in auro. Aliter 1. Reg. ultimo hæc historia & pretium ejus exprimitur, 50. siclis argenti aream istam emtam dum dicit, qui non faciunt nisi 25. thaleros unciales. At hæc ad aliud tempus pertinent enucleanda, nunc solum manifestum reddere volui, etiam aureos nummos pondere sicli Hebræis fuisse pariter ac argenteos, quod negavit Dn. Conringius, dum alios quam nummos cusos dari sibi non persuasit, licet ubique concedat ante captivitatem Babylonicam Judæos non nisi nummis ἀσήμοις, nullis vero cusis, usos esse. Hæc igitur ejus est sententia siclos nomine aureos nullos cusos fuisse Judæis post captivitatem & libertatem Hasmonæis restitutam, tunc enim nummis cusis primum uti Judæos cœpisse statuit, non prius. At quia corruit illa sententia de nummis cusis Judæorum post captivitatem, & nummis ἀσήμοις more veteri perrexerunt, uti Judæi, usque quo Romani eos exciderunt, habebimus semper tam siclos aureos quam argenteos ἀσήμους pondere suo æquales, metallo distinctos, id quod non negasset Conringius, nisi nummos cusos admisisset. Adducam quoque locum Josephi de siclis auri testantem *lib. 5. Antiq. cap. 1. p. m.* 137. ubi Achanis furtum describit, εὑρὸν χλαμύδα βασίλειον, ἐκ χρυσοῦ μὲν πᾶσαν ὑφασμένην, μάζαν δὲ χρυσοῦ σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίας, *massam auri pendentes siclos ducentos*. Hac massa auri utebantur tam in vendendo & emendo nummorum vice, quam ad alia exinde fabricanda, cum opus esset, plane prout massis argenti sive in nummis sive in operibus nullum discrimen fuerit, sed pondere eodem, idem nomen ferrent, metallo distincti sicli & pretio solum. Josephi hæc petita sunt ex Josuæ 7. quæ Lutherus longe aliter ex Hebræo vertit. Ich sahe unter dem Raub einen köstlichen Babylonischen Mantel / und zweyhundert Seckel Silbers / und eine güldene Zunge fünffzige Seckel werth am Gewichte. Hæc sane conveniunt cum textu Hebræo, nisi quod werth ibi superfluum sit, & ancipitem reddat mentem, an valuerit quinquaginta siclos argenti an auri; sed auri pondus fuisse quinquaginta siclorum in ista lingula nobis Hebræa insinuant, לשון זהב אחד חמשים שקרים משקלו. Jam sicli argentei

ducenti sive in massa fuerint, sive κεκερματισμένοι, nihil plus quam sicli fuerunt pondere, prout sicli in lingula auri. Josepho autem novum non est Codicis sacri verba distorquere, & in alium sensum dare, quod plurimis ejus loci ostendi potest, sed hujus nunc loci non sunt, haud enim aliud quid docere voluimus, quam siclos auri & argenti pariter nummis serviisse, ac aliis rebus, & in hoc nullum auri ab argento discrimen esse. Et quomodo hæc aliter se possent habere, cum a ponderando sicli nomen apud Hebræos, ut novimus, processerit, quod ad quævis metalla se porrigit? At quoniam ære aut ferro Hebræi non utebantur in nummis suis, sed argento solum & auro, hinc certo pondere nummi aurei & argentei sicli dicebantur. Eadem ratione Chaldæi siclum *Philes* vocarunt, quod apud ipsos *pheles* sit nomen stateræ & lancis, in qua ponderabantur sicli, ut Hebræis משקל statera in qua קלש ponderabant, seu siclum. Hinc egregie Aria Montanus *pag. m.* 137. *pelezz* dicit *monetæ genus non cusæ in Haruch, sed Chaldæo paraphrastæ in Ezech. cap.* 4. & 37. *siclus est*. Vide siclum, vide monetam non cusam, ab Hebræis ipsis concessam & agnitam. Unde aureos nummos majoris ponderis quam sicli, etiam argenteos Judæos expendisse nullum est dubium, cum summas solvere majores deberent, quos ad massas, minas & πλίνθους argenti & auri referre oportet, ita ut Camhius recte Aria Montanum docuerit, quosdam nummos aureos quindenos vicenos, & viginti quinque siclos superasse quod in nummis non signatis optime procedit, in cusis nequaquam. Et prout in auro, sic etiam in argento, nummi isti majores promebantur, massæ potius dicendi quam nummi, qui tamen ad siclos redigebantur tam in auro quam in argento, quamdiu ad *Kiccar* non adscendebant, quod erat pondus apud Judæos summum & gravissimum, ut talentum apud Græcos. Cum enim summam per *Kiccarim* expendere opus esset, non siclos sed *Kiccarim* in nummis non signatis justo pondere solvebant. Nummos ego voco, quidquid auri vel argenti pro mercibus emendis datur, aut vendendis recipitur, sive cusi sive non cusi sint, modo cum aliis mercibus permutentur.

CAPUT IX.

De Siclis æreis.

ATque ea ratione non fuiſſe Judæis nummos æreos, neque *Gerab*, neque *Siclos*, neque *Kiccar*; fuiſſe vero pondera iſta æris extra nummos, cum ære in operibus uti vellent, non ad permutationem mercium, manifeſtum fit, neque enim pondera ſicli & *Kiccar* æris metallo negamus, ſed nummis æreis, quibus non indigebant. Æreos peregrinos cuſos etiam admittebant, ut eſſet permutatio facilior, eoſque rurſus peregrinis reddebant, ſicut aureos ſignatos & argenteos: omnis enim generis nummi cuſi peregrini inter Judæos frequentabantur, juxta cum eorum propriis non cuſis, ne ſcilicet commercia detrimenti quid aut moræ ſentirent, ſed omnibus omnino nummis expeditiſſima forent & promtiſſima. In auro & argento pondera nobis ſiclorum & *Kiccarim*, & *Gerab* ubique Scriptura ſiſtit, ut nummos, nihilque præterea, ærea nullibi χέρματα, nedum cuſi nummi comparent, qui Judæorum dici queant. Jam literæ tam Samaritanæ quam Hebraicæ quam quæſo formam oſtendunt? qualem in libris paſſim impreſſis reperimus, abeuntes quam maxime a veris & antiquiſſimis manuſcriptis. Virga Aaronis, thuribulum, acerra Mannæ, radix balſami, templum ipſum, quot figuras diverſas receperunt? ut variis locis, diverſis temporibus, aliis manibus & ingeniis ſculpta quidem colligere liceat, ſed omnia nupera, & ab antiquitate omni, quam præfigurare voluerunt remotiſſima.

Tam illos nummos cum *Jeſu* imagine, ſuiſque inſcriptionibus, quis non videt a Chriſtianis protruſos, non a Judæis, ut & illi in fraudis partem venirent? Meras fraudes & impoſturas loquuntur omnes hi nummi, in figuris, in literis, in inſcriptionibus, in monetis ipſis cuſis aut fuſis, ut digni minime ſint in quibus occupemur. Nec defuerunt Viri doctiſſimi, qui fraudes illas viderunt, ſed cœca illa opinione ducti, quaſi nummos aliquando cuderint Judæi, ita veritatis aliquid ſubeſſe poſſe ſibi perſuaſerunt.

Tam infrunita fuit horum hominum diligentia, ut etiam æreos nummos viguiſſe & procudiſſe Judæos fraudibus ſuis addiderint, contra Sacram Scripturam, quæ nullibi de nummis æreis populi Judaici, ὀδὲ Δίωνος γρῦ, profert. Unde etiam Hermanno Conringio aliiſque aqua hæret, quo nomine hos æreos nummos appellare deceat, cum ſicli non ſint, quorum nomen ſolis argenteis deſtinatum exiſtimat. Falſos eſſe æreos iſtos ſive cuſos, ſive non cuſos, & propterea nullius nominis, licet ſicli pondus oſtendant & ſemiſicli, extra controverſiam mihi videtur, quod nunquam argentum & aurum defecerit Judæis, quo nummos offerre pro mercibus potuerint, nec opus erat ad æreos devenire, quamdiu argentum χερματίζειν poterant, quod novimus etiam ad minutiſſima ſegmenta & ramenta redactum valorem præſtare. Æreos igitur nummos Hebræorum quod agnoſcant Scriptores, ex errore illo communi natum eſt, quod non niſi cuſos & ſignatos nummos Hebræis tribuerint, quos nunquam illi receperunt. Unde Aria Montanus, qui etiam nummos Hebræorum cuſos opinatus eſt, eo tandem coactus eſt ſententiam ſuam dirigere, ut ſiclos non niſi argenteos dictos affirmarit, dum ait in libello Ephron: *Quoſdam etiam aureos nummos vicenum ſiclorum, quoſdam vicenum quinorum, alios quindenorum in uſu fuiſſe, quæ minæ partes dicerentur, ut exponit Cambius in* Ezech. 45. v. 12. *Sed certum auri vel æris ſiclum eodem nomine dictum non facile in antiquorum libris agnoſcimus. Sed cum de ſiclo auri & æris Scripturæ meminerunt, pondus ipſum, non valorem æſtimandum arbitramur.* Vellem profecto, indicaſſet, ubi ærei nummi in Sacra Scriptura nominarentur: ego enim illos nullibi obſervare potui. Joſua ſane *cap. 6. verſ.* 18. probe diſtinguit, dicens: alles Silber und Gold/ tam vaſa quam nummos ſignificare volens, æs autem & ferrum, non niſi in ſupellectile & vaſis ponit, ſampt dem ehznen und eiſernen Geräthe/ ut כלי recte reddidit Lutherus. Attendit hoc Joſephus, qui verba tranſſumens, quæ exſtant, 2. *Sam.* 21. *verſ.* 16. Und Jesbi zu Nob/ welcher war der Kinder Rapha einer/ und das Gewicht ſeines Speers/ war dzeyhundert Gewicht Erk/ und hatten neue Waffen/ der gedachte David zu ſchlagen: ſic interpretatus eſt *lib. 7. Antiquit. cap.* 10. *pag. m.* 242. ὤφθη ὑπό τινος τῶν πολεμίων Ἄκμωνος μὲν τοὔνομα, Ἀράφȣ δὲ παιδὸς. ȣ̃τος ἦν μὲν ϗ ἀπόγονος τῶν Γιγάντων. ἔχων δὲ ϗ ξυςὸν ȣ̃ τὴν λαβὴν συνέλκειν ςαθμὸν τελακοσίȣς σίκλȣς, ϗ θώρακα ἁλυσιδωτὸν, ϗ ῥομφαίαν, ὥρμησεν ἀποςραφεὶς ὡς ἀποκτείνων τῶν πολεμίων Βασιλέα. Nimis evagatur Joſephus in ſuis antiquitatibus Biblicis explicandis, aliumque ſenſum multis affingit. Ne nunc dicam de θώρακι ἁλυσιδωτῷ, quem Philiſtæis fuiſſe non conſtat, nec in Sacro textu exſtat, de ſiclis ſolis monendum eſt, recte ſe habere, quos hic in pondere produxit. Sacra Scriptu-

ptura diserte lanceam istam æream, נחשת fuisse dixit, ideoque in ejus pondere nec sicli nomen adhibuit, sed משקל quod quale pondus sit, cum pro omni pondere sumatur, Hebræi non observarunt; *&* *pondus lanceæ ipsius trecentorum pondere æris*. Elliptice pondus illud proponitur, & significantur omnino sicli. Hic enim de nummis non est sermo, sed de pondere, ideoque tam æri quam ferro sicli pondus tribui potest. At in ære nummos nullos Judæi tractarunt, nec in ferro, sed auro & argento solo solvebant solvenda; ideoque nec ferrum nec æs sicli unius aut plurium pondere in pecuniæ rationibus reperitur: aliud enim est pondus, aliud pecunia ponderata, ut hic, lancea trecentorum siclorum pondere, quæ propterea tamen pecunia non fuit, omnis enim nummus non signatus pondere suo talis est, sed non omne pondus nummus est. Æs igitur in pondere sicli quidem considerari potest, in pondere vero nummi nequaquam. Nec magis ex isto loco Samuelis siclus æreus nummus probari potest, quam Ravanellus in Bibliotheca Sacra *pag. m.* 615. siclum chalybeum & ferreum exstruxit, quod ferrum & chalybs sicli pondere appensum reperiatur 1. *Samuel.* 17. Chalybs enim & ferrum & æs, res quidem ponderatæ sunt in statera, non vero nummi. Manet igitur sicli nomen ut pondus omnibus ponderatis quidem tribui metallis, sed non nummis, nisi aureis & argenteis. Ærei multi circumferuntur & leguntur etiam hodie inter Hebraicos, sed quoniam hi nullius fidei aut antiquitatis sunt, nihil etiam probant. Sequiora secula omne aurum & argentum factum, sculptum, cœlatum, *fabricaturas* vocarunt, ut patet ex formulis Marculphi, & primo ex form. 48. *ex præsidio domus eorum, aurum, argentum, fabricaturas, drappas, vestimenta, vel omne suppellectile eorum*, & form. 67. *de præsidio vero drappos, fabricaturas, vel omne suppellectile domus*, form. 72. *tam auro quam argento, vel reliquis fabricaturis*, disertius form. 75. *in fabricaturis, id est, in auro vel argento solidos tantos*, sic quoque form. 78. *in fabricaturis aurum tantum, argentum tantum*, ut & form. 83. *in auro & argento fabricaturas in solidos tantos* &c. Non dubito quin nummi cusi quoque sub his *fabricaturis* comprehendantur, cum nullibi nominentur aut distinguantur a formularum autore, qui seculo illo vixit, quo nummi cusi passim obtinebant, sub auro igitur & argento fabricato debent intelligi, nam massæ, πλίνθοι, κέρματα, quæ quondam in nummis fuerunt, aurum scil. & argentum infectum, vix tunc in supellectile cujusquam spectabantur: ideoque *fabricaturæ* dicuntur, omnia quæ fabricata & facta fuerunt, in auro, vel argento, vasa, vel nummi cusi.

Cæterum recte se habent verba Ariæ Montani, & Camhii, qui aureos vicenum siclorum, & viginti quinque, & quindenorum adduxerunt, si de pondere, & nummis non cusis intelligantur, ut intelligi debent. Idem est in argento, nam & multi sicli in massam unam argenti coire possunt, quæ serviat in commerciis & contractibus emtionis ac venditionis. Hinc duplex siclus, qui *Selah* Rabbinis dicitur, & unciali pondere argentum continet, proficiscitur, nihilque impedit, quin quadruplus, & decuplus esse potuerit siclus, quamdiu inter non cusos relinquitur: at si cusos solos respicimus, *Selah* uncialis inter Judaicos nummos chimæra fuerit, quoniam illi, qui nummos cuderunt, eo nusquam gentium progressi sunt, ut unciales argenteos cuderent, ante secula hæc ultima, quæ tandem tales nummi nobilitarunt. Hic autem nummus *Selah* varii ponderis fuit, alius in Galilæa, alius in Judæa. Ille enim non nisi duarum drachmarum fuit, hic octo: ut Aria Montanus ex Misnajoth docet *pag. m.* 133. *legimus* ait, *quinque Selahhim in Galilæa pondus esse decem zuzim in Judæa*. *Selahhim* igitur Galilæi multo minoris ponderis fuerunt, quam *Selahhim* Judaici. Sed quod & æreum *Selah* adducat ex Misnajoth de decima secunda *cap.* 2. §. 10. hoc mihi suspectum valde, nisi loquatur de æreis Græcis aut Romanis cusis, iisque nomen illud Hebraicum imposuerit, ut in Misnajoth de Ahaloth *cap.* 13. §. 1. & tract. de Chelajim *cap.* 17. §. 12. *Selah Neronith* exprimit, nummum, nisi fallor, æreum, a Nerone cusum. Nero autem vel Imperatores reliqui, nunquam nummos Judaicos cuderunt, sed Romanos ubique, etiam in ipsa Judæa, quæ causa est, cur a Christi temporibus nomen Romanum κοδοάντς reperiatur in codice N. T. Hos igitur nummos peregrinos inter Judæos valentes Hebraicis nominibus efferre studuerunt sæpius. *Selah* autem Hebraice significat petram & saxum: quod nomen qua ratione nummis applicaverint, haud explicarunt. Hoc vero certum est, per *Selah* in Judæorum nummis non cusos intelligi, in peregrinorum nummis autem cusos, & quidem æreos, nam argenteos ejus ponderis nemo tunc signavit.

CA-

CAPUT X.

De Siclo Sacro & externo.

SIclum Sanctuarii excipio, quem cum Mose ex divino instituto peculiariter additum novimus, & inter Israelitas receptum, ita ut nihilominus a vulgari & antiquiori in civilibus commerciis non discesserint. Abimelechi igitur argenteos mille sicli vulgaris pondere fuisse dicendum est, æque ac illos quadringentos Abrahami, quibus sepulchrum emit. Atque sic illi sicli nostræ monetæ thaleros unciales effecerunt 250. quadringenti vero, centum, nisi pondus forte sicli aliud eo tempore fuisse conjicere velimus, & sub Mose primum siclos διδράχμους & τετραδράχμους certo pondere constitutos: de qua re tamen nihil Sacra Scriptura testatum reliquit, præterquam in siclo Sanctuarii. Hic rursus doctissimos, Conringium & Steph. Morinum, & alios adversantes ferre oportet, qui siclos a tempore Mosis, & collecto in unum populo, non nisi unius ponderis fuisse statuunt, quatuor scilicet drachmarum. Non ipsos movet tam sæpe addita distinctio *sicli sacri*, non 70. Interpretum δίδραχμα pro siclis posita, quæ sane non toties repetita legerentur, si unius generis sicli in populo Judaico, τετράδραχμοι soli, obtinuissent. Sicli enim ante Mosen in populo Gananitico leguntur, sed non sacri ponderis, diversi igitur fuerunt, quoniam *acri* dici cœperunt. Abraham non solvit siclos Sanctuarii, nec Abimelech donavit, quia nondum ita sicli distincti fuerant, ut τετράδραχμοι haberi possent, & sacri: Et usque ad Mosen non siclos nesciverunt populi isti, sed nesciverunt sacros. Sed & concedere non multum nocebit, sicli nomen non a Gananitis ortum sed ab Abrahamo, vel Hebræis, postquam terram Canaan ingressi sunt, suamque rempublicam instituerunt. Potuit enim a Gananitis alio nomine vocari, *Kesitha*, vel simili, haud vero sicli, nec sicli pondus continuisse, priusquam Moses populum docuit, quo nomine, quo pondere siclum adhibere deberent, & ne vel nomine vel pondere gentibus similes essent, *siclum sanctum*, vel *Sanctuarii* appellari voluit, quo nomine nummi illorum distinguebantur omnino a nummis gentilium. Neque enim solum sicli sancti dicebantur & Sanctuarii, quod in sacrario mensuræ & pondera custodirentur, eorumque exemplaria, & quod Sacerdotes & Levitæ eorum curam demandatam haberent, 1. *Chronic.* 23. *vers.* 29. sed quod ipse populus ut sanctitate distinctus erat a gentibus, ita quoque ritibus sacris, mensuris ac ponderibus sacris, nunquam inter gentes auditis. Facile igitur cum doctissimis Viris adduci possum, ut credam, veros siclos nullibi fuisse quam in Judaico populo, eosque τετραδράχμους, cæteros sicli nomen mutuatos esse a Judæis, pondere tamen diverso nummos suos tractasse; Unde sequitur, siclum sanctum nihil aliud esse, quam nummos Judæorum pondere proprio distinctos a nummis gentilium; & quidquid de vulgari, aut Regio siclo proditur, non ad Judæos aut illorum siclum pertinere, sed ad externarum gentium nummos, qui pondere siclo Sanctuarii respondebant; Hinc est, quod ne Chaldæi quidem sicli vocabulo usi sint, sed *Selaah* & *Selain* Chaldæus paraphrastes siclos sua lingua vocaverit, quod sicli nomen ad solos Hebræos & Judæos pertinuerit. Recte igitur statuunt, nullum siclum profanum ullibi exstare, nec a quoquam memoratos esse: profani enim & gentiles sicli nomine vel non dignabantur uti, vel si uterentur, propter commercia mutua hoc fiebat, ut se explicarent. Illud tamen commune habebant Judæi & externi, ut nummis non cusis, auri & argenti lingulis, lamellis & κέρμασι non signatis, certi tamen ponderis, quælibet gens suis, ad commercia valere facerent. Exinde quoque non incongrue statuitur, siclum Sanctuarii aut populi Judaici pondere reliquarum gentium nummis majorem fuisse, & ad 320. grana hordei in puro argento pendisse, nec de tali pondere quemquam ante Judæos cogitasse, postmodum vero plures imitatos esse. An Sicilicum Romanorum pondus, aliquid habeat cum siclo commune præter allusionem, haud video. Sicilici pondus erat duarum drachmarum, a secando dictum, ut Paulus & Festus indicant, *Sicilicum dictum, quod semunciam secet*, h. e. dividat in partes æquales. Semuncia quatuor drachmarum erat, ergo *Sicilicum* duarum drachmarum pondus habebat, quod etiam Marq. Freherus & Cornelius a lapide statuerunt. A secando dictum, non a siclo, alia quoque nomina Romanæ linguæ testantur, nam *Sica* quoque a secando dicitur, & Ennius *Siciles* vocavit hastarum spicula, quod iis vulnus fieret & secaretur.

Incedit veles vulgo Sicilibus latis.

Sicilicum igitur pondus, non quod secaret sed quod secaretur, κέρμα alterius ponderis majoris, proprie tamen semunciæ dimidium. Igitur qui apud Epiphanium

nium legunt Sicilicum, & Siclum intelligunt, falluntur, haud enim ſibi hæc reſpondent. Epiphanii mens perpendenda, an Sicilicum an Siclus legi debeat.

Sic quoque ſicli nomen ad menſuras tranſiit, refert qui Polybius & ex eo Athenæus in Luſitania hordei ſiclum ſeu medimnum Atticum emi potuiſſe drachma una *lib. 7. cap. 1. pag. m. 331.* Ὁ μὲν τῶν κριθῶν σίκλος (μέδιμνος ἐστὶ) δραχμῆς. At num ex ſiclo Hebraico nomen retinuerit, & qua occaſione in Luſitaniam vox illa tranſierit, & Polybii tempore ſuperfuerit, cum inter Judæos ipſos ne nomen quidem amplius auditum ſit, non mihi liquet.

At Cananitis jam ejectis, & ab Iſraelitico populo terris occupatis, in ſiclos priores populis conſuetos abdicarint, & ſolos ſacros retinuerint, hoc mihi quidem non perſuadeo, ex ea cauſa quod populi alii ad terram ſanctam non pertinentes circumhabitarint, & populos Iſraeliticos incluſerint, qui ſiclos Cananiticos eodem pondere quo prius retinebant, quibus Iſraelitæ nec ſiclum ſacrum offerre, nec illi Iſraelitis poterant. Ex conſenſu igitur & commercio cum aliis gentibus qui argentum recipiebant, & nummos, ſiclo alio quam ſacro uti cogebantur. Et ſi cum gentibus ſiclos permutabant alios, hoc etiam inter ſe, ut commercia ſibi conſtarent, eos obſervaſſe ſequitur, nec ſacri ponderis ſiclos adhibitos, niſi ubi Deus diſerte juſſerat, & ſacra flagitabant, licet nihil impediat, quo minus ſicli iſti omnes inter eos commeare potuerint, quia non cuſi erant, & argentum utrinque probum expenderetur. Nam ſi quis hodie thaleris banci ſolvi ſibi pactus eſſet, ille vero ſolvat alterius generis, non recte ſolutum conqueri poteſt, licet thaleri ſint utrique, nihilqui amplius: ſic quoque in ſiclis res ſe habet; raro enim nummi ejuſdem nominis, ejuſdem civitatis, idem pondus, eundem valorem retinent, ſemper aliquid diverſi occurrit, cur nunc hi nunc illi magis deſiderentur. Nullum igitur ſupereſſe dubium poteſt, etiam alios ſiclos in populo Iſraelitico fuiſſe præter ſacros, propter commercia cum exteris, quæ quoque Græcorum nummos a Judæis recipi, & Romanorum tandem voluerunt. At quod Septuaginta ſiclos non niſi διδράχμους appellent, etiam ſacros, ex ea cauſa, puto, contigit, quod eorum temporibus Græci nondum τετραδράχμους cuſos habuerint: & Judæi, ſive cum ſiclis διδράχμοις, ſive τετραδράχμοις ſacra obſervarent, eodem res recidit, quoniam illi rudes, haud vero ſignatos ſiclos & nummos expendebant, ejuſque ponderis efficere poterant, cujus indigebant, libra & ſorpecula adhibitis. Conringius in ea eſt ſententia, Septuaginta drachmas ad pondus Alexandrinum intellexiſſe, atque ſic δίδραχμοι Alexandrini fuerint τετράδραχμοι Attici: ſed vix probari poſſe puto, eo tempore, quo Biblia in Græcum Sermonem verſa fuerunt, Ptolomæo Philadelpho Rege curante, Alexandrinos illa pondera obſervaſſe, vix enim ſexaginta annis tunc ſteterat urbs, & Græcorum ut mores, ita quoque menſuras & pondera hactenus tenuiſſe civitatem iſtam mihi videtur haud negari poſſe. Non etiam δίδραχμοι, qui apud Interpretes illos leguntur, pro ſiclis omnibus undiquaque, inuſitati Græcorum nummi fuerunt, ſed uſitatiſſimi, τετραδράχμοις antiquiores, ita ut ſiclos quoque non niſi διδράχμους Hebræorum in Ægypto Judæi viderint, ut apud exteros, cum quibus ex veteri more commercia excercebant ſiclis veteribus & διδράχμοις, prout Abimelech & Abraham. Et concedit ipſe Conringius *c. 10. pag. m. 98. Sicli nomine fuiſſe haud parum diverſa pondera*, apud Judæos, ſed in ſiclis ſignatis illud haud concedit. Jam vero nummos nullos unquam Judæis ſignatos fuiſſe, mihi quidem videtur certiſſimum. Ergo nulla amplius controverſia ſupereſt, diverſi ponderis ſiclos etiam in nummis obtinuiſſe. Nec nos dicimus, aliqua lege ſcripta diverſos hos ſiclos conſtitutos fuiſſe, prout conſtituti fuerunt ſacri, uſum vero eos introduxiſſe, etiam ante legem de pondere ſicli ſacri, quos nulla quoque lex unquam damnavit aut abrogavit. An vero ideo ſacri dicti ſint ſicli τετράδραχμοι, quod ad ſolos ſacros uſus adhiberentur, an vero quod Levitæ menſurarum & ponderum curam ſibi concreditam geſſerint, & ex Sanctuario peti debuerint, eodem recidit. Siclus enim ſecundum pondus Sanctuarii quatuor drachmas pendere debebat, reliqui ſicli non erant Sanctuarii, ſed gentium, etiam ſiclis utentium, & Judæorum, illis commercantium; adeo ut horum ſiclorum vulgarium pondus non ex Sanctuario petitum ſit, ſed ex communi gentium libra, ſiclis illis, a pondere Sanctuarii diverſis utentium. Haud igitur pondus ſicli δίδραχμον, aut aliud in Sanctuario fuit, aut Levitarum cuſtodia, ſed in uſu tamen Judæis, propter commercia cum gentibus, qui ſiclo Sanctuarii nequaquam adſueverant, ut ſic videamus ſatis, cur opus fuerit ſiclum ſecundum pondus Sanctuarii a reliquis ſiclis diſtinguere. Permanſit enim ſiclus vulgaris & receptus ab

ab antiquo inter gentes, cum ſiclus ad pondus Sanctuarii non egrederetur Judæam, atque ſic in Judaico populo fuerit una cum ſiclo Sanctuarii. Et quod objiciunt, nullo firmo argumento ſiclum vulgarem demonſtrari poſſe, Sacra Scriptura ejus mentionem non injiciente, hoc jam aliter, puto, docui, ſiclum alium in uſu fuiſſe ante ſiclum Sanctuarii, eumque manſiſſe una cum ſiclo Sanctuarii in populo Judaico, propter commercia cum gentibus, qui eo ſiclo utebantur, non vero Sanctuarii; ſed nec illi unquam clare probarunt, ſolum ſiclum Sanctuarii Judæis fuiſſe, illis quidem argumentis, quæ hactenus produxerunt; Poſito enim pondere ſicli Sanctuarii, non ſtatim concidit pondus ſicli veteris & antiquioris ſiclo Sanctuarii: nam hoc ullibi abrogatum evincitur. Sicli ſane Achanis ducenti, quos ex præda Cananica Hierichuntina ſublegerat & abſconderat Joſ. 7. non erant ſicli Sanctuarii, nec ejus ponderis, ſed converti primum debebant in ſiclos Sanctuarii, ut habetur *cap.* 6. Joſ. *verſ.* 18. Aber alles Silber und Gold/ ſampt dem ehenen und eyſernen Geräthe/ ſoll dem Herzn geheyliget ſeyn/ das es zu des Herzen Scak komme. Quin conflata fuerint illa metalla, & igne piata ac expurgata, nullus dubito, ut ſicli Sanctuarii fierent, qui prius ſicli gentilium fuerant, quorum pondus haud ſane par erat ſiclo Sanctuarii.

CAPUT XI.

De Siclo Regio.

HAud admittimus ſiclum Regium, quem nonnulli docti Viri, Dn. Conringius, & Dn. Morinus, aliique memorant, quaſi diverſus fuerit ab aliis ſiclis, apud Judæos. Nullus enim talis in S. Scriptura legitur. Locus Sacri Codicis, quem plerumque pro illo conſtituendo adducunt, de coma Abſalonis, quæ ducentos ſiclos pendebat in libra regis, ex *cap.* 14. 2. Sam. haud illud dicit ſiclos fuiſſe Regios, ſed illam appenſam fuiſſe in lapide ſeu libra Regis, in domo Regia, prout conveniebat illam illic appendi, ubi tonſa erat, ſiquidem Abſalon ex familia Regis erat, filius Davidis, nec alibi poterat ad libram vocari, quam ubi res geſta erat, & quod ducentorum ſiclorum comæ tonſæ pondus fuerit, non exinde ſequitur, aut libram Regiam diſcrepaſſe a libris & ſtateris aliorum civium, aut ſiclos alios fuiſſe, quam qui cæteris uſitati fuerunt in populo Judaico, ſive vulgares fuerint, ſive Sanctuarii; ita ut libra Regia nihil aliud ſit, quam libra in domo Regis, qua utebantur ejus aulici, aliquid appendere opus habentes. Beyerus de ſiclo, d. 4. poſtquam ſiclum Regium & vulgarem ejuſdem ponderis fuiſſe dixit, adducit adhuc locum ex *cap.* 30. Exodi *verſ.* 13. quo Regium & vulgarem ſiclum ſtabilire conatur, Es ſoll ein jeglicher der mit in der Zahl iſt/ einen halben Seckel geben nach dem Sechkel des Heyligthumbs. Ein Seckel gilt 20. Gerah/ ſolcher halber Sechkel ſoll das Heb-Opfer des Herzen ſeyn. Quia ſæpius ſicli nomen repetitur, & ſiclus Sanctuarii, ideo exiſtimat alios ſiclos vulgares & Regios diverſos in populo Judaico fuiſſe, quod exinde non ſequitur. In populo enim Judaico non niſi unius generis ſicli, Sanctuarii dicti, obtinebant, quatuor drachmarum ſinguli. Alios vero nummos non ſignatos, alias gentes ſub ſicli nomine & pondere καταχρηςικῶς adhibuiſſe non negavero; at in populo Judaico non fuerunt alii νενομισμένοι. Nec locus adductus loquitur de alio ſiclo, quam de Judaico, & juſſi ſunt omnino Judæi inter ſe non alio pondere nummos expendere, quam ſicli, & quidem Sanctuarii, ipſis proprio. Aliud erat in commerciis, ubi ſiclos ſuos ſiclis externis nummiſque gentilium ſæpius permutare cogebantur. Quod vero hanc gratiam nobis Beyerus veluti faciat, nolens ſiclos vulgares & Regios dimidio minores fuiſſe ſiclis Sanctuarii, nec duarum drachmarum ſed trium, quod tales τείδραχμοι ſubinde reperiantur in muſeis doctorum Virorum. Haud ego negem ſic eſſe, ſed quoniam ejuſdem fidei ſunt, omnes Hebræi, quibuſcunque literis reperiantur, h. e. nullius, fraudulenter orbi literario obtruſi, & ex Judæorum dolis conſuti ac compoſiti, nil ad probandum valent, de veteribus ſiclis ac nummis populi Judaici, vel aliorum in Oriente, quia nummis non cuſis tunc res gerebatur ubique, nec populum Judaicum, quam diu regnum aut reſpublica fuit, ullos alios nummos quam non ſignatos voluiſſe aut adhibuiſſe, ex multis adductis jam patet, quique reperiebantur inter commercantes cuſi, omnes peregrini & προσήλυτον fuerunt non Judaici cunei aut monetæ, quam nullibi reperimus ipſis fuiſſe.

Veteribus igitur illis ſeculis, dum nummis talibus & Judæi & illorum vicini νομίζειν ſueverant, aliis διδράχμοις, aliis τειδράχμοις, Judæis τετραδράχμοις placuiſſe, non eſt vero diſſimile: & de Judaicis hoc quidem certius conſtat, quam de cæteris, tam ſicli nomen ab iis cœpiſſe, quam inditum eſſe nummis τετραδράχμοις, quod diutius illi perſtiterint in his moribus,

quam

quam cæteræ circa gentes, quas Judæi deleverunt, vel alias in nummis suis propriis & pondere distinctis a Judaicis perrexerunt, quos quoque aliis nominibus gentes quam sicli denominasse, pronum est colligere ac judicare, præcipue de illis gentibus, qui ante Judæos terram Canaan occupantes nummis talibus usi sunt, ut Cananitæ & Ægyptii; Neque enim quod Ephron Hethita primus inter Cananæos sicli nomen in Sacra Scriptura protulerit, vendens Abrahamo locum sepulchri Genes. 23. *vers.* 15. das Feld ist 400. Seckel Silbers werth / ideo statim sequitur Hethitas seu Cananæos nummos suos sua lingua siclos vocasse: Scriptor enim pentateuchi Mosis non Cananitice sed Hebraice res expressit, horumque phrasi locutus est. At de nomine non tam laboramus, an sicli transierit a Cananitis ad Judæos, vel a Judæis ad Cananitas, & alios, nisi quod videatur convenire, ut pondere Deus voluit eos nummos suos distinguere a gentibus, sic quoque nomine. Et sic verum est sicli nomen non aliunde cœpisse quam a Judæis, mere enim Hebraica est illius vocis radix, & derivatio. Quod sit *siclus siclorum* quem Schickardus in Bechin: Happerus *p. m.* 82. nominavit, non intelligo, num ita legerit ex nummis illis Judaicis qui hodie ci cumferuntur literis, ut ajunt, Samaritanis *Sekel Sekalim* vel num ita recte legerit pro *Sekel Iisrael*, hoc illis judicandum relinquo, qui tales linguas penetrarunt. Nam mihi *Sekel Sekalim*, & *Sekel Iisrael* eandem fraudem & imposturam sapiunt, atque ut ficta semper tractavi.

Sed quoniam ex Mose Nachmanide hæc hausit, atque *Sekel Sekalim* siclum siclorum ille Accone in nummo isto vidit, & legit, & annotavit, non *Sekel Iisrael*, ut nunc nummi Samaritanorum cusi præferunt, quam recte Samaritanæ literæ sibi conveniant, vel a nobis legantur & intelligantur discere possumus. Si nondum dolos istos subolere volumus, quid subolere? quos palpare & lusco quoque videre licet, nescio quid amplius dicendum sit. At cur quæso siclum siclorum isti impostores nummis his scripserunt non vero siclum Israelis ut Hebraici nummi? statim profecto Cuthæorum in Hebræos & Israelitas infestus animus inde dilucet, qui Israelitarum nomen noluerunt: Suum deinde Siclum ut verum & genuinum siclis aliis & Hebraicis hac inscriptione prætulerunt, siclumque siclorum dixerunt, ut primum & antiquissimum, ad cujus exemplum sicli omnes nati sint & procusi. Quod tamen falsissimum esse arguit ipsa locutio. Siclus enim siclorum alios siclos se præcessisse eo ipso ponit & asserit. Et præterea notum est ante Cuthæos vel Samaritanos a Mose usque ad Jeroboamum, per tot secula siclos in populo Israelitico viguisse, qui Samaritanis, quanto magis Cuthæis priores & antiquiores fuerint. Splendide igitur mentiti sunt Cuthæi suum siclum esse siclum siclorum, & omnium antiquissimum. Sed respexerunt forte ad præstantiam nummorum, qua siclus Cuthæorum cæteris prædominabatur, ut Dominus Dominantium, Rex Regum, qui cœteris dominatur & præcellit magnificentia & potentia; ita siclus Samaritanus pondere & probitate cæteros vincebat, ideoque siclus siclorum. Sed cum arrogans sit hic titulus valde, atque sic figmentum suum statim prodat, non alio opus esset argumento ad Samaritanos & Cuthæos imposturæ convincendos, licet nesciremus an sicli cusi fuissent vel secus. Sed adhuc quærendum superest, an nulli sicli Samaritani cum inscriptione *Sekel Iisrael* exstent, vel exstiterint, omnes vero legendi sint *Sekel Sekalim*? Ego qui Samaritanas literas non intelligo, nec satis distinguere novi, de inscriptionibus illorum nummorum judicare nequeo, an *Sekel Sekalim*, an *Sekel Iisrael* in illis reperiatur: Sed doctis oportet me credere, qui ex inscriptionibus Samaritanis hoc dudum legerunt & exsculpserunt. Solus Moses Nechmanides, qui primus illos nummos vidit *siclum siclorum* a Cuthæis ipsis lectum & inscriptum memoravit, cæteri omnes, ut in Hebraicis legerunt *Sekel Iisrael*, etiam in Samaritanis. Alterum argumentum contra Samaritanos nummos eorumque veritatem peti poterit ex inscriptione alterius lateris *Jeruscabalajim Hakkedoscha*: quasi vero Samaritani & Cuthæi nesciverunt Samariam potius quam Hierosolymam suis nummis insculpere, idque conveniret omnino facere. Samaritani quippe nunquam eo animo in Hierosolymitanos ferebantur, ut illorum Civitatem Sanctam existimarent, aut Hierosolymam adscenderent, qui suis sacris in montibus Samariæ gaudebant. Sed inde tamen pulchrum illud commentum natum est, quo Samaritanæ istæ literæ pro antiquis & genuinis haberi cæperunt, eoque siclos hos ad ea tempora referendos, quibus nondum populus Israel divisus secesserat, quod recte Schickardus dicto loco confutavit inprimis ex Matth. 5. *vers.* 18. ubi minima inter literas, *Jota*, nominatur, idque consentit Hebraicis literis quadratis, quibus hodie scribimus, non vero Samaritanis, quarum *Jota* non est

eſt minima, ſed multis dentibus & ambagibus conſpicua. Si quis enim literas Samaritanas juxta ſe poſitas, eorumque ordinem attendit, reperiet profecto ſeriem alphabeticam Græcorum, & literas Græcorum inverſas, ita ut a Græcis pleraque hæc primum didicerint & conſarcinaverint, longiſſimeque abſint ab illa antiquitate quam contra Judæorum Scripturam venditant. Nihil igitur niſi impoſturas meras & Hebraici & Samaritani nummi cuſi continent, quoque magis inſpicimus, eo majores dolos ac fraudes, ex quibus conſuti ſunt, oſtendunt.

Sed rurſus dubios nos tenet locus Levit. 19. *verſ.* 35. ubi pondera libræ & menſuræ enumerantur, quas juſta Deus jubet eſſe undiquaque: Ihr ſolt nicht ungleich handlen am Gericht / mit der Elen / mit Gewicht / mit Maaß. Rechte Wage / rechte Pfund / rechte Scheffel / recht han dlen ſoll bey Euch ſeyn. Hic locus erat de nummis & eorum probitate quoque præcepta dare, ne improbos nummos & adulterinos cuderent. Sed quia neque hic neque alibi de nummis lex exſtat ejuſmodi, nummos in gente Iſraelitica tunc temporis cuſos perſuaderi nequeo. Quidquid enim de nummis accipi poteſt, ad peregrinos potius ſpectat, minime vero ad Judæos. Certum eſt autem ſiclos Judaicos hic ſub ponderibus comprehendi, quia pondera erant, & non cuſi; Quibus ſi addatur locus ex Num. 31. *verſ.* 50. ubi præda a Medianitis congeſta deſcribitur: Was ein jeder funden von guldenen Geräthe / Ketten / Armgeſchmeide / Ringen Ohrenringen / und Spangen. Nummorum cuſorum nulla plane mentio fit, ideoque nummos nullos allatos eſſe, aut inter Midianitas tunc frequentatos judicare licet & affirmare. Cum enim oves, boves, aſinos, aurum, argentum, æs, ferrum, ſtannum, & plumbum enumerare non omiſerit, cur nummos ſolos oblivioni traditos credemus, niſi quod nulli fuerint plane Midianitis, quæ plane contraria ſunt iis, quæ Geneſ. 37. *verſ.* 28. dicuntur de Joſepho vendito Midianitis. Und da die Medianiter / die Kauffleute fürüber reyſeten / zogen Sie Ihn heraus aus der Gruben / und verkaufften Ihn den Iſmaeliten umb zwanzig Silberling. Sed commode etiam locus ille pro 20. ſiclis argenti pondere infecti, nec incudem aut malleum paſſi poteſt explicari, nec opus eſt nummos Medianitis tribuere, cum hac ratione diverſi iſti loci optime concilientur, Septuaginta igitur εἴκοσι χρυσῶν perperam interpretati ſunt, cum in Hebræo textu diſerte כסף legatur, h.e. argentum, vel ſiclus argenti. Et ſi nummi Hebraici cuſi aliquando proferri deberent, illis omnino opus erat, ac proferri debuiſſent, Auguſti temporibus, ſub Herode Rege Judææ, fame Judæos premente. Nonne igitur cuſi fuerunt nummi ab Herode, ut illis miſſis aliunde frumento coemeret? De his nihil Hiſtoria, nihil Joſephus vel verbo indicat, ſed *lib.* 15. Antiq. *cap.* 12. *p.m.*536. ſic rem illam narrat, τὸν ὄντα κόσμον ἐν τοῖς Βασιλείοις αὐτοῦ συνέκοψεν, ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς, μήτε ἐν ταῖς κατασκευαῖς ἐπιμελείας, μήτ᾽ εἴ τι τέχνῃ τίμιον ἦν, τούτο φεισάμενος, ἔπεμπε δὲ ἐπ᾽ Αἰγύπτου τὰ χρήματα, &c. Hic interpres, quod Joſephus minime dixit, ut dictum obtruſit, ex ſuo addens: *inde confectam pecuniam mittebat in Ægyptum.* De confecta pecunia nihil dicit Joſephus, h.e. cuſa: ſed eo ipſo dum συνέκοψε aurum & argentum omne dixit, eo ipſe quoque nummos illos factos ſignificavit, ad coemenda frumenta deſtinatos, at quo pondere, non addidit. Cur autem non ipſa vaſa integra tranſmiſit? nam & illis emi poterat luculentius, artificio illorum pretium aliquod majus addente. Et reſponderi facile poteſt, ea συγκεκομμένα & διακεκωνδυμένα facilius ac commodius transferri potuiſſe, prout etiam Romani e Græcia prædam ſuam argenteam & auream ita διακεχωνδευμένην Romam transfretare ſolebant. Hæc autem κόμματα non ſignata fuiſſe, vel exinde liquet, quod in maſſas & lateres ac majora pondera τὰ συγκεκομμένα redigi ſolerent, non in nummos cuſos, quod etiam Herodem obſervaſſe, ſua vaſa διακεχωνδυμένα mittendo, non video quomodo negari poteſt.

CAPUT XII.

De Sicli pondere.

QUale pondus ſicli fuerit ad drachmas Atticas Scriptura nullibi docuit, nam τετραδράχμους fuiſſe conjectura eſt Scriprorum ex falſis illis, qui circumferuntur, ſiclis deſumta, quos Judæi ipſi neſcientes vetuſti ſicli pondus, ad pondus ſtateris & τετραδράχμου Græcorum, ſatis noti, & inter Hebræos celebris, efformarunt, atque perſuaſerunt ſiclos veterum Hebræorum tali pondere fuiſſe. Hinc ipſi Judæi & Rabbini de pondere ſicli dubitant, ut Salomon Jarchi, in Comment. in 1. Samuel. 17. *verſ.* 7. omnes ſiclos, in Prophetarum libris qui reperiuntur, non niſi minæ pondere ſingulos explicari debere voluit. Acceſſiſſe tamen concedamus ſiclum ad τετράδραχμον Græcorum, nec multum diſcrepaſſe; Aſſerit enim Benedictus Aria Montanus ſili-

ſiliquas viginti ejuſque ſemina exæquaſſe ſiclum illum quem donatum habuit, qui pendebat quatuor drachmas Atticas. Jam vero dicit Sacra Scriptura ſiclum continere viginti Gerah: Siliquæ igitur ſeminis pondus æquale fuit cum pondere Gerah, adeoque viginti ſiliquæ, ut viginti Gerah, ſiclum & τετράδραχμον efficiebant. Benedicti verba ſunt *pag. m.* 127. *Fuit autem Gerah illud portiuncula ejuſdem fere ponderis cum ſiliquæ communis ſemine; id quod nos periculo facto deprehendimus, granis ſiliquæ viginti in altera ſtateræ lance, & ſiclo noſtro in altera appenſis, fere enim pondus utrinque convenit.* His quidem opponere poſſem ſiliquæ nomen in ponderibus certum eſſe & receptum, nec convenire cum granis illis & ſiliquis Ariæ Montani. Nam ſiliquam faciunt omnes decimam octavam partem drachmæ, ut ſex ſiliquæ ſcriptulum conſtituerint, ergo octodecim drachmam. Aliæ igitur fuerunt ſiliquæ B. Ariæ Montani, longe majores, quam quæ Medicis vulgo ſunt receptæ. Nam ſecundum has ſiclus τετράδραχμος continere debebat 72. vel ſcrupulos 12. ita ut Gerah unum tres & $\frac{3}{5}$ ſiliquas pendere oporteret. Sed aliud eſt de ſiclo τετραδράχμῳ magis ſtringens, & Judæorum temporibus propius, in Joſephi Antiquitatibus, qui diſerte pondus ſicli cum 4. drachmis Atticis exæquat. Et in his adquieſcendum, quod certiora nobis non ſint relicta. Alias verum eſt, quod Benedictus idem optime in præfat. de menſuris monuit. *Neque enim unius alicujus nationis menſurarum genera cum aliis cæterarum nationum generibus connecti ac componi debent, niſi plane in omnibus, nullis partibus exceptis, conveniant, hoc autem raro admodum contingit.* Et in menſuris ſacris contra Græcorum aut Romanorum menſuras ac pondera idem neceſſe fuit evenire, ut quomodo ſiclus & ſtater Græcorum tam accurate convenerint mirari liceat. Alibi Heſychius ſiclum Perſicum νόμισμα δυνάμενον ὀκτὼ ὀβολὺς Ἀττικὺς vocavit; Erant octo oboli Attici drachma argenti cum ſcrupulo, ita ut ſiclus ille drachmam vicerit pondere, vel drachma peculiaris Perſica fuerit, quemadmodum Æginæa, quæ binis ſcrupulis Attica gravior erat. Alibi aſſerit, σίκλον εἶναι νόμισμα Σαρδινικόν, (lego, Σαρδικόν) adeo ut non ſolum nomen ſicli ad varios populos pertigerit, ſed etiam diverſo pondere. Alio enim apud Perſas, alio apud Sardicos, alio apud Judæos fuit. Nec opus eſt admonere, ſicli nomen etiam tranſiiſſe ad nummos cuſos, & denarios. Sic ſiclos Neronicos dixere denarios Neronianos, & *Triana* denarios Trajanicos.

Sed & ex Heſychio monebimus, apud eum exſtare σίγλον, & σίγλος & Σίκλος ubi addit quod ſit βάρβαρος σίκος. Quid ſit σίκος non explicavit, niſi voluit dicere, barbaros pronunciare σίκος pro σίκλος. Σίγλαι autem, quas ἐνώπια & inaures vocat, ut & σίγλον & σίκλαι, & σιγλοφόρυς, Eunuchos, qui tales inaures geſtant, unde τὰς κατακλεῖδας τῶν ἐνωπίων σίγλας φασὶ vocari, οἱ δὲ αὐτὰ τὰ ἐνώπια. Has ego ſiglas non a ſiclo Hebræorum derivandas crederem, ſed a ſiglis Latinorum fluxiſſe: ſiglæ autem a ſigillis; ſigillum, a ſigno. At quoniam *ſiglæ* vocabulum ante Juſtiniani tempora non legitur, vix quid dicam habeo de ſiglis notis, ſiglis inauribus, ſiglis menſuris, a ſiclis enim nummis vix deducere licet, nec Sicilicos. Phavorinus qui Lexicon ſuum ſub Leone X. ſcripſit, & Heſychii omnia de ſiclo tranſſcripſit, hoc ſolum addit Σίκλος, πέτταρες ὀβολοί. Unde hoc hauſerit, non indicavit, aut ubi ſiclus hoc pondere conſideratus fuerit. Ultima eſt ſicli mentio apud Amos Prophetam, qui 800. circiter annis ante Chriſtum ſcripſit, A. M. 3145. ſed & centum ante Chriſtum annis ſicli in Maccabæorum hiſtoria *l.* 1. *cap.* 10. *verſ.* 40. & 42. repetuntur, poſtea evanuerunt, nec in ſacris ponuntur. Unde qui *Siclas* vel *ſeglas*, vel *ſiglas* menſuram tam pro aridis quam liquidis ad ſiclos trahunt, non mihi videntur εὐστοχεῖν. Quia enim ſicli vox tam inter Græcos quam inter Latinos periit poſt Chriſtum, quomodo in Luſitania & Germania ſervata dici poſſit, non video. In Allemannicis Goldaſti occurrunt *ſiglæ de cerviſia*, quas interpretor *ſpandas* Spands, & propterea *Seau* Francicum manare a *ſegla*: eſt enim *un ſeau* vas ligneum ad aquam & cereviſiam aut alia humida vel arida geſtanda factum, & ubique notum, ſed Germanis & Danis ſub nomine Spand. Habent vero Dani etiam majus aliquod vas ligneum, quod inter duos homines eorum ſcapulis vecti incumbente geſtatur, Saar dictum, eademque pronunciatione cum *Seau* Francico. Vectis ille Saarſiang vocatur. A *Segl* igitur *Seal* & *Seau* Francica, & Latinum *Segla* ac *Sigla*, quæ cum ſiclo minime conveniunt Hebræorum. *Siglus* forte apud Perſas nummus ſuperſtes, qui 7. circiter aſſes Lubecenſes reddit majorem affinitatem cum ſiclo habet & retinet, quod ex Junio Spelmannus memoravit. Xenophon ſuo tempore 400. annis ante Chriſtum σίγλυς Perſicos nummos vocat, Cyri ἀναβ: *pag. m.* 256. τὴν καπίθην ἀλεύρων ἢ

ἀλ-

ἀλφίτων τεττάρων σίγλων, ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολὰς καὶ ἡμιοβόλιον Ἀττικάς. Hunc ſiclum fuiſſe Perſicum & longe minorem Judaico diſcimus. Nam ſiclus vulgaris duas pondere drachmas efficiebat, noſtræ monetæ duodecim aſſes Lubecenſes; Oboli vero Attici ſex reddebant drachmam argenti, quæ ſex aſſibus Lubecenſibus æquatur. Fuerunt igitur ſeptem oboli cum dimidio ſeptem aſſes Lubecenſes & dimidius, qui ſiclum Perſicum ejus temporis conſtituebant, & tantum a ſuo pondere ſiclus apud illos receſſerat, quatuor ſcilicet aſſibus Lubecenſibus & dimidio. Quos ſiclos quoque ſignatos fuiſſe judico, tum quod Xenophon illos Atticis nummis comparet, tum quod ponderis adeo inæqualis fuerit ad Græcorum nummos, ut ſunt ſeptem oboli cum dimidio. Κέρματα enim Judaica ſicli & Gerah pondere ſuo certo perpetuo ſteterunt, quod de ſignatis nummis nullibi reperitur. Apud Suidam σίκλον reperies, & ſiclus & ſiclum dicebatur. Σίκλον, inquit, ἀργυρέων ε. Μωυσῆς φησὶν ἐν τῇ παλαιᾷ. Nuſquam hoc Moſes dixit ſiclum eſſe argenteorum quinque: corrigendus igitur Suidas, & pro ε. pone ι. pro quinque, decem, argentei enim decem, Hebraice *Gerah* dicti, efficiebant ſiclum vulgarem, ut 20. Gerah ſiclum Sanctuarii. Hoc dicit Moſes: ſed de 5. nummulis argenteis ſiclum efficientibus, aut de quinque Gerah nullibi locutus eſt. Elias Levita in libro *Tiſebi* dicto argenteos Judaicos diſtinguit, trium generum & temporum faciens. Quoties enim in Pentateucho argentei reperiuntur, Silberlinge/ ſiclum indicari vult ejuſque pondus; in Prophetis autem argenteum ſignificare libram, ſeu *litrin*, & in Hagiographis *Canterim*, quod dicitur talentum, aliter *Cantarum*.

Et cum Statere Græcorum aliquam convenientiam repererunt Scriptores, nam & ſiclum Hebræis, & ſtaterem Græcis a ponderando dictum.

CAPUT XIII.

De Keſitha nummis non cuſis.

VEllem quoque *Keſitha* ſic intelligere & explicare, addendo ſiclos, ſed non mihi conſtat de pondere *Keſithæ*, neque tamen etiam conſtat, *Keſitha* nummos ſignatos eo tempore fuiſſe, licet argentum & aurum fuerit, quo res emi potuerint. Omnia autem nomina nummorum in pondere prius fuiſſe fere deprehenduntur, quam in nummis cuſis, adeo ut *Keſitha* vel ſiclum eximere non liceat. Lutherus vertendo locum *Job c.* 42. *verſ.* 11. ein jeglicher gab Ihm einen ſchönen Groſchen/ addidit ex ſuo, ſchönen/ in textu enim Hebræo non adeſt, ויתנו לו איש קשיטה אחת: *dabant ipſi ſinguli Keſitha unum*. Parum erat, ſi quilibet agnum unum Jobo donaſſet, & agnus unus male præponeretur aureo iſti ornamento, quod ſequitur, pariter donato, unde non de agno, ſed de nummo aureo intelligendus venit. Buxtorfius addit in ſuo lexico, R. Akiva cum per Africam iter faceret, *nummos ſeu pecuniam nominari Keſitha* audiviſſe. Facile ex Judæa in Arabiam nomen tranſire potuit; Ego nec Judaicum, ſed a peregrinis adſcitum Judæis nomen dicerem, & peregrinos nummos hoc nomine ſignificatos judicarem. Ter in S. Scriptura occurrit, *Geneſ.* 33. *verſ.* 19. *Joſ.* 24. *verſ.* 32. & *Jobi* 42. *verſ.* 11. In Geneſi ſane, cum non flectatur, nec plurali numero Hebraice pronuncietur, ut ſicli, שלשים שקלים *Exod.* 21. *verſ.* 32. quamvis etiam *Geneſ.* 23. *verſ.* 15. ארבע מאות שקל כסף *quadringenti ſekel argenti* ponantur, ſed ita ut pluralis ſatis eluceat ex quadringentis, unde peregrinitatem voci *Keſitha* ineſſe non dubito. Nulla præterea vox aut radix in Hebræa lingua reperitur, unde *Keſitha* deduci poſſit, adeo ut nec Hebræi ipſi hanc vocem intellexerint, aut explicare potuerint. Nam quod oves & agnos, aut pecuniam agno ſignatam dixerint, talis nulla fuit Hebræis, ut ſæpius obſervavimus, adeo ut peregrinitas hujus vocis magis magiſque eluceat. Occurrit autem Clariſs. Stephanus Morinus, qui in Epiſtola ad Ampliſs. Dn. Gisbertum Cuperum, quam mihi Vir ille eruditiſſimus ſubmiſit legendam, *Keſithah* ex radice קשט *integrum & ſincerum eſſe*, formatum ſcribit. Fateor autem ingenue in lexicis meis illam radicem inter Hebræos non annotatam nec receptam me legiſſe, ut unde hauſerit mihi non conſtet. In Sacra Scriptura nullibi reperitur, cum qua Hebraice loqui diſcimus. Neque enim *Kaſchath* aut *Kaſath* in uſu fuerunt, ſed ex radice קשט *Kaſchath* quod deſcendit קשט id eſt, *Veritas*, hoc S. Scriptura ſuis locis prodit, quæ hac voce uſa eſt aliquoties, unde *integrum & ſincerum eſſe*, non pertinet ad radicem קשט *Kaſath*, ex qua *Keſitah* oritur, ut vult Clariſs. Morinus, ſed ad קשט *Kaſchath*, quæ ſane radices fictæ ſunt, propter קשט & קשיטה quæ in ſacris uſurpantur, ideoque illarum radicum interpretationes, ſive Græcæ, ſive Latinæ, ficti quoque juris ſunt, nec attendi poſſunt. *Keſithah* vero etiam *agnum* ſignificare, nullibi ex Sacro Codice colligi poteſt, niſi quod

Septuaginta primi ſint, qui Geneſeos locum per ἀμνὰς explicarunt, & reliquos *Keſitbab* per ἀμνάδας, qui non crediderunt Keſithah nummos fuiſſe, ſed revera agnos, quibus Jacobus emtionem inſtituit, aut permutationem, quod patet ex loco Jobi, ubi ſtatim ſubjungunt ἀμνάτι, τετράδραχμον χρυσȣ̃ ἀσήμȣ, quod non feciſſent, ſi ἀμνάδα nummum etiam fuiſſe crediſſent, verum pondus ejuſdem *Keſitbab* non minus expreſſiſſent. Septuaginta vero Patres veteris Eccleſiæ ſecuti ſunt, & licet *agnos* non exponant omnes, nummos tamen agno ſignatos nobis progenuerunt. Recentiores autem Interpretes & ab agnis & nummis agno ſignatis abſtinuerunt, nihilque niſi nummos datos, *Keſitbab* Hebræis dictos, voluerunt. Argenteos fuiſſe nonnulli addunt, ut Anglica Biblia in loco Joſuæ, nam reliqua loca *peece of money* habent, *monetæ particulas*: Danica quoque Geneſeos *Keſitbab* Gòlff-Pendige verterunt. Quid igitur *Keſitbab* fuerit in Hebræa lingua non ſatis conſtat, ſed nummos fuiſſe, quibus Jacob Patriarcha agrum emit a Sichemitis, nullum eſt dubium, exemplo Abrahami, qui ſiclis etiam locum ſepulturæ comparavit ibidem loci. Quod igitur ſiclus Hebraico idiomate dicebatur, Cananæis forte *Keſitbab* audiebat, illique proprium numiſma fuit, certi quidem ponderis, at ſine ſignatura vel nota publica, ſiquidem nummis cuſis nemo tunc temporis utebatur. Si igitur ſiclum Hebraicum, & *Keſitbab* Cananæorum ejuſdem ponderis nummum ἄσημον fuiſſe dicamus, haud multum errare nos putabimus, aut, ſi volunt, concedemus etiam *Keſitbab* majoris ponderis fuiſſe quam ſiclum. Aureos nummos ſignificari per במאה קשיטה *centum Keſitbab Geneſ.* 33. *verſ.* 19. vel exinde elucet, quod Abrahamus particulam emerit agri quadringentis ſiclis, adeo ut ſi *Keſitbab* pondere ſicli fuiſſet argentei, Jacobus haud magnum agrum emere centum ſiclis, ſeu 25. thaleris uncialibus, potuerit, unde centum *Keſitbas* iſtas in auro numeratas eſſe judico, ut ager pretio reſpondere poſſit, & agro pretium. Abrahamus ſepulchrum emit cum agro adjuncto, qui fortaſſe non ita magnus fuit, quadringentis ſiclis argenti, qui faciunt centum thaleros unciales. Jacobo Patriarchæ non ſufficiebat, credo, talis ager, ſed opus erat majore ſpatio, ut commodius habitaret cum pecoribus & familia omni. Er kauffte ein Stück Ackers von den Kinderen Hemor, des Vaters Sichem / umb hundert Gzoſchen. Facile igitur videmus, neque Groſſos, neque Siclos huic emtioni convenire, ſed in auro ponendos eſſe hos nummos, ut pretium aliqua ratione reſpondeat. Novimus ſtateres Orientalibus aureos, novimus pondere διδράχμȣς fuiſſe, illos tunc *Keſitbab* Cananæis dictos fuiſſe quid impedit? Sic pretium agri emti ad quadringentos thaleros unciales in argento promovebimus. Et ſatis adhuc anguſte habitabit Jacobus, illo licet pretio agrum adquiſiviſſet, haud enim multum agri, vel olim, vel hodie, hoc pretio vænit. Aureos igitur nummos iſtos fuiſſe, quos Jacobus ſolvit, mihi videtur ex ipſa re ſequi; inprimis, cum nihil mutatum ſit in verbis *Joſu.* 24. *verſ.* 32. ubi hæc repetuntur, cum Joſephi oſſa ex Ægypto adducta eodem agro tegerentur. Nam agro emto Jacobum ſibi locum ſepulchri in eo delegiſſe, & in finibus agri ſtruxiſſe videmus, quod ſepultus ibi ſit, cum obiiſſet, & Joſephi poſteris terram occupantibus ea pars hereditario adſignata fuerit, ideoque Joſephi oſſa in idem monumentum intulerint. At nummos nullos cuſos Judæis fuiſſe vel exinde liquet, quod Juda filius Jacobi Patriarchæ nummos nullos Thamari promiſerit, nec ullos pignori oppoſuerit *Geneſ.* 38. *verſ.* 17. Caprum pro concubitu obtulit, & pignoris loco annulum, faſciam vel cingulum & pedum ſuum tradidit. Si nummorum uſus ullus fuiſſet, ad quid eas ſtipulationes & pignora interceſſiſſe dicemus? Hæc ſane oſtendunt merces mercibus adhuc permutatas, & res, rebus, nummi ſignati uſum aliquem adhuc neſcientes. Meretrix apud Hoſeam eadem ratione ut Thamar loquitur, *c.* 2. *verſ.* 5. nummos nullos poſcit, ſed panem, aquam, oleum & vinum. Ich vill meineu Buhlen nachlauffen / die mir geben Bzodt / Maſſer / Molle / Flachs / Oel / und Trincken / quæ omnia argento emi potuiſſent dato facilius, niſi impediiſſet libra, quam in iis negotiis ad manum non habebant, ut nec argentum & forfices; quæ ſane euntibus negotium faceſſebant. Unde *verſ.* 8. quando Deus ipſam deamaſſe ut ſponſam legitimam profitetur, non ſolum lanea lineaque aut annonas enumerat, ſed & aurum & argentum ſe donaſſe, ihz viel Silber und Gold gegeben habe / ut etiam *c.* 3. *verſ.* 2. Und ich ward mit Jhz eins umb funfſzehen Silberling / und anderthalben Homer Gerſten. בחמשה עשר כסף ſubintellige ſiclos argenti, aut argentum quindecim ſiclos pendens, quod donare promittit, ſi ſponſam, & puram, ſibique ſoli deditam ſe præſtare velit. Nam alias quæ meretricium quondam faciebant, haud auro aut argento donabantur, ne quidem ob klein Geld / ut hodie loquimur, merebant, ſed

ob

ob annonas omnis generis ſe proſtituentes lucra congerebant, adeo ut auro & argento indignæ viſæ ſint, quibus donarentur meretrices, legitimis ſolis & honeſtis convenientia munera. Nec aliter tota Scriptura loquitur, quoties de meretricibus & meretricio mentionem facit. *Hoſ. 9. verſ.* 1. Du hureſt wider deinen Gott / damit du ſucheſt Hurenlohn / das alle Tennen voll getreyde werden. Darumb ſo ſollen dich die Tennen und Kelter nicht nehren / und der Moſt ſoll dir fehlen. Nihil de nummis datis additur. Et quamvis Lutherus verterit locum *Ezech.* 16. *verſ.* 31. Dazu wareſt du nicht wie eine andere Hure / die man muß mit Geld kauffen / in textu tamen Hebræo nihil de nummis legitur datis, ſed de mercede quavis alia, quæ אתנן vocatur, omne ſcilicet quod datur, prout *verſ.* 33. נדה vocatur illud pretium, proprie pretium immundum, ob immunditiem datum, a נדה quod eſt, *ejecit*, *reprobavit ob immunditiem*, quod etiam vertit, dem allen anderen Huren gibt man Geld; haud male, modo nummi excipiantur, neque enim Germanis nummi ſoli cuſi Geld vocantur, ſed omnia quæ valent, & vendi poſſunt, eo nomine veniunt, ut ex gelten / & vergelten / aliiſque affinibus obſervare licet.

At tempore Moſis in Ægypto nummis locum fuiſſe, dubitare me facit locus *Exodi 3. verſ.* 22. ubi vaſa aurea & argentea & veſtitus Hebræos ab Ægyptiis ſumere præcipit Deus abituros. Ein jeglich Weib ſoll von Ihrer Nachbarinn und Haußgenoſſen fordern Silbern und Gülden Gefäß und Kleyder / die ſolt Ihr auff Eure Söhne und Töchter leggen. Si enim nummi aurei & argentei fuiſſent, illos, ut nervos rerum gerendarum haud omiſiſſet Sanctus Scriptor præ cæteris aut cum cæteris adducere, quod repetitur & *Exod.* XI. *v.* 2. & XII. *verſ.* 35. docetque repetitio hæc, nullos inter iſta vaſa aurea vel argentea, veſteſque pretioſas nummos fuiſſe, nam & illos, ſi fuiſſent, ſecum juſſiſſet Deus auferre. In populis vero extra Ægyptum, cum quibus habitarunt Abraham, Iſaac & Jacob nummos fuiſſe, omnia veſtigia Sacræ Scripturæ oſtendunt: & clarior eſt locus *Exod.* 30. *verſ.* 13. quam ut de alia re capi poſſit ſiclus ac de nummis fabricatis: Es ſoll aber ein jeglicher / der in der Zahl iſt / einen halben Seckel geben / nach dem Seckel des Heyligthumbs. Ein Seckel gilt 20. Gerah. Siclus enim non nude hic appellatur, ſed diſtinctus a vulgaribus, quod eſſet ſiclus ſanctuarii, & pondere ſuo inſignis, viginti nempe geris, qui pondere & valore ad 24. aſſes Lubecenſes, & ſemunciam argenti puri accedebat. Hic enim omnia, quæ nummum diſtinguunt a pondere, vel nomine ſolo, concurrunt, ut non poſſit ſiclus aliter, quam de nummo fabricato dici, unde recte Lutherus *verſ.* 16. ſolch Gelt der Verſühnung reddidit, כסף & ἀργύρεον in textu originali, nummos argenteos deſignans; nam de aureis nummis nondum aliquid in ſacro codice legitur uſquam. Sed quando nummos in populo Judaico & in Ægypto valuiſſe ſcribo, nummos cuſos aut ſignatos nequaquam intelligo; fuerunt enim aurum & argentum in varias particulas comminuta etiam nummi, licet pondere ſolo, non nota vel moneta ulla inſigniti, quod poſtmodum & ſerius nummis acceſſit, ut ad publicam curam ſpectarent, & publice procuderentur. *Joſephus* quidem *Antiquit. lib. 3. cap. 2, pag. m.* 75. bellum Hebræorum cum Amalekitis deſcribens in deſerto, multa amplificando ſuperaddidit, quæ in ſacro codice non reperiuntur: neque enim aurum aut argentum, aut ærea vaſa, aut tale quid, nominatur in præda, quæ ex victis Amalekitis Hebræis obvenit, paucis enim verbis Scriptura rem explicat *Exod.* 17. Joſua dämpffet den Amelek und ſein Volck durch des Schwerts Schärffe. Joſephus autem rem ſic exaggerat: αὐτοὶ δὲ πλούτου μεγάλου δύναμιν προσέλαβον. πολὺς μὲν γὰρ ὁ ἄργυρό τε καὶ ὁ χρυσὸς ἐγκατελείφθη ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ σκεύη χαλκὰ, οἷς ἐχρῶντο περὶ τὴν δίαιταν. πολὺ δὲ ἐπίσημον πλῆθος ἑκατέρων, ὅσα δὲ ὑφαντὰ, καὶ κόσμοι παρὰ τὰς ὁπλίσεις, ἤτε ἄλλη θεραπεία, καὶ κατασκευὴ ἐκείνων, λεία τε παντοῖα κτηνῶν, καὶ ὅσα φιλεῖ στρατοπέδοις ἐξοδευκόσιν ἕπεσθαι, h. e. *Illi vero divitiarum vim magnam conſecuti ſunt, multum enim tam auri quam argenti in caſtris relictum, & vaſa ærea, quibus ad menſam inſtruendam utebantur, magnus quoque numerus ſignatarum rerum, tam in textilibus quam ornamentis armorum & reliqua ad illorum cultum ac inſtrumentum pertinentia, præda quoque omnis generis animalium, & quæ expeditiones facientibus adeſſe ſolent.* Locum totum adduxi, ut manifeſtius interpres Latinus teneretur, qui ex ἐπισήμῳ πλήθει *pecuniam ſignatam* nobis exſculpſit, contra Joſephi ipſius, puto, ſententiam qui nequaquam hoc dicere voluit. Non enim nummi ſoli cuſi, aurum & argentum ſunt ἐπίσημον, ſed etiam vaſa aurea & argentea ſignis ſuis elaborata conſpiciuntur, & veſtes ἐπίσημοι dicuntur, quæ figuris ſuis intextis auro & argento ſuperbiunt, quo reſpexit Joſephus, dum ærea vaſa præcedere facit, & ſubjungit de argenteis & aureis, eſtque mens ejus, auri & argenti infecti multum, æreorum vero vaſorum, ut & argenteorum & aureo-

reorum ſignis cœlatorum copiam non
minorem ibi præſto fuiſſe. Non igitur
reddere debuit interpres Latinus hunc
locum: *magnus etiam pecuniæ ſignatæ numerus*, reſpexit enim Joſephus ad vaſa
tam aurea quam argentea & ærea ſignis
ſuis elaboratiſſima, non vero ad pecuniam ſignatam, dum enim ἑκατέρων dixit, non commodam interpretationem accipere vox illa poteſt de nummis, quorum non meminit Joſephus, ſed ad vaſa referendum, de quibus hic loquitur:
ἑκάτερος enim eſt *alteruter*, aut ex ſingulis metallis vaſa, quæ ſignis ſuis ornatiſſima fuiſſe ſignificat, hoc eſt, ex auro,
argento & ære, & textilibus, de nummis ne cogitavit quidem, ut nec de nummis ἀσήμοις, quos tamen Amalekitas ad
uſum tranſtuliſſe, ab Abrahamo, Jacobo, aliiſque Cananitis edoctos vicinis,
mihi quidem a vero non videtur abludere: at nummos ullos ſignatos tunc inter gentes ullas exſtitiſſe, nullus mihi facile probabit aut perſuadebit; Idem Joſephus *Antiq. lib.* 7. *cap.* XI. *pag.m.* 246.
quando quid David Rex in auro, argen-
to, & ære ad ædificandum aliquando
templum repoſuit, explicat: γίνωσε δὴ,
inquit, χρυσȣ̃ μὲν τάλαντα συνειλεγμένα
μύρια, δέκα δὲ ἀργυρίȣ μυριάδας ταλάντων,
χαλκὸν τε καὶ σίδηρον ἀριθμȣ̃ πλείονα συντέθεικα, *ecce vero, auri talenta collecta de-
cem vero argenti talentorum myriadas, æs
quin etiam & ferrum numero omni majo-
ra ſepoſui*. Non nummos cuſos aut non
cuſos dicit ſe repoſuiſſe, ſed pondera ipſa
ταλαντιαῖα. Salomon quoque ejus filius
nullum nummum erogavit Hiramo Ty-
riorum Regi, ſed 1. *Reg.* 5. *verſ.* 11.
dicitur: Salomon aber gab Hiram 20. tau-
ſend Coꝛ Weiꝛen / zu eſſen für ſein Geſinde /
und 20. Coꝛ geſtoſſen Oels. Solches gab Sa-
lomon jährlich dem Hiram, quæ hodie non
niſi nummis cuſis ſolvi poſſent, ut paratior eſſet & promta ſolutio. Et num putandum eſt, ſi nummi cuſi vel non cuſi
Moabitis fuiſſent tempore Jorami Regis
Iſraelis, eos in velleribus ovium & arietum tributum Judæis ſolviſſe, aut Joramum ut ſolverent ſibi vel exſpectaſſe,
vel permiſiſſe? Dicitur autem 2. Reg. 3.
verſ. 4. Meſa aber der Moabiter König hatte
viel Schaafe / und zinſet den König Iſrael Wolle von hunderttauſend Lämmeren und von hunder-
tauſend Wideren. Non igitur abundabant
Moabitæ his temporibus, vel auro, vel
argento, nedum nummis cuſis, ut hunc
cenſum perſolvere valerent in his metallis, quare nec nummi ipſis ulli ad hoc
tributum ſufficientes fuerunt, alias facilius eos quam vellera tribuiſſent. Ideo
enim nummi inventi ſunt, ut commodior & paratior eſſet permutatio, emtio, venditio, ſolutio. Joſephus more ſuo
diſtorſit verba Scripturæ *lib.* 9. *cap.* 1. *p.
m.* 300. dum Regem Moabitarum facit
φόρȣς τελȣ̃ντα Α'χάθῳ μυριάδες εἴκοσι προ-
άτων σὺν τοῖς πόκοις, *tributa ſolventem Achabo* 200000. *oves cum velleribus*, quæ Scripturæ contrariam ſententiam fovent; non
enim oves aut arietes ipſos, ſed ex illis
vellera contribuebant. Sic vidua illa 2.
Reg. 4. oleum quod Propheta Eliſæus
per miraculum ipſi procuraverat, jubetur
vendere, ac argentum corradere, ut ſolvere poſſit creditori, qui filios ipſius in
ſervitutem petebat, & ducturus erat,
niſi ſolviſſet. In populo enim Judaico tunc nummi erant, aut argentum
& aurum, quo ſolvi poterat, ſive in
maſſis, ſive κεκερματισμένον quod loco
nummorum erat, gehe hin / und verkauffe das
Oel / und bezahle deinem Schuldherzen. Daniſtas
vocavit Joſephus, *lib.* 9. Antiq. *cap.* 2. *p.
m.* 302. At non credo in gente Judaica
tunc daniſtas proprie dictos verſatos eſſe. Ipſi enim inter ſe daniſtæ officium
præſtabant, & ἀμοιβὰς ac κολλυβιστικὰ quævis. Videri quidem poſſet locus ex Pſalmo 119. *verſ.* 72. ad nummos aureos
ſpectare, quod loquatur de Stücken Goldes das Geſetz deines Mundes iſt mir lieber denn
viel tauſend Stuck Gold und Silber. Sed nihil
verius eſt, quam maſſas ponderis certi
ſignificari, ut 1. Reg. 10. *verſ.* 16. König
Salomoh lies machen dzeyhundert Schilde; ſechshundert Stuckh Goldes thát Er zu einen Schildt /
ubi non nummos aureos, ſed quadra aut
lingulas haud exigui ponderis, intellige.
Nec locus Eſaiæ 46. *verſ.* 6. Sie ſchütten
das Gold aus dem Beutel / nummos nobis aureos cuſos probat, cum velut argentum,
pariter etiam aurum, ad idola conficienda
adhibitum & expromtum dixerit, non vero nummos procuſos: ut nec ipſe Deus,
auro indigens ad ornatum tabernaculi
ſui, aureos nummos afferri præcepit, ſed
fibulas & inaures, & alia aurea; nec ante Chriſti tempora aliquid lego, quod de
aureis nummis intelligi recte poſſit, in
ſacro codice. Apud Matthæum Evangeliſtam occurrit *cap.* 10. *verſ.* 9. μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν
εἰς τὰς ζώνας ὑμων: *Non habebitis aurum, nec
argentum, nec æs in crumenis veſtris*. Quæ
ſane nummos aureos, argenteos & æreos
interpretari debemus reponendos in zonis
& crumenis, cum alia ratione aurum
ſervari non ſoleat aut argentum in nummis. Sed de peregrinis nummis in populo Judaico frequentibus hæc intelligenda, ſi cuſos ponimus, aut de nummis
non cuſis, ſi Judæorum proprios fuiſſe
volumus: potuerunt enim in zona tam
ſuos

ſuos quam peregrinos nummos conjungere. Prior vero locus Eſaiæ, qui quoque aurum ex crumena attulit, haud congrue de aureis nummis, ſed de auro χρυσάμμῳ capi poteſt Goldſand / quod hodienum Indi in crumenis aſſervant, & ad uſum promunt. Sunt quidem nonnulla loca Scripturæ, ut 1. Paralip. 30. *verſ.* 7. Eſræ 2. *verſ.* 69. *cap.* 8. *verſ.* 27. Nehem. 7. *verſ.* 70. *&c.* in quibus Lutherus Gülden / *aureos*, vertit, ſed quia plerisque drachmæ pondus additur, illis fidere non poſſumus, quin auri pondus intelligatur potius quam nummorum, ideoque certi quid elicere non licet.

In Hebræorum nummis, nec figura, nec forma, nec rotunditas, nec alia ſigna memorata reperies, ſolo pondere indicati, & inter ſe diſcrepantes per pondus, non alia re, quod tamen præterire haud facile fuiſſet tot Sacris Scriptoribus, ſi cuſos nummos eorumque ſigna ulla animadvertiſſent. Nonne ſtatim in Evangelio Cæſaris effigies ex Romanis denariis citatur? cur ſigna, quibus Judaicos ſignabant, non adduxiſſent etiam? adducere ſane non potuerunt, quæ nunquam Judæis fuere recepta. Cum Joas Rex Judæ templum Hierſolymitanum reparari juſſerat, populum ad eam rem argentum conferre voluit 2. Reg. 12. & *verſ.* 10. dicitur, bunden das Geld zuſammen / und zehleten es / quod non maſſas & πλίνθους argenti contribuiſſe arguit, ſed ut dicitur 2. Chronic. 24. quantum Moſes præceperat, *verſ.* 6. einbringen von Juda und Jeruſalem die Steur die Moſe der Knecht des Herzen geſeket hat / die man ſamlete unter Iſrael / zur Hütten des Stiffts / & poſtea *verſ.* 9. das man den Herzen ein bringen ſolte die Steur von Moſe dem Knecht Gottes auff Iſrael gelegt in der Wüſten. Hoc autem tributum dimidii ſicli pondus non excedebat, ideoque Joſephus *lib.* 9. Antiq. *cap.* 8. hæc loca explicans, ὑπὲρ ἑκάστης κεφαλῆς ἡμισίκλον ἀργυροῦν expreſſit. Solverunt igitur hoc tributum, prout Moſis tempore, ejuſdem generis nummis, nempe ſemiſiclis argenteis non cuſis. Nemo enim de cuſis Moſis ætate, ut nec hujus Regis Joas tempore, 630. annis poſt Moſen, quidquam probare poteſt. Nam Moſis temporibus aut Joas Regis nec in Judæa nec ullibi terrarum, nummos cuſos in tota antiquitate reperire poterit, fuerunt igitur hi nummi numerati & collecti nihil niſi nummi non cuſi, ſecundum pondus ſemiſicli in argento κεκερματισμένοι, atque ejuſmodi nummos antiquorum multi in commerciis habuerunt, priuſquam nummi cuſi ſunt introducti. Joſephus ſuo more hæc exaggerat, & non ſolum argentum ſed & aurum eos contuliſſe ſcribit, nec ſemiſiclum, ut prius dixerat, ſed ἐκέλευσεν ἕκαστον ὅσον βούλεται βάλλειν, quæ omnia abſque Scriptura Sacra profert.

Clarius ad nummos accedit locus Geneſ. 42. *v.* 35. ubi faſciculus argenti, ein Bündlein Geldes / δεσμὸς ἀργυρίου צרור כסף legitur, quod non poteſt intelligi, niſi de minutis particulis argenti modo incluſis & conſtrictis, & ad nummorum uſum præparatis. Hi igitur primi nummi ſunt, de quibus vere pronunciari poteſt, tam in terra Canaan eos viguiſſe, quam in Ægypto. Filii enim Jacobi eos ex Canaan in Ægyptum apportarunt, ut fruges iis coemerent, & in Ægypto valebant & expendebantur. Sed nondum cujus figuræ, ponderis, aut notæ eſſent, ſacer textus nobis aperuit. Hic locus facit, ut *Keſithah* quoque pro nummis habeam, licet ignoremus, cujus ponderis aut notas notæ fuerint, & filios Jacobi *Keſithah* attuliſſe veroſimile eſt ad Joſephum δεσμοὺς, qui eos iiſdem nodis comprehenſos reddi curavit. Nam ſi agrum a filiis Hemor per *Keſithah* emere potuit, etiam per *Keſithah* frumentum comparavit, ſiquidem Scriptura Sacra nihil aliud quod nummis tam ſimile ſit, iis temporibus nominavit. Quod vero Lutheros tam Geneſeos locum, quam Joſuæ, Groſchen interpretatus ſit, ex eo manavit, quod plerique *Keſithah* nummum fuiſſe non magni ponderis velint, ſextam videlicet partem denarii Romani, quæ aſſem noſtrum Lubecenſem in argento pondere non exceſſit, nec ad groſſi Saxonici valorem pertingere potuit, qui hodienum duos aſſes Lubecenſes reddit. Hoc igitur computo Jacobus agrum a filiis Hemor centum aſſibus Lubecenſibus comparavit, aut duabus uncialibus thaleris, non magno ſane pretio; Abrahamus enim avus Jacobi multo majore pretio ſepulchrum emit ab Ephron & Hethitis in Hebron; 400. ſcil. ſiclis argenti, qui conficiunt 100. unciales thaleros noſtræ monetæ, adeo ut ex ipſo pretio, quod *Keſithæ* tribuunt, error intelligi poſſit, licet enim *Keſithah* aureos nummos ſtatuere vellemus, vix tamen ultra 20. unciales thaleros ſumma hæc efficeret, quæ forte ſepulchro emendo impar videri poſſet, cum Abraham totum agrum cum ſepulchro emerit 100. uncialibus. Satius eſt nihil de his dicere, quam inter tot ſacra & ſaxa ſtare: nihil enim certum elici poteſt.

C A-

CAPUT XIV.

De Kicbar Hebræorum.

Kickar quidem Lutherus ſemper vertit Centner / quaſi centum libras efficeret. Eſt vero proprie ככר fruſtum magnum, maſſa magna, planities aut tracta magna, ut Geneſ. 13. *verſ.* 12. de terra & planitie circa Jordanem, כל-ככר הירדן ita ut nulla certa menſura aut pondus huic ponderi ineſſe ſtatui poſſit, ſed veluti rudis maſſa conſideranda veniat, nunc hoc nunc illo pondere, ut maſſæ ſolent, in quibus nihil niſi magnitudo ſpectatur, licet æquale pondus non ſit omnibus. Hinc maſſas metallorum ſemper ταλαντιαίας fuiſſe & ejuſdem ponderis, ſcilicet 60. minarum aut 3000. ſiclorum, hoc non ſemper accidit. Habet ככר aliquid ſimile cum marca, quæ quamdiu in terris aut agris conſideratur, nullo certo ſpatio aut menſura continetur, licet limitibus ſuis cincta & incluſa: at ad metalla perveniens, tandem pondus certum ei acceſſit, ut maſſa octo unciarum ſemper marca dicta ſit: quamvis non raro etiam marcæ dicantur maſſæ, illud pondus aut ſuperantes, aut paulo minores, adeo ut hæc vocabula ab incertitudine ſua tandem ad certum pondus redacta ſint. Concedi igitur poteſt, ככר talentum eſſe Græcum 3000. ſiclorum Hebraicorum & ad illud pondus maſſas metallorum ſic dictas fuiſſe redactas. Quidquid enim ad pondera metallorum ſpectat, eorumque nomina Hebræi facile a Græcis mutuati ſunt: quamvis verum pondus τȣ̃ דרכ non reperiatur ullibi in Sacro Codice expreſſum. Sed quia, Hebræis nullum majus datur nomen ponderis, nec Græcis ſuper τάλαντον, nec Germanis ſuper Centner / hinc illa pondera ęquiparantur interpretibus, utut multum inter ſe Talentum Gręcum, & centum librę Germanicę. Vix enim talentum Gręcum & 3000. ſicli vulgares Hebraici attingunt pondus $46\frac{7}{8}$ librarum Germanicarum. Propter tamen Gręcanicum *Adarcon* quod ibidem adhibetur loco δραχμῆς, etiam ככר ad Gręcorum τάλαντον reſpicere pondere ſuo, nec illud excedere, vero perquam ſimile eſt. Ideo dicit Joſephus Antiq. *lib.* 3. *cap.* 7. *p. m.* 83. ςαθμὸς ἔχȣσα μνᾶς ἕκατον. Ἑβραῖοι μὲν καλȣ̃σιν κίγχαρες, εἰς δὲ τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενον γλῶσσαν, σημαίνει τάλαντον. Jam quoniam decem mille drachmæ ſeu *Adarcon* exprimuntur, quæ nondum talentum faciunt ſeu *Kikkar*, videmus Sexaginta minas Græcas, vel 1500. ſiclos Sanctuarii talentum tunc & *Kikkar* confeciſſe. Erunt igitur fünfftauſend Centner Goldes und zehentauſend Gülden / quos Lutherus habet, pondere Germanico $234453\frac{1}{8}$ libræ auri, ſeu 2344. Centner $53\frac{1}{8}$ libræ. Et ſi adhuc ad nummos noſtros hæc pondera redigi debent, facient in argento 37512497. thaleros unciales. Ingens ſane ſumma, quibus ſi 10000. talenta argenti addideris, quæ thaleros faciunt 7500000. & quæ David Rex ex ſuo donavit, drey tauſend Centner Goldes von Ophir / und ſiebentauſend Centner lauter Silbers *verſ.* 4. qui ſunt thaleri unciales 27750000. Ex *capite* 23. *verſ.* 14. addantur hunderttauſend Centner Goldes / und tauſend-mahl-tauſend Centner Silbers / quæ David collegerat impendenda ædificio templi Hieroſolymitani, & ſummam reddunt 750000000. thalerorum uncialium, habebimus ſummam auri argentique omnis in thaleris noſtris 822762497. ſeu tonnas auri, ad centum mille thaleros ſingulas, 8227. cum 62497. thaleris uncialibus; ex quibus templi Hieroſolymitani magnitudo & ſplendor cognoſci poteſt, cui ſane nullum toto orbe par hodie Sol videt, nec vidit, nec videbit. Gemmas omnes præterea, æs, ferrum, lapides, marmora, cum ad certum pretium redigi non poſſint, hanc ſummam multum auxiſſe certum eſt. Joſephus, cui raro cum Scriptura Sacra in talibus convenit, multum hanc ſummam imminuit *lib.* 7. *Antiq. cap.* XI. *p. m.* 246. γίνωσκε δὴ, (ſic Salomonem alloquitur) χρυσȣ̃ μὲν τάλαντα συνειλεγμένα μύρια, δέκα δὲ ἀργυρέȣ μυριάδας ταλάντων, χαλκὸν δὲ ϰὶ σίδηρον ἀριθμȣ̃ πλέονα συντέθεικα &c. quod repetit eod. cap. aliis verbis *pag. m.* 249 ναὸν οἰκοδομῆσαι τῷ Θεῷ διανοηθεὶς χρυσόν τε πολὺν παρεσκευασάμην; ibi ſine numero talentorum addito rem proponit, pergit autem, ϰὶ ἀργύρεον ταλάντων μυριάδας δέκα: iterumque *p.* 250. πολλὰ μὲν τάλαντα χρυσίȣ, πλείω δ' ἀργυρέȣ. Tum quæ *Chron.* 1. *cap. ult. v.* 7. exſtant, fünfftauſend Centner Goldes und zehentauſend Gülden ſic extulit, ἰπέςησαν εἰσοίσειν τάλαντα πενταкισχίλια, ϰὶ ςατῆρας μυρίȣς, ἀργυρέȣ δὲ μύρια τάλαντα &c. Quos Lutherus Gülden vertit, Joſephus ςατῆρας vocavit, aureos ſcil. διδράχμȣς, unde Septuaginta verterunt χρυσȣ̃ς, ſed in textu Hebræo non ſunt niſi drachmæ, *Adarconium ribbo*: zehentauſend Ducaten / atque monent in multis codicibus Græcis non reperiri χρυσȣ̃ς ſed δραχμὰς. Sic Hebræum textum quilibet ad ſuæ linguæ mores & genium loqui voluit. Certum

eſt

est autem *Adarconum* nihil aliud significare quam pondus auri, prout etiam *Kiccar*, nam utrumque conjungitur cum זהב vel auro. *Kiccar* autem non fuit nummus cusus apud Hebræos, ergo nec *Adarconum*, si pro nummis Hebræis sumi debent, at si pro peregrinis, concedi potest, eos cusos fuisse aureos, & inter Judæos valuisse. Locus *Exodi* 38. *v.* 24. 25. 26. nondum nobis verum pondus τῦ *Kiccar* aperuit. Hoc vero docemur, capita civium censa fuisse tunc 603550. singulos in dimidium siclum ad pondus sanctuarii exactum: quod efficit summam 301775. siclorum argenteorum, quæ tunc collecta est, nostræ monetæ unciales thaleros 150887½. Hi sicli argentei rursus in auri *Kiccar* & siclos dividuntur, & in argenteos: in auro nominantur *Kiccar* 29. & sicli 730. in argento *Kiccar* centum, & sicli mille 775. Si jam aureos *Kiccar* & siclos more solito per decuplum argenteos sistamus, habebimus summam in argento 390. *Kiccar* & siclos 9075. Hos siclos si demseris a censu collecto 301775. siclorum argenti, remanebunt sicli 292700. in quibus sunt 390. *Kiccar*, ita ut *Kiccar*, argenti non fecerit in pondere supra 750½ siclos, qui longe absunt a 3000. siclis, quos in *Kiccar* computare solent. Nam si summa census dividatur per 3000. siclos, non exibunt nisi centum *Kiccar* argenti, & quod excedit etiam, ita ut falsum sit, quod M. Andr. Beyerus de siclo sacro & Regio *pag. m.* 17. ex hoc loco Exodi evincere voluit, Talentum seu *Kiccar apertissime conficere* 3000. siclos. Nihil enim minus apertum est, ut jam ostendi. Alii talentum vel *Kiccar* pondere siclo gravius non fuisse crediderunt, ut Eupolemus, apud Eusebium Præp. Evang. *l.* 9. *cap.* 4. Sed & hoc non convenire facile est videre. Opponitur enim *Kiccar* ubique siclo, ut gravius & majus pondus. Illo pondere quoque intelligendi sunt die zehentausend Centner Silbers/ Esther. 3. *v.* 9. ubi in Græco textu leguntur ἀργυρίȣ τάλαντα μύρια, quæ nostræ monetæ faciunt 7500000. thaleros unciales, seu septuaginta quinque tonnas auri. Notandum vero Lutherum addere darwegen & *cap.* 4. *vers.* 7. in des Königs Kammer darzu wegen, quod ponderis esset potius hoc argentum quam monetæ. In Græco textu alia verba exstant, quæ pondus haud respiciunt, & primo loco, διαγράψω εἰς τὸ γαζοφυλάκιον τῦ Βασιλέως, *adscribam ærario Regis*, postea vero, τὴν ἐπαγγελίαν ἣν ἐπηγγείλατο Ἀμὰν τῷ Βασιλεῖ εἰς τὴν γάζαν, *promissionem, quam promisit thesauro Regis inferendam*: hæc more Græco dicta sunt; illa de pondere more Hebraico: quod non nisi pondus argenti Hebræis spectaretur, sine moneta, Græcis & moneta & pondus. Habet quidem Scriptura pondus aliud, quod משא vocarunt, eine Last/ ut 2. *Paralipp.* 17. *vers.* 11. Und die Philister brachten Josaphat Geschencke eine Last Silbers/ מנחה וכסף משא *munus & argentum collectum*. Sic enim reddere malo, quam *onus argenti*, quia כסף non habet notam Genitivi, & præponitur τῷ משא est igitur argentum eo fine levatum a subditis Philistæis, ut pro munere donaretur Josaphato Regi Judæorum. Juvat me locus 2. *Paralipp.* 24. *vers.* 9. Und lies ausruffen in Juda und Jerusalem/ das man dem Herrn einbringen solte die Steure/ von Mose dem Knecht Gottes auff Israel geleget in der Wüsten/ ubi משאת argentum collectum significat, quod *collectam* solemus vocare, & recte versum est a Luthero, die Steure/ quam collectores levabant viritim, incerti quidem ponderis, quod non levaretur heri, sicut hodie, nec pondus certum redderet, nisi collectione finita. Nummos cusos vel signatos argentum illud fuisse, quod sic collegerant, non exinde manifestum est, cum etiam argentum non signatum & vasa argentea muneri possent conferri, munusque in argento esse. Septuaginta cur reddiderint illum locum alio verborum syrmate, quam in Hebræis exstat, sæpe miratus sum, pro Philistæis diserte nominatis ἀλλοφύλȣς habent, cætera reddiderunt, καὶ ἀργύριον καὶ δόματα vocem *massa* plane præterierunt, δόματα quin dona sint, non dubitare licet.

Sed esse vocem Alexandrinis usurpatam, ubi Septuaginta Hebræum textum Græce transtulerunt, discimus ex Athenæo, qui *lib.* 8. *cap.* 17. *pag. m.* 364. annotavit cæteris Græcis dici ἐπιδόσιμα τινὰ δεῖπνα, ἅπερ Ἀλεξανδρεῖς λέγȣσιν ἐξ ἐπιδομάτων. Ut igitur ἐπιδόματα adjectitia sunt, quæ super solita dantur Germanis zugifft/ zugabe: sic quoque δόματα, data & donata: ut in nuptialibus conviviis τὰ ἐπιδόσιμα & ἐπιδόματα pergunt esse; vocantque Saxones inferiores & Belgæ den Naedag, quod postero die ad reliqua prioris absumenda venirent invitati.

Josephus sane mentem Scripturæ videtur intellexisse, dum *cap.* 9. *lib.* 8. *Antiquitat. pag. m.* 293. sic de his loquitur. Οἱ δὲ Παλαιστινοὶ τακτὸς ἐτέλȣν αὐτῷ φόρȣς, illud enim tributum in argento indictum & collectum dependebatur & contribuebatur cum munusculis superadditis, quando hæc tributa Josaphati Regis ærario inferebant. Hoc sacrum textum voluisse his verbis, Philistæos tributis subje-

jectos fuisse Regi dicto, eaque intulisse, nemo, puto, in controversiam amplius vocabit. Sed cum *Genes.* 42. *vers.* 25. in plurali numero exstet כספיהם non posse illud argentum commode reddi, nisi de pecuniis signatis existimant, ego tamen etiam non signatum argentum intelligi debere contendo. Nihil enim pluralis iste quam argentum a pluribus datum indicat, ab undecim scil. filiis Jacobi in Ægyptum venientibus & mercantibus; sicut enim Lutherus reddidit Ihr Geld/ in singulari, & proprie, Ihr Silbergeld/ est, quia linguarum cæterarum genius argentum non effert numero plurali, sic analogia linguæ Hebraicæ pluralem numerum admittit, & vel plures nummos non signatos loco nummorum signatorum tunc dari solitos, vel argentum a pluribus datum significat, licet non signatum esset, sed pondere siclorum, aut minori solum distinctum, sine charactere aliquo: nam & illud כספיהם fuit, nec ulterius ad signatos nummos trahi debet, quoniam S. Scriptura se nusquam ita explicat, quod signatis nummis tunc usi sint, aut monetas publicas habuerint.

CAPUT XV.

De Moneta Judæorum ficta.

PLura sane nummorum nomina ex Græca & Latina lingua in Hebraicam & Orientales translata sunt, nam & *Moneta* apud Rabbinos legitur, quod nulla Judæis moneta antiquitus fuerit, ideoque vocem illam mutuari cœperunt a Romanis, postquam illi Judæam tenuerunt, suasque Monetas illic ædificarunt; Hinc in *Midrasch* de Mardochæo & Esthera. *Quænam Regis prærogativa?* Moneta, סוכיטה, ejus currit per omnem terram, sic Mardochæus: סוכיטה ejus in una parte referebat Mardochæum, in adversa Estheram; quod figmentum est turpissimum, nunquam enim Esther aut Mardochæus nummos cudi fecerunt, sed quod viderent Græcos & Romanos nummis cudendis ubique studere; hinc Hebræos suos Rabbini iisdem artibus usos esse sibi persuaserunt, quod tamen nulla ratione probari potest. Bereschit Rabba quoque vocem illam adhibet *monetæ* §. 39. dum ait, quatuor fuisse qui emiserunt monetam per orbem, ut Abraham, Josua, David & Mardochæum, sculpturam quoque monetæ Mardochæi adducit; in prima facie saccum & pulverem ostendit, in altera coronam auream. Hæc tam vera sunt, quam nummus ille prior ex Midrasch, pura scil. & puta figmenta ventosi Rabbinorum cerebri, qui quidquid somniant nummos tenuisse scriptum credunt. In Thalmudis libro *monetæ* nomen etiam exstat, dum dicitur Abigaelem pro marito respondisse, eum majestatis non reum contra Davidem, quoniam *moneta Dn. Saulis adhuc obtinet*. Omnia illa post dirutam & direptam Hierosolymam inscripta primum introducta posterorum & residuorum Hebræorum, quando majorum instituta dispersi amplius nesciebant; Denarii nomen primo in Græcam linguam abiit, & Christi tempore valuit, sed in Hebrǫrum posteriorum scriptis locum non invenit, nisi diu postquam ab Hierosolymis dispersi vagati fuerant, tunc enim דינר *Denarium* apud Rab. Salomon in *Deuteronom.* 1. *vers.* 13. legimus. Sic אסתירא pro *Stateribus*, & alia plura vocabula nummaria e Grǫcis ac Latinis petita, at ne unum quidem ex Persicis & Indicis aut Arabicis, aut Syriacis, ita ut *Darkemonim*, & *Adarcon* a Grǫcis, non ex Persicis, originem tribuere debeamus, tot exemplis rem illustrantibus. Considerandum sane venit *Darkemonim* & *Adarconim* nomina non nisi ea ǫtate prodiisse, quam post captivitatem Babylonicam in reditu Judǫorum sub Cyro, & confirmatione Darii Hystaspis. Hǫc enim illa sunt tempora, quibus Grǫcis in Asia multum negotii, multum turbarum, quǫ tandem Persas in Grǫciam bellum transferre coegerunt. Hæc illa sunt tempora, quibus drachmæ nomen inter nummos cusos evaluit. In Solonis enim legibus, non nisi per drachmas mulctæ dicantur: ille primus fuit, qui minam ad centum drachmas redegit, cum antea non haberet nisi 73. ut annotavit Plutarchus *pag. m.* 86. τȣ̃ νομίσματος τιμὴν. ἕκατον γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρῶτον ἑβδομήκοντα καὶ τελῶν ȣ̃σαν. In Draconis legibus ante Solonem non δραχμαὶ, sed βȣ̃ς dicebantur numismata, ut audivimus, a Theseo igitur usque ad Solonem in nummis Græcis βȣ̃ς mansit, a Solone porro drachmarum nomen emersit, a Solone Græcorum in Asia res gestæ & victoriæ, quæ drachmas simul notas fecerunt, & *Darkemonim* ac *Adarconim* inter Judæos ac Chaldæos progenuerunt: Salmasius, qui nummos cusos ex Oriente processisse ad Græcos vult, etiam nomina ponderum & nummorum exinde derivat, & falsa falsis inædificat l. de usur. *pag. m.* 426. & *seqq.* nam & μνᾶν & δραχμὴν & ὀβολὸν & δανάχην ex Orientalibus linguis manasse, non ex Græca contendit, miror, quod etiam τάλαντα non eo traxerit, & quidem

dem μνᾶν a מנה *numeravit*, δραχμὴν non a δράξεσθαι, quod somnium Grammaticale vocavit, sed a *Darckmona* Syriaco, vel ex Persico *Dirkam* aut *Darkem* Arabico, deduxit, ὀβολὸν, ab alia radice ignota Orientalium. Sed hæc tanti Viri non tam attendenda esse credo, quod reliquorum eruditorum consensui hæc adversentur, & primo intuitu statim in voce *Darkmona* nihil nisi flexionem Syriacam & Chaldaicam esse quilibet animadvertit, cætera peregrina, & a peregrinis petita manent, cum nullum in Orientalibus linguis fundamentum sit pro hac voce *Darchmona*, nec radix ulla, nisi si quam fingere lubet, quod facile fit; & non raro doctissimi Viri illuc confugiunt, quando via non patet ulterius. Omnes profecto linguas ex Orientalibus deducere satagunt quod hæ fuerint forte priores & antiquiores: qua in re nimis sunt liberales, & incautiores quam oportebat, illud tamen vix concedunt, etiam filias ac neptes quasdam ad amplexus matrum subrepsisse ac rediisse, quod propter commercia tamen gentium, hinc inde necesse fuit evenire, linguamque ex linguis ædificari. Nulla lingua tam pura est, quin cum peregrinis alicubi loquatur, & loqui cogatur, si intelligi vult. Jam cum de *Darkemon* & *Darchmonah* & *Darkemonim* & *Adarcon* & *Adarconah* & *Adarconim*, quæ in sacris ipsis inter Hebraica & Chaldaica legere licet, quærimus, quis illa nomina, nisi flexione quadam ad linguam Sacram aut Chaldaicam, aut Syriacam trahere poterit? quo fundamento? Nullam sane dixit aut proposuit Salmasius, sed quod *darchmonah* reperiatur in Sacro textu & Hebræa lingua, cui Græca posterior est, ideo drachmæ vocem a *Darchmonah*, non vero Darchmonah a δραχμῆ originem trahere. Quamdiu de tota lingua Hebræa loquuntur, eique opponunt totam linguam Græcam, nemo contradicet, quin Hebræa sit anterior Græca, & Græcam ex illa descendisse: at quando ad voces quaslibet in utraque lingua examinandas nos convertimus, frustra est ad antiquiorem omnia referre, postquam tot nova a tot seculis supervenerunt. *Darkemon* & *Darchmonah* non esse fœtum Hebrææ linguæ, aut Chaldaicæ, aut Syriacæ, nec in illis natam vocem, omnes, qui illas linguas percallent, optime viderunt. Cum igitur peregrina sit, proximum est quærere, a quibus adoptata videatur; Proxima sedet Asiaticis & Arabicis Græcia; vox ipsa *Darkemon* & vestigiis literarum, & potestate, & significatione eadem est in voce Græca δραχμῆς nec quidquam prohibet, quin commerciis Græcorum cum Asiaticis tunc ferventibus, cum illa vox *Darkemon* introducta est in Orientem, una cum drachmis Græcorum & nummis & Syriace & Chaldaice & Hebraice & Arabice, flecti potuerit, ac linguis Orientalibus inseri, & cum res ipsæ, argentum Græcorum & pondus & nummus non displicuerit Orientalibus, facilisque per illas mercandi ratio visa sit, nihil mirum, vocem illam δραχμῆς etiam linguas Orientalium affecisse, sicque *Darkemon* ex drachma, non vero drachma ex Darkemon prodiit; ita quoque de *Darkem* Arabum sentiendum, non ex *Darkemon* desumtum esse, sed ex δραχμῆ Græcorum, flexum apud illos in commerciis mansisse, quod quo tempore receptum sit, non ita patet, nec dici poterit, nisi quod videamus post captivitatem Babylonicam Judæos hanc vocem secum primum attulisse, & lingua sua donasse. De Persico *Dirham* minus soliciti sumus, qui ex Arabico *Darhem* aut *Derhem* manifesti sunt illam petiisse, quoniam notum est Persicam linguam, quæ nunc viget, per Arabicam esse constitutam, eorumque literis scribi. Μνᾶ vero Græcorum, quin ex Hebraica lingua transierit, & ex מנה *numeravit*, non multum refragabor; consentiunt omnia, nullamque causam video, cur aliunde haustum ac retentum Græcis dici possit aut debeat. At non inde sequitur, si μνᾶν ex Hebræo aut Orientalibus, Græci habent, ergo & δραχμὰς & ὀβολὰς & δανάκας, & alio.

CAPUT XVI.

De Siclis Judæorum cusis & fictis.

Siclos igitur Judaicos quos circumferri videmus, in hodiernum usque diem & nummos seu aureos, seu argenteos, seu æreos, Judaicis vel Samaritanis, quos vocant, literis signatos, fœtus suppositios esse ad unum omnes, in Republica vel regno Judaico minime natos, asserere me non piget; lucri quippe causa a callidissimis Judæis posterioribus, & ultimis his seculis effictos & venditatos. Et quoniam in Gazophylacio Besleriano reperitur unus tab. 25. qui magnitudine quidem Siclum vulgarem refert, sed antiquitatem majorem, quam vulgares sicli, qui passim ostenduntur, præfert, monstrabo & illum fallere. J. D. Major illum in libro suo, Verdeckertes Cimbzien, *pag. m.* 46. explicare tentavit; Habet in primo latere calicem expressum, ut ait, & in secundo scuticam: Denn da soll auff der einen Seiten durch den Kelch die Einsekung des

des Heyl. Nachtmahls / und auff der anderen / durch die daselbst stehende Figur die Geisselung Christi zu versien gegeben werden. Recte quidem indicat, hoc falsum esse, nec Judæos in nummis rerum Christianarum memoriam servare studuisse. Sed aliter explicari debet ille nummus, nam poculum illud in primo latere thuribulum adumbravit, cui artifex rudis formam dare non potuit convenientem. Figura secundi lateris virgam Aaronis florentem exprimere voluit, non scuticam ullam plumbatam, sed hæc rudi adeo manu, ut nihil supra; quam aut studio affectavit artifex, ne novitas illum proderet nummum, & minus antiquus haberetur, aut eo seculo & loco fabrefactus fuit, quo politiores artifices haberi non potuerunt. Nummis igitur Judaicis credi minime potest. Si enim cusi sunt unquam Judæis nummi, inter Neronem & T. Vespasianum eos propriis cusisque nummis usos esse primum constat, antehac enim non signatis, aut massis potius argenti & auri & nummis exterorum rem gerebant, non suis: adeo ut hunc quoque nummum fictum esse vel a Judæis vel a Christianis lucripetis non multum infra seculum nostrum contendere possimus. Illi vero omnium falsissimi sunt, qui crediderunt exstare denariorum eorum nonnullos adhuc, quibus proditum Christum Judæi acceperunt; illos una facie effigiem hominis ostendere, a cujus tergo flosculus surgat, & ponderis esse διδράχμυ singulos, ut refert ex Cornel. Jansen. Baronius in Annalibus ad A. C. 34. *num.* 15. Vidi & ego argenteos cum ista facie, qui non tantum δίδραχμοι erant, sed ὀκτώδραχμοι & unciales, quos vel Christianorum vel Judæorum lubido finxit omnes & credulitati piorum hominum strenue imposuerunt.

Ego sane doctos fere cunctos contra me provoco, dum hanc illis sententiam oppono de nummis Judaicis publica moneta non signatis, qui tam secure hactenus illis nummorum μορμολυκείοις, quos circumferunt Judæi, fidem certam adhibuerunt, nec de fraudibus latentibus in illo equo monstroso unquam cogitarunt. Ubi, quæso, moneta Saulis legitur, aut Abrahami aut Josuæ, aut Davidis constituta, qua nummos procuderunt, nisi in fabulosissimis tandem Rabbinorum scriptis, post Hierosolymam penitus eversam & deletam tot seculis? Ex eorum lacunis prodierunt Abrahami nummi cum vitulo & Sene; Josuæ, cum bove & unicornu; Davidis, cum virga & turri; Mardochæi, cum sacco, & figura Mardochæi ac Estheris. Hos enim quatuor veluti capita & promos-condos, imo IIII. Viros rei nummariæ Judæorum esse clamant. His si credere volumus, obruent & suffocabunt nos mendacia, priusquam ad veritatis lucem oculos convertere possimus. Num in tota Sacra Scriptura V. & N. T. nummus ullus Judaicæ monetæ productus fuit, ex quo vestigium saltem aliquod ejus formæ, ejus inscriptionis, vel loci, ubi monetam accepit, conservatum dicere secure liceat? num qui proxime post Hierosolymam excisam scriptis aliquid comprehenderunt, nummos Hebraicos & Judaicæ monetæ ullos inscriptos vel cusos produxerunt minimo saltem verbo? Quod si non probari potest, cur falsissimis illis Rabbinorum figmentis, in re nummaria inexpertorum, & quid prius egerint vel non egerint Judæi nescientium fidem tanti facimus? cur istorum oberrantium Judæorum fraudes ab uno vel altero seculo, istos nummos Samaritanorum ac Hebraicis literis onustos, fusos, cusos circumferentium & venditantium nullo oculo sincero adspicere hactenus libuit, aut in dubium vocare? Scilicet omnes ea opinione imbuti vixerunt, nullos unquam nummos orbem vidisse nisi cusos, & si qui fuerunt, qui nummos ἀσήμυς admiserunt, quos Chaldæi quoque norunt, qui eos cæcos & סומא appellarunt, a populo tamen Hebraico & Judaico procul istos absuisse contendunt. *Non enim*, ait summe doctus Vir. Steph. Morinus in Exercitat. suis de lingua primæva *cap. 9. pag. m.* 271. *ut cœteræ gentes rudi metallo initio usi sunt, sed statim signarunt, & ad memoriam rerum insignium primos suos nummos cuderunt*. Vah! illam memoriam! proh! tot inamœnas & indoctas ac imperitas inscriptiones, quas nobis vendiderunt, ut genuinas, cum sint putidissimæ, fraudulenti Judæi, fraudulenti non minus Christiani, illorum memoria quos significarunt oppido quam indignæ. *Sekel Jisraël: Jeruschalajim hakkedoscha*. Quis unquam in Sacro Codice illas animadvertit? ubi exstant? Sed gratulor mihi, & isti summo Viro, quod istas in Exercitationibus suis valde suspectas ipse fecerit, & multis locis rejecerit; Sunt sane damnandæ prorsus, quod nihil sani contineant, nihil plane: imposturis suis ubique se prodentes. Æstiment hos nummos quicunque velint, torqueant se Viri doctissimi in illis explicandis, oleum & operam se penitus perdidisse tandem videbunt, spero, tam absurdæ sunt & insulæ inscriptiones illæ omnes, ut nihil in re nummaria occurrat illis stolidius. Hebraicarum & Orientalium linguarum studia

dia in Occidente, sunt admodum nobis nupera, nec ante Clementis V. in Concilio Viennensi decreta, seculo 14. frequentata: Ab illis temporibus cum insudarent Christiani Hebraicis, Samaritanis, Syriacis & Arabum literis perdiscendis hæc etiam nummorum mendicabula nos fascinarunt, quæ lucrum insigne Judæis pepererunt, nobisque imposuerunt facile credulis, ut in studiis admodum novis & inusitatis quidvis arripientes, & Judæorum fidei, semper sublestæ, nimium tribuentes. Hinc tot nummi cusi, fusi, flati orbem impleverunt, ut cum nullos, aut paucissimos, & Orientalium aliorum videamus antiquos, Judaicæ antiquitatis fictæ tota plaustra supersint. Hos amamus, adoramus, tanquam si David aut Salomon suis temporibus, aut Abraham aut Josua illos excudissent, nullo S. Scripturæ testimonio subnixos, quæ tantam rem nequaquam isto involvisset silentio ut non subinde monuisset, quid quisque Regum in moneta constituenda, corrigenda, laboris impendisset, sicut pondera & probitatem argenti & auri nobis commendat, eorumque fraudes ubique detestatur. Cum igitur nummi cusi in populo Dei nusquam reperiantur allegati, nihil superest, quam ut eum in nummis ἀτήμοις, pondere solo & probitate metalli constantibus, more veteri perseverasse, quamdiu regnum & Respublica fuit, ad excidium usque, concludamus: eos autem nummos, quos nunc tractamus, posteriorum seculorum figmenta esse, quæstus ergo excogitatos, & hos fumos nobis venditos, fumo luendo & piandos, si justitiæ cura nos tangeret, nec nos ipsi fraudibus iisdem delicias quæreremus immersi. Non me possum ad singulos nummos diffundere, ne infinitas molestias cum mihi tum aliis imponam nullo cum fructu cujusquam, nec sane merentur illæ quisquiliæ; sed ideo nunc illas converrendas duxi, ut simul ac semel ejiciantur, scopis officium facientibus.

Sicli igitur Judaici, qui hodie supersunt, cum virga Aaronis & thuribulo, ego offucias meras judico, & sequioris ævi ἐκτρώματα ad Christianos decipiendos a Judæis oberrantibus ficta & obtrusa, quin & a Christianis ipsis. Novi ego hominem inter Holsatos diu viventem, cujus nomini parco, qui propriam incudem his siclis exercebat, & in suis ædibus eos procudi curabat, qui sua elegantia & novitate facile distinguuntur, ab illis, qui paulo antiquiores prodierunt. Verissimum est neminem antiquorum de nummis propriis Judæorum cusis & signatis publice, sive aureis, sive argenteis ita locutum esse, ut satis discerni possit, eos nummos istis nominibus unquam signatos fuisse. Non dijudicarunt satis, Viri docti, omnes illos signatos quos hodie circumferunt, nihil minus quam genuinos esse, sed ex imposturis posteriorum Seculorum ad nos pervenisse. Nemo mihi hactenus, licet studiose quæsiverim, siclum unum genuinum monstrare potuit, facile fraus pellucet in medium sit producitur; aurei tamen magis fallere nati sunt, nec tam facile discernuntur, quod perfectissimum sit metallum, & unam fere faciem retineat ab omni ævo, quod reliquis metallis non contingit, unumquodque enim infantiam, pubertatem, florem & rugas suas ostendit, ac decrepitam senectutem. Magnum mihi indicium fraudis facit liber & itinerarium Benjamini Tudelensis Judæi, qui Anno 930. circiter ex Hispania in Syriam, Persiam, Ægyptum, Judæam & Africam peregrinatus est, nobisque itineris illius observata reliquit. Is omnes Synagogas ubique Judæorum perreptavit, sed nullibi de nummis Judæorum cusis ipsi quidquam occurrit, ideoque nec memorare potuit, ut inter tot congregationes ad quas invisit Benjamin, isti nummi Judaici nusquam se proderent, si tunc exstitissent. Sane cum in Mediam pergeret, & ad Judæos in monte Haphtor habitantes in loco Ghaarian, ubi 25. millia Israelitarum habitare dixit, & in illis montibus Synagogas plus quam centum exstare; addit eos esse sub potestate ac ditione Regis Persiæ, cui tributum pendunt, estque tributum constitutum in omni Israelitarum regno, ut singuli mares decimo quinto anno majores singulos aureus *Amircos* quotannis exsolvant, & quod Amircus aureus valeat sesqui nummum aureum Hispanum Marabetinum. Alios nummos totum itinerarium illud non memorat. Videmus igitur omnes istas fraudes post illud tempus inter Judæos exortas esse, maxime postquam expeditiones Christianorum in illas terras, & terram Sanctam susceptæ sunt. Nondum enim de monetariis in Judaico populo quidquam legi annotatum, adeo ut Antiochus Rex Syriæ primus appareat, qui Judæis permiserit propria moneta uti *Maccab.* 15. *vers.* 6. Und gebe dir Gewalt eigene Münke in deinem Lande zu schlagen / νόμισμα est in textu, neque tamen illos eo privilegio usos satis constat. Nam Christi tempore Romanorum denarii in Judæa vigebant, ut ex zinse Münke manifestum fit. De aliis monetis in tota S. Scriptura nihil, nec de Siclis, quos pro mo-

moneta magis capiunt quam pro pondere, in N. T. & Christi temporibus quidquam, adeo ut de Judæorum nummis, qui proprii sint illorum, ex S. Scriptura locus idoneus ut luculentus proferri nequeat.

CAPUT XVII.

De nummis Samaritanis cusis & fictis.

Herm. Conringius pro Samaritanis pugnat, Hebræos solos cum Wagenseilio & Patino damnat, nec concedere vult, quod hi, omnes illos nummos, quacunque Scriptura spurios esse, & longe post Judæos dispersos ac Hierosolymam excisam prognatos. Quænam quæso Samaritanorum aut Cuthæorum in nummis prærogativa? nonne Hebraicæ fuerunt? nonne Cuthæi, qui Hebraicis ritibus accesserant & religioni, hos nummos effinxerunt, ut Hebræi suis literis? Quid dicit Moses Nachmanides Gerundensis ante quingentos circiter annos? *Benedixit mihi Deus qua usque, quod dignus habitus fui, & perveni Acho, & inveni in manu senum terræ illius monetam, & ostenderunt Scripturam Cuthæis, qui statim legerunt eam; Nam Scriptura erat Hebræa, quæ relicta fuit Cuthæis.* Si Hebræa fuerunt, quæ nummus ille loquebatur aliis literarum ductibus, non possunt præferri Hebræis, & si Hebræi suam finxerunt, Cuthæos nemo prohibuit idem facere. Eædem causæ tam Hebræos, Judæos, Samaritanos & Cuthæos in fraudes impulerunt horum nummorum, lucri nempe bonus odor, præcesserunt Hebræi, secuti sunt Cuthæi, ne illos solos Pluto respiceret, nam & sibi hos modos adquirendi notos esse, non parum ingeniosius quam Judæi probarunt. Eadem quoque dicunt, quæ Hebræi nummi, nullum est discrimen nisi in ductibus literarum, quæ Cuthæorum illos esse monstrare poterant, cœtera tam similes quam ovum ovo, ergo κακῦ κόρακος & κόμματος utrique. Novos tunc fuisse hos nummos oportet, quoniam in toto suo itinere Moses ille non invenit nisi nummum hunc unicum, & quidem Samaritanis aut Cuthæorum literis inscriptum quem Judæi legere non poterant, nisi prius Cuthęos consuluissent, ideo dubium satis est an a Cuthęis inceperint hę fraudes, an a Judęis. Haud enim loquitur Moses Gerundensis de aliis nummis sibi visis quam de hoc unico. Non autem video, quid Dn. Conringium moverit, ut pro ingenuitate Samaritanorum nummorum statueret & quidem omnes istos nummos Samaritanis literis cusos esse, non vero Hebręis, & si Hebręis cusi exstant aliqui, illos esse ὑποβολιμαίυς. Nam in *cap. 9.* de nummis Hebręorum, ubi hanc rem agit, nihil plane pro hisce nummis adstruendis attulit, quam Antiochum Demetrii inter promissa & beneficia, quę Judęis conferre voluit, enumerasse monetam propriam, quam permittere vellet, ἐπέτρεχά σοι ποιῆσαι κόμμα, ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ συ. Loqui ipsum de publica moneta percutienda negari non potest, sed aut Ethnarcham populi Judaici hæc acceptasse, aut ullam monetam eo beneficio suffultam prodiisse, nullibi observatur. Inane igitur hoc argumentum necesse est esse, cum res ipsa nullum effectum sortita sit, & contemni potuerint a Judęis hęc promissa Antiochi, cujus imperium pene nullum in Judęos erat, aut amicitię fides, quod etiam ipse fatetur Conringius. Provocat deinde ad libertatem, quam sub Simone Hasmonęo partem Judęi tenuerunt, tunc enim monetę jus liberum quoque nactos esse, nemine prohibente. At illo jure usos Judęos tum magis, quam ante captivitatem, cum essent liberrimi, nemo probavit, nec Conringius. Omnia enim ejus eo tendunt, nullos nummus cusos esse Judęis ante captivitatem, sed qui cusi sunt, eos post captivitatem, & libertatem ab Hasmonæis recuperatam signatos esse. Possemus hæc concedere, nisi indefinitam illam emunciationem quoad tempus, Simoni & Hasmonæis ipsis alligasset, eosque nummos signatos Samaritanis literis produxisse voluisset, in quo tamen monstrando revera defecit. Nam quod exstent hodie quidam ærei, qui nomen Simonis præferre videantur, illudque per conjecturam magis legatur & eliciatur, hoc fidem non facit ullam genuinos eos esse, & a Simone percussos, Judæorum fide in talibus semper sublesta, nulla alia Antiquitatis nota assertum juvante. Nam si dixisset, usque ad excidium a Romanis illatum cusos nullos nummos exstare Judæorum proprios, quosque postmodum prodire fecerunt, spurios ac fictos esse, ipsa veritas pro ipso loqueretur, ita nos prolixe hic ostendimus. At cum Samaritanos genuinos esse asserat, post captivitatem, Hebræos solos damnet, hæc sane παράδοξα tueri difficile esse video, nec iis animum adjicere potui. Domini Wagenseilii sententiam valde probo, qui hos nummos primam lucem & monetam vidisse sentit, postquam a Christianis peregrinationes religiosæ in terram sanctam susceptæ fuerunt; sed inprimis expeditiones illæ sacræ loculos Judæo-

dæorum amplificarunt. Tunc campus, tunc fenestræ apertæ sunt nummis his, & figmentis, tunc Rhodus, in quo optime saltarunt, & credulos Christianos emunxerunt, tam Judæi, quam Guthęi; Nam quod Samaritanis characteribus inscriptos nummos in Christianorum notitiam sero pervenisse scribit Conringius, seculo demum superiore, ideoque nullam fraudem subesse concludit in præfat. ad Paradoxa, hoc verum esse non puto: tam peregrinantibus quam bellantibus in terra sancta oblati sunt æque Samaritani quam Hebraici; Et quamvis plerique Christiani neque Hebraica legerent, aut intelligerent, nec Samaritana, eoque citius ac facilius deciperentur, nummis tamen istis occurrentibus nemo carere se posse credidit, ut testibus eximiis peregrinationis factæ; & decepti sunt, quia decipi voluerunt. Nunquam deinde inscriptiones illas Siclorum Samaritanorum sibi accurate convenire reperies, semper una aut altera litera claudicat. Vide, quem produxit B. Aria Montanus *pag. m.* 126. Vide Beyerum, & alios, nullus eorum plane consentiet. At quod literas illas vere Hebraicas esse venditant, & vetustiores illis, quas nunc vulgo legimus quadratas; nam Judę tribum & Benjamin, cum desererentur a decem tribubus, in varias superstitiones & cultus impios prolapsis, noluisse cum Samaritanis idem facere, ideoque scriptionem etiam mutasse, & alias istas literas quadratas assumsisse; hæc utique falsissima commenta sunt, nemo enim facile illas literas, quibus Deus & Moses legem perscribi jusserunt, impias existimabit, & sanctam illam originem contemnet, aut ad aliam scriptionem, quam Deus non jussit, non approbavit, sua sponte concesserit, quasi in scriptione aliquid esset mali, nec quilibet illam perversam reddere posset, mala scribendo ac annotando, quod tam Judæos quam Samaritanos spectat, nec usum scriptionis ullum simpliciter tollit abusus. Hæ igitur literę fictę sunt omnino quę Samaritanę dicuntur in nummis, & dolose additę a versutissimis hominibus, ne fraus pelluceret facile. Si qui enim sunt Samaritani codices his literis insignes, longam post Judęos ac Cuthæos ejectos, eversos & dispersos ętatem primum agnoscunt, ut illi credi minime possit. Nihil enim est Judęis gloriosius, ob perpetuam, quam Deus concessit, cujus suę quondam gentis rerum gestarum memoriam, sed & nulla gens illis mendacior, ob eandem causam, ut antiquitatem celebrem, cum aliter non possunt, tueantur. Haud facile illorum δευτερώσεσι, Misnaroth vel Gemaris credendum, inprimis ubi de se ipsis loquuntur. Ideoque Samaritanus ille Siclus, qui describitur in Misnajoth tr. de Jadajim, ęque vitio laborat ac cœteri omnes cusi & inscripti. Sive Accone visi sint, sive Hierosolymis ipsis nullus enim locus tam sanctus est, aut integer, qui fraudes excludit, sive sint dimidii sicli, sive alię partes ejus, quotquot enim fuerint veri, non signati fuerunt, omnesque partes & omnia κέρματα ad siclos pertinentia argentea fuerunt, non ęrea.

At Jeremię 32. *vers.* 9. legitur עשרה הכסף *decem argentei*, scil. *Gerah*. Potuerat Jeremias exprimere per dimidium siclum, nam decem Gerah faciunt dimidium, sed quia numeravit ipsos decem Gerah in nummulis & κέρμασι singulis argenteis, idcirco Propheta tam diserte locutus est de decem argenteis. Sane si fraudes tam apertæ, tam manifestæ, cum veritate & antiquitate conjungi possunt, prævalere eas necesse est, nec veritati aut antiquitati lucem aliquam accendere juvabit. Suis igitur opinionibus illi sunt relinquendi, donec resipiscere velint, & rationi sanæ cedere, oculisque suis propriis fidere, nec alienis, quod hactenus fecerunt, videre. Ex his nummis miracula, nescio quæ, nobis exstruxerunt; ut in adyta & sanctuaria quædam ingressi illos intuiti sunt, & offucias illas offuciis infinitis aliis juvarunt, propagarunt, quibus ego quidem cedere possum, ut me longe doctioribus, donec veritas, ut ex puteo, emergat, meæque sententiæ facem quandam præferat, quod an sperandum vel desperandum sit, prout nunc seculum est, nescio. Fuerunt tamen multæ opiniones obstinatæ, quas antiqua quędam rubigo condivit, nec facile evelli potuerunt, quas nihilominus tempus attrivit, elisit, & politiores nunc reddidit, ut de cultris lapideis, quibus circumcisionem Judæis olim factam omnes fere antiqui circumtulerunt, nunc vero doctissimi Viri passim explosam tenent. Et cum hęc in sacris fundamentum sui nullum collocare posse videretur, cur hęc de nummis cusis Judęorum, quę nullum omnino in toto Sacro Codice fundamentum aut munimentum reperit, tam anxie tamque operose adhuc defenditur? Conjecturæ enim leves quędam, quibus loca Scripturæ incrustare cupimus, & in nostras partes trahimus, non invitamus, rem non faciunt istam. Bened. Aria Montanus in Antiq. Judaicis *p.m.* 125. quam pulchre cœpit de nummis & Siclis Judaicis? ἀσήμους illos statuit, præter alia

ἀσή-

ἀτήμυ vocem etiam ab Hebræis uſitatam propterea ſignificat, & de illo legi in lib. Misnajoth tract. de decima ſecunda cap. 1. §. 2. & tr. de Ghediuth 3. §. 2. ſed paucis lineis interjectis, in naſſas Judæorum incidens, captus eſt, ſicloſque cuſos Samaritanis, ut credit, literis, ante Jeroboamum & Iſraelis diviſionem apud Hebræos uſitatis, defendit, tum maxime, cum illi ipſi oblatus eſſet talis nummus aut ſiclus argenteus. Nam Moſis Nechmanni filii Gerundenſis in Catalonia commentaria in Exodum, quæ citat, de nummo tali viſo Accone apud ejus incolas, plane nihil probant hunc genuinum fuiſſe, quem vidit Gerundenſis, nec Gerundenſis hoc affirmat genuinum fuiſſe, & quamvis credidiſſet ille, haud tamen genuinum illud magis probat. Nam Gerundenſis ille ſe nunquam prius tales nummos obſervaſſe ſatis indicat, dum nec pondus ſicli ante noverat, & propterea a Salomone Jarrhæo, Judæo Francico, diſſentire cœperat, ut oſtendit Aria Montanus, quid igitur de nummo unico viſo judicare poterat, an genuinus eſſet vel ſecus? Sed quod pondus quatuor drachmarum in illo nummo reperiſſet, prout Salomon Jarrhæus ſcripſerat, jam credidit verum Siclum eſſe, & ſententiam priorem mutavit, conſentiendo Salomoni.

CAPUT XVIII.

De nummis Judæorum peregrinis.

GRæcis Aſia fere ſerviebat poſt Alexandrum M. Hinc in Antiochi Eupatoris exercitu hundert und zehentauſend Griechiſcher Fußknechte numerantur, 2. Maccab. 13. *verſ.* 2. quod jam omnia Aſiatica Græcorum moribus ſimilia forent; ita & nummi. Idem judicare debemus de loco 3. Maccab. 1. ubi Arſinoe cum fratre Ptolomæo Philopatore ad bella proficiſcens, militibus ſingulis bene rem gerentibus promittit ἑκάϛῳ δυό μνᾶς χρυσίυ, hoc eſt, tot nummos & drachmas argenti, quæ minas duas auri æquare poſſent, non ſolum nummis ſed & pondere Græcorum, ut lingua, utentibus, nec ulla amplius ſiclorum mentio aut Judaicorum ponderum. Aureorum millia triginta quinque, quibus Edomitæ Judæos obſidentes corruperunt, aureos cuſos fuiſſe, 2. Maccab. 10. *verſ.* 20. non inficias ibo. Sed a Judæis non cuſos affirmare licet, haud ſolum quod Judæi a peregrinis & exteris Idumæis illos reciperent, ſed etiam quod nullibi de Judaicis nummis cuſis memoriæ proditum ſit: quamvis hoc exemplum pariter doceat Judæos nummis peregrinis tam cuſis quam aliis uſum apud ſe conceſſiſſe. Nam & hinc Chriſti tempore non alios quam peregrinos nummos, Romanorum, Græcorum, Perſarum inter Judæos valuiſſe obſervamus; uſque ad ultimum κοδράντη, quam ex voce *quadrantis* Romanorum formarunt, quod Romani aſſes, trientes, quadrantes illic & denarii argentei expenderentur. Græci ſane aſſes Romanos melius ipſis Romanis diſtinxerunt; Aſſis enim vocabulum apud Romanos valde eſt ambiguum, totum primo ſignificans in quavis re, deinde nummum tam libralem æreum, quam nummi δωδεκατημόριον, hoc Græci ἀσσάριον quaſi parvum aſſem vocabant, Dani Penge, & Germani Pfenning, eadem ratione, qua Romani aſſem vel magnificant & augent, vel deprimunt & imminuunt. Ἀσσάριον autem duodecimam partem libræ æris ſignificat, aut minimum in ære nummum aſſi ſimilem, qua ratione ſingula ἀσσάρια unciam unam æris pendere debebant; At cum longe minoris ponderis ἀσσάρια cuſa ſint, quæ nec quadrantem unciæ æquant, κοδράντην & ἀσσάριον idem fuiſſe procul aberrat. Meminit ἀσσαρίυ. S. Scriptura Matth. 10. *verſ.* 29. Οὐχὶ δύο ϛρυθία ἀσσαρίυ πωλεῖται; Ultimum κοδράντην quoque adduxit, exigui utrumque nummulum pretii, quibus exiguam rem paſſerculos duos emere poterant, adeo ut in re nummaria vix dentur nomina viliora, quam ἀσσάριον & quadrans in ære. Lucas Evangeliſta *cap.* 12. *verſ.* 6. ſic effert, ὐχὶ πέντε ϛρυθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο; Eodem res recidit, ſive duos paſſerculos uno quadrante, ſive quinque emam duobus quadrantibus: quo enim plures merces emo, eo plures ſunt προσθῆμαι; ut mores ſunt vendentium, hinc zubzodt, & zugift: Germanis, & hinc in quatuor paſſerculos unus accedit. Quatuor igitur ἀσσάρια aſſem æreum faciebant unciæ pondere, decem ærei unciales denarium argenteum; denarius drachmæ pondere ſex aſſes Lubecenſes. Ἀσσάριον igitur vel aſſis quadrans, denariolum Lubecenſem cum $\frac{4}{5}$ conſtituit, ſicque uno aſſe Lubecenſi 14. fere paſſerculos emere tunc licuit, quæ magna vilitas illorum temporum fuit, & ſane vetuſtis temporibus valde convenit, crevit enim mercibus pretium hodie, poſtquam tot onera publico præſtanda fuerunt impoſita. Sic quoque de Græcis nummis ſtatuere licet, eos inter Judæos non minus quam Romanorum ambulaſſe; unde apud Arrianum in periplo Mari Erythræi leges, ἀφ' ὖ μήχει νῦν ἐν Βαρυγάζοις παλαιαὶ προχωρῦσι δραχμαὶ γραμ-

γράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι. Nam ſi ad maris rubri accolas pertingere potuerunt Græci nummi, nullus dubito quin quo lingua Græca pervenit, & familiaris fuit, etiam nummi eorum ſint introducti, in Judæam nempe.

Matthæi 17. *verſ.* 27. qui nummus vocatur ſtater eſt, quem quoque pro cenſu ſolvendo Chriſtus in Capernaum dari juſſit. Peregrinum & illud eſt nomen, & peregrina moneta, ut & δίδραχμα quæ *v.* 24. habes, οἱ τὰ δίδραγμα λαμβάνοντες, die den zinß Gzoſchen einnahmen: Nomina ſane Græca ſunt, adeo ut nummos quoque Græcos fuiſſe ſequatur non Judaicos. Erat vero δίδραχμον argenteus noſtræ monetæ 12. aſſium Lubecenſium ein Gzt Reichsthalers / unde infertur ſtaterem fuiſſe duplum, dum Chriſtus Petro injungit, ut pro duobus cenſum perſolvat ςατῆρα λαβὼν δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμȣ͂ καὶ σȣ͂. *cap.* 18. *verſ.* 24. Talenta occurrunt, & μύρια τάλαντα, rurſus Græco nomine nummos & opes exprimentia; an Syriacus textus iiſdem nominibus Græcis utatur vel ſuis me quidem latet. Chriſtum ſane vix Græce, vel Syriace locutum, ex non paucis locis N. T. manifeſtum eſt. Hebraica ſunt, *Eli*, *Eli lamma ſabachtani*, non Græca, vel Syriaca. Unde ergo Evangeliſtæ & Apoſtoli Græca ſcripſerunt, & alia quam locuti ſunt lingua invicem? nimirum, quod Græca lingua magis eſſet publica, & notior orbi, tunc temporis, quam Hebraica, quæ arctiſſime habitabat, & a veteri puritate dudum receſſerat, Spiritusque Sancti inſtinctu, ſacra hæc geſta, lingua, quę longe lateque patebat, divulgari debebant, quare etiam Syriacę verſio ex Gręca deſumta fuit, & Gręcę primę partes debentur in N. T. non Hebraicę & Syriacę. Δηνάρια, quod exſtat v. 28. Gręci jam a Romanis didicerant & Hebręi. Lutherus, quia Miſnicus erat natione Gzoſchen reddidit, qui loco denariorum in illis locis ſunt, & paſſim δηνάριον legitur in Gręco. Interim τάλαντον nunc Pfund / nunc Centner Lutherus reddidit, ut Matth. *c.* 25. *verſ.* 15. ex quibus ad pondus magis incertum quam ad nummos ullos certos reſpici conſtat.

Et jam facile loca Scripturę poſſunt intelligi, quę de argento & auro loquuntur, fuiſſe inter Judęos nummos quoſdam peregrinę monetę, quę tamen non niſi pondere valebant, puritate prius metalli examinata, ideoque cum Judęorum laminis non ſignatis pari paſſu ambulabant, ut denarii Romani, ſtateres & δίδραχμα Gręcorum, inter eos vigebant tanta copia, ut ſuis nummis & laminis vix opus haberent. Hinc eſt, quod in laminis iſtis Judaicis Cęſari tributum non ſolverint, ſiquidem illas Cęſar nequaquam approbaverat, nec publicę factę erant, ſed in denariis Romanis & tributa ſolvere cogebantur, & cum mercatoribus Romanis commercia inſtituere, niſi aliter placuiſſet.

Et mirari oportet nummos Romanorum ac Gręcorum aliarumque gentium inter Judęos valuiſſe ac recipi potuiſſe, cum imaginibus pleni eſſent iſti denarii, quas abhorrebant tractare Judęi, ita ut Herodes nec civitates nec templa more Gręcorum in ſolo Judaico erigere auſus fuerit, ut Joſephus indicavit *lib.* 15. Antiq. *cap.* 12. *p. m.* 538. πόλεις δὲ κτίζων ὑπὸ φιλοτιμίας, καὶ ναȣ̀ς ἐγείρων, ȣ̓κ ἐν τῇ τῶν Ἰȣδαίων ȣ̓δὲ γὰρ ἂν ἠνέσχοντο. τῶν τοιȣ́των ἀπηγορευμένων ἡμῖν, ὡς ἀγάλματα καὶ τύπȣς μεμορφωμένȣς τιμᾷν πρὸς τὸν ἑλληνικὸν τρόπον. Optime addidit τιμᾷν. Habere ſcilicet & videre licebat, non vero colere, nec ut colerent cogi volebant aut poterant. Nummos igitur iſtos cum imaginibus percuſſos in commerciis quotidianis manibus ſuis tractabant, ut res inſtabiles, cito migraturas ab uno ad alium, ita tamen, ut ad ſacras res adhiberi nequaquam poſſent, ideoque nec ſacrum theſaurum ingrediebantur, nec Deo offerri poterant aut Sacerdotibus. Imo cauſam hanc veram credo fuiſſe nummos, cur Judęi nunquam cudere ipſi voluerint, tum quod imaginibus more gentium cudi deberent, tum vero quod ea quæ gentium fuerunt, imitari nullo modo liceret. Nummos vero ſignare cudereque a gentibus fluxit primum, non a Judæis; haud igitur artem illam cudendi aut monetandi licitam ſibi crediderunt, licet nummos gentium cuſos habere non timerent; ſicut enim commercia cum gentilibus non fugiebant, ita nec eorum nummos, quæ enim in commerciis erant res, non erant proprie illorum, ſed adventitiæ, tranſeuntes, peregrinantes.

Τριακοσίων δηναρίων Marcus Evangeliſta meminit *cap.* 14. *verſ.* 5. quibus unguentum vendi potuiſſet. Ipſe Chriſtus reſpondendo, So gebet dem Keyſer / was des Keyſers iſt / und Gott / was Gottes iſt / videtur hos nummos Judaicos & Romanos diſtinguere voluiſſe; nummos nempe effigie Imperatorum ſignatos ad Imperatores ſpectare, qui vero inter Judæos in templo offerendi erant, proprios eſſe, ideoque ad Deum ſpectare, quod patrio ritu veteri darentur, non ſignati. At quando de trapezitis Chriſtus ſimilitudinem proponit, non niſi denarios memorat, quos mutuo acceperant duo debitores, Luc. 7. *verſ.* 41. Δύω χρεωφειλέται ἦσαν δανειςῇ τινι,

νὶ, ὁ εἷς ὤφειλε δηνάρια πεντακόσια, ὁ δέ ἕτερος πεντήκοντα: Græco more, δηνάριον, non δηνάριος, ut ἀσσάριον, ab asse Δραχμαὶ quoque dicuntur denarii a pondere, quod drachmæ pondere essent singuli Luc. 15. *vers.* 8. nihil enim nisi denarii Romani intelliguntur argentei, quando drachmas proponunt. Raro enim memini Græcorum nummos argenteos δραχμαίους me vidisse, sed δίδραχμοι plerumque sunt. Usi sunt autem Gręcis nummis Judęi ante Romanorum dominium, inter quos quin drachmales quoque fuerint, non pugnabo, quamvis hodie rarius occurrunt.

Samaritanis quoque tribuit denarios Lucas Evangelista, non solis Judęis *cap.*10. *vers.* 35. Samaritanus enim ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ. Pręter hos denarios in communi & quotidiano usu quin illis quoque fuerint nummi alii non cusi, ἀργύρια, nullus dubito, quos ad sacras res in templo suo obtulerint, nam & illic denarios & peregrinos nummos non valuisse, aut admissos esse, ut apud Judæos cæteros, dixi, vero per quam simile. Quamvis enim Judæi & Samaritani Vatiniano odio invicem dissiderent, in multis tamen conveniebant illorum sacra & ritus. Et hanc ob causam solam collybistæ ac trapezitæ locum in templo meruerunt, ut ad manum essent permutare volentibus denarios ac peregrinos nummos alios, quos afferre metuebant Sacerdotibus Judæi ac Samaritani; Et hoc prætextu intra ipsius templi mœnia recepti tolerabantur prostare, quod sacris studerent & operam impenderent. Johannes sane Evangelista vero nomine κερματιστὰς vocat hos collybistas *cap.* 2. *vers.* 14. εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα, καὶ περιστεράς, καὶ τοὺς κερματιστὰς καθημένους, & *vers.* 15. καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε. Sicut enim boves & oves & columbæ in templo vendebantur, quia sacrificare volentibus ad manum eas merces esse volebant cum lucro suo: sic quoque κέρματα & nummos non cusos, quos Sacerdotibus offerebant, denariis aliisque cusis nummis permutabant, ad mensas Collybistarum κερματιστὰς idcirco eos appellans, & mercem eorum κέρμα, non denarios, non stateres: iis enim in templo opus non erat, sed in foro: adscendentes autem & offerentes sumebant κέρμα, quod offerre poterant, a collybistis, & denarios ac alios peregrinos nummos reddebant. Erant autem κέρματα, ut aliquoties dixi, argenti frustula secta, & quæ sub forfice ceciderant, libra deinceps appensa, instar nummorum usum suum pręebebant per manus euntia, sine aliqua effigie alia. Dicuntur etiam, ἀργυραμοιβοί, quorum erat non solum nummos mutare, sed & accuratum examen eorum instituere, unde ἀργυραμοιβικῶς ἐξετάζειν, *accuratissime rem explorare*, ut solebant nummularii. Ad permutationem vero nummorum habebant sportulas suas & saccos & fiscos junco aut sparto texi solitos, in quibus separatim nummos servabant, & distinctos, ut ad manum & in promtu essent, quicunque petebantur. His enim fiscis & sportis nummi omnes quondam servabantur: unde Asconius: *Sportæ, sportulæ, sportellæ, nummum sunt receptacula & sacci, sacculi, sacelli, & crumenæ, & vellereæ, & scorteæ, & nauticæ, & marsupia; ita fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt utensilia, ad majoris summæ pecunias capiendas*, adeo ut locus ille publicus, totus, ubi majores hę summę in fiscinis repositę habebantur, Fiscus dici cęperit, & adhuc dicatur. Argentarios autem nummularios iisdem sportulis suos nummos inditos tenuisse, ex Archestrati poemate apud Athenæum *lib.* 7. *cap.* 15. *p. m.* 305. constat, qui aprum piscem non esse cuivis obvium, aut emi posse, sed ditibus solis memoravit:

—— ὅσοι πλεκτὸν ὕφασμα
Σχοίνου ἐλαιοτρόφου κοίλου χείρεσσιν ἔχοντες
Εἰώθασι δονεῖν ψήφους αἴθονι λογισμῷ.

quod faciebant argentarii & divites, quibus multæ sportulę nummis repletę.

CAPUT XIX.

De Numismate Census.

Romanis censuales fuisse Judęos tunc cum Christus viveret, constat ex Marci *cap.* 12. & Pilato Præside, & census nummis, qui non erant κέρματα Judaica, sed denarii Romani; Romanorum enim nummi valebant apud Judæos, ex quo eos Pompejus redegerat in provinciam, & Præsides ac Præfectos a Romanis acceperant. Debebant autem censum præstare nummis Romanis, qui ideo vocantur νομίσματα τοῦ κήνσου, ut Matth.22. *vers.*19. ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου. Οἱ δὲ προσήνεγκαν αὐτῷ δηνάριον. Apud Marcum vero *cap.* 12. *vers.* 15. Christus ipse poscit, ut denarium sibi afferant. Φέρετέ μοι δηνάριον, ἵνα ἴδω. Ita quoque Lucas *cap.* 20. *vers.* 24. ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον, τινός ἔχει εἰκόνα καὶ ἐπιγραφήν; Solus Matthæus denarium vocavit numisma census, quod non liceret censum in aliis nummis exhibere Romanis. Hoc jam ab Au-

Auguſti temporibus & anno primo, quo natus eſt Chriſtus, obtinere cœperat. Tunc enim ἀπογραφὴ πρώτη, ut eſt Luc. 2. *verſ.* 2. quando quiſque cujus cenſus eſſet, & quid conferre deberet Cæſari, deſcriptus eſt. Sed & alii nummi apud Judæos in uſu erant, tunc temporis, quamvis ſoli denarii Romani nominentur, aut propter cenſum, aut quod frequentius denariis Romanis uterentur, nec Romani alios valere ſinerent, in locis ubi imperabant ipſi. Statim autem εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν hujus denarii adducunt, quod quoque feciſſent, ſi in nummis Judaicis illa reperiſſent.

Nondum igitur video inter Judæos præter ἀργύρια non cuſa quæ etiam Judæi obtulerunt, non in denariis aut ſtateribus cuſis, ſed in argento non cuſo; Sic etiam loquitur Lucas *cap.* 22. *verſ.* 5. συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι, ut videamus quomodo in formulis loquendi accurate conſentiant Evangeliſtæ.

At quando de numiſmate cenſus quæritur; nummos tales haud penes ſe habebant Judæi Chriſtum tentantes, ſed aliunde quærere & afferre opus erat, προσήνεγκαν αὐτῷ δηνάριον dicit *Matthæus c.* 22. Sie reichten ihm dicit Lutherus, ſed rectius: Sie brachten ihm einen Groſchen dar/ Ita quoque *Marcus cap.* 12. *verſ.* 15. Jeſum dixiſſe ſcribit; φέρετέ μοι δηνάριον, ἵνα ἴδω. οἱ δ' ἤνεγκαν. Ubi Lutherus: Bringet mir einen Groſchen/ das ich Jhn ſehe/ und ſie brachten ihm/ quæ non conveniunt in promtu habentibus, ſed aliunde quærentibus. Facile autem fuit ex proximo denarium petere, cum collybiſtæ & trapezitæ haud procul exſtarent, ſiquidem in templo ipſo Chriſtus docens tunc ſedebat, cum ipſum accederent hi Phariſæorum diſcipuli & Herodiani. Nec eſt, quod objiciant, Chriſtum, cum hæc in templo fierent, jam ante menſas collybiſtarum evertiſſe, eoſque ejeciſſe. Redierant enim nihilominus ad ingenium, & ad priores mores ac ſedes. Et quamvis non adfuiſſent in templo, potuiſſent tamen ejuſmodi denarii facile ſumi e proximo, ab obviis, minime longe petentes. Lucas retinuit *c.* 20. *verſ.* 24. ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον. Nam & illud intelligi adhuc poteſt de denario ab aliis petendo. Johannes quoque Evangeliſta utitur voce denarii *cap.* 12. *verſ.* 5. ubi Judas proditor unguentum nardinum τριακοσίων δηναρίων æſtimat, qui faciunt noſtræ monetæ 28. thaleros unciales cum dimidio. Lutherus vertit 300. groſchen. Groſſi vero tempore Lutheri faciebant ſinguli duos aſſes Lubecenſes, ita ut trecenti groſſi non ſint trecenti denarii Romani, drachmam unam argenti pendentes ſinguli: hi enim indicantur, non groſſi Miſnici aut Saxonici, quorum 300. faciunt non niſi 12. unciales thaleros cum dimidio, qui longe abſunt a vero pretio indicando, quod Judas impoſuit. Romani enim ſic Judæos tunc ſubditos habebant, ut eorum potentiam valde ſuſpicerent, eorumque mores ac leges & ſcita ſua facerent. Ita enim *Johann.* 11. *verſ.* 48. in concilio Judæi ratiocinantur: ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, πάντες πιστεύσουσι εἰς αὐτόν, καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. Mens eſt Judæorum, ſi motus novos Romani videbunt in gente noſtra, quos neceſſe eſt evenire, populo Chriſto adhærente, libertas ea, qua nunc beneficio Romanorum fruimur, nobis eripietur a Romanis, noſque omnes & una cum gente provincias omnes ſibi ſubjicient, ac ſervitute prement. Hoc igitur agebant Judæi, ut Romanorum fœderibus ſe contra hoſtes tuerentur, iiſque placerent, moribus eorum aſſumtis, quæ cauſa fuit, cur etiam denariis Romanorum in ſua civitate locum darent. Pergit Johannes in Apocalypſi *cap.* 6. *verſ.* 6. τῶν δηναρίων mentionem facere, & Lutherus iterum Groſchen vertit, ein Maaß Weitzen umb einen Groſchen/ und ein Maaß Gerſten umb einen Groſchen/ adeo ut quamdiu Hieroſolymæ urbs ſtetit, nummorum nomina Romana Judæam occuparint & tenuerint. Denarii vero iſti qui cenſus loco pendebantur, Romanis pendebantur, & *cenſus* appellantur, ut Camdenus perſuadere vult, denarium cenſus in Britannia *Taſcia* dictum eſſe a taxa. Sic enim ſecundum Cunobilini nummum explicat in Britannia ſua *pag. m.* 70. edit. Londinenſis 1607. fol. *TASCIA, quod tributi denarium ſignificaret apud Britannos, autor mihi D. David Povvell Britannicæ linguæ callentiſſimus, forte a Latinorum taxatione, nam literam X. Britanni non agnoſcunt, ſimilique ratione MONETA in Romanorum nummis ſæpe inſcribitur*, quod ultimum verum quidem eſt, ſed DENARIUS nunquam legitur inſcriptus, multo minus, quod fuerit cenſus, hoc enim accidit ſolum denario, ut pro cenſu ſolvatur tanquam pro mercibus. Repetit tamen deinde *pag.* 72. *firmiuſque hoc credo*, dicit, *quod in nonnullis Monetarius pecuniam ſignans exprimitur cum TASCIA, quod apud Britannos denarium tributi ſignificat*. Sed, ut dixi, nullum exemplum in omni re nummaria antiqua proſtat, quo probari poſſit cenſui aut tributo dicatum eſſe nummum, unde nec TASCIA Britannorum hoc ſignificare perſuaderi poſſum, ſed cum ſæpius illa vox legatur in nummis Britanni-

nicis, & in octodecim illis, quorum figuras sculpi curavit Camdenus, sexies occurrat, TASCIO. TASCIA. TASCE. TASCIE. TASC. maxime in Cunobilini nummis, unde Monetarii potius nomen fuisse judicarem, quam denarii census.

CAPUT XX.

De nummis datis proditori Judæ.

CUM Matthæus Evangelista ex Zacharia Propheta de triginta argenteis, quibus venditus est Christus, hauserit, quæ scripsit *cap.* 27. *vers.* 9. Da ist erfüllet was gesaget ist durch den Propheten Jeremias da Er spricht: Sie haben genommen dreyssig Silberling / damit bezahlet ward der verkauffte / welchen sie kaufften von den Kinderen Israel. Und haben sie gegeben umb eines Töpffers Acker. Quę apud Zachariam Prophetam *cap.* XI. *vers.* 12. Sic tradita reperies. Gefällt es Euch / so bringet her / wie viel ich gelte. Wo nicht / so lasset es anstehen. Und sie wugen dar / wie viel ich galt / dreyssig Silberlinge. Und der Herr sprach zu mir / wirffs hin / das es dem Töpffer gegeben werde: Ey eine trefliche Summa / der ich werth geachtet bin. Und ich nahm die dreyssig Silberlinge / und warff sie in das Haus des Herrn / das dem Töpffer gegeben werde. Hęc igitur mens est Eliæ Levitæ, libras argenti triginta significari, quibus venditus est Christus, qui faciunt nostræ monetæ unciales thaleros 360. Sed hæc falsa sunt, nec ullo fundamento nituntur. Nunquam enim argenteus unus significat libram, multo minus talentum. Nec in Hebræo textu unquam argenteus, scilicet nummus, sed argentum כסף semper dicitur, & subintelligitur Siclus, argenti videlicet, non majori pondere, sed nonnunquam minori. Siclus autem in N. T. est δίδραχμος, & siclus Sanctuarii πετράδραχμος, quos ego a Judæis non fuisse cusos judico, sed a Græcis, ideoque sicli nomen non retinuerunt, sed Græcum, quod Græci primum διδράχμυς vel πετραδράχμυς nummos cusos in usum traduxerint.

Nummi argentei πετράδραχμοι & δίδαρχμοι, qui Græcæ monetæ fuerunt, & δραχμαὶ, quæ & Græcæ & Romanæ fuerunt, Latinis dicti denarii. Horum genere nummorum uno Christum venditum aut proditum a Juda dici poterit, aut 30. πετραδράχμοις, qui faciunt unciales thaleros XV. aut 30. διδράχμοις qui reddunt unciales thaleros septem cum dimidio: aut 30. δραχμαῖς, quæ denarii Romani sunt aut Græci, summam trium uncialium thalerorum cum quadrante continentes. Haud ulterius ratiocinari datur in nummis cusis, aut ultra XV. thaleros unciales summam extendere; cui Prophetæ ironia maxime convenit, Ey eine treffeliche Summa der ich werth geachtet bin. Ego vero nec πετραδράχμοις, ne edrachmis vel denariis Romanis Christum proditum sentio, sed ἀργυρείοις, qui sunt nummi non cusi Judæorum, & Sanctuarii, sicli pondere, a Sacerdotibus Judaicis Judæ dati, ex Sanctuario & communi thesauro, in quem non recipiebantur nummi peregrini cusi: nec unde Sanctuario aut Sacerdotibus hi thesauri reconditi provenirent, diu quærendum est, ex oblatis enim & Sacrificiis quotidianis illis colligebantur, ut est 2. *Regum* 12. *vers.* 16. Das Geld von Schuldopfferen und Sündopfferen ward nicht zum Hause des Herrn gebracht / scil. ad illam domum ædificandam, denn es war der Priester. His igitur nummis argenteis, in populo vix tunc visis, aut usitatis, ideoque sicli nomen non amplius gerentibus, nisi inter Sacerdotes forte, Christus a Juda proditus & venditus. Juvant me valde verba textus Hebræi ישקלו את - - שכרי שלישים כסף: Sie wugen dar meinen Lohn 30. Silberling. Cur pondus diserte S. Scriptura memorat? *quod olim moneta librabatur, & ex pondere habebatur summa pecuniæ, ut nunc ex numero nummorum*: sunt verba Ulpiani D. 23. *lib.* 3. Hoc ideo, quod nullis signis tunc nummi percussi darentur sed pondere solo censerentur quantum valere possent. Quod igitur Propheta prædixit hoc evenit, & evenire debuit, ne sacrum codicem falsi arguere sumamus. Nam si in omnibus Prophetæ verba sana reperiuntur, cur non ponderando nummos non cusos potius expensos quam cusos numeratos Judæ dicere licet? At si quis objiciat Christi temporibus eos cusos pariter ponderatos & numeratos esse, hoc quidem concedemus inter Græcos & Latinos in usum fuisse deductum, apud Judæos vero nullum exemplum exstat, eos unquam nummos suos ita numerato tradidisse, sed quam plurima de pondere solo nummorum loquuntur. Falsum est, quod Rabbi Joseph apud Aquinatem testatur, quod quoties כסף צורי כסף in lege legitur, intelligatur, vel *argentum signatum*, nam hoc somniavit iste Rabbi, non docuit ulla ratione.

At non verecundantur Christiani de his nummis proditionis quasi cusis asserere, non tamen Græcis aut Romanis literis ac moribus, sed Hebraicis, quasi tunc ea tempora fuissent, quibus aut Judæi nummos ullos cuderent, aut de proditione Christi tam soliciti forent, ut peculiari moneta rei memoriam publice testatam relinquere opus esse crederent. Et fe-

felices essemus, si fraudibus his inolitis nos deluderent solis, quod cusos fuisse eos nummos statuant, quibus Christus venditus & proditus est a Juda, nisi etiam illos exstare adhuc non mentirentur Judæi, sed Christiani. Villalpandus *lib.* 2. *de ponderib. Disp.* 4. *cap.* 30. memorat unum ex proditionis nummis veneratione coli & asservari Romæ in æde Divi Johannis Lateranensis; alterum Parisiis per vitrum ostendi, tantæ sanctitatis, ut spiritu nullius afflari debeat, ne profanetur. Possem gloriari, me tertium ostendere posse. Sed vellem scire, quomodo proditionis isti nummi distingui possint ab aliis Siclis, quos cusos fuisse tantisper demus? num peculiari charactere & imagine percussi sunt a Judæorum Pontificibus? Judam enim vero præscire potuerunt Dominum proditurum, eoque fine cuneum præparasse, & nummos istos Christi imagine cusos ipsi tradidisse. Quæ saltem cogitare ita in Christum affectos fuisse Judæos, ut ejus memoriam monumento nummi alicujus peculiaris vel venerari vel dehonestare voluerint, insani Orestis potius sit, quam sani hominis. At si vulgariter cusi fuerunt, ut cæteri Sicli, quomodo dignosci poterant proditionis esse nummi? num proditionem forte olent, ut adhibitos naribus sentire possis aliquando fuisse in manibus Judæorum? At Vespasianus jam olim docuit nummos non olere res ex quibus coacti sunt. Valeant igitur ista commenta, aut potius male pereant. Ager ille sane qui emtus fuit his nummis, etiam ostendit, non mansisse in sacrario illos, sed ad figulum venditorem transiisse ut cæteros nummos, illosque distractos iterum fuisse ad alios usus sine nota singulari proditionis istius. Nec obstat, quod ager alicujus spatii, quod requiritur ad peregrinorum sepulchretum, haud emi potuerit illa pecuniæ summa, neque enim hoc S. Scriptura diserte vult illis argenteis solis hunc agrum figuli emtum esse, sed alios præterea nummos iis junctos fuisse ad hunc agrum pro peregrinis sepeliendis a figulo comparandum, qui nummi fortasse non minus labe quadam adspersi, quam hi nummi sanguinis proditi, das Blutgeld / quales nummos ad sacros usus templi servare non poterant: licet Baronius statuat illis solis, non aliis additis, agrum istum emtum fuisse, & pro se locum adducit ex *Actor.* 1. *vers.* 18. Οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο χωρίον ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἀδικίας, cum seqq. at non ibi dicitur, illis solis triginta argenteis emtum esse hunc agrum, sed particula (ἐκ) desumta esse hos argenteos ex summa per iniquitatem seposita monet, adeoque nostram sententiam potius hæc verba confirmant. Judas enim istum agrum non possedit, sed adquirendi ejus occasionem præbuit hac mercede quam stipulatus erat. Unde recte Lutherus reddidit, modo addidisset, aus dem / aut von dem ungerechten Lohn / prout verba Græca sonant nam mit dem ungerechten Lohn aut umb den ungerechten Lohn / haud illud proprie dicunt quod aus / vel von / quamvis bene intellectæ istæ particulæ eodem recidant: ita ut nihil Baronius aut alii inde struere possint, quod solis illis 30. argenteis emtum agrum evincat. Judæorum autem nummi nunquam cusi exhibentur in S. Scriptura, nunquam: sed pondere semper argentum & aurum ipsis expendebatur, nulla moneta accedente. Unde Syracides *cap.* 28. *vers.* 29. eadem ratione loquitur: Du wegest dein Gold und Silber ein / warumb wegest du auch nicht deine Wort auff der Goldwage? Hæc ad pondera sola argenti & auri spectant, non ad monetas cusas, quas, prout hodie manifestum est, ad libram nemo revocat, nisi fraudis suspectos, sed valent autoritate publica, nulla libra accedente. Frustra enim libra adhibetur in nummis autoritate publica cusis, quibus licet pondus desit, accipiuntur tamen, ac si justi ponderis essent, & exactæ probitatis, utrumque siquidem publicis nummis deest, & pondus & probitas. In nummis non cusis quoniam ex privatorum censu exibant, cote probitatem, libra pondus examinabant; Hoc illud est quod dixit Syracides, neminem argentum vel aurum sine hoc examine recipere, vel factum vel infectum.

CAPUT XXI.

De nummis Græcorum non cusis & cusis.

De Carthaginensium spoliis, quæ Timeleon ejusque exercitus collegit *pag. m.* 250. Plutarchus ait: ἐλάχιστος γὰρ τῶν χαλκῶν καὶ σιδηρῶν τοῖς σκυλεύουσι λόγος, οὕτως ἄφθονος μὲν ἦν ἄργυρος, ἄφθονος δὲ χρυσός. At hoc argentum & aurum si quis nummos cusos fuisse putat, næ ille fallitur, nec ego subintelligi concedam, cum non constet Carthaginenses illo tempore nummis cudendis aureis aut argenteis operam navasse, ita ut si nummis cusi sunt, non signati potius ad hoc aurum & argentum referendi veniant. Quin & in sepultura ipsius Timoleontis in Sicilia celebrata non nisi ponderis nomen adhibuerunt Scriptores, nullum nummorum; pergit enim ex decreto Syracusano-

norum afferre, τὸν δὲ θάπτειν μὲν διακοσίων μνῶν, *ducentis minis ipsum sepeliendum curat*. Sunt vero ducentæ minæ argenti, vel ducentæ libræ, quæ faciunt nostræ monetæ thaleros unciales 2400. summam tunc temporis in funere tanti Ducis, tam desiderati, magnam omnino & splendidam, sed in nummis cusis, ut hodie, non expensam verum in aliis massis argenti non signatis, nam si nummi cusi fuissent, illud ἀνάλωμα, aliis profecto verbis illos expressissent. Et cur tum Plutarchus, tum alii Scriptores tam elliptice de nummis locuti fuissent antiquis, ut loquuntur, nisi aliquid subfuisse vidissent, cur nummos cusos haud solos ad classem nummorum solam trahere potuerint? Patet hoc, quando de Perseo Rege Macedoniæ ejusque avaritia in Paulo Æmilio memorat, αἰτούμενος κατ' ἕκαστον ἡγεμόνα χιλίους, πρὸς τὸ γινόμενον τοῦ χρυσίου πλῆθος ἰλιγγιάσας καὶ παραφρονήσας, deinde: διεμέτρει καὶ παρεσημαίνετο τὸ χρυσίον, ἀψασθαι δεδιὼς &c. deinde τὸν Περσικὸν πλοῦτον vocat, non in nummis sed in ἁμάξαις, quas concremavit Alexander M. ut expeditiores ad bellum Indicum pergerent. Erant omnino Græcis tunc nummi cusi, sed non omnis ὄγκος in illis situs erat, erant etiam alii nummi, χρυσοῦ πλίνθοι καὶ ἁμάξαι ab antiquo, & κόμματα & κέρματα, quæ cum nummis cusis pari passu ambulabant, hinc illæ ellipticæ locutiones toties occurrunt, & sub auro & argento latentes illi veterum nummorum non signatorum thesauri, qui cum nummis cusis conjungi debebant, maximamque nummorum partem faciebant, inter quæ nummi cusi minimam sortiebantur, si recte calculum ponere volumus, nec aliter quam auri & argenti nomine conjunctim explicari poterant, quod tam ἀσήμοις quam ἐπισήμοις pariter uterentur eadem probitate, eodem pondere, nisi quod non signata numismata in majoribus ponderibus sola spectarentur, ut talenta, minæ, libræ argenti, quæ cuneum publicum non admittebant. Quod Plutarchus in nummis etiam observavit in vita Phocionis, *p. m.* 743. ἡ τοῦ νομίσματος ἀξία πλείστην ἐν ὄγκῳ βραχυτάτῳ δύναμιν ἔχει, respiciens sane ad nummos aureos & argenteos cusos, quorum moles exigua, & pondus minimum, cœteris enim nummis non cusis ut major moles, ita quoque pondus non leve. Hinc est omnino quod antiquis temporibus nemo nummorum causa dives laudetur, scilicet, quod nummi πάρεργον adhuc essent divitiarum: Nabal dives vocatur 1. *Samuel.* 25. *vers.* 2. Der Mann war fast grossen Vermögens/ und hatte dreytausend Schaffe/ und tausend Ziegen/ & apud Josephum *lib.* 6. *cap.* 14. *pag. m.* 200. πλούσιος καὶ πολυθρέμματος audit, quod divitiarum summa in pecoris numero consisteret, quamvis & nummos non defuisse, & aurum & argentum facile perspiciamus: haud tamen in his, prout hodie, vis divitiarum ulla sita erat, sed in pecoribus, quibus nummi serviebant, & accedebant, ut famuli aliarum divitiarum, quod in pretio non essent hæ προσθῆκαι λαχάνων, nec componi possent aliis rebus, divitias veras tunc temporis facientibus, sine cura, curia, & tribu, ut ita loquar, inter merces, & inter permutationes ultima ac neglectissima; quæ satis indicant, nummos nondum ad eum splendorem evectos fuisse, ut produci possent in publicum, aut mererentur summo loco haberi, quem nunc multi populi iis tribuunt, multi quoque more veteri contemnunt, & alia quævis præferunt, θησαυρίζοντες in mercibus, non in nummis, sive cusis, sive secus. Persei quidem Regis thesauris Præfectos τοὺς ἐπὶ τοῦ νομίσματος vocat Plutarchus *pag. m.* 267. at solis nummis sive cusis sive non cusis eos præfuisse non mihi videntur: omnis generis opibus custodes & Curatores eos positos fuisse, quæ tunc opum aut gazæ Regiæ numero veniebant, mihi persuadeo, sed a potiori, ut νομίσματι, eos denominationem nactos esse quid vetat? siquidem νόμισματα tunc veterem contemtum deterserant, & soli fere regnabant, Regina pecunia, prout olim serva & famula. In tantum nummorum tempora sunt mutata, ne semper, quod nunc sunt, fuisse eos quis existimet. Aut num quis trecenta talenta auri, quæ Rex idem Gentio Illyriorum Regi numeravit, aut προὔθηκεν ἠριθμημένα καὶ κατασημήνασθαι παρέσχεν *pag. m.* 261. meros nummos cusos fuisse credere potest? ego sane maximam partem in talentorum, minarum & πλίνθων pondere oblatos esse non signatos potius jurarem, quod illa tantæ summæ magis conveniant, quam soli nummi cusi. Ut etiam legitur de Cretensibus *pag. m.* 167. qui Persei χρήμασιν ὥσπερ κηρίοις μέλιττα προσλιπαροῦντες vocantur, quibus etiam προὔθηκεν ἐξ αὐτῶν διαρπάσαι τοῖς Κρησὶν ἐκπώματα καὶ κρατῆρας καὶ τὴν ἄλλην ἐν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ κατασκευὴν εἰς πεντήκοντα ταλάντων λόγον. Non hic audimus nummos cusos, sed talenta auri & argenti, inter quæ non solum cratera & pocula, sed omnem alium apparatum & thesaurum producit, quem talentis, minis, & πλίνθοις non signatis in auro & argento oblatum facile judicamus; cujus rei post ipsum pœnituit, ita ut χρυσώματα ista, quasi Alexandri M. fuis-

fuissent, ἀμείψασθαι πρὸς νόμισμα offerret: sed loquitur de illis χρυσώμασι quæ Alexandri M. fuerant, pecunia redimere pœnitens desiderabat, non de omnibus quæ expenderat; nam eorum multa pecuniam fuisse non signatam talentorum, minarum & massarum pondere procul dubio mihi videtur, ut ante significavi, quæ non repetiit, sed illa solum, quibus Alexandri nomen prætexuit, quæ ad triginta talenta sunt ipsi reddita, nec ille tamen nummis compensavit, prout promiserat.

Considero enim in vocibus cuique suam originem peculiarem deberi, & consensum istius populi, in quo primum nasci contigit, qui consensus seu tacitus, seu publicus, usum voci conciliavit, & disseminavit longius, adeo ut non dici possit de omnibus, eas ex Hebræa, matre linguarum, manasse, & in Græcam transiisse; sed quamplurimæ voces in ipsa gente exoriuntur, usumque & consuetudinem induunt, absque aliarum linguarum adminiculo, quibus omnibus eandem originem tribuere velle stultum sit, cum cuique voci sua origo conveniat, vel in ipsa eorum lingua ubi nata est, vel ex alia adoptata, vel occasione singulari & causa intervenientibus, quas memoria rerum delevit, nec ad nos pervenit, ut singularum vocum & originum rationem reddere possimus. Hac autem ratione omnes linguæ, quæ diversæ sunt, coaluerunt, ut multum aliis, sed plura sibi debeant, propter quæ se lingua distinguunt. Μνᾶν igitur agnoscant Græci ex Hebræa, num propterea δραχμὴν quoque & ὀβολὸν? Grammaticis antiquis hac in re magis credi oportet, quam Salmasio, qui nullas pro sua sententia rationes adtulit, ne dicam, quæ meliores videri queant, quam doctissimorum istorum Grammaticorum, quos nugatores, & eorum originationes nugas existimat, quæ tamen quæ Salmasius cupit, non probant. A Solone igitur nummi primi Atheniensium cusi drachmæ nomine repeti possunt, & quod non signatis sub βοῦς nomine in id tempus usi sint, mihi quidem videtur recte judicari. Haud enim omnes post Phidonem ad nummos cudendos dilapsi sunt protinus, sed aliquandiu veterem nummorum morem servaverunt κόπτοντες καὶ κερματίζοντες: sic quoque ad cudendos nummos & drachmas vix accesserunt Athenienses ante Solonem, qui novum drachmæ modum & pondus dedit, ut debita civium facilius expungerentur. Nam & eam ob causam drachma Atheniensium minoris ponderis facta videtur, & ab Æginea discrepasse, quantum sex oboli discrepant a decem. Æginea enim drachma, ut antiquior, decem obolos valebat, Atheniensium tantum sex, ut eo melius debitoribus prodesse possent. Athenienses ex laurioticis metallis, quæ fodiebant, argenti magnam vim colligebant, & ex solis vectigalibus centum triremes exstrui poterant, ἑκατὸν ἀπὸ τῶν χρημάτων ἐκείνων ἐποιήθησαν τριήρεις, ait Plutarchus in Themistocle *pag. m.* 113. An vero statim Athenienses drachmas suas noctua signarint, haud quidem affirmare possum vel negare. Lysandri Ducis Spartanorum ætate, qui ducentis fere post Solonem annis Athenas subjugavit, nummos cum noctuis frequentes fuisse, indicat Plutarchi locus in Lysandro *pag. m.* 442. ubi servum Gylippi Ducis Dominum prodentem, quod sacculos argenti a Lysandro missos subtus aperuerit, & demto quantum placuit rursus clauserit, & sarcinaverit, introduxit. Φράζει θεράπων τοῦ Γυλίππου πρὸς αὐτοὺς αἰνιξάμενος, ὑπὸ τῷ κεραμικῷ κοιτάζεσθαι πολλὰς γλαῦκας. ἦν γάρ, ὡς ἔοικε, τὸ χάραγμα τοῦ πλείστου τότε νομίσματος διὰ τοὺς Ἀθηναίους γλαῦκες. Temistoclis ævo, centum annis post Solonem, noctuam Atheniensibus inter felicia illorum auguria fuisse legimus: Themistocle enim concionante γλαῦκα μὲν ὀφθῆναι διαπετομένην ἐπὶ τὰ δεξιὰ τῶν νεῶν, καὶ τοῖς καρχησίοις ἐπικαθίζουσαν. διὸ δὴ καὶ μάλιστα προσέθεντο τῇ γνώμῃ, καὶ παρεσκευάζοντο ναυμαχήσοντες, apud Plutarchum in vita Themistoclis *pag. m.* 118. In Pericle, qui paulo post Themistoclem Athenas rexit, propriam Atheniensibus avem noctuam fuisse docet *pag. m.* 166. dum narrat, quod οἱ Σάμιοι τοὺς αἰχμαλώτους τῶν Ἀθηναίων ἀνθυβρίζοντες ἔστιζον εἰς τὸ μέτωπον γλαῦκας, nam Athenienses prius Samiorum frontem Samæna navi signaverant. Hæc quidem satis ostendunt noctuas Atheniensibus non ignotas, sed ut proprias aves electas, ac Palladi sacras redditas, ita ut nummos suos sub Themistocle primum noctua signasse judicem post victoriam ad Salaminam, cui noctua navibus insidens tam felicia portendit, neque enim prius quidquam de noctua apud Athenienses adscita legitur. Omnium antiquissimum signum fuisse noctuam indicat etiam Demosthenes Palladem alloquens, cum fugeret ex urbe, apud Plutarchum *pag. m.* 858. Ὦ Δέσποινα πολιάς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις; γλαυκὶ καὶ δράκοντι, καὶ δήμῳ; Noctuam præponit ut antiquissimam, sed quando nummos noctui signare cœperint, non ex illis intelligitur.

Τετραδράχμων sane prius quam sub Sylla non meminit Plutarchus in vita ejus

pag.

pag. m. 468. quando Sylla cum Mithridate de pace transigens in Asia versatus est, ἐπέτακτο γὰρ ἑκάστης ἡμέρας τῷ καταλύτῃ τὸν ξένον διδόναι τέσσαρα τετράδραχμα, qui sunt nostræ monetæ unciales thaleri bini, ex quibus liquet τετράδραχμα non solum in Græcia sed etiam in Asia recepta fuisse, eoque pondere passim viguisse, & non nuper tales nummos a Græcis jam cusos exstitisse. Habemus τετραδράχμους illos nummos jam ab Alexandri M. ætate ex scriniis Antiquariorum productos, cujus etiam τετράδραχμον elegans apud me conspici potest in argento purissimo, nec desunt in sequentibus Regibus Macedonicis, Persei, aliorumque ostendere, quæ fidem faciunt τετράδραχμα in Asiam quoque concessisse, & vulgata fuisse, at ante Alexandrum M. raro reperiuntur, ut cui ætati τετράδραχμα conveniant aliquo modo judicare liceat.

Neque merces aut res ἐξαργυροῦν est statim ad nummos cusos argenteos omnia redigere, quovis enim argento etiam non signato hoc fieri poterat, & ἐξαργυρισθέντα dici, quoties argentum pro mercibus solvebatur, ut cum Nabis Lacedæmonii tyranni οἰκίαν καὶ οὐσίαν ἐξαργυρισθεῖσαν, καὶ γενομένην εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ταλάντων scribit Plutarchus *pag. m.* 364. Tot talenta solis nummis cusis argenteis compensata fuisse temporibus illis, non ego quidem credam, sed in ταλαντιαίους nummos & massas, aut πλίνθους non signatos argentum conflatum fuisse quod redegerant, mihi sane persuadeo, & una cum nummis Philopœmoni donari debuisse. Haud enim nummos cusos plane excludo, cum ea ætas esset Philopoemenis & Philippi Regis Macedoniæ, ut aureis & argenteis nummis Græcia abundare posset ex officinis publicis procusis, sed quod veterem nummorum conditionem a pondere solo dependentem hactenus exclusam apud veteres non repererim, sed una cum cusis veluti prævalentem. Hæc causa est, quod toties, & sine fine millies milliesque non cusa potius occurrant, & legantur quam cusa, ut talenta, minæ, libræ, quod talibus massis potius uterentur quam drachmis aut obolis cusis. Quamvis valde Plutarchus distincte semet explicet in Mario *pag. m.* 412. ubi quæ in massis auri & argenti non cusis ex Libyco bello cum Jugurtha Romam sunt adsportata, per libras numerat, cusos vero nummos per drachmas argenti. Ἐν δὲ τῷ θριάμβῳ κομισθῆναι λέγουσι χρυσοῦ μὲν ἑπτὰ καὶ τρισχιλίας λίτρας, ἀργύρου δὲ ἀσήμου πεντακισχιλίας ἑπτακοσίας ἑβδομήκοντα πέντε. νομίσματος δὲ δραχμὰς ἑπτακισχιλίας ἐπὶ μυριάσιν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι. Ubi rursus observare licet, numismatis cusi minimam partem adfuisse, non enim præter $2989\frac{7}{12}$ libras illatas dicit, cum & in auro & in argento multo plures libræ thesauros & ærarium ditarint: quin & nulli nummi aurei cusi afferuntur, quos non neglexisset, si tunc Libya vel Numidia nummos aureos cusos suæ monetæ tractasset. Sed & longe abest hæc summa a divitiis in Græcia & Macedonia a Philippo Rege T. Flaminio coactis; non enim excedit omne hoc aurum & argentum 466008. thaleros unciales, vix quartam partem ejus quod Macedonia contulit. Jam vero in hoc genere nummorum non cusorum multum haud refert, an orbiculares & rotundi sint, an vero quadrati, oblongi, curvi, spissi, tenues, omnis figura nummos tunc fecit, nihilque nisi pondus attendebatur, quod cum coram libripende examinatum, aut sine libra publica accipiebatur, sicli, Gerah, drachmæ, aut alio pondere majore vel minore, nummorum loco hoc pondus auri, argenti, vel æris fuit, minime figura aliqua cusum, aut in certam formam redactum, sed qui siclo opus habebat, tantum argenti ex lamina majores defalcatum appendebat alteri; qui dimidio siclo indigebat, idem faciebat; qui quarta parte sicli eadem ratione.

Plutarchus in libro de *oraculor. defect.* *pag. m.* 410. ridet eos, qui ex Homero probare conantur, illis temporibus δανείζειν ἐπὶ τόκοις usitatum fuisse, ὅπου χρέος συμβάλλεσθαι φησὶν οὔτι νέον, οὐδὲ ὀλίγον, ὡς τὸ ὠφελεῖσθαι τὸ αὔξεσθαι δηλοῦντος. Sed ex his verbis nullum fœnus, nulla usura exprimi potest, aliis enim modis multis præterquam usuris augetur pecunia, cum nec nummos cusos ullos in Græcia fuisse Homeri ætate ex eo satis probari possit, quanto minus usuras, quas nummi cusi pariunt.

Quamvis autem Tacitus recte satis scripserit, interioribus Germanis nummos nullos fuisse, qui proximi fuerunt Rheno Serratos Bigatosque probasse & elegisse, haud tamen negandum est, eos piratica quoque magnos pecuniæ thesauros congestos tenuisse in auro & argento, haud eodem usu quo apud Græcos & Romanos, nec eodem pretio principio, nam nec opes iis struebant, sed sæpe donationibus, congiariis & alia munificentia ac liberalitate profundebant, ut ait cap. 14. *Materia munificentiæ per bella & raptus.* Aut ut Virgilius *lib.* 8. *Æneid. vers.* 317. simplicitatem priorum hominum describit:

Non

Non componere opes norunt non parcere partis.

Primi igitur Romani ad nummos æstimandos gentes has adduxerunt, nam φιλάργυροι semper fuerunt, ut Herodianus testatur *lib. 6.* Alexander Imp. ὑπισχνεῖτο παρέξειν ὅσων ἂν δέονται, καὶ χρημάτων ἀφειδῶς ἔχειν, τούτῳ γὰρ μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροί τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην ἀεὶ πρὸς Ῥωμαίους χρυσίου καπηλεύοντες. De nummis aureis jam loquitur, quod illos maluerint, non amplius in serratis ac bigatis occupati, ut quondam. Neque tamen nummis cudendis operam ipsi dabant, licet auro & argento, aureis & argenteis nummis undique conquirendis inhiarent. Veterem illam simplicitatem Germani dedidicerant, qua aurum & argentum contemtui erat, nulla pecuniæ cupiditas, suis rebus maxime αὐταρχεῖς, at aurum ipsi aut argentum elaborare, in vasa aut nummos procudere, otio sane suo indignum judicabant; illoque abuti nimis se credebant, si quæ tellus omnis suppeditare posset liberaliter, iis tempus tererent. Hæc vera ipsis causa cur aliorum divitiis diu frui mallent, quam suas quærere, ab aliis opes comportando, quas nemo ipsis ut suas eripere posset, quod ab aliis eas semper tenerent. Consentit adhuc Eusebius sua ætate dum trapezitam nullum reperiri in Septentrione scripsit *lib. 6.* Præp. Evang. *pag.m.* 277. καὶ ἐν τῇ ἐξωτέρῃ Γερμανίᾳ, καὶ ἐν τῇ ἀνωτέρῃ Σαρματίᾳ καὶ ἐν τῇ Σκυθίᾳ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐξ Ἀρκτικῶν μερῶν τοῦ Πόντου ἔθνεσι &c. οὐκ ἐστὶν ἰδεῖν, οὐ τραπεζίτην, οὐ πλάστην, οὐ ζωγράφον, οὐκ Ἀρχιτέκτονα, οὐ Γεωμέτρην, οὐ φωνάσκον, οὐχ' ὑποκριτὴν ποιημάτων. Quam Tacitus interiorem Germaniam vocavit versus Septentrionem; illam exteriorem hic vocat Eusebius, nam & interior & exterior illa Germania dici potest, quando diversa ratione intelligitur. Et hæc omnia quæ abesse scribit Septentrionalibus præter fœneratores & trapezitas, ita vera sunt, ut de Romanorum & Græcorum moribus intelligi debeant; Pingebant enim Septentrionales & sculpebant, & architectabantur suo more, non Græcorum aut Romanorum: quod Tacitus jam docuit, sed pro picturis aut sculpturis non habebantur a Romanis. Cantu etiam Romanos superabant, sine phonasco; & carminibus; sine hypocrita, histrione aut mimo. Nihil his opus habebant Septentrionales, in se & in suo ingenio & exercitatione omnia studia posita habentes, minus necessariis facile carentes: gladios, equos, arma magna, phaleras & alia hujusmodi majoris æstimantes quam nummos. Recte igitur de Suionibus idem Tacitus *cap.* 44. *Est apud illos & opibus honos.* Per opes enim hic Romanis moribus opes intelligit, censum & pecunias, quas Suiones maxime corradebant piratica: quod & de illis populis Germaniæ dicendum, qui littora colebant Oceani, & maris Balthici; apud illos enim major honos pecuniæ, quam apud interiores. Nec aliquid est, quod Romanis hoc transcribat *cap.* 15. quasi docuerint Germanos inter dona pecuniam accipere. Noverant jam dudum Romanis & aliarum gentium pecuniis usum tribuere, licet opibus struendis non servirent admodum. Julius Cæsar *lib.* 5. B. G. *cap.* 55. & *lib.* 6. *cap.* 2. Treviros tunc Gallis accensitos Germanis ultra Rhenum pecunias promisisse repetit, ut Rhenum transirent, & una secum Romanos invaderent. Noverant igitur & Treviri & Suevi aliique Germani pecunias accipere, sed Romanas. Neque enim Treviri tunc ita a Romanis subacti, ut monetam ibi constitutam Romani haberent, sed per commercia nummis illis abundabant, quos donare Germanis poterant, Germani accipere, qui etiam ut sibi obsidibus de pecunia caveretur effecerunt. Alii igitur Germani aliis pecuniæ cupidiores.

Taciti tempore Germani non ita rigidi, propensiores cœperant esse, non quidem in luxum, ad egestatem tamen expellendam, quam majores ipsorum amaverant, & majore studio paucis contenti sectati fuerant. In Gallia tunc vis auri, argenti nummorumque passim habebatur, nam cum Treviri ultimi sint Gallorum ad Rhenum, illique pecuniis jam abundarent, quibus finitimos corrumpere poterant, totam Galliam nummis refertam fuisse, etiam ante Julii Cæsaris cum ipsis bella, manifestum fit, eaque causa Arverni & Ædui Allobroges pecunia pertrahere quærebant, ut a Romanis desciscerent, sicut Cæsar *lib.* 7. B.G. prodidit *cap.* 64. *horum Principibus pecunias, civitati autem imperium totius provinciæ pollicetur.* Hac igitur re Galli jam dudum victi a moribus patriis in Romanorum mores plane transierant, nummorum commercia æque exercentes ac Romani. Aventinus de Bojis suis *lib.* 4. *pag.m.*182. non dubitat dicere, pecuniæ nullum usum nullum decus fuisse apud majores nostros, sed ut perniciosissimam inter mortales creditum esse. Optime igitur ratiocinatur Mulenius noster in præfatione sua de nummis Danicis, hos nummos æreos, qui tanta copia suffossi reperiuntur, usuales

les fuisse aliquando in Dania, & nullum Euclionem tales pro thesauro acervare vel servare voluisse, si alii aut meliores extitissent. Produxit aliquos eorum Bartholinus junior in antiquit. Danicis *pag. m.* 486. inter quos unus cum insigni Stralesundæ urbis, ne omnes Danicos fuisse credamus, & ut de ætate eorum judicare possimus. Nam Stralesundam ante 1230. vix in civitatem coiisse Danis maxime promoventibus, plerique consentiunt annales; ergo nec jus cudendæ monetæ talis nisi a Danis potuerunt impetrare, sub quorum nutu & imperio tunc omnis ille tractus Slavorum ad mare Balthicum serviit. Videmus hæc incidere in tempora Valdemari secundi, potentissimi Danorum Regis, qui civitatibus æreos nummos cudendi potestatem si primo faceret, hoc sufficere putabat, argenteis Regiæ Majestati servatis. Plane prout Paulus Dux & Senatus Romanus victis Macedonibus interdixerunt, ne metalla auri atque argenti exercerent, sed ferri & æris permitti, teste Livio *lib.*45. *cap.* 29. quod sane ex Græcis & Romanis Civitatibus tot æreos nummos nobis servavit, paucissimis relictis argenteis & aureis, quia Civitates Imperio Romano subditæ illo jure plerumque non gauderent, nisi in æreis nummis percutiendis, quod quoque in Dania Civitatibus concessum vix negari poterit. Sed & ante Valdemarum II. apud Danos Civitatibus jus monetæ cudendæ deprehendo fuisse, & quidem argenteæ, exstant enim varii nummi cavi, argenti purissimi, qui illam ætatem Valdemari præcessisse videntur. Dn. Johannes Laurentii, indefessus antiquitatum nostrarum scrutator, communicavit mecum aliquos, qui nihil nisi nomen Civitatis alicujus inscriptum habent, circa tamen imaginem Regiam mitratam vel coronatam. Sic AR-VSIA in uno legitur HORS. in altero, & Horsens oppidum significatur. ALA-BVRGA in tertio, ubi Regis mitrati effigies, mystacen barbæ egregium præferens. RANROSIA in quarto, circa caput simile priori, quod oppidum non est nisi hodiernum RANDERS in Jutia. Nam & in alio simili legitur RADRVSIA pro RANDRVSIA, quæ nomina satis ostendunt illos nummos spectare Civitates Juticas etiam ante Valdemarum II. ædificatas, & argentum illud purum, cavitasque nummorum etiam ante Valdemarum II. illos percussos esse arguit, nam post Valdemarum II. pauci comparent nummi cavi, & qui comparent jam impurioris argenti cœperunt prodire. Ostensus mihi quoque fuit ejusdem generis cavus cum inscriptione HERINGA vel HERVINGA, sed mihi non liquet, quo referre debeam, cum civitatis nomine nullus amplius exstet locus sic appellatus: nisi *Hioringen* in Jutia velis intelligere, quæ *Heringa* in vetustis manuscriptis, & *Hefringa* audit, ut me docuit summe Reverendus Episcopus Aalburgensis Birckerodius, qui etiam mihi narravit anno elapso 1696. in agro quodam fodienti mulieri sub ligone se obtulisse urnam vulgarem nummis his cavis plenam, affuisse quoque, in quibus HARALD expressum, quem mihi videre contigit. Reperiuntur quoque cruce signati cavi, in quorum angulis literæ S. Æ. N. O. in alio R. A. N. D. quod est *Randrusia*, in alio A. R. V. S. quod est *Arhusia*, in alio A. L. A. Ꝝ. & credo esse *Alaburgum*. In alio S. V. M. ʘ, & nomen esse Episcopi; Non sunt autem isti tam puri argenti quam priores, quos adduximus, & propter crucem ab Episcopis eos cusos putamus, quorum avaritia fraudibus inquinata tales nummos peperit, nam & minores sunt quam reliqui. Hi tam leves sunt, ut effossi plurimi vento ludibrium debuerint, plus quam bracteati. Nam Saxonum nummi utrimque percussi etiam Johanni Spelmanno tenues & bracteales appellantur, & studio tunc illam tenuitatem dicit observatam, ut fraudibus minus locus esset. Sed etiam bracteæ, licet tenues omnes, distinguuntur, quod aliæ sint robustiores, aliæ tenuiores, instar folii, prout sunt hi nominati, & si quid illis tenuius reperiri potest. Sciendum est autem hanc nummorum differentiam cum crucibus & imaginibus Regum ex eo provenisse, quod plerumque Episcopi cum Regibus in partes monetæ venerint ubique, & Civitates elegantioribus nummis studuisse quam Episcopos. HARALDUS autem ille, si recte lectus fuit, in istis nummis valde me torquet, nec quo referre possit video. Ultimus enim Haraldus inter Danos fuit Haraldus Prorex filius Erici Boni, qui tamen inter Reges vix numerari potest, quod Nicolaus ipsum extruserit Anno 1107. quæ tamen ætas etiam non est nummorum cavorum, secundum meam sententiam, qui in Anglia primum illos ortos existimo, circa Annum 1108. cum Henrico tertio, ideoque non statim in Daniam penetrare potuerunt. In Norvegia occurrit Heraldus Gille circa Ann. 1135. Hunc potuisse nummos tales introducere in Norvegiam statui poterit, ex qua cum Danis quoque communicati sint, ut si quis Haraldus in nummis cavis recipi debet, hic esse debat, quoniam

post

poſt eum Haraldi nulli Reges occurrunt. Aſſis Lubecenſis magnitudine hi nummi ſunt, neque enim majores Civitatibus permiſſos animadverto, cum Epiſcopis & Archiepiſcopis duplo triploque majores cavos videamus conceſſos magnoque numero ſupereſſe adhuc reperiantur. Sed de Danicis nummis hic amplius diſquirere huic diſſertationi non convenit, ſed peculiari, quam cum bono Deo aliquando edere licebit.

Tunc quoque Κροίσειοι στατῆρες, quos Græci vocarunt, initium habuerunt, Crœſo potentiſſimo & ditiſſimo Rege Lydorum Græcos imitante, in nummis cuſis, ſed in auro, quod illud magis regium eſſet, quam in argento. Erat enim Crœſus magnarum & inauditarum rerum ſtudioſiſſimus, pro gloria ſua augenda, & nomine immortali adquirendo, quam ob cauſam ſapientiſſimos quoſque Græcos ad ſe viſendum invitavit, Æſopum, Solonem, alios, non ut ſapientiam diſceret, ſed ut gloriam & magnificentiam Regiam artibus curioſis & novis undique adquiſitis amplificaret. Hæc Crœſum moverunt etiam nummos ſignatos in regno ſuo habere, & quidem aureos, ne ſolis Græcis eam gloriam relinqueret, ſed & eos ſuperaret, ſicque Κροίσειοι στατῆρες exſtiterunt, & Delphos miſſi ſunt, & Græcis oſtenſi, ac ubique nomen celebre fuerunt, eo uſque, ut Lydos plurimi primos monetæ artifices exiſtimaverint antiquorum, & ſcripſerint. Crœſeos ſecuti ſunt Darici. Sed a quo Dario Daricorum nomen cœperit in nummis cuſis, ſi quærimus, non potuiſſe niſi a Dario Hiſtaſpis certum eſt, 518. annis ante Chriſtum.

Suidas de Daricis hæc habet: Εἰσὶ μὲν χρυσοὶ στατῆρες οἱ Δαρεικοὶ, ἠδύνατο δέ ἕκαστος αὐτῶν, ὅπερ καὶ ὁ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενος χρυσοῦς, οὐκ ἀπὸ Δαρείου Ξέρξου πατρὸς ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέως ὠνομάσθησαν. Et Morinus de lingua primæva *p.m.* 299. eos refert ad Darium Medum, non ad Darium Hyſtaſpis Xerxis Patrem. Sed cum Darius Medus brevis admodum Imperii fuerit, quod Cyrus ſtatim omnia ejus turbaret, donec ab ipſo victus regno cedere cogeretur, haud ipſi ad nummos cudendos otium ſuperfuiſſe credere poſſumus, multo minus ut de nomine ſuo *Daricos* appellaret, illudque etiam Cyro regnante & Cambyſe retinerent. Haud igitur hæc fides Suidæ danda erat, neque enim parum commodius hæc Daricorum appellatio ad Hyſtaſpis filium refertur, quam ad alios Darios, licet parum interſit, quem Darium autorem faciamus, cum vix 40. annis ab invicem diſtent, niſi ratio dicta obſtaret, Cyrum, qua erat augendæ majeſtatis ambitione, haud paſſurum fuiſſe Darii nomen eo nummorum ſplendore poſteris ſupereſſe. Verum enim eſt, quod Pollux de Daricis dicit *lib.* 3. *cap.* 11. Οἱ Δαρεικοὶ ἀπὸ Δαρείου, ὡς ὑπ' ἐκείνου ἀκειβωθέντες ἐς κάθαρσιν τοῦ χρυσίου, quæ ſub Dario Medo vix ſuccedere poterant. Pondus Darici nummi δίδραχμον fuit teſte Polluce, aut inſtar χρυσοῦς Attici, ut Suidas ait, quamvis & Pollux hoc dixerit *lib.* 7. *cap.* 24. *pag. m.* 350. καὶ χρυσοῦ τὸ νόμισμα, προσκέοιτο δ' ἂν στατὴρ, εἰ δὲ καὶ Δαρεικόν τις εἴποι, ὁ χρυσοῦς προσακουέτω. Sive igitur Daricum quis dicat, ſive aureum, idem eſt pondus, idem valor, ita ut χρυσοῦς elliptica locutio ſit, & χρυσοῦς στατὴρ intelligi debeat: Daricus quoque elliptice dicatur, quod ſubaudire debeamus χρυσοῦς, quod quoque *lib.* 9. *cap.* 6. repetit *pag. m.* 431. Οἱ μὲν Δαρεικοὶ ἐκαλοῦντο στατῶρες, οἱ δὲ Φιλίππειοι, οἱ δέ Ἀλεξάνδρειοι, χρυσοῖ πάντες ὄντες. Cujus igitur fuerunt Philippei, qui exſtant adhuc, ejus etiam ponderis fuerint Darici, & Alexandrei. Fuerunt vero vix δίδραχμοι, quotquot ego vidi, & ad libram vocavi, id quod ætati & injuriæ temporum, aliquid etiam auro deterentibus, adſcribo. Recte ſcribit, ἐκαλοῦντο στατῆρες, non erat pondere. Pergit vero Pollux: καὶ εἰ μὲν χρυσοῦς εἴποις, προσακούεται ὁ στατὴρ, εἰ δὲ στατὴρ εἴποις, οὐ πάντως ὁ χρυσοῦς, cum etiam eſſent argentei ſtateres. Cuſos quoque fuiſſe ἡμιχρύσους indicat, qui fuerunt drachmæ pondere, ut noſtri Ducati Hungarici, quos etiam aureos deinde, *pag.* 432. ἡμιστατηρῶν χρυσὰ νομίσματα vocavit, idemque ſunt cum ἡμιχρύσοις. At cum paulo ante dicit; ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἠδύνατο, h. e. *ſtater aureus minam valebat*, argenti ſcilicet. Mina argenti centum drachmis æquipollebat; Hic ſtater aureus pondere 4. drachmarum intelligitur, moneta non cuſa, ſicque 4. drachmæ auri minam argenti efficiebant, aut centum drachmas argenti, qua ratione drachma quælibet auri 25. drachmis argenti componebatur & reſpondebat, quæ faciunt noſtræ monetæ unciales thaleros tres, ita ut libra argenti Romani in mina Attica fuerit, & quatuor auri drachmæ. Hinc recte colligit Salmaſius Daricos non niſi διδράχμους fuiſſe, quod vicenis drachmis argenti ſolerent permutari, *pag. m.* 493. decem nimirum drachmis argenti in unam drachmam auri computatis more Græcorum & Athenienſium. Quomodo igitur ſtater diverſis modis ſumatur ex his liquet, & quod accurate obſervandum ſit, quodnam pondus ſtateri in auro conveniat, quod-

nam in argento. Nam & stater pro libra sumitur, ut idem Pollux *lib.* 4. *c.* 24. *pag. m.* 215. indicavit. Στατῆρα δὲ, inquit, οἱ τῆς κωμωδίας ποιηταὶ τὴν λίτραν λέγουσι. Ego hic stateram & libram intelligo, qua appendimus appendenda, non vero stateris pondus, quod erat 4. drachmarum: cum vero addat, quod δίκελλον πέντε στατήρων Κράτης ἐν Παρακαταθήκῃ δεκάλιτρον vocaverit, staterem pondere libræ primum fuisse necesse est, & duodecim unciarum, addit vero statim, ut stateris pondus antiquum & sequens distinguat, disertis verbis, ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. Fuit igitur stater peculiaris in auro, & aureis nummis, duarum drachmarum, sed in pondere æquipollebat olim libræ & minæ. Prout enim talentum in auro legimus minus pondere valuisse præ talento argenti, sic quoque stateres aurei minus quid erant quam argentei. Talentum auri tres aureos non excedebat, vel sex drachmas auri, ut de Macedonico talento memorant. Talentum argenti Atticis fuit 6000. drachmarum: magnum igitur discrimen inter talenta auri & argenti, quidni etiam inter stateres auri & argenti? Hæc igitur ita distinguenda veniunt, secundum tempora, modosque nummorum cusorum in auro & argento, & eorum, qui non signati fuerunt. Nam qui in auro ultra διδράχμους, in argento ultra τετραδράχμους, fuerunt nummi, ad non signatos revera pertinebant, & ad πλίνθους ac massas referendi. Inter aureos signatos non solum Crœsei aut Darici stateres, aut Philippei locum habent, sed etiam alii, ut χρυσοῦς Attici, & quos Pollux *pag. m.* 437. nominavit, dicens: καὶ ἄλλως ἤδη ἤκουσιν οἱ Κροίσειοι στατῆρες, καὶ Φιλίππειοι, καὶ Δαρεικοὶ, καὶ τὸ Βερενίκιον νόμισμα, καὶ Ἀλεξάνδρειον, καὶ Πτολεμαϊκὸν, καὶ Δημαρέτειον. Hos enim aureos stateres didrachmos prodiisse significare voluit, & Demareticum cur ita dictum sit explicavit: quod Demarete Gelonis in Sicilia uxor, ipso nummis indigente, utpote bello contra Libyas implicato, fœminas aurum & ornatum suum conferre suaserit: quo conflato nummos inde & stateres aureos procuderit marito subsidia præstituros. Nec χρυσῶν nomine solos Græcorum nummos appellatos credimus, sed omnes aureos, tam Crœseos quam Daricos, omnes dicebantur χρυσῶν, quia nomen hoc erat omnes nummos aureos complectens, unde cum Pissuthnes Persa Pericli aureos misisse scribatur: ut Samiis parceret, non nisi Δαρεικοὺς illos aureos fuisse judico, quod a Persa donarentur. Hoc enim Plutarchus in Pericle *pag. m.* 166. habet, ἔπ δὲ Πισσούθνης ὁ Πέρσης ἔχων τινὰ πρὸς Σαμίους εὔνοιαν, ἀπέστειλεν αὐτῷ μυρίους χρυσοῦς, παραιτούμενος τὴν πόλιν. Quis enim satis affirmare velit Græcis tunc χρυσοῦς fuisse signatos? prout Crœsei & Darici tunc satis frequentes inter Græcos commeabant. Nondum sane de illis observare potui Græcorum; vix ante Philippeos, χρυσοῦς in Græcia cusos admitterem, quod statim ab initio Regium hoc esse solum, Respublicæ statuerent, aureis nummis uti, quia a Regibus maximis primum cœperant, nec suum esse Regibus ὑπερκομπᾶσθαι, aut ἰσοκομπᾶσθαι. In argento nulli ultra τετραδράχμους hodie reperiuntur superstites cusi, qui si fuissent, etiam alicubi reperirentur superesse, & vel uno exemplo, ac ulterioris ponderis nummo se cusos aliquando fuisse posteritati ostendissent; quod quoniam hactenus defuit, exinde firmissimum indicium & judicium nobis relinquitur, eos non signatos fuisse, sed in pondere solo argenti & auri officium suum præstitisse, sine cuneo vel moneta, ut sunt talenta, minæ, πεντηκοντάδραχμον & πεντάδραχμον, ut & τετραστατὴρ, & τετραστάτηρα, inprimis apud Cyrenæos, ex Aristotele. Supersunt nummi Cyrenaici non pauci pondere δραχμαῖοι, δίδραχμοι, etiam τείδραχμοι, at τετραδράχμους Cyrenæos haud vidi ullos, multo minus πενταδράχμους, aut τετραστάτηρα, nam & illi si signati fuissent, cur non hic aut illic, vel semel, prout minores illi, servati fuissent? Jamdudum ab ipsis Augusti temporibus veterum nummi inter gemmas, etiam ærei, repositi leguntur: Et si asses librales æreos signatos antiquitas ad nos usque servare potuit, cur non quoque majoris ponderis argenteos, quam denarios apud Romanos, & τετραδράχμους apud Græcos? modo signati fuissent. Neque enim apud Romanos ultra denarii pondus in argento, nisi admodum paucos, & solidos in auro genuinos signatos reperimus nummos, quæ supra sunt, inter non signata classem sortiuntur, quemadmodum quæ inter numismata quidem recensuit Pollux, ante dicta, nec nos diffitemur fuisse, sed inter non signata, pondere solo numismatis vices obtinente. Quod discrimen si inter nummos cusos & ἀσήμους observetur, rem nummariam veterum habebimus longe quam hactenus explicatiorem & certiorem. Non ergo τετράδραχμοι aurei nummi aut stateris pondere fuerunt, ut credunt plurimi, quia hæc magnitudo aureis nummis isto tempore minime convenit; vix διδράχμου pondus præferunt χρυσοῦς veterum, qui supersunt, uti nec solidi aurei Romanorum;

rum; δίδραχμοι hodie aurei quatuor thaleros unciales argenteos efficiunt; ſufficere poterat hoc pondus in nummis cuſis: nam ſupra illud antiquitas nullum oſtendit in auro, minora pondera, minores nummi frequenter occurrunt. Hinc igitur patet; falſum eſſe ſtateris pondere nummos Daricos, aut alios, cuſos fuiſſe, hoc eſt, quatuor drachmarum, nulli enim tales in auro, στατῆρες tamen dicebantur aurei, δίδραχμοι, pariter ut argentei τετράδραχμοι, non reſpicientes ad pondus certum, ſed ad metallum, & ad uſum vocis στατῆρος. Non dubito, quin *Darbinoth* qui in Thalmude reperiuntur Græcæ originis quoque ſint, ex *Darkemon* & *Adarcon*: unde *Darconoth* & *Darbinoth*, quos ad Daricos referunt, ego ex drachma Græcorum corrupta eſſe ſentio. *Darbinoth* autem erant nummi aurei, ut patet ex verbis: *Conflabant ſiclos in Darbinoth propter onus viæ*, h. e. argenteos nummos aureis permutabant, ne in via argenteorum pondus nimium impediret euntes, & Maimonidis dictum eodem reſpicit: *conflatos eſſe duos ſiclos in aureum*, quod in gloſſa Thalmudica ſic exprimitur: *Darbon continebat duos ſelahim* vel duos ſiclos. Ergo *Darbinoth* aurei quidem, ſed ponderis non majoris, quam drachmæ dimidiæ: drachma enim auri dimidia par eſt octo drachmis argenti, quæ faciunt duos ſiclos τετραδράχμους ſingulos. Non poteſt igitur explicatio doctiſſimi Conringii in Polluce locum habere, qui ut Daricos aureos τετραδράχμους faciat, quos Pollux διδράχμους diſerte dixit, intelligi drachmas Alexandrinas cupit. Atticis altero tanto, ut vult, ponderoſiores, quas tamen Pollux non attulit, ut Darici ſecundum eas intelligerentur. Et cum etiam duæ drachmæ auri, nimium pondus videri queant, pro illius temporis nummis aureis, rationem non habet ullam, cur ad drachmas auri quatuor nummos cuſos Daricos aureos augeri velit. Et ſi verum eſt, quod Conringius adducit *cap.* 5. de nummis Hebræorum, Daricos illos habuiſſe Darii imaginem; jam plane conſtat, quales fuerint illi nummi Darici; compactiores nempe & minoris magnitudinis, quam ſunt noſtri Ducati Hungarici duplices, ſed ejuſdem ponderis, & auri puriſſimi, ut χρυσοῦς Attici vel ſolidi Romani, quorum prima facies imaginem Regis Darii, Regumque ſequentium, oſtendit, altera ſagittarium, ut monet Plutarchus; ſola inſcriptio deeſt, quam ſubticere oportet, quod nemo illam ediſſeruerit, & forſan addita nulla fuit. Propter hos τοξοφόρους in Daricis comparentes, etiam Simonidis verſus apud Athenæum *lib.* 13. *cap.* 4. *pag. m.* 573. ad Daricos reſpicere credo, & τοξοφόρους etiam dictos, æque ac Danicos.

> Οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ Ἀφροδίτη
> Πέρσαις ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Loquitur de Corintho, quam Perſis non prodi ſivit Venus, quod tam de auro Perſico τοξοφόρῳ quam de Perſis ipſis τοξοφόροις intelligi poteſt, utrumque enim verum; Videmus autem cur nummi Perſici Darici τοξότην pro ſigno receperint, quod Perſæ præ primis arcu valerent, atque ideo κατ' ἐξοχὴν quandam τοξοφόροι dicerentur, hocque nummis ſuis etiam teſtari voluerint, adeo ut potius Perſice τοξότας dictos mihi perſuadeam, Græcis Daricos.

Sunt qui a Dario Medo dictos primum Daricos cupiunt, ante Darium Hyſtaſpis, ſed illis adverſatur omnino, quod iſte Darius Græcis, hoc nomine ne notus quidem fuerit, ut Joſephus diſerte teſtatur *lib.* 10. *Antiq. pag. m.* 352. Δαρείῳ δὲ τῷ καταλύσαντι τὴν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἑξηκοστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν, ὃς ἦν Αστυάγου υἱὸς, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι ἐκαλεῖτο ὄνομα. Neque enim hoc Græcis novum erat, aliis nominibus Orientales Reges exprimere. Cores vocarunt Κῦρον. Qui in S. Scriptura Ahaſwerus, Græcis Cambyſes vocatur, alter Artaſaſtha, Xerxes; unde facile convincitur Joſephus; qui Cambyſis epiſtolam adduxit, illam genuinam non eſſe, dum ſic incipit *lib.* XI. *cap.* 3. *pag. m.* 359. Βασιλεὺς Καμβύσης Ραθύμῳ τῷ γράφοντι τὰ προσπίπτοντα, &c. Cambyſis enim nomen non invenit in Hebraicis monumentis ſed Græcis. Videmus, quomodo Plutarchus diſſentientes de nomine Artaxerxis Græcos adducat *pag. m.* 1012. Artaxerxes, inquit, Mnemon Darii & Paryſatidis filius, Ἀρσίκας πρότερον ἐκαλεῖτο, καὶ τοι Δείνων φησὶν, ὅτι Οάρτης. Ecce tria nomina, Arſicas, Oartes, Artaxerxes, quod cæteris apud Græcos familiarius. Quin & cognomina his Regibus Græca ſunt, Artaxerxi Xerxis, Μακρόχειρ; Artaxerxi Darii, Μνήμων. Quid dicendum de cæteris? Nicanor, Epiphanes, Θεός &c. nonne a Græcis impoſita, non a Judæis & Orientalibus? Joſephus diſerte *lib.* 12. *Antiq. cap.* 3. *pag. m.* 398. Ἀντίοχος ὁ Σελεύκου υἱωνὸς, ὁ παρὰ τοῖς Ἕλλησι Θεὸς λεγόμενος. Nihil ſane frequentius in Hiſtoricis, quam Orientalium rebus & hominibus tam nomina quam cognomina per Græcos data, ita ut Δαρεικοὺς nummos Perſarum voca-

tos esse a Græcis, non vero nomen illud cœpisse inter Syros aut Orientales, mihi quidem non amplius dubitetur. Ipsi Judæi in Græcorum gratiam nomina sibi mutarunt, postquam in Græcorum potestatem pervenerunt, ab Alexandro M. & Successoribus: sic Jesus Jasonem se dixit; Onias, Menelaum; ut idem Josephus observat *l.* 12. *c.* 6. *p.m.* 408. Ὁ μὲν Ἰησοῦς Ἰάσωνα ἑαυτὸν μετωνόμασε, ὁ δὲ Ονίας ἐκλήθη Μενέλαος. Ita videmus discrepare Hebraica a Græcis, quod Josephi fuerat examinandum sumere, qui tam Hebræam quam Græcam collebat, licet Græcam præferret, ut Judæi plerique a Christi tempore; adeo ut plebs cum Christus in cruce clamaret, *Eli*, *Eli*, *lammaazaphtani*, non intelligerent amplius Hebræa, sed Eliam advocatum fuisse somniabant. *Matth.* 27. *vers.* 47. Da sie das höreten / sprachen sie / der ruffet dem Elias. Die andern aber sprachen / halt laß sehen / ob Elias komme / und Ihm helffe. Inter Cyrum igitur & Darium Hystaspis Sacra Scriptura duos Reges ponit, Ahasuerum & Artasastha prohibentes templum exstrui, quibus succedit Darius Hystaspis, qui denuo jussit & permisit templum exædificari. In Græca historia itidem duo Reges, Cambyses & Smerdes ponuntur, post Cyrum usque ad Darium Hystaspis. Josephus addit, usque ad secundum annum Darii, quo secundum edictum de Hierosolymitano templo construendo promulgavit, annos effluxisse novem ex quibus Cambyses sex imperaverit, Smerdes aliquot menses, Josephus annum integrum imperasse dicit. Non ergo illi nummi a Dario Medo cusi Darici dici potuerunt Græcis. Nam & hoc observandum venit, Græcorum esse appellationem Daricorum, non Medorum, aut Persarum, aut Babyloniorum, aut Chaldæorum, qui nummos suos Daricos nòn appellarunt, aut a Regibus aliis suis. Hoc nusquam reperiemus factum in Oriente istis temporibus. Sed Græci, quod Darius Hystaspis primus nummos aureos post Cręsum cudere cępisset, summaque necessitudo Græcis plerisque cum isto Dario intercederet, hinc tam Κροισείοις quam Δαρεικοῖς apud ipsos nomen positum est, non in Lydia aut Media aut Persia, ubi aliis nominibus nummos istos aureos populi solebant insignire. Quotquot igitur nummi in Lydia cusi ad Græcos pervenerunt, licet sub Cręso non cusi, Κροίσειοι Græcis dicebantur, ut in Persia cusi sub quocunque Rege, ad Græcos venientes Δαρεικοὶ longo tempore fuerunt appellati.

Germani aliique populi ita nummos denominare a Regibus perrexerunt; hodieque nihil est frequentius: habemus in Francia *les Louys*; in Anglia, *Jacobos*; in Suecia *Christinas*, Christinchen / & *Carolinos*, sed omnium antiquissimos, apud Germanos, *Ottolinos*, quos Otho M. Mediolani procudi fecit. Papa enim Johannes Otthonem Imp. in Italiam vocavit, ut eos a jugo Longobardorum liberaret, sicque Berengarium Regem impetiit, & Mediolanensem civitatem capiens, nummos suos illuc introduxit, ut habet Chronicon vetus Saxonica lingua scriptum in membranis, quod nunc servat civis Hafniensis Olaus Larson *pag.* 65. *De Koninc Otte vor do mit groteme hereto Lanchardevv, und ghevvan Meilan, unde setiet dar pennighe, de hetet Otteline*. An Mediolani primum hoc nomen sumserint, an ex Germania secum attulerint, haud tanti momenti est, ut disceptari multis oporteat, puto tamen eosdem nummos esse, quos alii Itali *Ottoboni* leguntur appellasse, & Italicæ linguæ originem magis præferunt quam Germanicæ. In contemtum enim Mediolanenses istos nummos Otthonis *Ottelinos* appellasse, indicant Chronici verba sequentia; *Do de Koninc danen quam, se vervvorpen eme to lastere sine monte. De Koninc vor aver vveder, und duanc se dar to, dant se van al deme ledere pennighe geven und nemen mosten*. Ipsumque nomen *Ottelini*, quod diminutum extulerunt, quasi nummi Otthonis haud satis ponderis haberent, nec sufficerent pretio, satis indicat Mediolanensium in hos nummos animum, quos ex *Ottolinis* postmodum in *Ottobonos* mutatos esse credo.

Ad Darii sane Codomanni, ultimi Persarum Regis, interitum nomen & nummos Δαρεικῶν viguisse, multa monstrant vestigia. Alexandro M. scilicet victore, & monetam Persicam & nomen hoc mutante forsitan, ab anno 328. ante Christum, ita ut Darici per anno fere 190. nomen aliquod obtinuerint. Daricis vero aliud Græcum nomen στατήρων successit, aut pari passu cum Daricis ambulavit, nam in Sacra Scriptura Δαρεικῶν nomen non apparet, sed στατήρων Christi tempore adhuc perduravit, & ulterius, Daricorum veluti jam elanguente. Plutarchus Epaminondæ Duci Thebanorum a Persis triginta mille Daricos oblatos fuisse scribit in Apohthegmatib. *pag. m.* 193. Αὖθις δὲ τοῦ Περσῶν Βασιλέως τρεῖς μυρίους Δαρεικοὺς ἀποστείλαντος αὐτῷ, καθήψατο πικρῶς Διομέδοντος εἰ τοσοῦτον πλοῦν πέπλευκε διαφθερῶν Ἐπαμινώνδαν. Vixit Epaminondas Artaxerxis Mnemonis Persarum Regis ætate, qui ipsi Daricos illos misit annis 360. ante Christum, & 158. ex quo Darico-

rum

rum nomen primo cœperat. Hac ratione Daricorum nummorum ætas, initium, progreſſus & finis conſtitui debet. Socrates qui ſub Artaxerxe vixit, ſub Xerxe natus, jam Daricorum memoriam reliquit: ejus enim erat verbum: βȣ́λεσθαι Δαρεῖον μᾶλλον ἔχειν φίλον, ἢ τὸ Δαρεικόν, ut habet *Plutarchus lib. de* φιλαδελφίᾳ *pag. m.* 486. quod Socrate protulit de Dario notho, qui regnum Perſarum vivente Socrate tenuit, & mortuus Artaxerxi Mnemoni reliquit, ſuperſtite etiam Socrate. Scriptores tamen cum Darici nulli amplius in Oriente ſignarentur, nummos tamen Perſarum & aliorum Orientalium Δαρεικȣ̀ς ſemper vocare perrexerunt; quod attendendum, ne Scriptorum libertatem confundamus cum ipſis nummis Orientalium, qui non Δαρεικοὶ Perſis aut Medis aut Babyloniis audiebant, ut apud Græcos, Græcarumque rerum Scriptores. Docet etiam *Plutarchus pag. m.* 211. quænam ſculptura Daricis fuerit, nempe ſagittarii & τοξότȣ, ſic enim Ageſilao Rege Spartanorum, 394. annis ante Chriſtum Darici ſe habebant. Τȣ̃ δὲ Περσικȣ̃ νομίσματος χάραγμα τοξότην ἔχοντος ἀναζευγνύων ἔφη τρισμυρίοις τοξόταις ὑπὸ Βασιλέως ἐξελαύνεσθαι τῆς Ἀσίας, τοσȣ́των γὰρ εἰς Ἀθήνας κ Θήβας κομισθέντων διὰ Τιμοκράτȣς χρυσῶν Δαρεικῶν (hæc non exſtant in Cruſerii verſione) κ διαδοθέντων τοῖς δημαγωγοῖς ἐξεπολεμώθησαν οἱ δῆμοι, πρὸς τȣ̀ς Σπαρτιάτας. Repetit hoc in Artaxerxe *pag. m.* 1021. φασὶν αὐτὸν ἀπιόντα πρὸς τȣ̀ς φίλȣς εἰπεῖν, ὡς τρισμυρίοις τοξόταις ἐξελαύνοιτο τῆς Ἀσίας ὑπὸ Βασιλέως. τὸ γὰρ Περσικὸν νόμισμα, quod Græci Δαρεικὸν vocabant, τοξότην ἐπίσημον ἔχειν. Utroque loco Περσικὸν νόμισμα tantum non Δαρεικοὶ vocantur hi ſagittarii, quod non obiter attendendum puto, ſed Artaxerxem tales nummos aureos ſic inſignitos & ſignatos cudi curaſſe, & ad Græcos corrumpendos miſſos eſſe, ejus cunei, von einen Schlage, ſignificare voluit, dum Περσικὸν νόμισμα vocavit non Δαρεικȣ̀ς. Quin tamen Græci hos etiam Δαρεικȣ̀ς appellarint, dubitare non licet, cum ab ipſis Perſica numiſmata primum Δαρεικοὶ cœperint appellari, non a Perſis, ut ante monui. Hinc eſt, quod de eodem *Artaxerxe pag. m.* 1022. paulo poſt dixerit, eum Timagoræ Athenienſi μυρίȣς Δαρεικȣ̀ς dediſſe Athenæus ex Phania Peripatetico de iiſdem temporibus Artaxerxis loquens, non Daricos nominavit, ſed χρυσȣ̃ς ἑξακισχιλίȣς, quos Entimo Cretenſi donavit. Sunt ergo Darici & aurei vel χρυσοὶ unum idemque *pag. m.* 48. Hinc intelligimus Daricos aureos fuiſſe, non argenteos, & ſagittarii χάραγμα eos habuiſſe.

Pollux de Daricis loquens *lib.* 3. *cap.* XI. *pag. m.* 150. οἱ Δαρεικοὶ, inquit, ἀπὸ Δαρείȣ, ὡς ὑπ' ἐκείνȣ ἀκριβωθέντες εἰς κάθαρσιν τȣ̃ χρυσίȣ, & ibidem laudatur ὁ Γυγάδας χρυσὸς ut optimum, κ οἱ Κροίσειοι, ex auro optimo omnia. Crœſi quoque ſtateres apud Plutarchum memorantur in libello Πολιτικῶν παραγγελμάτων *p. m.* 823. Κροισείων ἀρετώτερον στατήρων, quæ Crœſi ſtateres magni æſtimatos fuiſſe indicant ob puritatem ac probitatem ſuam. Hac ratione Crœſi ſtateres inter cuſos omnium antiquiſſimi & ante Daricos etiam ponendi veniunt. Crœſus enim Darium Hyſtaſpis antevertit 40. annis, & regnare cœpit 560. ante Chriſtum. Hæc cauſa eſt, cur multi Lydis nummos primos cuſos tribuunt, Crœſumque primum fuiſſe, qui nummos aureos cuſos produxerit, quod noſtræ ſententiæ non adverſatur, qui Græcos primos nummos percuſſiſſe ſtatuimus, ſcilicet argenteos, & gloriam nummorum aureorum cuſorum primam Crœſo ac Lydis non abjudicamus. Illi ſane Lydiæ Reges Gyges & Crœſus, qui auro tantum nomen fecerunt, primi quoque, qui in Græciam aurum introduxerunt, donaria ſua Delphico templo mittentes aurea. Et cum Lacedæmonii Apollinis Amyclæi faciem auream reddere vellent, nec auri tantum Græcia tota ſubminiſtrare poſſet, oraculo opus erat, quo conſulto reſponſum fuit, παρὰ Κροίσȣ τȣ̃ Λυδȣ̃, emendum ac petendum eſſe aurum: πορευθέντας ὠνεῖσθαι παρ' ἐκείνȣ, κ οἱ πορευθέντες παρὰ Κροίσȣ ὠνήσαντο, ut ex Theopompo Athenæus refert *lib.* 6. *cap.* 4. *pag. m.* 232. ita ut mirum non ſit Crœſi aureos primos fuiſſe cuſos & in Græcia receptos, quæ aureos nummos cudere non poterat, quod aurum iſtis temporibus nondum poſſideret. Alias Δαρείȣ χρυσίȣ ramenta Pactolum Lydiæ fluvium gignere teſtis eſt Plutarchus de *fluminib. pag. m.* 1152. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῷ ψῆγμα Δαρείȣ χρυσίȣ καταφερόμενον εἰς τὸν εὐδαίμονα κόλπον. Vult Plutarchus indicare ramenta iſta aurea probitatis ejus eſſe, cujus erat Daricum aurum, pro nummis ejus, quos percuti jubebat excoctum. Et cum antiqui Scriptores Daricos neſciant niſi aureos, fruſtra eſt, quod quidam docti Viri etiam Daricos argenteos nobis obducant, & quidem ſtateris pondere τετραδράχμȣς. Nulli enim tales nummi argentei *Darici* unquam dicti ſeu appellati fuerunt. Darium autem æque argenteos ac aureos nummos percuſſiſſe non negavero: Daricorum vero nomen non niſi aureis ſolis conceſſum video, ex iis quæ nobis hac de moneta ſuperſunt monumentis. At his contrarius eſſe videtur locus Plutar-

tar-

tarchi in *Cimone pag. m.* 485. ubi Daricos tam aureos quam argenteos diserte nominat, dum Rhœsacem ex Thracia, & barbarum, ad vestibulum ædium Cimonis, ne ingratus hospes esset, duas phialas Daricis argenteis & aureis refertas posuisse memorat, θεῖναι παρὰ τὴν αὐλὴν αὐτοῦ φιάλας δύο, τὴν μὲν ἀργυρέων ἐμπλησμένην Δαρεικῶν, τὴν δὲ χρυσῶν. Ex quibus colligitur, argenteos Daricos fuisse stateras τετραδράχμους, ut aureos διδράχμους: ita ut jam conciliari possint Scriptores, qui Daricos stateras adducunt, ut intelligantur de argenteis, qui vero Δαρεικοὺς χρυσοῦς, de didrachmis capiantur. Locum itaque hunc singularem & paucis observatum de Daricis argenteis accurate considerandum propono, quod non exiguam lucem afferrat in Daricis stateribus, qui toties occurrunt, explicandis, est enim velut unicus, & lites omnes, quæ permultæ sunt, tollit, dum stateras omnes Daricos fere τετραδράχμους fecerunt & aureos, quod intelligendum nunc esse videmus non nisi de argenteis, neque enim Darici aurei stateres fuerunt, sed δίδραχμοι χρυσοῦς, argentei soli, stateres, & quatuor drachmarum. Stateres vero Græcis tam fuerunt in auro, quam in argento, ita tamen ut pondere differrent, originem enim suam & proportionem aurei stateres traxerunt ex argenteis, quod sic intelligi cupio, aureos stateris pondere illis temporibus nunquam cusos fuisse, sive διδράχμους sive τετραδράχμους, nec quo pondere fuerint primi & veri Κροίσειοι aut Δαρεικοὶ, ullibi memini expressum. Valuerunt igitur staterem argenteum singuli Crœsei vel Darici in auro, atque ideo stateres eos vocarint Græci, quod æquarent aurei Darici vel Crœsei valorem stateris argentei. Aurum quomodo tunc temporis ad argentum illic se habuerit, nescimus. At si more nostro ratio iniri debet, stater τετράδραχμος argenteus non habuit in auro nisi quartam partem drachmæ vel ducati Ungarici, quæ non nisi tenues & exiguos stateres aureos efficere poterat. Certum est a minutis, haud equidem affirmavero. Τετραδραχμιαίους in auro nequaquam fuisse antiquitas ipsa defendit, sic enim singuli aurei octo unciales thaleros in argento valuissent, cujus ponderis aureos illis seculis nusquam cusos novimus; Ex iis qui supersunt inter Græcos antiquissimi aurei vix δίδραχμοι reperiuntur, infra illud pondus longe multi sunt, quorum etiam aliquos teneo, inprimis cum inscriptione ĀP, quod est APMATEΩN, unum, & curru unijugo, tam minutum, ut quartam partem drachmæ vix excedat, sicque staterem in argento valet, & aureus stater dici potest. Hæc de stateribus Crœseis & Daricis aureis mihi monenda fuerunt, ne quis illos pondere τετραδραχμιαίους fuisse credat, aut Daricorum nomen ad argenteos τετραδράχμους se porrexisse: utrumque enim cum a doctis affirmetur non paucis, antiquitati historicæ contrarium illud reperient, quæ nihil tale prodit, nec ejus quæ supersunt reliquiæ volunt, aut indicant, ut illis hoc concedere possim, sed sententiam meam plane stabiliunt.

Hæc persuadere poterunt Judæos tunc nummis Persicis & Græcis aureis usos esse, nullis vero suis cusis.

CAPUT XXII.

De nummis δεκαβοίοις & Hecatombæis Thesei non cusis.

FUerunt massæ & πλίνθοι δεκάβοιοι & ἑκατόμβοιοι, ut apud Homerum, & Plutarchum quoque in Theseo, *pag. m.* 11. qui putat a Theseo, qui bove nummos signavit, illos quoque dictos, ἀπ' ἐκείνου δὲ, φασι, τὸ ἑκατόμβοιον καὶ τὸ δεκάβοιον ὀνομασθῆναι, *ab illo autem, ajunt, hecatombœos & decabœos nominatos esse*. Sed fallit, & fallitur bonus ille Philosophus; nunquam enim δεκάβοιοι nummi cusi fuerunt, multo minus ἑκατόμβοιοι. In eadem sententia versatur Pollux *lib. 9. cap. 6. pag. m.* 431. qui bovem ἐντετυπωμένον sibi persuasit, more temporum suorum, τὸ δὲ παλαιὸν, inquit, τοῦτο ἦν Ἀθηναίοις νόμισμα, καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον, εἶναι δὲ αὐτὸ καὶ Ὅμηρον νομίζουσιν, εἰπόντα,

—— Ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων

Καὶ μὴν κἀν τοῖς Δράκοντος νόμοις ἐστὶν ἀποτίνειν δεκάβοιον, καὶ ἐν τῇ παρὰ Δηλίοις θεωρίᾳ τὸν κήρυκα κηρύττειν φασὶν, ὁπότε δωρεάν τινι ἐδίδοτο, ὅτι δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτοι βόες, καὶ δίδοσθαι καθ᾽ ἕκαστον δύο δραχμὰς Ἀττικὰς, ὅθεν ἔνιοι Δηλίων, ἀλλ᾽ οὐκ Ἀθηναίων, ἴδιον εἶναι νόμισμα τὸν βοῦν νομίζουσι; ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὴν παροιμίαν εἰρῆσθαι, τὴν; βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, ἐπὶ τῶν ἀργυρίας σιωπησάντων, h. e. *Antiquitus illud numisma Athenienſibus erat, & vocabatur bos, quod bovem insculptum haberet, idque Homerum etiam novisse putant, dum ait*

—— *centum boves novem bobus.*

Quin & in legibus Draconis decabœum pendere jubentur, & in festo ac ludis Delio-

liorum præconem proclamare ferunt, cum donum alicui præbuerunt, quod darentur ipſi tot boves, & ſingulis datas eſſe duas drachmas Atticas, unde quidam Deliorum, non vero Athenienſium proprium eſſe numiſma bovem exiſtimarunt; hinc quoque in proverbio dici, bos in lingua incedit, ſi quis ob argentum datum dicenda reticet. Hæc verba Pollucis & Plutarchi conjuncta de hoc nummo βȣ̃ς dicto, arguunt utrumque eum errorem foviſſe, hos βȣ̃ς & δεκαβοίȣς & ἑκατομβοίȣς non ſolum nummos fuiſſe, quod concedimus, ſed etiam nummos bove ſignatos, atque inde nomen hæſiſſe: quod ego quidem non video ſequi, ſed βȣ̃ν dictum numiſma illud argenteum quod tantum argenti continebat, quo bos emi poſſet; δεκάβοιον, in quo tantum argenti, quo decem boves comparari poſſent; & ἑκατόμβοιον quo centum. Sed quod Pollux in bovem duas drachmas Atticas computet argenti, monetæ noſtræ 12. aſſes Lubecenſes, facile videt quilibet, hoc pretium minime convenire bovi, nullo tempore tam vile pretium tam proficuo & deſideratiſſimo animali ſtatuente. Longe rectius Plutarchus in Solone computat ex ejus legibus *pag. m.* 91. λύκον δὲ τῷ κομίσαντι πέντε δραχμὰς ἔδωκε, λυκίδα δὲ, μίαν, ὧν, φησὶν ὁ φαλερεὺς Δημήτριος, τὸ μὲν βοὸς εἶναι, τὸ δὲ προβάτȣ τιμήν. *Lupum afferenti quinque drachmas dedit, lupam vero, unam, quorum, inquit, Demetrius Phalereus illud bovis, hoc vero ovis pretium fuiſſe.* Nec ad noſtra tempora reſpicere oportet, aut pretia comparare veterum, quando argentum rarius, vectigalia tributaque nulla, vel exigua poſita. Tunc enim auri & argenti pretium immenſum, in mercium & annonæ abundantia, quod etiam innuit ibidem Plutarchus, dum ait; σπανίζοντος τότε τȣ̃ νομίσματος ἐν τῇ πόλει, μεγάλας ἐποίει τὰς ἀργυρικὰς ζημίας. Mens eſt, mulctas pecuniarias centum, 50. 40. 30. 20. drachmarum tunc graves viſas, quod argentum non magnam ſui copiam faceret, ut mirum nemini videri debeat, quod hodie eo pretio nec emamus, nec vendamus, quo quondam. Et maxime notandum venit, etiam in Italiam & Romam hæc nummorum nomina tranſiiſſe, nam ſub Valerio Poplicola Conſule, aliquot poſt Solonem annis leges latæ ſunt, quibus Valerius ζημίαν ἀπειθείας ἔταξε βοῶν πέντε, καὶ δυοῖν προβάτων ἀξίαν, ἦν δὲ τιμὴ μὲν προβάτȣ ὀβολοὶ δέκα, βοὸς δὲ ἑκατὸν, ὄπω νομίσματι χρωμένων πολλῷ τότε Ῥωμαίων, *mulctam inobedientiæ ſtatuit boum quinque, & duarum ovium; erat vero pretium oviculæ oboli decem, bovis vero centum, dum nondum Romani multis uterentur nummis*, ſed quod addit, καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βȣ̃ν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν, *& nummis antiquiſſimis bovem inſculpebant, aut ovem, aut porcum*, hoc eadem fide dicit Plutarchus *pag. m.* 103. qua Theſeum bovem nummis inſculpſiſſe prodidit. Hæc ſententia & opinio multos nobis nummos ſpurios peperit qui adhuc circumferuntur, modo quem allicere poſſint, qui fidem adhibere velit. Verum eſt & nummis boves ac oves valentibus, & bobus ipſis ac pecudibus ſolutum eſſe, ſed nummos illos non ſignatos fuiſſe neque bove, nec ove, ſed boves & oves ſolum vocatos eſſe, quod pondere tanto erogarentur, quo bovem emere poſſent aut ovem.

At quod dixi de bovis & ovis pretio antiquo, notum eſt decem obolos Atticos drachmam argenti feciſſe Æginæam, qua ovis æſtimabatur; ergo quinquaginta oboli, qui quinque drachmas argenti Æginæas conſtituebant, bovis pretium erant, & ſic plane conveniunt cum illis, quæ prius de Atticis nummis, & boum æſtimatione pretioque dixerat, niſi quod Romani non Atticum pondus in his obſervarint, ſed Æginæum, oboloſque æreos adhibuerint, drachmas argenteas, ita tamen ut omnia tam in ære quam in argento numiſmata non ſignata fuerint, quod a Græcis Romanos didiciſſe quilibet facile videt.

Ut igitur eo redeamus unde cœpimus de δεκαβοίοις & ἑκατόμβοιοις, Delii hanc Athenienſibus nummi ſui gloriam dubiam fecerunt, ſed nihil inde ſequitur, quam Deliis & Athenienſibus tale numiſma commune factum, & utroſque ἄσημον κόψαντας perrexiſſe eodem nomine, eodem pondere, eadem probitate, ut an Deliorum an Athenienſium βȣ̃ς daretur, nemo ſcire poſſet.

At ex illis hoc colligo Theſei nummos non fuiſſe cuſos, quamvis Græci hoc ſibi perſuaſerint, & legentes poſteri, qui nummos non niſi cuſos videbant; Theſeus enim Athenienſes docuit aurum, argentum & æs eo pondere κόπτειν, quo bovem emere poſſent, talemque nummum βȣ̃ς dictum, licet bovem ſignatum minime habuerit, ita quoque δεκάβοιον laminam auri, argenti, æris, qua decem boves emere valerent, & ἑκατόμβοιον, qua centum; aut βȣ̃ν fuiſſe nummum æreum non cuſum; δεκάβοιον, argenteum; ἑκατόμβοιον aureum. Ponatur enim βȣ̃ς libralis fuiſſe, æreus, δεκάβοιος argenteus etiam libralis, & ἑκατόμβοιος aureus, non minus libralis; reperietur, decem libras æris unam argenti effeciſſe, & centum libras æris, unam

unam auri: sicque bovem unum emtum esse 100. drachmis æris, nummo argenteo aut lamina argenti decem drachmarum pondere, monetæ nostræ, thaleri uncialis, & duarum drachmarum, drachma vero auri, centum in libram 12. unciarum computatis, est vero hodie drachma auri probi pretio duarum unciarum argenti, h. e. 16. drachmarum: tunc vero una drachma auri decem argenti æquabat, & centum æris, quas nummi cusi nequaquam repræsentabant, cum tales nummi non cuderentur, sed in pondere & tabellis non signatis facile κεκομμένοι tradebantur, adeo ut Theseus nisi nummis non signatis uti Athenienses non docuerit, ad boum pretium, eoque laminas illas direxerit, ut secundum illas quascunque res æstimatas emere possent, & dicerentur tot bobus emtæ esse, sive laminis illis solverent in ære, aut in argento, aut in auro, aut bobus ipsis permutatis. Nummis igitur in argento & auro Athenienses quidem uti Theseum docuisse concedi potest, eosque primos forsan in Græcia fuisse, qui nummis rem gesserint, cum antea permutationibus mercium solis insisterent. At nummos istos pondera fuisse, taleas, laminas, κόμματα, κέρματα, πλίνθȣς, massas, non nummos signatos aut cusos, ex jam dictis facile, puto, liquet: ut videamus, qua ratione antiqui pervenerint ad nummos cusos, nimirum a permutatione ad nummos non signatos, a non signatis ad publicos & cusos. Hi erant gradus quos observamus abantiquo receptos fuisse. Homerus alicubi dicit, æs & ferrum permutatum esse vino Lemnio. Ejus enim ætate non nisi rudes nummi & non signati vigebant, ærei & ferrei, nam in aliqua κόμματα & κέρματα homines istos æs & ferrum aptasse, & pondera certa, ut iis vinum emere possent, necesse est. Versus Homeri sunt:

> Ε᾽νθ᾽ ἄρα οἱ νίζοντο καρηκομόωντες Α᾽-
> χαιοὶ
> Α᾽λλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δὲ αἴθωνι
> σιδήρῳ.

Salmasius vult ære & ferro non dissecto, sed prout in massa fuit, vinum emtum aut permutatum, quod ego non negarem, si Achivi ad Trojam ut mercatores sedissent, & vina emissent, ferrum & æs vendendum attulissent. At cum militia occupatos fuisse sciamus Græcos tunc temporis, atque ita eos describat Homerus, ferrum sane suum & æs non attulerunt ut merces, sed ut pretium, quo emerent res necessarias, quibus in itineribus destitui poterant. Ducibus sane classis suum æs ac ferrum fuit, quo subvenire possent classi egenti; militibus singulis suum quoque fuisse, ut sibi ipsis prospicere possent, ipsa ratio suadet. Hæc tam massas, πλίνθȣς, & talenta æris ac ferri requirunt, quam κόμματα & κέρματα, sine quibus emere nemo poterat, destinata illa ad emendum, quantum opus esset vel classi, vel singulis, ideoque vera νομίσματα, licet rudia & non cusa, haud tamen ita rudia, ut sunt massæ æris ac ferri primæ, a fornacibus ipsis venientes, sed aliter διακεχωνευμέναι in talenta, in minas, in obolos, & alia κέρματα, quamvis & primæ ruditatis metallis emtiones pariter institutas esse nihil prohibeat, cum usu venit, & pondera permittant. Sed ideo sic illa concisa & dissecta secum ferebant, ut in promtu essent ementibus ad omnia, nec ex grandibus illis massis semper necesse esset usque ad minimum assem vel obolum κόπτειν, tunc cum opus esset maxime asse uti. Omnia igitur illa numismata rudia erant, sive in massis primis, sive secundis relicta, sive alterius κόμματος forent, & omnia ista diversa necessaria ementibus: at in emtione κόμματα & κέρματα magis desiderari solent, quam massæ integræ: abesse igitur nequiverunt, ubi ære & ferro permutatio vel emtio fieri debet: ita nec in Homero aliter æs & ferrum intelligendum venit, quam nummorum more dispositum ad necessaria coemenda. Sed quod addit Homerus.

> Α᾽λλοι μὲν ῥινοῖς, ἄλλοι δὲ αὐτοῖσι
> βόεσσι
> Α᾽λλοι δὲ ἀνδραπόδεσσι ——

Hoc ipsum indicat non omnibus fuisse æs aut ferrum, quo vinum emerent, sed fuisse res alias, pelles nempe, boves & mancipia quibus æque permutabant & vinum emebant. Neque enim permutatio rerum sublata, ut antiquior, quod alio pretio metallorum etiam cœpissent emere, & νομίσμασι ex iis factis. Erant enim hi nummi non nisi additamentum permutationis veteris, ita ut ditior & amplior & commodior ac promtior evaderet permutatio, non tolleretur sed juvaretur. Nec solum æs aut ferrum tunc nummorum vices sustinuisse significat, sed etiam aurum, dum Odyss. ξ. sic de Ulysse poetatur:

> Καὶ μοὶ κτήματ᾽ ἔδειξεν ὅσα συναγείρατ᾽
> Ο᾽δυσσεύς
> Χαλκόν τε, χρυσόν τε, πολύκμητόν τε
> σίδηρον.

Et

Et in Iliade captivus ille:

> Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειᾶ πατρὸς κειμήλια κεῖται
> Χαλκό τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος
> Τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα
> Αἴκεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Cur hæc Ulyſſes congeſſiſſet metalla, aut ille pater κειμήλια condidiſſet, niſi quod eo pretio omnia quæ vellent adquirere poſſent? Objiciant mihi, hac ratione merces alias etiam νομίσματα dici poſſe, ubi ſolis mercibus permutatio fit, nec metalla ſunt introducta. Reſpondebo ſtatim, etiam in permutationibus νόμισμα & mores certos non abfuiſſe: ſed conſiderandum venit, non niſi cum metallis in uſum peculiarem deductis, ut pretium ſint rerum aliarum tantum, non vero merx & pretium ſimul, ut aliæ res vendendæ emendæ aut permutandæ, νομίσματος vocem natam eſſe inter Græcos, ideoque iis metallis, quæ pretium tantum conſtituunt mercibus reliquis, præ primis adhæſit, & proprie, cęteris rebus ſecundario. Æs enim, argentum & aurum ferrum, & plumbum, quando pretia ſunt rerum aliarum, merces minime ſunt, & diſtinguuntur nomine νομίσματος a cęteris mercibus, quibus pretium faciunt hi nummi. Nam cum Homerus dixit ſuperius, alios vinum bobus ipſis permutaſſe, & mancipiis captivis, iſti boves & mancipia merx quam pretium fuerunt vini, at æs & ferrum quod ſecum geſtabant, Achivi, non merx fuit, ſed pretium ſolum, & pretio deſtinatum non amplius in mercibus, ideoque νομίσματα non cuſa. Sic quoque hæ divitiæ auri, æris & ferri, quæ in Homericis verſibus κειμήλια, Danis proprie Liggnidefæ, jam a mercibus diſtinctæ erant, eo fine coacervatæ jacentes, ut aliquando pretio ſuo ſervirent, etiam extra mercaturam, ut in donariis, ſtipendiis militum, miſſilibus, aliiſque hujuſmodi. Neque enim res illæ quæ finem alium ſpectant quam mercaturam, merces ſunt, ſed res, ſi vero deſtinantur ad mercimonia, merces ſunt. Cum verum argentum Homerus præteriit, nec unquam, prout aurum æs & ferrum audivimus, inter κειμήλια poſuit? Fruſtra enim hoc a Poeta factum eſſe non mihi perſuadeo, cum alias quando pretio opus non eſt iſtorum metallorum ad mendum, ἄργυρον inter metalla nominare non negligat, ut Iliad. Σ. ubi ſcutum Achillis Vulcanus fabricavit.

> Χαλκὸν δ' ἐν πυρὶ βάλλεν ἀτειρέα, κασσίτερόν τε
> Καὶ χρυσὸν τιμῆντα, καὶ ἄργυρον ——

Haud tamen cauſam hactenus dicere poſſum, cur ſic Homerus loqui voluerit, tam in Iliade quam in Odyſſea.

CAPUT XXIII.

De Obolis & Oboloſtatis.

Oboli Græcorum veteres ea forma, qua ὀβελοὶ erant, & veluti veruta minora, non aliud quam laminæ fuerunt, pro nummis uſurpatæ, ita ut ſex vel decem δρακμὴν facerent, h. e. quot vola clauſa comprehendit, ea enim δραχμὴ proprie dicitur, ut eſt apud Plutarchum. Non vero oboli propterea dicti ſunt, quod impreſſos ὀβελὲς & veruta cuſi habuerint, ut exiſtimant nonnulli docti Viri, ſed poſtquam oboli inter nummos cuſos locum obtinuerunt, iiſdem cum imaginibus & figuris & inſcriptionibus prodierunt, ut alii nummi ſignati ὀβελȣ̃ & veruti forma relicta, ac ad rotunditatem reliquorum ſignatorum compoſiti. Sic neque panis ὀβελίας aut ὀβελίτης dictus eſt, quam quod veruti formam referret; Et quomodo verutum incuſum præferre potuit obolus, qui χελώνην & cochleam pro inſigni ſolebat habere, ut eſt apud Pollucem, *pag. m.* 434. ex Eupolide, qui ὀβολὸν καλλιχέλωνον vocavit, unde etiam iſti nummi χελῶναι dicti ἀπὸ τȣ̃ τυπώματος, non a veruto procuſo. Et quamvis ſic ſatis conſtet, unde ὀβολὸς nomen acceperit, & quo tempore, maluit tamen Salmaſius *l. de uſur. pag. m.*426. ex Syriaca & Phœnicia linguis matrem ipſi ſubſtituere, ſed valde novercam, ne dicam illegitimi conjugii, ex פלס *Pheles*, cui quid rei ſit cum obolo, aut affinitatis, fateor me videre non poſſe. Salmaſius hæc voluit, ut probaret nummos in Græciam primos a Phęniciis cum eorum nominibus ac ponderibus tranſiiſſe, quod quid veri habeat, aut minus, alibi docemus. Sed poterant hæc Salmaſii ſubſiſtere, licet obolum non feciſſet Phœniciæ originis, quam tamen non probavit, niſi ſuum dicere aut aliorum velit eſſe probare. At hoc ante quoque teſtatus eſt *pag. m.* 324. illam derivationem procedere, dum Græci o literam præpoſuerint voci φέλος aut βέλος, inde factum ὀφελός. Tam magnum Virum illis argutiis ſerio voluiſſe immorari, miror utique. Oboli ve-

vero nomen & ὀβολῦ cum ὀβελῷ idem esse ex ipso Homero patet, *lib.* 1. Iliad. πεμπώβολα enim vocat verua quinque radiis exeuntibus coruscantia:

—— νεοὶ δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσὶν,

& paulo post

—— ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

ita ut quæ olim æquipollentia fuerunt ὀβελὸς & ὀβολὸς, hodie distingui cœperint, postquam nummi cusi prodierunt, & ab ὀβελῦ forma recesserunt. Sic ἀμφώβολα Sophocli dicuntur vaticinia ex visceribus animalium, *extispicia* Romanis dicta, nam exta verubus circumdabant, & ex iis divinabant futura. Sed cur ὀβολὸς non ὀβελὸς de nummis? Ionicum hoc esse putat Salmasius, ὀβελὸς, quod alii Græci ὀβολὸς pronunciarunt: retinuit dialectum in ὀβελίσκοις, & ἐποβελίᾳ, quæ dicitur sexta pars drachmæ. Sed ab his verubus obolos dictos nolunt aliqui credere, veruti tamen figuram numismati impressam fuisse statuunt, atque hinc ὀβολὸν vocatum; quod falsum est. Contradicunt omnes antiqui. Si qui recentiores hoc tradiderunt, in nummis antiquis ignorantiam suam produnt; Pollux diserte illo capite de nummis sexto *lib.* 9. *p.m.* 435. τὸ μὲν τοι τῶν ὀβολῶν ὄνομα, οἱ μὲν πάλαι βϩπόροις ὀβελοῖς ἐχρῶντο πρὸς τὰς ἀμοιβὰς, ὧν τὸ ἐπὶ τῇ δρακὶ πλῆθος ἐδόκει καλεῖσθαι δραχμή. Τὰ δὲ ὀνόματα νομίσματος καταπεσόντος εἰς τὴν νῦν χρείαν ἔμεινε, ἐκ τῆς μνήμης παλαιᾶς. Hæc omnia vera sunt, præterquam quod ὀβελὸς & verua ista βϩπόρϩς statuat, Bratspieße/ dar man gantze Ochsen an stecket kan; Illa verua insignem longitudinem requirebant, nec una manu plura eorum licebat versare, vix ambæ manus ejusmodi veru unicum promovere possunt, nedum ut sex aut decem δράκα conficiant, & δραχμήν. Rectius igitur agemus cum Polluce, si illud βϩπόροις irrepsisse ab alia manu credamus, quod ὀβελὸς βϩπόρϩς sæpe alias apud eum Scriptorem legissent, non intelligentes, quid esset βϩπορον. Illud enim veru maximum erat, quod bovem integrum transeundo capere poterat assandum. Illa verua sequebantur ὀβελοὶ medii ordinis alia, ὀβελοὶ dicti, ut quæ vulgo nunc a coquis tractantur, & tertii ordinis, quæ ad ὀβελίσκϩς pertinebant, ut *lib.* 6. *cap.* 13. *pag. m.* 291. indicat, quando inter σκεύη μαγειρικὰ recenset ordine ὀβελὸς deinde βϩπόρϩς, & addit ὀβελίσκϩς.

Ut coquus ille apud Athenæum, qui sua coquinaria afferre jubetur, cochlear, fuscinam, mortarium, &c. Omnia singula, sed ὀβελίσκϩς δώδεκα, quod illis indigerent maxime: Sic quoque in nummis pluribus obeliscis opus est quam obolis. Nam propter minuta, & res vilissimi pretii magis nummus inventus est, & commoda sua exserit, quam in pretiosioribus, quæ ipsæ sibi pretium statuunt, & facilius permutantur: hinc est, quod cum ad majores summas res adscendunt emtæ & venditæ, jam τάλαντα, minæque ceteraque pondera adhiberi pergant, sed in minutis soli nummi cusi, ut prius non cusi, officium fecerint. Minutiorem tamen nummum non reperio apud antiquos, quam ἡμιοβέλιον, obulum dimidium argenteum, qui nostræ monetæ est assis Danicus, duodecima pars drachmæ. Hunc ἥμαθον etiam vocabant, ut est apud Hesychium; Ἤμαθον, ἡμιωβέλιον, διώβολον παρὰ Κυζικηνοῖς. Ejus ἡμάθϩ seu ἡμαίθϩ meminit quoque Phœnix Colophonius apud Athenæum *lib.* 8. *cap.* 15. *pag. m.* 359. dum de Coronistis loquitur, qui cum cornice mendicatum ibant, ut Chelidonistæ cum hirundine:

Ἐσθλοὶ, κορώνῃ χεῖρα πρόσδοτε κριθῶν
Τῇ παιδὶ τῦ Ἀπόλλωνος, ἢ λάχος πυρῶν
Ἢ ἄρτον, ἢ ἥμαιθον, ἢ ὅτι τις χρήζει.

Erat igitur ἥμαιθος nummus minimus omnium; nam si minorem habuissent, etiam expressissent: ut in æreis obolis etiam dabantur πεταρτημόρια & τριτημόρια, sed in argenteis non ultra ἡμιωβόλιον descendebant.

Apud Pollucem igitur isto loco, βϩπόροις, est omittendum, & quidem inter nummos, qui forma verutorum referebant quidem, sed non in omnibus: longitudine, fabrica, amplitudine, aliisque notis dissimiles. Longitudinem eam his ὀβελοῖς fuisse judicamus, quæ extra manum prehendentem superius & inferius eminebat, sed modice, ut sex talia veruta commode manum implere possent, nec manum præpedirent ullo modo nimia longitudine. Hinc etiam ὀβελίσκοι sæpius dicuntur, quod illis similiores fuerint, quam ὀβελὸς, nedum ut ὀβελὸς βϩπόρϩς eos nummos retulisse credere debeamus. In verbis quæ sequuntur ex Aristotele desumtis, qui obolos dictos putavit ut ὀφέλλϩς, ab ὀφέλλειν, quod est augere, αὐτῶν διὰ τῶν εἰς μῆκος ηὐξῆσθαι ὧδε κληθέντων. φ. mutato in β. propter affinitatem. Sed hæc recte καινοτομεῖν Aristotelem sensit Pollux, nova est enim hæc etymologia, & longius petita, ἐκ οἶδα ὅπως, addens, quod nesciat, quomodo ὀφέλλειν quidquam cum obolo con-

conveniat. Hæc mens eſt Pollucis, quam interpretes ejus plane perverterunt, dum in Sicyoniorum republica nummulos cuſos, ὀφέλλυς dictos, verterunt, qui idem ſint, quod oboli. Polluci ſane & Ariſtoteli hæc affingunt. Inſpiciatur locus, nolo enim allegare aut me diffundere. Illud ſane diſcimus Ariſtotelem conſentire, oblongos fuiſſe tales obolos, & in μῆκος quoddam excreviſſe, ut in verſibus obſervatur, medio amplis, extremis partibus in acumen deſinentibus. Quod imitati ſunt in ære multi Græciæ populi, vel in ferro, ut obeliſcorum more eos formarent, vel rudi manu fabricarent, uſque ad Phidonem, qui nummos cuſos primus in orbe produxit, rotundos, & ideo obeliſcos omnes colligens Junoni Argivæ conſecravit ac repoſuit: ſic enim habent Græca: Πάντων δὲ πρῶτος Φείδων Ἀργεῖος νόμισμα ἔκοψεν ἐν Αἰγίνῃ, καὶ διὰ τὸ νόμισμα ἀναλαβὼν, τοὺς ὀβελίσκους ἀνέθηκε τῇ ἐν Ἄργει Ἥρᾳ. ἐπειδὴ δὲ τότε οἱ ὀβελίσκοι τὴν χεῖρα ἐπλήρουν, ἡμεῖς καίπερ μὴ πληροῦντες τοῖς ἓξ ὀβολοῖς, δραχμὴν αὐτὴν λέγομεν παρὰ τὸ δράξασθαι. Obolos quidem æreos aut ferreos non cudit Phido, ſed drachmas argenteas, ideo nec ipſi tribui poteſt, quod oboli deinceps ærei minores ex moneta prodierint, quam olim cum non cuderentur. At ſi obolos etiam Phido cudit, argentei fuerunt omnino, etiam illi, atque ſic verum eſt, nec iſtos obolos manum impleviſſe, & ſex tamen obolos drachmam reddidiſſe. Sed hoc etiam de obolis argenteis, poſt Phidonem malo additum eſſe nummis cuſis, ſiquidem occupationis ipſi ſatis in drachmis procudendis. Et quod ſine certo pondere hos obolos non cuſos fuiſſe, nobis perſuadere vult *pag.* 312. ſolamque magnitudinem ſpectatam fuiſſe, & in permutando ſolum appenſam, hoc quomodo fieri potuerit, non capio, rudi quidem ferro & nummis non deſtinato illud factum concedam, at certum pondus abeſſe nequaquam potuit, poſtquam aceto ferrum reſtinctum in ὀβελοὺς formatum exſtitit; quomodo enim obolo quis emere potuit, aut duobus obolis, niſi certum pondus datum eſſe ſingulis? quomodo ſex oboli drachmam, aut decem παχέων δραχμὴν efficere potuerunt, niſi certum illis pondus adeſſet ſingulis? num inter permutandum primo pondus ut congrueret effici debebat? at ſic non nummi, ſed rude ferrum aut æs fuiſſent: nummi enim certo pondere ſunt, & adhibentur, ideoque νομίσματα dicuntur, quod certum pondus placuerit. Ad hæc igitur pondera certa redactum æs, ex. gr. librale, obolus dicebatur, non vero quodvis æs incerti ponderis. Jam & veterum Grammaticorum illud, πρὸ τούτου γὰρ ὀβελίσκοις τραχέσιν ἐνομίζον, illud quidem τραχέσιν impolitos obolos ſignificat & non ſignatos; haud enim nummos eos poliebant, prout in cuſis fieri cœpit, nihil niſi certum pondus attendentes, cœtera informes, gibboſi, verrucoſi, aliiſque vitiis infecti.

Apud Athenienſes ærei nummi cuſi non cœperunt ante Calliam Archontem Olympiade 81. annis 454. ante Chriſtum natum, percuti. Oboli vero fuerunt ante illa tempora argentei, atque hinc ὀβολοστάται exſtiterunt, non tam propter æreos nummos appendendos, quam propter argenteos. Quamvis etiam Salmaſii ſententiam minime rejiciam, qui ὀβολοστάτην & fœminam ὀβολοστάτιν eſſe ſcripſit, qui non ſolum in parvis ſed & in vilibus fœnus exercet, ὁ τὰ μικρὰ δανείζων, quod fœnus omnium erat mordaciſſimum, in dies uſuras pariens, unde Pollux eos cum κίμβιξι & κυμινοπρίσταις conjungit, nam duplicem ſignificationem τὸ στῆσαι ſortitur apud Græcos, ſignificat enim & appendere, & mutuo dare, ſed appenſum: unde ἀποστῆσαι mutuum reddere, etiam appenſum, & ἀντιστῆσαι, contra aliud argentum dare, etiam appenſum, & συστῆσαι, quando plures dant & appendunt, ita ut propria ſignificatio τοῦ στῆσαι ſit a ponderando, quando pondera & res ponderatæ lances ſtare faciunt & ἰσορροπεῖν, quod quia in auro & argento fœnerando inter dantes & accipientes fieri ſolebat, prout hodie quoque aureos nummos appendimus & expendimus, priuſquam dentur & accipiantur, nonnulli quin etiam unciales argenteos ſic examinant, & ſemunciales, hinc στῆσαι quoque ſimpliciter pro fœnori dare intellexerunt, nummos etiam non appenſos. At Salmaſius non recte τὰ ἱστάμενα apud Pollucem explicat pro pecunia numerata ſolum; loquitur enim de nummis & quidem appenſis. Nam ut recte locum correxit vitioſum, ſic recte quoque explicari debuit: πέντε χρυσοῦ στατῆρες μνᾶν ἠδύναντο, καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις τῆς μνᾶς τὸ πέμπτον στατῆρα ὀνομάζουσι: h. e. *quinque auri ſtateres minam valebant, nam & in ponderatis* (aut in ponderibus) *minæ quintam partem ſtaterem nominant*: contradiſtinguit ſane nummos aureos cuſos argento rudi libræ impoſito. Mina eſt in argento, ejus quinta pars ſunt 20. drachmæ, quæ in pondere, ἐν τοῖς ἱσταμένοις, non *in pecunia numerata*, ſtater dicebantur, nam in pecunia argentea ſtater non erat niſi τετράδραχμος; ſtater aureus duarum drachmarum pondere vale-

bat 20. drachmas argenti; ſtater in pondere & libra extra pecuniam erat pars quinta minæ & 20. drachmarum pondere, ita ut ſtater aureus ſignatus, & ſtater in pondere 20. drachmis argenti compenſentur, ut minæ quinta parte. Hæc mens eſt iſtorum verborum & Pollucis. Et hinc ὀβολοστάτης per contemtum is dictus, qui etiam æreos iſtos non niſi appenſos recipere volebat, prout in aureis & argenteis ſolitum, quod erat illiberale & ἀνελεύθερον ut ὀβολοστάτην Pollux deſcribit, *lib.* 3. *cap.* 23. *pag. m.* 158. φιλοκερδὴς, φιλοχρηματιστὴς, χρηματιστικὸς, ἀνελεύθερος, ὀβολοστάτης, ὁ δὲ κέμβιξ καὶ κυμινοπρίστης οὐκ ἀνεκτοὶ, adeo ut non ſolum ὀβολοστάτης ſit, qui in parvis fœnus exercet, ſed & qui turpiter uſque ad obolum quemvis appendendum attentus eſt; quæ ſecunda & tertia ſignificatio hujus vocis dici meretur, nam prima fuit ὀβολοστατικὴ ſatis honeſta, dum in argenteis obolis expendendis & collocandis verſabantur, & in ære gravi, poſtea obolis ad æs exiguum redactis, ὀβολοστατεῖν nimium quid videbatur, & inhoneſtum etiam illos appenſos requirere, ultimo etiam fœnus diobolare exercere, & in obolos pecuniam elocare, quos etiam non niſi appenſos deſiderarent accipere, res erat ingenuo homine minus digna, unde αἰσχροκερδεῖν & ὀβολοστατεῖν conjunguntur Polluci ibidem, Hic τόκος dicebatur ὀβολιμαῖος & res oppignorata ad talem uſuram ὑπόβωλον.

CAPUT XXIV.

De Drachma.

DE drachma quod dixi & δραχὶ, Græci omnes ea voce ſic utuntur ut ſua, non ut aliena. Euſebius voce δραγματος uſus eſt *Præparat. Evang. pag. m.* 149. pro manipulo, ὡς ἂν γεωργὸς δραγμάτων ἀπάρχεται καὶ τῶν ἀκροδρύων: manipulos intelligit ſegetum ut primitias Diis oblatos, quos δράγματα vocat, inde manipuli breviores, quos vola manus tegere poteſt & claudere δραχμαὶ dici cœperunt: ita ut δράγματα ſint manipuli volæ apertæ vel conniventis, δραχμαὶ manipuli manus clauſæ, quos excidere nolumus. Hoc non intelligentes, qui Plutarchum Latine interpretati ſunt, ἐπιδράττειν *corripere* reddiderunt, cum ſit tota manu corripere. Sic in *Apophthegmat. p. m.* 19. Alexandro Macedoni ἐπιθυμιῶντι τοῖς Θεοῖς ἀφειδῶς, καὶ πολλάκις ἐπιδραττομένῳ τοῦ λιβανωτοῦ παρὼν ὁ Λεωνίδης, &c. ſic reddiderunt: *Diis adolenti liberalius & ſæpe thus corripienti adſtans Leonides:* cum reddere debuiſſent, *ſæpe tota manu thus injicienti*, quos tribus digitis ſufficiebat, propter πολυτιμίαν thuris apud antiquos, offerre, bey gantze Hände voll / Germanis, Næffoerfuld / Danis: hoc enim eſt ἐπιδράττειν. Hinc quoque ὁ δρὰξ, *pugillus*, minor menſura videtur quam δράγμα, aut manipulus; omnia δράσσω, vel δράττω & δράζομαι deducta, quod eſt *manu corripere*: mit der Hand faſſen. Ideoque Septuaginta Interpretes *Deuteron.* 24. *verſ.* 19. mergitem aut manipulum frumenti δράγμα vocarunt, eine Hand voll Korn / cum ſtipula ſua: ἐὰν ἀμήσῃς ἀμητὸν σου ἐν τῷ ἀγρῷ σου, καὶ ἐπιλάθῃ δράγμα ἐν τῷ ἀγρῷ σου, οὐκ ἐπαναστραφήσῃ λαβεῖν αὐτὸ, adeo ut δράγμα ſit, quod una manu comprehendi & auferri poteſt, licet plus quam manum unam impleat. Plutarchus quando grues deſcribit lapidem tenentes, ne dormiant nimis ſecure, egregie vocavit περιδράξιν, in libello, πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, *pag. m.* 979. τῆς γεράνου σοφὸν, ἡ τοῦ λίθου περιδράξις, quo vocabulo nihil ſignificantius reperire potuit, pro exprimendo actu illo comprehendendi totis unguibus circum circa lapidem. Τὶς ἐμέτρησε τῇ χειρὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸν οὐρανὸν σπιθαμῇ, καὶ πᾶσαν τὴν γῆν δρακί; eſt apud *Eſaiam cap.* 40. *verſ.* 12. Una manu diverſas menſuras ſubindicat, τῇ χειρὶ hauſtum aquæ, per manum incurvam, quantum illa transfundere poteſt: σπιθαμὴ, non eſt *palmus*, prout reddiderunt interpretes, eine Handbreit / ſed quantum menſuræ inter minimum digitum, & pollicem extenſos intercedit, comprehendit; & palmum longe ſuperat, qui non eſt niſi quatuor digitorum, deeſt autem Latinis vocabulum, quo ſpithamam exprimant ideoque ad palmi & dodrantis vocabula confugerunt. Sicut enim dodrans novem partes totius pedis complectitur, ſic ſpithama novem partes totius hominis; hominem enim novem ſpithamas ſuæ manus non facile excedere. Quæ quomodo conveniant non video, multum enim differunt novem partes hominis, & novem partes pedis aut manus. Plinius tamen ſic utitur *lib.* 7. *cap.* 2. de Pygmæis: *Spithamæi Pygmæi, narrantur, ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non excedentes*, ſcil. pedis, Δοχμὴ etiam eleganter Græcis dicitur a δέχομαι, *accipio*, intelligentes quantum maxime manus extendendo ſe capit. Dani & Germani etiam non ineleganter reddere norunt *et* Spend / eine Spanne. Francici quoque ſpithamam, *un empan*, vocarunt: quod vocabulum Menagius ipſe in lexico ſuo ex Germanico deduxit, ein Spann / nec immerito; ad nullam enim aliam lin-

linguam referri commodius poteſt, exemplo Italorum, qui diſerte *ſpanna* pro *empan* utuntur, & *ſpannare*, pro *empaner*, mit der Spannen begzeiffen, modo non confundatur cum *ſpannare*, quod eſt pannis exſuere, & ex pannis Latinorum originem retinuit: hæ enim origines diverſæ ſunt: hæc originem Latinam præfert, illa Germanicam, quod in illis linguis ſæpius attendendum venit. In lexico Italicæ linguæ Ferrarii obſervavit doctiſſimus Vir Francicis *eſpan* quondam fuiſſe pro empan, adeo ut mirer, cur *ſpanna* & *ſpannare* Italicum nolit ex Germanica lingua derivari, quæ tamen in multis mater eſt tam Francicæ quam Italicæ & Hiſpanicæ linguarum, per Celticam primo linguam, deinde per Danicam & Germanicam, ſub qua Gothica quoque comprehenditur. Sed ita plerique in Danos & Germanos, eorumque linguam, infeſto ſunt animo, ut nullam plane vocem ex iis derivatam agnoſcere velint, quod tamen male ſe habet, & cœcos facit interpretes. Tertia menſura manus eſt δρὰξ, ea manus amplitudo, rem comprehendere quæ poteſt, ne excidat. Sic capiens manus, dicitur δρὰξ, res comprehenſa, manum implens, δραχμὴ, eine Handvoll. adeo ut Septuaginta ſua δρακὶ proxime acceſſerint ad Hebraicum textum, quem & Latini & Germani non videntur aſſecuti eſſe, dum reddiderunt: וכל בשליש צפר הארץ *& in trientali omnem pulverem terræ*, und begreift die Erden mit einen Dzeyling. verbum verbo ſi reddas, in Hebræo ſonat, *& omnem in terno pulverem terræ*. Notandum eſt, שליש Hebræis multa ſignificare, pro ſubjecta materia, aut Tribunum & Ducem trium cohortium, aut trientale pondus, aut inſtrumentum muſicum trium chordarum, vel tertiam partem, vel aliquid ſimile, quod tertium numerum non excedit. Ita quoque hic explicandum fuerat שליש quoniam de manus menſura loquitur ſacer codex, pro tribus digitis: nam & illa menſura manus eſt, ut ſpithama & concavum manus, quibus cœlum & aquas dimetitus eſt, ſic omnem pulverem terræ tribus digitis Deum continere ſignificare voluit, & appoſite pulverem tribus digitis comprehendi dixit, ſic enim ſolemus pulverem, ut exinde Septuaginta quoque δράκα fecerint, quod voculam nullam ſignificatiorem afferre potuerint ex Græca lingua. Julius Pollux menſuras has accurate obſervavit, *lib.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 32. *pag. m.* 107. περὶ τῶν διὰ χειρὸς μέτρων. Nam prima menſura occurrit δάκτυλος, deinde, quando quatuor digiti conjuncti tenentur, illa menſura dicitur δοχμὴ, καὶ δακτυλοδόχμη, 4. finger bzeit Germanis, καὶ παλαιςὴ θηλυκῶς, καὶ παλαιςὴς ἀρσενικῶς, κοὶ κέρατα ἑκκαιδεκάδωρα, τὰς ἑκκαι δέκα παλαιςάς. Jam longitudo manus a carpo ad medii digiti finem, in menſura ὀρθόδωρον vocatur. Si vero digitos extendendo, a pollice uſque ad minimum metiaris, Spithama vel σπιθαμὴ hæc menſura. Sed ſi pollicem indici conjungas, menſura, lichas, εἰ δὲ τὸν μέγαν δάκτυλον τῷ λιχανῷ ἀντιτείνας μετρεῖς, τὸ μέτρον λιχὰς, a cubiti vero prominentia uſque ad ſummum digiti medii, πῆχυς, εἰ δὲ συγκάμψειας τὰς δακτύλους ἀπ' ἀγκῶνος ἐπ' αὐτὰς, πυγὼν τὸ μέτρον; εἰ δὲ συγκλείσειας, πυγμή. Si vero manus ambas extenderis, & pectus ipſum una in menſuram veniat, orgya dicitur illa menſura. Tam accurate Pollux menſuras manibus fieri ſolitas tradidit. Sed Scriptura Sacra accuratius, quæ non oblita eſt ejus minimæ, quantum tribus digitis qui comprehendere poteſt. Joſephus quoque pugillum ſimilæ δράκα vocavit *lib.* 3. *Antiq. pag. m.* 92. ἐπενέγκη κατ' εὐχὴν σεμίδαλιν, ταύτης ἀπαρχὴν μίαν ἐπιβάλλει τῷ βωμῷ δράκα. Et mox ςαχύων δράγμα vocat, τῶν κελθῶν καθαρῶν δράκα, ita ut δρὰξ ad farinam ejuſque generis pugillos, δράγμα vero ad manipulos fœni, ſtipularum, ariſtarum &c. pertineat. Vocarunt igitur hæc δραχμναῖα non ſolum ὀβελὰς ſed & ὀβελίσκας, ut eſt apud Plutarchum Comm. de Pythiæ oraculis *pag. m.* 400. ubi ferrei obeliſci Rhodopidis meretricis adducuntur, erat enim in templo χωεῖον, ἐν ᾧ Ῥωδώπιδος ἔκειντο ποτὲ τῆς ἑταίρας ὀβελίσκοι σιδηροὶ —— ὅπυ τὰς δεκάτας φέρυσα κατεθήσεται τῶν μισθῶν. Erat illa conſerva Æſopi, formæ non vulgaris, quæ quæſtum faciebat ſua conditione dignum, ferreos obeliſcos, quorum ἀπαρχὰς & decimas Deo nuncupabat, ut etiam auream aliquando ipſi concederet meſſem & mercedem.

CAPUT XXV.

De Adarcon & Darkemon.

ACcedit adhuc illa ratio pro nummis, quod per drachmas auri ſignificentur, ſiquidem Hebræus textus tam *Eſr.* 2. *verſ.* 69. vocem δραχμῆς ex Græca lingua retinuit, quam *Nehem.* 7. *verſ.* 70. 71. & 72. ubi *Darkemon* legitur, quod ex Græca δραχμῇ eſt effictum, & indicat nummos aureos δραχμὰς a Græcis translatos in Judæorum uſum, non vero cuſos Judæorum moneta, nec multum abire video vocem *Adarcon*, quæ legitur 1. *Paralipp.* 30. *verſ.* 7. *Eſr.* 8.

verſ.

verſ. 27. quæ rurſus δραχμὴ redditur in textu Græco, & ex Græca lingua in illam tranſiit paulo corruptius.

Quin & recte ad meam ſententiam Jobus Ludolphus in *Comm. rer. Æthiop. pag. m.* 568. Arabicum & Æthiopicum *Derhem*, quo drachmalem nummum aureum Hungaricum appellant, ita a δραχμῆ Græcorum transfiguratum ſcribit, & quamvis addat, *ut videtur*, dubitans, nec ſatis aſſerens, clara tamen ejus rei ſunt veſtigia in ipſis literis, vocalibus enim ſublatis, *drachm.* reliquum, cuilibet nationi pronunciationem ſibi propriam relinquit, radice eadem ſemper manente in conſonantibus. Agnoſcit quoque Salmaſius *d. uſurp. pag. m.* 507. *Derhem* Arabicum drachmam eſſe. Ægyptium quoque vocarunt *Darham*, quod idem eſt, nam & Ægyptii ab Arabibus vel Græcis ipſis illud hauſerunt. In Miſnajoth pondus ipſius eſt granorum hordei ſeptuaginta & unius. Quin & a Græcis multi Orientales eadem pondera ſervant, ut admonet ibidem Ludolphus, unciam Æthiopicam Abaſſinicam parem eſſe unciis noſtris pariter ac drachmas, ſed unciam auri iſtius non valere niſi decem unciales thaleros noſtræ monetæ, quod vile ſit illud aurum, cum uncia auri Hungarici 16. uncialibus imo viginti, nobis æſtimetur in argento.

CAPUT XXVI.

De Κέρμασι.

HUC ſpectant κέρματα Græcorum, quæ vox ſatis indicat olim argentum ita fuiſſe in minutulas partes conciſum, prout indigebat quiſque, & pro nummis valuiſſe priuſquam monetæ publicæ conſtitutæ fuerunt. Illis ante conſtitutis κέρματα non deſierunt quidem, ſed & notam aliquam publicam accipiebant, ut Aſperi Turcici hodie vera κέρματα ſunt, ſed ſignata tamen publico uſui. Aſperi 150. thalerum noſtrum uncialem faciunt cum dimidio: unde 25. Aſperi 12. ſolidos Lubecenſes reddunt, ſinguli Aſperi aſſem fere Danicæ monetæ æquant, aut dimidium Lubecenſem. Suidas docet 210. κέρματα ante Juſtinianum ſtaterem aureum effeciſſe, ab ipſo ad 180. κέρματα ſtaterem redactum. Erant tunc κέρματα publicæ monetæ & certi ponderis, ſed interpretes Suidæ miror, qui *æra minutiſſima* τὰ κέρματα verterunt, quaſi ex argento κέρματα nulla vel φόλεις fuiſſent. Suidas ſane hoc nuſquam ſtatuit, nam & λεπτὰ & φόλεις & κέρματα ex argento pariter cadebant ac ex ære, in primis quando ad Daricos & ſtateres aureos componebantur. Hinc eſt quod Suidas diſerte in voce Κέρματα, Ἀργυραμοιβοὺς nominet, *Cambiatores argenti*, qui illa κέρματα dabant, aureos ſtateres recipientes. Stateres autem aurei erant δίδραχμοι pondere, unde in argento 20. drachmas ſinguli ſtateres aurei valebant, prout recte Suidas in voce Δαρεικοὶ computat, nam & Darici δίδραχμοι erant, Videamus jam κέρματα; Ducenta & decem faciebant 20. drachmas: noſtræ monetæ uncias duas cum dimidia, aut thaleros Imperiales duos cum dimidio. Reddebat igitur κέρμα argenti $6\frac{6}{7}$ denariolos Lubecenſes aſſi Danico pares, & quod excedit, ſunt enim denarioli Danici $13\frac{5}{7}$. Hi denarioli noſtri hoc numero faciebant obolum æreum, non vero ærei ſunt ſed argentei, & argenti κέρματα non æris, cum oboli majori magnitudine ſint, quam ut κέρματα dici poſſint, librales primo, minoris deinde ponderis. Sicque intelligendus Suidas, quando κέρματα unius ſtateris aurei 210. ὀβολοὺς eſſe ſcripſit, aut 180. lucrante Juſtiniano in ſingulos aureos 30. κέρματα argenti ejuſdem valoris erat. Κέρματα autem non ſemper eadem, nam & κερμάτιον legimus apud Pollucem, qui ex Ἀμφιδὸς Ἀμπελουργῷ adducit μικρόν τι κερμάτιον. Ita quoque φολεις vel φόλλεις origine ſua in argento fuiſſe propter tenuitatem & exiguitatem ſummam oportet, & cum valore oboli ærei concurriſſe, unde oboli ærei κερμάτων ſeu φόλλων nomen adſciverunt, κέρματα enim καὶ φόλεις, quod veluti folia diſflari poſſent, tenuis ſtructuræ in argento, robuſtiora in obolis æreis repræſentabantur. Λεπτὰ quoque in nummulis propterea fuerunt, ſua natura ex argento κερματισθέντα, at in obolis æreis magis præſentia. Unde apud Marcum Evangeliſtam *cap.* 12. *verſ.* 42. ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ, ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. Κοδράντης eſt quadrans aſſis ærei, oboli quoque veteris quadrans, ergo denarioli tres $\frac{3}{7}$ Lubecenſes, & λεπτὸν unum denarioli $\frac{3}{7}$ Danici, quæ κέρματα erant omnium minutiſſima, de quibus in antiquis legimus. *Lucæ* 21. *verſ.* 2. iſta δύο λεπτὰ hujus viduæ rurſus adducuntur, ſine tamen explicatione. Videmus propterea nummos veteris ævi nihil fuiſſe niſi κέρματα pro cujuſque uſu, ſed in auro & argento, non in ære, apud Judæos: nam de aliis gentibus mihi non diſputandum ſumam, quin ex ære κέρμασι, & ferri, & ſtanni rem ſuam & commer-

mercia stabilierent, ubi tantum argenti non suppetebat. Facile videmus viduam hanc non λεπτὰ δραχμιαῖα obtulisse, qualia sunt apud Hesychium & alios, qui λεπτὸν & δραχμὴν argenti pari passu ambulare faciunt, & μέρος ἑξάκις χιλιοστὸν ταλάντου appellarunt, sed minutissimum quod in argento habebant Judæi hanc viduam obtulisse dicendum est, quod erat veteribus *Gerah* vicesima pars sicli. Sunt ergo bina λεπτὰ in argento bina *Gerah*: quamvis Christi tempore tam sicli quam Genomen desierant, Judæi tamen secundum illa computum instituebant, Græce loquentes Græcis nominibus exprimebant; Syrus duas octavas scilicet oboli explicavit, quæ sunt δύο χαλκοὶ, nam octo χαλκοὶ faciunt obolum. Ambrosius *æra duo* vocavit hæc λεπτά; melius Hilarius, qui denarios vocavit, ut nos hodie minimum in nummis denarium appellamus. Non enim ærea fecerunt hæc λεπτὰ, sed argentea κέρματα ἄσημα, more Judæis recepto, qui signatos nummos & peregrinos vultus non inferebant in sanctuarium aut gazophylacium, sed per collybistas in templo sedentes ea peregrina, cum opus esset, permutabant, ut haberent ἄσημα Judaica quæ offerrent: sic vidua hæc gazophylacium accedens, non ærea λεπτὰ non κοδράντην æreum, sed ἄσημα Judaica duo Gerah in argento præbuit. Haud enim æreis utebantur ἀσήμοις Judæi, sed argenteis & aureis. Quod vero Lucas κοδράντην addidit, non ad metallum pertinet, sed ad valorem λεπτῶν. Quadrans vero æreus erat Romanus, & quadrans assis unius, ita ut si duo λεπτὰ quadrans assis Romani fuerunt, vix duos denariolos Lubecenses monetæ nostræ valuerunt. At si cum siclo & Gerah, quæ erant Judaica numismata τὰ λεπτὰ componas, duo λεπτὰ $2\frac{4}{5}$ asses Lubecenses efficient: quam ob causam potius est hæc λεπτὰ ad Romani numismatis usum definire, & κέρματα argentea fuisse minutissima dicere, duorum vel trium denariolorum Lubecensium pretio, siquidem non frustra Lucas κοδράντην addidit, ut quo nummorum genere essent computandi significaret Hesychius in τελαντοπόρνη etiam alia λεπτὰ, minima sane, protulit dum τέλαντα sive tres chalcos esse λεπτὰ viginti & unum prodidit. Τελαντοπόρνη, inquit, λαμβάνουσα τέλαντα, ὅ ἐστι λεπτὰ ἓν καὶ εἴκοσι. Hæc λεπτὰ ærea fuerunt, quorum septem chalcum efficiebant. Chalcus veteribus erat uncialis ponderis λεπτὸν igitur septima pars unciæ, quæ drachmæ pondus in ære tenebat, & quod excedit, ideoque magnitudinem etiam drachmalem prætulit. Jam secundum quod asses & oboli imminuti sunt, & a pristino pondere librali recesserunt, ita quoque χαλκοὶ & λεπτὰ considerandi veniunt; obolo enim unciali exsistente χαλκὸς duorum scriptulorum pondus non excessit, & λεπτὸν fuerit, cujus ne pondus quidem dici potest, octo fere granorum, quanto magis cum ad semunciæ pondus ὀβολὸς descendit, χαλκὸς erat scriptuli magnitudine & pondere λεπτὸν vix 4. granorum, si *96.* grana in drachmam numerentur. Tales igitur oboli 24. chalci 288. λεπτά *2016.* libram Atticam vel Romanam effecerunt, & Christi temporibus maxime conveniunt, quando asses Romani semunciæ pondus non superabant. Talia igitur λεπτά, sive in argento sive in ære considerentur, Hebræorum, Græcorum, aut Romanorum, ad nummos cusos pertinere non poterant; sed sufficiebat illa sub forfice cadere, & ad pondus certum redigi. Unde sicli κέρματα erant τετράδραχμα & δίδραχμα, dimidius siclus κέρμα δραχμιαῖον & δίδραχμον. Ultra siclum in argenteis nummis κέρμα majus Judæis non dabatur, minora vero κέρματα plura, quæ Judæis unquam signata fuisse non apparet. Ita non minus κατακερματισταὶ dicitur, qui loco aureorum siclos permutat, quam qui obolos. Stater δίδραχμος aureus valebat nostræ monetæ quatuor unciales thaleros sunt sicli argentei octo: ita ut κατακερματισταὶ sit, quod Germanis dicitur, grob gegen klein Geld umbsetzen, quo Suidæ verba spectant: ἐξήγαγεν ἐκ τῆς ζώνης τοὺς χρυσοῦς κατακερματίσαι θέλων, καὶ διαλύσασθαι τῷ πανδοχεῖ. Quidquid ergo in argento recepit loco aureorum, κέρμα erat. Locus Esaiæ 40. *vers.* 12. Die Heyden sind geachtet wie ein Tropff so im Eymer bleibet / und wie ein Scherfflein / so in der Wage bleibet / שחק est in Hebræo, ῥοπὴ in Græco. Non loquitur ibi de nummis aut de κέρμασι loco nummorum, sed de minima limatura, aut frustillis, quæ κέρματα fracta lanci injecta sponte sua relinquunt quasi micas, ῥοπὴν exiguam aut nullam dantes, ideoque nullius valoris æstimatas. Has micas enim non magis considerari quam guttam relictam in situla, dixit Propheta & sicut gutta una, vel mica una auri vel argenti in lance, sic quoque gentes omnes Deo haberi, h. e. nihili plane, quo etiam tendunt verba sequentia: Sihe / die Insulen sind wie ein Stäublein. Pulvis enim minutissimus & mica & guttula, quamvis pondere & ῥοπῇ non careant, vix tamen sentiuntur, sed halitu levissimo difflantur. Illud autem locus hic indicat, non alios fuisse nummos in lance, quam tales, qui micas istas & gebröckels

so-

ſolebant relinquere, quod faciunt κέρματα, non vero monetæ cuſæ, cum hi ſint liberati omnino a talibus detrimentis in lance quavis poſiti: illa vix liberari poſſint, quin ſemper aliquid cadat & ſeparetur: Omnes enim nummi cuſi, priuſquam cudantur, κέρματα ſunt, quod forcipe conſcindantur, & ad pondus præparentur, ut cuneum recipere queant, ſub quo ſic compaginantur, ut nihil amplius decipere queat.

Cruſta occurrunt apud Matth. Pariſ. conjuncta cum talentis & jocalibus ad Ann. 1522. *pag. m.* 831. ejuſque Gloſſarium explicat cruſta lamineas aureas, ex quibus aurifices vaſa conficiebant, loquitur enim Hiſtoricus de auro: *Auri quoque ſititor hydropicus talenta vel cruſta aut jocalia adeo avide* &c. emunxit. Sed hæ laminæ & cruſtæ haud pertinent ad eas lamellas, in pondere conciſas, quæ nummorum loco veteribus fuerunt. Indicant tamen, quibus nominibus appellatæ ſint iſtæ laminæ, ex quibus tam vaſa quam nummos olim, antequam cuderentur nummi, conficerent, ita ut cruſtæ & talenta ſint maſſæ non cuſæ, ut *Kikkar* apud Hebræos.

Apud Petronium libertus Trimalcionis, cum aliquid argenti ſe coraſiſſe jactat, ſeque ditiorem factum, lamellulas ſe paraſſe dicit: *Glebulas emi, lamellulas paravi*: reſpiciens procul dubio ad illum morem veterem, lamellis pro nummis utendi: meliuſque illud quadrat, puto, quam de lamis, lacunis & lacubus, aut vaſis argenteis in lamellas deductis hanc vocem intelligere. Sic enim ſolemus noſtra extenuare, cum invidiam verbis & rebus cupimus abeſſe. Novi Virum opulentum, qui pari ratione de ſuis opibus loqui ſolebat, Bitter vocando thaleros unciales, orbiculos ſcilicet & calculos luſorios, quaſi nullius curæ aut momenti congeſtæ divitiæ forent, non majoris, quam calculi aleæ.

Plutarchus autem cum nihil minutius in nummis reperire poſſet, uſus eſt voce κερμάτων in M. Catone *pag. m.* 339. loquens de ſervis jam inutilibus, ſenio & laboribus exhauſtis, non vendendis ἀντὶ κερμάτων μικρῶν, ſed alendis & curandis. Hic proprie κέρματα ſumſit, pro parvis argenti fruſtilis, ut erant, non ſignatis aut cuſis, ſed loco minutæ monetæ, una cum aliis cuſis valentibus: neque enim illorum uſum antiquum ſtatim ceſſaſſe credendum eſt, nummis cuſis introductis. Sed & κέρματα pro nummis cuſis ſæpe ſumi reperiemus, poſtquam omnia nomina non ſignatorum ad cuſos tranſierunt, ut cum de Cimone dicitur in ejus vita ab eodem, *pag. m.* 484. οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ νόμισμα κόμισμα κομίζοντες ἄφθονον παριστάμενοι τοῖς κομψοῖς τῶν πενήτων ἐν ἀγορᾷ σιωπῇ τῶν κερματίων ἐνέβαλλον εἰς τὰς χεῖρας. Hic κερμάτια aut nummi cuſi ſunt ex minimis in ære, vel non cuſi in argento, nam utraque κερμάτια tunc dicebantur, & erant, & valebant. Quod vero obſervat Pollux *lib. 9. cap. 6. pag. m.* 438. κέρματα, ἀλλ' οὐ κέρμα λέγειν, Ἀττικόν, hoc quidem rationem aliquam habet, quod raro κέρμα ſolum reperiatur, ſed plura: unde διαματίσαι majores nummos dicimur, quando in plures minutulos illos convertimus, quod nummis nondum cuſis ſæpius evenire neceſſe fuit, ut Ariſtophanes ἐν τοῖς σφηξὶ

—— δραχμὴν μετ' ἐμοῦ πρώην λαβὼν
Ἐλθὼν διεκερμάτισα μὲν τοῖς ἰχθυσιν.

h. e. drachmam illam totam & integram piſcibus variis emendis impendi, ita ut in κέρματα & particulas argenti drachmam redigere opus fuerit, quemadmodum ſi quis hodie nummum argenteum ſex aſſium Lubecenſium in forum afferat, piſcem emens uno aſſe, protinus κερματίσαι oportet, quod Germanis dicitur, das Sechsſchillings Stück verwichſelen, recipit ergo κέρματα in dimidiis aut integris aſſibus, vel etiam apud Brunſvicenſes, & Saxones in denariolis minutulis, hoc jam κερματίζειν in nummis cuſis dicitur, & obſervatur. At proprie hoc non eſt κερματίζειν, ſed nummum majorem commutare cum minoribus, unde idem Pollux *lib. 7. cap. 33. p. m. 366.* ὁ νῦν κόλλυβος ἀλλαγή. καὶ τὸ καταλλάττειν νόμισμα, καὶ κερματίζειν. Ἀργυραμοιβὸς dicitur, qui talem menſam exercet, licet aurum commutetur, & aurum reddat, nam in argento plerumque commutando trapezitæ verſabantur. Νομισματοπώλης vero & νομισματοπωλικὴ idem eſt quod ἀργυραμοιβικὴ, niſi quod per illam nummi ſoli contra nummos alios vendantur, per hanc vero aurum & argentum omne commutetur. Aliud adhuc eſt ἀργυρογνώμων & δοκιμαστὴς, ſed plerumque in eundem hominem coincidunt, quod ἀργυραμοιβὸς & ἀργυρογνώμων eſſe debeat, ne decipiatur. Aliud autem eſt κέρμα ſua natura, & a κείρω deſcendit, quod eſt tondeo & ſcindo, nihilque commutationi ſimile habet, omnes particulæ abſciſſæ a ſuo integro proprie dicuntur κέρματα: ſic capilli tonſi & cadentes ſub forfice κέρματα ſunt; minutiæ cujuſvis rei cultro ſimilique inſtrumento defalcatæ κέρματα ſunt; etiam λόγων κέρματα ſunt, μεταφορικῶς, quod ex multis particulis ſermo integer conſtet,

& in-

& integra in multa minuta diſpeſcantur ac ſolvantur, ut Cratinus ἐν Τροφωνίῳ ἀργυροκοπιστῆρας λόγων vocavit apud Pollucem *lib.* 7. *cap.* 24. *Sect.* 2. *pag. m.* 350. Sic quoque in nummis fruſtilla, quæ quis ab integris diſcidit & appendit, aut κόμματα dicuntur, ſi majora ſunt, aut κέρματα, ſi minora & minima. Hoc proprie eſt κέρμα & κερματίζειν in nummis, nempe fruſtula forfice abſcindere auri vel argenti vel æris, eaque appendere, donec pretium conventum appareat in libra. At hoc nummis cuſis non convenit, niſi quod antequam ſignentur, etiam κέρματα & κόμματα fuerint, quæ per cuneum & monetam in aliam monetam tranſeunt, nec amplius reſpiciunt illud argentum non ſignatum, vel ſignatum, unde monetarius illa ſuſtulit, ſed ſuæ notæ fiunt, ſibique ſapiunt ſolis. At in nummis non cuſis hæc κερμάτων fœtura ſemper reſpicit illam matrem a qua deſcenderunt, nec κέρμα dici poteſt, niſi præcedat aliquod integrum ex cujus ſinu decidit. Drachmam igitur argenti ſi quis teneat non ſignatam, illamque forfice decurtet, & particulam auferat hodie, illud quod abſtulit minutum, κέρμα fuerit omnino dicendum, ſi cras alia particula indigeat, rurſus ad eandem drachmam recurrit, & aufert quantum ſatis eſt, tunc ecce aliud κέρμα cecidit, huncque κερματισμὸν tamdiu repetit, donec tota illa drachma his κέρμασι ſit abſumta, quod eſt Ariſtophanis διακερματίζειν. Si drachmam forte dimidio partitus eſt, quod ſic uſus ejus flagitaverit, κόμμα potius erit quam κέρμα, nam minutiſſima in nummis talibus κέρματα dicuntur, ultra quæ nihil minutius dari poteſt. Nec certo pondere χέρματα talia fuerunt, ſed alterum altero majus & ponderoſius, unde κέρμα & κερμάτιον orta ſunt, hanc rem ſignificantia, vix enim forfex hæc judicare poteſt, ſed libra, ubi κέρμασι κερμάτια conjungi neceſſe fuit, donec exiret illud pretium, quod exigebatur. Sic cum Phocion apud Plutarchum quærit, *pag. m.* 758. num gratis non liceat mori Athenis, εἰ μηδὲ ἀποθανεῖν Ἀθήνησι δωρεάν ἐστὶ, ἐκέλευσε τῷ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ κερμάτιον, quod ex ſacculo promens tradebat, ut carnifici darent. Interpretes volunt æreum fuiſſe illud κερμάτιον, quod quidem eſſe potuit, ſed & argenteum eſſe potuit, nam in utroque metallo κερμάτια dabantur, nec illud Plutarchus diſerte memoravit, æreum fuiſſe, nec quanti pretii, licet exigui fuiſſe κερμάτια ſciamus. Ejuſdem naturæ eſt κόλλυβος nummulus, quem quoque inter κερμάτια recenſere poſſumus, priuſquam ad æreos nummos cuſos fuit translatus cum aliis κερματίοις, quam ob rem Gloſſæ veteres Latinæ *Collybus*, κερμάτιον reddiderunt; & Heſychius bovem incuſum habuiſſe κόλλυβον tradit: Κόλλυβος εἶδος νομίσματος, καὶ ἐν τῷ χαλκῷ κεχαραγμένος βοῦς, ita ut etiam βοῦς hic nummulus dictus reperiatur. Omnino, poſtquam nummi cudis cœperunt, & nomina non cuſorum iis relicta ſunt. Nam & κολλυβισταὶ & κερματισταὶ, & Latinis *nummularii* dicti ſunt argentarii, qui minuta iſta permutabant majoribus nummis:

> Οὐδεὶς ἐπρίατ' ἂν δρέπανον οὐδὲ κολλύβου,
> Νυνὶ δὲ πεντήκοντα δραχμῶν ἐμπολῶ.

Τεικόλλυβον nummum habet Pollux *pag. m.* 434. qui ter κολλύβου pondus habuit, ni fallor, in ære, poſtquam ad nummos cuſos res rediit. Quin & τεικόλλυβον forma bovis tunc impreſſum & excuſum nummum factum eſſe, ut κόλλυβον, non diffiteor me credere, atque Polluci fidem adhibere, licet nomen ipſum κολλύβου & τεικολλύβου ante nummos cuſos de non cuſis dictum eſſe ſentiam, & de eodem pondere æris, ſine bovis tamen expreſſa figura. Videmus igitur ex nummis non cuſis illorumque natura & moribus primum κέρματα, ejuſque generis dictiones fluxiſſe, & deinceps ad nummos cuſos translatos eſſe, unde Ariſtophanis verſus ἐν δαιταλεῦσιν, quem Pollux *citat. pag. m.* 438. οὐδ' ἀργύρειον ἐστὶ κεκερματισμένον, aut κατακερματισμένον, ut legitur *pag.* 366. duplici ſenſu ſumi poteſt, aut de ἀργυρείῳ cuſo, aut non cuſo, nam κέρματα hujus ἀργυρείου, quin non cuſa fuerint, Ariſtophanis ætate, nullus dubito, ut τειτηλόεια & τεταρτημόεια drachmæ, & alia κερμάτια his minora: quæ ſi quis per æreos nummos repræſentata fuiſſe dicat, & κέρματα nihilominus appellata, haud ego quidem refragabor, modo concedat, ejuſmodi κέρματα improprie tribui χαλκοῖς & æreis, cum propter argentum quod repræſentant, κέρματα ſint, non propter æs. Ærei enim nummi, qui κέρματα argentea reddebant, ſatis robuſti & ampli illis temporibus, ut cuneum accipere poſſent, quædam vero κέρματα argenti ſic comparata, ut nec cuneum aut malleum ferrent, nec operam ullam mererentur. Reliquam litem quam movet Pollux de κέρμα & κέρματα, facile ſopiri poſſe video; haud enim tanti eſt hodie, ſive Attice, ſive Dorice loquamur, utrumque Græce fit. Ideo *pag. m.* 366. ſic infert. Κέρματα δὲ πολλῶν πληθυντικῶς εἰρηκότων, κέρμα ἑνικῶς Ἄμφις εἴρηκεν ἐν Ἀμπελουργῷ, καὶ Ἀντιφάνης ἐν Κύκλωπι. Sed *pag.* 438. *lib.* 9. *cap.* 6. ſic illa effert, κέρματα ἀλλ' οὐ κέρ-

μα λέγειν Ἀττικόν. Παρὰ μὲν τοι τοῖς Δωριεῦσι καὶ τὸ κέρμα ἐστὶν εἰρημένον. εὕροι δ᾽ ἄν τις αὐτὸ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς, ὥσπερ καὶ ἐν τῷ Ἄμφιδος ἀμπελουργῷ μικρόν τι κερμάτιον. καὶ παρ᾽ Ἀντιφάνει ἐν τῷ Κύκλωπι. Κέρμα γὰρ τυγχάνω. ἐν μὲν τῷ Φιλίππου Φιλευεπίδι. Οὕτως οἴεται κερμάτιον περισπάσαι αὐτοῦ. Hoc ſane dicere vult, κερμάτιον non potuiſſe dici, niſi κέρμα in uſu fuiſſet, deinde etiam Atticis non ita ſtricte hoc obſervatum, ſed infrequens tamen eſſe: quod non ad puritatem aliquam linguæ ſpectat, ſed ad uſum, quod plerumque κέρμα ſolum non reperiretur, ſed plura neceſſe concurrerent ad pretium aliquod juſtum faciendum, ut ante monui, dum nummi non cuſi κέρματα fuerunt, nam in nummis cuſis libra vix opus erat, niſi antequam cuderentur, ſigno vero recepto, pondere jam ſibi conſtabant, ut nihil opus eſſet appendere, niſi propter furta, & roſos ſi timerent nummos.

Κέρματα igitur nummorum non cuſorum propria fuerunt, quæ etiam κόρμος in veteribus Gloſſis leges vocari, ein Stück Germanice, *talea* veteribus, ein abgeſchnitten Stück/ quod etiam ex κέρμα deſcendit. Et ex illo more veteri τὰ κέρματα pergunt dici, ut & δραχμαὶ, quæ non ſolum pondere conſtant, ſed & moneta, cum olim pondus Argenti, v. gr. drachmæ: κέρμα faceret, non monetam. Sic loquitur Plutarchus de Adulatorib. *pag. m.* 61. Scribit enim Arceſilaum Philoſophum, ni fallor, Platonicum, Apellem Chium ægrotum decumbentem aliquando viſitaſſe, & cum nihil reperiſſet, niſi ſummam paupertatem,

> Πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖαν, καὶ αἰθέρος ἤπιον ὕψος.

ipſum rediiſſe afferentem εἴκοσι δραχμὰς; quas clam cervicali ægrotantis, cum ipſum commodius jacentem videre vellet, ſuppoſuit, διακινῶν τὸ προσκεφάλαιον αὐτοῦ, λαθὼν ὑπέβαλετο κερμάτιον. Loquitur ſane ac ſi nulli nummi cuſi fuiſſent, nam neque δραχμὴ, neque κερμάτιον νόμισμα γεγραμμένον aut cuſum natura ſua ſignificat, ſed intelligi poſſunt ſolo pondere, minutatim & fruſtillatim deſecta. Salmaſius locum *Joh.* 2. *verſ.* 15. τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, de æreis tantum nummis vult capi, quod κέρμα nummum æreum aliquando & ſæpius ſignificare didicerit, *pag. m.* 507. *de uſur.* Bene tamen quod ſe ſtatim corrigat, & argentarios dici, non ſolum qui argentum, ſed & qui aurum & æs tractant, tum vero etiam apud Alexandrinos χάλκινα de nummis argenteis dici monuit, & Arabicum Interpretem drachmas reddidiſſe, quæ ſunt argenteæ. Nihil enim certius eſt κέρμα quoſcunque nummos hic ſignificare, ſive cuſos, ſive non cuſos, quos promercales his κερματισταὶ & κολλυβισταὶ petentibus divendebant, ſive aureos vellent, ſive argenteos, nam de æreis nummis inter Hebræos uſitatis vix ullibi Scriptura loquitur, niſi peregrinis & aliunde illatis. Sicut igitur argentarii dicuntur, qui nummos omnis generis in menſa ſua exponunt, ſic etiam κερματισταὶ & κολλυβισταὶ Græcis, non qui ſolos κολλύβους & κέρματα ærea tractant, ſed omnis generis nummos, qui in κολλύβους & κέρματα redigi poſſunt; ipſamque naturam κολλύβων & κερμάτων aperiunt ac reſpiciunt, quod omnis metalli κέρματα & κόλλυβοι fuerint; poſtea vero nummis cuſis ſuccedentibus, minutiſſimum & viliſſimum tam in pretio, quam in metallo κόλλυβος & κέρμα ſtricte cœperit dici. Nam quia plerumque minutis nummis mercari cogebantur, variis maſſis aut lateribus indigebant, aut talentis, idcirco nummi quivis κέρματα & κερμάτια dici pergebant, ut Hegeſander apud Athenæum *lib.* 6. *cap.* 17. *d. m.* 260. de Philippo ſcripſit: ἀπέστελεν ἱκανὸν κερμάτιον. Er hat Jhnen Geld genug geſchicket/ de quovis enim metallo intelligi poteſt, & de omnis generis nummis, non ſpeciatim de minimis.

Cui ſimile eſt, quod Archeſtratus vetus Poeta ψήφους nummos vocaverit, quos δονεῖν & ſonare nummularii ac locupletes alii ſolebant apud Athenæum *lib.* 7.

Jam quod de drachmis dixi, drachmæ pondus in auro ducatum noſtrum Hungaricum efficit, ſi nummi fuerunt aurei, de quibus loquuntur. Sed hoc minime patet, aut certo infertur, licet 70. Interpretes *Nehem.* 7. *verſ.* 71. νομίσματα vocent drachmas illas. Etliche Väter gaben 20000. Gülden. Erat enim drachmæ pondus nummis fere adæquatum, nam alias per libras potius numerare & exprimere potuiſſent, ſed hæc, ut dixi, in utramque partem ſumi poſſunt, & in incerto manent, nos certa potius ſequimur, & ſequi oportet.

CAPUT XXVII.

De Ἀργυρείοις.

Quin & illa vox, ἀργύρειον, proprie ad nummos ab initio ſpectavit, cum nondum nummi cuſi vigere cœpiſſent, ut ἄργυρον ad omne aliud argentum, quod nummis non erat dicatum, ut ante monui; manſitque in nummo-

morum ſignificatione, poſtquam nummi etiam cuſi ſunt, ut argentum apud Latinos, unde Plutarchus in Nicia *pag. m.* 533. Lamachum Ducem Athenienſium dicit ſolitum ἀπολογίζεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις μικρὸν ἀργύρεον εἰς ἐσθῆτα καὶ κρηπῖδας ἑαυτῷ, erat enim paupertatis ſtudioſus, nec niſi maxime neceſſariis gaudebat. Aliud autem eſt ἀργυρίδιον, nummulus ſcilicet minutiſſimus argenteus, quam ἀργύρεον μικρὸν, ut habet Ariſtophanes teſte Polluce *lib.* 9. *cap.* 6. *pag. m.* 438. in Τελμισσεῖ. Αἰτοῦντι τὰς γυναῖκας τ᾽ ἀργυρίδιον, petens a mulieribus nummulum argenteum, ut mendici ſolent, ein Hellerchen / ein Scherſſchen. At quod Pollux ibidem ἄργυρον & ἀργύρεον, χαλκὸν & χαλκίον idem eſſe aſſerit, haud ego quidem nego, Pollucis temporibus, ut noſtris, hæc jam confuſa eſſe, fuiſſe: exemplum vero ipſum, quod ex Ariſtophanis Βατράχοις adducit, monere ipſum poterat χαλκὸν proprie æs ſignificare quodvis, χαλκίον vero nummum, τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις, χθές τε καὶ πρώην κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι. Nam quod cauſam reddit συνωνυμίας his verbis: τὸν δὲ νῦν χαλκὸν οἱ Ἀττικοὶ χαλκίον εἰώθασι καλεῖν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἀργύρου ἀργύρεον, καὶ ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ χρυσίον, vereor ut ſubſiſtere poſſit, cum Attici non minus χρυσὸν quam χρυσίον, ἄργυρον quam ἀργύρεον, χαλκὸν quam χαλκίον dixerint, at nullam hujus flexionis cauſam fuiſſe aliam quam *identitatem* ab initio, non facile perſuaderi potero, nam ut ἀργυρίδιον ab ἀργυρέῳ differt, ita quoque ἀργύρεον ab ἀργύρῳ. Salmaſius ipſe *lib. de uſur. pag. m.* 424. hanc diſtinctionem ἀργυρέου, χρυσίου & χαλκίου non reſpuit, ſed de nummis ſignatis ſolum intelligit, ego etiam de nummis non cuſis, qui rudes fuerunt quidem in auro & argento, νομιζόμενοι tamen, & inter nummus recepti, pretium facientes mercibus. Erant igitur & illi χρυσίον & ἀργύρεον, non ſolum χρυσὸν & ἄργυρον. Habemus igitur trium generum argenteos cuſos, & Hebræis uſitatos illis temporibus.

Euſebius ex *Matthæi* 26. *verſ.* 15. Τριάκοντα ἀργύρεια τριάκοντα στατῆρας explicavit: alii ἀργύρεια etiam denarios dixerunt. Camerarius *lib.* de numiſmatis Græcis & Latinis aſſerit, ſe didiciſſe ex Græcorum commentariis, ſingula ἀργύρεια valuiſſe denariis centenis, id eſt, mina Attica, ut & ἀργύρεον in hiſtoria Evangelica reduxiſſe ad decem Coronatos, quod Beyerus de Siclo ex ipſo recenſet. Nec mirum eſt ἀργύρεον & ἀργύρεια tam diverſis ponderibus paſſim produci. Omnibus enim fere nominibus nummorum non cuſorum hoc accidit, ut mutata provincia pondus etiam mutent, & nomen retineant, quod cuique ſuum pondus νενομισμένον fuerit. In primis illas viciſſitudines ſubiit vox ἀργυρείου, & ἀργυρείων, quæ facile ad nummos omnes argenteos tam ſignatos quam non ſignatos tranſiit; quando enim propria nomina non ſuccurrunt, communibus nos exprimimus. Qua ratione igitur alibi ἀργύρεια ſumi ſoleant hic non quærimus, ſed quomodo in Sacra Hiſtoria ſeſe dent intelligenda. Et non reperimus per ἀργύρεια ſingula denarios centenos intelligi, nec decem Coronatos, illa enim a populo Judaico erant aliena pondera in argento, noverantque etiam minam ſuo מנה ſatis exprimere, & μνᾶς vocare, ita ut ἀργυρείων vox non congruat niſi argenteis non cuſis, qui Hebraice שקלים dicebantur, Græcis στατῆρες & τετράδραχμοι cuſi, ἀργύρεια, igitur non cuſi. In aliis quapropter regionibus aliter ἀργύρεια pondere numeroque quærenda ſuperſunt, haud eandem rationem cum Judaicis obſervantibus. Ἀργυρίδας etiam vocare poſſemus hæc ἀργύρεια, niſi contra genium & morem linguæ Græcæ hoc eſſet, quare nihil juvit Alexarchum Caſſandri Macedoniæ Regis fratrem, quod διαλέκτους ἰδίας εἰσήνεγκεν, aut introducere voluit, inter alia τὴν δραχμὴν ἀργυρίδα vocando, ut eſt apud Athenæum *lib.* 3. *cap.* 20. *pag. m.* 98. nemo enim Græcorum ejus dialectos recepit, aut conſenſum præbuit, unde quoque eſt, quod ἀργυρίδες apud Græcos non drachmas argenteas, ſed vaſa & phialas ſignificent, ut ex Polluce & aliis Lexicographis conſtat. Hoc tamen videmus, Alexarchi ætate ἀργυρίδος vocabulum nondum introductum fuiſſe, alias ab Alexarcho non opus fuiſſet introduci, ſed conſenſu poſtea accedente, civitate Græci vocem donarunt, & quid ſignificare deberet impoſuerunt, non attendentes Alexarchi autoritatem. Exſtat epiſtola Alexarchi apud Athenæum ex meris ejuſmodi locutionibus conſignata, novis ac inuſitatis, de qua recte judicat idem Scriptor: Τὶ δὲ ἡ ἐπιστολὴ αὕτη δηλοῖ, νομίζω ἐγὼ μηδὲ τὸν Πύθιον διαγνῶναι, nec Œdipum ego.

Ἀργύρεια igitur dictis locis ſunt ſicli τετράδραχμοι non cuſi, argenti vero Judaici, quod ſicli Sancti pondere in templo oblatum erat, ἀργύρεια propterea dicta, quod argentum eſſent probatum, nihilque aliud; & diverſum a nummis cuſis, nam alias & Propheta & Evangeliſta vel δραχμὰς vel διδράχμους vel denarios illa ἀργύρεια vocaſſet. Sed & drachmæ argenti & δίδραχμοι non cuſi ἀργύρεια dici poſſunt hoc ſenſu, & obſervari debet ἀργύρεια neutro genere conjungi cum

τελάκοντα, non ἀργυρίοις. Sic quoque *cap.* 27. ἀργύρια ubique leguntur, non τὸ ἀργύριον nec οἱ ἀργύριοι, ut nec argentum fuisse quodvis, sed ponderatum, examinatum, nummariæ poteſtatis κέρματα, non vero cuſos nummos intelligamus. Ἀργύρια quoque vocantur, quæ Scribæ & Pontifices Judæorum cuſtodibus promittebant *Matth.* 28. *verſ.* 12. ἀργύρια ἱκανὰ quod Lutherus non vertit Silberlinge/ ſed Geldes genug/ & quidem recte: omnia enim ἀργύρια cujuſcunque ponderis, nummis deſtinata pecuniæ ſunt. Ἀργύρια vero dicuntur non ἀργύριον, quod eſſent plura fruſtula κεκερματισμένα & diverſi ponderis: nec de cuſis nummis obſervo ἀργύρια in ſacro codice fuiſſe uſurpata, ideoque Marcus eandem hiſtoriam referens ſimpliciter dicit *cap.* 14. *verſ.* 11. ἐπηγγείλαντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι. Sie verhiſſen Ihm Geld zu geben/ idem eſſet, ſi ἀργύρια dixiſſet, niſi quod *complexum* ut loquuntur Logici, ſit ἀργύριον, ἀργύρια vero diviſim & ſeparatim intelligantur, & tam ἀργύριον quam ἀργύρια, de nummis non cuſis tamen. Haud enim ut alii in populo Judaico Pontifices & Scribæ ac Eccleſiaſtici nummos peregrinos, denarios aut drachmas, aut διδράχμους aut ſtateres cuſos videntur ſecum ſervaſſe, ſed ſola Judaica ἀργύρια non cuſa, quæ collecta ἀργύριον dicebantur, ſed per particulas ἀργύρια, quæ etiam Judæ obtulerunt.

Sic in Actis Apoſtolor. *cap.* 19. *verſ.* 19. dicitur, εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε, quod vertit Lutherus 50. tauſend Groſchen. Verbum verbo ſi reddas incongruus ſenſus prodit: Silbers ut an Silber fünffzigtauſend/ quæ, quamdiu ſine pondere ſunt, intelligi nequeunt; Groſſi vero Saxonici nequaquam ſunt, quid enim illis eo tempore in Aſia negotii? recte igitur ſi explicari debet hic locus, erit ἀργυρίων μυριάδας πέντε, funffzigtauſend Silberlinge/ ac idem eſt jam cum ἀργυρίου; nam ἀργύρια ſive τετράδραχμα ſive δίδραχμα conſiderentur, ſive Judaico more non cuſa, ſive Græco ſignata, ſi collecta ſumantur ut una maſſa ſub uno nomine, non ſunt niſi ἀργύριον, quam ob cauſam ἀργυρίου μυριάδες πέντε, non poſſunt eſſe in ſuas particulas & pondera reſoluta, niſi ἀργύρια, quorum ſingula Judæi erant plerumque τετράδραχμα, ſecundum ſiclum Sanctuarii, & faciunt hodiernæ monetæ thaleros unciales 25000. Græcorum vero more μυριάδες ἀργυρίου non niſi drachmas ſignificant, quæ ſubintelliguntur: ut ſexcentis exemplis Græcorum Hiſtoricorum probari poterit, qui μυριάδας elliptice non niſi per drachmas explicarunt. Et quoniam Epheſi, ubi tam Judæis quam Græcis domicilium, hæc acta ſunt, ſumma iſta ἀργυρίου μυριάδων πέντε, quæ formula Græca eſt, non debet niſi Græco more numerari, nequaquam vero Judaico: ſiquidem Græcæ linguæ dominium ibi præpollebat, qua ratione ἀργυρίου μυριάδες πέντε ad noſtram monetam non erunt niſi unciales thaleri 6250. quod pretium libris combuſtis, qui illic memorantur longe melius convenit; quam ſi de Judaicis ἀργυρίοις interpretari velimus. Niſi enim ſic reſtringantur μυριάδες, in infinitum ad talenta & Centenaria iſtas πέντε μυριάδας extendere liceret, quod a S. Scripturę mente, & genio loquendi procul abeſt, quę non dubiam, ſed certam omnino, ſummam indicare voluit, eam quam dixi. Nam ideo ἀργυρίου vocabulo uſus fuit, non ἀργυρίων, ut Gręcorum more ἀργύριον illud intelligeretur. Recte obſervat Pollux *lib.* 3. *cap.* 10. ἀργύρια Gręcis non ſępe dici de nummis, aut eleganter, ut nec *argenta* Latinis. Ἀργύρια δὲ κατὰ πλῆθος ἥκιστα λέγουσιν. Αττικοὶ εἴρηταί δέ που, quod explicat *lib.* 7. *cap.* 24. *pag. m.* 350. Ἀργύριον τὸ νόμισμα, εἴρηται δὲ καὶ ἀργύρια ἐν Ἀριστοφάνους νήσοις. Eſt igitur in ſacro codice hoc peculiare, quod per ἀργύρια non exterorum nummos ſignatos ſed Judæorum ἀσήμους intelligat, qui magis argentei ſint, quam denarii aut drachmæ. Alio loco *pag. m.* 438. etiam ἀργύρια Eupolidis Comici autoritate ſtabilivit, ſi quis de Ariſtophane forte dubitaret: ἀργύρια, inquit, ἐπὶ τοῦ ἀργυρίου σπανίως ἄν τις εὕροι, παρὰ τοῖς ἀρχαίοις Ἀττικοῖς, ἐγὼ δὲ εὗρον ἐν ταῖς νήσοις Ἀριστοφάνους, εἰ μὴ ὑποπτεύεται τὸ δρᾶμα ὡς Ἀριστοφάνους γνήσιον, ἀλλ᾽ ὅτι γε οἱ κόλακες Εὐπόλιδος ἐν οἷς εἶπε.

> Φοροῦσιν, ἁρπάζουσιν ἐκ τῆς οἰκίας
> Τὸ χρυσίον, ἀργύρια πορθεῖται.

Sed hoc non extendendum ad ἀργύρια quæ ſunt argenti fodinæ, ut χρυσία, auri fodinæ, quod me docet Pollux *lib.* 3. *cap.* XI. dicens: ἀργύρια, μέταλλα, καὶ χρυσία μεταλλεύειν, ὀρύττειν, ἐπικατατέμνειν, καινοτομεῖν. Hic enim ἀργύρια, μέταλλα, & χρυσία, ſunt ipſæ fodinæ, ex quibus argentum metallum & aurum fodiuntur, hauriuntur, exſcinduntur, & ut nova eruuntur. Sic igitur lemma vel titulus hujus capitis corrigi debet, περὶ χρυσίων ἀργυρίων καὶ μετάλλων, de auri, argenti, *& metallorum fodinis*: quibus ſubjungi debet: *Argenti, metallorum & auri fodinas exercere, fodere, exſcindere, novas repertas aperire, &c.* Sic quoque Plutarchus in M. Craſſi vita *pag. m.* 543. quem vocat divitem, ὄντων αὐτῷ παμπόλλων ἀργυρίων

είων, quod ipsi fuerint *oppido multæ argenti fodinæ*. Ut enim ἀργύεια pro nummis raro in plurali usurpatum credit Pollux, sic ἀργύεια pro fodinis singularem numerum non agnoscit, ut nec χρυσία nec μέταλλα. Has igitur significationes vox ἀργύεια recipit, quæ in nummis quidem jam est confusa, & tam de cusis quam non cusis effertur, de argento rudi non dicitur in plurium numero, de fodinis non utimur in singulari, de nummis tam in singulari quam plurali. Egregius est locus Plutarchi in Catone minore *pag. m. 76.* ubi ait, κληρονομίαν αὐτῷ προσγενομένην ἀνεψιοῦ Κάτωνος, ἑκατὸν ταλάντων, εἰς ἀργύειον συναγαγὼν παρεῖχεν ἄνευ τόκων χρῆσθαι τῷ δεομένῳ τῶν φίλων. Ea erant tunc tempora, ut sine nummis cusis emi aut vendi nihil posset Romæ, hereditas autem quæ obvenerat, centum talentis argenti æstimata valebat, in variis rebus, quas in nummos cusos convertit, quod vocat ἀργύειον, ut τάλαντα, res omnes, ex quibus nummos facere posset ac comparare, sive argentum, sive æs, sive aurum, sive gemmæ, sive vestes, vel suppellex alia in massa hereditatis essent, talentorum plurium valorem æquantia, dicebatur hereditas tot talentorum, ita ut, cur talenta & minas & libras toties in Scriptoribus occurrere necesse sit, animadvertamus, nec semper nummos cusos significari, sed res omnes, ex quibus talenta &c. in nummis cusis conflare licet, aut relinquere in argento non cuso quantum velis. Primum enim fuit & antiquissimum res rebus permutare, deinde argento non cuso res in possessionem accipere, tunc etiam nummis publice cusis eas adquirere, & ultimo omnibus illis viis in emendo & vendendo uti, & permutatione, & argento non signato, & nummis signatis, prout hodie emtio venditio instituitur. Nec sine causa quisquam ἀργύεια sic distingui ab aliis nummis dicat; neque enim Hebræor. nomina, neque Persarum, neque Græcorum vel Latinorum imposuerunt, sed simpliciter ἀργύεια vocarunt, quod nihil nisi argentum essent, non publice signatum, sed pondere suo solvendum; nam cur non Siclos aut *Kesitha*, aut *Gerah*, aut si quę alia nomina occurrunt, nummos hos vocarunt? ideo sane, quod nulli nummi signati sic vocarentur, sed pondera nummorum essent, nec in sicli pondere solum solveretur argentum, sed & minori, & majori forte; hinc nullum nomen convenientius talibus ponderibus argenti quam ἀργύεια. Sic Moses præcipit ex ore Dei; ἀποδώσεις αὐτὰ ἀργυείου, καὶ λήψῃ τὸ ἀργύειον ἐν ταῖς χερσί σου, καὶ πορεύσῃ εἰς τὸν τόπον, ὃν ἂν ἐκλέξηται Κύριος ὁ Θεός σου αὐτὸν, καὶ δώσεις τὸ ἀργύειον ἐπὶ παντὸς οὗ ἂν ἐπιθυμῇ ἡ ψυχή σου. Videmus nullo alio nomine nummos istos quam ἀργυείου vocatos, nec aliud quidquam erant quam ἀργύεια, etiamsi diverso pondere traditum esset. At quod hodie ad nummos signatos nomen τοῦ ἀργυείου, ἀργυροῦς, & ἀργυρείων referatur, primævam significationem & propriam nequaquam tollit, sed a non signatis ad signatos translata facile fuerunt, ut κέρματα & κερματίζειν argentum, proprie fuit antiquis argentum in parvas particulas secare, & κόπτειν de majoribus frustis dicebant, quod postea nummos cudere dixerunt, postquam nummi publice signati prodierunt. Tunc enim ὀβόλων & κερμάτων nomina nummis certis & certi ponderis dabantur, olim non sic: quodvis minutum segmentum κέρμα dicebatur, quodvis ὀβελίσκου formam præferens ὄβολος erat. Jam quod non constet Christi temporibus Judæos nummis publice cusis usos esse, ἀργυρία sane non possunt esse nisi nummi, & frusta argenti non signata, ideo Hottingerus optime: *usitate in ipsa Scriptura Siclus pro argenteo, & vicissim argenteus ponitur pro Siclo*: iterumque *Ἀργύεια & Sicli sunt æquipollentia*, item illud: *nomine ἀργυείου simpliciter positorum Siclos intelligi*. Hoc sane N. T. paginæ passim comprobant, ubi sicli nulli amplius leguntur, sed ἀργύεια ubique. Et cum Pollux dixerit, ἀργύεια non satis esse Græcum aut Atticum, verum hoc est, si χρήματα & opes intelligantur, tunc enim vix ἀργύεια commode vocabuntur, ut ἀργύειον, nam nec Latini plurium numero argento, sive de nummis, sive de facultatibus pronunciarunt. Græci vero de nummis & ἀργύειον & ἀργύεια usurparunt, ut Aristophanes quod Pollux adduxit *lib. 7. cap. 24. pag. m. 350.* Καὶ ἀργύειον τὸ νόμισμα, εἴρηται δὲ καὶ ἀργύεια ἐν Ἀριστοφάνους νήσοις. Hinc est, quod priore loco conjungat: τὸ δὲ ἀργύειον καλεῖται χρήματα καὶ νομίσματα ὥσπερ καὶ τὸ χρυσίον, ἄργυρα δὲ κατὰ πλῆθος ἥκιστα λέγουσιν Ἀττικοὶ, εἴρηται δὲ που. Hæc mens est: Argentum cum dicitur, tam vasa & supellectilem omnem argenteam pariter ac nummos comprehendi, at cum ἀργύεια dicunt, hoc non intelligi nisi de nummis, non vero de argento reliquo. Josephus *lib. 4. Antiquit. pag. m. 127.* eadem vocula usus est. Οἱ δὲ λαβόντες ἀργύεια, ἔπε τινα τῶν καρπῶν ὑγρῶν ἢ ξηρῶν, nec nisi de nummis intelliguntur Hebræorum ἀσήμοις, reliqua enim aurea & argentea non oblitus est etiam afferre: ὁ δὲ χρυσὸν καὶ ἄργυρον ὑφελόμενος: & paulo post: ἐὰν δέ τις χρυσίον ἢ ἀργύειον

ἕυρῃ

εὕρη; ſed hæc non ſunt ἀργύρεια, quæ de ſolis argenteis dicuntur inter numiſmata. Uſus eſt quoque ea voce pro nummis cuſis, ni fallor, nam Themiſtoclis ætate vixit Timocreon Rhodius Poeta, apud Plutarchum in Themiſtocle *pag. m.* 122. —— ἀργυρείοισι σκυβαλικοῖσι πεισθεὶς. —— & mox ἀργυρείων ὑπόπλεως, adeout illa vox nummo primo non ſignatos, qui vera erant ἀργύρεια, Silberlinge / ſignificaverit, poſtea quoque ad nummos cuſos tranſlata ſit, illos pariter ἀργύρεια vocando communi nomine, ſive γλαῦκες eſſent, ſive χελῶναι, ſive δραχμαὶ, ſive denarii, modo argentei forent: unde omnes illæ λέξεις, ἀργυρικὴ ζημία, ἀργυρικὸν τίμημα, ἀργυρώνητοι &c. de nummis non ſignatis tam diu intelliguntur, donec nummi cuſi ſucceſſerunt, aut una cum non cuſis pretium rebus poſuerunt. Nec ſolum ἀργύρεια pro nummis non cuſis accipi paſſim docemur, ſed etiam ἀργύρειον, ut Joſephus *lib.* 5. *Antiq. cap.* 9. *pag.* 155. de Abimelech Gideonis ait: λαβὼν ἀργύρειου παρ αὐτῶν, reſpiciens ad verba libri Judicum *cap.* 9. *verſ.* 4. und gaben Jhm ſiebenzig Silberlinge aus dem Hauſe Baalberith, in Sichem, nec intelliguntur niſi nummi non cuſi, ex fano illo depromti, ita ut ἀργύρειον proprie fuerit in nummis & ἀργύρεια, ἀργύρειον vero in argento quovis alio, quæ tamen tempus & uſus facile confudit. Quin & ἀργύρεια omnes nummos aliquando ſignificant, tam cuſos aureos, & argenteos, & æreos, ut in Synopſi *lib.* 9. *tom.* 2. γίνεται ἡ πρᾶσις ἀργυρείων ἐπινεμηθέντων, χωρὶς γὰρ ἀργυρείων ἐ συνίσαται πρᾶσις. Latine, *ſine argenteis venditio non contrahitur*. Nummos enim cujuſcunque generis, quo paciſcor, ſub his argenteis comprehendimus. Sed hæc in χαλκῷ & ἀργυρείῳ obvia ſunt, in ἀργυρείοις autem rarius: ἀργύρεια enim plerumque argenteos tantum nummos ſignificant, olim, non cuſos, deinde cuſos etiam, ut ubi non cuſi & cuſi pariter obtinent, ut apud Judæos, ibi ἀργύρεια proprie de nummis non cuſis intelligenda veniunt, more veteri. Nam cur ἀργύρειον de nummis dixiſſent argenteis, ſi ſemper cuſi fuiſſent? quoad materiam enim cuſorum & non cuſorum eadem eſt ratio, utrique nummi argentum ſunt, quoad formam autem in multis differunt.

CAPUT XXVIII.

De Talentis Græcorum.

Pondo & talentum modo majus modo minus pondus ſignificat non ſolum in nummis, ſed in argento rudi. Talenta erant varii ponderis, aliud in auro, aliud in argento: ideoque Pollux: ἐδύνατο δὲ τὸ χρυσῦ τάλαντον τρεῖς χρυσοῦς Ἀττικοῦς, τὸ δὲ τοῦ ἀργυρείου ἑξήκοντα μνᾶς Ἀττικάς. Talentum auri Macedonicum vocabant, ut ille ex veteribus attulit: τὸ δὲ Μακεδονικὸν τάλαντον τρεῖς ἦσαν χρύσινοι. Et quia Homerus talenta auri ſemper propoſuit, non eſſe talia talenta in auro ſupra pondus trium διδράχμων, qui faciunt nobis 12. unciales thaleros, unde Pollux *pag. m.* 430. annotavit: ὅτι δὲ παρὰ τοῖς ἐφ᾽ Ὁμήρου τὸ τάλαντον ὀλίγον ἐδύνατο μάθοις ἂν ἐκ τῆς ἱπποδρομίας, quæ legitur Iliad. 23. ubi lebeti poſtponuntur duo auri talenta ut minoris pretii præmium quam lebes aheneus. Idem Pollux *pag. m.* 437. talenta enumerat, Æginæum, Babylonicum, Siculum, Syriacum & Atticum, inter quæ Ægineum ponderoſiſſimum decem mille drachmarum Atticarum. De talento Siculo contra Pollux ait, quod fuerit omnium minimum τὸ μὲν τοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε, τὸ μὲν ἀρχαῖον ὡς Ἀριστοτέλης λέγει τέσσαρας καὶ εἴκοσι, τοὺς νούμμους, τὸ δὲ ὕστερον δύο καὶ δέκα, δύνασθαι δὲ τὸν τεία ὀβόλια, ſic enim lego ὁμόλια. Hic nummus apud Romanos erat inſtar ſeſtertii, nam quia duodecim nummi talentum faciebant, ærei ſcilicet: 4. nummi vero drachmam argenti, hoc talentum tres drachmas aut octodecim aſſes Lubecenſes non excedebat in argento. Nam quemadmodum Nummus apud Romanos a Siculis ſumtus eſt, ita quoque ſignificatio Nummi ad Romanos tranſiit. In pondere nummi Siculi & Romani differebant: niſi legendum exiſtimes cum Salmaſio, pro tria ὀβόλια in Polluce τρίτον ἡμιοβώλιον. Sic enim Nummus Siculus cum nummo Seſtertio Romanorum conveniet. At cum hæc lectio non inhæreat veſtigiis vocum exſtantium, atque alias per duodecim, & 24. Nummos talentum Siculum definiat, obolos quoque ejus ad duodecimam rationem intelligendos illic putarem, & 36. obolos librales, duodecim Nummos Siculos effeciſſe, ſeu talentum. Nam tres oboli librales apud Siculos Nummum faciebant, apud Romanos vero duo librales aſſes & dimidius. Siculi 4. Nummos ſuos in argenteum ſeu drachmam numerabant, Romani quoque 4. ſuos in denarium. Peculiare erat Siculos duodecim nummos triobolares facere talentum ſeu 36. obolos librales, qui faciunt $3\frac{3}{5}$ denarios Romanis. Hanc ob cauſam non contenti fuerunt Romani nomen uſurpare, ſed nummum ſeſtertium exprimere, quod

non

non esset trium obolorum ut Siculus, sed sestertius, hoc est, duorum obolorum seu assium cum dimidio, quod faciebat tertium assem semissem, unde sestertius nummus. Addamus Festum de talentis: *Talentorum*, inquit; *non unum genus: Atticum est sex millium denarium; Alexandrinum, duodecim denarium; Napolitanum, sex denarium; Syracusanum, trium denarium; Rheginum, victoriati*. Rheginum ergo talentum dimidii denarii pondus non excedebat, Alexandrinum, Siculi pondus habebat; cœtera Polluci adhuc ignota fuerunt, præter Atticum.

CAPUT XXIX.

De Lacedæmoniorum Nummis & Obolis.

OBolos Græcis omnibus æreos fuisse, non κέρματα potius argenti vix adhuc liquet. A Lacedæmoniis primo nomen oboli Græcis commune factum est, qui ferreis ὀβέλοις & ὀβελίσκοις utebantur, & quot manu una obolos sive decem, sive sex, comprehendere poterant, ipsis δραχμὴ dicebatur, a δράσσω; vel δράττω, quod est manu comprehendere. Unde obolos argenteos primo neque Græcos neque Romanos agnovisse, sed aut in ferro aut in ære κόμματα hujus nominis cecidisse apud illas gentes statui debet, quamvis argenteis non signatis obolos illos facile exprimere potuerint: nam ad Atticum pondus obolus argenteus assem Lubecensem valuisset, æque ac obolus æreus discrimine in metallo & magnitudine nummi eos distinguente. Sed quod oboli natura ab initio aut in ferro aut in ære fuerit, ideo potius in ære nummos istos a Græcis & Romanis repræsentatos autumo quam in argento.

Lycurgus qui annis 312. post Theseum vixit, inter Lacedæmonios aurum & argentum omne exterminavit, nec nisi ferreos retinuit ὀβελὺς & ὀβελὺς dictos, quod verutorum formam referrent, sine signis & inscriptionibus, pondere solo notos, de quibus memini alibi me dixisse.

Nam usque ad Lysandrum ferreis solum obeliscis loco nummorum utebantur aureos & argenteos a se spernentes quod Justinus non reticuit *lib. 3. c. 2.* dum Lycurgi leges statuisse & jussisse scripsit, *emi singula non pecunia sed compensatione mercium, auri argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulisse*. Dum compensationem mercium, h. e. permutationem, tantum memorat, nihilque de ferreis nummis, haud censendum est, aut solos ferreos nummos sine permutatione apud alios Scriptores intelligi debere, neque hic permutationem solam sine ferreis nummis. Utrumque enim apud Lacedæmonios obtinuit, quapropter uno posito alterum non tollitur; sed conciliare decet Scriptores quantum licet. Lysander 401. annis ante Christum natum Athenas diripit, & magnam auri & argenti vim, ut & noctuas, Atheniensium nummos per Gylippum transmitti Lacedæmonem curat; Diu deliberatum fuit, an retinerent, & iis uti vellent. Placuit tandem in publicum usum eos servari, ita ut si quis privatus iis uteretur, mortis pœnam subiret. Hic aureorum & argenteorum usus primus Lacedæmone. Non ipsi cuderant, sed alieno & auro usibus suis applicato illis nummis peregrinis utebantur. Ferrei nummi erant patrii, hos ea ratione præparabant, ut nos docuit Plutarchus in Lysandro, *pag. m.* 442. Aceto enim ferrum illud, quod nummis destinatum erat, adhuc ignitum intingebant, sicque efficiebant intractabile, ut neque incudi cederet aut malleo, neque duci ob tincturam posset, πρῶτον μὲν ὄξει μεταβαπτομένον ἐκ πυρὸς, ὅπος μὴ μεταχαλκέυοιτο ἀλλὰ διὰ τὴν βαφὴν ἄστομον ϗ ἀδρανὲς γένοιτο. Ex quibus discere licet, signis nullis eos nummos signatos, nec in rotundam formam, ut cœterarum gentium, fabricatos exstitisse; vocat enim ὀβελίσκυς Plutarchus tam æreos quam ferreos Lacedæmoniorum nummos, quod verutorum formam præferrent, quorum sex manum implebant, unde drachma dicebantur eodem Plutarcho notante: κινδυνέυει δὲ ϗ τὸ πάμπαν ἀρχᾶιον ὕτως ἔχειν ὀβελίσκοις χρωμένων νομίσμασι σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς, ἀφ ὧν παραμένει πλῆθος ἔτι ϗ νῦν τῶν κερμάτων ὀβολὺς καλεῖσθαι, δραχμὴν δὲ τὺς ἕξ ὀβολὺς, τοσῦτον γὰρ ἡ κὲιρ περιεδράττετο. Plutarchi sententia est, non solum Lacedæmonios sed & omnes Græcos antiquitus ὀβελίσκοις ejusmodi pro nummis usos esse, & exinde tam ferreis quam æreis nummis sua nomina mansisse obolorum, quod ὀβέλυ formam gererent, & drachmarum, quod manu plures quam sex horum obolorum comprehendi non possent. Sed quia forma talis incommoda, & difficile transferri posset multitudo, in rotunditatem quoque obolos istos transfigurarunt posteriora secula, & quod principio in iis βαρύσταθμον, δυσπαρακόμιστον, ϗ ἀπὸ πολλῦ τινὸς πλήθυς ϗ ὄγκυ μικρὰν τινὰ ἀξίαν δυνάμενον, illud remediis justis & commodis postmodum in iis compensarunt oboli & drachmæ nomina retinentes. Lycurgum, qui 924. annis ante Christum leges Lacedæmoniis dictavit, ferreos illos num-

nummos primum ſuaſiſſe idem dicit in Apophthegmatib. *pag. m.* 226. τό τε χρυσοῦν ϗ ἀργυροῦν νόμισμα ἠκύρωσε, μόνῳ δὲ τῷ σιδήρῳ προσέταξε χρῆσθαι, ϗ μέχεις οὐ δεῖ ἔχειν τὴν ὅλην ὕπαρξιν πρὸς ἀμοιβὴν τούτου πεειώειςε, τούτου δὲ γενομένου ἐξέπεσε τῆς Λακεδαίμονος ἀδικία πᾶσα, οὔτε γὰρ κλέπτειν, οὔτε ἀποστερεῖν ἢ ἁρπάζειν ἔτι ἐδύνατο τις, ὃ μήτε κατακρύψαι δυνατὸν ἦν, μήτε κτήσασθαι ζηλωτὸν μήτε χρήσασθαι ἀκίνδυνον, μήτ᾽ ἐξάγειν ἢ ἐπάγειν ἀσφαλές. Addit mercatores nullos neque utilium neque inutilium rerum poſt eum diem Spartam ingreſſos eſſe, οὐκὲ γὰρ νόμισμα παρ᾽ αὐτοῖς εὔχρηστον εἴασε, μόνον δὲ τὸ σιδηροῦν εἰσηγήσατο, ὅ ἐστι μνᾶ ὁλκῇ Αἰγινίᾳ, δυνάμει δὲ χαλκοὶ τέσσαρες. Minæ igitur pondus habebat illud ferrum Lycurgi tempore; quatuor illi χαλκοὶ interprete Cruſerio *aſſes ærei* ſunt dicti, forte, quod mina ferri Romæ Plutarchi temporibus 4. æreis aſſibus emi potuerit. Sed cum non relicti eſſent Lacedæmoniis alii nummi quam ferrei; haud facile quid χαλκοὶ fuerint, aut quos χαλκοῦς mina ferri extra Spartam valuerit, aſſerere poterimus; neque enim minam iſtam cuſam animadvertere poſſum Lycurgum voluiſſe, addidiſſet enim non ſolum pondus, ſed etiam formam, & quid inſculpi voluiſſet. At hic nihil niſi pondus & ὁλκὴ ponitur, & quidem Æginenſe; nec facile inſcriptionem recipere poterat ferrum, aut cudi, ſi aceto intinctum eſt dum ignitum fuit, ut ante docuit, ſub incude enim diſſiliiſſet omne, aut monetam fregiſſet, unde νόμισμα κοψάμενον pondere minæ, & poſtea induratum aceto fuiſſe liquet, non vero nummos cuſos aut γεγραμμένους. Numiſmata enim κόπτειν, non ſtatim eſt cudere, aut γράφειν, ſed video illud κόπτειν in numiſmatibus majoribus plerumque uſurpari, eaque κόμματα eſſe, ut minora numiſmata κέρματα dici ſueverunt. Quin & in Catone majore *pag. m.* 354. hoc Lacedæmoniorum numiſma tangit, dicens: Κυκοῦργος ἐξοικίσας μὲν ἀργύριον, ἐξοικίσας δὲ χρυσὸν τῆς Σπάρτης, νόμισμα δὲ διεφθαρμένου πυρὶ θέμενος αὐτοῖς, οὐ τῆς οἰκονομίας ἀπήλλαξε τοὺς πολίτας &c. Vocat ferrum igne corruptum illud numiſma, quod illis conceſſit luxuriæ vitandæ cauſa, quam argenti vel auri copia contrahere poterant; nec illud ferrum ſignatum aut impreſſum ullibi meminit, ſed prout corruptum igne & aceto, (certi ponderis tamen) fluxit, ac formam ὀβελοῦ recepit, ſic illud utendum propoſuit civibus ſuis. Iſta igitur mina, pondus ferri, ut jam audivimus, a forma ſua obolus dici cœpit, & quod rudis ac ἄσημος eſſet κόμμα dicendum, non κέρμα.

Ut quibus nummis uſi ſint homines, conſtet, antequam Phidon cuſos & elegantiores primum produxit, δέκα μνῶν ἀμοιβὴν ἀποθήκης τε μεγάλης ἐν οἰκίᾳ δεῖσθαι, ϗ ζεύγους ἄγοντος, ut Plutarchus in Lycurgo memorat *pag. m.* 44. quod, niſi fallor ex Xenophonte deſumſit, qui in Laced. *rep. pag. m.* 397. hoc dixit: Πρῶτον μὲν γὰρ νόμισμα τοιοῦτον κατεστήσατο, ὃ δέκα μνῶν μόνον ἂν εἰς οἰκίαν εἰσελθὸν οὔποτε δεσπότας οὔτε οἰκέτας λάθοι ϗ γὰρ χώρας μεγάλης ϗ ἁμάξης ἀγωγῆς δέοιτ᾽ ἄν. Quando decem minas & Xenophon & Plutarchus memorant, non decem minas ferri, (quæ plauſtro non indigent) ſed decem minas argenti ſubintelligunt, tantum nimirum ferri, quod decem minas argenti ex æquare poterat, quod erat βαρύσταθμον, nec niſi plauſtro poterat perferri, & locum haud exiguum domus occupabat, in obolos majores & minores formatum: Quot vero minæ ferri hujus minam argenti efficere deberent, hoc non prodiderunt Scriptores, ita ut de his nihil certi dicere poſſimus. Obolos tamen ipſis fuiſſe librales colligo ex Heſychio, qui dixit, Λίτρα, ὀβολός, οἱ δὲ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς, οἱ δὲ ἐπὶ σταθμῷ. Utrumque ſane, libra fuit & obolus, tam in pondere, quam in nummo, niſi quod Lacedæmone ferreus fuerit, in Sicilia æreus, iſte libralis obolus, æris copia illic majore, quam ferri. Cœteris Græcis in Græcia ipſa obolus etiam argenteus fuit quibus non placuerunt ærei inter ſignatos, niſi poſterioribus ſeculis. Et ſi verum eſt quod Pollux dicit, libram æſtimatam eſſe obolo Æginetico, jam decem libræ æris vel ferri drachmæ argenti æquipolluerunt, ut denario apud Romanos. Aſſes librales decem facile una manu comprehendere licet, obolos ergo Lacedæmoniorum librales non minus ἐπιδράττεσθαι datur multo magis ſex obolos, qui faciebant Attico pondere ſex libras. Romani libram æris non obolum vocarunt, ſed aſſem, & in duodecim uncias libram ſeu aſſem diſpeſcuerunt, quod etiam ὀγκώδης uncia eſſet octo drachmarum pondere; Fuit igitur obolus libralis, & tunc cum nondum cuſus fuit, inter νουμμία habitus, & tunc cum cuſus fuit, inter εἴδη νομισμάτων, ut Heſychius ſcripſit. Ὀβολοὶ, inquit, νουμμία, ϗ τόκοι, ϗ εἴδη νομισμάτων. Quod vero obolos τόκους vocat, exinde eſt, quod olim per obolos fœnus præſtarent in drachmas ſingulas, ut Theophraſtus meminit τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια. Sed hi oboli aut ſemioboli non erant ex majoribus illis libralibus, ſed ex ὀβελίσκοις minutis, condere enim illos ſolebant intra buccam

fœ-

fœneratores macella & fora obeuntes, ac hos τόκους colligentes, ut Ariſtophanes innuit —— μεστὴν ἀπῆρα τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων, & alius Scriptor dicens, τοὺς τόκους ἀπὸ ἐμπολήματος εἰς τὴν γνάθον ἐκλέγειν. Sic quoque Suidas obolos vocavit: Ὀβολὸς, ὁ τόκος, εἶδος νομίσματος, nec minus Polluci *lib.* 3. *cap.* 9. *pag. m.* 149. conjunguntur, ὁ τόκους ἐκλέγων, & ὀβολοστάτης nam qui in his nimis curat, obolos parum detritos rejiciens, vel etiam libra examinans is τόκους ἐκλέγειν dicit poterat, & τοκογλύφος qui ex minimis in fœnore & uſura lucrum exſculpſit, ita ut de chalcis potius quam de obolis hæc ὀβολοστατικὴ intelligenda veniat, ut Ariſtophanes indicavit, quod oboli librales haud commode intra γνάθον colligi poſſent ut chalci.

Aut oboli potius argentei. Nam ſic διώβολον quoque intra buccam, Ariſtophanis tempore, recondere poterant, ut in ejus Αἰολοσίκωνι.

> Ὅπερ λοιπὸν μόνον ἦν ἐν γνάθῳ διώβολον γένηταί μοι

quod Pollux attulit *pag. m.* 432. & paulo poſt ex ejuſdem Poetæ Ἀναργύρῳ

> Ἐν τῷ στόματι τετρωβόλιον ἔχων.

Hæc non poſſunt intelligi niſi de obolis argenteis; ſiquidem æreos ſive librales, ſive chalcos unciales intra buccam nemo commode tenere poterat, ſed & ſaporem excitant ærea in ore tetrum, ut de æreis nummis talia capere non debeamus. Nam quando χαλκῶν etiam dixit τὴν γνάθον μεστὴν, nihil niſi argenteos indicat, ut tam obolos quam chalcos argenteos Græci habuerint, in quibus etiam ὀβολοστατεῖν non erat viri gravis & honeſte viventis. Ita venditores olerum & fructuum intra buccam nummulos ſuos ſervabant, ut Alexis Comicus ait ἐν Λέβητι apud Athenæum *pag. m.* 76.

> Ὁ δὲ ἐγκάψας τὸ κέρμ' εἰς τὴν γνάθον
> Ἐὰν ἀπέδοτο σῦκα πωλεῖν ὀμνύων.

Hic κέρμα vocavit, quod eſſent minutuli nummi argentei, quos facile intra buccam condere poterant: quoſque non cuſo etiam fuiſſe credo, quod horum κερμάτων nulla ad nos pervenerint, pervenire autem debuerint quam plurimi, ſi cuſi fuiſſent. Ita Ruſſi & Moſcovitæ hodie pergunt in mercando nummos ſuos intra buccam recondere, uſque ad 50. *Copecks* ſæpius, teſte Oleario in itinerario ſuo *pag. m.* 159. quod minuti ſint, & facilius illic ſerventur, quam in manibus ipſis, cum contingat etiam cautis illos per digitos elabi, quod verum eſt omnino, eademque cauſa fuit antiquis, cur ita facere cogerentur, tum ne perirent, tum ut manus liberas haberent merces tractandi & ementibus offerendi; hinc Germanis proverbium natum, ſein Maul zur Taſchen machen, quando rebus aliis, quam vere debet, proſtituitur.

Hinc eſt, quod illos nummos cuſos tanto pondere non inveniamus, quo non cuſos, qui in πλίνθοις & maſſis majoribus tunc comprehenſi erant, & quidem ita, ut nec κατακόψαι λυσιτελὲς ut minores fierent, ὄξει γὰρ τοῦ διαπύρου σιδήρου τὸ κόμμα κατασβέσας, ἀφείλετο τὴν τ' ἄλλα χρείαν καὶ δύναμιν, ἀδρανοῦς καὶ δυσέργου γενομένου, quod de Lacedæmoniorum nummis obſervarunt. Quæ ſane nummos cuſos non oſtendunt, ſed maſſas & pondera non ſignata, tunc loco nummorum introducta, & nummorum nomine recepta: quo ſpectant quoque quæ poſtea Plutarchus dicit, πρὸς δὲ τούτοις εἰς ὀψωνίαν μικρόν τι κομίσματο, ſane non cuſi, ſed ἀσήμου iſtius ferri, quod tunc nummorum loco uſurpabant, ut per ſe manifeſtum. Eandem molem & pondus in nummis Lacedæmoniorum agnoſcit Pollux *l.* 9. *c.* 6. *p.m.* 435. Σιδηρῷ δὲ νομίσματι καὶ Λακεδαιμόνιοι χρῶνται, ἐκ πολλοῦ ὄγκου ὀλίγον δυναμένῳ. Paulo ante de Byzantiorum ferreis monuerat, ſed λεπτοὺς illos vocat, hoſque σιδηροῦς proprie dictos, ἀργυροῦς alios. Βυζαντίων γε μὴν σιδηροῦν, νομίσματος τὴν (γένος) οὕτω καλούμενον, σιδήραιόν τι νόμισμα λεπτὸν, ὥστε ἀντὶ τοῦ, πριῶ μοι τελῶν χαλκῶν, λέγειν, πριῶ μοι τελῶν σιδηρῶν. Hos nummulos ſignatos fuiſſe non dubito, quamvis hoc non dicat Pollux: dixit autem Ariſtophanes, ut eſt apud Heſychium, dum σιδαρέους Θεοὺς hos nummulos vocavit, quod Deorum ſuorum imagines his impreſſas habuerint, unde Heſychius illos ſic explicat: Σιδάρεοι Θεοὶ, ὡς ἐν Βυζαντίῳ ἔπι ἐστὶν, ἐν τῷ λεπτῷ νομίσματι, ᾧ σιδηρῷ καὶ ἐλαχίστῳ ἐχῶντο Βυζάντιοι. At Lacedæmoniorum nummos non ſignatos etiam illud indicat, quod & Plutarchus & Pollux obſervarunt, adeo duros fuiſſe, ut nec ſcindi, nec frangi, nec ullum uſum præbere potuerint poſt tincturam illam aceto factam, quo reſpicit quoque Pollux his verbis, ἔξω δὲ αὐτοῦ τὴν ἀκμὴν εἰς τὸ ἄτομον κατασβέννυσι. Si ἄτομον redditum eſt illud pondus, etiam ἄσημον redditum eſt illud pondus, etiam his nummis ferreis uſi videntur, 550. poſt Lycurgum annis, Epaminonda Thebanis imperante, qui tot rebus præclare pro Republica geſtis, in ſumma paupertate

tate dies finiit, ita ut præter obolum ferreum nihil reliquerit, οὐδὲν οἴκοι πλευτήσαντος εὑρεθῆναι, πλὴν ὀβελίσκον σιδηροῦν λέγουσι. De veru minuto hæc verba Plutarchi Interpres in Fabio Maximo *pag. m.* 189. explicavit. At non video ὀβέλους & ὀβελίσκους præ cœteris inter opes alicujus memorandos numerari solere, sed nummum, etiam minimum, potius respici & afferri, quam cœteras reculas nullius pretii; unde etiam hic ὀβελίσκον non de veru minuto intelligendum esse judico, sed de obolo non signato, veruti formam habente, prout, ὀβελοῖς & ὀβελίσκοις talibus Lacedæmonios usos novimus, non ut verutis, quorum formam solum præferebant, sed ut nummis, quos etiam cum aliis communicarunt, ut hic Thebanis, ita ut Epaminondam obeliscum ferreum reliquisse idem sit, ac si hodie dicamus, einen Pfenning nachlassen / oder keinen. Novimus enim vocabulum ὀβελίσκου varia significare præter verua, nam obelisci erecti qui fuerunt, in circis & campis, verua non fuerunt, nec ὀβελίσκος in hastis veru erat, sed λόγχη, quamvis ad veruti similitudinem tam hi quam illi referri possent; sic quoque in nummis ὀβελίσκοι similitudine a veru alieni non sunt, aliud tamen longe quam verua coquinaria qui vere ὀβελοὶ & ὀβελίσκοι dicuntur, significant. Et cur Epaminondæ ὀβελίσκος memoratus fuisset ut veru, qui culinæ non studebat, aut exinde laudari non merebatur, sed a paupertate, quæ nummorum inopia conspicuam se reddit, non veru quodam culinario. Et in Lysandro Plutarchus hoc egregie explicat *pag. m.* 442. obolos diserte ὀβελίσκους vocans, dum sit ait: κινδυνεύει δὲ τὸ πάμπαν ἀρχαῖον (νόμισμα, scil.) οὕτως ἔχειν, ὀβελίσκοις χρωμένων νομίσμασι σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς, ἀφ' ὧν παραμένει πλῆθος ἔτι καὶ νῦν τῶν κερμάτων ὀβολοὺς καλεῖσθαι. Æreis sane κέρμασι aut ὀβελίσκοις uti ad Lacedæmonios non pertinet, quibus semper contra legem erat aliis quam ferreis uti, sed ad alios populos; loquitur enim de omnibus antiquis, & eorum nummis, existimatque eos æreis ὀβελίσκοις pariter usos ac Lacedæmonios ferreis, qua in re Plutarchus non aberrat, verumque plane dicit, nisi quod contra sententiam suam huic veritati adstipuletur, qui omnes nummos antiquorum tam ferreos quam æreos cusos fuisse credidit, ad sua tempora rationem etiam in nummis antiquorum subducens, nec de nummis ἀσήμοις cogitavit magis, quam plures alii Scriptores, qui antiquorum nummos non signatos ut nescientes præterierunt. Non igitur video, quomodo Salmasius de Lacedæmoniorum ferreis nummis pronunciaverit, constare eos etiam signatos habuisse *lib. d. usur. pag. m.* 465. Ex illis enim quæ adduxit plane contrarium elicitur, dum ait σιδηροῦν σταθμὸν Platoni dictum, quod rudi propius quam signato esset, & ponderis insignis. Nam quod ad æs grave Romanum provocat, illud signatum fuisse, hoc ego cum grano salis intelligendum puto; ab initio nimirum illud quod *æs grave* dicebatur, non signatum vel cusum fuisse, sed posteriora tempora etiam illud nomen in nummis cusis retinuisse, & assibus librariis. At de Lacedæmoniis illud nusquam legitur, eos nummos vel ferreos, vel æreos, vel argenteos vel aureos unquam Spartæ cudisse: nam de civitatibus, quas sibi subjugarunt, nolo negare, quin illis, quam habuerunt monetam, ut porro cuderent permiserint. Hinc est, quod porro dicat Salmasius, multos veterum censuisse, Lacedæmoniorum nummos nummos non fuisse aut νόμισμα, sed σταθμόν, & pondus merum. Utrumque esse potuerunt, & pondus, & νόμισμα, siquidem quod aliis aurum & argentum signatum fuit νόμισμα, hoc ferrum non signatum Lacedæmoniis, iisdemque non minus usu approbatum, quam nummi signati. Repetit hoc ferrum signatum Lacedæmoniis, iisdemque non minus usu approbatum, quam nummi signati. Repetit hoc ferrum signatum Lacedæmoniorum *pag. m.* 573. sed nondum aliquid probat signatum fuisse. Nam quod fuerit non solum in obolis & ὀβελίσκοις, quorum sex una manu ἐπιδράττονται, sed etiam in majoribus & gravioribus obelis, minæ pondus, & majus, præferentibus, ideoque σταθμὸς & ὄγκος audierit, facile concedo, at signatum fuisse tam grave illud ferrum quam ὀβελίσκους hoc nusquam memini me observasse.

Hinc cum dicit Plutarchus, magno ponderi exiguum valorem imposuisse Lycurgum, hic erat ille νόμος, ob quem νόμισμα dicebatur ferrum in pretio mercium & rerum adhibitum: ut, si quis gallinam δεκαλίτρῳ ferri hujus emisset, bovem mille libris, ovem centum, & sic deinceps. Ex magno hoc pondere satis judicare licet, non fuisse nummos istos signatos aut cusos, cum etiam hodie tam magna pondera æris aut argenti non commode satis signentur, aut sub incude vel cuneo tractari possint. At *pag.* 58. docet, quando nummi signati Lacedæmonem & Spartam intraverint & corruperint, quingentis scilicet post Lycurgum annis, cum Agis Rex esset, per Alexandrum & Lysandrum; Ἄγιδος, inquit, βα-

βασιλεύοντος εἰσεῤῥύη νόμισμα πρῶτον εἰς τὴν Σπάρτην, καὶ μετὰ τοῦ νομίσματος πλεονεξία καὶ πλούτου ζῆλος ἐπέβη. Hic ſane νόμισμα non amplius nummos ἀσήμους, ſed etiam ſignatos indicat, & quidem aureos & argenteos, quibus hactenus neque ἀσήμοις neque ſignatis uſi erant. Et notandum, quod ex Græcia nummi hi cuſi Lacedæmonem translati ſint, & Athenis per Lyſandrum vaſtatis ac direptis, ideo Plutarchus addit, δι' Ἀλέξανδρον μᾶλλον δὲ διὰ Λύσανδρον. Græci enim, ut nummorum ſignatorum principes, orbi toti hanc artem intulerunt. Ita quoque in Lyſandri vita teſtatur *pag. m.* 434. dum ait, eum ἐμπλῆσαι τὴν πατρίδα πλούτου καὶ φιλοπλουτίας, καὶ παῦσαι θαυμαζομένην ἐπὶ τὸ μὴ θαυμάζειν πλοῦτον μετὰ τὸν Ἀττικὸν πόλεμον, ἑαυτῷ δὲ μηδεμίαν δραχμὴν ἀπολειπόμενον. Nummos igitur ille primus aureos & argenteos cuſos & non cuſos apud Lacedæmonios valere curavit, qui hactenus ferreis & ἀσήμοις uſi erant. Haud tamen nummos ullos argenteos aut aureos illic cudi eum permiſiſſe dicitur, quod indicat eos auro & argento iſto conflato adhuc ut nummis non ſignatis uſos eſſe. Quin ingrata & timenda hæc eſſe ſpolia cenſebant Lacedæmonii, & rejicienda decernebant, ut peſtilentes illecebras, quod *pag. m.* 442. narrat, dum Lyſandrum per Gylippum Ducem Lacedæmoniorum in Sicilia omne ab Athenienſibus captum aurum & argentum tranſmiſſe ſcribit, qui illectus & corruptus ſubtraxerat non pauca, & ſervi indicio Spartiatæ verum eſſe deprehenderant, διὰ τοῦτο τὴν νομίσματος ἰσχὺν φοβηθέντες, ὡς οὐχὶ τῶν τυχόντων ἁπτομένην πολιτῶν, τόν τε Λύσανδρον ἐλοιδόρουν, καὶ διεμαρτύραντο τοῖς Ἐφόροις, ἀποπέμπεσθαι πᾶν τὸ ἀργύρεον καὶ τὸ χρυσίον ὥσπερ κῆρας ἐπαγωγίμους, οἱ δὲ προὔθεσαν γνώμην, -- ὡς οὐ χρὴ προσδέχεσθαι νόμισμα χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν εἰς τὴν πόλιν, ἀλλὰ χρῆσθαι τῷ πατρίῳ, τοῦτο δὲ ἦν σιδηροῦν, &c. Τῶν δὲ Λυσάνδρου φίλων ὑπεναντιουμένων, καὶ σπουδασάντων ἐν τῇ πόλει καταμεῖναι τὰ χρήματα, δημοσίᾳ μὲν ἔδοξεν εἰσάγεσθαι νόμισμα τοιοῦτο, ἂν δέ τις ἁλῷ κεκτημένος, διὰ ζημίαν ὥρισαν θάνατον. Jam vero etiam legem hanc ſuam tuebantur, qui Thoracem, ex intimis Lyſandri λαβόντες ἰδίᾳ ἀργύρεον κεκτημένον ἀπέκτειναν, *pag. m.* 444. Quæ ſatis clare oſtendunt, nummos cuſos argenteos aut aureos Lacedæmoniis nondum receptos fuiſſe, quamvis Lyſander eo intuliſſet. Nec Lacedæmoniorum decretum, ut in publico ærario manerent, eo ſpectabat, quaſi civibus luxuriam aut avaritiam, aut deſiderium harum rerum prohibitarum ingenerarint, aut inſtillare voluerint, quod Plutarchus tantopere urget, ſed ne cives corrumperent, aut a moribus antiquis abſtraherent, ideo cuſtoditos & in publico ærario relictos cupiebant, nec ad privatos ullo modo pervenire, ſiquidem conflatum illud argentum & aurum donariis & ἀναθήμασι Diis ac exteris faciendis abſumi facile poterat, ut nec publico nec privatis contra mores antiquos nocere quidquam poſſet. Sic Lyſandrum ipſum ex ſuis manubiis ſtatuas, tam ſuam, quam Navarchorum ſuorum æreas dedicaſſe paulo poſt affert, ut & triremim illam ex auro & ebore fabrefactam, quam Cyrus junior, de victoria contra Athenienſes gratulatus, miſerat, nec non talentum & minas argenti 52. cum ſtateribus aut Daricis aureis undecim, quæ omnia Delphico Apollini repoſuit, patrias leges minime violans, quæ aurum & argentum poſſidere vetabant; Diis autem capta impendere minime prohibebant. Eadem igitur erat ſententia Ephrorum, pecuniam iſtam in ærario retinentium. Nec opus erat Alexandridem Delphicum propterea inceſſere, quaſi contraria aut minus conſentientia paupertati Lyſandri ſcripſerit, dum tot donaria ταλαντιαῖα Lyſandrum Delphico templo conſecraſſe memoravit. Ideo enim conſecravit, & donavit, ne quid niſi paupertatem patriam ſibi ſervaret, ut optimum contra fortunam opes ingerentem remedium, ſi ad Deos redire cogeret, quod Dii etiam invito obtruſerant: ſemper enim pauperes eſſe poſſumus, cum volumus, divites, autem, non niſi cum curis maximis. Luxum tamen majorem ab eo tempore inter Lacedæmonios, καὶ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ ζῆλον introductum Plutarchus ubique teſtatur, tum vero etiam in Agide *pag. m.* 796. & *ſeqq.* Ἀρχὴν μὲν οὖν διαφθορᾶς καὶ τοῦ νοσεῖν ἔσχε τὰ πράγματα τῶν Λακεδαιμονίων, σχεδὸν ἀφ' οὗ τὴν Ἀθηναίων καταλύσαντες ἡγεμονίαν χρυσίου τε καὶ ἀργυρίου κατέπλησαν ἑαυτούς. Hujus autem auri & argenti uſum & curam Lacedæmonios etiam ad nummos aureos & argenteos cudendos extendiſſe nullibi dixit elegantiſſimus & optimus ille Scriptor. aurum enim & argentum infinitum præterquam in nummis cuſis poſſidere quilibet poteſt, nec luxus proprie per nummos congeſtos oſtenditur, ſed avaritia ſæpius, nec profundere argentum & aurum ad res inutiles & vanas nummis ſolis indiget.

Nec obſtat, quod Hebraicæ originis ſit שקל, qua lingua forte Hethitæ non ſunt locuti: Ego etiam ante diluvium hac lingua locutos homines nullus ambigo, eamque per Noachum & filios propagatam, & inter Cananæos nondum abrogatam mihi perſuadeo. Interceſſerant a diluvio uſque

usque ad Abrahami ex Chaldæa descensum in terram Canaan anni 367. ex Calvisii computo; Heber, ex quo Hebrææ linguæ nomen mansit, filius Salah ex Sem Noachi descendens, vixit adhuc cum Abrahamo, post confusionem linguarum ipsi quoque Abrahamo superstes annis 64. A confusione linguarum, quæ incidit in Annum a diluvio 101mum, terras suas occupare cœpisse Cananitas credimus, ut alii populi suas dispersi: ita ut Abrahamo veniente ad Cananitas, jam 266. annis illas terras tenuerint, cum lingua paterna & avita. Abraham enim Cananitas loquentes intelligere potuit, Cananitæ Abrahamum, nec interprete usos ligimus. Eandem igitur linguam, quæ prius & quondam inter populos una erat, tunc parum adhuc mutatam obtinuisse dicendum est, ad quam, veluti matrem, se referebant cæteræ in suis licet mutationibus. Neque enim frustra sunt verba, quæ de Sem leguntur, *Gen. cap.* 11. *vers.* 24. quod fuerit pater omnium filiorum Heberi; cur vero Heberi præprimis? nisi quod lingua antiqua, quam Heber excoluit, ejusque deinceps nomen adscivit, a Sem descenderit, *fratre majore Japheti*, quod statim additur, tanquam patre omnium, qui ista lingua locuti sunt post Heber, a quibus sane Cananitæ non excludendi, qui propter linguam eandem etiam ad Heber spectarunt, ejusque filii ea ratione dici possunt, & Semi, licet quoad genus & familias a Cham prognati essent. Nec confusionem illam linguæ primævæ durasse credendum est ulterius, quam per miraculum, quo attoniti ab opere desistere, & ab invicem diffugere inducebantur: ita ut Heber primævam linguam omnibus restituisse dispersis & inculcasse potius videatur, ac in ea retinuisse, quam novam esse linguam exorsam, a primæva diffidentem. Hæc jam scripseram, cum incidi in librum doctissimi Steph. Morini de lingua primæva, qui *Exercit.* 1. *cap.* 10. & 11. hoc argumentum erudite tractat, meamque sententiam de Hebræa lingua & primæva in multis gentibus post eas dispersas permanente, Heberi consilio & industria multis confirmat, nec ex ista confusione linguarum 70. linguas protinus exstitisse, sed tractus temporis paulatim mutasse. Non enim confusio linguarum novas statim linguas parit, sed primus tantum gradus est ad linguam novam & diversam tandem constituendam, quam magis perficiunt temporum intervalla, quam prima quædam confusio. Jam ducentis annis a confusione ad Abrahamum non minimam mutationem in lingua incolarum terræ Canaan successisse quis negabit? haud tamen tantam, ut affinis non manserit Hebrææ primævæ, seque invicem intelligere potuerint. Quamvis enim qui Danica lingua utuntur, cui olim Germanica magis fuit affinis, hodie Suevum aut Bohemum, similesque in remota Germania habitantes, non facile assequi loquentes possint, quoniam tam multa illas linguas, quæ principio parum distabant, intercurrentia secula mutationes alias & alias, in accentibus, pronunciationibus, idololatriis, mixturis &c. introduxerunt, ut nunc alienæ plane videri possint, quæ pene eædem quondam fuerunt; sic quoque confusione linguarum semel exorta affines diu manserunt, quæ postmodum a primæva in diversas & novas linguas degenerarunt, ut affinitas illa omnis perierit, nec nisi paucissima primævæ vestigia servare potuerint, aut nulla. Huic rei confusio primum lapidem posuit, sed tempus totum ædificium eduxit. His ita demonstratis de lingua Hebræa & primæva, mirum videri non poterit, si Cananitæ & Abrahamus ipse suo tempore pondere usi sint שקל Hebræis dicto, eoque nomine etiam nummos & argentum ejus ponderis designarint, cum & ante diluvium illud pondus eo nomine inter homines eadem lingua etiam vigere potuerit.

CAPUT XXX.

De Nummis Æginæis.

ÆGinæum vero pondus in variis nummis superest & conspicitur, etiam in illis, quæ apud Æginæos cusi non sunt, ut in χελώναις, a testudine, quam insculptam habent, & quamvis rariores sint, nec tam frequenter occurrant in gazophylaciis Doctorum Virorum, argenteus tamen unus productus est a Nobiliss. Dn. Begero ex thesauris Brandeburgensibus *pag. m.* 447. cujus prima facies hanc testudinem habet, nihilque præterea; altera facies quadrum in quinque partes divisum. Inscriptio primæ partis est A. in secunda literæ, ΙΓΙ. in tertia, delphinus erectus; in reliquis nihil. Nec mirari oportet, Æginæ nomen hic apparere, cum certum sit in Peloponneso cusum esse, significat enim, hanc χελώνην, hunc nummum Æginæi ponderis esse. Omnes enim Peloponnesii nummos cum testudine ex suis officinis edebant una cum aliis nummis, adeo ut de Peloponnesiis hoc verbum tritum usque fuerit, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι. In Peloponneso enim Chelonates pro-

mon-

montorium, Chelone, oppidum; imo tota regio testudini similis, sed & aliæ causæ subesse possunt, cur testudinem inprimis nummos suos præferre voluerint, quas ego quidem hactenus ignoro. At quod Clariss. Begerus literas inscriptas ΑΙΓΙ. ad Ægium oppidum Peloponnesi trahat, & in eorum officina nummum natum sentiat, haud me quidem contradicentem habebit, licet obscurum sit oppidi nomen, vix antiquis Geographis notum. Ptolomæus Peloponnesi quidem oppidum facit, ita tamen ut ad Achajam proprie pertineat. Stephanus illud Achajæ tribuit diserte, Plinius etiam, si recte memini. Quidquid sit, parum interest, an Ægii nummus prodierit, an Æginæo pondere, utrumque enim concurrere potest in hoc nummo. Nam de Ægineo pondere non dubito, quoniam quartæ magnitudinis exhibetur, plurimis infra eam in hoc Thesauro prolatis. Quod igitur sunt sex ad decem, hoc argentei Æginæi Atticos pondere excedunt, & in hoc nummo facile tentari posset, quantum Atticis conveniret, nam multa nummis detrivit ætas ut accurate non respondeant. Sed meam sententiam probant de Æginæo tam pondere quam mensura Ismeniorum & Astyrenorum nummi, ubi Clariss. Begerus concedit eandem mensuram conspici quæ in nummo hoc Ægiorum, quamvis Phidonis nomen non addatur; nec opus erat, cum Phidon jamdudum in fata concessisset, quando hi nummi cudebantur, nec ΦΙΔΩΝ in nummis aliud quid, quam nummos & mensuras Phidoneas in illis locis superesse, indicat, quorum nomen additum. Athenæus meminit ex Dicæarcho *lib.* 4. *cap.* 8. *pag. m.* 141. obolorum Æginæorum Lacedæmone usitatorum in phiditiis: ἔτι δὲ εἰς ὀψωνίαν δέκα πνάς Αἰγιναίυς ὀβολὺς, h. e. Æginei ponderis; fortassis etiam apud Æginæos cusis, aut alibi, non vero Lacedæmone, ubi non nisi ferreos cudere licebat, minime tamen argenteos: argentei enim erant isti oboli; adeo ut hinc videamus Lacedæmonios nummis peregrinis argenteis uti potuisse, non vero ipsi cudere: aut sic intelligendus est Dicæarchus, tot nummos ad obsonium emendum Lacedæmonios ferreos & suos contulisse, quantum Æginei oboli decem valerent; Nam & peregrinos nummos Spartanos adhibuisse, idque in publicis phiditiis, haud tuto statuitur, cum sciamus nec hospites nec peregrinos ullos accedere ausos esse, qui ξενηλασίας stricte observabant; ergo nec nummos peregrinos illuc commeasse credimus. Ægineos deinde stateres apud Cretenses ex Dosiade commemorat, in illorum Syssitiis; τῶν δȣλων ἕκαςος Αἰγιναῖον φέρει ςατῆρα κατὰ κεφαλήν. Ubi rursus staterem Æginei ponderis intelligo, non apud Ægineos cusum, staterem scilicet 40. obolorum Atticorum, qui faciunt sex drachmas Atticas & quatuor obolos, tot enim erant τετράδραχμον Αἰγιναῖον. Egregius est locus Diphili Comici apud Athenæum *lib. 6. cap.* 2. *pag. m.* 225.

> Οὗτος ἀποκείνεται ἂν ἐρωτήσεις πόσȣ
> Ὁ λάβαξ; δεκ' ὀβολῶν. ȣχὶ προσθεὶς
> σοι ποταπῶν.
> Ἔπειτα γ' ἂν τ' ἀργύρειον αὐτῷ καταβάλῃς,
> Ἐπράξατ' Αἰγιναῖον. ἂν δὲ αὐτὸν δέῃ
> Κέρματ' ἀποδȣ͂ναι, προσαπέδωκεν Ἀττικάς.

Hic oboli Attici & Æginei in controversiam veniunt. Atticus decem emtor vult dare, qui faciunt drachmam Ægineam. Venditor obolos decem Ægineos se velle significat. At si venditor emtori minutiores nummos reddere debet, tunc Attico, non Ægineo pondere solvit. Hæc mens est. Sed quo spectat Ἀττικάς, quod hic legitur? nam ad κέρματα referri nequit, quia dicendum erat Ἀττικά. Drachmas autem si intelligas Atticas, illæ cusæ erant, nec inter κέρματα ponere licet, quæ reddi debebant & commutari. Drachmas enim, ni fallor, tradebat, pro quibus κέρματα recipere quærebat. Oboli hic sunt argentei, ideoque ἀργύριον illos vocat, prout Alexis Comicus diserte *pag. m.* 230. etiam indicat, enumerans alicujus ambitiosi vasa argentea, ridensque & inter illa Ψυκτηρίδιον δεκ' ὀβολȣ͂ς Φιλιππίδȣ λεπτότερον, ubi poculum seu vasculum decem obolorum pondere inter argentea recensetur.

Obolos Alexandrinos Polybius memorat, & ex Athenæus *pag. m.* 331. an ærei vel argentei fuerint, & quo pondere contra alios distincti, non explicatur, nec cur obolis Alexandrinis potius in Lusitania sint usi quam aliis.

CAPUT XXXI.

De Nummis Siculis.

Oboli autem natura sua & origine prima, non fuerunt argentei, sed ferrei & ærei, a Lycurgo primum constituti, & quod ὀβελȣ͂ formam haberent isti non signati, ὀβολοὶ dici cœperunt, cumque reliqui Græci nihil nisi argenteos & aureos nummos tractarent more Hebræo-

uſque ad Abrahami ex Chaldæa deſcenſum in terram Canaan anni 367. ex Calviſii computo; Heber, ex quo Hebrææ linguæ nomen manſit, filius Salah ex Sem Noachi deſcendens, vixit adhuc cum Abrahamo, poſt confuſionem linguarum ipſi quoque Abrahamo ſuperſtes annis 64. A confuſione linguarum, quæ incidit in Annum a diluvio 101mum, terras ſuas occupare cœpiſſe Cananitas credimus, ut alii populi ſuas diſperſi: ita ut Abrahamo veniente ad Cananitas, jam 266. annis illas terras tenuerint, cum lingua paterna & avita. Abraham enim Cananitas loquentes intelligere potuit, Cananitæ Abrahamum, nec interprete uſos ligimus. Eandem igitur linguam, quæ prius & quondam inter populos una erat, tunc parum adhuc mutatam obtinuiſſe dicendum eſt, ad quam, veluti matrem, ſe referebant cæteræ in ſuis licet mutationibus. Neque enim fruſtra ſunt verba, quæ de Sem leguntur, *Gen. cap.* 11. *verſ.* 24. quod fuerit pater omnium filiorum Heberi; cur vero Heberi præprimis? niſi quod lingua antiqua, quam Heber excoluit, ejuſque deinceps nomen adſcivit, a Sem deſcenderit, *fratre majore Japheti*, quod ſtatim additur, tanquam patre omnium, qui iſta lingua locuti ſunt poſt Heber, a quibus ſane Cananitæ non excludendi, qui propter linguam eandem etiam ad Heber ſpectarunt, ejuſque filii ea ratione dici poſſunt, & Semi, licet quoad genus & familias a Cham prognati eſſent. Nec confuſionem illam linguæ primævæ duraſſe credendum eſt ulterius, quam per miraculum, quo attoniti ab opere deſiſtere, & ab invicem diffugere inducebantur: ita ut Heber primævam linguam omnibus reſtituiſſe diſperſis & inculcaſſe potius videatur, ac in ea retinuiſſe, quam novam eſſe linguam exorſam, a primæva diffidentem. Hæc jam ſcripſeram, cum incidi in librum doctiſſimi Steph. Morini de lingua primæva, qui *Exercit.* 1. *cap.* 10. & 11. hoc argumentum erudite tractat, meamque ſententiam de Hebræa lingua & primæva in multis gentibus poſt eas diſperſas permanente, Heberi conſilio & induſtria multis confirmat, nec ex iſta confuſione linguarum 70. linguas protinus exſtitiſſe, ſed tractus temporis paulatim mutaſſe. Non enim confuſio linguarum novas ſtatim linguas parit, ſed primus tantum gradus eſt ad linguam novam & diverſam tandem conſtituendam, quam magis perficiunt temporum intervalla, quam prima quædam confuſio. Jam ducentis annis a confuſione ad Abrahamum non minimam mutationem in lingua incolarum terræ Canaan ſucceſſiſſe quis negabit? haud tamen tantam, ut affinis non manſerit Hebrææ primævæ, ſeque invicem intelligere potuerint. Quamvis enim qui Danica lingua utuntur, cui olim Germanica magis fuit affinis, hodie Suevum aut Bohemum, ſimileſque in remota Germania habitantes, non facile aſſequi loquentes poſſint, quoniam tam multa illas linguas, quæ principio parum diſtabant, intercurrentia ſecula mutationes alias & alias, in accentibus, pronunciationibus, idololatriis, mixturis &c. introduxerunt, ut nunc alienæ plane videri poſſint, quæ pene eædem quondam fuerunt; ſic quoque confuſione linguarum ſemel exorta affines diu manſerunt, quæ poſtmodum a primæva in diverſas & novas linguas degenerarunt, ut affinitas illa omnis perierit, nec niſi pauciſſima primævæ veſtigia ſervare potuerint, aut nulla. Huic rei confuſio primum lapidem poſuit, ſed tempus totum ædificium eduxit. His ita demonſtratis de lingua Hebræa & primæva, mirum videri non poterit, ſi Cananitæ & Abrahamus ipſe ſuo tempore pondere uſi ſint שקל Hebræis dicto, eoque nomine etiam nummos & argentum ejus ponderis deſignarint, cum & ante diluvium illud pondus eo nomine inter homines eadem lingua etiam vigere potuerit.

CAPUT XXX.

De Nummis Æginæis.

ÆGinæum vero pondus in variis nummis ſupereſt & conſpicitur, etiam in illis, quæ apud Æginæos cuſi non ſunt, ut in χελώναις, a teſtudine, quam inſculptam habent, & quamvis rariores ſint, nec tam frequenter occurrant in gazophylaciis Doctorum Virorum, argenteus tamen unus productus eſt a Nobiliſs. Dn. Begero ex theſauris Brandeburgenſibus *pag. m.* 447. cujus prima facies hanc teſtudinem habet, nihilque præterea; altera facies quadrum in quinque partes diviſum. Inſcriptio primæ partis eſt A. in ſecunda literæ, ΙΓΙ. in tertia, delphinus erectus; in reliquis nihil. Nec mirari oportet, Æginæ nomen hic apparere, cum certum ſit in Peloponneſo cuſum eſſe, ſignificat enim, hanc χελώνην, hunc nummum Æginæi ponderis eſſe. Omnes enim Peloponneſii nummos cum teſtudine ex ſuis officinis edebant una cum aliis nummis, adeo ut de Peloponneſiis hoc verbum tritum uſque fuerit, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι. In Peloponneſo enim Chelonates promon-

montorium, Chelone, oppidum; imo tota regio testudini similis, sed & aliæ causæ subesse possunt, cur testudinem inprimis nummos suos præferre voluerint, quas ego quidem hactenus ignoro. At quod Clariss. Begerus literas inscriptas ΑΙΓΙ. ad Ægium oppidum Peloponnesi trahat, & in eorum officina nummum natum sentiat, haud me quidem contradicentem habebit, licet obscurum sit oppidi nomen, vix antiquis Geographis notum. Ptolomæus Peloponnesi quidem oppidum facit, ita tamen ut ad Achajam proprie pertineat. Stephanus illud Achajæ tribuit diserte, Plinius etiam, si recte memini. Quidquid sit, parum interest, an Ægii nummus prodierit, an Æginæo pondere, utrumque enim concurrere potest in hoc nummo. Nam de Ægineo pondere non dubito, quoniam quartæ magnitudinis exhibetur, plurimis infra eam in hoc Thesauro prolatis. Quod igitur sunt sex ad decem, hoc argentei Æginæi Atticos pondere excedunt, & in hoc nummo facile tentari posset, quantum Atticis conveniret, nam multa nummis detrivit ætas ut accurate non respondeant. Sed meam sententiam probant de Æginæo tam pondere quam mensura Ismeniorum & Astyrenorum nummi, ubi Clariss. Begerus concedit eandem mensuram conspici quæ in nummo hoc Ægiorum, quamvis Phidonis nomen non addatur; nec opus erat, cum Phidon jamdudum in fata concessisset, quando hi nummi cudebantur, nec ΦΙΔΩΝ in nummis aliud quid, quam nummos & mensuras Phidoneas in illis locis superesse, indicat, quorum nomen additum. Athenæus meminit ex Dicæarcho *lib.* 4. *cap.* 8. *pag. m.* 141. obolorum Æginæorum Lacedæmone usitatorum in phiditiis: ἔπ δὲ εἰς ὀψωνίαν δέκα πνὰς Αἰγιναίυς ὀβολὺς, h. e. Æginei ponderis; fortassis etiam apud Æginæos cusis, aut alibi, non vero Lacedæmone, ubi non nisi ferreos cudere licebat, minime tamen argenteos: argentei enim erant isti oboli; adeo ut hinc videamus Lacedæmonios nummis peregrinis argenteis uti potuisse, non vero ipsi cudere: aut sic intelligendus est Dicæarchus, tot nummos ad obsonium emendum Lacedæmonios ferreos & suos contulisse, quantum Æginei oboli decem valerent; Nam & peregrinos nummos Spartanos adhibuisse, idque in publicis phiditiis, haud tuto statuitur, cum sciamus nec hospites nec peregrinos ullos accedere ausos esse, qui ξενηλασίας stricte observabant; ergo nec nummos peregrinos illuc commeasse credimus. Ægineos deinde stateres apud Cretenses ex Dosiade commemorat, in illorum Syssitiis; τῶν δὐλων ἕκαςος Αἰγιναῖον φέρει ςατῆρα κατὰ κεφαλὴν. Ubi rursus staterem Æginei ponderis intelligo, non apud Ægineos cusum, staterem scilicet 40. obolorum Atticorum, qui faciunt sex drachmas Atticas & quatuor obolos, tot enim erant τετράδραχμον Αἰγιναῖον. Egregius est locus Diphili Comici apud Athenæum *lib.* 6. *cap.* 2. *pag. m.* 225.

> Οὗτος ἀποκείνεται ἄν ἐρωτήσεις πόσυ
> Ὁ λάβαξ; δεκ' ὀβολῶν. ὐχὶ προσθεὶς
> σοι ποταπῶν.
> Ἔπειτα γ' ἄν τ' ἀργύειον αὐτῷ καταβάλης,
> Ἔπράξατ' Αἰγιναῖον. ἄν δὲ αὐτὸν δὲν
> Κέρματ' ἀποδῦναι, προσαπέδωκεν Ἀττικάς.

Hic oboli Attici & Æginei in controversiam veniunt. Atticus decem emtor vult dare, qui faciunt drachmam Ægineam. Venditor obolos decem Ægineos se velle significat. At si venditor emtori minutiores nummos reddere debet, tunc Attico, non Ægineo pondere solvit. Hæc mens est. Sed quo spectat Ἀττικὰς, quod hic legitur? nam ad κέρματα referri nequit, quia dicendum erat Ἀττικὰς. Drachmas autem si intelligas Atticas, illæ cusæ erant, nec inter κέρματα ponere licet, quæ reddi debebant & commutari. Drachmas enim, ni fallor, tradebat, pro quibus κέρματα recipere quærebat. Oboli hic sunt argentei, ideoque ἀργύριον illos vocat, prout Alexis Comicus diserte *pag. m.* 230. etiam indicat, enumerans alicujus ambitiosi vasa argentea, ridensque & inter illa Ψυτηείδιον δεκ' ὀβολὺς Φιλιππίδυ λεπτότερον, ubi poculum seu vasculum decem obolorum pondere inter argentea recensetur.

Obolos Alexandrinos Polybius memorat, & ex Athenæus *pag. m.* 331. an ærei vel argentei fuerint, & quo pondere contra alios distincti, non explicatur, nec cur obolis Alexandrinis potius in Lusitania sint usi quam aliis.

CAPUT XXXI.

De Nummis Siculis.

Oboli autem natura sua & origine prima, non fuerunt argentei, sed ferrei & ærei, a Lycurgo primum constituti, & quod ὀβελῦ formam haberent isti non signati, ὀβολοὶ dici cœperunt, cumque reliqui Græci nihil nisi argenteos & aureos nummos tractarent more Hebræo-

bræorum & Phœnicum, nomen quidem oboli a Lacedæmoniis mutuabantur, eoque partes drachmæ significabant, quod aliud nomen minutius, vel nummum etiam minutiorem drachma nescirent; Sic igitur in κέρματα ista argentea & aurea, argentum quoque & aurum conciderunt, quæ nomine obolorum diu vocarunt, donec Græci reliqui etiam æreis nummis uti consultum judicarunt, loco obolorum argenteorum. Atque sic oboli nomen in solis æreis fere mansit, & ex Græcia in Siciliam, Italiam, & tandem ipsam Romam translatum fuit, nunc hoc illo pondere, ita tamen, ut libræ pondus in ære plerumque retinuerit obolus, ut Pollux dicit *lib.* 4. *cap.* 24. *pag. m.* 602. ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον, h.e. *libra*, scilicet æris, *valet idem cum obolo Æginæo* æreo. At cum paulo ante dixit δεκάλιτρον, explicat deinde, decem obolos fuisse librales, sed drachmam argenti eo nomine significat, ea enim erat decem obolorum, & denarius, dictus a decem assibus æreis libralibus. Sive ergo decem asses æreos quis acciperet, sive denarium argenteum, idem est; sic quoque, sive decem obolos, vel δεκάλιτρον vel drachmam argenti, nam hæc æquipollent. Οἵγε Δωριεῖς ποιηταὶ τὴν λίτραν ποτὲ μὲν νομίσμα λεπτὸν λέγουσι, οἷον, ὅταν Σώφρων ἐν τοῖς γυναικείοις μίμοις λέγει. ὁ μισθὸς δεκάλιτρον. Hic tenue illud numisma est κέρμα argenteum æquipollens libræ in ære, vel obolo librali, & δεκάλιτρον seu drachma argenti, decem oboli ærei. Apud alios vero δεκάλιτρον erat στατὴρ Κορίνθιος. An vero stater Corinthius ab aliis stateribus diversi fuerit ponderis in argento, & quantum abierit, non indicarunt. Vulgo stater erat drachmarum quatuor in argento, duarum in auro. Hinc ex Aristotele Pollux tradidit l. d. ipsum ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ sic nummos æreos descripsisse, & distribuisse: Οἱ μὲν Σικελιῶται τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξᾶλιτρα παλοῦσι, τὸν δὲ ἕνα, οὐγγίαν, τοὺς δε τρεῖς, τριάκοντα. τοὺς δὲ ἕξ, ἡμίλιτρον. τὸν δὲ ὀβολὸν, λίτραν. τὸν δὲ Κορίνθιον στατῆρα, δεκάλιτρον. ὅτι δέκα ὀβολοὺς δύναται. Illa ἑξᾶλιτρα & τριάκοντα mendose se habent, quod liquet ex loco hoc repetito *lib.* 9. *cap.* 6. *p. m.* 436. εὕροι τις ἄλλα Σικελῶν ὀνόματα οἷον οὐγγίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα, καὶ ἑξ τάλαντα (illud quoque mendosum) ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοὶ, καὶ τρία τάλαντα (rursus mendose) ὅπερ τρεῖς, καὶ ἡμίλιτρον, ὅπερ ἕξ. καὶ λίτραν, ἣν εἶναι ὀβολόν. τὸ μέν τοι δεκάλιτρον δύνασθαι μὲν δέκα ὀβολοὺς δὲ στατῆρα Κορίνθιον. Ex his colligimus δεκάλιτρον, seu drachmam Siculam æquipolluisse stateri Corinthio. Disquisivit Salmasius in libello *d. modo usur.* quantum ponderis habuerit drachma Sicula, & eam valuisse duas drachmas Atticas cum dimidia respondit *pag. m.* 248. talisque ponderis adhuc reperiri Syracusanorum & Agrigentinorum drachmas in capsulis Antiquariorum. Erant igitur hæ drachmæ etiam Æginæis graviores; drachma enim Æginea non superabat Atticam nisi duabus tertiis; ex. gr. valente drachma Attica sex asses Lubecenses, drachma Æginæa valebat decem asses: drachma vero Sicula, octodecim asses Lubecenses. Hæc causa est, cur Dionysius Siculus, drachmam unam Siculam duas esse voluerit, ut Aristoteles monuit, imo quatuor, ut Pollux. Aristoteles in Oeconom. ait: ἀνενεχθέντος δὲ τοῦ ἀργυρίου, ἐπικόψας χαρακτῆρα, ἐξέδωκε τὴν δραχμὴν δύο δυναμένην δραχμάς. Pollux vero cap. de nummis sic de eodem Dionysio refert: τοὺς μεν τοι Συρακοσίους χαοτίτερον ποτὲ ἀντὶ ἀργυρίου νομίσαι Διονύσιος κατηνάγκασε, καὶ τὸ νόμισμα αὐτῶν τέσσαρας δραχμὰς ἰσχύειν. Hæc ita conciliari posse puto, Pollucis quatuor drachmas intelligendo de Atticis, quibus comparavit drachmam vel δεκάλιτρον. Siculum valore, non pondere: Aristotelem vero loqui de drachmis Siculis, ut una posthæc valeret duas: Sic drachma Sicula ad 9. asses Lubecenses redacta fuit, & postmodum ad quatuor, Atticæ pene similes, quarum singulæ asses quatuor cum dimidio Lubecenses effecerunt, quæ Pollucis sententia est. Non igitur mirum δεκάλιτρον hunc nummum argenteum Siculum etiam στατῆρα vocatum esse, cum improprie satis δραχμὴ diceretur, quæ multas drachmas valere potuit, unde δεκάλιτρος στατὴρ etiam Epicharmo audit, & apud Pollucem Corinthio stateri par. Quidquid enim supra drachmam vel Ægineam vel Atticam adscendit, stateris nomen occupavit. Vulgo tamen in argento τετράδραχμος audit, quæ causa est cur δεκάλιτρον Siculum ad quatuor drachmas, minores licet Atticis descenderit, nimirum quo Stateris nomen convenientius obtineret. Menda vero exstantia sic corrigenda sumerem pro τριάκοντα & τρία ταλάντα legerem τριαγγια: quod me docuit Epicharmus ibidem. Ἐγὼ γὰρ τὸ βαλάντιον λιτροδεκάλιτρον, ἑξάγγιον καὶ πεντάγγιον. Sic leguntur nunc in editis, & legi posse puto. Ἐγὼ γὰρ τὸ λιτροβαλάντιον, δεκάλιτρον &c. Ἑξάγγιον vero pro ἑξαούγγιον, sic porro τετραούγγιον & τριάγγιον, sex, quinque quatuor, & trium unciarum. Legere etiam possumus pro τριάκοντα vel τρία τάλαντα cum Scaligero τρίαντα, ut prout ex Hesychio emendavit, & pro

ἑξ

ἓξ τάλαντα, legit Salmasius δίξαντα, ut sit δίξας διοστὸς χαλκῦς, *d. mod. Usur. pag.* 257. Quin & Epicharmi locum ex Palatino Codice vetustissimo sic restituit & legit *pag. m.* 260.

> —— ἐφ' ᾧ γὰρ τὸ βαλάντιον λίτρα,
> Δεκάλιτρος στατὴρ, ἑξάντιόν τε καὶ πεντόγκιον.

Quæ eodem recidunt cum meis conjecturis, quas feceram; & ἑξάγγιον ac πεντάγγιον servare studebam. Alterum mendum in Polluce fuit in ἑξάλιτρα & ἓξ τάλαντα, quæ tollerem substituendo ἑκτάλιτρα. Sicut enim ἑκτημόριον est sexta pars drachmæ, vel stateris, vel oboli, sic quoque ἑκτάλιτρον sexta pars libræ uno verbo sextans, qui sunt isti δυο χαλκοὶ. Habebat enim obolus libralis duodecim chalchos, unciæ pondere singulos. Polluce sic correcto, de obolo æreo ejusque partibus apud Græcos omnia perspicua sunt, & unde Romani asses & uncias suas habuerint. Nemo vero δεκάλιτρον putet nummum unum fuisse æreum cusum, sed argenteum, sive drachmam sive staterem, ut dixi, nihil enim prohibet Corinthios nummum suum argenteum starerem vocasse, licet quatuor drachmis non constaret, sed infra easdem, quod Siculos permovit tamen istum nummum drachmam adhuc vocare nam si drachma argenti aut denarius argenteus apud Romanos decem assibus libralibus ab initio ἀντιτάλαντος fuit, etiam hoc a Græcis petitum existimare debemus, ut cœtera eorum circa rem nummariam pondera & nomina. Δεκάλιτρον autem vox est ex veteri ævo, cum nondum nummi cuderentur, tunc enim talia pondera reperiebantur & massæ, tam in auro, argento, & ære νομιζόμενα & recepta ac introducta. Cum igitur oboli essent librales, Chalci unciales, & cusi, adhuc obolostatas absque dispendio famæ in iis appendendis versari potuisse quis non videt? quanto magis in non signatis, quidquid dicat Salmasius *pag. m.* 570. *d. usur.* ubi non credit æs appensum, *cum pro nummo ære rudi ad certum pondus examinato usi sunt*, qui enim de pondere constare potuit, si æs rude non appendebant? At quod addit eos nummos notam præferre, quæ pondus ejus designaret, haud ego pugnabo tales notas inditas, modo mihi concedant publico cuneo eas minime percussas, sed a privatis tantum accipientibus aut reddentibus impressas, quorum fidem sequi non semper poterant, quin opus haberent etiam æs illud ad libram vocare. Plinius diserte dicit *lib.* 33. *cap.* 3. *Servius primus signavit æs, antea rudi usos Timæus tradit*, quod ponderari opus fuit, ut sciretur ex. gr. contra libram auri & argenti aliasque res quæ in permutationem veniebant, quot libras æris rependi justum esset, quæ verba sunt Salmasii se ipsum corrigentis *pag. m.* 571. Jam quod etiam disputat de assibus libralibus & dupondiis, quod appendi eos nulla necessitas flagitaverit, ego Plinio magis credo *d. l.* qui assem libralem appendi etiam solitum testatur, nec juvat ratio, quod non solum publica moneta sunt percussi, sed notam ponderis præferunt incusam, idem enim in aureis & argenteis obtinet publica imagine cusis, & notam ponderis quandoque adjectam habentibus, quos tamen concedit appensos etiam esse, ita ut illa negligentia ponderandi non nisi in minutis nummis æreis processerit, in libralibus arbitrii fuerit accipientium, num non appensos voluerint tradi, quod etiam Salmasio placuit *pag. m.* 461. Jam cum obolus fuerit inter minutos nummos æreos signatos, eos non appendi solitos sed solum numeratos credo, at obolos argenteos etiam signatos ὀβολοστάτην requisivisse non miror, omne enim illud appendendi negotium ex nummis non signatis primum prodiit, quos necesse erat appendere, ut recte Salmasius probat, *stipendia*, *impendia*, *dispendia*, *compendia*, *expensas*, *dependere*, non originem habere ab eo tempore, quo nummis cusis utebantur, sed ex eo quo rudibus, & *p.* 579. *nomina libripendiariæ longe ante nata & usitata, quam nummi signati notitia esset.*

CAPUT XXXII.

De Daricis & Crœseis.

AMicissimus mihi & eruditissimus Dn. Gisbertus Cuperus in literis suis ad me 25. Febr. Anno 1696. datis, in ea sententia versatur *Adarcon* & *Darkemon*, quæ in Hebræo textu reperiuntur, a *Daricis* potius quam a δραχμῆ nomina esse: & Judæos post captivitatem Babylonicam his nummis Daricis usos esse vult & hinc nomina inter ipsos orta. Ego vero dissentio, dum considero vocem *Adarcon* & drachmæ ante Darios Persarum & captivitatem Babylonicam tempore Davidis Regis in populi Judaici linguam receptam, ut constat ex 1. *Chronic.* 30. *vers.* 7. ubi ad templum ædificandum eos contulisse auri *Kiccarim* quinque millia & *Adarconim* decem millia scribitur; Hæc ante Darios ullos in Persia gesta sunt,

ſunt, ita ut vox *Adarconim* ad illos reſpicere nequeat, niſi autorem Chronicorum, qui ad tempus captivitatis ſolutæ opus ſuum contexuit, ita locutum eſſe quis autumet pro more ſui temporis: quod tamen non concedere poſſum, ſi quidem ex probæ fidei monumentis antiquis eum ſua hauſiſſe, quæ de Regibus ſingulis adduxit, dubitare non poſſimus, in quibus hanc vocem *Adarconim*, & reliqua nomina ponderum expreſſa reperit, eaque ideo relinquens poſuit. Accedat quod Darii Hebræis ſatis fuerint noti, nam Daniel. 5. *verſ. ult. Darjaveſch Madai*, h. e. *Darius Medus*, nominatur, qui Belzaſari Chaldæorum ſucceſſerit, deinde Eſræ 4. *verſ.* 5. *Darjaveſch Melech Paras* h. e. *Darius Rex Perſiæ* memoratur, & ſic alibi ſemper *Darjaveſch* Hebræis *Darius* vocatur, unde ſane nullius nummi nomen *Darcon* aut *Adarcon* aut *Darkemon* flecti poteſt, ſed aut *Darjaveſchim* aut contractius *Darjaſchin* formari deberent: quæ longe abſunt a *Darconim* aut *Darkemonim*. Sunt qui *Darkemonim* quidem Hebræis factos eſſe ex drachmis Græcorum credunt & concedunt, ſed *Adarconim* neceſſario a Dariis dictos eſſe nummos volunt, ac idem eſſe quod Daricos. Probare vero nunquam potuerunt ab ullis Regibus in Oriente Orientales iis temporibus nummos illos denominaſſe; hoc Græcorum moris eſt, illi Daricos primo vocarunt, non Orientales, illi Philippeos, Alexandrinos &c. a Græcis hæc ſunt, non ab Aſiaticis antiquis. *Adarconim* deinde ante Darios fuiſſe in lingua Hebræorum receptam vocem pariter ac *Darkmonim* conſtat ex ſacro codice, ut ante monui, haud igitur a Dariis nomen heſit. Jam quin etiam omnes concedunt, & conſentiunt, Daricus nummos fuiſſe cuſos & διδράχμους, quod de Adarconim quoque dicendum eſſet, ſi a Dariis nomen traxerunt, ſicque *Darkmonim* drachmæ ſolum pondere eſſent, *Adarconim* δίδραχμοι. Ego autem nec *Darkmonim* nec *Aderconim* inter cuſos adhuc pono, ſed drachmali pondere nummos non ſignatos aureos, inter Perſas & Medos & Babylonios receptos ac numeratos fuiſſe intelligo; Nullibi enim ante Cyrum in Aſia nummi cuſi dantur, quos adducere poſſimus, niſi Græcos, qui erant argentei, *Darkmonim* vero & *Adarconim* ſemper aurei comparent, ubicunque leguntur, quos non cuſos idcirco ſtatuo, quoniam nummos aureos cuſos nemo hactenus animadvertit, donec Crœſus primos in Lydia fabricaſſe legitur, qui non fuerunt δραχμαῖοι, ſed δίδραχμοι, ut volunt, quare quas Joſephus drachmas, per myriadas, ex epiſtola Cyri recenſet, *lib.* 11 *Antiq. c.*1.*p. m.*358. Judæis conceſſas eſſe, cum Hieroſolymam repeterent, non niſi *Adarconim* in ejus literis dictas eſſe judicare datur, quod eo tempore drachmas ſic exprimerent in auro, ut jam docui ex Sacro Codice, Chronicorum, Eſræ, Nehemiæ, Cyri ætate viventium Scriptorum & Artaxerxis, apud quos *Darkmonim* & *Adarconim* reperiuntur. Semper iilic additur, inquam in auro fuiſſe has drachmas, ergo & apud Joſephum illas drachmas εἴκοσι μυριάδας, πεντάκις χιλίας καὶ πεντακοσίας in auro fuiſſe dicendum nobis erit, cum & notum ſit, ex antiquis Scriptoribus, drachmas ſolas per μυριάδας, etiam elliptice, numeratas eſſe, ſicque hæc ſumma drachmarum aurearum ad thaleros unciales noſtros numero 256875. adſcendit, quos quotannis Judæi ex vectigalibus mercium reditus facere ſoliti erant, in argento vero ſi computare has drachmas decet, non niſi 25687½ thaleri exibunt. Rabbini quoque in ſuis ſcriptis & *Darkemon* & *Adarcon* retinuerunt, ſed, ut ſolent, in pondere nunquam conſentiunt, quod exinde eſt, quia vagi per orbem multorum populorum nummos videre coguntur, multo pondere diverſos, hinc jam *Darkemon* nummum argenteum ſtatuunt, ut & *Adarcon* quod contrarium eſt S. Scripturæ, quæ non agnoſcit præterquam in auro. Deinde pondus drachmæ non conveniens ſemper addunt, nunc ſedecim hordei granorum, nunc drachmarum ſedecim, ut ex libro Miſnajoth *tr. de Siclis cap.* 2. §.7. *definitur*. Ariamontano *Adarcon æſtimatus eſſe duobus Selahhim, quæ æſtimatio ejus fuerit antiqua*. Futilia hæc ſunt Rabbinorum commenta, quibus haud plus ineſt fidei, quam caſſæ nuci.

Græca terminatio in nummis Daricis, eſt Δαρεῖος, Δαρεικὸς, qui recte ſe habet, ſed non convenit Hebrææ linguę, quę non ignoravit Darios, nec ex Gręca lingua eos petere opus habuit, ergo nec nummorum Daricorum nomen ex illa lingua hauſit, ſed plane Hebręa Daricos neſcivit. Cum igitur litera K. vel CH. ut & litera M. ſit veluti κρεπκὴ hujus vocis, & in omnibus flexionibus reperiatur *Darconim*, *Adarconim*, & *Darchemonim* atque illa in voce Δραχμὴ Gręcorum reperiatur una cum reliquis radicem conſtituentibus, non poſſum non ſententię meę inhęrere, *Darcon* & *Adarcon*, & *Darkemon* quibus S. Scriptura utitur, quoniam Hebręa non eſt, ex Gręca δραχμῆ originem traxiſſe, non vero ex nummis Δαρεικοῖς.

At nec oblivioni tradere debeo Crœſi Re-

Regis πλίνθους χρυσέους seu laterculos aureos, quos ad Apollinem Delphicam transmisit ejus oracula ambiens, quorum meminit Eusebius *lib.* 5. *Præp. Evang. pag. m.* 211. Dicit enim, quod κρατῆρσι καὶ πλίνθοις χρυσαῖς, ἀναθημάτων δὲ μυρίων πλήθει κοσμήσας τὸ ἱερὸν, τῶν πανταχοῦ γῆς ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πλουσιώτατον ἀπέφηνεν. Hęc ἀναθήματα loco pecunię erant, inprimis illę πλίνθοι χρυσαὶ, siquidem tunc nummis cusis, ut re nova, & parum adhuc cognita res ipsis non agebatur, quod aut recepti nondum essent, aut ita Diis offerre moris esset antiqui. Extra Gręciam enim nummos cusos vix id temporis norant, nec Κροίσειοι στατῆρες aurei tanta copia celebres evaserant. Nullum enim est dubium, quin nummos aureos misisset, si tunc in Lydia Crœsus nummos tales ex moneta sua submittere potuisset, quod quia factum non reperimus, Crœsi nummos quos cudere cœpit, aut nondum cusos, aut si cusi fuerunt, nondum ea conditione usos, ut coram Diis exponi possent: aut missos etiam stateras Crœseos, sed paucos nec tanto numero, ut connumerari potuerint seorsim.

CAPUT XXXIII.

De Nummis Romanorum non cusis & cusis.

PEcuniam a pecore dictam nemo diffitebitur, & *peculium*, quidquid in substantia & facultatibus, pręter nummos, quis possidebat; scilicet quod pecora maximam earum partem facerent. At inde non sequitur, nummos ejus temporis bovis, ovis, aut suis effigie signatos fuisse. Antiquissimi qui supersunt, Romę caput & scutum pręferunt, asses etiam bilibres, cum ove nullum reperies omnino, cum sue, non nisi ulterioris ęvi trientes, cum bove quadrussis exstat apud Boutheroue, sed cujus fidei? Ego nullum eorum, quos attulit elegantissimus ille Scriptor, ad Valerii Poplicolę ętatem spectare dixero, aut illud mihi asserendum sumam, cum pertineant ad longe inferiorem, tum quia non cusis Romanos adhuc usos more Gręcorum, quos in Gręcia Magna sic mercari viderunt, certum sit, nec nummos signatos ullos hactenus assumserant. Nam quod Servium Tullium primum ęs percussisse & signasse plurimi credunt, hoc ob Plutarchi verba sub Poplicola Consule nondum licet admittere, sed illud quod ęs & argentum non signatum primus forte Romanos adhibere docuerit in commerciis, loco scorteorum & figlinorum, quo spectant Calvisii verba, in Chronico ad A. M. 3236. confuse ex Plutarcho & Dionysio adducta. *Asses primus* (Numa) *ex non signato argento & ære cusos Romanis largitus est, cum antea ipsorum usum asses scortei, lignei, & figulini supplerent.* Numam nihil in nummis constituisse aut mutasse ex Plutarcho manifestum reddidi: solum Numæ nomen, quasi nummi ab ipso nomen acceperint, hanc opinionem & errorem propagavit, nec Plutarchus quidquam alibi de Numæ nummis prodidit. Glareanus sane in Chronologia ad Dionys. Halicarnass. dicit Numam congiarium dedisse asses ligneos & scorteos, & Eusebium autorem citat; ergo nondum aut signatum aut non signatum Numę tempora noverant. Autor libelli de rebus bellicis, qui jungi solet Notitię utrique cum Orientis, tum Occidentis, editę per Sig. Gelenium Bas. 1552. quem ad Theodosium & Arcadium Principes scripsisse putatur, aliquot horum nummorum figlinorum & scorteorum expressit, figuris additis; Et quidem figlinos *luteos* vocavit, ut de luto factos, capitibus tamen impressis effictos, de quibus sic loquitur: *Rectores superioris vitæ, non ociosis opibus, sed condendis potius mœnibus lætabantur, in quorum decorem universam auri argentique materiam conferebant, æris quoque copiam in simulachris propriis ad virtutis suæ testimonia figurabant. Ut vero emendi & vendendi utilitas, & ut facultas Regiæ liberalitatis suppeteret, in æris usum excultam politius terram, & igne solidatam, certis quoque expressionibus figuratam, auro argentoque reposito, usui habuerunt.* Ille igitur Scriptor existimavit Romanos *luteis* his nummis primum omnium usos, quamvis auri, argenti, & æris copia non deesset, sed quam mercibus impendere verebantur, quod mœnibus & arcibus condendis aurum & argentum satius esse crederent insumere, æs vero statuis erigendis absumerent. Sic ille quidem censet, at quam recte, nunc quidem non dicam aliud, quam luteos illos nummos ad eam ætatem omnino pertinere, quo metallorum eruendorum peritia nondum instructi Romani vivebant, ita ut vera necessitas, auri argentique & æris penuria summa, ligneos & luteos & scorteos nummos adinvenerit, pro facilitate ementibus ac vendentibus aliqua comparanda. Quod vero luteos ac figlinos istos nummos etiam signatos produxit, nudis & laureatis capitibus, hoc ego quidem tanti non facio, ut aut affirmare aut negare velim, cum publica hæc non fuerit moneta, sed ex privatorum ingenio nota & impressa, qui

qui majores forte suos in his nummis præfigurabant: neque enim ligneis aut figlinis nummis sine figuris quibusdam suus constare potuit valor, cum in pondere nullum momentum esset in hac materia, sed in figura potius eleganter elaborata (*). Nos vero de his nummis, licet ita signatis, non sumus soliciti, cum cito perierint, nec usum sui præbere potuerint nisi paucarum horarum, offendiculis quibusdam inter manus ipsas semper expositi. Scorteos vero luteis istis successisse nobis persuadere cupit his verbis: *Sed posteriores fastidientes priscæ utilitatis inventum, formatos e coriis orbes auro modico signaverunt, quibus Regum munificentia, & commutationum necessitas intactis collatoribus utebatur*. Hos nummos quoque signatos vocat, quod auri particula quadam essent insigniti. At hoc non est signare aut procudere nummos, sed sculpere, ut figlinos, & ornare ut scorteos. Parvæ molis sunt, & figlini & scortei. At num putas scorteos auro solo ornatos fuisse, nullos argenti vel æris lamellis? Ego scorteos tales inventos judico, ut auro, & argento & æri parceretur, quorum metallorum nulla copia affluebat, nec ea tractare didicerant. De scorteis signatis quæ me monuit per epistolam Doctiss. & Ampliss. Dn. Cuperus, haud contemnenda sunt, quamvis in illo autore Anonymo nihil signatum figura scorteorum habeat. Et quoniam ex Salmasio de usuris hæc hausit, illum audiamus. Antiquissimum est Platonis testimonium ex Eryxia, qui Carthaginenses nummis ejusmodi scorteis usos annotavit. Καρχηδόνιοι, inquit, *νομίσματι χρῶνται τοιύτῳ, ἐν δερματίῳ μικρῷ ἀποδέδεται, ὅσον τε στατῆρος τὸ μέγεθος μάλιστα, ὅτι δὲ ἐστιν τὸ ἐναποδεδημένον ὐδεὶς γιγνώσκει, εἰ μὴ οἱ ποιῦντες, εἶτα κατεσφραγισμένῳ τύτῳ νομίζυσι*. Impressum fuisse signum aliquod, aut potius obsignatam fuisse alutam simul indicat Plato, non incusum quid, non autoritate publica signatum hunc nummum Plato dixit, sed ab iis, qui illum conficiunt, sigillum inditum scribit, quod privatos potius addidisse crederem, quam publico sigillo hos nummos obsignatos, nam alias Plato disertius hæc proposuisset, quæ nunc dubie satis, quasi nescius ipse, an publice vel a privatis ita nummus iste fuerit concinnatus. Aristides in Oratt. nihil dixit, nisi Carthaginenses uti *σκυτίνοις νομίσμασι*. Et recte Salmasius Scholiasten ipsius reprehendit, qui a Didonis ætate hos nummos repetiit, & ipsius *βύρσῃ*. Plus negotii nobis dabit Senecæ locus, qui *lib.* 5. de Benef. *corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit*, diserte scripsit. Sed attendi volo, Senecam hic loqui ad morem ævi sui, quando nummi omnes publice procudebantur, aut de Lacedæmoniis sua ætate, quod illis tunc nummi coriacei fuerint, forma publica percussi, aut paulo prius, ad quæ tempora quoque Nic. Damasceni locus, quem Ampliss. Dn. Cuperus observavit ex Stobæo, pertinebit. Verissimum enim est, quod sustinet Salmasius, antiquis temporibus Lacedæmonios coriaceis usos esse nusquam legi, sed ferreis solis: Quin & Senecæ locus ipse, Lacedæmoniorum nummos coriaceos non de antiquissimis intelligi, satis probat, dum forma publica percussos scripsit; neque enim hoc erat antiquissimorum, sed sine nota publica nummos habere, ut mecum pluribus locis sentit Salmasius eodem libro. Lacedæmonios autem sæpius a frugalitate sua veteri recessisse, sed & ad illam rediisse, non semel docet Plutarchus, ut hanc in causa fuisse putem, cur etiam coriaceos nummos adsciverint, tandem licet Λυκύργιον hoc minime fuerit, qui solos nummos ferreos iis commendavit. Sicque minime opus erit locum Senecæ corruptissimum statuere, quod facit Salmasius, sed relinqui potest, prout hactenus exstat, & ad Lacedæmoniorum mores tempore Senecæ referri. In voce *signare* ἀμφιβολικῶ non parum semper latuit, nam & privati & publici homines signant, & varie signant, ita ut obsignare quoque sit signare; & quamvis notam imprimere, signare dicamus, quas amphibolias si a nummis removeamus, statim patebit, quinam nummi vere signati dici debeant, illi nempe qui cusi, malleum ac cuneum publicum experti sunt ab utraque parte, quos feriri & percuti quoque dicimus. Hæc cura nunquam fuit privatorum, sed a privatis inventa ars cudendi ad publicum statim transiit, ejusque nomine venditata fuit, quod plus negotii aut sumtus ars illa cudendi & monetandi requireret, quam privati commode ferre possent, ut necesse esset ex publico illam promovendi consilia capere. Hæc causa est, cur neque figlinos, neque scorteos, licet signis suis insignes aliquibus, ad publice cusos aut signatos trahere mihi quidem placeat, quod facili negotio quilibet domi suæ tales figuras & signa reperire poterit his nummis imprimenda, qui una tantum parte obsignati aut impressi prodierunt. Nec fraudis in his aliqua suspicio relinqui potuit, materia tam obvia & vili, ut fraudis pretium esse nullum pos-

(*) *De ligneis nummis autor iste nihil tradit, sed luteos solos & scorteos producit.*

poſſit. Magiſtratus & Principum erat quidem, in νόμον ac modum, quo tales nummi debebant confici conſentire ac decernere, privatorum vero ex illo conſenſu nummos iſtos ſabricare. Carthaginenſium nummis coriaceis aurum, argentum, aut æs non incluſum fuiſſe facile divinamus, ſunt enim talia, quæ ſplendent, firma ſunt, & conſpici ac tractari non timent, multo minus occuli deſiderant, ita ut vilem, nec magni ſumtus aut paratus materiam, alata tali clauſam & obſignatam fuiſſe tuto ſatis credere liceat. Sic redeundo ad autorem de rebus bellicis anonymum, qui figlinos ac ſcorteos demum nummos æreos excepiſſe contendit, ſic pergit: *Sequentior vero ætas æris redundante materia, quam publicus jam mœnium recuſabat ornatus, diuturna, ut prior, monumenta meditata, æs validum ipſo pondere pretioſius figuravit, cujus ſpecies pro qualitate, ut diximus, ponderis diuturnior fuit, ſed potentia Regalis pro licentia ſpeciem ſuam tantum in auro argentoque ſignavit, quæ pro reverentia figuræ nullis uſibus proficiens, ad honorem Regium ſacrata permanſit; Æris autem materia, quæ jam præ copia vilior erat, ad dona militaria, & varia populorum commercia, ſignabatur.* Hæc quidem ſententia fuit hujus authoris, ſed quæ diſerte pugnat cum veteris ævi monumentis, omnibuſque Scriptoribus, qui non minus aureos & argenteos nummos quam æreos in commerciis exhibitos valuiſſe conſentiunt omnes, ut ſubſiſtere illa nequaquam poſſit, cum in manibus omnium verſentur adhuc veteres illi ærei, Romanorum Imperatorum imaginibus illuſtres, pariter ac argentei denarii, & ſolidi aurei, quibus commercia ſunt ſtabilita, nec *ad honorem Regium ſacrati permanſerunt*, ut nobis perſuadere cupit hic Scriptor. Quin etiam ex his verbis colligere liceret nummos æreos non fuiſſe cuſos, cum ſoli argentei & aurei *ſpecie potentiæ Regalis*, ut ille loquitur, fuerint ſignati. Nam ſi ſignati fuiſſent ærei, etiam illi *ſpeciem*, h. e. imaginem Regalis potentiæ pretuliſſent. Qua in re veritas ipſi ſuffragatur, ſi nummorum initia in populo Romano ſpectantur, adeo ut neſciam omnino quo tendant illa quæ ſubjicit: *Felix inchoatio ſacræ divinæque monetæ* cum ectypis quibuſdam nummorum, quos inſcriptione carentes, & rudi manu ſculptos, quo referamus, non habemus. Nam neque conſtat, an de ſuis temporibus intelligi velit, tunc cœpiſſe aureos & argenteos nummos *ad honorem Regium* ſolum *ſacratos permanere*, nec aliis uſibus ſervire licuiſſe, æreos vero ſolos vulgo conceſſos, qui de ſolidis aureis inter ementes & vendentes frequentatis & recuſatis paulo ante monuit, dicens: *Ementis enim eundem ſolidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnoſa neceſſitas difficultatem quandam ipſis contractibus intulerunt, ne rebus poſſit intereſſe ſimplicitas.* Hæc tam obſcura ſunt apud illum ſcriptorem, ut omnia fere, ut quid dicat ipſe non ſciverit, nec ego capiam. Nummorum autem figuræ & ſigna quæ fuerint, paſſim Scriptoribus commemorantur, poſtquam cudi cœperunt.

Et ſane vix potuerunt bobus aut ovibus integris & vivis omnia quæ debebantur & inferebantur ſolvi, ſed opus erat pecuniam intervenire, prout etiam legimus Poplicolam ærarium publicum ininſtituiſſe, ut æra illuc, & quod debebant in ære inferrent: nec de nihilo eſt, quod drachmas apud Romanos non nominet Scriptor, prout in Solonis vita, & apud Græcos, ſed ſolos obolos, æs illatum ſignificantes, & nummos æreos non ſignatos, in maſſis, in tabellis, in obolis, quamvis nec argentei defuerint, qui *pag. m.* 105. Tarquinium Superbum fundamentis templi Capitolini educendis, λίτρας ἀργυρέας τετράκις μυρίας impendiſſe ſcripſit, ante Conſules & ærarium Poplicolæ, quæ conficiunt noſtræ monetæ unciales thaleros 480000. At cur obolos vocavit Plutarchus nummos illos æreos Romanorum, non aſſes, quod erat nummorum ipſis nomen proprium? num quod Poplicolæ temporibus & præcedentibus nondum aſſis nomen invaluerat, ſed quod a Græcis acceperant retinuerint? τεταρτημόριον ſane, aut quadrans, quo collato Valerium Poplicolam extulerunt cives Romani, ad obulum ſpectat, & in ære collatam eſſe ſtipem ſatis indicat, manſit enim quadrans in aſſe ab iis temporibus ſemper, ita ut ad Judæos quoque & Græcos illud Romani tranſtulerint, non amplius τεταρτημόριον ſed κοδράντην vocantes. Sic τριτημόριον vocabant trientem aſſis Græci, duos nimirum obolos argenteæ drachmæ, cum ſex facerent drachmam argenti, ut Plutarchus computavit in Fabio Maximo *pag. m.* 176. ludos ſcribens votos ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου παρόντος τούτου τὸ κεφάλαιον ἐστὶν ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν, καὶ δραχμαὶ τρισχίλιαι πεντακόσιαι ὀγδοήκοντα τρεῖς καὶ δύο ὀβολοί. Hi duo oboli ſunt illud τριτημόριον aſſis, quem diximus, & prima ſunt Seſtertia, quæ nobis Hiſtoria Romana in Plutarcho attulit, cum Fabius Maximus Dictator rem contra Hannibalem gereret, circa A. V. C. 520. Valerio

rio autem Poplicola moriente censa sunt civium 130000. Valerio Consule, ut Scriptores affirmant, tot igitur quadrantes facient asses aut obolos 32500. quibus ad argenti libras Romanas redactis, procedunt 33. libræ cum decem unciis & una quarta, quæ faciunt nostræ monetæ thaleros unciales $406\frac{1}{4}$. Hodie vix privati minore summa efferuntur, at tunc in magistratu summo constitutis etiam sufficiebat, & opipara videri poterat, nummis valentibus, & pretio non quolibet æstimatis. Duo enim oboli tunc sufficiebant ad hominem alendum, ut dicit Plutarchus in Themistocle *pag. m.* 117. Troezeniis Athenienses exsules suscipientibus, φιλοτίμως πάνυ τῶν Τροιζηνίων ὑποδεχομένων, καὶ γὰρ τρέφειν ἐψηφίσαντο δημοσίᾳ, δύο ὀβολοὺς ἑκάστῳ διδόντες, qui faciunt nostræ monetæ duos asses Lubecenses, & addit ibidem, cum difficillime persuaderi possent Athenienses, ut civitate relicta in naves se transferrent, uno unciali thalero singulis dato, promtissime ad habitandum in navibus omnes concessisse: τὴν ἐξ Ἀρειοπάγου βουλὴν πορισαμένην ἑκάστῳ τῶν στρατευομένων ὀκτὼ δραχμὰς αἰτιωτάτην γενέσθαι τοῦ πληρωθῆναι τὰς τριήρεις. Magnas quasi divitias nacti essent, ita paucis nummis exsultabant, quod tunc revera nummi majus pretium sortirentur quam hodie, ubi metallorum non tanta abundantia suppetebat. Ita quoque apud Romanos χρυσὸς ἦν σπάνις ἐν τῇ πόλει sub Camillo, 368. annis post V. C. ut Plutarchus in ejus vita docet, *pag. m.* 133. quod quoque de argento intelligendum venit, adeo ut fœminæ mundum sibi detraxerint ad craterem illum aureum Apollini Delphico dicatum perficiendum. In Alcibiade Plutarchus docet, quomodo hæc diurna creverint, *pag. m.* 211. Λυσάνδρου γὰρ ἐπὶ τὴν ναυαρχίαν ἀποσταλέντος ὑπὸ Λακεδαιμονίων, καὶ τετρώβολον ἀντὶ τριωβόλου τῷ ναύτῃ διδόντος, ἐξ ὧν ἔλαβε παρὰ Κύρου χρημάτων, αὐτὸς ἤδη γλίσχρως χορηγῶν, καὶ τὸ τριώβολον ἀπῆρεν ἀργυρολογήσων ἐπὶ Καρίας. A duobus igitur obolis ad triobolum & quatrobolum processerunt diurna præbentes, satisque docent, Persarum convictum & consuetudinem Græcis majorem paulatim luxum inspirasse, & majora stipendia extorsisse. Aristidis quoque neptibus ex publico quotidie triobolus præbebatur, ut ex Demetrio Phalereo Plutarchus in Aristide refert *pag. m.* 335. τῇ δὲ μητρὶ καὶ τῇ ταύτης ἀδελφῇ ψήφισμα γράψας δωρεὰν ἔπεισε τὸν δῆμον διδόναι τριώβολον ἑκάστης ἡμέρας, quod ipso Phalereo leges Atheniensium corrigente in drachmam vel sex obolos conversum fuit, ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἐψηφίσατο δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν; Singulæ igitur vivebant tribus Lubecensibus quotidie, postea sex assibus, quod est drachmæ argenteæ pretium & valor hodiernus. Paulo ante Aristidis filio dixit Athenienses δραχμὰς τέσσαρας εἰς ἡμέραν ἑκάστην, Ἀλκιβιάδου τὸ ψήφισμα γράψαντος præbuisse præter alia, dimidii thaleri uncialis pretium illæ faciunt; honestum omnino stipendium, aliis commodis etiam accedentibus, & ad illa tempora si respicimus, quando valebat argentum, & merces abundabant pretium argento facientes. Sed Lysander Lacedæmonius primus fuit, qui nautarum stipendium trium obolorum uno obolo auxit, idque beneficii obtinuit a Cyro juniore Persarum, quod Plutarchus in ejus vita annotavit *pag. m.* 435. αἰτοῦμαί σε, dicit Cyro, καὶ παρακαλῶ προσθεῖναι τῷ μισθῷ τῶν ναυτῶν ὀβολὸν, ὅπως τετρώβολον ἀντὶ τριωβόλου λαμβάνουσιν. Ἡσθεὶς οὖν ὁ Κῦρος ἐπὶ τῇ φιλοτιμίᾳ τοῦ ἀνδρὸς, μυρίους αὐτῷ Δαρεικοὺς ἔδωκεν, ἐξ ὧν ἐπιμετρήσας τὸν ὀβολὸν τοῖς ναύταις, καὶ λαμπρυνάμενος ὀλίγῳ χρόνῳ τὰς ναῦς τῶν πολεμίων κενὰς ἐποίησεν, ἀπεφοίτων γὰρ οἱ πολλοὶ πρὸς τοὺς πλέον διδόντας. Tres igitur oboli nautæ unius diurnum erant hactenus, in tota Græcia, quibus Lysander primus obolum addidit, nautasque ad se omnes pertraxit, donec cœteri quoque quatuor obolos nautis præbere cogerentur, ne plane re omni navali exciderent.

Oboli ergo nomen ex Græca antiquitate primum fluxit, ex qua ad Romanos pervenit, ita ut hodie nondum exstinctum sit. Quotquot enim sunt Latini Scriptores, qui de nummis loquuntur, obolum nequaquam prætermittunt, quin illum inter nummos ponant, licet Græcis aut Romanis obolis nequaquam repondeat, ut in Anglicis nummis apud Bromtonum occurrit, *pag. m.* 897. qui vel *Ferthing* fuerit, vel alia moneta denario Anglico minor. nam de his non satis constat. In Chronico Wilhelmi Thorne, & in rationibus Monasterii S. Augustini Cantuariensis sæpius oboli occurrunt isti. Obolus Sterlingus occurrit apud Henricum Knyghton *pag. m.* 2464. & quia cum quadrante ibidem bis vel ter conjungitur, eumque præcedit, inde judico obolum Anglicis Scriptoribus dimidium denarium denotare, *halfe pens*, sicut quadrans est *Ferthing*, aut quarta pars denarii. Quoniam ergo denarius Anglicus Sterlingus illorum temporum se habebat ut duo asses Lubecenses hodierni argenti puri, obolus fuerit unius assis Lubecensis pondus, & quadrans seu Ferthing sex denariorum Lubecensium, seu assis dimidii.

Hac

Hac ratione obolus Anglicus, ejusdem ponderis erat cum obolo Attico, ejusdem valoris. Nam quia denarii Anglici ad tertiam partem drachmæ jam erant redactæ, ut hodie ad sextam; & obolus dimidium denarii occupaverat, qui quondam sextula erat, s u sexta pars drachmæ, sequitur, obolos Atticos & obolos Anglicos coincidere, idemque pondus ostendere. Hodie enim obolus Anglicus non est nisi duodecima pars drachmæ Atticæ, in tantum ætas pondus denariorum imminuit. Nec tamen obolos aut quadrantes Anglicos ejus temporis æreos fuisse concedam, sed puri argenti omnes, siquidem tanta cura in legibus geritur, ut obolus & quadrans rotundus sit, æque ac denarius; Nam si ærei tunc fuissent, non opus erat hoc edicere ne roderentur: cum operæ pretium nemo invenire posset, in æreolo roso. Vidi sæpe ejusmodi minutulos nummos Anglicos tam obolos quam quadrantes argenti purissimi, quæ me in sententia confirmant, licet hodie quadrantes Anglici aut ex ære aut ex stanno formentur. Hinc est quod etiam obolos in auro Anglis fuisse legamus. Postquam enim aureos nummos NOBILES cudere cœperunt, quod Eduardus III. Ann. 1344. primus instituit, etiam dimidios Nobiles & quadrantes cudi jusserunt, qui vocantur *Oboli* & *Ferthingi* ut habet Henricus Knyghton ad istum annum *pag. m.* 2584. *Eodem tempore NOBILE, & OBOLUS & FERTHING de auro cœperunt florere in regno*. Oboli igitur nomen, quod a Lacedæmoniorum ferreis vel æreis ὀβέλοις cœpit, quamcunque formam nummi susciperent, ærei, vel argentei, vel aurei, mansit in re monetaria, & apud Anglos dimidium totius dici perrexit. Hoc vero non procedit in obolis Græcis aut Romanis, quos nequaquam aureos fuisse statuere licet, cum obolus non sit apud illos populos dimidia pars drachmæ aut denarii, sed sexta fere semper, quæ argenti formam non respuit, haud magis quam assis Lubecensis, ex puro argento cusus, quem hodie Christiani IV. Regis Daniæ beneficio adhuc videmus, quin & dimidios asses. Nec aureus, aut χρυσȣ̃ς, aut solidus, aut stater obolum excludit, quin etiam auro & auri pondere procudi possint, at nomen oboli ad aureos nummos pertigisse, non observavi. Nec καλλιόβολος Eupolis, quem Scriptores antiqui laudant, argenteum se fuisse mihi persuaderet, quod adeo elegans describatur, infirmumque mihi videtur argumentum qui etiam elegantiam in obolis æreis non vulgarem animadverto, egregiis sculptoribus plus quam in auro vel argento artem suam demonstrantibus, ut ipsi ærei Romani & Græci conspecti ob oculos ponunt. Facile itaque fuit Eupolis temporibus elegantiores obolos cusos procuratos esse quam prius, indeque καλλιοβόλȣ nomen illis datum esse, licet ærei non minus essent quam priores. Ab omni enim occasione nummis nomina desumta sunt, ut a pondere, librales, &c. a loco Αἰγιναῖον, quod in Ægina insula, vel Æginæo pondere cusus esset, ut est apud Ælianum *lib.* 12. *cap.* 10. Æginetæ, inquit, πρωτοι νόμισμα ἐκόψαντο, ᾗ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νόμισμα Αἰγιναῖον. Non aliter Jalysii in Rhodo, quorum numismata ob elegantiam vel puritatem, vel alium ornatum Ἰαλύσια Hesychio dicuntur, ab autoribus, Darici, Philippei &c. a valore, denarii, &c. a signis exstantibus, Χελῶναι, Γλαῦκες, &c.

Luculli tempore in Bithynia tanta boum annona & tam facilis fuit, ὥςε τὸν μὲν βȣ̃ν ἐν ςρατοπέδῳ δραχμῆς, τὸ δὲ ἀνδράποδον πεττάρων ὠπίων εἶναι. Erant alias servi in magno pretio. Cato enim major, qui attentissimus erat, dicitur Plutarcho *pag. m.* 338. ȣ̓δένα πώποτε πρίασθαι δȣ̃λον ὑπὲρ τὰς χιλίας δραχμὰς ᾗ πεντακοσίας, quæ faciunt nostræ monetæ thaleros unciales 187. cum dimidio, pretium, quo vilissimi quique ad vilissimas adhibendi operas, tunc temporis emebantur. Salomon Rex emturus currus & equos, negotiatores ex Ægypto jussit afferre, und bracbten aus Aegypten herausj ja einen Wagen umb 600. Silberling / und ein Pferdt umb hundert und fünffzig: ut legitur 1. *Reg.* 10. *vers.* 28. Ponamus siclos Sanctuarii fuisse, quibus tamen in Ægypto numeratum, aut negotia instituta dicere non licet, dicamus tamen Scriptorem historiæ sacræ ad siclos Sanctuarii omnem pecuniam redegisse, currus talis trecentis Imperialibus thaleris constitit, equus, 75. Atque sic currus & bini equi 450. uncialibus thaleris comparati sunt, quibus hodie quoque currum & equos adquirere licet. Falsa erit igitur supputatio Josephi *lib.* 8. *Antiquit. pag. m.* 272. dicentis πιπράσκειν τὸ μὲν ἅρμα σὺν ἵπποις δυσὶν ἑξακοσίων δραχμῶν ἀργυρέȣ, qui non faciunt nisi 75. unciales thaleros. Hæc erant pretia rerum tam in argento cuso quam in non cuso antiquis temporibus. At assibus æreis tunc temporis Romani solum in nummis utebantur, signatis, ni fallor, jam sub Camillo, centum & amplius annis post Valerii Poplicolæ Consulatum primum, tunc enim ἀσσαρίων nomen apud Plutarchum primum memoratur, quos sub Poplicola oboli adhuc no-

nomine expressit, non alia ex causa, quam quod in antiquis Scriptoribus, ex quibus sua desumsit, obolos solos repererit dictos illud æs, non autem asses. Sed in Camillo *pag. m.* 135. ὦφλε τὴν δίκην ἐρήμην τιμήμα μυρίων καὶ πεντακισχιλίων ἀσσαρίων ἔχουσαν, & addit, ὃ γίνεται πρὸς ἀργυρίου λόγον χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακόσιαι, ἀσσαρίων γὰρ ἦν δέκα τὸ δεκάχαλκον οὕτως ἐκαλεῖτο δηνάριον. In hoc sane fallitur Plutarchus, quod denarios argenteos tunc in usu fuisse Romanis ponat, nisi non signata ἀργύρια voluerit intelligi, & κέρματα argenti, sicut videtur intellexisse, dum ἀσσάρια δέκα dicit fuisse τὸ ἀργύριον, hoc est, nummum argenteum non signatum, ut τὰ ἀργύρια nummi argentei non signati olim vocabantur. Haud vero minoris ponderis assem aut ἀσσάριον concipere possumus quam libræ tunc temporis, decem autem libras æris una drachma argenti compensari, pretium incredibile mihi videtur argenti, ita ut necesse sit ἀσσάρια minoris ponderis statuere, & Plutarchum respexisse ad denarii cusi tempora, non ad Camillum dicamus. Non autem possumus asses minores eo tempore quam unciarum duarum credere. Nam quod Rualdus ad hunc locum Plutarchi ex Cleopatræ κοσμητικοῖς ἀσσάριον ἔχειν δραχμὰς β. δυπόνιον δὲ ὁμοίως ἄγειν δραχμὰς δ. hæc ad illa tempora minime faciunt, quibus Camillus vixit, aut denarii primi cusi sunt. Rualdus sane asses duarum unciarum mansisse usque ad An. V. C. 535. post denarios primos annis 50. fatetur. Admittamus jam asses duarum unciarum pondere signatos Plutarchum intellexisse, & decem horum assium denarium aut drachmam argenti valuisse, adhuc satis magno pretio argentum consideratum videmus, quippe quod 20. unciæ æris, quæ faciunt drachmas 60. una drachma argenti permutari debuerint, libra una æris cum octo unciis, 6. assibus Lubecensibus nostræ monetæ; quod pretium ferri potest, argento adhuc apud Romanos parce viso, & in usum translato. Hinc est, quod assem vocat χάλκον, & denarium δεκάχαλκον, voce χάλκου late sumta pro quovis ęreo nummo. Quod vero Rualdo *Assarius* nummus, & *Assarium* pondus distinguuntur, ut sestertius & sestertium, docte illud quidem observavit, sed nondum cujus ponderis *assarius* nummus fuerit, & quantum *assarium* pondus a pondere nummi *assarii* discrepet, docuit. Hęc impulerunt Dionysium Halicarnasseum *lib. 9. Antiq. pag. m.* 586. de Menenio Agrippę filio in 2000. asses condemnato scribere: ἦν δ' ἀσσάριον χάλκεον νόμισμα βάρος λιτραῖον. Erant igitur asses tunc librales 80. annis ante Camillum, ita ut Camilli temporibus vix alios aut minoris ponderis asses datos esse statuere queamus. Quis autem primus nummos Romanis cuderit, incertum est maxime. Nam qui Janum Patrem primos nummos signasse volunt, venientem in Italiam, illi errorem hausisse videntur ex *ratitis*, qui Jani faciem geminam præferunt, una pagina, sed altera ratem aut rostrum navis, quasi nummi isti Jani temporibus signati essent, & ratem ideo apparere, quod rati se advectum docere voluerit Janus ipse. Falluntur autem egregie; hi enim nummi ratiti, quin adulta jam Roma sequioribus seculis, in memoriam Jani primi Patris gentium Italicarum, cusi sint, nemo dubitare potest, cum jam de Jano historiæ in fabulas apud Romanos excrevissent, ipsique nescirent, cui Deastro se deberent. Hinc quoque factum puto, quod ratiti isti cum Jano ultra unciales vix in tota antiquitate Romana compareant, cum deberent ad minimum librales esse, aut quadrusses, h. e. quatuor librarum, aut decusses, si tales unquam cusi fuerunt. Pondus enim semper assium imminutum fuit, non auctum, necessitate Reipublicæ sic flagitante: adeo ut hi ratiti cum Jano gemino non videantur cusi, nisi cum asses unciales Romanis cudi cœperunt, quæ tempora longissime distant a Jani ipsius temporibus, in Italiam appellentis, adeo ut ex his nummis nullum argumentum peti debeat, aut possit, de Jano authore nummorum cusorum. Sub Tullo Hostilio Rege videntur nummi cusi Romanis: exstitisse, & quidem varii generis, siquidem Rex ille jussit, non solum Romanos in Urbe, sed & ὁμοπάγους, qui ad urbem pertinebant, suum quemlibet pro ætate & sexu inferre numisma quoddam, distinctum: de qua re audiamus Dionysium Halicarnass. *lib. 4. Antiq. Rom. pag. m.* 220. κατ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἅμα συνερχομένους, ἑορτήν τινα, καὶ ταῖς πάνυ τιμίαν, καταστησάμενος τὰ Παγανάλια καὶ νόμους ὑπὲρ τῶν ἱερῶν τούτων, οὓς ἔτι διὰ φυλακῆς ἔχουσι Ῥωμαῖοι, συνέγραψεν, εἰς δὲ τὴν θυσίαν ταύτην καὶ τὴν σύνοδον ἅπαντας ἐκέλευσε τοὺς ὁμοπάγους κατὰ κεφαλὴν ὡρισμένον νόμισμά τι συνεισφέρειν, ἕτερόν τι τοὺς ἄνδρας, ἕτερον δὲ τι τὰς γυναῖκας, ἄλλο δέ τι τοὺς ἀνήβους. ἐξ οὗ συναριθμηθέντος ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων τοῖς ἱεροῖς, φανερὸς ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀριθμὸς ἐγένετο, κατὰ γένη τε καὶ καθ' ἡλικίας Hæc quin etiam per nummos non signatos fieri potuerint nemo negabit, e. gr. si Viri libram æris inferrent, fœminæ selibram, impuberes trientem aut quadrantem æris, quod etiam in urbe Roma censita observari potuit,

tuit, dum legem tulit, ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, quantum nummorum, h. e. quanti ponderis aut pretii nummos pro natis ſingulis & mortuis & Viris factis propinquos inferre ſacratis diſtinctis oporteret; quin enim hæc nummis non ſignatis æque confici potuerint ac ſignatis, quis dubitat? adeo ut ex eo cenſu nullum certum argumentum ad nummos ſignatos Tulli Regis ætate produci poſſit. In tota Marcii Coriolani vita Plutarchus ne nummum quidem unicum ſignatum adduxit, qui tot prædas egit, tot civitates diripuit, intra & extra Romam cum ditiſſimis & clariſſimis verſatus, nihil niſi χρήματα vocat & λάφυρα, quæ rebus nomina tribui magis ſolent quam nummis. Sunt autem nummi ex iis, quæ primum locum & nomen ἐν χρήμασι occupare ſolent, nec reticentur, cum cœtera præterimus, quod ſane vetuſtiſſimis Scriptoribus toties accidere non poterat, niſi illa tempora nummos ſignatos neſciviſſent, nummos vero non ſignatos inter aurum & argentum connumeraſſent, ut proclive, hoc eſt, eoque facile rediguntur. Sic Philiſti Comici vox θρήνους γυναικὸς φαίνεσθαι ἀλαβάστρους καὶ πορφύρας καὶ χρυσία ποθούσης. Cur illud χρυσία putamus illum in plurali numero extuliſſe? cur non χρυσὸν, cur non χρύσεα dixit, cur non χρυσίον? ἔμφασιν igitur & ἐνέργειαν vocis indicare voluit, ſic expreſſæ, ut aureos nummos non ſignatos præcipue complecteretur, ſicut ἀργύρεια argenteos, neque enim flexiones iſtas χρυσίον & χρυσία, ἀργύρειον & ἀργύρεια fruſtra repertas a Græcis credere oportet, niſi aliud quam χρυσὸν & ἄργυρον ſignificare deberent. Ita quoque tacentibus Scriptoribus de nummis cuſis, inprimis antiquis, haud debemus nos omnia quæ reperiuntur vel aurea vel argentea vel ærea ad nummos cuſos trahere, ſed, quantum licet, nummis non ſignatis opes veterum contemperare, donec clare conſtet de nummis publice ſignatis aliquid afferri. Nummorum enim ſignatorum initia & tempora omnium fuerunt poſtrema, ita ut Marcii Coriolani temporibus, paulo poſt Reges vitam illuſtrem degentis nummi cuſi non fuiſſe videantur, alias a Scriptoribus diſerte nominatos & diſtinctos vidiſſemus.

Nec illud aurum quod in Jovis templo M. Claudii Marcelli temporibus, quod mures arroſerunt, μύες τὸν ἐν Διὸς χρυσὸν διαφαγόντες, ut habet *pag. m.* 314. nummos cuſos fuiſſe dicere poſſumus, in quibus vix illi morſus percipi poterant, ſed aut vaſa, aut πλίνθους aut magni ponderis maſſas explicare neceſſe eſt, quoniam illa ſola hos dentes oſtendere poterant. Nummorum quoque & argenti & luxuriæ contemtus ac neglectus omnis apud Romanos iiſdem temporibus percipi poteſt & ſumi ex Ælii Tuberonis exemplo, cujus familiæ aurum & argentum plane fuit ignotum, uſque dum phiala argentea quinque librarum ipſi donaretur ex præda Macedonica ab Æmilio Paulo ſocero in ſignum rei fortiter geſtæ. Illud nunquam ſatis Plutarchus laudare poteſt, qui propterea in vita Pauli Æmilii *pag. m.* 270. ſic rem narravit: Οὗτος ἐστὶ Τουβέρων, ὃν ἔφαμεν μετὰ συγγενῶν οἰκεῖν ἑκκαιδέκατον ἀπὸ γηδίου μικροῦ. διατρεφομένων ἁπάντων, καὶ πρῶτον ἄργυρον ἐκεῖνόν φασιν εἰς τὸν Αἰλίων οἶκον εἰσελθεῖν, ὑπ᾽ ἀρετῆς καὶ τιμῆς εἰσαγόμενον. τὸν δ᾽ ἄλλον χρόνον οὔτ᾽ αὐτοὺς, οὔτε γυναῖκας ἀργυρίου χρῄζειν, ἢ χρυσοῦ. Neque hæc refero, quod omnes Romæ ſic vixerint illa ætate, plus ſatis in magno numero civium auri ſacra fame & contagio infecti; ſed quod veteris ævi morum Ælia domus exemplum, inſtar, & imago manſerit perpetua, cujus erat ſine auro aurea ſecula producere. Plane ut Ariſtides in republica Athenienſium Scythicum illud bonum, honeſtam paupertatem, ſolus ſuum faciens, cum cæteri nihil niſi theſauros θησαυρίζοντες coacervare ſtuderent, πένης μὲν ἐξῆλθεν, ἐπανῆλθε δέ πενέστερος, ut de ipſo loquitur Plutarchus in Ariſtide *pag. m.* 333. & mox *p.* 334. καταστήσας τὴν πόλιν, αὐτὸς ἐνέμεινε τῇ πενίᾳ, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ πένης εἶναι δόξαν οὐδὲν ἧττον ἀγαπῶν τῆς ἀπὸ τῶν τροπαίων διετέλεσε. Hinc contemtus divitiarum bonæ mentis frater & ſoror, ex antiqua Philoſophia gentium moratiſſimarum, in primis Scythicarum, manavit, & ad paucos tandem cultores redactus, radio uno vel altero, non tota luce vel horreo vel θυλάκῳ, inter antiquos poſteros etiam interlucet, quo rarior, eo glorioſior. Inter hos apud Romanos erat M. Curius, cui cum Samnites aurum ingens obtuliſſent, rapa coquenti ad focum, ἀπεπέμψατο, φήσας, οὐδὲν χρυσίου δεῖν, ᾧ δεῖπνον ἀρκεῖ τοιοῦτον, αὐτῷ μὲν τοῦ χρυσίου ἔχειν κάλλιον εἶναι τὸ νικᾶν τοὺς ἔχοντας, & quæ plura in ejus paupertatis laudem congeſſit Plutarchus in Catone Priſco, *pag. m.* 337. Ejuſdem Catonis frugalitatem multis exſequitur, quod ipſe agros foderit una cum ſervis, villum biberit, panem ederit ſervorum, veſtem non induerit pretioſiorem, nec ultra 100. drachmas valentem, quæ duodecim thaleros unciales cum dimidio nobis efficiunt, epulantem non ultra triginta aſſes ex foro coemiſſe, ὄψον παρασκευάζειν πρὸς τὸ δεῖπνον ἐξ ἀγορᾶς ἀσσαρίων τριάκοντα, ſunt aſſes octodecim Lubecenſes,

ſes, vel tres drachmæ Græcorum, omne
ſuperfluum etiam aſſe carum eſſe. Po-
tuit, ut alii, lautius vivere, nolebat,
contemſit, non vitio quodam, aut ava-
ritia, ſed quod vita non indigeret tali-
bus, quæ virtuti erat dicata. Nullis igi-
tur nummis exſiſtentibus, aut apud pau-
cos admodum receptis, maximo tamen
cum neglectu, prorſus non ſignati, non
in elegantiam aliquam redacti, nullius
fere curæ aut pretii habebantur; plane
ut aurum & argentum, quod a ſe ſpre-
verunt, aut parciſſime attigerunt, prout
alias de Scythis docui, & priſcarum vir-
tutum ac ætatum hominibus. At ob in-
frequentiam auri & argenti quoque, quod
vix occurreret, nec quæreretur, ut ma-
gnum aliquid viſum eſt, quod ex ditiſ-
ſima præda Perſei Macedonica non niſi
undecim drachmæ argenti ſingulis militi-
bus datæ ſint & obvenerint, ut *p.* 271.
memorat, γενέσθαι δ' ἐκ τοσαύτης φθορᾶς
καὶ πανωλεθρίας ἑκάστῳ στρατιώτῃ τὴν δόσιν οὐ
μείζονα ἕνδεκα δραχμῶν. Nam quod Pau-
lum ipſum attinet, ille ne reſpexit qui-
dem, nec ſe indigere ſed ærarium pu-
blicum credidit, cui hæc tradidit, ejuſ-
que Quæſtoribus, & *pag.* 272. exponit
quid in nummis allatum ſit Romam, ἄν-
δρες, inquit, ἐπορεύοντο τρισχίλιοι, νόμισμα
φέροντες ἀργυροῦν, ἐν ἀγγείοις ἑπτακοσίοις πεν-
τήκοντα τριταλάντοις ὧν ἕκαστον ἀνὰ τέσσαρες
ἐκόμιζον —— εἶτα μετὰ τούτους οἱ τὸ χρυσοῦν
νόμισμα φέροντες, εἰς ἀγγεῖα τριταλαντιαῖα
μεμερισμένον ὁμοίως τῷ ἀργυρείῳ. τὸ δὲ πλῆ-
θος ἦν τῶν ἀγγείων ὀγδοήκοντα τριῶν δέοντα.
Hic habemus nummos tam argenteos
quam aureos, ſed an ſignati, vel non
ſignati fuerint, nullo verbo indicat, nec
quorum nominibus vel imaginibus, cum
nec ego Perſei ſolius χαράγματος omnes
fuiſſe credere debeam, nec omnes ſigna-
tos, ſed cum non ſignatis quampluri mis
adfuiſſe. De Catone dicitur, cum Hiſpa-
niam interiorem Bæticam, & 400. civi-
tates ſubjugaſſet, ſingulis militibus li-
bram argenti donaſſe: λίτραν ἀργυρίου κατ'
ἄνδρα προσδιένειμεν, εἰπὼν, ὡς κρεῖττον ἦν
πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον, ἢ χρυσίον ὀλί-
γους ἔχοντας ἐπανελθεῖν. Illud argentum ex
prædis actis collectum fuit, nec dici po-
teſt cuſum, quod interior Hiſpania tunc
temporis nummis cuſis nondum uteretur,
rude igitur & non ſignatum, ſed appen-
ſum milites illam libram a Catone acce-
perunt. Inter ea quæ T. Quint. Flami-
nius ex Græcia attulit aurea & argen-
tea, nummi nullli argentei memorantur,
ſed tantum Philippei aurei. Sic enim
Plutarchus in ejus vita *pag. m.* 377. re-
cenſet: ἐν τῷ θριάμβῳ κομισθῆναι χρυσίου
μὲν συγκεχωνευμένου λίτρας τρισχιλίας ἑπ-
τακοσίας δέκα τρεῖς, ἀργύρου δὲ τετρακισμυ-
ρίας τρισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα, Φι-
λιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους
πεντακοσίους δεκατέσσαρας χωρὶς δὲ τούτων τὰ
χίλια τάλαντα, ἃ Φίλιππος ὤφειλε. Ni-
hil igitur hic in nummis cuſis præter
Philippeos aureos 14514. quæ faciunt in
auro libras, ſi δίδραχμοι fuerunt ponde-
re, ut ſolebant, trecentas duas cum qua-
tuor unciis & ſemuncia. Videmus igitur
longe plura in auro & argento conflato
adducta eſſe, quam in nummis, quod fe-
re ſemper obſervamus contigiſſe, quando
Romano ærario aurum & argentum fuit
illatum, plus infecti & συγκεχωνευμένου in-
traſſe, quam nummorum cuſorum. Nam
& talenta illa mille, quæ Philippus pro-
miſerat regno redditus, erat argenti συ-
γκεχωνευμένου magis, quam in nummis cu-
ſis, mille enim iſta talenta Attica noſtræ
monetæ 750000. thaleros unciales effi-
ciebant, quos in nummis drachmalibus
cuſis attuliſſe Flaminium vix cogitari po-
teſt, aut credi, ſed in cautionibus ſcri-
ptis, aut in maſſas conflatum argentum
idem præſtitiſſe verius eſt. Ad rationes
igitur ut debitum Philippi hæc talenta
retulit, non intulit adhuc, nam S. P. Q. R.
Philippo debitum illud, Flaminio inter-
cedente, poſtea remiſit, ut addit Plutar-
chus. Non ergo ſoluta fuerunt, aut in
Italiam transfretarunt, ſed ut promiſſa
debita & contracta ad rationes poneban-
tur, bonum nomen futura. Summa igi-
tur totius illati per hanc expeditionem
Flaminii fuerunt unciales thaleri ad no-
ſtram monetam 1751054½ ſeu tonnæ au-
ri ſeptendecim cum dimidia, & quod
jam dixi excedens, ex quibus non niſi
36254½ unciales in nummis cuſis aureis
fuerunt numerati, cœtera argentum &
aurum conflatum reſpiciebant, quæ ſatis
commonſtrant, non ſolis nummis cuſis
veteres rem ſtruxiſſe, ſed plurimas par-
tes in auro & argento infecto poſitas
nummos adhuc cuſos exæquaſſe, & in-
ſtar nummorum minime ſignatorum fuiſ-
ſe. Neque ſignatum omne, quando apud
Scriptores legitur, ſtatim nummos ſigni-
ficat, cum argentum & aurum ſigna ſua
variis modis accipiat & oſtendat, etiam
abſque nummis, ita ut in voce illa non
lateat nulla ambiguitas, & apud Latinos
maxime ſit attendenda, ne nos in erro-
rem conjiciat, & ſignatum argentum ſem-
per ac ſimpliciter pro nummis capiamus.
Aliud enim eſt argentum infectum, quod
etiam nummos non cuſos comprehendit,
aliud factum, ut patinæ, crateres, phia-
læ, calices, & vaſa omnia, περιττὰ τῷ
μεγέθει καὶ τῇ παχύτητι τῆς τορείας, ut lo-
quitur ibidem Plutarchus, aliud eſt pu-

ſtulatum argentum, nobis getrieben Silber, in varias figuras exſtantes elaboratum: aliud eſt cœlatum cœlo ſcilicet ſculptum, & in figuras enomatum, quod Græcis etiam κοῖλον dicitur, ut de Rufino Conſule legitur apud Plutarchum *pag. m.* 451. εὑρέθη γὰρ ἀργυρεῖς κοίλȣ κεκτημένος ὑπὲρ δέκα λίτρας, τȣ̃ νόμȣ μὴ διδόντος, id quod leges bonas & luxuriæ inimicas Romanorum evincit, ſed male ſervatas, quamvis Rufinum Senatu hanc ob cauſam ejecerint. Aliud denique fuit ſignatum argentum, cui ſigna aut ſigilla & imagines inſertæ, ut eximi poſſent, & reddi ſuis capſulis, cum opus erat, aut ita affixæ operi, ut ex illo natæ viderentur, qualia ſunt, quæ in cornu aureo Regis Auguſtiſſimi Daniæ & Norvegiæ ſpectantur, his figuris & ſignis elaboratiſſimo, quæ ſane antiquitatem ſummam ſapiunt, nam hodie vix aurum aut argentum hac arte vel ingenio amplius tractamus, quoniam elegantius hæc novimus exprimere. Illud igitur antiquis argentum ſignatum, ad quam claſſem nummi cuſi, qui ſigna quoque ſua præferunt varia, tandem pertinere cœperunt. Nec multum argento & auro uti ſciviſſe Romanos puto, quos ex præda ſola Macedonica, & illatis in ærarium ſine tributis ac cenſibus uſque ad Hirtii & Panſæ conſulatum, per annos centum triginta vivere licuit, ut porro annotavit Plutarchus, *pag. m.* 275. Sic verum ſemper manet, omnes ſcriptores in eo conſentire, nummorum ſignatorum aliquod initium in quavis gente nunquam non exſtitiſſe: verum quoque manet ante nummos ſignatos uſos eſſe pleroſque nummis non ſignatis, antequam ad nummos ſignatos pervenerint, exemplo Judæorum, qui antiquiſſimi, ne nummis quidem ſignatis ullis ſtante regno vel Republica uſi ſunt, ut prolixe docuimus, & docebimus, ſed non ſignatis contenti vixerunt, omnibus fere paſſim ad ſignatos ſe convertentibus. Eandem mecum ſententiam fovet magnus Salmaſius in libello de uſur. tum alibi, tum *pag.* 467. ex Ariſtotele nempe notavit, *ex ære ac ferro, rudi primum, deinde gravi & ſignato nota ſui ponderis, ad nummum, uti nunc eſt, factum eſſe progreſſum*. At nec in ære & ferro ſolum non ſignati, ſed etiam in argento & auro jam ante Abrahamum νενομισμένȣς fuiſſe conſtat ex S. Scriptura, ita ut nummorum non cuſorum ætas prima ſit & antiquiſſima. Nec ſtatim ſequitur, quod Romæ & in Græcia forte ærei nummi argenteos præceſſerint, ut *Æſculanus Deus* pater *Argentini* dici potuerit, prout Auguſtinus loquitur *lib.* 4. *de Civ. Dei* *cap.* 21. (*) Conſtat enim in populis Cananiticis argenteos priores fuiſſe, adeo ut de æreis nummis nuſquam in S. Scriptura legatur. Hinc recte Salmaſius *pag. m.* 468. *Ne illud quidem affirmari poteſt, antiquiſſimam ac primam omnium apud omnes fuiſſe æream pecuniam. Nec enim ab eadem origine, nec eodem ordine apud omnes nationes progreſſa eſt nummi inventio & perfectio.* Quare nec repente a nummis ligneis & ſcorteis, in quibus Numa congiarium populo præbuiſſe legitur, ad nummos æreos, & quidem cuſos ſub Tullo Hoſtilio Romanos perveniſſe judicandum veniet. Sufficiebat, puto, ſi nummos firmiores ſubdidit ex ære non ſignato his fragilibus & exigui prorſus ævi nummis, atque deinde Republica in melius conſtituta ad ſignatos ſe proceſſerunt.

Illud ſolum conſiderandum venit, an Romani in Græcia vel Aſia Græcos nummos cudere cœperint, vel Latine loquentes. Et ego quidem non niſi Romanos ac Latinos ab iis percuſſos tam in Græcia quam in Aſia cenſeo, exemplo Luculleorum denariorum, quos in Peloponneſo Sylla per Lucullum ſignari curavit, ad exercitum contra Mitridatem alendum: de quibus Plutarchus in Lucullo *pag. m.* 492. Nam Sylla ipſe uſus eſt in pleriſque negotiis, ὧν ἦν καὶ ἡ περὶ τὸ νόμισμα πραγματεία. δι' ἐκείνȣ γὰρ ἐκόπη τὸ πλεῖστον ἐν Πελοποννήσῳ περὶ τὸν Μιθριδατικὸν πόλεμον, καὶ Λȣκȣ́λλειον ἀπ' ἐκείνȣ προσηγορεύθη, καὶ διετέλεσεν ἐπὶ πλεῖστον ὑπὸ τῶν στρατιωτικῶν χρειῶν ἐν τῷ πολέμῳ λαμβάνον ἀμοιβὴν ταχεῖαν. Hos igitur Luculleos denarios Latinos ubique per Aſiam valuiſſe, & in Peloponneſo cuſos, indicatur, ac creſcente potentia Romanorum, tam in Aſia quam Græcia Romanorum quoque nummi viguerunt. Hique nummi, Reipublicæ vel Imperii Romani nomine percuſſi, diſtinguendi veniunt ab illis nummis, quos Græcæ civitates tam in Aſia quam Græcia, vel in honorem Romanorum, vel in ſuæ civitatis emolumentum cudi curabant, quos Græcis literis inſignitos reperimus, nec juſſu Romanorum prodierunt, ſed civitatum, jus monetæ apud illos habentium. Et paulo poſt cum Aſiam Sylla mulctaſſet pœna viginti mille talentorum, quod Mithridati adhæſiſſet, Lucullo eidem προσαχθὲν, τά τε χρήματα ταῦτα πρᾶξαι, καὶ νόμισμα κόψαι. *pag. m.* 494. Hic enim non Aſiatici illa talenta in nummis cuſis offerebant, ſed in argento ἀσήμῳ omnis generis, quod Lucullo traditum fuit, ipſique mandatum, nummos Romanos exinde ſignare.

(*) *Ideo ubique nummos æreos, etiam non cuſos, primos fuiſſe.*

Quando de Persis aut Asiatici nummis loquitur Plutarchus, qui ab Asiaticis Regibus sunt expensi, nullos nisi χρυσοῦς affert; ut de Callistrato Mithridatis Regis intimo, a Luculli militibus capto, cum servare decrevissent, αἰσθόμενοι πεντακοσίους χρυσοῦς ὑπεζωσμένον ἀπέκτειναν. Quando vero de Romanis ipsi sermo est, nihil nisi drachmas argenti profert, ut in Lucullo Amisenos in Ponto & Cabiris revocante post direptam urbem & lares *pag. m.* 504. illos ἀμφιέσας καλῶς καὶ διακοσίας ἑκάστῳ δραχμὰς ἀπέστειλε. Romani enim ubicunque essent Romanis nummis usi sunt, & Romanos nummos cudi curarunt Asiatici contra χρυσοῦς, illosque vice versa Romanis persolvebant: ita ut nemini χρυσοῦς nisi suæ monetæ cuiquam solutos aut datos legamus, quod mihi suggerit, Romanos, plane prout hodie Mogolitanos, aliosque Principes Indicos, nummos Peregrinos conflasse, & in suos protinus convertisse. Lucullus quoque cum Tigranocertam in Armenia diriperet, legitur *pag. m.* 511. reperisse μετὰ τῶν ἄλλων χρημάτων ὀκτακισχίλια τάλαντα νομίσματος, χωρὶς δὲ τούτων ὀκτακοσίας δραχμὰς κατ' ἄνδρα διένειμον ἀπὸ τῶν λαφύρων. Hæc ut recte intelligantur, talenta, argenti pondus statuimus, nummos autem ipsos in auro cusos talenta effecisse argenti octo mille, quæ faciunt nostræ monetæ thaleros unciales 6000000. aut 60. tonnas auri, ærarium non contemnendum unius civitatis. Nam si in auro hæc talenta putet quis numeranda, 960. tonnæ auri colligentur, quod mihi nimium videtur, & unius civitati fortunas superare, licet maximæ & Regiæ. Hinc Plutarchus alibi in Eumene *pag. m.* 584. optime rem exprimit, dum ait Eumenem absportasse secum ἐν χρυσοῖς εἰς ἀργυρίου λόγον, τάλαντα πεντακισχίλια, quæ faciunt libras argenti 300000. libras auri 30000. χρυσοῦς seu aureos διδράχμους quindecies centum mille, nostræ monetæ Ducatos Hungaricos tricies centum mille, seu sexaginta tonnas auri vel ad rationem argenti, sexagies centum mille thaleros unciales. Octingentæ vero drachmæ quas viritim distribuit, argenti quoque fuerunt, nec in nummis computandæ, sed in auro & argento facto vel infecto, ex spoliis hostium collectæ & donatæ ad pretium 100. thalerorum nostræ monetæ singulis: quos sive in aureis sive argenteis vasculis receperit, ultra centum unciales thaleros omnes effecerunt. In triumpho Luculli ingentes divitiæ recensentur apportatæ, inter alia, φορήματα εἴκοσι μὲν ἀργυρῶν σκευῶν χρυσῶν δὲ ἐκπωμάτων καὶ ὅπλων καὶ νομίσματος δύο καὶ τριάκοντα —— ἡμίονοι ἓξ καὶ πεντήκοντα ἔφερον κεχωνευμένον ἀργύριον, ἄλλοι δὲ ἑκατὸν ἑπτὰ νομίσματος, καὶ ἀργυρίου μικρῷ τινὶ δεούσας ἑβδομήκοντα καὶ διακοσίας μυριάδας, subintellige: δραχμῶν. Jam cum aurum omne, argentea vasa, & argentum conflatum enumeraverit, cur nummos argenteos & argentum ultimo conjunxisse Plutarchum putas, nisi ut indicaret tam nummos cusos & non cusos hic pariter a centenis & septem illis mulis in medium traductos? nullum enim argentum aliud hic intelligi potest, quod non conjungere potuit aut cum vasis argenteis, aut cum argento conflato & infecto, quæ præcesserunt. Sed quia cum nummis conjunxit argentum hoc, facile judicatur illud argentum cum nummis cusis affinitatem habuisse, nec nisi nnmmos non signatos fuisse.

Sed circa Arcadii & Honorii tempora Procuratores Monetarum vocantur illi, qui nummis in quolibet loco cudendis superfuerunt; At in Oriente quænam loca monetis dotata fuerint, in Notitia non exprimitur, soli *Procuratores Monetarum* nominantur sub Illustri Comite Sacrarum Largitionum: sola moneta Constantinopolitana seu ejus domus in regione XII. Urbis occurrit. In Occidente vero sex Procuratores monetarum expressos leges; Monetæ Siscianæ, Monetę Aquileensis, Monetę Urbis Romę, Monetę Lugdunensis, Monetæ Arelatensis & Monetę Triberorum. Hinc in nummis ęreis subtus sculptę literę quę reperiuntur, *Ptr. Psisc. Plc.* non ut hactenus legi debent *Pecunia* sed *Procurator trevirensis*, in nummis Licinii, Constantini, Faustæ &c. *Psis. Procurator Sisciensis* scilicet monetæ. *Plc. Procurator Lugduni Clavati Pl. Procurator Lugdunensis*.

Posset etiam argumentum ex inscriptionibus nummorum cusorum antiquis duci, quod prima ætate brevissimæ fuerint, ad nummos non cusos respicientes, qui plane nullas habuerunt. Videamus Romanos, qui quo antiquiores sunt, eo Inscriptionibus minus superbiunt; nihilque fere in antiquissimis assibus æreis reperitur, quam *Roma*, & rostrum navis, unde proprio nomine *ratiti* tales nummi dicebantur, nulla inscriptione alia clari. Idem judicium esto de illis nummis, qui bovem, aut ovem, aut suem insculptum habebant, quamvis eorum assium æreorum paucissimos nunc reperire liceat, ejus ætatis, ut ante argenteos denarios, cum Jani bifrontis imagine cusi sint, de quibus tamen Plutarchus annotavit Quæstionib. Roman. *pag. m.* 274. ἑτέρῳ δὲ ἐχρήσαντο νομίσματι βοῦν ἔχοντι, καὶ πρόβατον, καὶ σῦν παράσημον, εὐποροῦντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων

των μάλιϛα, καὶ τὴν πρ̣ελυσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες, quæ fuit ipsis solutio pecuniaria ementibus & vendentibus, post ad nummos translata, quando ære, ut olim pecoribus solvere cœperant. At postquam argenteos cudere cœperunt, tunc quoque inscriptionibus nummorum fræna lexata & consulares familias ac Viros per nummos nobilitatos esse videmus. Hoc itaque Athanasio Kirchero concedere possumus statuenti, inscriptiones numismatum a Cæsaribus Consulibusque posteris, tum ad eorundem potentiam, tum ad perpetuandam gestorum a Cæsaribus memoriam adinventas fuisse, cum prius numismata non nisi S. C. & voce *Roma* signarentur, in desc. Latii *pag. m. 68.* nam quod argentei quidam sic cusi reperiuntur, illud ad omnes trahi nequit, modus enim unus alterum cum inscriptionibus non excludit, nec statim argentei sine inscriptionibus antiquitate præcedunt inscriptis, sed inscriptionibus etiam multi multo sunt posteriores. Annus erat V. C. 485.tus cum primum argenteos nummos signarent Romani, *266.* annis ante Christum, & Cæsares; quas non inscriptiones illa ætas protulit, quæ plane Cæsaribus non debentur? contra quam veritatem nihil efficiet Kircherus, siquidem illa, vel tacendo se tueri potest, nummos inscriptos solum producendo. Præiverant quoque Græci exemplo suo, qui *923.* annis ante Evangelium vel Christum natum argenteos nummos cœperant cudere, per Phidonem Argivum in Ægina insula, & per eundem aureos in Eubœa Argolidis loco, non, ut putant, in Eubœa insula, *625.* annis ante Romanos, adeo ut quid inscribendum esset nummis Romani optime scirent, & ab aliis Græcis didicissent.

Sed distinctius ætates nummorum docuerunt Romani, æreos a Numa Rege annis 712. ante Christum repetentes. Æreos enim tunc nummos asses solum Romana moneta procudit, ut volunt, unde ærarium vocari cœpit locus publicus, quod illuc æra conferrent Cives; sed quod antea scorteis, ligneis, & figlinis usi sint nummis, ut ex Plutarcho & Dionysio Halicarnassæo solent afferre, idem est ac si dicerent, nummos tunc publici juris non fuisse, sed quemlibet ex quovis luto sibi nummos finxisse prout placuit, aut obviam emendi materiam consequi potuit. At falsus est Calvisius ad annum *3236.* Mundi conditi, dum *ex non signato argento & ære cusos asses* Numa jubente scripsit, quod de argento concedi non potest; neque enim dantur asses argentei, si verum esse debet, quod historiæ antiquæ prodiderunt ante Ann. V. C. 485. nummos argenteos Romanis non esse signatos. Sed nec æreos tunc cusos fuisse Romæ certum est, adeo ut si Numam æreos & argenteos asses non signatos dixisset primum populo Romano utendos proposuisse, quod dixit, veri aliquid habere possit hæc oratio: cusos autem cum dixit, quomodo non signati fuerint, fateor me non intelligere: nam cui bono cudere, nec signare aut signa procudere? Ære igitur rudi sub Numa cœperunt uti pro nummo appenso, non numerato, rejectis illis scorteis & ligneis, quos una aut altera dies inutiles facere solebat. Argentum rude Numam quoque pro nummis expendendis introduxisse, non facile mihi persuaderi sinam; Servius enim Tullius, aut qui æs primum signavit, argentum quoque signasset, si sub Numa Rege argentum rude nummis destinatum fuisset: quod tamen Historiæ Romanæ repugnat, quæ satis accurate nummorum tam æreorum, quam argenteorum & aureorum Romæ cusorum ætates observavit, adeo ut non oblita sit, quamdiu ære rudi una cum signatis nummis usi sint Romani, tradere, post Decemviros scilicet constitutos, ducentis fere annis post Servium Tullium & nummos primos. Svetonius in Augusto *cap. 75.* videtur aliam sententiam fovere, qui Augustum Saturnalibus divisisse munera suis amicis scribit, *modo nummos omnis notæ, etiam veteres Regios & peregrinos.* Recipiunt hæc verba plures sententias, nam aut Regios peregrinos nummos intelligere licet, copula & nihil dividente, sed potius conjungente, aut Regios Romanos veteres capere debemus, & peregrinos eis contradistinguere, quam sententiam fateor me amplecti; Sed tunc statim objiciunt argenteos illos nummos fuisse Regum veterum, neque enim Cæsarem Augustum ejusve Majestatem decuisse æreos spargere aut offerre. Ego respondeo ludis Saturnalibus quidvis offerri & donari potuisse, exigui licet pretii, ut statim enumerat *cilicia*, *spongias*, *rutabula*, *forfices*, & ejusmodi vilis notæ merces; quidni etiam æreos Regios nummos, quibus vetustas autoritatem & pretium conciliabat, nam ideo dicit *nummos omnis notæ* non solum, quod varii generis essent, & variorum populorum, sed etiam quod ex vario metallo, auro, argento & ære: adeo ut argenteos Regios Romanos nequaquam intelligere cogamur ex illis verbis.

Est vero jam etiam falsissimum, quod etiam a Numa Nummum dictum esse velint; Egregie illos confutat Pollux *pag. m.*

m. 436. Ο' δὲ νῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τ' ὔγνομα τῦ νομίσματος, ἐςὶ δὲ Ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων, quod & Epicharmi & Aristotelis testimoniis comprobat in Rep. Tarentinorum & aliorum. Omnium optime Salmasius de *usur. pag. m.* 466. & numisma & nummum a νόμῳ, ὔγκος pro ὄγκος, unde ὐγκία pro ὀγκία mansit, ut Francicis *une once*. At Dores etiam consonantem more suo geminarunt ac scripserunt νῦμμον. Habemus igitur veram vocis *Nummi* originem & etymologiam inter Græcas dialectos enatam & ad Romanos deductam. Idem est de numismate, quod Græci νόμισμα vocarunt, nam & illud a νόμῳ. At quod Salmasius in *lib. de usur.* hinc inde, non ex lege, sed ex more νόμισμα ortum explicat, eodem res recidit, mores enim dicebantur leges non scriptæ, quales erant veterum pleræque, populi consensu, magistratus ῥῆτραι, unde abierunt in mores; sic quoque νομίσματα constituebantur, & ad mores ac νόμυς pertinebant, quod magistratus de illis referret, populus peteret & consentiret, quo pondere, quo metallo singula νόμισματα ut nummi apud hos vel illos valere deberent. Sic Moses instituit pondus Sicli in populo Judaico, diversum omnino ab aliis siclis, apud gentes vicinas. Hoc igitur erat νόμισμα, quod Moses dedit siclo ejusque ponderi inter Judæos & populum Dei, sacer ideo appellatus, quod diversus esset a ponderibus aliorum, eorumque νόμοις, νομίμοις, & νομίσμασι. Sed & tacito consensu multa obtinuerunt inter gentes quæ nummos posuerunt omnes fere, & ex privatorum instituto, ἰδιωτικὺς νόμυς vocarunt, quod quoad inventionem nummi, & nummi non cusi, verum est; at quoad nummos cusos, publicis legibus illi statim fuerunt revincti. Phidon sane publicus Princeps fuit, qui mensuras, pondera & nummos non quidem invenit primus, sed in melius correxit, nummosque publicis signis & testimoniis primus excudit, Crœsus quoque suos stateres, Darius suos: adeo ut a nummo cuso, in eo publicæ autoritatis fuerint omnia. Ante illa tempora, dum non cusi solum regnabant nummi, nummi privatorum erant curæ, singuli suos nummos probare, librare, defendere, argento, auro, ære ad adquirendum uti, modo ex instituto & νόμῳ versaretur in probitate & pondere istorum nummorum, nec quidquam moribus patriis adversum committeret. Pondus enim in nummis istis, ut in aliis rebus, jamdudum ad publicam curam transierant, fraudes quilibet accipientium observabat, probabat integra, rejiciebat κίβδηλα. Hi sunt illi ἰδιωτικοὶ νόμοι, quibus nummi nondum cusi regebantur. Nec isti gradus temporum, quos Salmasius *pag.* 455. adducit, in nummorum progressu fuerunt. Nam quando metallis permutare placuit primum merces, pariter hæc omnia processerunt, & massas retinere, & illas in minores particulas concidere, & certo pondere exhibere, & de æstimatione ac pretio convenire, & quod illius probitatis vel illius eos recipere vellent. Hæc enim omnia in nummis ita conjuncta sunt, ut alterum absque altero esse non possit, sed simul adesse debeant, si recte merces nummis emi aut vendi debeant. Unum si absit horum, verbi causa, in minores particulas molem argenti vel auri concidere non licere, frustra mercabantur nummis, sed redibunt ad permutationem mercium cum mercibus antiquam, ejusque difficultates. At quod addit de nota impressa, quasi hoc etiam sua tempora & gradus requisiverit, ego jam dicam, in nummis non cusis ab arbitrio cujusque dependisse omittere vel addere, sui magis commodi causa quam contrahentium. Nec datur alius gradus in nummis præter hunc, quod a nummis non cusis tandem pervenerint ad cusos. At ubi forma publica nummis accessit, etiam publica fide aurum, argentum & æs tractabantur, in probitate, in pondere, & æstimatione, publicisque legibus autoritatem in populo adquirebant, nec quidquam privatis relictum amplius in nummorum usu, quam ut publicos illos nummos ad contractus & mercaturam adhiberent. Nam ut æstimationem auri, argenti, æris ad reliquas merces, & inter se metallorum, aliquando privatorum instituto & consensu etiam tacito invaluisse non negamus; sic ubi forma publica percussa fuit moneta, etiam æstimatio ejus publica facta fuit, atque illuc lex Pauli 1. D. de contrah. emtione solum respicit, quæ de publicis nummis *forma publica percussis* loquitur, non de aliis: ideoque *publicam* quoque vocat eorum *æstimationem*. Quid leges illæ publicæ nummariæ ex ἰδιωτικοῖς illis νόμοις & moribus retinuerint, alia quæstio est. Nam quod Salmasius *pag.* 441. & alibi in suo libro de usur. sustinet, *olim inter prima nummi initia non aliam formam illi impressam quam quæ indicaret ipsius pondus*; hæc nota & forma, si quæ talis fuit, etiam publica fuit; nam inter privatos dum nummus fuit, non erat, nec illa forma necessaria, siquidem trutina hoc pondus statim indicabat, an justum esset, quæ cuilibet olim, cum nummi

non

non cuderentur, ad manus erat. Privatos tamen aliquando has notas ponderis etiam insculpsisse affirmare licet, non ut alii sibi crederent, hos nummos accipientes, sed ne pondera sibi confunderentur in tanto numero jacentia, & facile dignosci possent ab invicem, quando expendendi erant. Sed postea Salmasius se explicat *pag. m.* 382. quod intelligi velit de initiis nummorum cusorum, circa quæ, *nummum sine alia nota quam quæ pondus ejus indicaret, flatum constat*. Loquitur de nota sola, h. e. de literis & inscriptione; nam imagines nummis impressa alias, præter notas, non diffitebitur, qui ove, bove, cusos ante professus est. Sed addit: *Quin imo & prima nummi origo certam metalli quantitatem & magnitudinem absque ulla nota aut signo pro nummo dedit usurpandum*. Hoc nummos non signatos omnino respicit, qui tales fuerunt sine imagine, vel signo, vel nota. Nam si hos gradus in nummis signandis veteres tenuisse Salmasius credidit, ut primo signarentur nota ponderis sola, ex intervallo temporis etiam aliæ figuræ accesserint, quibus provinciæ & civitates suos ab aliorum nummis distinguere vellent, aliis temporibus aliæ, ut inscriptiones, &c. hæc mihi distinguenda sumam, prout videntur distingui debere. Nam certum est inscriptiones non statim cum nummis cusis legendas esse propositas, aut insculptas, quin & has ipsas inscriptiones aliis temporibus auctiores factas, quam olim; at quod ad figuras attinet, & notas ponderis, eas statim in nummis cusis ab initio percussas sentio, & quidem notas ponderis in multis cusis omissas esse, in multis etiam exstare, pro lubitu cudentis: nullos vero notis solis ponderis signatos docere poterunt, absque signo alio Principis & Civitatis, sub quibus prodierunt, nec verba Aristotelis, τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτοὺς, ὁ γὰρ χαρακτὴρ τοῦ ποσοῦ σημεῖον tam crude sumenda, ut nihil præter notam ponderis cusis initio insculptam fuisse eum existimasse ponere debeamus. Haud enim character nummis ob solum pondus accessit, nec nota addita ponderis ob eam caussam, ut a ponderando liberarentur, sed ut de fide publica in omnibus, quæ ad nummum pertinent, omnibus constaret, si quisquam experiri vellet. Propter notam enim additam, nemo cogebatur a nummo ponderando, si vellet, abstinere, adeo ut ὀβολοστάταις id exiguis etiam æreolis hoc esset permissum. Hoc igitur quod toties Salmasio de nota ponderis sola primis nummis cusis impressa observatur, non consentit cum antiquitate, nec tales nummi reperiuntur ullibi superesse, nec in hodiernis vestigia moris hujus animadvertentur. Plures enim nummos cum nota ponderis etiamnum cernimus, nullos tamen illa nota sola procusos. Sic Phidonis nummos, qui primi cusi fuerunt in orbe toto secundum Græcorum sententiam *pag. m.* 312. *non aliud habuisse insigne sive notam quam qua declararetur ejus pondus, ut supersederent appendendi morositate*, falsum esse puto. Num Salmasius tales unquam nummos Phidonis vidit? Sic in assibus Romanis ab una parte visitur globulus ἔκτυπος, qui unius libræ argumentum exhibet, ut in dupondio, duo globuli, duas libras. Sed subticet, etiam alias figuras una cum istis notis ponderum reperiri, vel picum Martium & Mercurium, vel Deos alios, & res alias; A Diis enim potius origo cusorum, non a notis ponderum petenda videtur, quod res sacra tunc fieret moneta, cum publica cœpit esse: notæ ponderum οὐδὲ πάρεργον erant, quæ tam imprimi poterant, quam omitti. In nummis non cusis, nulla tunc forma erat nummorum, rotunda rarissima, oblonga, quadrata, cubica, triquetra aliosque multos angulos ostendens, prout commode κόπτειν aut κερματίζειν dabatur ex rudi massa. Solum pondus illos nummos distinguebat, non notæ aut signa, & si quæ aderant, illis nulla fides, sed libræ & trutinæ. Publico facto nummo & cuso, forma plerumque rotunda placuit, paucis alia, tunc quia perfectior sic erat, tum quia commodior & aptior. Atque illa forma ad nos usque manet, inter omnes fere gentes, qui cusis nummis utuntur. Nummi quidem vox universalis est, sed abiit tamen apud Siculos, & Romanos inprimis, ad strictiorem significationem, dum nummus ipsis dicebatur quarta pars denarii qui alias Sestertius ipsis solebat vocari & Sestertius nummus.

Et mirum videri posset tot doctos reperiri, qui nummos a Numa derivari magno conatu defendere voluerunt; Apud Plutarchum sane, qui Numæ vitam & instituta accurate persecutus est ex antiquis Scriptoribus, nihil plane reperies annotatum, quod nummos ullos aut ἀσήμους aut signatos Pop. Romanum adhibere docuerit: ita ut quæ in M. Marcelli vita ex commentariis Numæ quosdam attulisse prodit *pag. m.* 302. de opimis spoliis, falsa sint, tam quoad commentarios ipsos, quam in rebus illic memoratis, dum primis spoliis opimis præmium statuit ἀσσάρια τʹ. τὸν δὲ δεύτερον σʹ. τὸν δὲ τρίτον ρʹ. Certum autem puto, assis

ſis nomen Numæ temporibus, neque in pondere neque in nummis adhuc fuiſſe ſed Græcis vocabulis Latinos hæc extuliſſe. Ἀσσάριον vero nomen Græcæ originis proprie non eſt, ſed inter Latinos ab aſſe natum & uſui traditum. Æris ſane nomen Latinis longe prius notum quam aſſis; Sed ut æs vocare didicerunt a Doricis & Græcis, qui magnam Græciam coluerunt; ſic quoque *as* a Tarentinis & Siculis, prout egregie obſervavit Salmaſius *lib. de uſur. pag. m.* 576. qui pro *æs* pronunciare ſolebant *as*. At Tarentinos & Siculos Romani non adierunt ante Hannibalem, nec de commerciis illorum quidquam legitur ante: unde ergo aſſis nomen prius ad Romanos penetraſſe docebimur; Tarentini ſane perpetuos ſe hoſtes prius Romanis oſtenderunt, & ut Lucani ac Apuli ab iis deficerent, Samnitico adhuc bello durante effecerunt, 331. poſt U. C. annis. Æs igitur a Græcis iſtis dudum in linguam ſuam receperunt, at aſſem quando? Num a Pyrrhi ætate repetendi veniunt? Æs Dorico more & magnæ Græciæ nummos ſuos vocabant, antequam ſignarentur, quod Doricum æs in nummis χάλκινον eſſet; Aſſes dictos, antequam Romani ſignarent, nullibi reperimus, quin & tunc non niſi æs & æra & æs grave dici perrexerunt novi iſti nummi ſignati, non aſſes. Aliam igitur ætatem æri, aliam aſſibus tribuere oportet; haud enim uno eodemque tempore Romanam linguam ingreſſæ ſunt: licet neſciamus, quando æris nomen ſit aſſumtum, quando aſſis ſuperadditum. Diverſis temporibus, & ſatis ab invicem remotis, hoc contigiſſe nunc conſtare puto. Aſſes ſane librales Siculis quoque & Tarentinis ante Romanos videntur in uſu fuiſſe, ſed non ſub nomine aſſis, verum ὀβολȣ̃ & λίτρας, quæ nomina, Parthenii dicti, Tarentum profecti Lacedæmonem ſecum intulerunt, Græciæ magnæ, & deinde Siculis vicini etiam tradiderunt. Parthenii iſti, ut Juſtinus monuit, *lib.* 3. Phalanto Duce Tarentum incolendum ſumſerunt, quod in patria contemti eſſent, nec ad patrimonia admitti poſſent, aut legitimos majores oſtendere, nati ex concubitu eorum, qui mariti non erant, ſed locum maritorum ſupplentes, qui juraverant ſe non redituros, priuſquam Iram montem apud Meſſenios expugnaſſent. At cum hæc obſidio in undecimum annum traheretur, & uxores Lacænæ nollent amplius maritis carere, miſſi ſunt adoleſcentes, qui non juraverant, ut deſideria harum explerent, ſicque exinde nati Parthenii cœperunt vocari. Hinc igitur oboli nomen & libræ ſimul tranſiit cum ipſis Tarentum, & a Tarento in Siciliam, quod Heſychium ſcribere fecit: Λίτρα, ὀβολοὶ, οἱ δὲ νομισμα παρὰ Σικελοῖς οἱ δὲ ἐπὶ σταθμῷ, οἱ δὲ Ρωμαῖοι διὰ τȣ̃ β. λίβρα. Proprie tamen libra Siculus nummus fuit, non Tarentinus, ut alio loco Heſychius etiam dicit: Λιτροσκόπȣς, Ἀργυραμοιβȣ̀ς, ἀπὸ τȣ̃ Σικελȣ̃ νομίσματος, ὁ καλεῖται Λίτρα. Nec Tarentinos ἄς ſuos nummos vocaſſe percipi poteſt, ſed æs omnes dixerunt ἄς, ſoli Romani libram & libralem nummum aſſem vocarunt. Et hanc Lacedæmoniorum Partheniorum coloniam Tarentum deductam, cum Tullus Hoſtilius Romæ Rex eſſet, meretur obſervari, 107. annis poſt Romam conditam, ut unde librales nummos Servius Tullius, qui Romæ poſt Tullum Hoſtilium annis 69. regnare cœpit, ſignare didiciſſe dicendus ſit, conſtet: ſed de aſſis vocabulo indito his Romanis nummis a Servio, non itidem conſtat. Neque enim Tarentinos ſtatim æreis nummis uſos credimus, ſed patriis, hoc eſt, ferreis, eoſque etiam ὀβολȣ̀ς vocaſſe more patrio, non ἄς: quod de omni ære dicitur, non de ferro. In illa quæſtione definienda, an ærei nummi priores fuerint quam argentei vel aurei, ego plane ſententiam Salmaſii & aliorum rejicere cogor, qui *pag.* 433. *lib. de uſur.* Ariſtotelis autoritate motus, *exploratum eſſe* putat, *ærei nummi gravis notitiam & uſum magno intervallo præceſſiſſe argenteum & aureum in omnibus ferme gentibus.* Hoc quoad Romanos tantum in nummis cuſis concedi poteſt, in cœteris ſive cuſis ſive non cuſis minime. Accedamus ad originem ipſam in S. Scriptura, argentei fuerunt illi nummi, non ærei; veniamus ad cuſos: Phidonis nummi primi argentei fuerunt, quod ipſe Salmaſius concedit, nec ullum nummum æreum cuſum apud Atticos ante Calliam Archontem, 344. annis poſt Phidonem obſervavimus, interim aureos Crœſus & Darius cuderant. De ærei nummis raro aliquid apud antiquiſſimos. Homerus non niſi τάλαντα χρυσȣ̃ crepat, adeo ut illa ſententia de æreis nummis prioribus in omni fere gente ſubſiſtere nequeat, quin & Salmaſius ſibi contradicat alio loco. Romani autem præcipua fere nummorum & ponderum vocabula ex Græcia magna & Siculis aſſumſerunt. Nam Libræ & Λίτρας nomen ab Acragantinis mutuati ſunt, ſic etiam unciam, &c. Addit deinde *pag.* 437. ex eodem Ariſtoteles, Talentum Siculum valuiſſe nummos viginti quatuor, poſtea vero duodecim tantum, & eſſe nummum unum æqualem tri-

tribus obolis, Atticis ſcilicet, qua ratione nummus unus noſtræ pecuniæ faciet tres aſſes Lubecenſes. Sed cum Budæus forte non male legerit, δύναται δὲ ὁ νοῦμμος τρία ἡμιοβόλια, Seſtertium indicari, aut unum obolum cum dimidio credit, qui ſunt aſſis Lubecenſis cum dimidio; Atque huic ſententiæ eo facilius accedo, quod Romani fere ſemper ſeſtertiis nummi nomen jungant, nummos ſeſtertios dicendo. Eſt enim Seſtertius idem quod ſemis tertius, Semis autem contracte *Ses*, ut *Seſquas*, as & ſemis, ſeu *as ſeſque*. Eſt igitur Seſtertius, cujus nummus tertius non eſt niſi ſemis, primus & ſecundus integri, ut, quando aſſes fuerunt librales, & valebant decem denarium unum, ſeſtertius erat duorum aſſium vel duarum librarum vel dupondius cum ſemiſſe: atque ſic quatuor nummi vel quatuor ſeſtertii, vel ſeſtertii nummi faciebant denarium argenteum. Non igitur ſeſtertius fuit argenteus origine ſua, ſed æreus, & ſecundum æs ac aſſes numerabatur, non ſecundum partes denarii; ſero enim denarius argenteus in partes aut nummos argenteos diviſus eſt, nec niſi Victoriati aut quinarii exſtant; in quatuor partes nunquam denarius diſtractus cuſus fuit, ergo nec ſeſtertius unquam argenteus prodiit. Victoriati primum ex Illyrico advecti fuerunt Romam, ut nummi peregrini, & merx quædam, non ut illis emere & vendere vellent aut poſſent, ſed ut emerentur & venderentur ut merces. Sic quoque hodie nummi exteri non valent ut nummi, ſed ut merces, ut tetradrachma, & drachmæ & denarii, & ſolidi. Sed poſtquam Victoriati percuſſi ſunt a Romanis ipſis, lege Clodia, jam ut nummi valere cœperunt, de quibus Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. Voluſius Mecianus de ponderibus ſic ait: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim*. Clodia lex iſta fuit, ni fallor, P. Clodii Tribuni plebis circa A. V. C. 695. lata, adeo ut tunc primum Victoriati Romani prodierint, cum hactenus Illyricis uterentur, ſed in merce, ut argento, non ut nummo. At Quinarii quin prius cuſi fuerint, non refragabor; Jam vero quod de libella & ſembella Romanorum in argento cuſis jactant multi, mihi videtur res minus expedita. Salmaſius libellam denarii decimam partem valuiſſe ſcribit, idemque fuiſſe ac λίτραν Siculorum, quos in iis nummis imitati ſint Romani, *pag.* 243. d. modo uſur. Sembella igitur vigeſima pars denarii: qua ratione libella non niſi $7\frac{1}{5}$ denariolos Lubecenſes confeciſſet, & ſembella $3\frac{3}{5}$ denariolos, qui quales nummi dicendi ſint in argento puro, vix comprehendi poteſt, tam exigui ſunt & vix palpabiles; ita ut eos cuſos unquam Romanis in argento mihi nequaquam perſuadere poſſim, niſi κέρματα eos ſtatuamus, & λεπτὰ non cuſa, nec ſignata, qualia quoque λίτραν & ἡμίλιτρον Siculorum in argento credo fuiſſe, cujus rei magnum mihi argumentum eſt, quod nuſquam hodie tam minuti argentei Romanorum aut Siculorum reperiantur omnino, quod tam minuti nummi magis ſoleant ſervari quam majores, modo cuſi ſint, nam alias conflantur ut res inutiles, poſteris documentum nullum futuri; hinc eſt, quod nec ſeſtertii argentei ſuperſint ulli, haud enim poterant niſi 18. denariolos Lubecenſes ſinguli, aut aſſem noſtrum cum dimidio efficere, nummulum nullius fere magnitudinis, ſi argentum purum etiam requiratur, ut tunc moris erat, adeo ut poſt drachmas & ἡμίδραχμον apud Græcos, denarios & quinarios apud Romanos, reliquos nummos, ipſoſque obolos, in argento quotquot fuerunt, κέρματα & non cuſos ſtatuere malim, quam plane negare, argenteos iſtos nulla ratione fuiſſe, qui toties in Scriptoribus adducuntur, ut argenteos fuiſſe ſatis appareat, ſed tales, ut nec operæ pretium fuerit in illis cudendis, nec facile cudi potuerint, aut tractari niſi ſub forcipe & libra, non vero ſub cuneo & malleo. Partes præterea denarii & oboli argentei minorumque nummorum citantur per τριτημόριον, τεταρτημόριον, aliaque quæ tamen in argento non videas, ſed in ære cuſos. Sic Heſychius, ἕκτη, τρίτη, τετάρτη, νομίσματα ἀργυρᾶ, καὶ χρυσᾶ, καὶ χαλκᾶ. Æreos nullum dubium eſt cuſos prodiiſſe, cum ſuis partibus. In auro ante Alexandrum Severum tremiſſes ſolidos cuſos non vidimus, nec minores antiquitas aureos fecit; in argento videre non potuimus, quod ex drachma una tales vix cudantur. Hodie quod nummos etiam minores cudamus, alia res eſt, tam in auro quam in argento: ars enim monetandi & cudendi ad nos expeditior & ingenioſior pervenit. Attamen illos nummos in quovis metallo non niſi ad oſtentationem ſolemus etiam hodie procudere, cum vix cunei res ſint ejuſmodi minutiæ, nec malleum ferant fere nec prælum. In æris autem metallo, & ſeſtertii & libellæ & trientes & quadrantes ſuperſunt, & oboli, quæ me confirmant in argento quidem non defuiſſe eoſdem, ſed quoniam nullibi hactenus viſi ſunt, ſuumve χάραγμα oſtenderunt, uno vel altero ad poſteri-

ritatem exemplo, nullam causam aliam subesse credo, quam quod ærei istius generis cusi, ideoque servati, argentei, non cusi fuerint, ideoque perierint. Nam & ex magnis illis talentis, massis, πλίνθοις, lingulis & laminis non cusis, nihil videas ad nostra tempora mansisse, aut saltem ex naufragio tabellam aliquam enatasse. At quod Salmasius nummulos istos, λίτρας & ἡμίλιτρα argentea non successisse apud Siculos putat, nisi postquam ærei librales & unciales desierant, ego pariter & æreos & argenteos illos ambulasse tam apud Græcos quam Romanos censeo, postquam argenteos & æreos cudere cœperunt, atque sic ex veteri numismatum more partes illas drachmæ & denarii minutas non cusis esse relictas; hoc discrimine, quod Græci ab argenteis cudendis auspicati sint, secuti sint ærei: Siculi vero, Græcia magna, & Romani ab ære cudendo cœperint, & argentum signatum post adhibuerint, cum suis particulis non signatis, quæ respondere possent æreis semissibus, trientibus, quadrantibus. Romani enim Siculique licet solum æs signatum primo habuerint, argento plane caruisse censendi non sunt, sed rudi & non signato tantisper usi esse, donec & illos cudere placuit, qui cudi poterant, cæteras particulas, ut minus aptas cuneo, inter κέρματα, qualia prius fuerunt, non cusa reliquerint. Sic Græci quoque ferrum & æs non cusum ex veteri ævo valere permiserunt, una cum argenteis cusis, in quibus adquiescebant aliquanto tempore, antequam ad aureos & æreos quoque cudendos accederent. Sicut enim habebant nummulos ἐκ θατέρου μόνου τετυπωμένους, ut dicit Pollux *lib. 9. cap. 6. pag. m.* 434. sic quoque κέρματα, quæ nullum plane typum receperant, nullo latere. Tales nummulos cusos una facie, & κέρματα non cusa, δεῖ νομισμάτιον νοεῖσθαι, sed νομισμάτιον βραχὺ, ut supra dixit, ἡμίτομον τι νομίσματος, quod dicere non poterat, nisi dimidia parte truncatus esset nummus, quod facere solebant sæpius non solum contrahentes, & σύμβολον dantes, nummum divisum, sed etiam ementes & vendentes, ut parum interesset, sive nummus talis cusus maneret, sive dissecaretur & formam perderet, quo etiam spectant Hermippi verba ibidem.

> Οἴ μοι τι δράσω σύμβολον κεκαρμένος;
> Κεκάρθαι ἔοικε τὸ ἥμισυ. ———

Dolet illi, quod in symbolum dederat cauponi, aut alii, argentum, jam ubi redditur dimidio truncatum esse. Non potest hoc intelligi de argenteo cuso, illum enim integrum datum integrum reddere debebat, sed de argento non cuso, quod pignori præbebat & σύμβολον ut esset, donec alia pecunia cusa illud exsolveret. Ita olim nummi & nummuli se habebant, ut alia νομίσματα essent, una parte cusa, quod nimis tenuia essent, quam ut ab utraque cuneum ferre possent: alia κέρματα, sive ἀπότομα, sive minora, nullo plane signo notata, vel ex nummis etiam cusis amputata.

CAPUT XXXIV.

De Monetæ loco & nomine.

SED quæritur, ubi Romani asses hos percusserint ab initio, nam Monetæ domus nondum erat constituta, nec eam ob causam constituta legitur, ut nummos illic cuderent, sed ob Manlii Capitolini scelera, domo ejus diruta, & hac æde superstructa, ut moneret de iis quæ gesta erant, & ne quis imposterum talia tentaret, inde Monetæ nomen ædi sacræ mansit. M. Manlii ædes in Capitolio dirutæ fuerunt A. V. C. 372. paulo post Gallos depulsos, annis sex. Camillum Dictatorem postea Junoni Monetæ in ipso prælio contra Aruncos ædem vovisse dicit Livius *lib. 7. cap.* 27. A. V. C. 412. quæ in area M. Capitolini ædium anno sequente dicata fuit, 41. annis post Manlii ædes depositas, quod etiam Ovidius *lib. 6.* Fastorum amplectitur:

> *Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ*
> *Ex voto memorant facta, Camille, Tuo.*
> *Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam*
> *A Capitolino reppulit arma Jove.*

Ita ut Ciceronis sententia de Junonis Monetæ nomine non ab Historicis approbetur, qui *lib.* 1. de divinat. sic de illa se percepisse refert: *Scriptum a multis est, cum terræ motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce exstitisse; quocirca Junonem illam appellatam MONETAM.* Sed *l.* 2. *de divinit.* hoc ostentum & alia salse satis videtur ridere, dum *Ajum* obmutuisse dicit, *postquam sedem, & aram, & nomen invenit. Quod idem dici de Moneta potest, a qua præterquam de sue plena quid unquam moniti sumus?* Nullum tempus, nullum annum huic nomini *Monetæ*, Junoni addito, Cicero quidem tribuit, sed hoc indicat, non statim a Junonis æde

in Capitolio exſtructa, etiam nomen *Monetæ* datum ſed ex quo Dea monuit ex ſumma arce de ſue plena contra terræ motum: procuranda, *Monetæ* nomen Deæ & ædi ejus adhæſiſſe, quod alio tempore factum eſt, quam quo ædes vota, dicata, & ſtructa fuit, curante L. Furio Camillo, M. F. Nam quod Ciceronem loqui de temporibus, ante Gallos Romam invadentes, ſentiunt, hoc ex Ciceronis verbis omne patet; ſed ad ſolum *Ajum* referri debet, qui ante de Gallorum adventu monuit, & loquens factus eſt. Certum eſt autem, Junonis templum nullum in arce fuiſſe, ante Gallos, ſed a L. Furio Camillo primum Junoni votum illud in prælio contra Aruncanos, & deinde procuratum & dicatum: non quidem ſub *Monetæ* nomine, ut Livius vult, ſed ſimpliciter *Junonis*. Nulla enim in tota illa hiſtoria Camilli ratio conjungitur, vel apparet, cur *Monetæ* nomen præ aliis Junoni, quod tamen valde novum erat, imponi deſideraverit, quam cauſam tamen exprimit Cicero, ita ut Livius & Ovidius non aliter ſint intelligendi, quam L. Furium Camillum ædem Junonis in Capitolio curaſſe ex voto ſuo, quæ poſtmodum *Moneta* cognominata fuit, ab illo monito, quod aliquando ex æde illa auditum fuit. Atque ſic & tempora conciliantur, & nomina, & locus, & Scriptores. Sed hæc nomen *Monetæ* inter Romanos quidem ortum produnt, & quando fere nomen acceperit; at nondum quando nummi *Monetæ* nomen induerint, exinde liquet. Sunt, qui monetæ nummariæ nihil cupiunt eſſe commune cum Junone Moneta, ſed a peculiaribus ſuis monitis nummos Monetam dictos, quod moneant de autore, de pretio, figuris ſuis & inſcriptionibus. Alii in æde Junonis Monetæ cuſos referunt, ut Suidas, qui etiam ex alia cauſa, monitis nempe de pecunia, nomen Junonis Monetæ exſtitiſſe ſcripſit in voce. Μονήτα, inquit, ἡ Ἥρα παρὰ Ῥωμαίοις, ἐξ αἰτίας τοιαύτης. Ῥωμαῖοι δεηθέντες χρημάτων ἐν τῷ πρὸς Πύῤῥον ϗ Ταραντίνους πολέμῳ, ηὔξαντο τῇ Ἥρα, τὴν δὲ χρῆσαι αὐτοῖς. εἰ τῶν ὅπλων ἀντέξονται ϗ δικαιοσύνης, χρήματα αὐτοῖς μὴ ἐπιλείψειν. τυχόντες οὖν οἱ Ῥωμαῖοι τῆς αἰτήσεως, ἐτίμησαν Ἥραν Μονήταν, τουτέστι σύμβουλον. τὸ νόμισμα ἐν ἱερῷ αὐτῆς ὁρίσαντες χαράττεσθαι. Hic alia tempora Junonis Monetæ, & alia cauſa ejus cognominis aperiuntur, nec plane indicium ſperno. Pyrrhus Italiam ingreſſus eſt A. V. C. 473. & circa Italiam & Siciliam uſque ad Annum 479. moratus eſt. Illis igitur temporibus aut Ciceronis illud de Junone convenit ejuſque Deæ reſponſo, aut illud quod Suidas affert, & propterea nummos ſub præſidio Junonis, monita ſalubria edentis, cudere cœpiſſe, eoſque monetam appellaſſe, quod ex ejus Deæ monitis nummorum affatim experti eſſent affluere. Ita locus *Moneta*, & nummi *Moneta* cœperunt appellari, annis 60. & amplius, poſt Junonis ædem ædificatam 278. annis ante Chriſtum. Peculiare feſtum Monetæ Deæ in Kalendario Romano legitur ipſis Kalendis Junii menſis, cum Marte & Carnea Dea, quod Junonem Monetam ſpectat: ſic enim ſimpliciter nominatur quoque, Junonis nomine non præfixo, ut ſupra ex Ciceronis verbis obſervare licet, & *lib.* 3. *de divinat. pag. m.* 339. Natio, *ſi Dea eſt, Dii omnes illi, qui commemorabantur a Te, Honos, Fides, Mens, Concordia: ergo etiam Spes, Moneta, omniaque quæ cogitatione nobiſmet ipſis poſſumus fingere*, ita ut nummorum Deam Monetam illic intelligat. Sic Philippica 7. ab initio: *de Moneta Conſul, de Lupercis Tribunus plebis refert*: ubi *Moneta* tam Deam, quam nummos & locum monetæ comprehendit. Ciceronis autem tempore *monetam* nummos etiam ſignificare, colligitur ex *epiſt.* 13. ad Atticum *lib.* 10. ſub finem, ubi de Vecteno amico loquitur, *quod* ἀποτόμως *ad me ſcripſerat de nummis curandis*, θυμικώτερον *erat id, tu, ſi ille aliter acceperit, ac debuit, lenies. Monetali autem adſcripſi, quod ille ad me, Proconſuli*. Eſt & alius locus ad Atticum lib. 8. Ep. 7. *Ad Philotimum ſcripſi de viatico, ſive a Moneta, ſive ab Oppiis, tuis contubernalibus*, ſcilicet ſumendo, ubi *moneta* ipſum locum ubi nummi cudebantur, ſignificat: ita ut tempore Ciceronis jam *monetam* pro nummis dicere receptum fuerit, addit Gothofredus ad hunc locum hanc notam, *ad ædem Monetæ nummos cuſos, unde nummi monetæ nomen etiam adepti*. Hinc *ſacra* etiam moneta dicitur, non ſolum quod ad Principem ejuſque ſumma jura ſpectet, quæ ſacra ſunt, ſed etiam a loco hoc Deæ ſacro, ut in nummo Diocletiani argenteo, apud Geor. Choul, Moneta Dea ſtans cum libra conſpicitur, & inſcriptum legitur: SACRA MONET. AVGG. ET CAESARVM NOSTR. In nummo Commodi Imp. tam argenteo quam æreo. *Apollo Monetalis* exſtat, quod nullibi alias reperitur, ut recte obſervavit Oiſelius, qui eum nummum producit, *tab.* 37. *num.* 11. ſed non indicat cujus metalli ſit, apud me exſtat in argento, cum Inſcriptione prima facie, M. COMM. ANTON. BRIT. P. P. Secunda facies ita ſe habet cum Apollinis figura, ut deſcribit Oiſelius, & in-

inſcriptionem per medium habet COS. VI. Oiſelii, COS. VII. in circuitu; APOL. MONE-T. P. M. TR. P. XV. Oiſelii, TR. P. XVI. IMP. VIII. unde colligo Oiſelii æreum fuiſſe, prout etiam exſtat æreus in nummario theſauro Schuartzenburgenſi, nam illud IMP. VIII. deeſt in argenteo, quod locus nummi non caperet. At adulatores blanditos Commodo hac inſcriptione, non mihi mirum videtur, qui Apollinem Monetalem ipſum vocarunt, vel quod monetam ad Apollinis templum erexerit, vel aliam ob cauſam, nam alias Apollini nihil cum moneta aut nummis, niſi quod obſervem Officinatores monetæ in Gruterianis Inſcriptionibus etiam Apollini Aug. monumentum ſuum dedicaſſe, de qua poſtea dicam. Nam Commodo ut circa annonam cura fuit, dum *claſſem Africanam inſtitueret, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent*, monente Lampridio, etiam circa monetam aliqua eſſe potuit, ob quam Apollinis Monetalis nomen mereri videbatur. Alias in nummis moneta non comparet, ante Tib. Cariſium, ſub Auguſto Imp. Ejus enim habemus argenteos denarios binos, qui in Urſini familiis, & alibi apud Scriptores nummarios exprimuntur. Prima facies oſtendit Deam, capillis in coronam collectis, & capiti circumdatis, collo monili baccato etiam ornato; a tergo *Moneta*. Secunda facies habet tripodem, & pileum Vulcani laureatum, forcipem deinde & malleum & ſuperius adſcriptum. T. CARISIUS. Cujus generis eſt etiam alter nummus iiſdem inſignibus utrinque clarus, ſed ſine ejus nomine, nam in primo latere, ubi caput Deæ, etiam legitur *Moneta*, in averſo vero SALVTARIS, quod moneta ſit omnino Salutaris. Sed hæc inſtrumenta monetaria & fabrilia addita Triumvirum Monetalem cum fuiſſe arguunt, prout quoque in nummo alio argenteo cum Sphinge, ſigillo Auguſti peculiari, T. CARISIVS III. VIR. diſerte legitur. Hi enim Triumviri æris, argenti, auri flandi, feriundi dicebantur, nec ante mutatam Rempublicam ſub Julio Cæſare & Auguſto conſtituti percipiuntur, ut & Quatuorviri; nam utrumque nomen in nummis reperitur, tam aureis quam argenteis & æreis. Sic L. ÆMILIVS Q. F. BVCA IIIIVIR A. A. A. F. F. audit. L. FLAMINIVS T. F. L. N. IIII VIR A. A. A. F. F. argenteus eſt. L. MVSSIDIVS LONGVS IIIIVIR. A. A. A. F. F. aureus. Q. TVLLIVS M. F. CICERO IIIVIR A. A. A. F. F. argenteus, & L. LIVINEIVS C. F. REGVLVS itidem III VIR. A. A. A. F. F. argenteus apud Goltzium *tab.* 12. in nummis Julii Cæſaris. Ita quoque ſub Auguſto apud eundem Goltzium in argento & auro. P. PETRONIVS TVRPILIANVS III. VIR cum capite Deæ Feroniæ vel cum capite alterius Deæ cum corona pampinacea, ſed in ære plures: ut C. GALLVS C. F. LVPERCVS IIIVIR A. A. A. F. F. P. QVINTILIVS SEX. F. VARVS. C. SENTIVS C. F. SATVRNINVS C. CASSIVS C. F. CELER. M. FVRIVS P. F. CAMILLVS. T. STATILIVS T. F. TAVRVS. C. ASINIVS C. F. GALLVS. L. NAEVIVS SVRDINVS. C. CALVISIVS C. F. SABINVS. L. DOMITIVS AHENOBARBVS. P. CORNELIVS P. F. SCIPIO. CN. CORNELIVS LENTVLVS. & magno numero alii ſequentes, ſed omnes ærei, omnes Triumviri A. A. A. F. F. nam Quatuorviri jam deſierant, qui in Inſcriptionibus IIIIVIR ARGENTO PVBLICE FERIVNDO & IIIIVIR AVRO PVBLICE FERIVNDO exprimuntur apud Goltzium IIIIVIR AB AERARIO apud Gruterum in Inſcriptionibus *pag.* 423. *num.* 5. Nemauſenſi legitur, & in alio Nemauſenſi *pag.* 396. *num.* 6. IIIIVIR AB AERARIO PONTIFICIS. & adhuc Nemauſi *pag.* 470. *num.* 6. Q. SOLONIVS IIIIVIR AB AERARIO PONTIFICIS quin & iterum Nemauſi *pagin.* 413. *numer.* 8. IIIIVIR AD AERAR. PONTIFICIS. in nonnullis diſerte additur IIIVIR MONETALIS A. A. A. F. F. in una IIIVIR MONETAE TRIVERICAE. nam ita legunt, quamvis in lapide fracto non exſtet IIIVIR. ut neſciamus, an Triumvir vel Procurator, vel ſimile quid legi debeat. Hos Triumviros Monetales uſque ad Severi & Antonini Caracallæ ætatem apud Romanos obſervamus viguiſſe, ex Inſcriptionibus, produxit enim Gruterus ex lapide Tarraconenſi *pag.* 417. *num.* 5. QV. HED. L. F. POL. RVF. LOLLIANVM GENTIANVM Comitem Severi & Antonini Augg. qui etiam IIIVIR A. A. A. F. F. fuerit, quamvis & ulterius viguiſſe videantur, ex alia Inſcriptione apud Tho. Reineſ. *Claſs.* 1. *num.* 157. ubi L. AVTRONIVS L. F. POM. VAGONIVS PROSPER IIIVIR Monetalis appellatur, qui, niſi fallor, ſeriorem ætatem reſpicit, quantum ex nomine judicare licet. Sub his Triumviris Monetalibus tota Familia Monetariorum reliqua reſpondebat, qui apud Gruterum *pag.* 45. *n.* 3. in Inſcriptione Romæ ad fontem Trivii exſtante recenſentur. HERCVLI AVG. SA-

SACRVM. OFFICINATORES ET NVMMVLARI OFFICINARVM ARGENTARIARVM FAMILIAE MONETARIORVM, usque ad rebellionem etiam, & cædes, qui circa Annum Chr. 274. septem millia hominum in ipsa Urbe Roma trucidasse scribuntur, ipsique Imp. Aureliano necessitatem imposuerunt classicum contra illos canere, donec eos debellaret. Præter jam dictos in hac familia erant FLATVRARII AVRI ET ARGENTI MONETARII. quorum unus nominatur M. Ulpius Aug. Libertus Symphorianus, qui talis fuit Flaturarius in Inscriptione Gruteriana 4. Romana *pag. m. 638.* & distinguendi veniunt isti Flaturarii a Flaturariis Sigilliariis, & Flaturariis de Via Sacra, qui ibidem *n.* 5. & *6.* inscriptione notos se faciunt, ut & a Flaturariis ad Minervam, qui inscriptione apud Reinesium in *Class.* 11. *n. 98.* memorantur, nam & Nummularii Monetales sic distinguuntur ab aliis Nummulariis, ut in Inscriptione 3. Gruteriana *pag. 638.* D. M. M. VLPIO SECVNDO NVMMVLARIO OFFICINATORI MONETAE. & Inscr. 2. P. LOLLIO MAXIMO NVMMVLARIO PRIMO OFFICINATORI MONETAE ARGENTARIAE. Præter quos erant alii Nummularii de Basilica Julia, & Mercuriales, qui ad monetam cudendam non æque pertinuerunt, sed ad argentarios collybistas & danistas. Ad hanc familiam Monetariorum pertinent igitur Officinatores Monetæ, Liberti & Servi, Optiones & Exactores, prout descripti leguntur in Gruterianis *pag.* 74. *num.* 1. FORTVNAE AVG. SACRVM. OFFICINATORES MONETAE AVRARIAE ARGENTARIAE CAESARIS. FELIX LIB. OPTIO ET EXACTOR AVRI ARGENTI. AERIS &c. & quia Consules adduntur, L. Vipsianius Messalla, & M. VERGILIANVS PEDO. sub Trajano hoc monumentum positum liquet circa Ann. Chr. nati 115. tunc enim Messalla & Pedo Consules fuisse scribuntur, quibus ex hac Inscriptione nomina augeri possunt, ut L. VALERIVS VIPSIANIVS MESSALLA & M. POPILIVS CARVS VERGILIANVS PEDO Catalogo Consulum inserantur, qui nunc M. Valerius Messalla & C. Popilius Carus Pedo solum leguntur. Aurarii quoque & Argentarii ad monetam pertinebant, sive Procuratores essent, sive Subprocuratores, sive Coactores SVBPROCVRATOR AVRARIARVM AVIANVS AVG. LIB. exstat in Gruterianis *pag.* 4. *num.* 4. COLLEG. AVRARIORVM *pag.* 12. *num. 6.* & *pag.* 114. *n. 6.* & FELIX AVG. LIB. OPTIO ET EXACTOR AVRI. ARGENTI ET AERIS legitur *pag. 36. num.* 8. quem etiam ante adduximus, ut & adhuc de eodem *pag. 1066. num.* 5. APOLLINI AVG. SACRVM. FELIX AVG. LIB. OPTIO & EXACTOR AVR. ARG. AERIS ITEM SIGNATORES. SVPPOSTORES MALLEATORES MONETAE CAESARIS. Nostri, ubi rursus nomina Officinatorum ad latus sinistrum addita reperiri scribuntur, male, quod non expresserint. Fuisse autem eosdem hinc manifestum est, quod eodem die, iisdem Consulibus hæc dedicaverint, quamvis & alii a prioribus esse potuerint. Signatores igitur dicuntur, qui cuneum signis suis & literis sculpserunt; Suppostores, qui numisma rude cuneo supponebant, & aptabant: Malleatores vero, qui malleo ferientes & percutientes nummum recipere cunei figuras cogebant. Tale monumentum etiam Herculi sacrum esse voluerunt iidem, Felix idem, & Signatores, & Suppostores, & Malleatores, eodem die, iisdem Consulibus, & subscripti sunt Signatores 17. Liberti 12. Servi 5. Suppostores 11. Liberti scilicet 7. Servi 4. Malleatores *36.* Liberti 11. cæteri Servi, unde manifeste colligitur malleos non unius hominis manibus, sed plurium, adigi debuisse, quoniam tanto numero apparent. Ita quoque T. SERRANVS EXACTOR A. A. A. dicitur *pag. 69. num.* 10. Sic L. DOMITIO AGATHEMERO PARIDIS LIBERTO ARGENTARIO COACTORI inscriptio posita *pag. 76. num.* 1. P. AELIO T. F. QVAEST. R. AVRI LVSTRALIS COACTORI Inscriptio dicata *pag.* 347. *num.* 4. PROCVRATOR AVRARIARVM legitur *pag.* 594. *n.* 7. AVRARIAE DEFENSORI. POLLIO JVLIO CLEMENTIANO *pag.* 1115. *num.* 7. statuam posuit universa Regio Romana Nolæ, ob hoc & alia beneficia, quibus regionem illam recreavit. PRIMICERIVS MONETARIORVM inter Christianos habetur *pag.* 1054. *num.* 8. Atque sic quinam & quænam ad Monetam Romanam pertinuerint, noluimus præterire; sed locum ubi moneta cusa fuit haud satis expressum reperimus. Nam olim cum nondum Numini Monetæ nomen imposuissent, in ærario Saturni cusos nummos crederem, aut ad illum locum: at postquam translatæ fuerunt hæ operæ ad Monetæ templum, etiam nummos vocari cœpisse credimus *Monetam*, quod nummi sub præsidio illius ædis exirent, unde Cicero recte dixit, *a Moneta* sumere, h. e. nummos ad Monetæ ædem cusos petere.

CAPUT XXXV.

De Nummorum contemtu.

VErum quoque eſt quod Tacitus Germ. *cap.* 4. obſervavit, fodinas metallorum auri & argenti ſuo tempore Germanis plane ignotas fuiſſe; At ſi fodere metalla nemo noverat, quomodo curam monetæ cudendæ ſuſcipere potuerunt? addit, interiores Germanos *ſimplicius & antiquius permutatione mercium uti*, non pecunia, utpote qui nec nummos nec argentum nec aurum æſtimabant, vaſa argentea cum figulinis eadem vilitate tractantes. Hinc eſt quod Friſios *lib.* 4. *Annal. cap.* 72. tributa Romanis in coriis boum penſitaſſe obſervaverit, quod illis boum & paſcuorum copia, nummis carerent, quos Romani accipere poſſent ſub Tiberio, idque vocat anguſtiam rerum. Atque ita quidem aurum & argentum flocci faciebant, ut non ſolum illa nou rimarentur in fodinis, ſed nec adhiberent, ulla ratione, dum ſi aurum vel ferrum non eſſet, ſpina quoque ſagum & veſtem potius colligerent; Hæc quoque cauſa, cur oſſibus tela mallent aſperare, quam chalybe vel ferro, quin & cornibus idem præſtabant, & hodie præſtant, quod nos bene limatis & ferreis armis & hamis. Sic Plinius *de antiquis lib.* 11. *cap.* 37. *Urorum cornibus barbari Septentrionales potant, alii præfixa haſtilia cuſpidant.* De Fennis quoque Tacitus, *ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant.* Hæc paratu facilia potius adhibebant, quam ferrum magno labore ex mineris quæſitum, cujus copia deſtitui non poterant, ſi hoc opus, hic labor fuiſſet. Lappones & Finmarckii eandem facilitatem præferunt etiamnum ferro, quod ex Suecia & Norvegia vicinis ſumere poterant, niſi domeſticis ſuis artibus reliquorum ſudores vincere præſtaret. Sicque nummorum nondum illis ulla ratio habetur, niſi quantum a vicinis eos aſſumere commercia docent. Ejuſdem honeſtatis, parſimoniæ, temperantiæ & abſtinentiæ ſuffragium ferre poſſunt illi, qui caput unum vel cranium hoſtis præ auro multo carius habuerunt, & *μεγαλοψυχίαν* generoſoſque motus vocat in barbaris Diod. Siculus *l.* 5. *Τῶν ἐπιφανεστάτων πολεμίων κεδρώσαντες τὰς κεφαλὰς ἐπιμελῶς τηροῦσιν ἐν λάρνακι, καὶ τοῖς ξένοις ἐπιδεικνύουσι, σεμνυνόμενοι διότι τῆς δὲ κεφαλῆς τῶν προγόνων τὶς, ἢ πατὴρ, ἢ καὶ αὐτὸς, πολλὰ χρήματα διδόμενα οὐκ ἔλαβε. φασὶ δέ τινας αὐτῶν καυχῆσασθαι, διότι χρυσὸν ἀντίσταθμον τῆς κεφαλῆς οὐκ ἐδέξαντο, βάρβαρόν τινα μεγαλοψυχίαν ἐπιδεικνύμενοι:* nec Strabo aliter: *τὰς δὲ τῶν ἐνδόξων κεφαλὰς κεδροῦντες ἐπεδείκνυον τοῖς ξένοις, καὶ οὐδὲ πρὸς ἰσοστάσιον χρυσὸν ἀπολυτροῦν ἠξίουν.* *l.* 4. Auri enim cum alias cupidiſſimi fuerint, ut notantur Septentrionales, oblatum tamen non ita placebat, ut quod ex præda & latrociniis magno cum ſudore periculiſque petierant. Sic neque caput unum miſellum, quod multo auro redimere ſtudebant Romani, impetrare poterant, quod bello parta, quamvis ſint viliſſima, præferenda cenſuerint pretio etiam infinito, in quo nullum ſudoris aut ferri ſui odorem ſentire poterant. Huc ſpectat illud, quod Albertus Stadenſis de Saxonico quodam narrat *pag. m.* 99. *Contigit adoleſcentem quendam egredi e navibus, oneratum multo auro, torque aurea & armillis: cui Turingus obvians ait: Quid ſibi vult tam ingens aurum circa corpus Tuum famelicum? cui Saxo: aurum gero, emtorem quæro, qui fame periclitor, cur auro delecter? Et Turingus; quale pretium pro auro vis? Nullum, ait Saxo, mihi eſt diſcrimen in pretio, quidquid dabis, gratiam habeo. Turingus ſubridens Saxoni arenam obtulit, & ille recepit.* Habemus, quod ridere his ſeculis liceat; vera tamen ſunt, ſi a ſuis mendis liberentur, quibus antiqua conſpurcarunt Monachi, hiſtoriolas cuivis rei conjungentes, & multa confundentes, quæ aliis temporibus aliiſque evenerunt ſeque produnt ſatis, quod nihil cohæreat. Torques enim & armillas aureas non neſciebant Saxones, dona finitimorum: at non magni æſtimabant, veteri Scytharum philoſophia & diſciplina apud eos regnante. Hoc dicunt hæ hiſtoriæ & fabellæ. Nam alias, quomodo cohæret, Saxonem aurum permutare arenæ pugillo, qui cum fame luctabatur? num arena ſatiari poterat? Hæc igitur mihi quis conciliet: niſi intelligamus aurum more gentis avito ſpretum, & terræ pugillos paucos auro ſæpius præpollere didiciſſent. Et quicunque veteribus Scythis originem debent, iiſdem fere moribus præditos poſteros emiſerunt. Unde non miror, Helmoldum quoque de Pruſſis, quos Gothi & Sarmathæ reliquerunt, eadem deprædicaſſe, *l.* 1. *c.* 1. *Aurum & argentum*, inquit, *pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis, quarum odor lethiferum noſtro orbi ſuperbiæ venenum propinavit. Et illi quidem uti ſtercora hæc habent* &c. Et ſi Germanum Scythicumque bonum Libertas Poetæ Claudiano dicta fuit, etiam humanitas, *αὐτάρκεια* fortitudo, juſtitia, cœteræque virtutes illorum bona dici poterunt, quæ ceteris hominibus poſ-

poſſederunt integrius, retinuerunt diutius. Helmoldus autem hæc ſua depromſit ex Adami Bremenſis libello de ſitu Daniæ, &c. & leguntur *pag. m.* 147. Iiſdem moribus vivunt Americani illi, qui circa Mexicanos in provincia Quiviras reperiuntur, de quibus Tho. Gage Anglus in ſuis relationibus *part.* 2. *pag. m.* 22. memorat, *que les habitants y font plus d' eſtat d' un verre, que de l' or.* & ſunt ex iis, quos ex Scythia tranſiiſſe perſuaſi ſunt in Americam. Arabes ad ſinum Perſicum degentes piſcatu vitam tolerant. nec argentum volunt vendentes, ſed oryza viliſſima permutant, & hæc pars Arabiæ felix dicitur, de quibus moribus legi poteſt Tavernier *l.* 2. *pag. m.* 258. Iis ſimiles ſunt, qui circa Perſiam panem vendentes aliis ludicris reculis ſibi ſolvi potius volunt quam argento, de quibus Tavernier *l.* 3. *pag. m.* 311. monet. Ex vetuſtis illis moribus, tam Sinenſes quam Japonenſes in hunc uſque diem retinuerunt, quod quæ toti Europę, Africę, & Aſię in pretio ſunt gemmę & margaritę, apud eos haud ęſtimentur, ut declarat Tavernier *to.* 2. *pag. m.* 379. &c. De Abaſſinis hoc habet Jobus Ludolphi quod cum montibus maximis & frequentibus interjaceant, ubi auri metalla & minerę fœcundiſſimę, illa tamen eruere tum neſciant, tum nolint. Stultum eſſe credunt ea ſibi parare, quibus hoſtes innumeros ſibi accerſant. Quod ſine labore ex fluminibus colligere poſſunt, id non ſpernunt. Ferrum auro pręferunt, quod eo aurum parari poſſint, illudque obvium etiam habent, non effoditur ſed in ſuperficie terræ legitur. Gemmas vero etiam neque quærunt domi, nec foris, raro geſtantur Abaſſinis, adeo ut etiam Regium diadema non niſi adulterinis coruſcet, mirantur alios, qui tanto pretio ſuperbiam emunt, cum eodem longe utiliora ſibi poſſent θησαυρίζειν. In nummis igitur cuſis quod nullam hæ gentes curam ponant, in nummis non cuſis exiguam, natura ſine labore aurum obtrudente, deſinamus tandem mirari. Quot vero ſuperſunt populi in utraque India, Africa; Aſiæ ultimis, & Europa, qui nondum pecunias aut nummos cuſos ullo loco cenſent, ſpernunt nec recipiunt ut incognita ſibi & inſolita? De Moluccanis hoc profert Joh. Jac. Saar in itinerario ſuo *pag. m.* 44. Geld aber mulcem Sie dagegen nicht nehmen / ſondern Roth Tuch / weiſſe Leinwad / Kuffer / Meſſing / rothe Hauben / Meſſer / rothe Koraſſen / und dergleichen Kindermerck. De aliis idem jactant alii, non ſolum ſimplicitate, ſed etiam antiquitate morum ſtantes. Antiqua enim, quæ ſunt innumera & fere perpetua referre nolo, poſtquam in illa luce & copia nummorum cuſorum haud pauci ſint, qui illis adhuc uti dedignentur. Hoc tamen ex antiquis non præteribo, quod apud Plutarchum legitur in libello de facie in orbe Lunæ *pag. m.* 942. ubi Sylla Philoſophus narrat, de Ogygiæ inſulæ incolis, ex qua Philoſophus Carthaginem acceſſit, non apportans nummos cuſos, ſed aurea ἐκπώματα vel pocula, quibus ſumtus itineris tolerare decreverat. ἐπεὶ δὲ τὰ τριάκοντα ἔτη διῆλθεν, ἀφικομένων τῶν διαδόχων οἴκοθεν, ἀσπασάμενος τοὺς φίλους, ἐξέπλευσε, τὰ μὲν ἄλλα κατεσκευασμένος εὐσταθῶς, ἐφόδιον δὲ συχνὸν χρυσοῖς ἐκπώμασι κομίζων, quæ auri quidem copiam in illa terra oſtendunt, nummos vero cuſos inibi nullos pariter indicant. Nam qui plane metallis non utuntur, eos nummis vix uſos eſſe dicere poſſumus, licet loco nummorum rebus aliis mercari introduxiſſent.

Nam qui a Romanis & Rheno remotius habitabant, incorruptiores fuere. Haud enim corrumpi poterant moribus & luxu Romanorum, quem non videbant, & contra quem totis viribus ſtudia intendebant ſua, ut habet Cæſar *lib.* 6. B. G. *cap.* 22. docebant enim ſuos, *ne accuratius ad frigora & æſtus vitandos ædificent; ne qua oriatur pecuniæ cupiditas; qua ex re factiones diſſenſioneſque naſcuntur.* Illis igitur eadem mens, quæ Sauromatis Europæis ad Mæotin apud Melam *lib.* 2. *cap.* 1. *Sarmatæ auri & argenti maximarum peſtium ignari vice rerum commercia exercent.* Permutationes mercium hic indicat valere, nummos adeo ignorabant, ut nec aurum vel argentum ullum admitterent, in uſu abuſum timentes. Satarchæ, Scythicus & ille populus apud Solinum *cap.* 20. *uſu auri argentique damnato in æternum ſe a publica avaritia abdicarunt.* Egregie de Hibernis Solinus *cap.* 25. aut de incolis ex Silura inſula, quoque tradit: *Homines etiam nunc cuſtodiunt morem vetuſtum, nundinas ac nummum refutant, dant res & accipiunt; mutationibus neceſſaria potius quam pretiis parant.* Omnia ad beatam αὐτάρκειαν Scythis adeo probatam & familiarem ſpectant, ita ut ipſi Deo placuerit in populo ſuo auream illam mediocritatem commendare Regibus ipſis ne aurum & argentum nimis quærerent *Deuteron.* 17. *verſ.* 17. Er ſoll auch nicht viel Silber und Gold ſamlen / neque enim delicias facere debemus noſtras acervos auri, nec ſpinas, quibus ſuffocemur, adeo ut cum non arduum non ſit, animum compeſcere, ne fulgore auri in ſervitutem rapiatur, & imperium deponat faſceſ-

ſcesque omnes ſubmittat; facilius cum Scythis carere poſſimus auro, quam illo neſcire uti. Potuiſſet Valerius Maximus in Romanor. paupertate laudanda parcior eſſe, cum paucis admodum exemplis illam illuſtraverit, & pauciſſimi Romanorum illam coluerint, pluribus perditiſſimæ luxuriæ deditis, imo luxu mores omnium vincentibus. In Septentrione gentes totæ huic continentiæ ſtudebant, omnes domus exempla paupertatis honeſtæ præbebant, fugiebant ſcilicet opes & aurum, ne virtutis pretium illis irritamentis minueretur, aut umbram ejus captando illam amitterent. Nam quid magis convenit de Scythis & Borealibus pronunciare, quam quo caput ſuum claudit Valerius? *Nullum aut admodum parvi ponderis argentum*, *paucos ſervos*, *ſeptem jugera aridæ terræ*, imo ſæpe pauciora, *indigentia domi*, unde perpetuis bellis vacabant, *publice impenſa funera*, cum amici colles pararent, & opes conferrent, quibus eum Othino commendabant; *inopes dotant filias*: ſane Tacito teſte, nullæ dotes comitabantur, exigua utrinque dona, ſed *egregios conſulatus*, *mirificas dictaturas*, *innumerabiles triumphos cernimus*. Hæc inquam de Borealibus potius dicenda fuerant, quam de Romanis; quoniam illic in tam beatam paupertatem non unus aut alter, ſed totæ gentes conſpirarunt. Recte igitur ſatis idem Valerius ratiocinatur, *lib.* 4. *cap.* 5. de Verecundia *pag. m.* 179. *hanc juſtiſſimis viris præcepiſſe*, *ut privatas facultates negligerent*, *publicas quam ampliſſimas eſſe cuperent*. Quæ de Scythis iterum & Borealibus omnibus certiſſima ſunt, quibus juſtitiæ laus ab omnibus antiquis Scriptoribus tribuitur, & quod juſtiſſimi fuerint mortalium, & quod virtus ipſis imperarit, ita auro & argento carere, cœteriſque deliciis, ne tamen publico quidquam deeſſet, cujus res aureas eſſe malebant totas, quam ſuas. Ejuſdem animi & ejuſdem vitæ fuerunt Indi Occidentales, qui nihil vilius habuerunt quam argentum & aurum, quibuſque ſi habere libitum eſſet, liceret quantum vellent e fodinis, velut aquam e fonte, nullo impediente petere, quos etiam Chriſtianorum avaritia a vera fide deterruit, atque ut Chriſtiana morte eos punirent, aurum liquefactum faucibus illorum inſtillaſſe ſæpe leguntur: ede, bibe, dicentes, quibus nos opus non habemus, quantum potes. Alii vero Scythæ haud ita aurum ſpernebant. Arimaſpi, quos Mela primos & ſummos Scythiæ vocat, aurum calcabant quotidie, cum nihil niſi arenas auriferas viderent, ſi Claudiano fides. Capita hoſtium Eſſedones, *ubi fabre expolivere auro cincta pro poculis gerunt*, ait Mela *lib.* 2. *cap.* 1. Nummos vero nuſquam iis temporibus in tota Scythia reperies Scriptoribus nominatos. Nec in tota India Claudii Cæſaris temporibus ullam monetam aut nummos cognoverant, quod Solinus indicat *cap.* 56. ubi narrat Annii Plocami libertum, qui vectigal Rubri maris adminiſtrabat, appulſum eſſe ad littus Taprobanæ inſulæ, & tunc *ſtupuiſſe Regem pecuniam*, *quæ cum ipſo capta fuerat*, maxime vero, *quod tametſi ſignata diſparibus foret vultibus*, *parem tamen haberet modum ponderis*. Si unquam nummos vidiſſent ejus regionis incolæ, quibus aurum & argentum abundabat, deſiiſſent mirari: qui nunquam mirari cognita cœpiſſent. Illos potius mirari oportet Perſidis populos Babytacenos, de quibus *cap.* 58. tradit, *mortales univerſos* ejus oppidi, *odio auri coemere hoc genus metalli*, *& abjicere in terrarum profunda*, *ne polluti uſu ejus avaritia corrumpant æquitatem*. Video in his Scythicam diſciplinam, cum tota Perſis in Parthicum nomen tranſierit, qui Scythæ Europæi fuerunt. Quamobrem recte quidem de Scythis Juſtinus *l.* 2. *c.* 2. *Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt*, quaſi peti quidem diceret, nec contemni, ſi offeratur, facile tamen eos carere, nec magno ſtudio appetere. Vera mens eſt pleroſque Scythas aurum & argentum omne reſpuiſſe. quod Græci credere non poterant, velis remiſque divitias tales & quærentes & corradentes, unde Juſtinus idem *l.* 9. *c.* 2. Philippum Macedonem Scythas opprimentem aſtu & dolis, *auri argentique nihil* reportaſſe ſcribit: *ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit:* ut interpretabantur Græci, qui nullas niſi ex auro & argento opes ſtructas æſtimarunt, cum Scythis tamen nihil deeſſet eorum, quibus bene vivitur, luxum exoſi & irritamenta vitiorum, non vitam honeſtam, duriter enim ac parce melius vitam tranſigi, quam inter ſuperflua. Videtur tamen Plutarchus de fortuna Alexandri *pag. m.* 332. Scythis nummos tribuere Alexandri M. temporibus, quando Alexandrum ita loquentem introducit: δεῖ κἀμὲ νόμισμα παρακόψαι καὶ παραχαράξαι τὸ βαρβαρικῇ θέσει κατεσκευασμένον ἑλληνικῇ πολιτείᾳ. Sed conſiderandum eſt μεταφορικῶς Plutarchum efferre ſententiam; mens enim eſt, eum barbarica omnia Græcis moribus regere velle, & omnia quæcunque poterat Græca facere, quemadmodum peregrinos nummos Græca forma donare, quod erat παρακόπτειν & παραχαράσσειν, nam & illa ad regimen &

rem-

rempublicam pertinent. Non igitur exinde Scythas tunc nummos cudisse statui potest. Potuerant quidem opes immensas sibi parare, auro & argento studere, non ignorabant eas artes Græcis & Romanis usitatas, sed studio vitabant, tanquam illecebras & pedicas.

CAPUT XXXVI.

De Metallifodinis.

CUM Tacitus nec auro nec argento nec ferro Germanos gaudere dixerit, non sibi contrarius est *cap.* 42. *Germ.* dum Gothinos, ad Germaniam spectantes populos ferrum effodere monuit; Haud enim ferrum in Germania illos fodere dixit, sed Sarmatis & Quadis, quibus tributarii erant, jubentibus, etiam mineras fodere ut vilissima mancipia cogebantur. Nec Ptolomæus Geographus dissentit, qui ferrifodinas infra Quados non ignoravit. Ι'πὸ δὲ τὸν Ο'ρκύνιον δρυμὸν Κουάδοι, ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωχεῖα, καὶ ἡ Λούνα ὕλη, adeo ut istæ fodinæ satis celebres fuerint, postquam Romani Daciam frequentarunt. Nunc non solum in Germania sed & in Norwegia Sveciaque, quin & in ultima Lapponia metalli fodinas apertas leges. Noveram Antonium Trotzig Præfectum metalli Lapponici apud Suecos. Metallifodinæ argenti tam apud Thracas quam Athenienses celebrantur. Athenæus illarum meminit *lib.* 6. *cap.* 20. quod Sosiæ Thraci Nicias Nicerati mille servos locarit εἰς τὰ ἀργυρεῖα quæ exercuit. Apud Athenienses πολλαὶ μυριάδες τῶν οἰκετῶν δεδεμέναι εἰργάζοντο τὰ μέταλλα, *pag. m.* 272. Quod in vinculis eos habitos esse scribit, ita sentiendum puto, eos dum operas præstant & in opere sunt, liberos a compedibus & vinculis fuisse, aliis temporibus vinctos incessisse, jacuisse, ne aufugere possent. Josephus *Antiq. lib.* 16. *cap.* 8. *pag. m.* 558. cupri Cyprii ejusque fodinarum meminit. Καῖσαρ δὲ αὐτῷ (Herodi) τοῦ μετάλλου, τοῦ Κυπρείων χαλκοῦ, τὴν ἡμισείαν πρόσοδον, καὶ τῆς ἡμισείας τὴν ἐπιμέλειαν ἔδωκεν. Fuerunt ergo hæ fodinę Cyprię jam Augusti temporibus celeberrimę. Philo citatur Atheneo *lib.* 7. *pag. m.* 322. qui de metallis scripserit: Φίλων ἐν τῷ Μεταλλικῷ, quem hic annotandum censui, quod raro reperiantur, apud antiquos, metallicarum rerum scriptores. Hac quoque ratione Cęsar Augustus Dalmatis superatis, *efferum genus fodere terras coegit, aurumque venis repurgare*, ut scribit Florus *lib.* 4. *cap.* 12. Monet idem ibidem de Asturibus, Augustum eos jussisse *exercere solum*, sicque *latentes in profundo opes suas atque divitias, dum aliis quærunt, nosse cœperunt*, aurum scilicet, minium, chrysocollam &c. Hinc est quod Tacitus *cap.* 6. *Germ.* ferri inopiam Germanis objiciat. *Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur; rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur; hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt, angusto & brevi ferro*. Quo cum consentit Cęsar, qui *veruta* illorum hastas & frameas vocat quod lato ferro non essent sed angusto instar subulę & veruti. Sic loquitur *lib.* 5. B. G. *cap.* 44. *transfigitur scutum Pulfioni*, a Gallis, *& verutum in balteo defigitur*. Sed & Gręci non latis armis usi sunt, angusta erant quę inferebantur vulnera, unde *Græculum ferrum* vocavit Florus, & pulcherrime descripsit Romanorum arma illis contraria *lib.* 2. *cap.* 7. *Nihil terribilius Macedonis fuit ipso vulnerum adspectu, quæ, non spiculis neque sagittis, nec ullo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis ultra mortem patebant:* adeo ut Germanis non solum ferri inopia has angustias armorum suppeditarit, sed & ex aliis causis more gentium aliarum, satius duxerint istis frameis & verutis uti, quam latis illis & gravibus armis. Ita referunt Polonos latis illis armis studentes nihil magis timuisse congressos cum Germanis, quam illorum veruta, quibus ubique patebant animę hominum & exhauriebantur, ita ut nullibi sub loricis tuta essent corpora, intrabant facillime, morti fenestras aperientes qua non credebant. Plinius tamen Tacito major, utpote cujus bellorum Germanicorum historiam allegavit *lib.* 1. *Annal. cap.* 69. & *lib.* 15. *cap.* 53. *& Histor. cap.* 28. suo tempore ęris metalla in Germania reperta tradit *lib.* 34. *cap.* 1. Ipse Tacitus *lib.* 11. *Annal. cap.* 20. idem testatur sub Claudio Imp. Curtium Rufum fuisse, *qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti, unde tenuis fructus, nec in longum fuit*, adeo ut Germaniam ejus ante scriptam quam Annales judicem, nec quę Plinius dixerat de ęris metallo, aut Curtius Rufus egerat pro argento fodiendo, tunc ipsi observatum esse, alias non protulisset ea verba: *Quis enim scrutatus est?* Germanorum sane nemo, Romani exiguo cum fructu, nec in longum: pulsis enim Romanis & ejectis, metallifodinę rursus confusę jacuerunt longo tempore & ignotę. Mattiacus ager, ut hoc etiam monetam, non est Babensis, quod voluerunt multi, nec alibi quærendus quam inter Cattos & Hessos hodie, erat enim Mattium gentis caput, ut ait Tacitus *lib.* 1. *Annal.* *cap.*

cap. 56. a quo ager illi ſubjectus Mattiacus dicitur: & Mattiaci cives ac coloni iſtius tractus. Et ubi de Cattis loquitur, ibi Mattiacos ſemper adjungit. Sic *lib.* 4. *Hiſtor. cap.* 37. Catti, Mattiaci & Uſipii exercitus conjunguntur. Et in Germania ſua poſtquam Batavos Cattorum quondam populum fuiſſe docuerat, & honorem ac ſocietatem cum Romanis, addit: *eſt in eodem obſequio & Mattiacorum gens:* ſcilicet ut inter Cattos præcipua Hadriani temporibus, nummi minuti ærei cuſi exſtant, qui metallum Noricum & Dalmaticum laudant; Noricum ſane ipſius Cæſaris caput laureatum præfert, & Inſcriptionem: IMP. CAESAR TRAIAN. HADRIANVS AVGVSTVS. & in averſa ſertum elegans, in cujus medio MET. NOB. apud Boutheroue *pag.* 103. Noricum Bavaricum eſſe conſtat, in qua tunc parte Germaniæ æs effodiebatur, nam Claudius Rufus tentavit quidem, ſed quo ſucceſſu parum oſtenderunt. At poſt geſta Tacitus non vidit. In Græcia metallifodinæ celebrantur ab antiquo, auri, in Theſſalia, circa Pydnam, ex quibus Philippus Macedonum Rex, Alexandri M. pater, annua talenta mille colligebat: argenti, in Thracia, quas etiam Philippus occupavit, ut legitur apud Juſtinum *lib.* 8. *cap.* 3. & apud Diodorum Siculum *lib.* 16. *cap.* 8. ut & apud Gemiſtum. Nullibi vero aurifodinæ antiquiores, quam in S. Scriptura, ubi etiam ante diluvium in regione Hevilah aurum collectum fuiſſe *Geneſ.* 2. *verſ.* 11. dicitur. Verba ſunt: Piſon fleuſt umb das gantze Land Hevilah, und daſelbſt findet man Gold, und das Gold das Landes iſt köſtlich. Obſervandum eſt ſacrum textum loqui de horto Eden, ubi ille ſitus ac poſitus fuerit ante diluvium: Hevilah vero regio non fuit nomen antediluvianum alicujus regionis, ſed poſt diluvium natum eſt a poſteris Chami filii Noæh. Chus enim filius Chami genuit filium Hevilah *Geneſ.* 10. *verſ.* 7. & 1. *Paralip.* 1. *verſ.* 9. qui quoque ſicut cœteri filii Noachi & nepotes, regiones quas incolere cœperunt denominaſſe leguntur, adeo ut Hevila regio aurifera nomen ab illo Hevilah filio Chus duxiſſe poſt diluvium dicenda veniat, non ante; ſed Moſes illam regionem ſuo tempore notam ideo adducit circa tempora creationis, quoniam Piſon fluvii mentionem fecit, qui & hortum Eden rigabat, & ab eo deſcendens ad Hevila regionem, eam quoque circumfluebat. Poſt Hevilæ poſteros Iſmaelitæ hanc regionem occuparunt protenſam uſque ad Tyrum & Ægyptum, prout deſcribitur *Geneſ.* 25. *verſ.* 18. Sie (die Iſmaeliter) wohneten von Hevilah an, bis gen Sur gen Aegypten, wenn man in Aſſyria gehet. Alii deinceps eundum tractum occuparunt, ut Saulis Regis temporibus circa Ann. Mundi 2880. Amalekitæ eum tenebant, unde 1. *Sam.* 15. *verſ.* 7. legitur: Da ſchlug Saul die Amalekiter von Hevila an bis gen Sur, die für Aegypten liegt. Videmus adhuc eoſdem terminos quos apud Moſen, & ejus temporibus. Alius erat Hevilah, filius Jacketan, *Geneſ.* 10. *v.* 27. Erat vero Jaketan filius Eber, Eber vero filius Salah, Salah filius Arphaxad, Arphaxad filius Semi, Sem Noæ. Sex igitur generationes poſt diluvium numerantur, antequam Hevilah ſe generatione ſua propagavit, quas ad 180. annos extendo. Jam vero eorum temporum generationes longe diuturniores quam noſtræ fuerunt, vitam in plura ſecula producentes. Scriptura Sacra uſque ad Regu a diluvio numerat annos 131. duo anni effluxerant a diluvio, quando natus eſt Semo Arphaxad A. M. 1658. Annos habuit 35. Arphaxad, cum ipſi natus eſt Selah A. M. 2693. Salah quoque 30. annos, cum ipſi naſceretur Eber. A. M. 1723. Eber vero 34. annos, cum ipſi naſceretur Peleg. A. M. 1757. Peleg 30. annos, cum ipſi naſceretur Regu. A. M. 1787. Circa hæc tempora nati ſunt quoque Ophir & Hevilah Jacketano alteri filio Eberi, & adde 30. annos, quibus Ophir & Hevilah genuerunt, & patres familias evaſerunt, ſedes ſibi eligentes certas, & videbimus exire A. M. 1817. qui eſt Annus 161. poſt diluvium, & 60. poſt turbatam turrim Babylonicam, quo Hevilah & Ophiritica regiones auriferæ coli cœperunt, & nomen a conditoribus retinere. Notum eſt autem Semi poſteros verſus orientem colonias deduxiſſe, ut Japheti verſus occidentem. Hanc ob cauſam de Jaketani liberis ait Scriptura Sacra: und ihre Wohnung war von Meſa an, bis man kompt gen Sephar, an dem Berg gegen dem Morgen. Et notandum maxime, quod Hevilah proxime conjungatur cum Ophir altero filio Jacketani, quod nomen auro quoque præclarum eſt, & Ophiritas progenuerunt, loca illa inſidentes, ubi aurum colligitur optimum, quemadmodum de Hevilah regione pronunciavit Moſes, quam vicinam fuiſſe Ophiriticę non dubito, & binos fratres junctim habitaſſe, eademque terrę opulentia gaviſos eſſe. Hęc igitur potius eſt illa regio, quæ Moſe ſcribente, non vero ante diluvium, auri optimi fuit fœcundiſſima, non quod ibi foderetur, hoc enim non dicit ſacer textus, aurum enim pluribus modis colligitur, vel ex fodinis,

vel

vel extra fodinas, inter arenas, & in fluminibus, quæ pluribus in locis aurifera sunt, atque hac ratione aurum in regione Hevilah Mosis temporibus collectum judico, non vero illa. Vix enim fodinas Moses noverat, nec in sacro codice de fodinis ut ita dicam aliquid certi ante Maccabæorum tempora, 150. ante Christum annis, nec in Judæa quidem illas fodinas, sed in Hispania recensuit, quas Romani occupaverant, da man Gold und Silber gräbet. 1. *Maccab.* 8. *vers.* 3. Optime tamen illud consequitur, etiam ante diluvium, metalli fodinas exstitisse, ex quibus æs & ferrum effoderint, siquidem Tubalcain Lamechi filius ex Zilla, *Genes.* 4. *vers.* 22. ein Meister in allerley Ertz und Eysenwerck / vocatur, æs enim & ferrum officinam non ingrediuntur nisi prius effossa & purgata, adeo ut hoc opificium omnium fit antiquissimum. Sed hæ artes etiam cum antediluvianis perierunt, nec tam cito post diluvium resuscitatæ sunt. Deus ipse quando bona terrę Canaan Israelitis indicat, etiam metalla ibi cędenda (non fodienda) ex montibus præsto dicit esset, prout sal hodie Hispanicum cædimus non fodimus. *Deuteronom.* 8. *vers.* 9. Ein Land des Steine Eysen sind / da du Ertz aus den Bergen hauest / quibus verbis non solum metalla, sed copiam illorum insignem prodit, das sie sollen seyn wie Stein auff den Gassen. Hinc non mirum, quod Cananitis ferrati currus & lecti tribuantur in Sacra Scriptura: ferri enim illic incredibilis copia fuerit necesse est, ex qua metallorum fodiendorum & exercendorum insignem peritiam apud eas gentes quoque fuisse credimus. Optimam ejus terræ metalliferæ partem occupasse videtur tribus Asser expulsis Cananitis. Sic enim tribui bene dicit Moses *Deuteron.* 33. *vers.* 25. Eysen und Ertz sey an seinen Schuhen. h. e. tanta copia ferrum & æs exuberet, ut nullibi progredi possit, quin pedibus obicjiatur & conculcetur. De omnis metalli fodinis loquitur Hiob *cap.* 28. *vers.* 1. Es hat das Silber seine gänge / und das Gold seinen Ort / da mans schmeltzet. Eysen bringt man aus der Erden / und aus den Steinen schmeltzet man Ertz. Ecce quævis metalla fodere noverant illis temporibus, sed & gemmarum cunabula scrutari didicerant, ut ex *vers.* 6. patet: Man findet Saphir an etzlichen Ortern / und Erden-Klösse / die Gold ist. cum cœteris versib. seqq. plures terræ divitias in medium producentibus. Hodie plerumque ex fodinis aurum profertur magnis sumtibus, raro ex fluviis & arenis, quod olim frequens erat, eamque in rem *auri legulos* habebant, qui non erant fossores, sed manu legebant; quod aurum arrugia quæsitum; aut in massa, aut in baluca vocabant, unde Plinius *l.* 33. *cap.* 4. *Aurum arrugia quæsitum non coquitur, sed statim suum est.* h. e. excocto & puro simile. *Arrugia*, quasi auri rugia, id est scalptura, ubi aurum scalpitur, non effoditur, pergit Plinius: *Inveniuntur ita massæ, nec non in puteis, denas excedentes libras, alii palacrinas, idem quod minutum est balucem vocant.* Handgold. A. V. C. 567. M. Æmilio & C. Popilio Coss. metalla in Macedonia instituta, ut Cassiodorus scribit, & auri ac argenti metalla fuisse nemo dubitare potest, ita ut metalli Macedonicis ingens vectigal ad Populum Romanum rediisse Livius annotaverit *Dec.* 5. *l.* 3. Sed de auro in arenis lecto per Dalmatiam pergit Plinius: *Invenitur*, ait, *aliquando ia summa tellure, rara felicitate, ut nuper in Dalmatia principatu Neronis, singulis diebus quinquagenas libras fundens.* Argentum vix ita legi poterat, nec ita lectum ullibi legitur, quod ad eam maturitatem non adscendat aut protuberet ut aurum. In Illyricis maxima auri copia Romanorum tempestate, hinc diserte *comes Metallorum per Illyricum* audit, qui his metallis præfectus erat, & simpliciter in Occidente *Comes Auri*. In Oriente laudatur aurum Docimenum, & Troadense in Phrygia; & Proconense in Propontide, *l.* 9. & 11. Cod. Theodos. d. indulgent. debitorum. Quo etiam spectant χρυσεῖα περὶ τὴν Θρᾴκην, quorum meminit Plutarchus in Cimone, *pag. m.* 480. & 487. Pythes ille, qui Xerxis Persarum Regis ætate vixit, 480. ante Christum annis in auro fodiendo totus erat, & ingentes divitias collegerat, ut est apud Plutarchum de virtutib. mulier. *pag. m.* 262. Midas Phrygiæ Rex Gordii filius etiam longe prius, annis SC. 1301. ante Christum videtur metallis fodiendis incubuisse, quod auri tantam copiam congesserit, ut etiam vota superarit, nihil vitæ relinquens aut ullis studiis præter aurum, quod & Pythæ accidit; qui fabulam eandem egit & Midæ studia explicavit eodem successu. Cum enim fodiendis & purgandis metallis omne tempus omnesque colonos absumerent, agricultura cessabat, pecora deficiebant, pisces & aves non capiebantur nihil nisi aurum apponi poterat, quod latrantem stomachum male satiat, animum nunquam. In Germania sane, Taciti tempora respicienda, quibus ab auro & metallis quærendis supersederunt, ut aliena & peregrina ea tractantes, non ut sua, aut suæ terræ proventus, nec ante Henrici Aucupis

Imp. ætatem & Seculum X. quidquam de Germanicis metallifodinis traditum reperio: is prope Goslariam in monte Ramelo venas & mineras metallorum primus aperuit, inprimis argenti, quas hodierni Duces Brunsvicenses & Luneburgenses additis & perquisitis pluribus aliis continuant in Harticis montibus felicissime.

Hinc Chronicon vetus Saxonica lingua scriptum in membranis elegans Olai Larson civi Hafniensis *pag. 67.* Otthoni M. Henrici Aucupis filio fodinarum argenti primum usum tribuit his verbis: *He vvan oc allereresste dat sillever erce in deme lande to Sassen, undvvaret noch.* Alio forte loco quam Pater fodinas istas aperuit Ottho.

Seculo XII. & circa Ann. 1171. Misnica terra suas opes ostendere cœpit Otthoni Marchioni ejusdem, & quidem Fribergæ primum, tantumque argenti corrasit, iste Marchio, ut Divitis cognomen ipsi tribuerint. Paulo post in Mindensi Episcopatu circa Annum 1189. venas repertas legimus, quas Henricus Rex Roman. absente Patre Friderico I. ad Imperium pertinere debere edixit, 21. Mart. Circa Ann. 1200. Mansfeldenses venæ prope Hecstadium celebrantur, itidem argenti; nondum enim aurum quisquam in Germania foderat: sed Anno 1378. cum Cutnenses montes in Bohemia scrutari cœpissent, primum aurum inde provenit, argenti præterea ingens copia: quod non prohibet, quo minus aurum ex arenis prius legerint, quas Germania quoque noverat, ut apud Offredium legimus in libro ipsius Evangeliorum rythmico *pag. m. 18.*

Zi nuzze grebit man oub thar
Er in ti Kuphar
Jo bi thia Meina
Isinet steina
Oub thara zua fuagi
Silabar zinuagi.
Jo lesent thar in Lante
Gold in iro sante

Hæc antiqua Germanica hodierna sic explicantur.

Zu Nuzen gräbet man auch dar
Eck und Kupffer/
Ja bey dem Meine
Eisene Steine
Auch daselbst sehz offte
Silber Zur genüge.
Ja lesen dar im Lande
Gold in ihrem Sande.

Ex quibus Otfridi ætate, & Seculo nono, omnis generis metalla Germaniam effossa produxisse dicimus præter aurum; quod ex arenis colligebatur: adeo ut etiam Harticas terras & montes ante Henricum Aucupem fodinis & alimentis ac frugum copia celebres scripserit, si recte eum intelligo. Præcedunt enim hæc:

Iz ist filu feizzit
Harto ist iz givveitzit
Mit manigfaltan ehtin
Ni' st iz bi unsen frethin.

Quæ sic nostris verbis redderem:

Jetzt ist viel Reichthumbs Zeit/
Der Hark ist jetzt geweiket/
Mit mannigfalten Essen/
Nichtes jetzt bey unserm frieden.

h. e. Nichtes kan jetzt gleich seyn unserem frieden. A quo tempore Germani solertius his incubuerunt, ubique scrutantes, & diligentiam insignem adhibentes, initia enim ardua & operosa se dederunt, cum nondum illis operis & artibus adsuevissent. Nunc ingenia cœperunt addere, & his studere exquisitius & accuratius: unde Wolckensteinii in Saxonia etiam Ann. 1407. venas egregias argenteas detexerunt. Circa Ann. 1471. adhuc in Misnia Snebergenses venæ argenti reclusæ sunt, tantumque protulerunt fructus, ut 30. annis usque ad 1501. loco decimarum 70. milliones Electori Saxoniæ persolverint. Paulo post circa Ann. 1493. studia illa circa montes Misnicos magis etiam incaluerunt; plures enim venas & mineras argenti repertas legimus, Glashuttenses, Skreckenbergias, &c. vel Annæbergicas. Ex illo argento, nummos illos Schreckenberger Germania cœpit æstimare. Est mihi poculum insigne proavi mei manu aurificis paratum, quod ex meris grossis Schreckenbergicis conflatum memoriam illorum nummorum servat, qui tunc fuerunt puriores, cæterosque Grossos Misnicos præcellebant. Tunc quoque profecerant Germani in illis studiis metallicis, adeo ut quamvis diu ante Hispani, Galli, Itali, metalla tractassent, Germanorum tamen solertia omnes artes & studia populorum istorum vinceret, coactique sint a Germanis artifices & operarios, die Bergknapen, petere, quippe laboribus istis ferendis plus quam cæteræ gentes sufficiebant. Annæberga sane ex mapalibus suis Anno 1497. ob sui montis divitias in egregiam civitatem effloruit. Circa Annum 1509. fodinæ Mariæbergenses in Saxonia cognosci cœperunt; Sic illa Germania, quæ Taciti temporibus infœcunda metallorum habebatur,

tur, nunc abundat, variique generis argentum producit, auri parum. Daniæ quoque viscera sæpius tentarunt in metallis, sed hactenus non responderunt venæ, licet inventæ, laboribus. In Norvvegia ab anno 1623. Christiani IV. Regis liberalitate fodinæ ferri, æris, argenti floruerunt, adeo ut ditiora sint subterranea passim, quam frugibus & fructibus agri & sylvæ. Initia sane nummaria valde parca, quod etiam metalla parcius eruerentur, & serius, adeo ut legamus Belgas nummorum penuria urgente, raro nunc exemplo, rerum permutationem revocasse & publicis legibus sancivisse, Henrico Aucupe rerum potiente. At dici poterat in Septentrione ultimo propter frigus metalla deesse. Non obstant metallis frigora, nec eorum fœcunditati. Servatur hodie inter Regios Thesauros, Anno proxime elapso 1695. allata gleba purissimi argenti, ex Norvegicis fodinis, pondere 3529. semunciarum, cui similem hactenus Orbis nescit: exinde sane divitias ingentes harum fodinarum colligere licet. Initio non nisi argentum æri mixtum reperiebatur in his venis, ut patet ex Christiani III. Regis privilegio ann. 1539. d. lunæ post Corporis Christi Otthoniæ Sociis fodinarum concesso. Thun hiemit männiglich kund und zuwissen/ wie das sich durch miltväterliche Verleyhund Schickung Gottes/ verschiedene Bergwercke in unserem Reiche Norwegen scheinbarlich an den Tag gegeben/ und mercken lassen: Mann wir dann das daraus kommendes *Erk* durch viel Bergverständige zu verschiedenen mahlen haben probieren und versuchen lassen/ und sich befunden/ das solche Gänge sonders gut Kupffer und Bley/ welche sich mit Silber und anderem Metall augenscheinlich sehr Reich beweisen/ und sich dermassen eräugen/ das mit der zeit viel gutes daraus zu hoffen siehet/ &c. Ita quoque in der Bergordenung seq. anno 1540. ab eodem Rege constituta: Nach dem der Allmächtige Gott/ von welchem alles Gutes kompt/ unser Königreich Norwegen mit verschiedenen Herrlichen Bergwercken und Metallen an vielen Orten reichlich gesegnet/ insonderheit aber das auff dem Golmsberg, wie es genamt/ sich zeithero mit Silberreichen Kupfferen eräuget und fündig gemacht &c. Hactenus igitur puri argenti venæ non erant inventæ, quæ postmodum detectæ accesserunt, De suis stanni fodinis gloriantur Angli in Cornubia, ab initio mundi: nec ullibi prius stannum effossum credunt; successit Germania famæ, ubi anno 1241. inventum est stannum *primum & purissimum & copiosius* quam in partibus Angliæ: Germani, ut a divitiis & luxu diu remotissimi hæc non quærebant, avitam paupertatem, ut bonæ mentis sororem amplectentes, quam Septentrionales ipsos docuerant, quorum moribus vivebant. Ita quoque Septentrionales ipsi, nullum ob istud lutum lapidem moventes, ita ut licet quotidie thesauros ingentes pedibus calcarent, illi ne tollere quidem dignarentur: Mortuorum hæc esse primo bona sinebant, ut in *Valhalla* velut Heroes vivere possent.

CAPUT XXXVII.

De nummis Gallicis.

NON video, cui bono scripserit, Vir alias doctus, *Claudius Boutheroue* in Galliam nummos statim Noachi posteros secum intulisse, quando Galliam habitare cœperunt: & artem monetandi aliquando deperditam, deinde restauratam denuo, & primos nummos de corio factos esse, aut pecudis tergo, ideoque pecuniam dictam, quod nomen Gallicum esse Cassiodorus scripserit. Hæc enim omnia sunt ejusmodi, quæ nullo modo probari queunt, somniis, similiora & raptibus, quam sano judicio, quo res singulas expendere debemus. Neque enim hac ratione patriæ rebus consulitur, quam amore prosequi decet, sed vero, nec inanibus abripi, quibus patriam contemtui exponimus, illi nequaquam prosumus. Egregios quidem nummos veterum Gallorum producit Boutheroue a *pag.* 41. sed extendit nimis ætatem, & ante Romanos, dominos Galliæ, socios ac fratres, eos percussos nobis persuadere cupit. Sed fallit & fallitur; omnes enim quos attulit a Romanorum in Gallia temporibus cusos esse, Romæ effigies, quæ toties in nummis istis comparet, & Romanæ literæ, satis manifestum reddunt. Nullum plane observavi, qui non Romanis debeatur, illorumque coloniis in Galliam deductis, aut illorum autoritati, jus monetæ Gallis quæ concessit. Sub illorum auspiciis Eburovices, Aulerci, Dornacus, Rauraci, &c. memoriæ, tanquam Numinum gentis, nummos suos ediderunt & dicarunt. Ab illis temporibus, quando Galli Romanam majestatem comiter conservare cœperant, hi nummi sunt deducendi. Ipsa figura, & pondus nummorum istorum, simile Romanis hoc evincunt, nec video qua ratione ad anteriora tempora trahi possint, imo satis pelluceat, ante Romana arma Gallis proprios nummos cusos nullibi fuisse. Ubi enim cæsaries illa, illa barba immissa, quam omnes historiæ Gallis antiquis tribuunt? In nullo nummorum istorum apud Boutheroue hæc signa spectantur, nisi in longe paucissimis, sed Deorum Dearumque Romanorum effigies, hominum capita

pita more Romanorum tonsa, genæ rasæ & imberbes, quæ certo certius indicant, tunc cum hos nummos cuderent Galli, eos in Romanos mores & habitus transiisse. Hinc est, quod Diodorus Siculus referat de Gallis, scilicet, ejus tempore viventibus, quod quidam adhuc barbam raderent, quidam vero nutrirent, sed parce: & Nobiles quidem genas radere, barbam vero promittere, ut operiat corpus, ita ut edentibus barba repseatur cibo, & bibentibus, per canalem veluti, potus inferatur, quod sane non de omnibus Nobilibus intelligendum, sed de illis tantum, qui veterum morum tenaciores manserunt. Cæsar de Britannis loquens *lib.* 5. B. G. *cap.* 14. monet suo tempore eos omni parte corporis rasa fuisse, *præter caput & labrum superius*, capillum tamen promissum fuisse, ergo barbam inferiorem tunc non nutriebant. Barbam superiorem sane non diu est, quod & Francici deposuerunt, & nos cum illis, adeo ut nemo hodie ulla parte pilos nutriat, nec in capite, nec in mento, nisi Sacerdotes quidam, quibus hoc placet fere. Omnes historiæ veteres Francicorum de barbatis loquuntur, & statuæ Regum quæ supersunt, & genuinæ sunt, eos cum barba immissa repræsentant. In historia Patriarcharum Burgensium sub finem *cap. 66.* dicit Boutheroue *pag. m.* 385. hæc verba exstare: *A quo quidem tempore ad hæc usque nostra tempora Reges Franciæ longam nutrire barbam desierunt*, scilicet a Ludovico juniore, qui fuit Ludovici VI. seu Crassi filius, & regnavit ab anno 1137. ad annum 1180. Unde ergo in nummis plerique absque barba cusi sunt? an ut Romanos adhuc in nummis imitarentur, eorumque habitum. Nam id ex CONOB. quod sæpius in Francicis nummis & in Romanis legitur, manifestum fit, & præcipue ex Theodeberti nummis, *pag. m.* 230. qui nihil Francici habent, sed ad mores Romanos excusi sunt, ut apud Hemelarium Theodosius, Arcadius Leo, Julius Nepos, Zeno, Anastasius Imperatores, eodem fere tempore viventes, sculpti in nummis exstant. Aliam sane causam adsignare non licet, Nummi enim harum gentium Romanizant, & eorum lingua loquuntur, ideoque habitu oris quod consentiant mirum non est, licet Francico habitu & comati revera essent & barbati, qui sic in nummis præfigurabantur. Num nosse vis quales Gallis fuerint nummi ante Romanorum mores & monetas constitutas? adi Cæsaris commentarios ubi loquitur de Britannis; is Te docebit, se adveniente Britannos ære, & ferro minimo usos, hoc est, in particulas minutas & minutissimas concisis metallis istis, quas secundum pondus examinatas in emtionibus & venditionibus adhibentes erogabant, idque eos a Britonibus Aremoricis, unde exierant, Britanniam occupantes & nominantes didicisse & attulisse. Britones autem, unde hæc habuerunt? Non est, quod dicere debeamus ab aliis quam a Gallis cœteris, unde nec monetæ nec nummorum nomine talia Cæsar dignatus est. Respiciunt hæc locum Cæsaris *lib.* 5. B. G. *cap.* 12. *ære utuntur importato:* & paulo ante: *utuntur aut nummo æreo, aut annulis ferreis*, (prout quidam codices legunt) *ad certum pondus examinatis pro nummis*. Ex quibus observare licet varias hujus loci lectiones esse, quas videre licet in manuscriptis & editis. Certum tamen est eis nummos nullos fuisse signatos aut cusos, unde illam lectionem maxime probo, quæ *ære minimo illos uti* habet, non *æreo nummo*. Et ex tot variantibus istum locum sic restituendum video. *Utuntur aut minimo ære, aut laminis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummis*. Aurum omittimus, quod neque argentum illis tunc in usu. Æs importabatur, ideoque in minimas partes illud redactum sibi pro nummis servire fecerant, ferrum, quod penes ipsos nasceretur, ut ait Cæsar, in maritimis locis, in laminas aut lamellas diducebant liberalius, quam in ære, quod ejus promtior ac major copia esset. Nec Cæsarem facile sic locutum esse judicare possumus, *utuntur nummo æreo, pro nummis*, cum nummus æreus non sit pro nummo, sed nummus verus. Hæc igitur origo aliqua nummorum apud Britannos, qui etiam prius quam illas particulas æris & ferri pro nummis adscivissent, contenti fuerant permutationibus mercium, & pecudibus emenda emere, prout Galli & Germani, quos iidem mores commendant, nisi quod Germani metalla serius tractasse legantur, insulares enim homines αὐτόχθονες nequaquam fuerunt, sed ex continente semper in insulas propagati cum patriis moribus accesserunt. Ex Scaligeri emendatione locus apud Cæsarem sic se habet. *Utuntur aut æreo, aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo*. Eodem res recidit, sive taleas, sive lamellas legas, nisi quod Cæsaris styli puritas *taleas* vix admittat, sunt autem *taleæ* proprie virgulæ in minutas partes concisæ, ex ramis arborum desumtæ, quales in sortium usu veteribus fuerunt. Sic apud Varronem, Columellam & Plinium *taleæ & taleolæ* leguntur plantationibus servientes

tes: pro lamellis autem metalli taleas illis Seculis usurpata non observavi, est Celtica vox sua origine, in Latinam assumta, ut alias docui. Græci proprie tales laminas & lamellas κόμματα & κέρματα vocarunt, quæ sic concidebantur ex majoribus frustis, ac loco nummorum valebant. Et dum æs importari dixit Cæsar, etiam nummos æreos, non in Anglia cusos, sed aliunde importatos intelligimus, quod etiam indicat Boovicę nummus, adhuc ex ære signatus, qui exstat apud Boutheroue *pag. m.* 67. quamvis tunc temporis Romanos secum haberent, in nummis fabricandis peritos, ut illis deesse non potuerint in Britannia cusi. Ante Cæsaris adventum autem ex Belgio & Gallia nummi tales afferebantur. Nam ex Belgio multi transierant, qui maritimas partes Britanniæ incolebant, *& omnes fere iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, atque agros colere cœperunt*, ut scribit Cæsar *eod. cap. & cap.* 14. *Cantium incolunt quæ regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine*. De annulis ferreis quod ait, Sinenses adhuc & Japonenses etiam annulis plumbeis in moneta utuntur, quorum magnum numerum funiculo indunt, & secum gestant ad usus quotidianos, quin & æreos & aureos & argenteos rotundos habent, quorum medium foramine quadrato patet tam amplo, ut alia moneta quadrata, & conveniens isti foramini, cum opus est, indi possit, & arcte claudi; ita ut veluti annulos repræsentent patentibus foraminibus, & monetam foraminibus clausis. Britanni vero, ut alii, tam hos quam reliquos nummos ad pondus examinabant: & dum plumbi alibi Cæsar ibi meminit, etiam annulos stanneos pro nummis fuisse in mediterraneis, ubi nascebatur, nullum est dubium, quemadmodum ferreis usi sunt in maritimis. Verum est igitur, quod Agathias dixit, de Gallis, eos in omnibus Romanorum mores imitatos esse, ubi primum curæ fuit eos addiscere, ergo etiam in monetis aliquando per Romanos profecerunt.

Nam nec auri vel argenti quondam eis notitiam fuisse Posidonius innuit apud Athenæum *lib. 6. cap. 4. pag. m.* 233. donec aliquando Alpes αὐτομάτως ὕλης ἐμπρησθείσης ἀργύρῳ διεῤῥύη. Quamvis enim Tubalcain μεταλλεύειν optime noverat, Scriptura Sacra indicante, hoc tamen populis dispersis & amplificatis non statim perpetuum fuit, quoniam metalla magnis laboribus eruuntur, nec cuivis facile obvia sunt. Quidquid vero sponte sua metallorum exuberabat, aut exsudabat, ut in fluminibus ψήγματα; hæc quia lavando nulloque labore purganda se offerebant, colligebantur, ut de Celticis populis idem Posidonius ibidem tradit, & non omnibus tamen, sed τοῖς ἐπακτίοις solis. Δέγματος μὲν οὖν χάελον, ἐπείπερ ἐπιπόλαιον αὐτῶν ἐςὶ τὸ γένος, ἔγ᾽ ἐν ταῖς ἐσχαταῖς τῆς οἰκουμένης, καὶ ποτάμια τὰ τυχόντα ψήγματα χρυσοῦ καταφέρει, καὶ ταῦτα γυναῖκες καὶ ἄνδρες ἀσθενεῖς τὰ σώματα σὺν τοῖς ἄμμοις ὑπαψύχοντες διϊςᾶσι καὶ πλύνοντες ἄγουσιν ἐπὶ τὴν χώνην, (φησὶν ὁ ἐμὸς Ποσειδώνιος) ὡς παρὰ τοῖς ἐπακτίοις, καὶ ἄλλοις τισὶ τῶν κελτῶν. Quorum verborum mens est, Celtas in ultimis orbis partibus habitantes, aurum, aut argentum, aut alia metalla non fodere, nec eruere, quod hic nimis operosus labor sit, sed si quid in superficie terræ se sponte offerat, aut ex fluminum arenis corradi possit, hoc illos purgare, lavare, & ad fusores deferre, ut habeant, quod ostendant magis, quam quo utantur. Hoc enim significant illa verba δέγματος χάελν, non vero, prout interpretes reddiderunt; *exempli causa*, quod isto loco plane incongruum. At quod addit de Riphæis montibus, qui deinde Olbii, & tandem Alpes dicti sint, qui argento fluxerint aliquando ex incendio sylvarum, hæc Posidonii errorem arguunt; Alpes enim his metallis fœcundos esse, & Riphæos fuisse, nec olim nec hodie fuit observatum. Scordiscos deinde ex Gallis oriundos, & Athenæo κορδιςὰς dictos, monet, quod ἀφωσιώκασι τὸν χρυσὸν, καὶ οὐκ εἰσφέρουσιν εἰς τὰς πατρίδας, δι᾽ ὃν πολλὰ καὶ δεινὰ ἔπαθον, ἀργύρῳ δὲ χρῶνται, καὶ τούτου χάειν πολλὰ καὶ δεινὰ ποιοῦσιν, paulo ante dixerat: χρυσὸν δὲν οὐκ εἰσάγουσιν εἰς τὴν αὐτῶν χώραν, λῃϊζόμενοι δὲ τὴν ἀλλοτρίαν καὶ ἀδικοῦντες οὐ παραλείπουσι. Quo ergo transferunt? num ut Lacedæmonii aliis servandam prædam tradiderunt? Illud sane colligitur Gallos & Celtas eo tempore nec aurum nec argentum nummis ullis, sive cusis, sive non cusis, attribuisse, sed ostentationis causa servasse.

Verum est etiam Francos, devictis Gallis, Romanorum etiam mores in quamplurimis retinuisse ab Ann. Chr. 420. circiter, quo dominari cœperunt, & inprimis monetas, quod eas meliores facere nescirent, sed etiam retro sublapsi multum Romanis in hac arte inferiores se præstarent, & a veteri nummorum elegantia recederent. Et prout Franci in Gallia, sic quoque Visi-Gothi in Hispania Romanorum mores in monetis observarunt, quod eorum solidi & tremisses aurei qui supersunt satis ostendunt, qui pondere sunt eodem quo Romanorum,

rum, Solidus, 84. Semissis, 42. Tremissis, 28. granorum. Et enumerat Boutheroue Reccaredi aureos ab anno 587. Recefwinthi, Witerici & Ervigii, usque ad annum 686. qui tali pondere aureos cuderint *pag. m.* 179. Sed cur Meroveo Regi, qui ab anno 448. regnum tenuit, illos, quos tribuit nummos, tribuerit, nullam causam addit. Non enim Meroveo magis congruunt, quam Pharamundo aut Clodioni, nec nomen Merovei in illis legitur, nec coma illa in humeros effusa, a qua laudatur, indicium facit: sunt enim capilli in binis illis, quos adduxit, admodum tenues & curti. Nulla sane indicia quidquam ostendunt aut loquuntur, quod Merovei magis sit, quam aliorum Regum. Ita quoque de Clodovei nummis sentire licet, & de pluribus aliis, quos Regibus adscripsit, & supposuit conjecturis indulgendo.

Elegans tamen nummus Mauritii Imperatoris circa ann. 602. cusus ex auro puro tremissis, pondere 28. granorum, descriptus a Carolo du Fresne in Byzantina historia, & a Boutheroue quoque, *pag. m.* 136. docet Viennæ eo tempore officinam monetariam exstitisse, & Romanam coloniam Romanos ibi mores exercuisse. Habet iste nummus caput Imperatoris diadematum, & inscriptum D. N. MAVRI-CIVS P. P. AV. In aversa signum Christi ostenditur, & circumscriptum ✕ VIENNA DE OFFICINA LAVRENTI. Multa nos docet iste nummus, tam de monetæ domo Viennæ erecta, quam de monetario, ex cujus nomine Christianos tunc fuisse cives Viennenses colligitur, ut etiam ex signo crucis Christianæ incusos, quos ad Avares aut Hungaros spectasse, ut credit Boutheroue, non docet hic nummum, cum Avares tunc pagani fuerint. Ideoque recte satis docti Viri sentiunt, qui hunc nummum suspectum habent, aut minus recte lectum & intellectum credunt. Neque enim Viennæ Gallicæ, nec Viennæ Austriacæ eum ullo modo Mauricii Imper. ætati convenire posse satis viderunt. In Francia cusum istum nummum certo certius est, hoc enim habitus & typus, prout illum Boutheroue expressit, per totum indicant. In Romanis figuris anterius caput prospicit, & hastam humero dextro impositam habet, scutum lateri sinistro affixum, ut videre licet apud Hemelarium *fig.* 7. *tab.* 64. diademate quoque clauso ibi exhibetur. At in hoc nummo caput ad dextram aversum diademate duplici ex unionibus cinctum tergum fere obvertit, & scutum in dextro latere gestat, quod millies in Francicis nummis errore sculptorum observamus, in Romanis non item, quia fuerunt accuratiores artifices. Jam vero etiam in aversa parte cum orbe subjecto crux apparet, quæ quoque nota est Francici nummi, cum in aliorum nummis non ita frequenter illam videamus ac in Francicis. Et tamen quomodo D. N. MAVRI-CIVS P. P. AV. in isto nummo legatur, plane quemadmodum in altero nummo apud Hemelarium jam laudato, conciliare non possumus. Nam & in aversa istius Hemelariani nummi Crux nominis Christi in orbe subjecto requiescit ☧ binis stellis ad latera additis, & ambit corona laurea ita ut fere similes sibi hi nummi sint. Num igitur dicendum Viennam Delphinatus eo tempore adhuc Imperatores Romanos spectasse? Quamvis enim Delphinatus ad Regnum Burgundiæ pertinuerit, & eam provinciam Guntchramus etiam post mortem patris Chlotarii sortitus sit, & usque ad annum 592. dum vixit, tenueris, hocque satis constet, haud tamen de Vienna Scriptores se satis explicarunt, cuis fuerit; Gregorius Turonensis *lib.* 8. *c.* 39. testatur Cuntchramum Burgundiæ Regem circa ann. 586. Evanthio Viennensi Episcopo mortuo substituisse Virum, qui ex familia Senatoria fuerit. Romani enim coloniam eo quondam deduxerant, & Senatoriam appellarunt, quod multi ex civibus & colonis Senatores Romæ fuissent. Vienna igitur eo tempore ad Gallos & Francos pertinuit; Mauritius ab anno 582. ad 603. Imperator fuit Guntchramus Rex Burgundiæ ab ann. 575. ad ann. 594. Vixit igitur Rex cum Mauritio Imp. Sed hoc quæritur, an non Vienna subinde Imperatores agnoscere coacta sit, & sæpius ad Francos, sæpenumero etiam ad Romanos redierit, Ducibus Imperator. Gallias, cum potuerunt, infestantibus, & vetera jura urgentibus, ut Francis eriperent quidquid possent. Vienna enim ad provinciam Romanorum in Gallia, quæ inter Rhodanum Helvetios & Alpes tendebat diu spectabat, antequam Julius Gallos reliquos devicit. Et postquam Gallia Francicis cessit, Rhodanus Romanorum & Francorum imperia divisit; adeo ut Romanorum provinciæ Rhodano vicinæ non semel Viennam quoque trans Rhodanum occupaverint, & in sua jura transire fecerint. Hunc tractum sæpe Cæsar in commentariis suis Provinciam, & Provinciam nostram h. e. Romanorum, appellavit, unde hodienum ejus pars PROVENCE per-

pergit appellari, quod κατ' ἐξοχὴν Provincia Romanis dicta sit, illudque nomen Francici retinuerint, Domini facti. Aut ut verius dicam Vienna ad Provinciam Romanorum non pertinuit, sed sibi relicta Romanos tamen dominos comiter agnoscebat & observabat. Egregie Cæsar *lib.* 1. B. G. *cap.* 45. rem exprimit, ante Cæsarem scilicet *Arvernos & Ruthenos*, quorum Vienna caput, *superatos esse a Q. Fabio Maximo, quibus Pop. Romanus ignovisset, neque in Provinciam redegisset, neque stipendium imposuisset*. Sed vix hæc ad Francicorum tempora per Gallias trahi queunt, nisi Imperatores jura vetera, quantum potuerunt, sibi servasse tunc etiam intelligantur. Quin Mauritius hoc quoque tentarit & egerit, ut prædecessores sui, dubitari nequit, atque hac ratione Vienna aliquanto tempore recuperata Mauritii Imperio parere potuit, cum in his multæ vicissitudines occurrant. Nam quod statuit du Fresne, Ghildebertum Austrasiæ Regem in honorem Mauritii hunc nummum cudi permisisse, recte responderunt cœteri, hoc contra Majestatem Regum fieri, si factum fuit; quod verissimum est. Hos igitur nodos solvere non licet aliter, quam ut prius monere cœpi. Nam & Childebertus post Guntchramum Burgundiam tenuit ad Ann. 600. & Theodoricus ejus filius Mauritio adhuc vivo, sub quibus multa infesta quoad Viennam geri potuerunt, unde Mauritio Vienna aliquantisper subjici potuit, licet hoc taceant Historiæ quas hactenus legi, ideoque insistere nolo. Sufficit Francicum nummum esse, quod probavi, ideoque ad Viennam Delphinatus pertinere, non ad Viennam Austriæ, quocunque tandem modo Mauritii Imp. nomen præferat, quod non est ejus momenti, ut Francicum nummum Francicum non sinat esse. Ulterior probatio, nummum hunc Francicum esse, peti potest ex formula OFFICINÆ quæ etiam occurrit in Francicum esse, peti potest ex formula OFFICINÆ quæ etiam occurrit in Francico nummo Lugdunensi nomen Juliani Imp. præferente cum inscriptione OFFICINÆ LVGDVNENSIS in aversa, qui propterea Lugdunensis non desinit esse, quod Julianum Imp. præscripserit: quamvis tunc Imperatoribus Gallia fere paruerit Seculo 4. Francicis nondum eam tenentibus. Sed longe alienius est illud, quod Radulphus de Diceto ad Annum 1186. de Viennensi Archiepiscopo tradidit, quod coronaverit Fridericum, ut ego intelligo, Imperatorem, *pag. m.* 518. nam de Imp. Friderico paulo ante locutus est, nec alium Fridericum nominavit. Quid vero Imperatori tunc cum Viennensi Archiepiscopo, & ejus coronatione? Hæc mihi quis edisserat meque doceat, ut tandem quodnam Imperatoribus Romanis jus ad Viennam fuerit, cognoscere possimus. Fridericus Imp. sane quatuor diademata & coronas imponi sibi curavit ob 4. regna, quæ nominat Radulphus de Diceto *pag. m.* 601. Longobardicum, Bajoaricum Austrasiæ & Burgundicum, quod hereditate ad Fridericum erat devolutum, adeo ut eo nomine Viennæ ab Archiepiscopo coronam acceperit, hacque ratione ad Imperium pertinuerit, regnum jam anno 1178. Burgundiam constituens, cujus Metropolitana erat Vienna civitas. Ante hæc tempora, *multis retro temporibus usque nunc suppresso Regis nomine, per Comites administratum, nomine dotis non est dubium accrevisse*. Hac igitur ratione Burgundia regnum est factum & ad Imperatores diu pertinuisse videtur, & ad Imperium, etiam per Comites administratum. Idem Viennensis anno 1186. Fridericum Imp. Longobardica corona Mediolani cinxit VI. Kal. Febr. ut legimus apud eundem Scriptorem *pag. m.* 629. Sed quomodo Mauricii Imp. ætate ad Imperium Romanum spectaverit & Burgundia & Vienna, nondum reperio. Hæc igitur propter nummum Viennensem dicta sunto.

CAPUT XXXVIII.

De Nummis Germanicis & Septentrionalium.

Tacitus German. *cap.* 4. Germanos, Serratos quidem & Bigatos illos Romanorum amasse scripsit suo tempore, quod de Germanis Rheno proximis intelligendum, non de interioribus; sed de propriis eorum nummis tacet, quod nulli plane fuerint. Hæ sunt illæ formæ pecuniæ Romanæ, quas Tacitus Germanos agnoscere & eligere dixit paulo ante: *formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, atque eligunt: interiores simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur*, ut verum esse appareat proximos Romanis Germanos pecuniam Romanam accipere didicisse, cæteros Germanos remotiores eorum cura non fuisse infectos. Non minus Insubrios & Comenses argentum bigatum coluisse & collegisse scribit Livius *lib.* 33. *cap.* 37. dum Marcellum in triumpho suo ab iis reportasse memoravit argenti bigati 234. millia, subintellige, denariorum, bigis signata: ita quoque *lib.* 36. *cap.* 40. de Bojis loquitur, quod ab iis multos denarios bigatos Roma-

mani Duces tulerint, & *lib.* 34. *cap.* 10. & 11. Signati Bigatorum 17023. L. Bantio Equiti Nolano bigatos 500. Quæstorem ſolvere jubet Dux A. V. C. 537. faciunt illi bigati marcas Lubecenſes noſtras ducentas. Ex quibus non ſolis Germanis & Septentrionalibus bigatos nummos ac denarios, ſed omnibus fere expetitos docemur. Nam quia Romani fere ſoli nummos in occiduis his partibus cuſos tractabant, iique Inſubribus, Bojis, Gallis Germanis proximi erant, ab ipſis nummos ſumebant, licet ipſi nummos non cuderent. Idem de quadrigatis ſtatuendum, quorum Livius quoque meminit *lib.* 22. *cap.* 52. quod Hannibal meris quadrigatis captivos æſtimaverit, A. V. C. 537. qui ſunt 214. anni ante Chriſtum, Romanum ſcilicet trecentis quadrigatis, ſocios eorum ducentis, & ſervos centenis, quaſi Pœnis bigati non placuerint, ſed quadrigati ſolum. Sic Francici peculiari vocabulo nummos duarum imaginum, una ſuper aliam expreſſa, *Bajoire* dixerunt, Romanorum, ni fallor. At ridicula mihi videtur vocis iſtius originatio, quam tribuunt, quaſi ſit *baiſoir*, ab oſculando, quod videantur tam arcte junctæ imagines, ut ſe invicem deoſculentur. Et quamvis ego non poſſim hariolari, unde aut quando vox illa prodierit, illam tamen etymologiam recipere nequeo, quod minime omnium apta ſit, nihilque de oſculis illi vultus promittant. Nam quomodo Ludovicus & Carolomannus aliique qui in nummis hujuſmodi repræſentantur, capitibus junctis oſcula cogitaſſe dicemus? Hoc autem cernimus, Francis illos nummos præ cæteris placuiſſe, ut ſerratos, bigatos & quadrigatos aliis.

Sero mores illos & animum mutarunt, tunc cum mortuis etiam hos theſauros eripere cœperunt. Monetæ domos in Germania vix ante Carolum M. obſervare licet; niſi quod Romani Argentorati videantur habuiſſe & Treviris, ſed ad Gallias hæc potius ſpectabant, quam ad Germanos; qui Romanos undique repellebant, illorum artibus ſpretis & rejectis. Non ſpernere debemus illud, quod in monumentis & noſtris & Anglicis omnes opes & divitiæ per *fee* exprimantur & per pecudes. In his enim majoribus noſtris non parva cura, Germanis itidem ut Gallis. Cæſaris tempore de Germanis hoc obſervatur ex *cap.* 21. *lib.* 6. B. G. *Agriculturæ non ſtudent, majorque pars victus eorum, lacte & caſeo & carne conſiſtit*, ex pecoribus ſcilicet quæ paſcebant, & feris quas mactabant. Sic *lib.* 4. *c.* 2. indicat, Mercatores ex Gallia jumenta Germanorum coemere, quibus maxime Gallia delectatur, quæque impenſo parat pretio. Jumenta hic de equis intelliguntur non de bobus, unde equam adhuc Galli & Francici *jument* vocare perrexerunt. Sic quoque Cæſar *lib.* 7. *c.* 11. & 12. ubi vide. Pergit Cæſar dicere, quod Germani importatis equis aut jumentis non utantur. Sed quæ ſunt apud eos nata prava & deformia, hæc quotidiana exercitatione ſummi ut ſint laboris efficiunt ſicque Gallis vendunt. Sed nolo hæc perſequi, ne prolixus fiam, ſufficit hoc dicere *fee* illorum tandem ad nummos, interque eorum præcipua nomina translatum eſſe, hinc *feodum* poſſeſſio fundorum & divitiarum. Tandfee/ nummi aut dona, quæ dabantur infantibus, cum primos dentes emitterent, that *meldefeoh* apud Anglos, Germanis Jindelgeld; antiquis Danis *Sittefæ*, *pecunia indicationis & delaturæ*, ut eſt in legibus Inæ Regis *art.* 20. apud Bromtonum *pag. m.* 703. & in legibus Edmundi *pag. m.* 858. *Elmesfeoh*, Allmibengeld/ pecunia eleemoſynis dicata. Sero igitur metalla placuerunt vivam pecuniam habentibus.

Sed Germanis nummos non fuiſſe etiam hoc evincit, quod Tacitus dicit Germ. *cap.* 25. *Fœnus agitare & in uſuras extendere ignotum* Germanis, & cum Germanis etiam Septentrionalibus, nam & horum mores ſub Germanico nomine complectitur, ut patet ex *cap.* 45. dum poſt Suionas & illis conterminos Sitonas, qui ſunt Sueci & Norvegi, Sueviæ finem ponit. In fœnus autem & uſuram nummos dare non potuerunt hi populi, quod nummis adhuc carerent, & permutatione mercium uterentur, quarum fœnus & uſura non datur, cum ſint non niſi in nummis mutuo datis. Saltem eo tempore in mercibus uſuræ non repertæ fuerant. Hinc gloriatur Anglia ad Annum uſque 1229. ab illis Harpyiis immunes ſibi provincias fuiſſe: tunc vero Stephanum Capellanum Papæ Roma miſſum ad exigendas decimas, ejuſmodi homines Lombardos & Uſurarios ſecum adduxiſſe, *qui mercatores ſeſe appellabant*, *fœneratores nequiſſimos*, *uſuram ſub nomine negotiationis palliantes*, ait Matth. Pariſ. *pag. m.* 362. Intelligendum hoc non de uſuris pecuniæ & nummorum, quæ tunc leges acceperant certas, ſed de pignoribus, quæ cogebantur nummis indigentes, eoſque mutuo ſumentes his uſurariis tradere & obligare, ut hodie paſſim fieri ſolet; niſi enim tempore præfinito redderentur mutua, in commiſſum pignora cedebant, & miſeri homines rebus ac facultatibus ſuis evertebantur: unde addit

dit hoc ἐπιφώνημα Hiſtoricus dictus: *Ex eo tempore non defuerunt in terra Anglicana quidam tranſmontani, qui ſe mercatores nominant, uſurarii impiiſſimi.* Magiſtratibus tandem ſubeſſe & legibus coerceri cœperunt, poſtquam fraudes eorum nimiæ prolatæ ſunt in lucem. Ex Lombardia plerique ad alios has artes transtulerunt, ut nunc fere nulla civitas *Lombardis* publicis careat, ubi in uſuras nummos mutuo ſumunt pignoribus poſitis. In Dania quoque eadem negotiatio publico commodo exercetur, ſed odioſum illud Lombardicum nomen domus illa depoſuit, & ab adſiſtendo pauperibus Aſſiſtentiæ Hüs cœpit dici. Uſum ſuum hæc negotiatio habet in vita communi, modo abſit αἰσχροκέρδεια illa, cui ſe alligarunt primi illi autores, cum pulviſculo ſcrinia aliorum everrentes. *Caurſinos* eos vocat *pag. m.* 418. idem Scriptor ad Ann. 1235. ubi de eodem fœnore illicito & inaudito verba facit.

CAPUT XXXIX.

De Nummis non cuſis recentiorum.

Κέρματα non cuſa quoque Sinenſe & Tunquinenſe regna adhuc obſervant, ſine ulla inſcriptione aut ponderis & valoris, aut alia. Producit Tavernier *dans ſes voyages pag. m.* 648. informia quædam fragmenta argenti *figur.* 3. quæ valere poſſunt 59. *ſols* 8. *deniers & qui peſent ſix gros & demy & 23. grains. Les autres morceaux tant gros que petits valent à proportion ſelon leur poids. Dans les grands payements, on ſe ſert de lingots qui valent juſques à cent francs: & ils ont auſſi de petits morceaux d'argent, qui ne valent pas un ſol. Quand on achette quelque choſe, ſi l'on n'a pas des morceaux juſtes pour parfaire le payement, ils ont touſjours des inſtruments preſts, pour couper d'un gros morceau ce qu'il faut pour achever la ſomme.* Hæc ideo referre debui, ut quomodo Sinenſes in nummis more vetuſtiſſimo ſe gerant, illumque hactenus retinuerint, cæteris pertinacius, appareat. Eo fine Sinenſes pecuniam aut expendentes aut recipientes nunquam ſine lance reperiuntur aut ponderibus, quibus ſolis nummos faciunt, in domo ſua quilibet, nihil enim publico debetur ob hæc numiſmata. Adducit quidem idem Scriptor maſſas auri majores, quas *pains d'or* Sinenſes vocant, Hollandi vero Goldſchupt quod inſtar navigii ſit formata maſſa, valorem 1350. marcarum Lubecenſium attingens, minores maſſæ minorem numerum faciunt. Hæ quidem maſſæ quibuſdam literis Sinicis notatæ reperiuntur, ſed an publice vel privatim eas inſcriptiones acceperint, nemo nos docuit. Haud tamen ſine cauſa inſcriptas illas cenſeo, cum multæ fraudes ſub iſtis maſſis laterent; unde has inſcriptiones additas credo, indicantes probe examinatis dolum nullum ſubeſſe. Adeo tamen non creditur his inſcriptionibus, quin venditor tales maſſas recipiens, illas per medium ſecet, & rimetur, num fraudibus ſolitis ſcateant, tertiam enim partem cupri intus abſcondere, & fallere vendentes amant. Japonenſes habent etiam tales maſſas argenti loco nummorum valentes, variis notis inſignes uſque ad pondus octo unciarum, vel 24. marcas & decem aſſes Lubecenſes, quas attulit *p.* 651. quæ maſſæ valent juxta cum aliis nummis cuſis *Coppans* ipſis dictis, docent que primos & vetuſtiores nummos in his lingulis & maſſis rudibus conſtitiſſe, priuſquam ad monetas & ſculpturas publicas redacti fuerunt. Suſa provincia Regni Feſſani in Africa haud aliis nummis utitur quam aureis, prout e fodinis extrahitur aurum, ſine moneta, ſine inſcriptione, ne purgato quidem auro. Sic etiam ferreos nummos pondere unciæ ſingulos adhibent, ubi quid parvo pretio emitur, & aurum ἀποκερματίζειν cupiunt, qua de re vide librum Gallicum *des Etats, Empires, Royaumes* &c. *pag. m.* 839. Ad littus Ginni vel Guineæ provinciæ, quod propter auri abundantiam die Goldküſte vocamus, ubi *Capo Corſo* & Danici Regis Auguſtiſſimi munimenta *Fridericoburgum* & *Chriſtianoburgum*, referente Joh. Mollero Sacerdote Societatis Danicæ Guineenſis in deſcriptione *Fetu* Germanica ſita ſunt, licet auri ſatis ſit, moneta tamen nulla cuditur, ſed facto & infecto auro merces emuntur, quo ſine ſemper bilancem geſtant, in qua fabis rubris nigriſque aurum expendunt. De Abyſſinis idem habet Boterus *pag. m.* 140. *Non ſi uſa moneta battuta per il paeſe, ma pezzi d'oro, ed alcune pallotte di ferro, maſſime in Angote*, & poſtea addit: *ſi ſpende anco l'oro ma a peſo*. Et nequis erret, quaſi populi barbari ſolum, qui aurum & argentum vix fodere norunt, aut metalla tractare, hac ratione ſine moneta publica cuſa nummos habuerint, moratiſſimos enim Judæos, ritibus & legibus & moribus cœlitus imbutos, eadem ratione in nummis verſatos eſſe docuimus, & nunquam, aut ſero, animum applicuiſſe. Jungamus Sinenſes populos politiſſimos, in hunc uſque diem aureis & argenteis non ſignatis ſemper uſos reperiemus. Haud enim mores nummos ſigna-

gnatos produxerunt, sed leges contra mores pravos scriptæ, publicum signandi usum introduxerunt. De incolis regni Congo Francicus Scriptor in libro suo *des Etats, Empires, Royaumes &c.* Sic scribit *pag. m.* 828. *Ceux de Congo usent des coquilles au lieu d'or & de monnoye, & font avec cela tous leur traffics*, & paulo post: *Toutes choses s'achettent avec ces coquilles, mesme l'or, l'argent & les vivres. Au reste, non seulement on oste l'usage de la monnoye d'or, ou de quelque autre metal en ce Royaume, (car on use de mesme comme j'ay dit en tous les estats du Roy de Congo) mais encore en d'autres endroits d'Afrique, & au Royaume de la Chine, & en quelques lieux des Indes. Car en l'Ethiopie l'on donne du poivre au lieu d'or & de l'argent monnoyè, & au Royaume de Tombude près la riviere de Senega on donne des coquilles de la mer*. Hæc conchylia sunt exiguæ magnitudinis, masculi tamen & fœminini generis, inter quæ fœminea nitore suo prælucent. Ex mari protrahuntur in insula Loanda, ubi mulieres descendentes paulum a littore, sabulo implent corbes, & in terram ejiciunt, ex quo conchylia deinceps ista colligunt; Superius idem autor vocat hæc conchylia coloris grisei & *fort luisantes*, quæ in aliis littoribus captis multum præferuntur. Ex his conchyliis nummariis depinxit unum Tavernier in suis itineribus & tabulis nummariis adjectis *pag. m.* 630. quæ sunt ejus magnitudinis ut nobis sunt capita anguium Snakenkoppe vulgo dicta. Indis vocantur *Cori*, & afferuntur Mogolitanis ex insulis Maldivis, ubi capiuntur, addit, quo quis propior mari & insulis Maldivis degit, eo plures *Cori*, at quo remotius, eo pauciores dari, unde in aliquibus locis 60. *Cori* valent unam *Pecham* æream minorem, in aliis remotioribus non nisi 50. pecham constituunt. Est vero *Pecha* ærea ad nostram monetam 6. denariolorum Lubecensium prope seu semissis. Hæc est *Pecha* minima, dantur enim majores, maxima est duorum assium Lubecensium, media unius assis Lubecensis, tertia semissis Lubecensis. Vidi tamen ex Africa Conchylia longe minora candida; eundem usum Africanis præstantia nummorum, quem *Cori* Mogolitanis præbent. Ut autem piper apud Æthiopes nummi loco est, sic Amygdalæ quædam certæ apud Gusuratenses Indos: quas dicit Tavernier afferri ex Ormuz & desertis regni Larensis. *Ils en donnent vingt pour le Mamoudi* (lege, *quatre vingt*): *&* 40. *amandes pour le Pecha, quelques-fois on en a* 44. *selon la quantitè qu'il en vient, car comme il y a des anneès, que les arbres ne rapportent rien, alors cette monnoye rehausse de beaucop en ce pais-là, & les changeurs sçavent bien faire leur compte*. Occurrit etiam huic objectioni Autor, cur Amygdalis utantur Gusuratani, cum hic fructus videatur consumi posse a deliciosis, & inter manus negociantium: ait enim hujus generis amygdalas esse absinthio amariores vel coloquintide. *Quand on en casse une, il est impossible de casser l'amande, qui est plus amere que de la coloquinte, & il ne faut pas avoir peur que les enfans mangent cette petite monnoye*. Conchylia igitur, piper & amygdalæ prudentiores hos populos indicant fuisse in nummis eligendis, quam Romanos, quos scorteos, ligneos & figlinos nummos olim adhibuisse volunt, quos etiam inter non signatos numerare licet, si fuerunt. De Timotheo Duce Atheniensium & de Friderico II. Imp. legimus, eos nummis alii deficientibus ad scorteos devenisse, & illis usos esse, ut Fridericum II. quidem, cum Faventiam Italiæ obsidione premeret; Timotheum coriaceum illud primum decoxisse scribunt, ut facilius tractari posset; quin etiam ut monetam imprimendam reciperet, ita præparatum, quod de Romanis scorteis non legitur. Amygdalæ vero istæ, de quibus diximus, multo minores sunt, quam vulgares, quas huc afferunt ex variis locis, ut videre licet ex figura ipsa quam Tavernier ibidem appingi curavit num. 15. Nicaraguenses Americanos, in Isthmo Panamensi populos, fructum quemdam Amygdalæ similem, *Cocavate* dictum in usum monetæ transtulisse scribit Benzonus *lib.* 2. *cap.* 16. *pag. m.* 61. Sed quomodo hoc receptum sit, & quam rationem cum nostra moneta ferant, nihil monuit, exiguum in emendo & vendendo ejus valorem judico, quod difficile crescat, potum deinde ex eodem fructu maxime præparent, tum vero etiam quod in tota America, nec monetam nec monetæ usum attenderint ante Hispanorum adventum, adeo ut *Cacavata* loco nummorum apud Americanos istos ex moribus eorum noviter assumtis dici possit, quibus Hispanos imitari cœperunt. Deinde si merces alias loco *Cacavatæ* reddiderunt, in commercio iste fructus fuit, & permutatio dicenda, quæ quoque loco monetæ & nummorum antiquis fuit, moneta tamen non dici potest, nisi νόμον certum habuerit. Idem de Mexicanis prodit Tho. de Gage in sua descriptione *pag. m.* 84. convenisse scilicet nundinarum diebus in ma-

gna civitate Tlaxcallam viginti mille mercantes, & permutantes, *car ils n'avoient point encore l'usage de l'argent monnoyè*. Scribit etiam de Mexicanis idem de Gage in relationibus suis *pag. m.* 145. eos usos esse fructu *Cacao*, qui amygdalis magnitudine similis est, non solum ad *Chocollate* faciendam, sed etiam *comme de monnoye courante dans le pais*. Nec dubito, quin *Cacao* & *Cacavates* idem fructus sit, additque suo tempore 120. vel 130. *Cacaos* ex majoribus, vel ducentos ex minoribus valuisse *Realem* Hispanum, quinque assium Lubecensium: sic $3\frac{1}{3}$ ex his *Cacao* unum denariolum Lubecensem efficiebant, 40. assem Lubecensem, eosque fructus & herbas emere in foro prostantes 4. ejusmodi *Cacaos* significat, prout hinc etiam panes unius denarioli pistores vænum proponere solent Penninghszudt. Sed mirari liceat, etiam Batavis in India Orientali nummos nullos proprios cudi, nec unquam permitti potuisse, Ordinibus Potentissimis Belgii nunquam concedere volentibus Societati Indicæ: quod & Tavernier in suis itineribus observavit, & præ cœteris Joh. Jacob Saar in suo Itinerario *pag. m.* 19. ubi monet Societati Indicæ aliquando placuisse peculiarem monetam uncialis thaleri pondere percutere, in cujus latere insignia novæ Bataviæ, gladius serto rosaceo implexus visebatur, adscripto, BATAVIA, in altero latere iusigne Societatis. Sed jussu Principis Arausionensis & Ordinum Belgii Fœderati coacti sunt protinus eos nummos abrogare, eorumque loco qui ex Belgio afferuntur, aut Portugallicis, Hispanicis & Mauritanorum Ducatis rem gerere, ut & stuveris & aliis minoris monetæ Belgicæ nummis. Notavit præterea Incas Garcilasso & ejus interpres Balduinus in historia sua Peruviana, quando de lingua Peruviana loquitur nullam monetam cusam illic visam aut adhibitam, quamdiu Garcilasso illic vixit: *durant tout le temps que je fus aux Indes, a sçavoir, jusques à l'an mil cinq cents soixante, ny de vingt ans aprés, il n'y eut en tout mon pais, ny or, ny argent monnoyè. Car les Espagnols, qui vouloient vendre ou acheter quelque chose, souloient peser ces deux metaux, par marcs & par onces: & comme en Espagne on dit ordinairement des Ducats, ainsi au Peru on disoit des Castillans ou des poids; chacun desquels, ou d'or ou d'argent, valoit quatre cens cinquante Maravedis, de maniere que cinq de ces poids valoient six Ducats. Ce que nous avons voulu rapporter icy, afin qu'en la lecture de cette Histoire, on ne confonde point l'un avec l'autre. Le poids d'argent differoit beaucoup en quantitè de celuy de l'or, mais quand aux prix c'estoit une mesme chose. Que s'ils vouloient changer l'un pour l'autre, ils sçavoient en tel cas, combiens, ils devoient donner pour cent, & en faisoient de mesme du fin argent, quand ils le changeoient avec celuy, qu'ils appelloient courant, qui n'avoit passè par l'espreuve.* Totum hunc locum eo lubentius exscribere volui, quod facies omnis rei nummariæ antiquæ in ejus verbis comprehensa sit. Nam auro & argento utebantur ut prisci ævi homines, sine moneta, solo pondere distinctis metallis, & κέρματα vel κόμματα ex iis faciebant, prout cuique usu venit. Sed & argentum purum & electum noverant æquiparare deteriori, ac deterius ad purum ac probum examinare. Ita tunc Hispanis res rediit ad veteris seculi mores, ponderibus rem conficere coacti, quod monetaria difficultas illis locis obstaret, nec introduci posset, aut quod eam veterem securiorem longe, tum a fraudibus alieniorem existimarent ac deprehenderent. Quæ causa est, quod inferius *l.* 7. *c.* 12. *p m.* 892. locum Hospitalis domus in urbe Cozeo emtum esse scribat 22. mille & ducentis ducatis, *dont il fit le payement en lingots de fin argent* qui sane publice signati non erant, sed in lingulis & massis suis oblati. Nam viginti post annis primum moneta signata fuit in illis oris, Anno scilicet 1580. narratque historiam, quod Pater ejus Garcilasso de la Vega primus fuerit in Peruvianis regionibus, qui monetam Hispanicam ostenderit & attulerit, Ducatum nempe geminum gemina facie Ferdinandi & Elisabethæ notatum, quem primo lapidi Hospitalis Indici jacti imposuerit, magna cum admiratione adstantium, qui hactenus monetam signatam apud Peruvianos non viderant, nec suam, nec aliorum. Vix enim ulla ratio subest in ratione, quam afferunt nonnulli, ibi nummos primum usum adquisivisse, ubi maxima vis auri & argenti prostat, ut in India utraque, & Asia, quod plane non sequitur, in illis enim locis verum est, abunde satis aurum & argentum colligi, ad usum vero nummorum aut nullibi, aut in paucis oppido provinciis, vel in hunc usque diem: ita ut nihil verius dici potuerit, quam quod idem Incas *lib.* 5. *c.* 7. annotavit. Metalla enim hæc *ils n'estimoient necessaires ny pour la guere, ny pour la paix, estant certain, qu'ils ne vendoient ny n'acheptoient aucune chose a prix d'or & d'argent, & qu'ils n'usoient de ces metaux pour la paye de leurs soldats, ny*

pour aucune necessitè, qui se presentast; a raison de quoy ils tenoient ces choses superflues, pour ce qu'elles n'estoient ny bonnes à manger, ny l'usage introduit parmy eux de s'en servir pour avoir des vivres. Que s'il les avoient en quelque consideration, c'estoit seulement à cause de leur esclat & de ler beautè: aussi les employoient: ils ordinairement pour le service & l'embilessement des Palais du Roy, des temples du Soleil, & des maisons de leur religieuses. Illis igitur in permutatione mercium salus sita erat, nec ullos nummos sive signatos, sive non signatos adhibebant in tanta auri & argenti copia, quæ metalla non nisi per otium quærebant, ut haberent quæ possent Regibus & Principibus suis offerre donaria, coram ipsis comparentes, vacui quos adire minime debebant, imprimis quod legibus etiam prohiberentur privati, *de ne profaner en leurs habits l'usage de l'or, de l'argent, ny de la pierrerie*, ut loquitur *pag.* 546. adeo ut propter hujusmodi leges aurum & gemmas contemserint, quod nullus eorum usus relictus esset, nisi in donando ac offerendo Diis suis & Regibus, & in artificiosissimis operibus, adeo ut hortos integros, arboribus & floribus consitos ex auro puro, agrosque aristis tritici aureis & messibus integris onustos habuerint magnificentiæ causa, non utilitatis, quos describit idem autor *pag. m.* 648. adeo ut etiam metallis his pro cæmento ædium ædificandarum, & lapidum jungendorum usi sint; sic enim testatur ibidem: *en plusieurs maisons Royales, & en quelques temples du Soleil, ils usoient en ces magnifiques chefs-d'œuvre d'un certain alliage de metaux, à sçavoir, d'or, d'argent, & de plomb fondu, comme le remarque Piedro de Cieca au 94. chap. de son livre.* Tam vilia hæc illis populis fuerunt, quæ nobis avaritiam pariunt insatiabilem, & Hispanos induxit omnia ista ædificia demoliri, ut auro aliquanto ditiores discederent. Postmodum vero Hispani domus monetarias plures erexerunt, Mexici in civitate *Pueblas de los Angeles*, ubi argenti partem dimidiam, quod ex mineris *Sacatecas* promitur, nummis cudendis impendi suo tempore, ab Anno 1625. monuit Tho. de Gage in relationibus suis *pag. m.* 91. Alia moneta alterius materiæ est Monumugensium in Africa in confinio Mozambiquensium & Fl. Coavi; vitro enim subrubenti similis est materia, quam loco nummorum in globulos redactam exsolvunt emtores: de hac moneta Boterus monuit *pag. m.*143. *relat. dell'Africa part.* 3. *lib.* 3. *Spendono in vece di moneta certe pallotte, d'una mistura simile al vetro di color rossigiante.* Mahometana religio postquam totum Orientem pervasit, desierunt in nummis figuræ quædam exprimi, solis literis Turcicis & Arabicis nummos fere omnes ornarunt, exceptis ubi Pagodes locum habent, & alii pauci, qui figuras quasdam, & rarissime præferunt, quibus accenseri possunt Reginæ Mogolitanæ *Nuurmahal* nummi, quos duodecim Zodiaci signis in auro & argento insigniri curavit, & ad 2000000. nummos ea figura procudi curavit intra spatium 24. horarum. Sed cum filius Magni Mogolis successisset, ille omnes prohibuit in commercio esse, & in fiscum redigi voluit, ne ejus diei memoria superesset, adeo ut Tavernier suo tempore in ipsa India nummum unum centum Imperialibus thaleris non potuisse adquiri scripserit *pag. m.* 656. Aurum sane non continent singuli, nisi septem thalerorum, & in argento dimidii thaleri. Unde qui in Europa illos venditant suis Nummophylaciis eos serie sua non deesse, videant ne decepti sint, qui aliis imponere quoque student. Et hi quidem nummi figuras quasdam habent, cœteri non nisi literas, cum contra legem Mahometis sit, aut animalium, aut hominum figuras repræsentare. Quin & postquam nummi cudi cœperunt, magis de pondere soliciti fuerunt recipientes quam de pretio. Numerandi enim fastidium multos cepit, ponderandi nullos, quæ causa est, quod in multis locis pondere nummos cusos ament adhuc accipere quam numeratos, ut in Orientalibus populis sæpenumero consuevit fieri.

Olim Æthiopes Plato scribit *λίθοις ἐγγεγλυμμένοις* usos esse, nec exinde nummos signatos vel publice cusos mihi conficiat. Sculpi quippe potuerunt a privatis, quibuscunque figuris. Hisque addi debent quæ habet Salmasius *pag. m.*468. *de usur.* quod in Carjama, quæ magno Regi Tartariæ subest, aureis & albis lapillis utantur, qui reperiuntur in mari, ut legere est apud Paulum Venetum. In Provincia Caniclu, quæ sub eodem est Rege, minor moneta ex sale est formata, in exiguis massis; in alia Corallium vicem nummi præstat: Ipsius magni Chami moneta non ex auro & argento cuditur, sed ex cortice mori interiore, in particulas varias & rotundas scisso, invicem compacto, ac regali sigillo signato. Apud Cathainos Tartaros teste Haitono nummus de papyro fit in forma quadrata, cui regale signum impressum. Huc spectant verba Bertii in Breviario Orbis de Tartaria. *Moneta est ex cortice arboris, cui Regium sigillum imprimitur.* Et

quæ

quæ prius dixit, Tartaros pecuniæ uſum non habere, ſed res pro rebus commutare. Nova enim iis ſunt ex cortice, ex papyro nummos adhibere, propter commercia cum vicinis Turcis introducta, ut de Zavolhenſi Horda dicit, eos admittere Turcarum *Aſpros* & Preskovienſes etiam Ducatos. Sunt & quæ linteorum orbiculis aut quadris publica aut Regia forma inſignitis ſimiliter hodieque utantur gentes. Monuit deinde Salmaſius, in eadem Caniclu provincia apud Tartaros, ex eodem Paulo Veneto, aureos nummos illis eſſe virgulas quaſdam ponderis diverſi, ac perinde prout eſt pondus, ita & pretium invaleſcere.

Et ſane in Æthiopia tota gentes vivunt, quæ ſuos nummos cuſos nunquam viderunt. Vivunt Islandi, vivunt Færoenſes, quos malleo ad nummos proprios fabricandos nunquam uſos conſtat, neque cum ſui juris eſſent, neque poſt quam Norvegis & Danis ſubjecti cœperunt eſſe. Quin & in Indiis plures aliorum nummis mercari & loculos implere, & rem publicam facere diſcimus: plures etiam nummis non ſignatis, in lamellas & varias formas diductis, varii ponderis, incerti, & ad ſolos eventus rerum aptatis uti: quorum quoſdam argenteos ipſe teneo mihi allatos ex regionibus prope Japonenſes & Siamenſes. Aſperi Turcarum effigiem quandam hujus antiquiſſimi moris retinuerunt, adeo ut valde dubitem an argentum aut æs minutius ac tenujus aut informius concidi poſſit. Elucent ubique in illis oris Orientalibus quam plurima veſtigia, quæ a privatis laminis ad monetam publicam nummos tandem deveniſſe commonſtrant, ut omnibus illis enumerandis ſuperſedere poſſimus. Præter illud quod de Britannis dixi, ex veteri conſuetudine, etiam tunc cum ſignatis uterentur nummis, illud diu remanſit, ita denarios fabricari, ut facile, cum opus eſſet, in quatuor partes æquales confringi poſſet, ſicque aſſem, ſemiſſem, trientem & quadrantem eadem opera circumgeſtarent: quin & ex ea cauſa tunc nummi iſta ratione cudebantur, ut facile diſſolvi poſſent in partes, quo de puritate argenti conſtare poſſet inſpicientibus, ſi partem unam denario ſubtraherent. Hi nummi uſque ad Henricum aut Eduardum I. Reges in uſu manſere, qui primus ſemiſſe a Farthingos ſignari juſſit rotundos. Priores, erant partes denarii abruptæ, ſignis confuſis & figuris, nam in triangularem quadrantes deſinebant; in dimidiæ Lunæ, ſemiſſes quæ omnia cum antiquis moribus conveniunt populorum, apud quos lamellæ & rupturæ tales fere obtinebant. Alia fractura & diviſio nummorum erat ſatis vetuſta, qua contrahentes uti ſolebant; qui nummum unum in duas partes dirimebant, alteram parti relinquentes, alteram ſibi retinentes, & indicantes tam rite contractum eſſe, quam hæ partes nunquam coire poſſent datæ & acceptæ, ideoque σύμβολον talem nummum fractum vocabant, ut ait Pollux *pag. m.* 434. nummum διαιρεῖσθαι, ὡς ἔχειν τὸ μέρος ἑκάτερον τὸν δὲ πιπράσκοντα καὶ τὸν ὠνούμενον ἐπὶ συμβόλῳ τούτῳ μέν τοι προσειληφέναι. Dum in Anglia commorabar, vidi Sponſum & Sponſam ita fidem ſibi invicem firmantes: dentibus enim Sponſus Ducatum Hungaricum aureum dilaceravit & diviſit, alteram Sponſæ ſervandam præbens, alteram ſibi ſervans, hocque matrimonii promiſſi firmiſſimum ſymbolum adhuc illic eſſe credunt. Rex Childericus & Vinomar in Francicis Hiſtoriis ſic leguntur aureum nummum diffregiſſe, non ſolum in fidei nunquam vacillaturæ teſtimonium & ſymbolum, ſed & in ſignum quoties nuncio mandata dediſſent, iſque hoc ſignum detuliſſet, confidere illos poſſe veros & fidos nuncios miſſos, quæque nunciarent, valitura, ſuaque mandata eſſe, qualia ſigna Jartegn alias vocata pluribus alibi deduxi. Eadem annulis præſtabant diſruptis, ac amico valedicenti dimidium porrigentes, ſibi dimidium retinebant, voventes hoc ſigno viſo, auxilia, vindictam, fidem inſuperabilem & alia, ut M. Hildebrand & Domina Jutta, quod refert Rever. D. Petrus Syw præfat. ad Kiempeviſer cantilenas vetuſtas Danicas, quas edidit. Illas autem diviſiones nummorum in contractibus adeo veteres eſſe, ut etiam ex nummis non cuſis originem traxerint, nemo non videt, ideoque cum ad inſtrumenta ſcripta etiam ſe porrexerint, quæ *indentata* propterea dici ſolebant, quod dentibus plerumque nummi iſti dirimerentur, & papyrum eam *indentaturam* imitari docerent, diverſas eas eſſe a κέρμασι, quæ ſub forfice cadebant, obſervandum venit.

Hoc vero ſi aliquis ſenſibus & menti ſanæ plane contradicere ſibi perſuaſum habet, reperiri gentem ullam, barbaram licet, quæ rem neceſſariam adeo tamdiu poſthabuerit, & exterorum nummis potius adquieverit quam propriis, eum non Anticyram, ſed ad Æthiopas, ubi Chriſtiani quoque verſantur, ablegandum cenſeo, audietque Pretioſi Johannis Legatum in Luſitaniam *Zaga Zabo* apud Damianum a Goes, de moribus Æthiopum aſſerentem, in omnibus ejus Regis ditioni-

nibus nullam monetam cudi, ſed peregrinam in auro & argento ſecundum pondus accipi & dari. Aſſerit idem Jobus Ludolphi *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 11. Æthiopiæ ſuæ, dum pecuniæ inopiam eos permutationibus ſolari malle ſcribit, ſale enim, quo vita humana carere non poteſt abundant illi in montibus ſuis, quem alias merces neceſſarias recipientes vendunt petentibus. Hinc non recte infert *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 22. Imperatorem Æthiopum Abaſſinorum *multa regia jura ignoratione eorum non exercere, veluti jus metallorum & monetæ cudendæ:* Haud enim ignorat hæc regii juris eſſe, ſed illis non utitur, quod res ipſas, metalla & monetas non ſibi neceſſarias, ſed potius damnoſas fore multis rationibus perſuaſum habeat. Contemtus quidam auri huc facit, videtur enim innatus ut Scythis; aurum deinde pondere collectum pondere erogant, ut quondam cum monetæ nullæ percuterentur.

Jam & ipſe Clariſſimus Stephan. Morinus contra ſe fortiſſima adduxit argumenta, ex libris Maccabæor. ex Joſepho, ex Epiphanio, &c. *pag.* 274. quæ ſiclos minoris & majoris vel ſacri ponderis obtinuiſſe apud Hebræos evincunt. Hinc quoque eſt, quod σίγλοι Perſarum nummi apud Xenophontem nondum drachmas duas penderint in argento, ſed ἡμιοβόλιον defuerit, illis ſcilicet publice cuſis & ſignatis, ut pro labore & opera monetaria in ſingulos argenti σίγλυς ἡμιοβόλιον detraxerint, unde recte Heſychius ex eodem Xenophonte & *lib.* 6. Expeditionis, explicavit: δύναται δὲ ὁ σίγλος δύο δραχμὰς Ἀττικάς; primum δύναται, reſpicit verum pondus, alterum δύναται valorem: quamvis illum ultimum Xenophontis locum in ſexto ſibi non occurriſſe teſtetur Dn. Morinus. Nec potuit a Scriptoribus his ſiclis diſcrimen illud imponi, niſi tales reperiſſent uſitatos fuiſſe, adeo ut Hebraici ſicli, a quibus origo iſtius nominis dependet, idem diſcrimen agnoviſſe omnino ſtatuendi ſint, & ad exteros propagaſſe; Exteri enim neſciebant ſiclos τετραδράχμυς, qui ſolis Hebræis noti erant, ut ſacris ipſorum dicati, ſed τετράδραχμοι nummi aliud nomen ſortiebantur, ut ſtateres dicerentur, non ſicli, a Græcis nomine aſſumto, unde eruditiſſime obſervavit Morinus *pag.* 276. in Syriacam & Arabicam linguam ſtateris nomen pro Siclo Sancto jam irrepſiſſe, qui locum 2. *Reg.* 7. *verſ.* 1. & Sicli pretium exprimunt כאסתירא quæ vocula ſane ex ſtatere ſatis apparet eſſe traducta. Τετραγράμμυς illos appellat Heſychius, quod forte notis quatuor drachmas ponderis indicantibus inſigniti fuerint, at cum non appareant illæ γραμμαὶ in ſtateribus qui ſuperſunt, hinc docti Viri τετραδράχμυς legi malunt quam τετραγράμμυς. Epiphanius hunc ſiclum δίδραχμον cognominatum κοδράντην ſcribit *lib. de ponderib. & menſur.* ſed a quibus? non ab Hebræis, non a Græcis, ſed a Romanis, qui quod quadrantem unciæ penderet, ideo quadrantem, non vero ſiclum dixerunt. Græci eum δίδραχμον ex eadem cauſa vocarunt, Sicli nomen noluerunt. Soli Hebræi & contermini in Oriente populi ejus ponderis nummos ſiclos appellare perrexerunt, quod eſſent vetuſtiſſimi omnium inter gentes, etiam ante Moſen forte nummi hoc nomine & pondere celebres. שלישית השקל *tertia pars ſicli* legitur Nehemiæ 10. *verſ.* 32. etiam dimidii ſicli paſſim occurrunt in ſacris, ſed nemo tales cuſos apud exteros reperiet iis nominibus. Hebræis, qui ſignatis non utebantur, ſed ἀσήμοις nummis facile fuit etiam uſque ad viceſimas partes Siclum redigere, & in argento tradere: erat autem *Gerah* proprie viceſima par Sicli Sancti apud Hebræos, noſtræ monetæ faciens aſſem Lubecenſem & $2\frac{2}{5}$ denariolos, & optime Doctiſſ. Dn. Morinus a, גרה *diſſecuit* Gerah deduxit, quod ſit ſegmentum & κέρμα minimum argenti in nummis Hebræorum & ponderibus, ſed ſimul monere hoc potuiſſet, nummos non fuiſſe cuſos, verum in particulas diſſectos, quando minoribus opus habebant. Non igitur mirum apud Hebræos dimidios, trientes, quadrantes ſicli nummos repertos eſſe, ob eam facilitatem, quam nummi rudes paratiſſimam ſubminiſtrant, quam nummis ſignatis abſque difficultate aſſequi non datum eſt, cum peculiariter cudi debeant. Salomon cum equos & currus ex Ægypto compararet, ex Ægypto dicitur hanc mercaturam argento Judaico coemiſſe, Hethitas quoque & Syrios ſic emiſſe: An Ægyptii Hethitæ vel Syrii nummis ſignatis tunc uſi ſint, vel pari cum Judæis more in his verſatos eſſe dicere debeamus, vix conſtat, niſi quod Salomonis tempora hoc videantur expoſcere; Nam qua fuit prudentia Salomon & Majeſtate, & magnificentia, haud eum intermiſſurum credere oportet, quin rem nummariam in regno ſuo conſtituiſſet, & ſignatos produxiſſet nummos, ſi rationem eam meliorem vidiſſet: nec tacite hoc Scriptura prætermiſiſſet, monito ſaltem uno vel altero res clarior facta fuiſſet. At Scriptura tacente, nihil Salomonem mutaſſe, pronum eſt ut credamus & ſentiamus.

Qua-

Quapropter extra Judæam gentes nummis talibus, ut dixi, non signatis pariter ac Judæos usos statuamus, eruntque commercia longe hodiernis faciliora, ubi propter pondus, puritatem & pretium a quolibet Rege vel Republica impositum monetæ, tot cautelæ, lites inextricabiles suboriuntur, ut jam nummi cusi propter compendia non videantur inventi, qui tot nobis dispendia gignunt. Antiquos istos una eademque libra, unum examen composuit. Nondum satis didicerant metalla confundere & κίβδηλα facere, ejusdem puritatis argentum & aurum erat, quod facile dignoscebatur, de pondere si constaret, jam recte mercati erant. At postquam tot fraudes comminisci cœperunt posteri, & subærata metalla pro puris & genuinis venderentur, jam ad Magistratus monetæ cura pertinere cœpit, ne facultates hominum everterentur. Quibus Judæi prudenter obviam euntes, nullum argentum suum amplius expenderunt, satis habentes aliena insania & adulterio frui, exterorumque nummos minus fraudulentos suos facere, nullos nec probos, nec malos fabricare, cum ex utroque damnum exsurgat immedicabile. Sunt plane tempora, quibus nummi tam argentei quam aurei vix usui sunt, ut in expeditionibus bellicis, quod cautos adeo fecit Romanos, ut milites sine zona juberent contra hostem ire, *ne ad hostes aliquid prædæ perveniret*, si victores forent, ut loquitur Spartianus in Pescennio nigro. Turcæ, qui facultates pene omnes in castra secum deferebant, hodie sapientiores facti, cum bella gerunt, non nisi æreis nummis onusti veniunt, quos immensum valere faciunt, eosque ex bello redeuntes auro vel argento rependunt. Hostibus vero capti lucrum nullum afferunt hi nummi. Et veteres in zona suos portabant nummos, quæ non erat cingulum ipsum, sed ventrale & funda, ligamentis & habenis circa corpus medium alligata una cum cingulo, hinc zonula sæpe pro cingulo legitur, quamvis sint diversa.

EPILOGUS.

HIS plura nunc addere non vacat addi autem possent innumera, quæ nummorum non cusorum antiquitatem ante cusos probare vel stabilire valerent, sed hæc aliis servanda sunt temporibus. Et hæc quæ nunc dicta sunt sufficere puto pro eliminanda sententia, quam foverunt & fovent adbuc quam plurimi, quasi nummis cusis ab initio statim gentes omnes uti cœperint, cum adbuc supersint oppido multæ, quæ nummis non cusis, more veteri, rem suam nummariam omnem constitutam habere pergunt. Nemini sane meam sententiam obtrudo, sed si verius quid producere poterunt pro nummis cusis, eorumque antiquitate, præ non cusis, facile me victas dare sentient, & in illam concedere, quæ verior esse probabitur. Mihi quidem hæc exercitatio nata est aliud agenti, ex qua si nascentur controversiæ, non ultra veritatem cum quoquam pugnabo, & cedam facile doctioribus, quorum censuræ me meaque lubens omnia meritoque subjicio. Si quid bene dictum reperient, gratulabor mihi, si secus quid offendent, etiam illud illorum animadversionibus subjacet, & moneri me facile feram, æquo in omnes animo, qui veritati student, quam cœteris rebus omnibus præfero: cum ideo scribamus & nos exercitemus, ut veritas eruatur. Ordinem, quem servare debebam, si minus attendi, minusque accurate disposita singula reperient, ignoscant, quæso, legentes; effusa hæc enim mihi sunt potius quam scripta, nec eo fine conscripta, ut lucem videre tam subito vellem, decimum potius in annum premenda: novi quippe cœcos semper catulos parere festinantes.



A D-

ADDENDA

TYPOGRAPHUS LECTORI

S. D.

Dispersa passim & confusa, ut aliquo ordine typis exscriberentur hujus Dissertationis fragmenta, transmissa est ad me, nescio an ab ipso Auctore concinnata operis methodus; sed eam typographicarum aberrationum emendator, dum indicem manuscripti, qui & Auctoris industriæ debetur, excuso libro adaptaret, mancam esse deprehendit, & nonnulla quæ in indice memorabantur esse omissa: ea postquam mecum, ego cum viris eruditis communicavi, gratum me & Auctori, & curioso Lectori facturum, modo ea superadderem consultum duxi. Igitur post epilogum qui & prætermissus erat hic adscribo.

Pagina autographi 241. quæ hic est Col. CCXXXI. *post verba* saltem nemo fuisse docuerit aut ostenderit: *sequuntur*

Formula vetus Romana eodem quoque collimat, quibus omnia *per æs & libram* gerebantur, h. e. ære non signato, appenso & soluto. Et quamvis ære signari cœpto, etiam libripendes publicos diu retinuerint, a privato tamen usu ad publicum tam cusos nummos, quam libripendes translatos facile videmus.

Citantur ista in indice sub voce Libripendes.

Pag. autog. 412. hic Col. CCCCII. *post verba* potius in Lusitania sint usi quam aliis.

Sic quoque Sicli nomen ad mensuras transiit, refertque Polybius & ex eo Athenæus in Lusitania hordei siclum seu medimnum Atticum emi potuisse drachma una *lib. 7. cap. 1. pag. m. 331.* Ὁ μὲν τῶν κριθῶν σίκλος (μέδιμνος ἐςὶ) δραχμῆς. At num ex siclo Hebraico nomen retinuerit, & qua occasione in Lusitaniam vox illa transierit, & Polybii tempore superfuerit, cum inter Judæos ipsos ne nomen quidem amplius auditum sit, non mihi liquet.

Laudantur ista sub voce Siclus

Erant & hæc, sed superinditis ceris miniatulis rejectionis credo signum: sed & horum Auctor meminit sub voce Armenia, *& sub voce* Nummi.

Pag. autog. 392. hujus libri Col. CCXCIV. *post* non video quomodo negari possit.

Falluntur igitur illi, qui in Armenia primos nummos cusos finxerunt, ea ratione ducti, quod Noah ibi, postquam egressus est arca, primam sedem posuerit.

HER-



HERMANNI CONRINGII
PARADOXA
DE
NUMMIS HEBRÆORUM

BENEVOLO LECTORI.

EXhibeo hoc volumine libellos tres, argumenti ejuſdem ſi Hebræos veteres ſpectes, quorum de rebus agitur, reliqua autem multum diverſos. *Primus* circa *nummos* verſatur *Hebræorum*; ſed non ex ſententia eorum qui hactenus occupaverant hunc locum, quamvis magna doctrina pariter atque induſtria. Occaſionem ſcribendi jam tum primo ac ſecundo capitibus ita propoſui, ut liqueat, niſi fallor, etiam neceſſitate quadam me huc adductum; ne videar ſcilicet ſcientiam jactaſſe quæ reapſe mihi defuerit. An ſat firmis rationibus ſubnixus a trita via diſceſſerim, judicandum aliis, id qui poſſunt, relinquo; non omnino vanis me iſthuc compulſum, fueram pridem profeſſus, ſaltim id ſcio nunc abs me eſſe evictum. Præter omnem vero exſpectationem jam tum typis excuſo hoc libello incidi forte fortuna in nonnulla, quæ ſi vera ſint omnem ego in conficiendo iſthoc ſcripto operam perdidiſſem. Quamvis enim nummos illos qui Aſſyriis literis & humana effigie ſunt inſigniti etiam ipſemet improbaſſem, illos tamen qui Samaritanos cha-

characteres habent inſcriptos tantum non omnes agnoveram eſſe genuinos; neque hactenus videram quempiam, qui non idem mecum ſtatuiſſet. Inſpiciendum videlicet mihi conceſſit amicus doctrina & candore plane eximius Gerhardus Titius, Theologus hodie Academiæ noſtræ primarius & longe eruditiſſimus, præclarum ſane volumen, quo proximo annno edito ſuos in Hebræa aliaque varia doctrina inſignes progreſſus orbi literato oſtendit Joannes Criſtophorus Wagenſeilius: complectitur autem librum illum Miſchnicum *de Uxore adulterii ſuſpecta*, cui *Sota* nomen, a viro illo præſtante, una cum libri *En Jacob* Excerptis Gemaricis Hebraice Latineque editum, ac perpetuo doctiſſimoque commentario illuſtratum. In illis autem Annotatis p. 575. non dubitavit Clariſſimus Auctor profiteri, *veroſimile ſibi videri, non extare ullam amplius, veræ antiquitatis Hebræornm monetam, uſquam gentium, ſed omnem omnino pridem periiſſe funditus*. Reapſe autem non duntaxat *veriſimile* id ipſi *videri*, ſed omnino certum, ſatis indicavit iis quæ ſubjungit verbis: *Provocamus ad judicium univerſorum, qui veterem & genuinam a nova, atque ad ſimilitudinem ejus effìcta valent diſtinguere, & multis evidentiſſimiſque ſignis probatum dabunt, omnes qui vulgo circumferuntur, ſive Siclos, ſive alterius notæ nummos Judaicos, opus recens &* κακȣ̃ κόμματος *eſſe. Sufficit unum hic, cum omnibus aliis in eo eruditionis genere palmam facile præripiat laudare; præſtantiſſimum clariſſimumque virorum Carolum Patinum. Hic vir eximius & Antiquitatum promus condus, iſtud magna aſſeveratione nobis confirmavit: non reperiſſe ſe in omnibus illis gazis Nummum Hebræum, qui fidem male ambulantem potuiſſet obtegere. Solum ajebat, famam eſſe, in Scorialenſi Baſilica, ſuperfuiſſe aliquem vere antiquum, a Carolo V. imperatore olim in cimeliis habitum, at non conſtare ſibi, num incendium, quo anno præterito ſtupenda fabrica conflagravit, evaſerit. Enimvero, fortaſſe ſi & hunc vir ſolertiſſimus oculis uſurpaſſet, continuo deprehenſurus erat, ejuſdem ac cæteros illum valoris eſſe. Nam & Regibus frequenter accidere poteſt, ut, quod ait ille, pluribus veris denariis unus adulterinus ipſis ematur. Hæc ille*, Poſt alia autem nonnulla interjecta, multis oppugnat nummos illos qui adſcribi vulgo ſolent, alter Abrahamo, alter Davidi, quorum ectypos ipſe dederat ſpectandos. *Pagina* 578. conjecturam ſuam depromit de nummorum horum origine. A Judæis nempe effictos & credulis Chriſtianis eſſe venditos, ex quo tempore in Palæſtinam a Chriſtianis rellgioſæ peregrinationes ſunt inſtitutæ. Denique explodit nummos qui Salvatoris noſtri imaginem exhibent.

Verumenimvero, νοθείαν nummorum Abrahami, Davidi, & Salvatoris noſtri, jam tum etiam nos demonſtravimus. Non etiam negamus, Siclos alioſque nonnullos Hebraicis characteribus inſcriptos nummos a falſaria eſſe Judæorum manu: quoſdam tamen potius impoſtoribus Chriſtiani nominis ferendos acceptos, itidem jam probavimus. Omnes vero in univerſum, etiam Samaritanis literis inſignitos, a Judæis effictos eſſe, nihil omnino habet veriſimilitudi-

nis.

nis. Ex adverso nempe pauci Judæorum Samaritanam scripturam vel legere possunt. Saltem plerique igitur extra culpæ sunt suspicionem. Quid contigerit sibi in Palæstina, is qui primus omnium Siclum ejusmodi memoravit Moses Nachmanides Gerundensis, jam ante quingentos circiter annos non dissimulavit. Narratio ipsius Latine sic versa est. *Benedixit mihi Deus hucusque, quod dignus habitus fui, & perveni Acho* (est Ptolomais Tyro vicina) *& inveni in manu senum terræ illius monetam. Et ostenderunt scripturam Cuthæis, qui statim legerunt eam. Nam scriptura erat Hebræa, quæ relicta fuit Cuthæis*. Alii idem narrant. Ne temere etiam tale quid de Judæis suspicemur, jubet odium quo prosequuntur illi Samaritana omnia. Eadem vero de caussa nec Samaritani facile finxerint monetam profitentem Hierosolymitanæ Urbis sanctitatem. In universum præterea ea pridem cum Judæorum tum Samaritanorum fuit ruditas, & rerum veterum imperitia, ut ævo Hasmonæorum attemperare nummos non potuerint. Taceo nunc, Samaritanis characteribus inscriptos nummos in Christianorum notitiam sero admodum pervenisse, & quidem demum superiore seculo, longe citius autem versatos Judæorum manibus, & habitos ab illis thesauri pretio. Hæc omnia sane vetant nos fraudem suspicari. Quem Carolus id nominis quintus Imperator in cimeliis habuit, genuinus fuerit nec ne, incertum est. Quid ni enim & illi Optimo Cæsari potuerit imponi. Quæ sane Hispanus Guevara de suis nummis Carolo probatis jactat, deceptum fuisse Principem illum ab impostore isthoc, liquido ostendunt. Antonius Augustinus *Undecimo de Nummis antiquis dialogo*, de Guevara ita scripsit interprete Andræa Schotto. *Impressi ab eo nummi omnes falsi mihi quidem videntur: ut artem ostentaret in fictis historiis, autoribus, nummis, & interpretationibus ex tempore adferendis. Imo puto, Carolum V. Cæsarem nummos suos veteres minime illi, ut ad voluptatem jactat, ostendisse*. Ut magnates hac parte ab impostura sibi caveant, non permittit illorum ingenuus candor occupationumque gravitas ac multitudo. Lepidum est quod de Paulo IV. Pontifice idem Augustinus isthoc ipso dialogo perhibet, ac proinde nec Wagenseilio haud dubie ingratum fuerit si etiam hic recitetur. *Finxerunt*, ait, *Neronis nummum cum literis* PETRUS GALILÆUS: *quem nummum ingenti pretio Paulo IV. Pontifici impostores obtruserunt. Cuderant ipsi hinc quidem Neronis caput cum solitis titulis, in aversa autem parte S. Petri faciem, qualis in plumbis Bullarum ac Diplomatum Pontificiorum spectatur: adscriptumque erat* PETRUS GALILÆUS. *Addebant repertum nummum juxta S. Petri Sacellum, S. Sylvestro sacrum. Hoc amplius, Pontificem S. Petro persimilem esse asserebant*. Tale quid quin potuerit & Carolo Imperatori accidere, quis negaverit? At accidisse, ne Patinus quidem ausus est affirmare. Itaque satius fuisset *fortassis*, nihil sinistri post virum tantum suspicari. Et vero laudem maximam deberi Patino ob præstantissimam nummariæ rei veteris peritiam, omnino etiam ipse agnosco. Scio autem simul, non ægre laturum, si sibi saltim Anto-

tonius Augustinus, imo si Ezechiel Spanhemius componatur, uterque ejusdem doctrinæ summatum unus, & quibus itidem nihil non veterum nummorum cum cura expensum jure dixeris. At vero ille Siclum Samaritano charactere & laudavit & pictum bis exhibuit dialogo secundo: hic præclari operis de *Nummorum veterum præstantia & usu*, idem fecit *Dissert. IV. pag.* 334. editionis Batavicæ, *pluresque id genus nummos Samariticis literis inscriptos, & cum aliis etiam symbolis, suppeditare Cimeliarchium Mediceum*, testatus est. Fortassis etiam elegantissimo Patino in animo fuerunt soli nummi isti, qui Hebræos habent characteres inscriptos, quoniam hi κατ' ἐξοχὴν Hebræi audiunt: aut exacti sunt isti quos vidit nummos, ad ævum illud quod solet iis vulgo adscribi, Abrahami nempe Josuæ Davidis aut Salomonis: & vero hactenus me quoque habet consentientem, neutiquam eos magnæ esse vetustatis. Agnosco etiam, multos id genus nummorum suppositititios esse: atque adeo ipsum meum Samaritanis literis inscriptum Siclum pridem fassus fui, ectypum esse non autem genuinum. Miror vero, non dubitasse eximium Wagenseilium provocare *ad universos* genuinæ nummorum vetustatis arbitros, quum hactenus quidem nemo illorum non diversum pronunciaverit, nec temere liceat futurum *universorum* consensum promittere. Velim sane, jam tum indicasset nobis vir præstans signa illa mentitæ antiquitatis aut imposterum hac parte orbem literarum reddat solito cautiorem. Nec vero nobis exspectandum est divinum miraculum: quale non defuit olim Israelitis ad prodendam adulteram uxorem. Equidem ingenue fateor, etsi hoc antiquariæ rei studium haud paucas mihi horas occupaverit, nec sine cura in eo fuerim versatus, non deprehendisse me tamen hactenus quidpiam, quod in novam hanc sententiam me possit adducere. Imo vero, quum in quammultis illorum nummorum concurrant omnia omnino quæ vetustatis genuinæ certa a viris doctissimis habentur indicia, nefas existimo novo illi placito adsentiri. Enimvero ἀδύνατον arbitror, potuisse imperitis seculis (qualia utique fuerunt aliquot centenis annis) effingi nummos Samaritanis inscriptionibus insignitos, qui undequaque respondeant rebus Hebræorum; quales fuisse Hasmonæorum ævo, veterum indubitatæ fidei monumentis accepimus.

Quin licebit igitur etiam imposterum securos nos esse de benigno futuræ tempestatis judicio; neque lusimus operam quando de Hebræorum nummis fuimus solliciti. Fortassis etiam mitigabitur aspera ipsa viri præstantissimi censura, re exactius expensa. Exspectabimus duntaxat judicia doctorum de nostris Paradoxis, deque iis quæ in eorum defensionem hoc libello disseruimus. Unum alterumque his additum cupimus. Etsi forte alii quidam nummi Hebræi fuerint ab Herode Magno ejusque filio Archelao cudi jussi, Siclos tamen aut nullos; aut certe non ita signatos quales hactenus venere in manus, ab illis esse confectos, per videtur verosimile. Ratio quæ id persuadeat hæc est: quoniam ramulus amygdaliferus significat

ficat Summum Sacerdotium Aaronis familiæ competens, nummi autem feriundi poteſtas juris eſt Summæ poteſtatis civilis. At vero cum Haſmonæis deſiit utrumque conjungi: itaque ex eo tempore reipublicæ ratio poſtulavit, ut non amplius ſignarentur Sicli cum ramulo illo Aronico. De Herodis igitur Magni aut Archelai nummis hactenus nihil nobis eſt compertum. Quia poſt Archelaum Judæa a Romanis in provinciam fuit redacta, haud dubie & Romani Cæſarum nummi fuerunt traducti in uſum. Et vero talem fuiſſe nummum illum qui Domino noſtro fuit monſtratus a deceptoribus, notum eſt ex Evangelica hiſtoria. Referunt cum alii tum Hottingerus, a Talmudicis memorari & Siclos Neronianos. A Nerone autem Sicli nemine eſſe nummos ſignatos, vix cui perſuadeatur. Nec vere Thalmudici ſunt fide digni rerum ejuſmodi teſtes. Forte enim Neronis denarios homines rudes Sicli cognomento honoraverunt. Quamvis diſerte & Adriani & Trajani denarios a Thalmudicis eſſe memoratos, idem Hottingerus teſtatus ſit.

Quicquid hujus fuerit, & hæc & totum libellum noſtrum æquæ doctorum cenſuræ ſubmittimus. Prius tamen quam hinc abeamus officii noſtri eſſe ducimus, monere, quod nunc demum obſervamus: nempe a præclariſſimo Wagenſeilio in Commentario ad Excerpta Gemaræ capitis primi Sotæ *pag.* 332. ad Excerpta item Gemaræ capitis ſeptimi *pag.* 717. laudati ante voluminis, perquam docta & eximia eſſe in medium producta, de variis ſententiis Judaicis circa preces quas ſolent etiam illi fundere in locis ſepulchrorum, ut & quæ in capitis VII. §. *6.* Excerptis ipſis habentur de Calebo invocante animas avorum ſuorum. Habet vero etiam nonnulla de Angelorum & mortuorum invocatione Judæis uſitata Joſ. Voiſin. *Theol. Judaic. l.* 1. *cap. V.* Operæ ſane fuerit pretium jungere illa cum iis quæ nos diximus ſub finem undecimi capitis.

C A-

CAPUT PRIMUM.

Proœmium libri. Quo occasio & institutum ejus conscribendi indicatur.

QUum ante hosce quatuordecim annos, nomine viri longe celeberrimi & Orientalis doctrinæ peritia incomparabilis Johannis Henrici Hottingeri, Theologi tunc temporis Heidelbergensis, & secundam libri *de Cippis & Nummis Hebræorum* editionem curantis, de suppeditandis nummis id genus vetustis non semel sollicitarer, primum quidem mense Junio ad Perillustrem Baronem Boineburgium utriusque amicum & literariæ omnis operæ strenuum ἐργοδιώκτην, deinde Augusto mense ad ipsummet Hottingerum misi hoc de argumento epistolam. Septembri mense iterum eadem de re Hottingero scripsi. A quo cum humanissimum responsum esset redditum, simulque significasset Boineburgius, velle Hottingerum, si non renuam, primam meam epistolam edere cum sententiæ dictione de iis quæ ego moveram, ipse autem non refragarer, (etsi ut ederetur nihil equidem scripsissem), addita est libro illius *de Cippis & Nummis Hebraicis* mea isthæc epistola, ut & Hottingeri libera quidem satis amica tamen & docta censura. Haud dissimulavi quidem superstitem a Censuræ dictis dissensum meum; contentus tamen tunc sui castigatis typographicis mendis, quibus scatebat epistolæ meæ editio, quam operam sub finem libri ipse optimus quamvis jam absens Hottingerus instituit. Enim vero nondum tota in lucem prodierat nova isthæc libri illius de Cippis recensio, cum Heidelberga relicta Tigurum Hottingerus reversus est. Eo autem factum, ut integer proximus annus effluxerit nobis sine literario commercio. Ab anno autem sexagesimo tertio usque frequentiores inter nos literæ commearunt quidem, sed neutri vacavit Nummos Hebræos commovere, dum ad longe alia nos astringerent tantum non infinitæ occupationes. Sed & ut nimis acerba ita nimis quoque præmatura mors summum virum die quinto Junii anni sexagesimi septimi, quadraginta septem annos natum, orbi terrarum eripuit. Quo obitu ingentem jacturam fecit eruditionis respublica. Nec vero habuit temere hoc seculum quenquam cui Hottingerus fuerit secundus; sive φιλοπονίαν, sive φιλαλήθειαν, sive Orientalis literaturæ peritiam in istis annis inusitatam videamus. Mihi sane mors isthæc luctum magnum excitavit; quem proinde hoc Epigrammate ad posteritatem fui testatus.

Qui studio & meritis præluxti millibus unus,
Molliter & sero denique digne mori,
HOTTINGERE *decus Tiguri sanctaque tiaræ,*
Quove patent nobis dante Orientis opes;
Quam tu præpropere cunctis fato occidis, eheu!
Quam tristi nimium conditione peris!
Æternis planget lacrumis te doctior orbis,
Nec facile referent secla futura parem.

Quamvis autem jam quatuordecim fere anni effluxerint, ex quo mea & Hottingeri illæ Epistolæ lucem viderunt, attamen ne nunc quidem muto meas illas de Nummaria re Hebræorum sententias. Non enim, sive Hottingeriana isthæc sive aliorum, magni licet nominis autorum, placita visa mihi hactenus fuere firmis adeo stare pedibus, quin possint haud difficulter subverti: ex adverso ne nunc quidem, omnibus aliis licet probe & cum cura expensis, mea isthæc παράδοξα rationibus evincere me posse diffido. Quin imo, si Hottingero quidem rationes istas exspectare placuisset, non equidem dubito, etiam illum, quo erat veri studio & perspicaci judicio, mihi fuisse astipulaturum: præsertim quia ille primus, quod equidem sciam, nummum aliquem Samaritanis characteribus insignitum Simeoni Hasmonæo attribuere, perinde atque feci ego, non dubitavit. Et sane haud diffiteor, saltim Tertium & Quintum παράδοξον meum, nullo niti consensu viri alicujus docti, sed vere novum & meum esse, ac proinde non nisi rationibus posse fidem invenire.

Etiam vero optimis quamvis & robustissimis argumentis posse me trahere in partem meam omnes, non equidem ausim profiteri. Haud enim me latet, quanta sit factionum vis omnem in modum, quodque adeo hoc etiam de Nummis Hebræorum argumentum serra, ut ita loquar, contentionis huc illuc distrahatur. Dum scilicet pugnatur inter eruditos, quo characterum genere, Assyrio an Samaritano, antiquissimis quæ Babylonicam captivitatem præcedunt temporibus, Sacri Codices fuerint exarati, pars utraque ex nummis sibi præsidium quærit, vetustatis palmam aliis Samaritanæ aliis Assyriæ literæ nummorum testimonio vindicantibus.

Jure dixeris levis momenti omnem hanc controversiam esse. Etenim autori-

tati Scripturæ Sanctæ neque asseritur neque detrahitur vel tantillum, quicquid hujus etiam vero magis fuerit consentaneum; multo minus salutiferæ interest fidei alterutra assertio. Non sane est, quod moremur furores Wasmuthi & paucorum aliquot aliorum, qui fidei dogmatibus accensere suam de Assyrio charactere sententiam, & diversam hæreticis annumerare haud dubitaverunt, facinore ut hactenus in omni Ecclesia inusitato ita vere impio & damnando.

Etsi vero illa contentio reapse sit levis, non tamen non pertinet ad officium ejus qui serio veritatem etiam in rebus minutis quærit, hoc quoque in loco haud pati deceptionem. Ac proinde nec abs re fuerit, saltem vel unius de vetustissimis Hebræorum illis literis quibus Lex divina conscripta est, quam dixi controversiæ caussa, Nummorum Hebræorum scripturam vetustatemque investigare.

Absque tamen hic etiam usus esset, nihilominus moverit me istud agere solum veri studium: quo mihi quidem nihil est dulcius. Imo vero nunc adeo sola φιλαλήθεια me quasi compellit, sepositis aliquantisper aliis, quamvis melioribus & utilioribus, hoc argumentum aggredi. Agam tamen hoc non nisi paucis & breviter; habita scilicet ratione muneris mei; quod plane aliis consecratum est & severioribus. Etiam vero atque etiam rogo, ut procul amore & odio partium, citraque omne præjudicium, quæ adferentur in medium, æqua judicii trutina expendantur, habeaturque omnis hæc disputatio, uti est, mere Philologica quædam exercitatio, in qua errorem licet committere citra jacturam pietatis, aut Ecclesiæ vel reipublicæ detrimentum.

CAPUT II.

Epistolæ aliquot Conringii & Hottingeri ad hoc argumentum pertinentes.

CÆterum non est mihi consilium, omnem rem nummariam Hebræorum veterum prosequi. Tantum continere me intra limites eos placet, quos in Epistola isthac ad Hottingerum definivi, & quos etiam Hottingerus in suo Responso non egressus est. Disputabo scilicet de solis sex illis Paradoxis sententiis meis in Epistola Hottingero propositis, easque rationibus istis statuminabo, quas in promtu mihi esse perscripsi quidem, hactenus tamen nusquam in medium adduxi.

Ut res omnis autem plane intelligatur, necessarium fuerit prius attente perlegisse & meam Epistolam & Responsum Hottingeri, etsi utrumque jam sit typis editum. Sed & operæ fuerit pretium, etiam alias nonnullas literas meas eodem tempore a me de negotio isthoc nummario conscriptas perlegisse. Quapropter producam ego nunc in lucem ex apographorum Epistolicorum, quæ mihi reservare interdum soleo, voluminibus nonnullas literarum istarum. Quin imo addam & illa, quæ jam Hottingerus vulgavit: quoniam Hottingeri liber, quamvis præclarus, non in omnium est manibus, nec vacat cuivis ad librum illum recurrere.

In literis autem illis promendis ordinem temporis quo sunt exaratæ, observabo. Ideoque primo omnium exhibebo legenda illa quæ scripsi ad amicum meum maximum Johannem Christianum Lib. Baronem de Boineburg, virum utique summæ dignitatis & varia laude insignem. Is quippe primus omnium apud me optimi Hottingeri caussam cœpit agere.

Illustris & Generose Domine &c. *Clarissim. Hottingeri desideria utinam adeo facile mihi sit juvare, quam velim! Mihi Hebraicus nummus genuinus nullus est. Duo quidem Sicli titulo inter veteres meos habentur, alter vulgaribus alter Samaritanis characteribus insignitus, sed neuter probæ notæ. Et vero multis argumentis adductus sentio, non reperiri quenquam germanum nummum Hebraicum nisi Samaritana scriptura, hos vero omnes Hasmonæis vel Herodibus regnantibus signatos, Samaritanis literis tum etiam profanos vulgaresque ad usus adhiberi solitis, ut Assyriacis illis ad sacri Codicis scripturam. Serenissimi Principis mei Augusti filiorum minimo sed indole nemini secundo, æreus est justæ veritatis: de quo Cl. Schraderus noster commentatus nonnihil est. Quod mitto; quamvis nec interpretationem ejus omnino approbem, nec inditum nummo Sicli nomen, quippe quod, me judice solis debetur argenteis tetradrachmis. Habeo amicum Lipsiæ, qui gaudet sibi multum aureo quodam Hebraico. Sed quoniam mihi non est visus, non audeo de eo quidquam definire. Non dubito autem nos pulchra multa doctiorum Hottingerum secunda hac editione Cipporum, quum prima plurimum me quidem delectaverit. Sunt mihi porro bini nummi perantiqui, quos Carthaginenses esse existimo: quod alter Punicos characteres præ se ferat. Sed horum explicationem Hottingerus fortassis haud aggredietur: quamvis videam expeti ab illo Siciliam Parutæ, quo opere Punici nummi exhibentur. Rem gratissimam feceris, si virum doctissimum*

simum & summe industrium meo nomine resalutaveris. Vale Illustris Domine & favere perge Illustris Excellentiæ Tuæ studiosissimo H. C. Helmstadii 30. Junii Anno 1661.

Hanc ad Boineburgium Epistolam subsecuta proxime est illa, quam ad se scriptam Hottingerus curavit publicari inserique suo de Nummis Orientalium commentario. Addam vero illam etiam heic, & quidem a mendis typographicis quamplurimis liberatam, simulque integram: qualis nempe a me fuit exarata.

VIRO CLARISSIMO JOH. HENRICO HOTTINGERO SS. Theol. Doctori ac Professori incomparabili, Amico meo magno.

Vir Clarissime. Hesterno die Redekerus noster & salutavit me tuo nomine, & simul obtulit priores aliquot plagulas cum Compendii Theatri Orientalis tum Compendii Theologiæ Judaicæ; adjecit & Tabulas binas rei nummariæ, tum unam Cipporum Hebraicorum; denique etiam, si quid habeam nummorum id genus, uti depingi curarem tibique transmitti, rogavit. Ergo vero magnas tibi gratias habeo pro hisce omnibus: ante omnia Deum precatus, uti incolumem te porro servet bono publico rei literariæ; quippe cui es profecto utilissimus, sive industriam spectem sive Orientalis doctrinæ inusitatam peritiam. Et vero ipsæ illæ plagulæ mirifice in me incenderunt amorem pariter tui & admirationem: quæ cum me pridem occupassent, jam tum aliquoties poblicis scriptis utrumque testatus sum. Vix sane fero desiderium utriusque tui Compendii. Sed & novam Cipporum editionem avide exspecto. Utinam vicissim tuo etiam desiderio saltem nonnihil satisfacere in mea sit potestate! Sed veterum nummorum, Græcorum Romanorum aliorumque copias haud exiguas magno studio etsi collegerim, Hebraicorum tamen, quod quidem ausim genuinum credere nihil mihi est. Neque vero binos illos quos possideo Sicli titulo insignitos, alterum Samaritanis alterum Hebraicis hodie sic dictis, sive Assyriacis Esdræ, characteribus inscriptum, arbitror vel vetustatis vel notæ bonæ esse. Uterque sane justo Sicli pondere caret. Samaritanus manifesto recentior est: alioquin plane geminus illi, primo loco quem exhibet Tabula tua primæ editionis libelli de Cippis Hebraicis nostris literis inscriptum nullum arbitror genuinum reperiri: multo minus ergo hunc meum laudaverim. Habet Serenissimi & vere Augusti Principis mei filius natu minor, paternæ autem virtutis æmulus, Ferdinandus Albertus in Cimellis suis binos æneos. Sed video alterius imaginem jam abs Te, fortassis ex Clarissimi Schraderi nostri opusculo, expressam nova illa Tabula; Alterius, cum effigie Mosis, jam tum prima editione exhibitam. Est vero & ille Mosaicus haud dubie adulterinus & a recente atque imperita manu. Habuit etiam ὁ πάνυ Georgius Calixtus noster argenteum Samaritanis characteribus Siclum inscriptum, haud parum vetustum. Sed & ille apud nos morari desiit. Visus quoque mihi est suspectus, cum quod magnitudine non nisi semisiclum æquaret, tum quod dumtaxat esset pondere drachmarum duarum totidem scrupulorum, & sex granorum, cum justus Siclus fuerit τετράδραχμος. Erat cœteroquin plane similis Siclo secundo & tertio Villalpandi, sua inscriptione pariter & figura. Habet amicus meus Lipsiæ Samaritanis literis inscriptum aureum: sed nec illius vel descriptio vel figura ad manum est. Igitur quamvis pervelim, hac tamen parce juvare Te nequeo.

Ut intelligas tamen animum desiderii tui explendi cupidum, en tibi depictos aliquot nummos meos, optimæ quidem notæ, sed mihi ignotis characteribus insignitos. Priores duo argentei *sunt quasi denarii: Punicos esse suspicor, idque quoniam Antonius Augustinus dialogo VI. itidem Carthaginenses duos aureos sibi esse testatur, in quorum parte altera facies fœminæ altera equus sit expressus: unius etiam inscriptæ literæ videntur esse quales Punicas expressit in Sicilia sua Paruta.* Tertius *aureus est sive potius inauratus: sed qui sit, nec scio, nisi forte Gothicus aliquis fuerit.* Quartus *pariter &* Quintus *æneus est & longe vetustissimus, incompertæ vero mihi gentis, nisi quod itidem Punici videantur.* Sextus *nisi vehementer fallor vetus est Hetruscus. Video siquidem hic signa auguratus & pontificatus, qualia ab Hetruscis acceperunt Romani. Ut vero jam sum fassus, quicquid horum, affirmo tantum levibus conjecturis nititur: certo quod asseram nihil equidem habeo. Malo igitur ab aliis doceri. Quod nisi tu possis, fortasse poterit nemo. Quis enim in similibus te superet?*

Ut vero ad nummos Hebraicos redeam, non dissimulabo tibi παράδοξα quædam mea. Primum *est: nullum nummum Hebræum olim Sicli nomine dictum, qui non fuerit argenteus.* Alterum: *nullum nummum qui imaginem hominis refert genuinum esse; eoque illum Salomonis & Mosis effigie insignitum, & si qui alii sunt similes, cumprimis qui imaginem habet nostri Salvatoris, adulterinos omnes esse.* Tertium *est: nullum nummum characteribus nostris Hebrai-*

braicis ornatum esse bonæ notæ, aut multo vetustum. Quartum est: *non posse ullo certo indicio ostendi, nummos qui literas habent inscriptas Samaritanas captivitate Babylonica esse antiquiores.* Quintum est: *nummos illos omnes esse cusos Hasmonæorum ac Herodum temporibus, & quidem ab ipsis Judæis, postquam cudendi nummi potestatem a Demetrio Nicanore Rege fuerunt nacti; Samaritanos enim characteres fuisse in usu vulgari, Hebraicos autem solis sacris codicibus describendis quasi dedicatos.* Sextum *denique est: unum dumtaxat fuisse Sicli genus, non vero alium Siclum sacrum alium profanum. Hæc mea* παράδοξα *posse me arbitror non vanis argumentis saltim vero perquam similia facere. Ast nunc quidem potius malo exspectare secundam editionem libelli Tui: idque quoniam fortassis adferes in medium rationes propter quas cogar mutare sententiam. Id quod facere sum paratissimus, simul docear certiora: utpote quum fatear, non constare hæc mihi certa* ἀποδέιξει, *sed tantum probabili quadam collectione. Vale Vir Clarissime, & salve plurimum faveque. Helmstadii XXI. Augusti 1661.*

P. S. Proximis nundinis exhibebit tibi exemplum libri mei de Bibliotheca Augusta Illustris noster Boineburgius, idque in pignus amicitiæ. Observabis vero pag. 113. memoriam tui nominis: ut mihi illa semper est sacra. De Cippis Hebræorum velim audire sententiam tuam, num quem eorum censeas esse valde vetustum. Mihi videtur sane, aut ficta esse pleraque, aut Cippos illos extructos esse a Judæis, postquam mutavit in Palæstina imperium Christianorum Europæorum. Et vero etiam illi qui diligentissime (ut Brochardus) sunt persecuti ex Christianis nostris res Palæstinæ, quales illæ fuerunt ante hos trecentos amplius annos, vix unius & alterius cippi fecere mentionem.

Hactenus Epistola isthæc. Sequente autem mense Septembri aliam quoque dedimus ad eundem Hottingerum, additis tribus ectypis nummorum, inscriptionibus Hebraicis insignium. Unus eorum refert illa verba: *David Rex & filius ejus Salomo Rex*, & in parte aversa figuram ædificii aut turris cum lemmate, *Jerusalem urbs sanctitatis:* Alter *senes & anus*, in aversa autem *Juvenis & virgo*, cum literis initialibus vocum Abrahami Saræ Isaaci & Rebeccæ: Tertius reddit iconem & nomen Salvatoris nostri, in averso autem latere, *Messias Rex venit cum pace, & luxit ex homine factus vita.* Rite curata quidem & illa Epistola, non tamen nisi nummi secundi imago in Hottingerianis nummariis tabulis est expressa. Quoniam vero in Responso suo Hottingerus etiam hanc Epistolam respexit, non abs re fuerit hic eam legi.

Vir Clarissime. Quo adjuvem præclaros conatus tuos de Re Nummaria Hebræorum aliorumque Orientalium populorum, nisi nuper depictas imagines Carthaginensium aliorumque aliquot nummorum. Mitto iterum trium Hebraicis characteribus insignitorum nummorum picturas, quas incomparabilis Domini mei & vere AUGUSTI Principis filius secundo genitus, viva Serenissimi Patris imago, ANTON. ULRICUS, *Tibi transmitti jubet, ex suo* κειμηλιαρχίῳ *depromtas. Qui Salvatoris nostri vultum refert nummus, quin a Christianis recentioribus sit effectus, non equidem dubito: sed & (nisi fallor memoria) jam tum illum publico exhibuisti. Duo reliqui itidem parum apud me fidei merentur: nec tamen Tuæ censuræ quidquam præjudico. Singulis pondus adscriptum est. Narrat porro Princeps Moguntiaci apud Metterneckium cathedralis Ecclesiæ Scholasticum haberi nummum, cum inscripto Absolonis Davidis Regis Filii nomine; ejusque imaginem facile abs Te posse comparari, curante Boineburgio. Sed fortassis nec ille tanti tibi videbitur: mihi sane perquam est suspectus. Quin omne hoc exigui momenti esse, ultro fateor: noli tamen deesse tuo studio, si forte etiam supposititia haud ignorare desideres. Vale*

Wolfenbuttelli in Aula
XV. Septembr. 1661.

Tibi Tuisque studiis
optime cupiens.
H. C.

Adjungam denique & tertiam meam Epistolam; & quidem ea de caussa, ut appareat non inconsulto me ab optimo Hottingero & primam meam Epistolam & censuram ejus Epistolicam typis esse publicatam.

Vir Clarissime. Quas 21. Augusti exaravi recte traditas pariter nec fuisse inacceptas, lætor. Spero autem jam & illas quas 15. Septembris dedi non minus bene esse curatas. Et vero nolim illas periisse, quum iis exhibere voluerim nummorum Hebraicorum qui in thesauro sunt Serenissimi Principis Antonii Ulrici Secundogeniti filii τῦ Σεβαςῦ *Domini mei, tanto patri plane similis filii,* ἐκτύπυς; *quales abs te quam maxime desiderari arbitror. De nummis aliis meis sententiam tuam avide exspecto. Cave vero arbitreris, ingratum mihi fore tuum ab opinionibus meis dissensum. Tantum abest certe ingenium meum ab illis moribus, ut nihil mihi sit gratius*

quam liberas ſententias & ferre pariter & audire: idque quandoquidem tali contentione nihil eſt in vita utilius. Ἀγαθὴ δὲ ἔεις ἥδε βροτοῖσι. *Enimvero nec invito me fiet, ſi Epiſtolam meam quamvis rudem & non in id ſcriptam, cures addi Tuo de Nummis Orientalibus libro, cum libera cenſura Tua: quod Te velle ex Illuſtri Boineburgio noſtro intelligo. Confido enim, nec Tibi ingratum fore, ubi dubitationes meas haud exemtas mihi ſenſero, ſi rationibus adductis quæ viſa mihi ſunt, licet* παράδοξα, *ingenue muniam. Interim Cippi tui, ſimul in lucem prodierint, erunt mihi magnæ voluptati. Non dubito enim, ſaltim operam daturum Te, quo poſſis illis fidem & antiquitatis laudem conciliare: qua, fateor apud me fere deſtituuntur. Vale Eximie Domine, quam diutiſſime bono publico.*

Helmeſtadii 1661.
9. Octobr.

Tui cultor
H. Conringius.

Hiſce meis tribus epiſtolis nunc ſubjungam ipſam illam Hottingerianam, qua reſpondit vir incomparabilis & plane eximius meæ primæ ut & parti ſecundæ. Etſi enim Reſponſum illud jam publicatum ſit & cum epiſtola mea prima libro de Nummis Orientalibus additum: quoniam tamen in paucorum liber ille eſt manibus, nec facile fieri poſſit meorum, quæ jam paro, cum Hottingerianis illis comparatio, niſi utrumque ſit ad manum, itaque etiam hoc loco Reſponſum illud poſſe legi, ex uſu fuerit.

Celeberrime Vir. In ære me Tuo eſſe tanto fateor libentius quanto me Tibi defœneraſti nominibus pluribus. Nec præmio ſuo fraudandus doctiſſimus D. Redeckerus tum quod antehac ſua me præſentia dignum æſtimarit, tum quod ex Gallia nuper reverſus, adeo prolixe ſua mihi obtulerit officia. Occaſionem præſertim, Te, per eum, ſalutandi, negligere nec debui, nec volui, hoc ipſo tamen votis meis inferior, quod nihil eſſet ad manum, quo in tanti viri amicitiam me inſinuarem. Humanitatis Tuæ ſingularis eſt, quod paucas, quas recenſes, pagellas tanti feciſti; ut vel reluctanti judicium Tuum calcar addere, & ad pertexendam telam excitare me potuerit.

Ego vero gratias, quas debeo, ago maximas, tum pro elaboratiſſimo Tractatu de Bibliotheca Auguſta, & honorifica in eo mei mentione; tum pro miſſis nummorum, vel ſola raritate commendatorum, typis, pro aliorum quorundam ἐκτυμάτων *communicatione, indicio denique facto nummi Moguntiæ aſſervati, cujus altera facies Abſolomi Davidis filii habeat inſcriptionem: quibus, juſſu incomparabilis Tui ac vere Auguſti Principis, filii ſecundo geniti D. Antonii-Ulrici, Ducis Luneburgici &c. (quem honorem Tibi gratiſſimo acceptum hic fero animo) meum de Orientalium nummis Tractatum auctiorem prodire voluiſti. Quæ quidem omnia talia ſunt, ut vel ſingula memorem mereantur animum; quem etiam tamdiu ſincere ſpondeo atque candide, donec paria referendi blandiatur occaſio.*

Sed quid de nummis Tuis? Non ſum Oedipus. Pleroſque quidem hactenus Hebraicos, Samaritanos, Arabicos, Cuſico & vulgari Charactere notatos, vel explicui, vel male redditos reſtitui; hic tamen hæret aqua. Priores duos *Punicos eſſe, libenter datem: ſi Punicæ literaturæ veſtigia extarent. Scaliger in Euſebianis ſuis pag. 110. Punicos characteres cum Samaritanis eoſdem eſſe vult. Nec dum ab aliis, meo judicio, oſtenſum perſpicue ſatis eſt, cujuſmodi veterum Pœnorum fuerint elementa. Tutius proinde & confidentius poſſum dicere; quid non ſint, quam quid ſint. Gothicis propius videntur accedere, tum quod equorum habeant figuram, tum quod una & altera inſcriptionis litera a Gothicis non abludat. De* Tertio *minus dubitationis. Gothicum eſſe, ex inſcriptione colligo, cujus tamen literaturam felicius, quam ſenſum aſſequor. Ex Alphabetho enim Gothico, & annexa brevi inſtitutione Grammatica, quam ex Seren. noſtri archivo, nuper, magno meo commodo, amicus mecum communicavit, plane conjicio, vix ambigendum, quin ex Gothica nummus illi prodierit officina. Reliquos* Tres *Elias reſtituat, non ego: niſi quod* Sextus *eam plane referat figuram, qua ex Romanis nummis Auguſtus, cum inſcriptione Cæſar Auguſtus Divi F. Pater Patriæ, quam habet Jacobus Biæus Antvverp. in Numiſmat. Imp. Rom. pag. 12. repræſentatur. Peregrina tamen iterum, & non Romana ſcriptura intercedit. Vides, quam nihil occurrat certi! Juvat tamen habere, ut ubi, ſuo tempore, aliorum acceſſerit collatio, ſolidius de iis edi poſſit judicium.*

I. *Nunc ad* παράδοχα, *ut vocare placuit, &* Primo *quidem tanto facilius accedere poſſemus, quanto uſitatius in ipſa ſcriptura Siclus pro argenteo, & viciſſim argenteus ponitur pro Siclo, ceu diximus ſup. pag. 114. niſi diſertus obſtaret locus, 1. Chron. XXI. v. 25. ubi expreſſe legimus, David Arnano dediſſe Siclos aureos, pondere ſexcentos. Heb.* שקלי זהב, *quod Vulgatos Siclos auri* κατὰ πόδα *reddit; Arabs ducentos auri ſtateres. Cur Syrus habeat quinquaginta ſtateribus; cum ſtaterem Syri* qua-

quatuor Zuzis sive denariis Romanis (quorum quatuor Siclum constituunt) definiunt ; non video, nisi quod in re nummaria veterum Hebræorum hospites videantur & peregrini. Consul. sup. p. 153. *Sed &* LXX. *(eidem forte* ὑποθέσει δουλεύοντες χρυσίω. *Siclos tantum dari argenteos) transtulerunt* σίκλους χρυσίου. *Tutius textui inhæremus, qui Siclorum aureorum expresse meminit.*

II. Secundum *paradoxum,* κατὰ θέσιν *consideratum ægre Judæorum admittere videtur praxis. Scio, magnos esse viros, qui eo gravius fuisse scribant Judæis, tributum Romanis præstitisse, quod ultra dispendium argenti, Cæsaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque illi offerre cogerentur ; cum memores ipsi divinæ legis omne sculptile omnemque imaginem detrectarent ; ab aliis tamen jam, Seldeno præsertim de Jure Natur. & Gent. l.* II. *cap.* VIII. *pag.* 232. *&c. probatum est, Judæos a picturis & sculpturis tum animalium tum hominis non abstinuisse absolute ; imo ne nummos quidem Christianorum cruce signatos respuisse, seu sup.* p. 111. *monuimus. Nihil ergo obstare existimo quo minus veteribus Judæis nummos tribuamus variis hominum etiam imaginibus insignes. In hypothesi tamen, qui Mosis & Servatoris præferunt figuram nummi, manifestæ nimis sunt suspecti, imo convicti,* νοθείας ; *de Solomonis nummo judicium nostrum extat sup.* p. 120.

III. *Nullum vero* Tertio *nummum characteribus Hebraicis ornatum, esse bonæ notæ, aut multum vetustum, hactenus animadvertere non potui. Quin potius ex variorum didici collatione, neque scriptura Hebraica notatos omnes fuisse* χθὲς ἢ πρόχθες *cusos ; non certe Salomonicos illos, de quibus paulo prolixius sup.* p. 120. 139. *nec Samaritica, omnes esse veteres, non illos, de quibus* pag. 140. *Nondum enim satis hactenus probata eorum est sententia, qui quadratis Hebræorum literis ultimam abjudicant antiquitatem, prout compendiose demonstratum a nobis est,* Centur. Quæst. Theol. p. 118. *Vetustissimi Hebræorum codices, inscriptiones, &c. satis abunde hactenus eorum mihi commendarunt sententiam, qui non statim, quod Samaritanis caret notis, aut elementis, ceu novum, rejiciunt.*

IV. *Non posse vero* Quarto, *ullo certo indicio ostendi ; nummos, qui literas habent inscriptas Samaritanas captivitate Babylonica esse antiquiores ; tanto facilius concedo, quanto difficilius est, de nummorum ejusmodi Samaritanorum, ob defectum adscriptarum Epocharum judicare exacta antiquitate. Quemadmodum autem certi nihil de eorum pronunciari potest ætate affirmative, ita neque tutum satis videtur omnem nummorum, qui hinc inde in Cimeliothecis asservantur, vetustatem infra captivitatis annos restringere. Cur enim aliud posteriorum quam priorum Siclorum sit fatum ; ut illi tanto numero, aut amissi, aut hostium metu absconditi, aut vastatione perditi reperiantur ; hi reperti fuerint nuspiam ?*

V. *Unde, quod* Quinto *affertur, nummos illos omnes cusos esse Hasmonæorum & Herodum temporibus, & quidem ab ipsis Judæis, postquam cudendi nummi potestatem a Demetrio Nicanore fuerant nacti, Samaritanos enim characteres fuisse in usu vulgari, Hebræos solis sacris codicibus describendis quasi dedicatos, difficultate omni non carere existimo. Neque enim video, cur nullos Hasmonæorum temporibus vetustiores, in thesi saltem, agnoscamus nummos. Usus nummorum apud Hebræos, & antiquissimus fuit, & continuus. Quidni igitur, ex ruderibus Hierosolymitanis, vastatæ urbis, incensi templi, vel aliquos posteritati, studiose investiganti, relictos dicamus ? De Romanis & Græcis, & antiquissimis quidem, Antiquarii difficulter nos ambigere sinent ; cur de solis desperemus Hebræis ? Ipse nonnullorum inscriptiones, qualis est Solomonis, cui nummo non parum tribuo, majorem sæpe præseferunt antiquitatem. Ab Hebræis autem cusos illos fuisse, in signum* αὐτονομίας, *literis, ut plurimum vix tamen semper, Samaritanis, non repugno.*

VI. *Unum denique fuisse ratione ponderis, Sicli genus, libenter dedi ; confirmavi etiam sup.* p. 124.

Inscriptionum ἐπιταφίων *adeoque Cipporum Hebraicorum, de quibus sub finem mones, eadem, proculdubio, authoritas omnium non est. Quæ a nimia commendantur antiquitate, suspicione vix carent. Superesse tamen a mille & amplius annis genuinos & integros Cippos tam non dubito, quam certum est, Romanorum & Græcorum multa monumenta & Epitaphia, etiam antiqua, esse* γνήσια, *ab iis, qui Orientem peragrarunt, non diligenter satis vel observata, vel annotata ea esse, non miror. Obstabat, utplurimum, curta literaturæ Hebraicæ supellex ; quæ postquam Europæis familiarior esse cæpit, multas nobis inscriptiones Orientales, de quibus peculiaris nostra extat dissertatio, eruderavit quamvis dispari, & infelici multorum, successu.*

Hæc omnia αὐτοσχεδιασὶ. *Prolixa enim & præmeditata commentaria hac vice a me occupatissimo expectari non poterant.*

Hoc denique est Responsum ab Hottingero vulgatum.

CAPUT III.

De nummis illis sex quorum ectypos sibi missos Hottingerus Tabula prima aere exprimi curavit.

HIsce præmissis aggrediemur jam ad rem ipsam. Forte tamen haud fuerit absque pretio operæ, si ductum meæ & Hottingerianæ epistolæ secuti, dicamus in antecessum nonnihil, etiam de illis sex nummis quorum ectypos a me transmissos tabula prima exprimi Hottingerus curavit.

Igitur in universum non possum non monere, valde rudem fuisse in exprimendis illis chalcographi manum. Non sane omni ex parte convenit tabula isthæc cum ipsismet nummis meis, sed multum aberrat; quamvis quædam sint similia.

Priores duos nummos esse *Carthaginenses* etiamnum arbitror. Ita autem ut existimarem, moverat me jam tum Epistolam scribentem Antonius Augustinus, harum certe rerum arbiter longe peritissimus. Usus vero tunc temporis fueram versione duntaxat Latina Andreæ Schotti, qualis illa primum est addita anno seculi hujus septimodecimo operi Numismatum antiquorum a Jacobo Biæo Antwerpiæ edito & post iterata vice ibi prodit. At destituitur illa omnibus, ab ipsomet Augustino primæ editioni Tarraconensi aut Hispanicæ magna cura & accurato judicio passim insertis, complurium optimæ & raræ notæ nummorum iconibus, idque insigni lectorum damno. Versum autem illud longe præclarissimum Augustini volumen est postea & Italice, interprete Octaviano Sada; terque vulgatum & quidem suis iconibus abunde instructum, expressis nummorum typis semel ære Venetiis, bix buxo Romæ. Mihi jam ad manum est editio ultima Romana, quæ prodiit anno seculi hujus quinquagesimo. Quæ ibi reperiuntur autem nummorum Carthaginensium imagines ut Augustini sententiam luculentius multo mihi exhibent, ita me in opinione plurimum confirmaverunt. Spectantur scilicet ibi *pag.* 186. nummi duo cum equi capite, & sequente unus meorum alteri plane similis. Ne adducam nunc fabulam creditam de reperto a Didone prima Carthaginis conditrice *capite acris equi* ut cum Marone loquar, aut equum fuisse olim symbolum Neptuni cui fortunam suam Carthaginenses retulerunt acceptam.

De conjectura mea circa alterum nummum, præter equum referente etiam literas quasdam, dubitavit Hottingerus: quoniam scilicet illi characteres diversi sunt a Samaritanis, quos tamen Josephus Scaliger & Punicos esse in Eusebianis suis affirmaverit. Verum enim vero unicum illud Scaligeri, quamvis viri incomparabilis, pronunciatum non est tanti, ut propterea agnoscam characteres mei illius nummi non esse Punicos. Quamvis enim & Reinesius noster, vir summus, libello de *Lingua Punica cap.* XII. *num.* 34. existimaverit, nihil fere esse quo possit certi aliquid de Punicis Carthaginiensium literis definiri; & Reinesium tamen & Scaligerum refellere plusquam idonea sunt, præter illa a Paruta memorata ad quæ Epistola provocavit, etiam alia indubitatæ fidei Carthaginiensium quædam nomismata. Etenim & Fulvius Ursinus in suo *Illustrium Imaginum* perinsigni libro, ex argenteo nummo Hannibalis pariter atque Amilcaris imagines dedit, Punicis literis insignitas: & quæ Antonius Augustinus sexto dialogo proposuit itidem Punicos habent characteres. Reperiuntur vero similes in Thesauris nummariis passim: ut mihi quoque præter binos illos sunt etiam alii. Vel illa autem pauca docere nos possunt, non Reinesium duntaxat sed etiam Scaligerum errasse. Et vero haud omnino sunt dissimiles quidem Samaritani & Punici characteres, non iidem tamen, imo vero nonnulli horum affiniores sunt Assyriis sive vulgaribus Hebræis nostris.

Cum invitet occasio, addere forte haud abs re fuerit: Johannem Jacobum Chifletium, antiquariæ rei perquam studiosum imo eruditum, exhibere *Vesontionis pag.* 7. imagines nummorum haud multum dissimiles Carthaginiensibus meis, cum inscriptionibus tamen Latinis. Suspicatur autem fuisse veteres Sequanorum nummos. At vero populum aliquem Galliæ adhuc liberæ Latinis characteribus fuisse usum, non produnt antiqua monumenta, quanquam de Græcis literis id commemoretur. Ne quidem post Galliam a Romanis devictam, ulli Galliæ populo & quidem Sequanis jus fuisse cudendæ monetæ, temere probaveris. Verisimilius videtur, Chiffletianos illos nummos in Africa & Carthagine esse confectos autoritate Romanorum, atque ita & priscum aliquid præseferre Punicum & novum Romanum.

Non muto quoque etiamnum de nummo *Tertio* conjecturam, nempe esse illum *Gothicum*. Ipsemet vero & Hottingerus consentit. Chiffletius *pag.* 207. *Vesontionis* refert imagines aliquot nummorum aureorum: quos Vesontionenses vulgo Gothicos quidem existiment esse,

sed

sed ipse Procopii *lib.* III. *de bello Gothico* quasi ductu, mavult Burgundionibus ferre acceptos. Ego de illis quidem aureis cum Chiffletio non pugnaverim; meum tamen vindico potius Gothis. Et quidem verisimilius Westrogothis quam Ostrogothis: quoniam hi occupata Italia Romanos sibi characteres adsciverunt, id quod liquido ostendunt nummi Theodorici, Amalasuentæ & aliorum Ostrogothicæ gentis regum; illi autem, etiam in Hispania, sic satis diu priscas suæ gentis literas retinuerunt. Quod itidem illius populi superstites nummi etiamnum oculis exhibent. Ejusdem autem notæ videtur fuisse etiam ille nummus aureus in paludibus Frisiæ repertus, cujus typum Nicolaus Mullerus, eximii nominis Mathematicus, vulgavit: non tamen certo asseruerim.

De *Quarto* & *Quinto* nummo manet itidem mihi quæ olim fuit suspicio. Nec tamen diffiteor, tenujoribus longe illam subnixam esse indiciis.

Sextus quo minus sit Etruscus, non movent me longe diversi characteres Tabulæ Eugubinæ: quia jam pridem est comperta fraus in illius fictione commissa. Similem ex parte esse illum Augusti Imperatoris nummum, qui in Tabula nummaria Jacobi Biæi duodecima primo videtur loco, (ut alibi autem frequenter ita & inter meos veteres Romanos nummos non semel reperitur) recte observavit Hottingerus. Inscriptio tamen plane alia est. Ut videatur Augustus, quo tempore Cajum ac Lucium Cæsares, Julia & Agrippa genitos, adoptasset, atque Auguratu & Pontificatu decorare meditaretur, Etruscæ religionis monumentis æmulatione filiorum gloriæ studuisse.

Pervenerunt in possessionem meam, post scriptam Epistolam, & alii nummi quidam ignotis characteribus insigniti: sed non est quare de iis quidquam heic adferam, in tantis tenebris. Nec vero placet sectari inutiles minutas, aut in horridis quasi senticetis divagari. Sunt autem eorum nonnulli fortassis Opici aut Osci artificii. Cujusmodi, quantum intelligo, hodie non Italia duntaxat sed etiam Hispania habet adhuc plurimos: etsi raro eorum imagines compareant. Et vero Antonius Augustinus unicum duntaxat depinxit. Abrahamus Gorlæus *in Paralipomenis, Tabula nummaria* XLIII. decem, XLIV. unum ejus generis quidem exhibuit: sed illud opus, eximium quamvis & locuples, in paucorum est manibus, adhoc usque adeo rarum, ut Indiculi Scriptorum rei nummariæ veteris, quamvis Gorlæano opere recentiores, ejus nullam faciant mentionem; ipse imo Carolus Patinus, si quis alius rerum ejusmodi & industrius & felix hodie indagator, ne quidem ubi omnes recenset, qui familias Romanas post Fluvium Ursinum sunt persecuti, Gorlæani voluminis, quo tamen post illum Augustinum ingens accessio facta est notitiæ Romanarum Familiarum, vel verbulo meminerit.

Claudam hoc caput parte epistolæ, quam anno 1662. Kal. Febr. ad me Lipsia dedit Henricus Mejerus, pridem pie defunctus, amicus olim meus non e multis, nummorum autem veterum summe studiosus nec minus eorum peritus (cui meos equi figura insignitos nummos spectandos miseram) quoniam docet nonnulla de Africanis uummis antiquis non sane proletaria. Quæ tamen hoc ipso nostra non facimus, aut quasi tacito consensu approbamus. *Numidicos cur vocitem quosdam, quos ego tuis, Vir summe, similes quoque possideo, ex me scire desideras, dicam. Facio id autoritate* τῶν ἐν ἁγίοις *Luccii, insignis quondam Argentoratensis Antiquarii, qui id me edocuit, sibique hoc esse compertissimum asseveravit. Est quoque in altera eorum parte imago effrenis ac informis quodammodo equi, plane a Græca elegantia artificii alieni. Constat vero ex* Virgilii IV. Æneid. *infrenos esse Numidicos dictos, quod equos suos non freno aut capistro, cum reliquis populis, sed virgula duntaxat regerent. Differunt hi Numidici immensum quantum, si vel cudendi artificium, vel etiam, quod præcipuum, literas impressas spectes, a Græcis. Habent quidem & Græci literatos nummos peregrinis notis: sed illis plane dissimillimis. Observaveram ego quoque in Goltzii Græcia* Tab. XII. num. V. & VI. *literarum peregrinarum, non omnino ab Hebraicis abludentium ductus, easque Phœnicias esse colligebam: sed in tanta illius linguæ nocte, an rem tetigissem, an falsus essem, juxta cum ignaris scivi. Advolavi igitur ad celeberrimi Reinesii, in his studiis, ut reliquis omnibus, accuratissimi censoris oraculum. Is mihi Œdipus & legit & interpretatus est.* *** Χακααβ *legebat, Punicaque lingua equi caput significare dicebat, ob figuram* προτομῆς ἵππε, *a Carthaginiensibus, civitatis suæ fundamenta jacentibus, inventæ, juxta* Justini XVIII. *&* Virgilii Æneid. III. librum. *Confirmabar ego in mea sententia firmissime quæ ad Tuam quoque procul dubio accedit, Phœniceas literas Samaritanas non fuisse. Quicquid etiam celeberrimi Viri Scaliger & Hottingerus statuant.* Hæc omnia eximius ille quondam amicus noster Mejerus.

CA-

CAPUT IV.

Nummos omnes Hebræorum, qui dicti sunt Sicli, fuisse olim argenteos.

HIsce ita præmissis venimus jam ad Paradoxa nostra, de quibus agere nobis est maxime propositum. Persequemur autem illa isthoc ordine quo a nobis sunt in medium adducta.

Primum igitur Paradoxum hoc fuit: *Nullum nummum Hebraicum olim Sicli nomine esse dictum, qui non fuerit argenteus.* Solet videlicet a quammultis, non e vulgo duntaxat sed etiam ex eruditorum ordine, vox isthæc usurpari tantum non de omni nummo Hebræo, etiam æreo & aureo. Id quod perperam fieri, videtur mihi haud una ratione posse demonstrari.

I. Et *primo* quidem hoc ostendunt ipsi qui etiamnum superant Hebræorum argentei nummi. Etenim argentei tetradrachmi, qui quidem sunt genuini, inscribuntur: *Sekel Israel*. Si argentei autem illi demum audierunt ἁπλῶς nomine *Sicli*, non potuit competere illa Sicli appellatio æreis vel aureis quamvis ejusdem ponderis. Supersunt præterea argentei δίδραχμοι cum inscriptione Samaritana: *Chatzi Schekel Israel*, sive *Dimidius Siclus Israelis*. Qualem nummum etiam Mosi Gerundensi, teste *Ariæmontano in Ephron*, visum, primus Villalpandus spectandum exhibuit. Fecit idem Waserus *lib.* II. *cap.* VI. Quod si etiamnum inveniretur Sicli Triens & Quadrans argentei, etiam illi possent hoc ostendere. Sed hactenus mihi visi non sunt nummi isti, nec mihi quisquam innotuit qui eos superstites memoraverit. Et sane Waserus *cap.* VII. de Triente, *cap.* VIII. de Quadrante Sicli egit: produxit quoque utriusque ectypos & inscriptiones diversas, sed ex conjectura duntaxat. Quod liquet vel ex illis verbis, quibus septimum caput de Triente claudit: *Probabile est, neque hujus nummi notas vel symbola alia fuisse, quam quæ fuerunt Sicli integri tetradrachmi. Quare libet etiam iisdem eum figuratum hic exhibere, cum hac tamen altera parte diversa inscriptione Schelischitu ha Schekel Israel, Triens Sicli Israelis.* Etsi autem Triens & Quadrans Sicli forte nunc nullus reperiatur: soli tamen superstites Sicli integri paradoxo meo probando sufficiunt.

II. Præbent vero & *alterum* argumentum reliqui adhuc ærei Hebræorum nummi. Habemus videlicet etiamnum, qui pondere Siclum integrum aut Semisiclum aut Quadrantem æquant, nummos æreos; quorum nulli tamen inscriptum est aliquod a Siclo acceptum cognomentum. Et vero æreus est τετράδραχμος, atque adeo Sicli pondere, nummus ille, quem singulari opusculo Cl. Schraderus noster erudite illustravit: quemque post Hottingerus Tabula quinta loco quarto curavit exprimi. Sicli etiam pondus habet consimilis fere æreus Hottingeri, qui quintus est Tabulæ tertiæ. Ejusdem metalli est ille, si pondus spectes, Semisiclus, quem post Villalpandum, Waltonum, & Kircherum exhibuit Hottingerus Tabula tertia loco secundo. Etsi enim hunc nummum, ob palmæ & radicis balsami figuram, nonnihil habuerit suspectum Hottingerus *pag.* 148. editionis iteratæ, ut & priorem, quia est æreus *pag.* 143. Post tamen agnovit genuinum utrumque. Spectandum Villalpandus & post eum alii quadrantem quoque æreum præbuerunt. Ac proinde exstant nunc etiam varii nummi ærei Hebræorum. Etsi autem si statera eos examines ad Sicli pondus sint exacti, non tamen in omnibus illis ulla Sicli fit mentio.

Haud dissimulabo nihilominus illud quod doctissimus Hottingerus annotavit plagula prima libri cui *Bibliothecario* titulum fecit. Agens quippe de illo æreo Semisiclo quem Tabula tertia secundum habet, de aversa ejus parte ita scribit: *Posterioris faciei literæ magnam partem sunt exesæ, nihil tamen omnibus diligenter expensis colligi aliud videtur, quam Siclus Jerusalem sanctæ.* Si sane recte legerit Hottingerus, cadit vis secundi me argumenti. At vero jam tum liquet, ipsummet virum summum diffisum suæ illi lectioni. Sed & qui possit ibi legi vox *Siclus*, cum tamen nummus iste duas duntaxat drachmas vel pondus Semisicli exæquaverit? Hæc igitur quidem Hottingeri hariolatio non est quod nos hic turbet. Ac proinde manet robur argumenti adducti.

III. Confirmant *porro* sententiam meam Flavii Josephi dicta. Haud dubie enim ille testis est locuples saltim eorum quæ ipsius ætate in Judæorum republica usitati fuerunt moris. In universum autem potest affirmari, nusquam in omnibus Josephi voluminibus Sicli vocem ἁπλῶς fuisse positam, nisi de quatuor drachmarum Atticarum ponderis argento. Α'πλῶς inquio nunquam aliter a Josepho accipi: quia Sicli vox proprie pondus significat τετράδραχμον, atque ita omnis generis metallo potest, & sæpius a Josepho solet æri quoque adjici, si illud ejus fuit ponderis. Adferemus in medium ex omni illo numero unum duntaxat vel alterum testimo-

monium. Et vero unum pro quamplurimis esse potest Josephi dictum, quod habetur *lib.* III. *cap.* X. *Antiquitatum* ὁ δὲ Σίκλος νόμισμα ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Non de pondere hic loquitur Flavius sed de pretio. Cum drachma itaque Attica, in quantum monetæ species erat, fuerit argentea, etiam Siclus utique κατ' ἐξοχὴν argenteas ejusmodi monetas apud Hebræos designavit, saltim illa Josephi tempestate. Significavit vero paulo post etiam diserte Josephus, de argenteo nummo sibi sermonem fuisse, addens: ἔφερον δὲ τὸ Ἀργύρεον τῶν ἐλευθέρων οἱ ἀπὸ εἴκοσιν ἐτῶν ἄχει πεντήκοντα γεγονότες. Non minus evidens porro testimonium Josephi potest peti ex iis quæ *lib.* VII. *cap.* X. Ἀρχαιολογίας ille narrat de emta area Oronnæ Jebusæi (2. *Sam.* XXIV. 24.) Textus scilicet Hebræus habet, emtam illam *quinquaginta Siclis argenti*. Septuaginta verterunt: ἐν ἀργυρίῳ πεντήκοντα σίκλων. Josephus autem nullam facit *argenti* mentionem, sed simpliciter scribit: πεντήκοντα σίκλων ὠνεῖται γαρ αὐτὸ τὴν ἅλω. Alia ex Josepho adferre in medium, supervacuæ fuerit operæ.

Possit forte computari in rationibus etiam illud quod Græci interpretes *v.* 20. *cap.* XV. *lib.* II. *Regum*, cum de Siclo argenti esset sermo in Hebræo textu, sola Sicli voce fuerint usi. Sed forte videtur ab illis id factum brevitatis gratia, quia argenti paulo ante fuisset facta mentio. Itaque non provocabimus isthuc.

Cæterum saltim post solutam captivitatem, aut parta jam per Hasmonæos libertate, Sicli nomine ἁπλῶς usurpatam fuisse monetam argenteam, ex Josepho est liquidum. Non ultra illam ætatem, fateor, extendit sese vis etiam argumentorum reliquorum. Demonstrabimus enim, omnes non Siclos tantum sed æreos etiam nummos superstites, deberi Hasmonæis aut Herodibus: ac proinde iis, qui ex nummis illis ostendere nituntur usum, qualis ille fuit antiquissimis ante Babylonicam captivitatem temporibus; me non accedere, haud equidem dissimulaverim.

IV. Jam tum diu autem ante calamitatem istam Babylonicam, Sicli vocem accipi solitam ἁπλῶς & κατ' ἐξοχὴν de *argento* quatuor drachmarum sive Sicli ponderis, liquet vel ex uno illo quod habetur *cap.* XXX. *Exodi* 13. de dimidio Sicli offerendo, *argenti* vocabulo omisso. Quod si enim fuisset recepti moris, vocem Sicli ἁπλῶς positam non de solo argento sed alio etiam metallo aliquo accipere, non potuisset populus intelligere quodnam metallum Deus offerri vellet: & omnino diserte debuisset metallum illud indicari. Non nisi argenti autem Semisiclum mandato isthoc divino offerri esse præceptum, utique in confesso est. Nec vero id Rabbini duntaxat confitentur, sed etiam liquet ex interpretatione & Josephi illa quam modo adduximus, & Interpretum Septuaginta, qui verterunt τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου. Non enim nisi argenteum quid illo διδράχμου nomine sine ulla adjectione posito, Græcis omnibus mos fuit appellare. Eodem autem significatu etiam alibi in V. T. scriptis Siclus accipitur. Ut 2. *Reg.* VII. *vers.* 1. & 16. Ubi Græci interpretes ἁπλῶς quoque habent σίκλους, nec minus ipse Josephus *lib.* IX. Ἀρχαιολ. *cap.* II.

V. Jam isthoc præterea antiquissimo ævo Sicli appellationem fuisse argento quasi propriam, indicat haud obscure, etiam illud quod legitur *Genes. cap.* XX. *vers.* 16. Abimelech Regem dedisse Abrahamo *mille* כסף i. e. *mille argenti*, elliptica φράσει. Ibi enim vocem Sicli subintelligendam esse, omnes consentiunt. Eoque & Septuaginta verterunt χίλια δίδραχμα: qua voce Siclum ab iis significari notum est. Quod qui sit factum, cum Siclus fuerit τετράδραχμος, infra dicemus.

Cæterum viderunt jam pridem vim ejusmodi argumentorum nonnulli quoque literaturæ Hebraicæ principum. Hinc Ariæmontani hæc sunt verba *in Ephron*, ubi agit de Siclo pondere. *Non putamus, auream monetam aliquam fuisse quæ Siclus diceretur: neque æream etiam. Quanquam non inficias ibimus, fuisse aureas & æreas monetas, verum aliis nominibus dictitatas. Quosdam etiam aureos nummos vicenum Siclorum, quosdam vicenum quinorum, alios quindenorum in usu fuisse, quæ Minæ partes dicerentur, ut exponit Cambius in Ezechielem* XLV. 12. *Sed certum auri vel æris Siclum, eodem nomine dictum, non facile in antiquorum libris agnoscimus. Sed cum de Siclo auri aut æris Scripturæ meminerunt, pondus ipsum non valorem esse æstimandum, arbitramur*. Hæc Ariæmontanus. Quæ mox multis ex Scriptura S. petitis exemplis egregie confirmat.

Idem approbavit Waserus: & quidem ut sua videatur ex Ariæmontano transcripsisse iisdem prope retentis verbis. Ita enim ille loquitur *lib.* II. *de Antiquis nummis Hebræorum* cap. III. pag. 58. *Hebraicus Siclus apud populum veterem Hebræum ex instituto Dei fuit in usu: isque duntaxat argenteus, ex argenti videlicet metallo percussus. Nec enim aureum aliquem vel æreum vel ferreum, qui Siclus diceretur, nummum fuisse, ex antiquorum* mo-

monumentis colligitur: quanquam non repugnem, fuiſſe aureos vel æneos nummos apud Hebræos, verum aliis nominibus dictitatos. Item pag. 64. *Obſervant Hebræi, quod diligenter notandum, Sicli cum Sacri tum profani nomen non ſemper exprimi, ſed fere nomen Ceſeph h. e. argenti e quo Siclus procuſus, ſimpliciter poni; tumque Siclum ejus metalli ſemper eſſe ſubintelligendum. More etiam Latinis uſitato, apud quos, centenos æris, & mille æris, & dena millia æris frequenter legas, ſubintellectis ubique aſſibus, qui ex ære procuſi fuerunt, & per quos non tam expreſſo quam tacito nomine numerabant.*

Ipſemet porro Hottingerus in Epiſtola ſcribit: *uſitate in ipſa ſcriptura Siclus pro argenteo & viciſſim argenteus ponitur pro Siclo, ceu diximus ſupra pag.* 114. At vero illa pagina dixerat: *Ἀργύρεια & Sicli ſunt æquipollentia.* Item: nomine *ἀργυρείων ſimpliciter poſitorum Siclos intelligi.*

Verum enimvero, idem tamen vir doctiſſimus jam tum ſcripſerat *pag.* 117. primæ, & 130. ſecundæ editionis: *Siclos etiam dari aureos, i. e. didrachmum aureum, ex* 1. Chron. XXI. verſ. 25. *obſervat Brerevvodus.* Quin hanc ſententiam Brerevvodi ſuam fecit in eo quod mihi reddidit Reſponſo. Neutiquam vero vel ſic eam mihi perſuaſit. Etſi enim dicat Hottingerus, *in Chronicis expreſſe legi, Davidem Arnoni dediſſe Siclos aureos pondere ſexcentos.* Item infra: *Tutius textui inhæremus, qui Siclorum aureorum expreſſe meminit*: neque me fugiat ita vertiſſe Pagninum. Attamen ipſe Hottingerus verba Hebræa illa adducit, quæ non *aureos Siclos* ſed *Siclos auri* ſignificant. Vulgatus interpres, ipſomet Hottingero fatente, *κατὰ πόδα* reddidit *Siclos auri*. Septuaginta item *σίκλους χρυσίου* verterunt: non *ὑπόθεσει δουλεύοντες Siclos tantum dari argenteos* (quod tamen & illos credidiſſe certum eſt, meritoque debuiſſet non leviter ſperni) ſed quia ſic invenerunt in Hebræo. Fecit idem & Lutherus noſter: Gott am Gewicht ſechshundert Sekel. Etiam vero Arabs, teſte Hottingero, interpretatus *auri ſtateres*, non nummum intellexit ſed pondus ſtateris: non enim duntaxat moneta ſtater eſt ſed etiam pondus. Perſpicuum porro eſt, ſermonem ibi eſſe de pondere. Pagninus utique diſerte: *pondere ſexcentos*. Græcus *ὁλκῆς ἑξακοσίους*: Vulgatus, *juſtiſſimi ponderis ſexcentos*. Solo pondere itaque numerus ille Siclorum fuit judicatus & conſtitit. Id mirum vero quod Hottingerus teſtatur, interpretem Arabem agnoſcere *ducentos auri ſtateres*, Syrum *ἁπλῶς quinquaginta ſtateres*: quorum neutrum textui Hebræo Chronici convenit. An Syrus credidit mendum ſubeſſe, adeoque maluit etiam hic exprimere quod legitur 2. *Sam. cap.* XXIV. Sane & aliis locus hic ſuſpectus habitus eſt. Docte tamen de hac varietate differentem Ariæmontanum, ubi agit de Siclo pondere, fuerit operæ pretium audire.

Sed de Hottingeriana objectione forte plus ſatis. Validioris momenti videatur, quod amicus quondam noſter, quem jam præcedente capite laudavimus, Henricus Mejerus Lipſia ad me anno quinquageſimo ſeptimo hujus ſeculi perſcripſit, de quodam ſuo aureo elegantiſſimo, qui earundem & figurarum & inſcriptionum erat cum Siclo argenteo genuinæ notæ. Quod ſi ſane fuerit is genuinus, jam res omnis facilis eſſet definitu, & valerent nihili adductæ abs me rationes pro Siclo argenteo. Verum enimvero nec ipſe vir doctus auſus fuit ejus aurei *γνησιότητα* aſſerere. Laudavit cumprimis *elegantiam ſingularem*. Illa autem mihi viſa eſt argumentum *νοθείας*: quoniam ſcilicet quotquot alii ſuperant nummi Hebræorum, ſive argentei ſive ærei, elegantiæ nomine non merentur aliquam ſingularem laudem.

Idem probare niſus eſt, olim fuiſſe in uſu aureos Siclos, ex illo Maimonidis dicto: *conflatos eſſe duos Siclos argenteos in aureum.* Sed longe rectius id intelligi poteſt ex iis quæ Hottingerus habet pag. 104. *In Talmud habetur: conflabant Siclos in Darbinoth propter onus viæ. Gloſſa habet: Darbon continebat duos ſelahim, dicitque, quod conflati fuerint iſti Sicli qui fuerunt ex argento in nummos aureos, ut levius foret onus ipſorum.* Hic ſane de nummo aureo Sicli dicto appellatione nihil legitur. Ne quidem hinc liquet, Darbinoth fuiſſe nummos aureos Hebræos: aut duos Siclos fuiſſe tranſmutatos in unum aureum. Conflatio enim ibi eſt permutatio.

Provocavit idem amicus noſter ad illa Joſephi quæ nos pro contraria ſententia, atque adeo noſtra, adduximus ex *cap.* IX. *lib.* III. *Ἀρχαιολογίας*. Non permittere autem illa aliam Sicli monetam quam argenteam, nos jam tum evicimus.

Provocavit denique ad Joſephum, ubi illa quæ Numerorum *cap.* VII. leguntur de auro, ex quo confectæ fuerint *θυΐσκαι*, interpretatur *θυΐσκην Δαρεικοὺς δέκα δυναμένην*: Daricum autem fuiſſe duntaxat duarum drachmarum. Nihil autem & illa faciunt ad probandum id quod in quæſtione erat: Sicli nomine olim apud Hebræos aliquem fuiſſe aureum. Imo ne quidem probant, nummum aliquem aureum

reum in usu fuisse quondam Israelitis. Θύισκαι vero illæ aureæ fuerunt Sicli pondere, atque ita valuerunt tantundem atque Josephi ætate Daricus aliquis. Erat nempe id nummi aurei Persici genus tunc in usu, & pondere convenit cum Siclo. Pollux enim quidem δίδραχμον facit Daricum: sed loquitur ille de drachmis Alexandrinis, quarum singulæ æquabant drachmas duas Atticas. Suidas & Hesychius Stateris aurei nomine vocant Daricum: habito respectu ad drachmas Atticas. Ut manifestum sit, Daricum æquiponderasse Siclo. Quicquid vero hujus sit: ex eo quod Josephus passim Siclum auri solet cognomento Darici appellare, potius colligere est, nullum aureum nummum Hebræis Siclum audivisse, ac proinde coactum quasi fuisse Josephum, ex vulgari usu *Darici* cognomentum Persicum assumere.

Manet igitur id quod diximus: *nullum nummum Hebræorum Sicli nomine fuisse dictum qui non fuerit argenteus*. Id quod erat probandum.

CAPUT V.

Nullum nummum Hebræum, qui refert hominis imaginem, esse genuinum.

PErgimus ad Paradoxum secundum, quod ita sese habuit; *Nullum nummum qui imaginem hominis refert genuinum: ideoque illum Salomonis & Mosis effigie insignitum, & si qui alii sunt similes, cumprimis illum qui imaginem habet nostri Salvatoris, adulterinos omnes esse*.

Probo hoc ipsum duplici argumentorum genere. *Primum* est, quod in universum Israelitæ veteres hominis effigiem, saltim nonnihil exstantem, tanquam lege divina aliquid vetitum non approbaverint, ac proinde nec nummos suos ea ratione efformaverint. *Alterum* est, quod omnes laudati aut superstites nummi, in illum modum, hominis scilicet imagine, insigniti, qui quidem solent Hebræis autoribus adscribi, malæ sint notæ ac supposititii.

Quorum argumentorum *prius*, non tantum id evincit quod probandum est, sed etiam hoc, nullos omnino id genus nummos signatos fuisse olim, atque adeo tales nec periisse quidem vel usquam extitisse.

I. Cæterum ut prioris quidem illud assertum liqueat, observandum est: saltim ab Hasmonæorum usque ætate fuisse olim usque ad excidium gentis, persuasum Israelitis, imagines vivorum animantium, cumprimis vero hominis conficere, lege Decalogi divina esse prohibitum. Non disputabo jam, bene an secus ita visum fuerit; factum autem id esse, haud difficile probatu est, ex Philone pariter & Josepho, quos constat, paulo post Salvatorem nostrum & vixisse & morum doctrinæque tunc receptæ gentis suæ fuisse utique peritissimos. Simpliciter sane loquitur Philo *lib. de Gigantibus*: ὁ Μώσης τὰς δοκίμους καὶ γλαφυρὰς τέχνας ζωγραφίαν καὶ Ἀνδριαντοποιΐαν, ἐκ τῆς κατ' αὐτὸν πολιτείας ἐξήλασε, *Moses illas speciosas & magni pretii artes Picturam & Statuariam ex sua republica seclusit*. Idem *lib. de Legatione* diserte ait: γραφικὴ καὶ πλαστικὴ βλαβεραὶ δημιουργοὶ *Pictura & Plastice noxiæ artifices*. Item: μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μὴ γραφήν, *non effigiem non simulacrum non picturam*. Laudat, fateor, quidem Pingendi artem etiam Philo *lib. de Somniis*: sed non laudat ejus usum in gente sua, minime ad imagines animantium aut hominis. Flavius porro Josephus *lib.* XVIII. *cap.* IV. Ἀρχαιολογίας narrat, qui ante Pilatum fuerant Præsides solitos Hierosolymis uti signis militaribus, non habentibus Cæsarum imagines, a Pilato autem clupeos Cæsarea allatos Hierosolymam cum effigie Cæsaris, ἐπὶ καταλύσει τῶν νόμων Ἰουδαϊκῶν, Item: εἰκόνων ποίησιν ἀπαγορεύοντος ἡμῖν τοῦ νόμου, *Lege nobis probibente confectionem imaginum*. Addit vero, tumultuantem populum non quievisse, nisi clupeis istis Cæsaream reductis. Idem Josephus narrat, Vitellio per Judæam contra Arabes exercitum ducturo cum imaginibus signorum, occurrisse populum id deprecantem, οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, *non enim esse patriæ moribus consuetum videre illatas in illam imagines*. Eodem teste, cum Herodes Rex Antipatri filius trophæa erexisset, & imagines humanas iis occultari populus crederet, exclamavit, μὴ φέρειν εἰκόνας ἀνθρώπων ἐν τῇ πόλει, *non permissuros se imagines hominum in urbe*. Idem Josephus in historia suæ vitæ refert, missum sese a populo Hierosolymitano ad Tiberienses, dirutum ab Herode Tetrarcha exstructam ibi domum, ζώων μορφὰς ἔχοντα, τῶν νόμων οὕτως κατασκευάζειν ἀπαγορευόντων, *animalium imagines habentem, cum leges tale quid construere vetaverint*. A Josepho ipsomet, animalium figuras ἁπλῶς lege vetitas; creditum esse, manifestum est ex hisce verbis quæ de Salomone proferuntur *lib.* VIII. *cap.* I. Ἀρχαιολογίας: ἁμαρτεῖν αὐτὸν ἔτυχε καὶ σφαλῆναι περὶ τὴν φυλακὴν τῶν νομίμων, ὅτι τῶν χαλκῶν βοῶν ὁμοιώματα κατεσκεύαζε, τῷ ὑπὸ τῇ θαλάττῃ ἀναθήματι, καὶ τῶν λεόντων τῶν περὶ τὸν θρόνον τὸν ἴδιον. *Peccare illum contigit, & di-*

scedere a præscripto Legum, dum æneorum boum simulacra construxit in basin maris, & leonum circa proprium thronum: addito: ὐδὲ γὰρ αὐτὰ ποιεῖν ὅσιον, *nec enim talia conficere fas est*. Quę verba liquido testantur, illam quę toti tum genti Israeliticę, saltim in Palęstina & Ægypto, fuit communis persuasio, etiam Josepho fuisse probatam: Nec vero est quod suspicemur, Philoni & Josepho aut aliis paucis ita tunc visum esse. Vetant sane ejusmodi quid suspicari saltim narrationes Josephi paulo ante adductę, & ex adverso luculenter hę ostendunt, placuisse illam sententiam tunc toti populo. Quin imo non obscure eandem sequutus est ipsemet Origenes, haud dubie quod illam a Judęis accepisset. Ita enim ille loquitur *lib.* IV. contra Celsum in Latina versione Hœschelii. *Apud* Israelitas *nemo qui imagines faceret locum habuit. Nam in eorum civitatem nullus admittebatur Pictor, nullus Statuarius, lege totum hoc genus arcente*.

Verum enimvero illam Legis interpretationem non equidem ipse probo. Mihi autem nunc satis est ostendisse, eam Philonis saltim & Josephi tempestate populo in Palæstina fuisse persuasam. Sed & ita tunc docuisse Pharisæos aliosque Legis doctores, argumento est communis sententiæ & Pharisæismi ὑποκρισις. Ne quid nunc dicam, quod ipse Josephus Pharisæorum hæresi fuerit addictus, & proinde simul eorum Legis interpretationibus quamvis minus probis. Jam autem prævaluerunt Pharisæorum dogmata saltim in vulgo Judæorum per omne ęvum Hasmonęorum imperii. Etiam ergo quoque Legis interpretatio omni illo tempore fuit recepta. Atque adeo saltim illa omni tempestate fuit apud Judæos nefas habitum, humana figura nummos signare. Forte nec admissi temere sunt in usum nummi a gentilibus hoc signo inscripti: quoniam nempe audivimus, ne passos quidem tunc Judæos humanas imagines ad se transferri. Forte inquam: nec enim hujus est loci vel affirmare hoc vel negare. Satis est demonstrasse, quod illa quidem tempestate omni a Judæis ipsis non fuerint nummi humana imagine signati.

Num jam ante recuperatam Hasmonæorum ductu populi libertatem & Pharisæorum exordium, rigida illa divinæ Legis de animantium atque hominis imaginibus interpretatio obtinuerit, difficile definitu est, quia in neutram partem suppetunt quæ hic nos instruant monumenta. Verisimile autem est: hominum præcipue imagines damnari cæpisse cum Græcorum in Judæos imperio, atque adeo & utriusque populi consortio: quoniam nempe Græci Diis suis humanas figuras tribuerunt, quos Romani sunt imitati; qui mos nec Persis, nec Chaldæis nec Palæstinæ vicinis Syris fuit in usu: sed Animantium imagines detestari populum cœpisse jam ante, quo alienos sese redderent a Syriæ & Ægypti idololatria. Cœterum & Salomonem violasse divinum de imaginibus præceptum, bobus æneis mari portando in templo locatis, ut & leonum simulacris in splendorem regiæ sedi additis, quod Josepho visum, id vero nimis est Pharisaicum. Non enim in ipso templo Deus aut ejus sacerdotes fuissent passi, Divinæ Legi cum populi scandalo recta Salomonem adversari: certe Deus non probasset illam ædem certissimis divinæ suæ inhabitationis indiciis. Nolo quidquam addere de Cherubeis ipsam arcam fœderis, loco omnium sanctissimo, alis suis obumbrantibus. Etsi enim Thalmudici eorum alteri masculi alteri fœminæ faciem, nonnulli & pedes bisulcos aliaque monstrosa utrique attribuant, quoniam tamen nihil tale prodidit sacer codex, & populo Cherubim conspectus fuit negatus, adeoque fuerit incognitus, merito Thalmudica ista ceu commentitia sunt aspernanda, si non damnanda. Mihi sane placet hac parte id quod Josephus scribit lib. VIII. Αρχαιολ. cap. II. τὰς δὲ χερουβεῖς ὐδεὶς, ὁποῖαι τινες ἦσαν, εἰπεῖν ὐδ᾽ εἰκάσαι δύναται. *Cherubes autem, nemo quales fuerint dicere vel imagine exprimere potest*. Cui simile quid jam dixerat *lib.* III. *cap.* VI. procul dubio ex sententia sui ævi Rabbinorum. Verum hoc obiter duntaxat nunc monetur.

Quomodocunque vero habuerint sese vetustissimæ Legis illius de imaginibus interpretationes, ad rem nostram nummariam vel omnino non vel parum attinent. Etenim saltim a Babylonica captivitate, ad libertatem usque per Hasmonæos reductam, non utique fas fuit Israelitis nummos signare; quippe qui omni illo tempore duram passi fuerint servitutem a Chaldæis Persis & Macedonibus, qualibus subditis nummos cudendi facultas ubivis terrarum hactenus denegari solet. Non multo post præterea demonstrabimus, ante Babylonicam captivitatem auro aut argento signato in hominis nummaria re Israelitas usos non fuisse. Ut proinde nec signato aut animantis alicujus specie nummum aliquem tunc insigniverint. Post excidium autem gentis Romanum itidem Judæos nusquam ausos nummos sibi cudere, extra controversiam arbitror esse.

Igi-

Igitur si non Hasmonæorum ætate cusi sunt a Judæis nummi humana imagine, nulli tales sunt unquam ab iis signati. Non esse autem illa tempestate ejusmodi nummos factos, jam liquido probavimus. Cujus consequens est: si qui reperiantur nummi Hebræi humana effigie insigniti, illos spurios esse, & a falsaria manu confictos. Id quod primo nostro argumento demonstraturos nos promisimus.

Quæ opposita voluit doctissimus Hottingerus, illa meam assertionem vix tangunt: tantum abest ut fregerint. Caussatur adversantem mihi Judæorum praxin. At si sermo ipsi fuerit de praxi perpetua tangit me, fateor: si de sequioris temporis Judæorum actibus, nullius est momenti objectio. Non enim, si posterioris ævi praxis dissentiat, non est verum id quod dixi de more Hasmonæorum ævo usque ad reipublicæ excidium usitato. Solent enim sæpenumero mores populorum multum mutari. Quæ vero illa est praxis perpetua? An cudendæ cum imaginibus hominum monetæ? At vero mille & jam sexcentis amplius annis nullam monetam cuderunt Judæi: a captivitate item Babylonica ad Simeonem Ethnarcam itidem nullam illi cuderunt. Tempora antecedentia jam non attingam, ut nec Hasmonæica. Sed Hottingerus videtur loqui de *praxi* utendi monetis humana imagine signatis. Verum enimvero Paradoxum meum haud negat usus Judæos ejusmodi nummis; cudisse negat, & hactenus, si qui fuerint tales, genuinos non esse, asserit.

Quod de nomismate census dictum adjicitur, verum est, profectum illud esse a viris nummariæ rei perquam peritis & magnis. Est enim eorum alter Marquardus Freherus, alter Caspar Waserus. Forte etiam non est de nihilo quod sunt suspicati. Quam superstitiose enim populus abhorruerit, ab imaginibus hominum Christi ævo jam ostendimus. Nec tamen illorum sententiam nostram fecerimus. Nummos enim ejusmodi a dominis suis signatos in usum admittere, pridem ante assueverant Judæi. Habuit enim & Darii Persæ imaginem aureus ille nummus qui celebri olim fuit fama Darici: & tamen jam Esdræ ætate illum usu innotuisse Judaico populo, liquet ex *Paralipomenis*. Syriæ porro & Ægypti Reges Macedonicæ gentis suæ imaginibus nummos signasse, ostendunt plurimi eorum etiamnum superstites. Haud dubie vero & iis coacti sunt uti Judæi, quo tempore sub eorum dominatu degerunt, & ipsam Græcam linguam in familiarem usum adsciverunt: (qua de re alias fortassis) nec enim alii nummi tunc fuere ad manus. Perinde atque hodie nummis peregrinis utuntur, quamvis effigie humana imo & Sacra Cruce signatis.

Utrum autem Seldenus probaverit nec ne, *Judæos a picturis & sculpturis tum animalium tum hominis non abstinuisse absolute*, non est hujus loci disquirere. Probaverit, non absolute abstinuisse; hactenus ille non adversatus est meo Paradoxo. Concedo enim & ego, a nummis ita ab aliis signatis saltim non semper abstinuisse Judæos olim ut neque nunc. Ne quidem tentavit tamen probare, nummos ejusmodi Judæos ipsosmet signasse. Ne quid dissimulem, haud satis probavit Seldenus, saltim Josephi ætate Judæos ab animalium & hominum picturis & sculpturis non absolute abstinuisse. Fatetur sane, eam fuisse sententiam Josephi, eumque ut in aliis ita & hac in re Thalmudicæ doctrinæ adversari: quin sententiam suam Josephum populo ipsi attribuisse, hanc tamen quoque eum simulasse, etsi aliter sentiret. Populum vero non idem sensisse, probare potissimum nititur ex Thalmudicis traditionibus: quasi vero hæ certum præbeant testimonium eorum omnium quæ olim obtinuerunt. Quod mihi sane nemo temere persuadebit: quippe cui Josephi fides longe est major. Habet & multa alia Seldenus in tumultuariis suis disputationibus, non octavo duntaxat sed sexto etiam & septimo capitibus de imaginum apud Judæos usu, quæ rigidum examen forte non ferant. Verum, ut ante dixi, non patitur institutum nunc hoc agere. Quod autem hominis in nummo signum attinet, ipsemet Seldenus diserte satis ex suis Talmudicis magistris ea docet, unde colligas, neutiquam fas fuisse olim Judæis tales nummos cudere. *Pag.* 186. editionis Argentoratensis ipsissima hæc Seldeni sunt verba. *Satis concordes sunt magistri, de protuberante in nummo alibive figura humana non efformanda*. Pag. item 192. *Quod adjicit* Schickardus *de aliarum rerum signis in numismatis Hebræorum veterum protuberantibus, haud quidquam facit ad asserendum suum illud de humana in nummo apud eos figura. Nam de cæterarum rerum in terra aquave imaginibus receptior est sententia, nullam ex iis fuisse, quam formare ornatus seu animi caussa quomodolibetcunque non licuerit*. Item pag. 194. *Humanam figuram exstantem seu prominentem formare, interdictum esse volunt magistri*. Idem *cap.* VIII. ab Hottingero laudato *pag.* 225. cum dixisset, usos olim Judæos nummis Alexandri, Philippi, Lysimachi, Antonii, Agrippæ aliorumque ima-

 gine

gine signatis, addit: *Interea imagines istiusmodi facere, ipsi sibi habuerunt Judæi nefas*. Hæc omnia Seldenus. Neutiquam ergo ad illum debuisset provocare Hottingerus contra Paradoxum meum: nec etiam ex Seldenianis potuit ille merito ita colligere: *Nihil ergo obstare existimo, quo minus veteribus Judæis nummos tribuamus, hominum etiam imaginibus insignes*. Hoc profecto ex Seldenianis minime est consequens: sed contrarium. Quoniam nempe Judæis priscis nefas habitum, humana figura nummos signare, ergo tales nummi non sunt genuini Hebræorum nummi sed suppositicii.

Cæterum hæc quæ attulimus ex Seldeno, consentanea esse Thalmudicæ Magistrorum, quos ille laudat, doctrinæ, atque adeo etiam ex sententia horum sequioris, ævi Judæorum non esse fas creditum, imagine humana nummum signare, confirmabo ipse testimonio trium magni nominis Rabbinorum: quorum prior quingentis circiter ab hinc annis, posterior nuperrime adhuc floruit. Prior autem est Moses Maimonides summæ inter suæ sectæ doctores existimationis. Secundus Rabbi Levi Barzelonita cujus librum *de jure Hebræorum* ipse edidit Hottingerus. Tertius Rabbi Menasseh ben Israel claræ item famæ a libris Latina lingua præter morem, nec indocte, editis. Ex illius opere, cui *Jad Chasaka* nomen, decerptam partem istam quæ de Idololatria agit, Latine vertit, viri quondam incomparabilis Johannis Gerhardi Vossii filius summæ expectationis sed prærmatura ereptus morte Dionysius; cujus proinde interpretatione uti possumus. Maimonides igitur scribit *cap.* III. §. 12. *Non est prohibitum formare* imagines *propter ornatum, præterquam hominis figuram. Atque eam ob caussam non est formanda e ligno, in pariete, aut e lapide, figura hominis. Sed hoc capiendum de imagine quæ protuberat: quales sunt figuræ & sculpturæ in palatiis & his similes. Talem igitur si quis fecerit vapulat. Sin figura sit depressa vel coloribus expressa: uti illæ quæ in tabulis mensisve fiunt, aut quæ intextæ operi textorio: pro licitis habentur*. Paragrapho XIII. *Annulum, cujus signum est hominis figura, si ea fuerit gibbosa, induere interdicitur, obsignare tamen eo licet. Sin figura sit depressa, licebit induere, obsignare eo non item; quippe sigillo impresso figura fiet gibbosa*. Paragrapho XIV. *Imagines quadrupedum ac reliquorum animantium, excepto homine, ad hæc figuras arborum, herbarum rerumque similium, formare licet, etiam figura gibba*. Hæc filius ille Maimonis. Ex Rabbi Levi Barzelonita Legem hanc XXXIX. adducit ipse Hottingerus sui *Juris Hebræorum* pag. 51. *Non esse faciendam imaginem hominis ex quacunque re, metallis ligno lapide, aut aliis id genus, ne quidem ad ornatum; sicut dicitur; Ne faciatis mecum Deos argenteos*, Exod. XX. 4. Addit de suo Hottingerus: *Ridicula plane hæc loci est explicatio, & ineptus Rabbinorum lusus*. Mox adjicit nonnulla in confutationem. Cum Hottingero sentio ipsemet omnino; totumque illud de hominis figura, sive ἁπλῶς ut Josephi ætate visum, sive gibba duntaxat, quod Thalmudicis placuit, non exprimenda, insanienti sapientiæ Judæorum adscribo. Nihilominus liquet hinc, per quamplura secula Hebræis nefas habitum nummos signare figura humana: id quod Paradoxo meo probando satis est. Menasseh Israelis filius postremo loquitur adhuc magis ἁπλῶς, & citra exceptionem: in *Conciliatore* suo, quæst. III. ad Exodum Paragrapho II. *R. Isaac Arama, Probibetur hoc loco, inquit, ne quis imaginem faciat eorum quæ in cœlis terra aut aquis sunt. Ait enim Scriptura: Ne facias tibi sculptile, ullamve similitudinem eorum quæ in cœlis sunt supra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis sunt infra terram: videmus manifesto interdici, ne cujus creaturæ imaginem faciamus, sive anglica, seu cœlestis, sive terrestris, sive aquatica sit: quia simulacrum rei a Deo creatæ facere non licebat protuberante forma*. Hæc etiam Menasseh ille. Quibus quidquam nunc addere, haud fuerit operæ pretium.

II. Primum igitur quidem argumentum nostrum firmum esse, liquido patet. *Secundum* eo facilius est expeditu quo magis de nummis imaginem Mosis & Salvatoris nostri referentibus, falsos illos esse, habemus ipsummet Hottingerum astipulantem. Et vero nemo quoque alius sanæ mentis temere dixerit, illum cum *Salvatoris* nostri imagine, atque cum illa quæ in aversa ejus parte reperitur ἐπιγραφῆ, esse a Judæis confectum, cum illi sint hostes Jesu Christi nostri infestissimi, & totus ille nummus utraque parte Judæos oppugnet. Retulit nummi illius imaginem inter alios *num.* 2. Waserus deque eo agit *pag.* 63. fecit idem ipsemet Hottingerus editione secunda *Tab.* VI. *n. ult.* Sed & haud infrequenter reperiuntur, non argentei duntaxat sed ærei quoque & aurei. Inscriptiones porro solent esse characteribus Assyriis: teste tamen Wasero, vidit Theseus Ambrosius etiam Samaritanam inscriptionem. Nec aversæ omnium omni modo conveniunt. Thesei enim inscriptio habuit: *Messias*

Rex

Rex venit cum pace: Deus homo factus est: Waseri, *Et lux de homine facta est vita:* Hottingeri *Lux, ex homine factus:* Antonii Ulrici Ducis, *Messias Rex venit cum pace, & luxit, ex homine factus vita.* Nihil horum non abhorret ab auribus Judæorum. Itaque illis autoribus non profecto debetur quicquid hujus generis est nummorum. Verisimilius est, confectos tales nummos a Christianis gentis tamen Judaicæ, non plane impia quidem fortassis, inepta tamen fraude; tribulibus nempe nimirum suis ad sacra Christiana pertrahendis, eo quasi jam olim Jesus noster fuisset creditus Messias. Quo animo etiam saxis in Hispania alibique nonnulla sunt inscripta.

Mosis imagine insignitos duos diversos nummos pingi fecit Seldenus *cap.* VI. *operis de Jure Naturæ & Gentium secundum Hebræos pag.* 186. *&* 187. editionis Argentoratensis, eorumque alterum arietinis cornibus deformem: planeque similem exhibuit Hottingeri Tabula Quarta, & vidi ipse alios. Saltim vero illos cornutos non esse Mosis opus, aut etiam alicujus sanctæ linguæ periti hominis, produnt utique statim illa cornua, ex inscitia linguæ Hebrææ enata. Id quod Seldenus etiam recte animadvertit & annotavit *pag.* 187. *&* 188. Idem quoque acute attendit ad signum crucis Mosis nomini in torque adpositum. Quo vel solo liquet, Christiani alicujus opus esse non Judæi. Ejusdem de suo cornuto nummo hæc quoque sunt verba. *Tantum abest ut pro nummo aliquo sive funderetur sive percuteretur æs hoc meum, ut vel ipsa tum laminæ tum figuræ exstantis crassities satis mihi videatur id palam denegare.* Idem vero Seldenus *pag.* 186. alterum quoque nummum a Schickardo mutuatum, etsi nullis cornibus ridiculum, damnat: non alio tamen argumento quam *quod ab institutis & moribus Israeliticis plane sit alienum*, nummum scilicet cudere humana facie prominente. Sed quamvis idipsum adversetur Judaicis interpretationibus divinæ Legis, quales obtinuerunt post solutam captivitatem Babylonicam, ipsa tamen etiam Mosis ætate idem fuisse visum, quisnam liquido probaverit? Si probari autem non poterit, ratio adducta utique nullius est roboris. Cur & ego damnem illum nummum, facit quoque illud, quod nummi alicujus Mosaici nulla in omnibus sacris monumentis fiat mentio: nec a quoquam ex Thalmudicis aut Rabbinicis scriptis soleat ejusmodi nummum memorari, cum tamen alias tanti Prophetæ verum μνημόσυνον fuisset habitum sacrosanctum; & probandæ vetustati Characterum Assyriacorum esset aptissimum, nec temere neglectum a Buxtorfio & aliis Assyriorum istorum characterum magnis assertoribus. Taceo quod de vultu genuinu Mosis pridem aliæ atque aliæ fuerint sententiæ. Quales enasci non potuissent, certe facile sopiri, si quis ejusmodi verus Mosis nummus fuisset in manibus. Et vero haud est ignotum, non deesse qui Mosi adscribant atram Æthiopis faciem. Quos tamen facile redarguere potest primum rei usque adeoque incredibili deficiens testimonium; deinde illud, quod Moses & utrumque parentem, & fratrem & sororem candidi non atri coloris habuerit; placuerit quoque adhuc infans Regiæ filiæ ob pulchritudinem, qualis non solet esse Æthiopum.

Sed, ut ante jam diximus, non minus de illis Mosis vultum præ se ferentibus, quam Christi imagine insignitis nummis, habeo ipsummet Hottingerum assentientem. Nec quisquam hactenus vel illos vel hosce suscepit a falsitatis nota defendendos. De solo illo nummo, qui *Solomonis* effigiem & porticum templi refert, asserendo Hottingerus fuit sollicitus. Est autem is quem depingi fecit Tabula secundæ editionis prima & quarta editionis secundæ; sexto ac septimo loco; pridem ante autem exhibuerant Villalpandus Walthonus & Kircherus. In Præfatione editionis primæ anno quinquagesimo de hoc nummo ita loquutus est. *Vidi in Serenissimi Electoris Keimeliotheca nummum Hebraicum, cujus typum dedimus* Tab. II. *Ubi ex altera facie vultus est humanus, cum inscriptione Schelomo Rex, ex altera vero Porticus templi cum* ἐπιγραφῇ *Templum Salomonis: Antiquitatis certe non contemnendæ habet vestigia: nec, quod sciam, Assyriacis literis antiquiorem reperiri, facile putem. Siclis saltem, Hebraicis literis notatis, qui vulgo circumferuntur, antiquitatis præripere palmam existimo.* Non alius autem ille nummus est ab eo, quam jam tum memoraverat in ipso libello *pag.* 126. ex Wilhelmo Schickardo: id quod forte jam exciderat. Cæterum editione secunda, contra nonneminem, quem *celeberrimum Antiquarium* appellat *pag.* 114. cum ejus objectiones attulisset, *pag.* 120. propugnare quoque nummi hujus αὐθεντίαν non dubitavit; denuo professus, *nullum se hactenus vidisse Hebraicis notatum literis, qui certiorem præ se ferat & verisimiliorem antiquitatis speciem*: & claudens disputationem *pag.* 122. hisce verbis: *Omnino existimo, antiquitatis hunc nummum non contemnendæ habere vestigia: nec Assyriacis*

cis literis antiquiorem reperiri putem: *Siclis saltem*, *Hebraicis literis notatis*, *palmam præripit*. Mansisse virum longe & optimum & doctissimum in eadem sententia anno etiam 64. diserte prodit tunc editus liber ille insignis cui nomen fecit *Bibliothecario*. Pagina enim 114. ait: *cui nummo multum tribuo*. Jam tum vero ante Hottingerum, non dubitaverat Schickardus ad illos ipsos nummos provocare, ut literarum quadratarum apud Israelitas usum Esdra antiquiorem demonstraret, libello *de Nummis Hebræorum*, quando scribit: *effodi Hierosolymis æneos nummos antiquos cum Salomonis nomine*, *regno adhuc integro procusos*, *&* *sic ipsa Samaritanorum origine Esdraque multo antiquiores*, *qui ex una facie cultum Regis*, *ex altera templum*, *utrobique cum literis vulgaribus ostendant*. Stomachatus paulo post acerbe, quod Villalpandus sequius de nummo isthoc existimasset. Fide postremo illius Schickardiani dicti, in eundem plane finem, hunc nummum laudavit testem etiam Johannes Buxtorfius in *Dissertatione de literis Antiquis Hebræorum*. Tacebo enim nunc, etiam alios idem factitasse.

Ex adverso tamen Johannes Baptista Villalpandus *Tom.* IV. *Parte* II. *disp.* IV. *cap.* XXIX. *ad Ezechielem* affirmat, visum sibi Romæ apud Fulvium Ursinum, drachmæ pondere nummum, qui altera parte refert Marci Antonii caput, cum inscriptione Rex Solomon, altera rudem & incongruam Templi formam cum inscriptione *Templum Salomonis*. Assentitur autem Fulvio Ursino judicanti, nummum esse ab Herode Rege confici curatum, qui ut Antonio adularetur illi Salomonis nomen attribuit *Nummum ipsum vero* ait, *nihil aliud præseferre*, *quam inscitiam artificis*, *qui nummi exemplar confecit*. Etiam hisce verbis utitur. *Tam hunc quam alium quemcunque*, *si reperiatur*, *non Hebræum habendum esse putamus*, *sed peregrinum*. *Percussus enim est ab Herode iniquo Principe*, *qui se Hebræum esse plane profiteretur*, *ac nihil minus curaret*, *quam Hebræorum legibus se subdere atque institutis*, *quibus impium habetur atque execrandum*, *hominis imaginem quacunque ratione aut caussa efformare*. Quantumvis autem hisce Villalpandi recitatis verbis opponat Seldenus *lib.* II. *cap.* VI. *de Jur. N. & G. pag.* 186. a Rabbinis omnem omnino humanam imaginem non damnari. Quia concedit tamen, non admitti ab iis effigiem protuberantem, saltim hactenus non adversatus est Villalpando, de nummo scilicet ejusmodi non conficiendo. Nec verbulo propugnat nummum istum, ac proinde etiam Seldeno visus ille est suppositititius.

Cæterum aperte nummum illum νοθείας damnavit Vir exacti judicii Ludovicus Cappellus in *Diatribe de Literis Hebræorum Johanni Buxtorfio opposita*, & quidem duobus argumentis. Claudens disputationem *pag.* 120. hisce verbis: *Omnino igitur vel falsus est &ficticius ejusmodi nummus*, *ab aliquo Christiano confictus*; *vel bona est Villalpandi conjectura*, *qui recentius ab Herode percussum conjicit*, *in honorem Antonii*, *cui regium nomen*, *regiam dignitatem & potestatem*, *debebat*; *siquidem effigies illa Antonii vultum optime dicitur referre*.

Pluribus argumentis & longiore sermone Antiquarius ille, a quo nummum hunc, & quidem non æneum sed argenteum, dono nactus est Hottingerus, falsitatem nummi ostendit. Integram Viri docti disputationem editioni secundæ inseruit Hottingerus, additis ad objectiones singulas suis responsionibus. Quæ ideo hic a me commemorantur, ut antequam a nobis examen ejus instituatur, jam tum constet, nummum illum neutiquam ab omnibus approbari.

Esse autem nummum illum confictum & ὑποβολιμαῖον etiam ipsemet existimo, certe mentiri ætatem Salomonis, & longe esse recentiorem. Id vero ut demonstrem, non utar primo illo Capelli argumento: quod indignum videatur opulentia Salomonis, quique tantam auri & argenti vim attulit, nummum æneum cudere, multo minus illo ostendere suam templi constructionem. Nummi enim ænei ad viliorum rerum emptiones etiam in opulentissimis rebuspublicis passim terrarum suum aliquem semper habuerunt locum. Neque signum templi in ostentationem fortassis est additum. Sed & jam indicavimus, nummum ejusmodi quem Hottingerus est nactus, non æneum esse sed argenteum. Alterum Capelli argumentum, quo & Villalpandus videtur & Seldenus usus, de imagine humana in nummo a Deo vetita, itidem adferre in medium non audeo; etsi enim ipse ostenderim, ita creditum fuisse a Judæis post exsilium Babylonicum, & nunc quoque ita credi; quoniam tamen haud dubito, Legis illam interpretationem abire a vero Legis sensu, eumque pervertere, non ausim affirmare jam tum Salomonis ætate idem fuisse visum. Imo aliud tum placuisse, confirmat Prophetarum Sacerdotum aliorum totiusque populi pietas & non fucata Legis peritia. Ne nunc dicam, quantum sibi Salomon indulserit con-

contra Legis divinæ regulam, in longe majoris momenti negotiis.

Aliis igitur rationibus ego quidem innitar. Eſt autem earum *prima*, quod iſthac ætate literæ quadratæ, quibus hic nummus inſignitur, ad promiſcuum vitæ uſum & negotia non fuerint adhibitæ, niſi demum poſt tempora Haſmonæorum, imo forte poſt excidium denique gentis Romanum. Hoc ſane poſito, nec nummos tunc ſignare characteribus illis, paſſa eſt conſuetudo, atque adeo etiam hic nummus non eſt ab illo ævo.

Altera eſt, quod nec argentea nec aurea moneta ſignata uſi tunc fuerint Iſraelitæ: Saltim igitur argenteos hujus ſortis nummos recentiores eſſe. Utramque rationem deinceps demonſtrabo: tantiſper igitur poſtulo mihi credi hæc *αἰτήματα*.

Tertio, ipſa inſcriptio averſæ partis ſatis manifeſte indicat, a Salomone ipſo nummum illum non eſſe. Sine exemplo utique eſt in altero latere nomen Regis exprimere, in altero templi illius Regis denuo Regium nomen repetere. Et vero repetitione illa neutiquam fuit opus, cum non niſi unica illa ſacra ædes in univerſa Iſraelitarum regione reperiretur. Fuiſſet itaque ſatis, ſolam templi vocem uſurpaſſe. Imo convenientius fuiſſet etiam illam non addere, cum figura templi conſpiceretur.

Salomonis *Quarto* opus non eſſe nummum iſtum, luculenter oſtendit ejus ruditas. Illius enim Regis omnia fuerunt in admirationem uſque ſplendida, & affectanti gloriam non utique defuerunt peritiſſimi artifices. Paulo ante vero audivimus, hujus nummi nihil non eſſe rude atque impolitum.

Veriſſimum *Quinto* eſt id quod docte urget Anonymus ille Antiquarius, coronam iſtum in modum, quo expreſſa eſt in nummo, radiatam inventam eſſe in ſignum divinitatis. Nec vero in nummis aliiſque monumentis antiquis comparent tales coronæ impoſitæ capitibus hominum, niſi illorum duntaxat qui deorum in numerum per aliorum adulationes impias relati ſunt & adorati. Quale quid Rex Salomon non legitur vel affectaſſe vel paſſus eſſe. Et vero ad illas radiatas coronas, nihil faciunt coronulæ quarundam literarum Hebræarum, aut Perſarum tiaræ: quorum exemplo ſiniſtram coronis illis radiatis opinionem conatus eſt Hottingerus detrahere. Alia fuit tiara Perſica. Veram ſpeciem videre eſt in longe præclariſſimo opere *de Præſtantia & uſu Nummorum veterum pag.* 428. peritiſſimi rei nummariæ ſcriptoris E. Spanhemii. Neutiquam ergo illud coronæ genus convenire potuit Salomoni, ut qui divinis honoribus a nemine fuerit affectus, nec affici voluerit. Cujus conſequens eſt, Salomonis non eſſe nummum illum uſque adeo improbum.

Poſtremo nummi talis Salomonici vel leviſſimum ſignum haud invenerunt hactenus in ipſis Thalmudicis & poſterorum Rabbinorum ſcriptis illi, qui ſumma induſtria in iis legendis ſunt verſati. Non veriſimile autem eſt, tanti Regis tam rarum *μνημόσυνον* omni reverentia imo memoria apud poſteros excidiſſe.

Jactat quidem Hottingerus, reperta ſibi in nummo illo antiquitatis veſtigia. Sed nuſquam illa ſignificavit. Vereor quoque, ut ruditatem operis habuerit vetuſtatis argumentum. At vero quam frequentiſſime hoc fallit: & a nobis paulo ante adducta illa eſt in argumentum *νοθείας*. Equidem miror a quoquam id nummi genus habitum eſſe genuinum. Sed ea vis eſt animi affectuum, ſi impenſe velis aliquid verum credi. Quemadmodum nonnullis unice videtur fuiſſe in votis, invenire argumenta perſuadendi uſum antiquiſſimum characterum Aſſyriorum.

Cœterum quin & ille Salomoni adſcriptus nummus ſit ſuppoſititius non amplius arbitror dubium eſſe. Non audeo vero & Urſini Villalpandique conjecturæ accedere, quaſi fuerit nummus ille ab Herode Rege in gratiam Antonii confectus. Fuit ſane Herodes Antonii ut poſt Cæſareæ domus impius adulator. Nec dubitavit ille in Auguſti honorem Templum juxta Paneadem conſtruere, & Hieroſolymæ Turrim Antoniam e regione ſacri Templi ædificare. Sed & Antonii Triumviri ſuperſunt nummi quidam: ſuntque exhibiti in opere Fulvii Urſini *de Familiis Romanis* Tabula prima gentis Antoniæ, & a Biæo Tabula ſeptima, triumviri illius capita cum radiata illum modum corona: voluiſſeque Antonium Oſirim & Cleopatram Iſidem haberi, notum eſt ex Dione. Eſtque proinde illa Urſini conjectura non de nihilo, ſed digna doctiſſimo nummariæ rei auctore. In aliam tamen ſententiam me trahit *primo*, nummi inartificioſa ruditas: qualis non ævi illius non Herodis Regis elegantiæ convenit. *Secundo*, inſcriptio Aſſyriaca, in communi uſu tunc prævalentibus adhuc literis Samaritani. *Tertio*, quod iſtum nummum humana effigie & corona radiata inſignitum populus non fuiſſet paſſus a Rege ſuo in uſum traduci, quæ tunc temporis obtinuit in gente illa perſuaſio; ac proinde fruſtra fuiſſet cuſus, & in publicam execrationem incurriſſet.

Quin

Quin imo illa ultimo adducta de caussa, ne quidem ab ullo posterorum Judæorum confectum dixerim, sed ab aliquo, cui ejusmodi nummus Antonii aut alterius alicujus forte fortuna obtigit, homine Christiano, quæstum ex fabrica istiusmodi nummorum captante; ceu fieri solet etiamnum, in Italia præsertim, frequentissime.

Sed de nummi illius Salomonii suppositititiis natalibus plus satis. Invitat nunc Herodis memoria, ut dicamus aliquid de nummo alio non Hebræo, sed Græco, imagine tamen *Herodis* signato. Curavit illum ex gaza Palatina cælari, exhibuitque spectandum Rei Nummariæ incomparabilis assertor, idemque amicus noster, doctissimus Ezechiel Spanhemius, nunquam satis hoc in doctrinæ genere laudandi operis de *Præstantia & usu nummorum veterum Dissertatione Quinta pag.* 443. Amstelodamensis editionis; pro qua dono mihi data publicas hic gratias ago. Inscribitur autem ille nummus, una parte cum capite Herodis diademate ornato, Βασιλεὺς Ἡρώδης φιλοκλαύδιος, in aversa intra corollam Κλαυδίῳ καίσαρι σεβαστῷ ἔτ. γ. Sed ille nummus assertioni meæ non adversatur, quantumvis Judæorum sacris imbutus fuerit ille etiam Rex Herodes. Recte enim Spanhemius. *Percussus videtur hic Nummus in aliqua urbe gentili beneficiis bujus Herodis ornata, qualis Berytus: aut in ea quæ sæpe illi sedes, & in qua Deus paulo ante obitum proclamatus, ut Cæsarea.* Certe Hebræis nummis non meretur hic adnumerari.

Majori forte jure in Hebræorum censum referendus fuerit Nummus ille, quem a Mardochæo vulgatum esse, narratur a Judæis quibusdam haud infimi ordinis. Hottingerus ex *Midrasch Esther* verba quædam sic Latine vertit: *Moneta Mardochæi ivit per totum orbem. Et qualisnam erat moneta ejus? Mardochæi erat ex una parte, & Esther erat ex altera parte.* Villalpandus ex nescio quibus Judæis refert, in nummo illo fuisse hinc sacci, inde reginæ Esther & Mardochæi ipsius imagines. Verum enimvero omne illud de nummis per Mardochæum Vulgatis fabulosum esse, non multo post demonstrabitur. An porro nummus aliquis Mardochæi nomine fuerit publicatus, cum addita Estheræ & ipsius imaginibus, ne quidem inter Judæos convenit. Ut enim Seldenus ex *Bereschith Rabba* testatur pag. 133. retulit ille nummus *in altera Saccum & cinerem in altera parte coronam auream*. Id quod & Hottingerus non reticuit. Et cui sanæ mentis fiat verisimile, servum Regium ausum nummos cudere, sua & Reginæ imagine, & quidem forte in eadem parte, insignitos? Crimen solet tale quid æstimari læsæ majestatis. Si quis igitur Mardochæi nomine fuerit circumlatus nummus, nequiter ille effictus fuit. Non tamen etiam cui temere fiet probabile, a Judæo aliquo sequioris ævi, tenace quidem doctrinæ Pharisaicæ de imaginibus humanis, fictum fuisse talem aliquem vultu humano ornatum nummum. Non solet sane etiamnum talis ostentari. Si quis autem superfuerit, haud dubie a Christiano nebulone fuit fictus.

Quandoquidem vero ne Mardochæi quidem is qui fertur nummus est genuinus, jam liquet robur etiam secundi mei argumenti, atque adeo abunde jam constat assertionis meæ veritas. Ut proinde haud sit necessum, vel verbulo hoc amplius agere.

Obiter tamen non possumus non hic addere; quoniam ex iis quæ Argumento primo attulimus claret, eo tempore quo Pilatus Judææ præfuit populum Judaicum ab imaginibus humanis abhorruisse, videri verosimile Judam in proditionem non fuisse autoratum nummis Rhodiis. Dati scilicet illi nummi fuerunt ab ipsis Sacerdotibus, hominibus Pharisaicæ ὑποκρίσεως; atque adeo iis qui præ aliis affectaverunt divinæ Legis Zelotæ æstimari. Cum projiceret porro in templum & redderet proditor accepta ἀργύρια, illa quo minus in sacrum gazophylacium reciperentur obstitit duntaxat illud unum, itidem vere ὑποκριτικὸν, quod in pretium fundendi sanguinis humani fuissent impensa. Jam vero in nummis Rhodiis parte altera effigies vel vultus Colossi Rhodii spectatus fuit: atque adeo imago non solum hominis sed etiam idoli. Qualium nummorum usum non temere passa est sacerrima ὑπόκρισις. Ut nempe ab ipsis Sacerdotibus vel dari, vel nullo alio obstante in gazophylacium Templi potuissent recipi. Præplacet igitur sententia Antonii Augustini, qui licet Archiepiscopus, etiam Romæ edito *de Nummis antiquis* eruditissimo opere, Dialogo secundo, non dubitavit aperte profiteri, Siclos cessisse in mercedem sceleris; etsi non ignoraret, Romæ & alibi Rhodios nummos in locis sacris haberi nefandi operis autoramentum. Præsertim quum & alia sint quæ id verisimile faciant, congesta a Wasero Hottingero aliisque.

CA-

CAPUT VI.

Characteres Assyriacos non fuisse olim ab Hebræis ad civilia negotia usurpatos, nec ante captivitatem Babylonicam nummos signatos Hebræis fuisse in usu.

IN probationem νοθέιας laudati adeo ab Hottingero Solomonii nummi usi sumus duabus hypothesibus. Altera, quod characteres quadrati Judæorum sive Assyriaci non fuerint olim adhibiti ad civilia negotia: Altera, quod veteres Israelitæ non fuerint usi moneta sive aurea sive argentea signata. Fassi autem sumus, neutram earum jam tum evidenter cognitam esse: ac proinde αἰτήματα esse voluimus, facta tamen simul promissione securæ non multo post demonstrationis. Iisdem porro principiis denuo nobis erit utendum circa reliqua Paradoxa. Itaque operæ videmur pretium facturi, si hic statim utriusque asserti probationem instituamus. Sic demum sane poterimus in tempore fidem parare nostris Paradoxis. Aggrediemur igitur jam hoc ipsum, & quidem de priore Hypothesi agemus primo loco.

I. Cæterum ut veritas etiam hac in re elucescat, distinguemus reipublicæ priscæ Israeliticæ ævum omne, in tempora quæ Esdram Prophetam antecessere & quæ post secuta sunt ad excidium usque. Quod antecedens attinet ævi spacium, non Assyriacas sed quas Samaritanas vulgo appellamus literas, saltim in communi reipublicæ usu, fuisse adhibitas, haud obscure liquet cum ex ipsorum Thalmudicorum magistrorum & qui hos sequi solent Rabbinorum, tum ex Christianorum primitivæ Ecclesiæ doctorum, illorum saltim quibus rerum Judaicarum veterum notitia fuit curæ, communi consensu.

Est autem omnis hæc quæstio de facto antiquo, ac proinde testimoniis fide dignis arbitranda fuerit. Thalmudicis traditionibus sine discrimine omnibus non licet, fateor, fidere. Quando tamen magistri illi constanter aliquid narrant, quod non in singularem gentis suę gloriam vergit cujus sunt studiosissimi, meretur fidei haud parum illorum narratio: si narrent quod cum gentis infamia aut etiam vilipendio est conjunctum, omnium tutissime fidere illis licet. Crescit plurimum autoritas istiusmodi narrationibus, si & Christiani consentiant, cumprimis si & rerum testimonia, saltim semiplene, ut hodie loquuntur fora, idem attestentur. Non enim fieri potest, ut tam multa dolo quodam idem profiteantur.

Jam vero diserte S. Hieronymus, quo peritia Hebraicarum rerum priscarum instructiorem primitiva Ecclesia non habuit: in prologo quem galeatum appellamus *in lib.* I. *Regum* hisce fuit usus verbis: *Samaritani Pentateuchum Moysis totidem literis scripserunt, figuris tantum & apicibus discrepantes. Certumque est. Esdram Scribam Legisque doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, alias literas reperisse, quibus nunc utimur; cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Ejusdem in commentario ad nonum caput Ezechielis verba hęc sunt: *Antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet similitudinem.* Etiam alibi non semel *antiquas gentis literas* appellat eas quę nunc vulgo audiunt Samaritanę. Nec ille usquam ab hac assertione mutavit quidquam: ac proinde nemo hactenus dubitavit, hanc fuisse magni illius & S. Patris perpetuam sententiam. Haud me fugit quidem, Wasmuthum *Vindiciar. Hebraicar. pag.* 44. non erubuisse profiteri: Hieronymum *suum illud* CERTUM EST *evertisse contrario asserto in libro de sancta fide contra Judæos, pag.* 28. Sed ut alibi sępenumero impietate schismatica furit, ita hic inscitiam prodit. Non enim ille magnus doctor ullum titulo de *sancta fide contra Judæos librum* scripsit: sed quem Wasmuthus librum Judęis oppositum innuit, & ex quo adducit μυστήριον de Mem clauso, scriptus est seculi decimi quinti Christiani duodecimo anno, a quodam converso ad Christiana sacra Hispano Judęo, cui nomen *Hieronymo de Sancta fide*, ut liber ipse audit *Hebræo mastyx*, in ea quidem editione, quę Francofurti prodiit seculi hujus anno secundo, & pridem pars fuit meę bibliothecę. Qua libri editione fortassis usus fuerat etiam ille, ex quo isthęc, sed turpi plagio, Wasmuthus descripsit. Ista enim de Mem clauso habentur *pag.* 23. qui numerus Wasmuthice mutavit in 28. Sed hęc obiter, & in id solum, ut Sancti & magni illius Ecclesię doctoris Hieronymi constans sententia ab inscita accusatione vindicaretur.

Ante Hieronymum vero jam scripserat etiam Eusebius in Chronico: *Affirmatur Esram, ut Samaritanis non misceentur, literas Judaicas commutasse.*

Et Eusebii & Hieronymi illis clarissimis testimoniis conatus quidem est nubem obducere Buxtorfius, in *Dissertatione de Hebræorum literis*, sed illam ita discussit Lud. Cappellus in ejusdem ar-

gumenti *Diatriba*, ut verbum addere fuerit operam ludere.

Igitur hęc quidem testimonia si audimus jam liquidum est, non illas quibus nunc utimur quadratas literas, sed Samaritanas fuisse ante Esdrę ęvum communi usu receptas.

Exstant porro de mutatione literarum per Esdram facta, in utroque etiam Thalmude testimonia. Omnium vero clarissimum reperitur in Babylonii Titulo *Sanhedrin* cap. II. §. XIII. quod unum proinde nunc adscribam, quale illud Latine vertit Johannes Coch *Mar Zutra, & si dicas Mar Ukba. Principio data est Israeli Lex scriptura Hebræa & lingua sancta. Postmodum tempore Ezræ data illis est Scriptura Assyria, lingua Chaldæa. Israel elegit sibi scripturam Assyriam & linguam sanctam, relicta idiotis scriptura Hebræa & lingua Chaldæa. Quinam sunt isti Idiotæ? Chutæi. Quæ scriptura Hebræa? Scriptura Libanica. Et scribet, permutationem Legis hujus i. e. scriptura quam mutari oportet. Quare dicitur scriptura Assyria? Quia ascendit cum ipsis ex Assyria.* Sequitur statim eodem loco alia traditio nescio cujus anonymi Rabbi, sed a Mar Zutrę narratione diversa in duobus: nempe, quod Lex fuerit Israel data scriptura Assyria, quodque illa dicta hoc nomine sit, *quia μακαεισμοὶ hac scriptura editi sint*. Illam vero scripturam restitutam Israelitis esse, quum ante fuisset ablata, consentit.

Non est hujus instituti disputare, qua litera primum Lex sit scripta. Imo ne quid dissimulem, mihi quidem verisimilior videtur altera isthęc traditio. Verosimilior inquam videtur: certo tamen illam haud asseveravero. Nec enim aliud mihi in asserti argumentum est, quam quod divino Esdrę restauratio pristini & sancti status sacrorum fuerit curę, ac proinde sciens volensque non mutaverit, nulla pręsertim urgente necessitate, scripturam ab ipsomet Deo & Prophetis quondam communique usu quasi approbatam: in pristinum igitur Esdram mutasse i. e. in ipsammet primogeniam scripturam Legis, quia nempe Samaritanę literę Legis scriptioni pridem in vulgo adhiberi jam sueverant. Hoc unum me isthuc inclinat. Simul tamen concedo, & jam tum ante fassus sum, parum referre, certe non interesse divini cultus, sive hoc sive illud dixeris: atque adeo indignum esse, super ea re certare conviriis, impium autem, sacris anathematismis in dissentientes sęvire; quod tamen nuper Wasmuthus & nonnulli alii furiosi Zelotę facere haud dubitaverunt, haud dissimiles ea in parte Pharisęis in lotione paropsidum religiosis, sed vim Legis vitę exemplo enervantibus.

Cæterum quicquid sit de illa Zutræ narratione, Legem initio datam esse ea scriptura quæ post Cuthæis sive Samaritanis relicta est, illud etiam atque etiam est observandum, scripturam istam & reapse fuisse & appellatam olim *Hebræam*. Et vero quantumvis plerique sequioris ævi Judæorum pugnent, Legem initio conscriptam esse literis Assyriis, nemo tamen eorum non assensit Zutræ, literas Samaritanas olim audiisse *Hebræas* & in vulgari fuisse gentis usu, imo etiam codicibus sacris describendis adhibitas: ideoque etiam ipsis solent illæ literæ *Hebræarum* cognomento usurpari. Adeo autem confidenter id assero, etsi ipse scripta Judaica ista haud legerim; quoniam Buxtorfius & alii, acerrimi Assyriacæ scripturæ assertores, etsi nihil temere Rabbinicum ipsis non sit lectum & quicquid vel leviter visum facere pro sua sententia, ex scriptis Rabbinicis ab iis sit allatum, nihil tamen quod huic quidem Zutræ narrationi adversetur produxerint, sed potius multa in quibus Rabbini quoque *Hebraicæ Scripturæ* titulo Samaritanos characteres citra omnem exceptionem honorant, eorumque receptum quondam, saltim in profanis negotiis, usum ultro profitentur.

Non temere sane reperias a Judæorum Rabbinis alias literas *Hebraicarum* cognomento usurpari. Quod tamen videtur, haud attendisse doctissimus Schickardus. Hic enim in *Bechinat-Happeruschim pag.* 80. ex Abrahamo debalmes *Scripturam Eber hannaber* sive *trans fluvialem* appellat *Arabicam* & a Samaritana diversam facit: in *Jure quoque Regio pag.* 40. recitans hęc verba ex Soph. I. *6. non scribant* Legem *nec Hebraice, nec Syre, nec Mede, nec Grece: quacunque lingua, quibuscunque litteris scripta fuerit, nefas est legere, nisi tantum Assyriace*; monet, *pro Hebraice fortassis per metathesin unius literæ legendum Arabice*. Etiam tamen posteriore loco τὸ *Hebraice* nihil aliud est quam Samaritane.

Quandoquidem autem usque adeo ante Esdræ ævum fuit Israelitis Samaritana familiaris scriptura, ut ἁπλῶς *Hebræa* audierit, manifestum vel hinc est, verum esse id quod diximus: illam scripturam saltim ad vulgarem populi usum atque in negotiis profanis ac civilibus obtinuisse. Et vero etiam ipsimet Rabbini, imo & nuperi Assyriacæ scripturæ acerrimi quique vindices, idipsum ex eo pridem collegerunt. Qua de re ne quis dubitet, adferam verba ipsiusmet Buxtorfii

fii, quę *Dissertatione de Hebræorum literis* §.43. scripsit: *Hebræi ipsi hic respondeant. Ajunt illi duplicem Judæos olim habuisse scripturam: sacram & profanam: vel externam & internam: vel publicam seu communem, & privatam vel singularem prout appellare libuerit. Illa fuisse scriptas tabulas Legis, librum item Legis a Mose, qui in Arca, vel ad latus Arcæ, fuit reconditus atque repositus. Et hanc scripturam eam fuisse, quæ hodieque etiam in usu, & Assyriaca appellatur. Hac* communi videlicet *scripta fuisse exemplaria reliqua Legis, quæ privati quilibet sibi in suum & suorum usum scribebant. Tum etiam in communi usu, in negotiis civilibus quibuslibet, commerciis, contractibus monetis &c. fuisse adhibitam. Et hanc appellant scripturam Hebraicam, Transfluvialem, quam volunt eandem esse cum Samaritana*. Hęc Buxtorfius ex Judęorum sententia, quam ipsemet quoque omnibus viribus propugnat. Quin imo etiam Wasmuthum, utut illum φιλαυτία & improbus Asyriacę scripturę zelus in furorem egerint idem fateri evidentia rei coegit. Adducam & illius nonnulla huc facientia verba: saltim ne, more suo, pergat calumniis mihi esse molestus. *Scriptura*, inquit, *Vindiciarum* p. 51. *dicta Hebræa, a populo Hebræo in quo usus ejus communior & vulgatior in terra Canaan diu obtinuit, tam in exemplaribus Legis privato tantum usui destinatis, quam præcipue in commerciis & cudendis monetis: inde jam a tempore Abrahami Proselyti inter Cananæos: unde etiam Judæis* (Rabbinis sequioris ævi, non tamen ipsis Thalmudicis) *Politica & Civilis dici suevit: dicta item Libonaah sive Libanica, quod incolis Libani tunc esset familiarissima*. Eadem de civili usu characterum illorum jam docuerat *pag.* 46. Alios addere hic haud est necessum, pręsertim quoniam & ipse Hottingerus agnovit usum istum civilem scripturæ illius veteris.

Cæterum quæ hactenus allata sunt agunt dumtaxat de temporibus Esdram præcedentibus. Quid ab Esdræ usque ætate obtinuerit, videtur denuo incertum. Et vero ita plerumque solent accipi ea quæ de mutatione literarum facta per Esdram Hieronymus & Thalmudici prodiderunt, quasi ex illo instituto Asyriacæ literæ in usum quoque profanum sint receptæ non minus atque in sacrum. Verum enimvero etiam per Esdram non mutasse vetustissimum usum Samaritanarum literarum ad usus civiles, liquido ostendunt quotquot etiamnum supersunt nummi genuini Hebręorum. Sunt enim omnes illi sub Hasmonęis demum & deinceps confecti, & nihilominus omnes Samaritanis literis inscripti. Fuerunt autem nummi id genus in usu ad gentis usque Romanum excidium. Id quod probabimus versaturi circa Paradoxum Quartum & Quintum. Cum in nummis autem hoc fuerit observatum, per est verisimile, obtinuisse quoque in aliis civilium rerum scriptis. Ac proinde haud erraveris fortasse, si & Pilatum dicas usum iis characteribus fuisse in Sacræ crucis titulo, non autem Assyriis, quod vulgo existimatur. Atque ita recepto tunc temporis sensu narraverint Evangelistæ, *Hebraice* esse scriptum id quod characteribus Samaritanis fuit exaratum. Certe non nisi aliquid mere civile fuit illa tituli facta jussu Pilati scriptio. Nec vero ex eo, quod Salvator noster *Matthæi V. v.* 18. faciat mentionem τῦ ἰῶτα, fas est colligere, quasi ἁπλῶς omne Joth tunc fuerat minuta figura, adeoque non amplius obtinuerit operosum illud Joth Samaritanum in gente illa. Quod tamen & Grotius ὁ πάνυ hinc suspicatus est, ad verba illa Evangelii. Diserte enim Salvatori sermo est de Lege, quæ tunc non nisi Assyriacis literis fuit scripta, adeoque Assyriacum Joth illud exiguum habuit non Samaritanum. Fortassis quoque Salvator respexit ἰῶτα Græcanicum. Toti sane populo Judaico, atque adeo & Salvatori, Græcam linguam pene familiariorem fuisse quam Hebræam, non fortassis difficile probatu fuerit. Quicquid vero hujus sit, non potest argumento illo vel verosimile fieri, tunc temporis ad civilia negotia Samaritanas literas antiquo more non fuisse usurpatas.

In sacri tamen argumenti chartis omnibus jam tum fortassis cæptæ sunt adhiberi literæ Assyriæ a Pharisæis aliisque Scribis. Etsi enim ex Esdræ instituto Codices sacri scriberentur literis illis, quoniam tamen ejusdem auctoritatis esse suas παραδόσεις, saltim Pharisæi, quorum tunc erat præcipua in vulgo existimatio & numerus oppido magnus, venditarent, vellentque supra omne vulgus multum eminere, quin & Samaritana omnia ceu profana vilipenderent, haud sane absimile est vero, non erubuisse, illos codicibus sacris scribendis quasi consecratos characteres suis quoque scriptionibus adhibere. Non alio sane prætextu etiam sequentium temporum Rabbinos tale quid ausos, haud injuria dixeris. Ejusdem certe cum priscis illis Pharisæis fuerunt & nunc quoque sunt illis indolis. Pauca tamen scripto docuisse Pharisæos illos veteres, pleraque autem ore duntaxat tradidisse atque ita propagasse doctrinam, verisimile faciunt illa, quæ de Thalmudis confectione

ne memorant ipſimet Judæi: neceſſitatem videlicet fuiſſe impoſitam τὰς παραδόσεις ſcripto comprehendendi, nec niſi ſchedulis aliquot Rabbinum Jehudam in conficienda Miſchna fuiſſe adjutum, reliqua omnia ore duntaxat fuiſſe hactenus propagata. Utut vero illa ſeſe habeant, certum eſt, hodie nihil reperiri quod ante excidium illud gentis Aſſyriacis literis ſit ſcriptum, præter ſolum ſacrum codicem veteris Teſtamenti & fortaſſis ejus Thargum. Quum vero etiam, niſi fallor, ſatis eſt a nobis demonſtratum, ad civilem uſum ſolos Samaritanos characteres fuiſſe adhibitos, non eſt quod ulterius in hoc argumento nunc occupemur.

II. Progrediendum nunc eſt ad demonſtrationem ſecundi noſtri Poſtulati: nec Auream ſcilicet nec Argenteam monetam ſignatam fuiſſe Iſraelitis in uſu ante captivitatem Babylonicam. Demonſtrabimus autem ſimul etiam hoc: ejus gentis propriam nullam fuiſſe monetam uſque ad Simonem Haſmonæum Ethnarcam & Summum ſacerdotem. *Primum* demonſtro illo unico: quia videlicet ab Abrahami uſque ætate in perpetuo more fuit populo iſti, nummos aureos & argenteos in uſum commerciorum ponderare, non autem ἁπλῶς numerare. Enimvero recte pridem docuit ſapientiſſimus, ut naturalium ita & civilium rerum arbiter Ariſtoteles, homines initio permutationem inſtituiſſe, inde nummo uti cepiſſe, τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ, τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων, ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς. ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον. *Initio rudius & ſimplicius* uſurpaſſe nummum, *magnitudine & pondere definitum: poſtremo autem & characterem impreſſum, ut liberarentur* homines *a menſuratione. Character enim inditus eſt quantitatis indicium.* Ubicunque igitur ponderatio obtinuit ibi nummus non fuit ſignatus. Haud me fugit, ponderationem interdum & inſtitui ſolere, & neceſſariam eſſe circa nummos ſignatos. Verum ſolet hoc fieri circa nummos alienę reipublicę; quoniam illis nummis non eſt per ſignum fides facta tuę civitati. Sed, ubi quidem reſpublica bene eſt conſtituta, ſignum dat firmam, civibus quidem, fidem: nec fas eſt amplius dubitare, ſed oportet omnino publico ſigno credere. Multo maxime non permittitur impune, ut quis in regno nummum ſignatum Regis ipſiuſmet vocet in dubium. Jam vero in libris Veteris quidem Teſtamenti memorantur frequenter emtionis & venditionis argento vel aureo nummo inſtituti contractus, ſed qui omnes interventu ponderationis fuerint facti. Antiquiſſimus eorum eſt quo Abraham ab Ephron Hethita emit agrum. Geneſeos autem c. XXIII. 16. ſcribitur: *Obedit igitur Abraham ipſi Ephron, & appendit Abraham ipſi Ephron argentum, quod dixerat in auribus filiorum Heth quadringentis Siclos argenti tranſeuntis per mercatores.* In Hebræo enim eſt *Ceſeph*, ſive *argentum*, non *argentei*: ut liquido appareat non fuiſſe argenteos Siclos ſignatos. Exod. XXII. 17. agitur de dote violatę puellæ a ſtupratore danda: *argentum appendet juxta dotem virginum.* 1. Paralipom. XXI. 25. ubi agitur de contractu Davidis Regis cum Arnone ſcribitur: *Dedit David ipſi Ornon pro eo loco Siclos auri* (non *aureos* ut vertit Pagninus) *pondere ſexcentos.* Ipſe Rex emtor eſt & tamen appendit aurum. Quod utique non fuiſſet opus, ſi aureus nummus ſignatus fuiſſet nunc in uſu. Achabo porro Regi 1. *Reg.* XX. 39. Propheta dicit: *talentum argenti appendes.* Eſaiæ pręterea LV. cum dixiſſet Propheta, *omnes ſitientes venite ad aquas, & vos quibus non eſt argentum venite, emite & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque pretio vinum & lac,* ſubjungit verſ. 2. *Quare appenditis argentum in non panem?* Notum autem eſt Prophetam vixiſſe Hiskia Rege. Cumprimis memorabilis eſt contractus initus inter Jeremiam Prophetam & patruelem ipſius ſuper agello quodam, qui deſcribitur *Jeremiæ cap.* XXXII. Initius autem ille eſt anno decimo Sedeciæ Regis & Nebuchadnezaris decimo octavo, ut habetur initio capitis: quem annum proxime antecedere annum captivitatis, oſtendimus in *Adverſariis Chronologicis.* Diſerte autem ſcribitur *verſ.* 9. *Emi itaque agrum ab Hanameel filio patrui mei & appendi ei argentum, ſeptem Siclos & decem argenti. verſ.* 10. *Et appendi argentum in ſtatera.* Non adferam huc quod legitur Eſdræ VIII. 25. 26. 29. de appenſione argenti & auri, ut nec quod habetur Eſ. XLVI. 6. non enim ibi agitur de moneta. Sed & ex iis quæ produxi liquido apparet, id quod aſſeruimus: uſque ad captivitatem Babylonicam nummos appendi ſolere, non numerari.

Conſtat porro, ab illa captivitate ad Simonem uſque per annos quadringentos quinquaginta & quod excurrit, Iſraelitas non habuiſſe ſui juris rempublicam, ſed degiſſe ſub dominatu, Babyloniorum, Perſarum, & Macedonum. Hinc vero conſequens eſt, tanto temporis intervallo defuiſſe ipſis facultatem propriam monetam cudendi, atque adeo non ſua ſed aliorum nummis fuiſſe uſos. Non enim

monetam cudere fas ſolet eſſe niſi iis qui ſui ſunt juris. Utque nonnullis hoc forte indultum ſit, interdum, Judæis tamen hoc fuiſſe negatum argumento eſt id quod in Maccabæorum hiſtoria legimus, ſingularis beneficii loco monetam cudendi poteſtatem fuiſſe Simoni conceſſam. Ac proinde etiam alterum illud quod demonſtraturos nos promiſimus jam evictum eſt.

Roborabimus hanc noſtram diſputationem teſtimoniis trium præſtantium auctorum, etſi non omni ex parte idem nobiſcum diſerte fuerint profeſſi. Alter eſt Ariæmontanus, alter Waſerus, tertius Waltonus. Ille in ſuo *Ephron* ita loquitur. *SEKEL nomen trahit a verbo SAKAL quod ponderare Latine dicere poſſumus, & SEKEL ipſum pondus etiam non inconcinne interpretari. Fuit enim antiquiſſima etiam & æquiſſima monetæ expenſio, in qua nihil fraudis detrimenti accipi poterat, quandoquidem ſtatera certiſſima defectus & incrementi eſt indicatrix. Atque hoc modo appenſum argentum, tametſi non ſignatum fuerit, neque cuſum, nullam omninò fraudem admittit. Illud ſcimus, non tantum olim in ipſo primo monetæ inventæ tempore, ſed poſterioribus etiam longe porro ſeculis, cum nummorum cuſorum frequens ubique uſus eſſet, argentum etiam & aurum non cuſum in commerciis fuiſſe receptum, quod vel ex Græco nomine* ἄσημον *ab Hebræis etiam uſurpato, manifeſte arguitur. De quo legimus in libro Miſnajoth tract. de decima ſecunda cap.* I. *& tract. de Gediath.* III. Waſeri hæc verba ſunt *lib.* II. *cap.* III. *Pecuniam veteres Hebræi Chaldæi atque Syri, non ut nos, numerabant diſcrete, ſed ponderabant, ſeu librabant: hoc eſt ex pondere ejus ſummam colligebant, ut nos ex numero.* Reliqua ejus adjicere non eſt neceſſum. Waltonus de Siclo agens ait: *Moneta argentea ponderari olim ſolebat.*

Quantumvis autem hæc jam clara ſint, duo tamen, priuſquam argumentum hoc deſeramus, nonnihil adhuc illuſtrabimus. *Primum* eorum eſt, quod non videatur commode potuiſſe ab Iſraelitis commercia levia & rara non exigere ſignatum nummum, ad magna autem demum & frequentia per eſſe utilem. Hinc ſane olim plurimi populi ſola permutatione mercium ſunt uſi; alii admodum ſero nummos ſignaverunt. Apud Romanos ipſos conſtat, primum Servium Tullium æs ſignaſſe, argentum paulo ante primum bellum Punicum, aurum longe ſerius, charactere notatum eſſe. Jam vero Iſraelitis olim haud fuerunt cum aliis populis multa commercia, ut præclare monuit, prudentiam Legiſlatoris etiam hoc nomine commendans Joſephus *lib.* I. *contra Appionem*: inter ſeſe itidem rara fuerunt & levia, quoniam abunde unicuivis pene fuit divina ſoli fœcunditate de vitæ neceſſariis proſpectum; ut defectus facile potuerint ſuppleri ſimplici permutatione, aut appenſo argento, aut fortaſſis & æreis nummis. Nec enim ullo conſtat argumento, etiam æreos omnes ἀσήμους fuiſſe, perinde atque argenteos vel aureos. Nuſquam ſane leguntur etiam ærei appenſi, nec tamen verſimile eſt, æreos omnino defuiſſe etiam ante Babylonicam deportationem.

Alterum eſt, quod videatur, Judæ proditori fuiſſe appenſos nummos, quo tempore tamen ſignati nummi fuerunt in communi uſu. Verum perperam quidam interpretati ſunt illud *Matth.* XXVI. *verſ.* 5. οἱ δ' ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια: dicitur enim ibi nihil aliud, quam illud pretium tunc fuiſſe *conſtitutum*. Non datos ſtatim tunc illos argenteos, ex Marci pariter & Lucæ ſacris narrationibus ſane paret. Ille enim *cap.* XIV. II. ſcribit: καὶ ἐπηγγείλαντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι *polliciti ſunt ei pecuniam ſe daturos*. Lucas XXII. 5. καὶ συνέθεντο ἀργύριον δοῦναι *pacti ſunt pecuniam illi ſe daturos*. Poſt perpetratum videlicet proditionis ſcelus Judæ argentei illi promiſſi ſunt demum ſoluti.

CAPUT VII.

Nullum nummum Aſſyriis aut Hebraicis literis inſcriptum eſſe bonæ notæ aut multum vetuſtum.

Hiſce expeditis non tantum firmiter jam conſiſtunt quæ diximus ad Paradoxum ſecundum, ſed etiam parata via eſt ad reliqua omnia probe conſtituenda. Ut proinde inoffenſo quaſi pede liceat nunc progredi. Quapropter ſine mora *Paradoxum* quoque *Tertium* juſtis argumentis muniemus.

Igitur Hebræorum qui feruntur nummorum alii Aſſyriis alii Samaritanis literis inſcribuntur. De priore genere jam diſputabimus. Et vero quicunque literas Aſſyrias non ab Eſdra demum in uſum traductas contendunt, illi omni opera nituntur perſuadere, pridem, florente republica antiqua, cudi ſolitos cum literis illis etiam nummos nonnullos; ut habeant ſcilicet quod opponant adverſariis, ſolos Siclos Samaritanis literis inſcriptos in vetuſta illa tempora referentibus. Ego in quam propendeam ſententiam, de Aſſyriarum literarum antiquitate, ingenue jam propoſui in medium; capitibus proximis, alteri illi nummorum generi longe

ge item recentiores natales esse, docebimus. Atque ita nihil eorum, quæ hinc de nummorum utriusque sortis vetustate asseruntur, me habet sollicitum: nihilominus tamen persto in Paradoxo Tertio: *Nullum nummum characteribus Assyriis, vel hodie receptis Hebraicis, notatum, esse bonæ notæ aut multum vetustum.*

Illud me asserere faciunt duo argumentorum genera. *Prius* in communi demonstrat, nullos ejusmodi nummos ab Israelitis olim fuisse cudi solitos, atque ita nec eos qui nunc circumferuntur genuinos esse sed effictos. *Alterum* speciatim singulos ejus sortis nummos, quotquot hodie sunt in manibus falsitatis convincit.

Etsi autem statuminando Paradoxo meo sufficiat, posterius argumentorum genus, etiam alterum tamen nunc in medium adferemus; quoniam simul cavet, ne quidam ejus sortis imposterum forte producti, hactenus autem ignoti nummi, cuiquam specie veri imponant, aut facessant molestiam.

I. Ratiocinatio autem mea illa communis gemina cum sit, *prima* hæc est. Hebræi aut Samaritani characteres, non Assyrii, ab Abrahami ævo ad excidium usque Israeliticæ gentis Romanum, fuerunt ad civilia quævis negotia expedienda usurpati, ergo etiam adhibiti sunt ad monetam si quæ fuerit signata. Ex consequenti, nummi illi Assyriis literis inscripti non sunt publica auctoritate confecti, sed post excidium denique cura nonnullorum privata, atque ita mentiuntur priscum ævum, & malæ sunt notæ. *Secunda* est. Israelitæ olim usque ad Simonem Hasmonæum non signaverunt nummum aliquem sive argenteum sive aureum; qui ergo alterutrius horum metallorum hodie ostentantur, etiamsi Assyriis fuerint characteribus insigniti, saltim ante illum ævum confecti non sunt, & si qui velint antiquiores videri sunt mali commatis & suppositìtii.

Utriusque ratiocinationis meæ principium, sive antecedens, ut in Logicis loquimur, nisi fallor, abunde jam demonstravimus: consequentia autem liquida est; ideoque nec de conclusione potest dubitari. Fortassis tamen quis dixerit, ad civilem quidem usum non fuisse olim nummum signari, aut aliis quam Samaritanis literis inscribi solitum, & hoc duntaxat me vicisse: attamen in sacris aliud observatum, & hæc habuisse suam singularem monetam, eamque Assyriacis vel sacris fuisse literis signatam. Verum enimvero omne hoc mere esse commentitium, etiam me non monente liquidum est, & Capite decimo clarissime probabitur. Nunc hoc unum duntaxat moneo; neminem fortassis sive Judæorum sive Christianorum ante Athanasium Kircherum, profiteri ausum, Siclos Assyriis literis insignitos sacris solum usibus inservìisse, nec id ab illo fuisse probatum ulla ratione sed tantummodo assertum. Certe hoc nunc quidem satis est, tantisper donec promissa subsequantur.

II. Communes igitur quidem ratiocinationes bene se habent. Nunc in specie magis, ut vulgo loquimur, ad singulos hujus sortis nummos progrediemur. Ostendemus videlicet, etiamsi forte aberraverimus in propositis illis communibus, & quamvis nihil illorum quæ Capite precedente agitavimus esset cognitum, nihilominus Paradoxum nostrum firmo pede consistere: singulos enim illos nummos qui hactenus innotuerunt suppositìtios esse, etiam aliis indiciis reddam manifestum.

Initium examinis faciemus ab iis nummis qui ab Hottingero sunt memorati. Illum nulli eorum quos conspexerat ausum fidere, magnum tamen quid sibi persuasisse de solo illo nummo qui Salomonis habet radiatum caput, haud obscurum est vel ex iis quæ in Epistola mihi reposuit. Non faciunt enim quidem contra me quæ addit; *nondum satis hactenus probata eorum est sententia, qui quadratis Hebræorum literis ultimam abjudicant antiquitatem*: non enim & ego cum illis sentio, sed potius cum Hottingero, etsi haud probem; *vetustissimos Hebræorum Codices inscriptiones &c. abunde satis id docere*, cum nihil horum non sit longe recentius Esdræ ævo, saltim tamen Salomonicus ille nummus ex ipsius sententia Paradoxum meum subruit. Adduximus jam præcedente capite Viri Optimi & integerrimi varia dicta: quæ luculenter demonstrant, reliquis id genus nummis parum, huic uni autem multum fidei illum tribuisse. Nos autem jam tum demonstravimus, etiam illum nummum Salomonium suppositìtium esse, & ne quidem a Judæo homine sed aliquo Christianum se professo, contra Christi tamen sanctam regulam, confictum esse.

Fecit porro depingi quidem Vir incomparabilis *Tab.* VI. loco primo nummum, in cujus una parte literis Assyriacis legitur: *Siclus Davidis, absconditus in thesauro Zionis in æde sancta:* in aversa, *Dominus custos Israelis, Rex gloriæ Hierosolymorum. Sed*, judice ipso pag. 123. *nihil habet, nec pondus, nec stylum, nec artificium sculptorium, quod antiquitatem sapiat.*

Tabula eadem sexta exhibet *num.* 3.

&

& Abrahamo attributum nummum, eumque sine censura dimittit *pag.* 123. Non tamen hoc debet accipi ceu indicium approbationis. Nam Tabula eadem *num.* 5. etiam alium proposuit Salvatoris effigie insignitum, ut & *Tabula* IV. *num.* 2. Mosem arietis specie cornutum, & utrumque sine nota memorat *pag.* 149. neutrum tamen approbavit: perinde atque a nobis uterque jam est explosus Capite præcedente.

Idem Hottingerus porro Tabula quinta loco quinto depingi fecit nummum referentem Sicli inscriptionem Assyriacis literis, & nusquam rejicit.

Quoniam vero Salomonium nummum ipsis etiam id genus Siclis longe præfert, haud obscurum est, ne hos quidem fuisse apud illum in existimatione. Nos de illis paulo post agemus cum aliqua cura.

Præter hos autem & quendam Davidi tributum, in suo quidem libello *de Hebræorum nummis* & primæ & secundæ editionis, memorat nullum quoque eorum laudat; ast ille Davidi adscriptus deinceps νοθείας a nobis convincetur.

In *Bibliothecario* denique suo Hottingerus *pag.* 114. scribit, nactum sese duos Siclos argenteum & æneum literis Hebraicis notatos, *sed nullam*, inquit, *antiquitatis præseferunt speciem*. Hi autem illi sunt quorum imago expressa est Tabula prima. Dixerat vero paululum ante de Siclo quem acceperat, Samaritanis inscripto literis: *illi proculdubio antiquitatis axioma non potest abjudicari*. In universum igitur, omnes hujus sortis Hebræi nummi, quos quidem vidit aut descripsit Hottingerus, fuerunt malæ notæ; ne Salomonio quidem excepto, qui unus visus ipsi est quantivis pretii.

Quod attinet præterea illos, quorum jamjam meminimus, Abrahami & Davidis nominibus insignes nummos, haud me fugit, ex *Bereschith Rabba Parascha* 39. quem librum credunt nonnulli tertio post natum Christum seculo conscriptum esse, quique a Judæis magni æstimatur, adduci verba quædam in hanc sententiam: *Quatuor sunt quorum moneta in mundum exiit, Abraham, Josua, David, & Mardochai*. Sed & Christianus Gerson libro quem *Thalmudis Judaici* cognomento vernacula Germanorum lingua conscripsit, *parte altera cap.* XVIII. *pag.* 577. refert ex Baba Kama, quinque nummorum veterum species, primam Hierosolymitanam, alteram Abrahami, tertiam Josuæ, quartam Davidis, & quintam Mardochæi. In ea tamen Babæ Kamæ Hebræorum Latina editione, quam debemus curæ Constantini l'Empereur, nihil tale potui reperire. Sed forte in Gemara non in Mischna, qua ego sum usus, continetur.

Quidquid hujus sit, ab Abrahamo nummos esse signatos, videtur jam olim a Judæis etiam Epiphanium, ut alias fabulas haud paucas, audivisse, & spectasse isthuc quando scribit *lib. de mensuris*: *Argenteus excusus est ab initio. Numisma autem hoc ab Assyriis excusum est. Ajunt Abrahamum in Cananæam formam ejus intulisse*.

Ex *Bereschith Rabba* porro constanter refertur, Abrahami nummum in uno latere habuisse scriptum: *Senex & anus*, in altero *Juvenis & virgo*: Josuæ in uno latere bovem, in altero unicornu: Davidis in una parte baculum & peram, in altera turrim: Mardochæi in latere uno saccum & cinere, in averso coronam auream.

Solent postremo etiam nunc versari in manibus nummi argentei Abrahami cognomento, habentque eam quam diximus inscriptionem & quidem literis Assyriis, non Samaritanis. Et vero ejus nummi ectypus a me quoque fuit Hottingero missus, ex nummario thesauro Serenissimi Ducis Antonii Ulrici, & ab illo ære est expressus *Tab.* VI. Pridem quoque similem nummum Johannes Mathesius *Sareptæ concione* XIV. Bogussao ab Hassenstein ex Palæstina acceptum, memoraverat. Num & reliquorum trium nummi illi circumferantur, hactenus mihi est incompertum.

Quantumvis vero hæc ita hodie quoque Judæi referant, & Christianorum nonnulli credant, non dubitavit tamen Villalpandus omnem hanc traditionem commentis Judaicis accensere & risu prosequi *Tom.* IV. *parte secunda cap.* XXVII. *sub finem*. Seldenus ita loquitur hac de re *lib.* II. *cap.* VI. *pag.* 180. & 192. & 193. ut facile appareat, neutiquam illi narrationi certam fidem habuisse. Nusquam etiam ab Hottingero illa probantur: etsi silentio censuram occultet. Quod si sane probasset non illis eximiis laudibus solum Salomonium nummum evexisset.

Ne quid diffitear, mihi quoque hæc omnis narratio videtur esse Judaica quædam sequioris ævi fabula. Primo enim haud leve profecto sed saltim magnum quid est, Abrahamum & Mardochæum nummos cudi fecisse. Et tamen rem tantam non codex duntaxat sacer sed etiam diligentissimus Antiquitatum gentis suæ scriptor Josephus, ne verbulo quidem memoravit. Cui verosimile porro fiat, si tunc temporis nummos signare moris fuit,

fuit, solos quatuor illos id juris exercuisse non & alios Judices ac Reges, & quidem hos inter nec Solomonem ipsum, qui unus omnium maxime polluit auri & argenti copia, ac longinqua etiam commercia nautica instituit? Jam porro Mardochæus non nisi servus Regius fuit, quei ergo illi concessa fuerit facultas, nummos suo nomine insigniendi? quod ab illo factum esse refert in *Schalscheleth Haccabala* Rabbi Gedalia. Abraham porro fuit peregrinus inter Cananæos & vitam egit privatam: non valuit itaque potestate signandi nummos in usum quidem Cananæorum. Nec vero quisquam temere ipsius signo fidem in commerciis habuisset. Non ipse etiam Abrahamus egit mercatorem, atque ita nec in mercatorium usum signare argentum ipsi opus fuit. Emerat quidem præterea ab Ephrone Hethita agrum sed non signato argento verum ponderato: ut nos Codex sacer docet. Quin imo factum illud est, paulo antequam Rebeccam duxit Isaacus, atque adeo illo fere tempore quo non potuit Rebeccæ & Isaaci fieri in nummo aliquo mentio. Quam inepta denique illa est inscriptio: *Senex & vetula, juvenis & virgo!* Jam utique defuncta fuit Sara sive veluta quando contractum est inter Isaacum & Rebeccam matrimonium. Nec virgo fuit Rebecca postquam illam domum Isaacus duxisset. In idem tempus sane hæc non conveniunt. David præterea Rex ponderato non signato argento emit aream Ornonis Jebusitæ: quis ergo credat illum nummos signavisse? Nec pedi pastoralis & peræ signum convenire dixeris nummis Regiis: utpote qui cudi solent simul conservandæ Regiæ auctoritati. Ut verbo omnia absolvam, ridicula & tantum non anilis hoc omne fabula est.

Illud tamen etiam non possum non monere, ex illa Judaica traditione non accipi posse, quo characterum genere, Hebræo ne vetere an Assyrio, nummi illi fuerint signati: quoniam in *Bereschith Rabba* illud non est diserte significatum. Verisimile sane est. Abrahamum, si quem nummum signavit, fuisse usum characteribus Cananææ tunc genti usitatis atque adeo Hebræis, ut possent nummi illi legi atque intelligi in usum civilem. Nec vero est quod secus existimes, quoniam illi qui nunc circumferuntur Patriarchales nummi characteribus sunt insigniti Assyriis. Quis credat enim, ipsos hosce nummos ab Abrahami usque ævo superstites ad nos pervenisse? Noviter confecti ergo sunt: & quidem, ut est probabile, ex fide illius narrationis Rabbinicæ, atque adeo illo tempore quando Samaritanarum literarum usus pridem inter Judæos desiisset.

Sed de hisce fortasse plus satis. Quæ autem hactenus contra illos fabulosos nummos attulimus, eorum bona pars evertit etiam alterum illum nummum, qui etiam nunc frequentius Davidis nomine circumfertur. Ectypus ejus missus abs me fuit Hottingero: non expressus tamen est præ optimi viri occupationibus. Sed dudum superioreque seculo ejus imaginem dederat jam Waserus *pag.* 72. hujus vero seculi anno 54. ὁ πολυμαθέστατος Kircherus *Tomo II. Oedypi classe secunda pag.* 99. & post anno 59. Clarissimus Dilherrus in *Atrio linguæ Sanctæ*. Descripserat quoque pridem hunc ipsum nummum Johannes Matthesius in *Sarepta Homilia* XIV. *fol.* 229. & memoraverat Schickardus in *Bechinath pag.* 85. nec non hujus pariter ac Waseri fide Hottingerus *pag.* 148. editionis secundæ, ut & apud Hottingerum *pag.* 119. Anonymus quidam Antiquarius. Est autem plane is nummus quem Christianus Gerson Hierosolymitanum appellavit, atque ex *Bava Kama* produxit. Inscriptio certe omnino eadem est. In uno scilicet nummi illius latere literis Assyriis leguntur: *David Rex, & Filius ejus Salomo Rex.* In altero latere conspicitur, non Arcis ut Schickardo, multo minus Templi quod aliis placet, figura sed potius Portæ, & quidem, ut acute conjecit quondam Vir doctissimus, idemque mihi carissimus gener, Johannes Johannis F. Saubertus, Portæ Piscatoriæ, prout eam Adrichomius videndam exhibuit: fuit autem illa proxima turri David, inter montem Sion & civitatem, e qua proximus ascensus fuit in Sion, dicta alias Porta David. Assyriis porro literis additam habet nummus ἐπιγραφὴν: *Jerusalem Urbs sanctitatis.*

Hunc inquam, nummum, itidem esse commentitium, liquido ostendunt, cum illud quod Sacer Codex nos doceat, Davidem non signato sed appenso argenteo nummo fuisse usum, tum quod demonstraverimus, ad omnes civiles usus isthac tempestate fuisse adhibitas Hebræas non Assyriacas literas. Satis porro idem prodit rudis illa opera, ut nequeas facile dignoscere, num Arx, num Porta, num Turris fuerit per figuram significata. Qualem ruditatem non ferunt res Davidis, magni utique Regis & qui vicinos habuit Tyrios insignes artifices. Nihil præterea caussæ est, quur Davidis & Salomonis nomina in aliquo nummulo tenuis pretii (quem sane ego vidi, fuit duntaxat duarum drachmarum & gran. 27.) jun-

jungerentur, & quidem cum alii nummi genuini Davidis pariter & Salomonis nusquam compareant.

Feruntur porro & Absolonis nomine argentei; rariores tamen, nec a quoquam sive veterum sive recentiorum laudati. Mihi illi visi non sunt; haud dubie tamen & illi sunt ficti sequiore ætate. De iis seorsim aliquid dicere nihil attinet.

Majoris sunt frequentiæ & apud quammultos opinionis, soli illi argentei, qui Sicli audiunt & literis Assyriacis inscripti sunt. Et vero non dubitant quidam, etiam docti, bene de illis sentire. Primus omnium fortassis Siclum ejusmodi depinxit Villalpandus *Partis secundæ cap.* XXI. *pag.* 378. agens vero *cap.* XXVI. *pag.* 392. de Siclo isto, & alio quodam Assyriis literis notato nummo, neutrum ausus est genuinum pronunciare. Imo *cap.* XX. *pag.* 371. hisce verbis usus est: *Non illa numismata adhuc invenire potuimus antiquitatem redolentia, quæ eisdem quibus nunc utuntur Hebræi characteribus signantur: cum tamen plura adinvenerimus, atque a probatis scriptoribus commemorata acceperimus longe diversis literis obsignata*. Jam tum memoravimus ectypon quoque ab Hottingero exhibitum; sed ἁπλῶς illum de ejusmodi Siclorum antiquitate dubitasse, & quos ipse habuit damnasse νοθέιας. Exhibent hujus Sicli figuras etiam alii, & quidem nonnulli cum aliqua laude. Ego vero idem de hisce Siclis sentio atque de aliis pronunciavi qui charactere Assyriaco sunt inscripti, omnes nempe illos confectos esse pridem post gentis Judaicæ Romanum excidium.

Præter autem illa communia abs me adducta hujus pronunciati argumenta, confirmant mihi hanc sententiam: *primo* illa urnæ in Siclis indubitatæ fidei conspicuæ mutatio in thuribulum. Facile enim patet: in Siclis aliis illis institutum fuisse, oculis exponere illa in arca fœderis quondam contenta, Urnam Mannæ & florentem Aronicæ familiæ sacerdotalis ramum. Nihil autem ad hanc rem facit thuribulum. Ex imperitia igitur rudis rerum sacrarum hominis alicujus, sive Judæi sive Christiani, facta est illa in thuribulum mutatio, quæ post pari imperitia propagata est. Quia in aversa parte *præterea* spectatur ramulus, non sane jam fœtus amygdalis, sed solis foliis. Unde nonnullis defensoribus visus est olivæ ramulus esse. Sed quid sacri quæso habet olea, ut ejus ramulus signarit Siclum, nummi genus omnium sanctissimum? Potius hæc quoque illius Sicli pars prodit ruditatem artificis. Ruditatem *porro* insignem prodit ejusdem aversæ inscriptio a sinistra in dexteram contendens contra morem Judæis pridem receptum. Indicat hoc haud obscure, autorem primum ejus generis nummorum ne quidem fuisse Judæum sed Christianum. Vix aliquis *porro* reperitur ejus generis Siclus, qui exacte sit tetradrachmus, & verum Sicli pondus exhibeat. Qui mihi sane visi sunt omnes, ut & quem ipse possideo, deficiunt multum a justo Sicli pondere. An Villalpandus & Morinus suos accurata lance ponderaverint, haud injuria forte dubites. Omnes *postremo* ejusmodi Siclos recentes esse, non autem diu manibus tritos, quilibet rei nummariæ veteris facile deprehendat. Quotquot sane mihi obtigerunt, nullum vetustatis indicium præ se tulerunt. Non etiam a quoquam alio in hoc doctrinæ genere versato ulla antiquitatis nota est prodita, etsi passim tales reperiantur. Unus Athanasius Kircherus, Vir sane admirandæ industriæ & variæ doctrinæ, in *Gymnasio suo Hieroglyphico* sive *Tomo secundo Oedipi Ægyptiaci pag.* 97. scripsit: *hujus nummi prototypon adhuc in* suæ Jesuiticæ sodalitatis *Numothica Romæ asservari*, *qui nequaquam reliquis Siclis cedat antiquitate*: ejus quoque exhibet ectypon *pag.* 98. Ast cui probabitur, illud quod Romæ invenitur esse Prototypon? Quodnam enunciati hujus est certum argumentum? Quidnam potest vel verosimile hoc reddere? Utque sit Prototypon; qui demonstraveris, illud reliquis genuinis Siclis non cedere antiquitate? Sed & si uni Prototypo isti Romano hæc laus debetur, saltim reliquos id genus antiquitate vincunt Sicli Samaritanis literis inscripti, atque adeo reliqui isti sunt demum post Vespasiani & Titi de Judæis triumphos confecti, & hactenus non merentur genuinis nummis accenseri. Fabulosa denique esse illa Kircheri, quasi alii Sicli fuerint usualis moneta, hos vero demum sanctuario oblatos, ad Paradoxum sextum liquido docebimus: Quid? esto, sit Prototypos. Non tamen hoc indicat, legitimum vel illum prototypon esse, & non fictitium. Nec sane omnia Romana sunt genuina.

Quæ cuncta quoniam ita sese habent, jam patet verum esse id quod asseruimus: *Nullum nummum, characteribus* Hebraicis *vulgo jam usitatis ornatum, esse bonæ notæ aut multum vetustum*. Id quod erat mihi probandum.

CAPUT VIII.

Non posse certis argumentis demonstrari, nummos, qui Samaritanis characteribus sunt inscripti, captivitate Babylonica esse antiquiores.

QUum Epistolam exararem, proponeremque inter alia *Quartum Paradoxum*, non fugiebat me, præter nummos Sicli nomen inscriptum habentes, etiam alios reperiri Samaritanis literis notatos, iisque tribui solere non minorem quam Siclis istis antiquitatem; ideoque non solorum Siclorum feci mentionem. Potuisset tamen id abs me fieri, quoniam hi omnium sunt præcipui, & eorum vetustas solet maxime videri verosimilis; imo etiam, quia vulgo quasi receptum est, Siclorum nomine omnes Hebræorum nummos usurpare. Agemus igitur hic de utroque nummorum ejusmodi genere, præcipue tamen de veris Siclis.

Prius vero quam Paradoxum ipsum aggrediamur, binas quasi hypotheses præmittemus. *Altera* est, superesse etiamnum genuinos ex prisco ævo istius generis nummos: *Altera*, nummos illos non deberi Samaritanis sed Judæis.

Secundum probat ipsa Siclorum inscriptio. Non enim Samaritani Israelitas sese professi sunt, non Hierosolymam in pretio habuerunt, multo minus eam *sanctæ* elogio exornassent. Reliqui nummi non quidem hoc indicant æque aperte, attamen & in illis Judaici nominis non obscura licet vestigia invenire. Id quod proximo Capite luculentius patebit.

De *priori* omnia usque adeo sunt certa, ut nemo etiam illorum, quibus in disputatione de literis priscis Hebræorum hi nummi suis Samaritanis characteribus graves sunt, hactenus nummorum istorum legitimos natales impugnaverit.

Primus tamen forte tales nummos memoravit Rabbi Mosis ben Nachman Gerundensis Hispanus, sed jam ante quingentos circiter annos. Villalpandus *c.* 21. varios enumerat. Primum fide Ariæmontani illum Mosi Gerundensi visum: Secundum istum qui ipsimet Ariæmontano fuit oblatus: Tertium, quem memoravit & depinxit Antonius Augustinus: Quartum qui cum aliis in Polonia est repertus & sibi monstratus a Stanislao Rescio: Quinto Siclos contentos in Lælii Pasqualini promptuario: Sexto Siclos consimiles Fulvii Ursini & Illephonsi Ciacconii: Septimo Siclum visum Maimonidæ: Octavo illum quem vidit Rabbi Asarias autor libri *Meor Enaim*: Nono visos Rabbi Mosi Elsecher. Præter hos autem alii haud pauci ab optimæ fidei viris præclare doctis sunt memorati: ut taceam nunc eos quos ipsemet vidi non semel. Solent autem Siclorum quidem eædem esse inscriptiones, & imagines, nisi quod nonnihil quidam varient circa characterem qui super urna continetur, & indicio quod nonnulli eorum sint Semisicli. Primus vero omnium exquisite Siclum pictum, sive potius ære expressum, exhibuit Ariæmontanus in Ephron. Post illum a variis id factum. Alios nummos Hebraicos ejusmodi itidem non unus produxit. Præ aliis merentur industriæ laudem, Waserus, Morinus, Walthonus, & Kircherus. Plerosque id genus, (non tamen omnes) produxit in suis Tabulis, tertia cumprimis quinta & sexta Hottingerus. Quos solos hic retulisse sufficit: præsertim quia Hottingeri liber omnium maxime est obvius, aliorum hujus argumenti scripta perquam sunt inventu rara.

De hisce vero nummis sine discrimine omnibus, præsertim tamen de Siclis, obtinet hodie quasi communi Judæorum pariter & Christianorum, & quidem quamvis doctissimorum, sententia, nullum non horum antiquiorem esse exilio Babylonico. Quidam Siclis non dubitant tribuere longe antiquiores natales: cusos nempe esse ante illam divisionem Israelitici populi, quæ contigit post defunctum Regem Salomonem, quum adhuc una Hierosolyma haberetur communis omnium tribuum sancta metropolis. Non enim illi duntaxat hoc affirmant, qui Samaritanos dictos characteres solos ante Esdram in populi Israelitici usu fuisse statuunt: quo in numero sunt Philologiæ sacræ principes, Scaliger, Ariæmontanus, Villalpandus, Drusius, Vossius uterque, Masius, Fabricius, Waserus, Ludovicus Cappellus, Waltonus, aliique: sed etiam illi qui acerrime iis se opposuerunt. Quorum potissimus cum sit præclarus eruditione Orientalium sacrarum rerum vir Johannes Buxtorfius filius, ejus unius satis est verba quædam huc adducere. Dissertatione enim de Hebræorum literis §. 64. scribit: *Non negatur, Siclos istos tempore primi templi cusos fuisse.*

Primus omnium, nisi fallor, nummum aliquem Samaritanis characteribus inscriptum, sed sequioris palam ævi, depinxit & spectandum exhibuit ὁ πολυμαθέστατος Athanasius Kircherus *Tomo secundo Oedipi Ægyptiaci Classe* 2. *cap.* 2. §. 2. *pag.* 102. opere Romæ edito anno quinquagesimo quarto. Sed in paucorum hoc notitiam venit propter voluminis & ipsiusmet

met nummi raritatem. Post Kircherum secundus, quod equidem sciam, Hottingerus anno quinquagesimo nono editione prima libelli sui *de Nummis*, aliquem horum non dubitavit eidem Simoni Hasmonæo vindicare *pag.* 131. Scribere item *pag.* 127. *Non omnes nummi characteribus Samaritanorum notati, ultimæ sunt antiquitatis & ævi Christo prioris. Non certe illi de quibus Theseus apud Waserum pag.* 62. Hæc ille; post Kircherum quidem secundus, in Germania tamen, atque adeo in communem plurium usum, primus, nec a Kirchero institutus. Nec vero etiam Theseus quidquam dixit quod Hottingero faveat. Waserus sane hoc tantum loco citato scripsit: *His literis Samaritanis æneos aliquot nummos Julii* II. *& Leonis X. Pontificum temporibus, Romæ se vidisse: Theseus Ambrosius testatur Introductione in linguam Chaldaicam Syriacam, Armenicam & decem alias linguas.* Agnovit tamen cum Kircherus tum Hottingerus, plerosque nummorum hujus sortis captivitate longe antiquiores esse.

Huic assertioni sive priori communi, sive alteri quam Hottingerianam dixeris, *Quartum Paradoxum* non est oppositum: Ideoque ad rem quoque non facit Hottingeriana responsio. Tantum negavi enim, posse illas assertiones certas reddi. Ita sane sese habent verba mea: *Non posse ullo certo indicio ostendi, nummos qui literas habent inscriptas Snmaritanas captivitate Babylonica esse antiquiores.* Utrum a me ostendi possit nec ne, illos captivitate esse posteriores, non erat in quæstione. Ostensum autem jam tum a me idipsum est hujus libelli Capite quinto: dum scilicet probavi, ante Babylonicum exilium appenso non signato nummo fuisse Israelitas usos.

Cœterum inquiremus hoc loco, quidnam tandem adeo multos non Judæos duntaxat sed etiam Christianos, Viros sane doctos, adegerit profiteri, nummorum illorum tantam antiquitatem.

Videor autem mihi observasse rationes, quibus fuerint moti: aliam omnibus illis nummis communem, alias singulares magis huic aut illi nummorum istorum speciei.

Generalis sive omnibus communis hæc est; quod literæ veteres Hebrææ fuerint quidem in communi usu ante captivitatem Babylonicam, etiam apud illos, quibus Hierosolyma habebatur urbs sancta & sacrorum a Deo instituta sedes, post Esdram tamen solis Samaritanis fuerint relictæ. Cum ergo quæ in hisce nummis comparent literæ, non sint Assyriacæ, quales Esdra traduxit in usum, sed veteres Hebrææ, & tamen hi nummi non sint Samaritani sed Israelitici populi; necessario nummos hosce confectos esse ante, non autem post exilium Babylonicum. In hunc modum videas ratiocinari viros eruditione eximios, illos etiam, qui literis Assyriis ante Esdram ne quidem ad sacros usus locum ullum fuisse contendunt. Non adducam verba cujusquam, cum omnibus sint in promtu.

Ego autem agnosco, consequentiam ratiocinationis illius firmam esse; sed antecedens a veritate longe est alienum. Nempe quod post Esdram literæ Assyriacæ sint ad omnem civilium quoque negotiorum usum adhibitæ, & quod ἁπλῶς Hebraicæ veteres Samaritanis relictæ, est ratiocinationis illius antecedens quidem, sed neutiquam vero consentaneum. Jamtum hoc ostendi *cap. quinto*. Nunc contentus ero uno illo, quod Kircherus ipse & Hottingerus liquidum fecerunt: a Simone scilicet Ethnarcha nummos aliquos esse cusos, antiquis Hebræis, atque adeo illis quibus tunc & Samaritani utebantur, literis insignitos. Capite proximo pluribus exemplis id fiet perspicuum.

Speciatim pro Siclorum, qui antiquis Hebræorum literis signati sunt, illa magna vetustate, videtur pugnare ipsa inscriptio: *Siclus Israel & Jerusalem Sancta*. Benedictus Ariæmontanus princeps omnium fortassis ad indicia hæc attendit. Hisce sane verbis usus est in suo *Ephron* de Siclo Mosis Gerundensis, qualis etiam sibi obtigerat. *Inscriptiones fuisse in eodem nummo Samaritanis characteribus, qui olim communes totius Israelis literæ fuerant ante discessum decem tribuum a duabus, lingua plane Hebraica, quarum exemplum ex altera parte erat Sekel Israel, quod Latine sonat Siclus Israelis, ex altera vero parte Jerusalaim Kedossah, h. e. Jerusalem sancta. Qui nummus antiquitatem omnino magnam probabat, utpote cusus nomine Israelis, eo tempore quo omnes duodecim tribus communi concordia Israelis nomen obtinebant, quoque Hierosolyma ipsis omnibus regia urbs sanctaque erat, eademque communis omnibus & religionis & publicæ rei & monetæ atque literarum ratio, quæ postea, discessione facta alia atque alia utrique parti fuit. Namque Judæi, ut omnes fere scriptores asserunt, ne cum schismaticis Israelitis ullo sacrorum usu communicarent, eam literarum formam, quæ nunc etiam usu est, hoc est quadratam, mutatis valde alterius prioris figuris, adinvenere.* Hæc omnia S. Scriptura regie illustrata maximam laudem commeritus Ariæ Montanus.

In hisce vero mireris haud immerito, pri-

primum illud affirmari: statim a discessione decem tribuum aliam atque aliam redditam literarum sive scripturæ rationem, idque *omnes fere scriptores asserere*: quum tamen soleat quasi communi ore omnis literarum mutatio attribui vulgo Esdræ, qui prima illa discessione recentior est annos quadringentos.

Secundo mireris, non attendisse virum hoc in doctrinæ genere summum, quam exiguo temporis spatio Hierosolyma fuerit olim habita omnium tribuum commune quoddam sacrarium. Et vero non tale quid potuit existimari, saltim priusquam a Davide arca fœderis fuit ex domo Aminadabi in urbem illam adducta: imo credi vix potuit ante conditum a Salomone templum; tunc sane demum, fixam sibi sedem Hierosolymis Deum posuisse & Urbem illam sanctificasse, hominibus innotuit. Jam vero ad defectionem usque decem tribuum, a translatione arcæ divinæ anni circiter septuaginta, a dedicatione templi triginta duntaxat effluxerunt. Intra tam exiguum autem tempus Siclorum veterum istorum omnium natales restringi, vereor ut ipsi Ariæ Montano fuerit visum verosimile.

Maxime *Tertio* dignum est admiratione, & Ariam & qui ea parte ipsum sunt secuti ita differere, quasi cum illo primo schismate desierit etiam postea communis isthæc Israelis appellatio. Per annos quadringentos præterpropter interruptam fuisse, nec ipse diffitebor: at vero non multo post solutam captivitatem Babylonicam, certum est rediisse in usum, ab ipsoque vulgo iterum de omni promiscue Abrahami posteritate fuisse receptam. Hoc sane liquidissimum unicuivis potest fieri, ex Malachiæ & Esdræ & Nehemiæ libris sacris, ex monumentis Maccabæorum; imo ex omnibus etiam Novi Testamenti libris. Ubi frequentissima est illa communis Israelis appellatio, de omni ejus posteritate, & seorsim de Judæis. Initium autem hujus forte factum est sub Xerxe, sive potius Artaxerxe, Persarum Rege, atque adeo ab Esdræ usque ætate Cum videlicet hactenus a Cyro & Dario Histaspide solis Judæis fuisset facta redeundi in Palæstinam facultas (quod patet ex illorum rescriptis) Artaxerxes, sive Xerxes, promiscue omnibus Israelitis hanc libertatem concessit; atque ita etiam decem tribuum non quidem omnes quammulti tamen cum Esdra sunt reversi, inque unum populum cum Judæis iterum concreti, communi Israelis cognomento appellari denuo cæperunt. Res omnis digna est quæ cum cura expendatur, lectis iis quæ habet Josephus *lib.* XI. Ἀρχαιολογίας *Cap V.* inque probe collatis cum iis, quæ memorantur libro Esdræ ut & Nehemiæ a *cap. usque septimo.*

Idque ideo etiam, ut simul possit Judæorum nostri quoque ævi calumnia isthæc dilui: qua Messiam jactitant adhuc exspectandum esse, qui non Judæos duntaxat, sed reliquas etiam decem tribus in Sanctam terram reducat, quoniam nimirum & hisce tribubus Deus promiserit per Prophetas futuram illam reversionem, quæ tamen hactenus non sit facta. Sane cum nuper insanirent passim Judæi circa Messiam suum Smyrnensem, in Synagogis hæc oracula Prophetica curarunt quam maxime populo prælegi. Ex iis vero quæ Josephus memorat liquidum est, datam ab Artaxerxe decem quoque tribubus in Media habitantibus, non minus atque Judæis, redeundi licentiam, imo illas per Esdram esse isthuc invitatas, sed ab impiis risu isthæc omnia fuisse exsibilata, & paucis exceptis, reverti illos noluisse. Proindeque videlicet divinis Prophetarum promissis satis pridem fuit factum (utpote quæ omnia non nisi ὑποθετικῶς fuerint dicta) quantum attinet divinam benignitatem, & frustratio eventus soli impietati nequissimorum hominum est imputanda, denuo autem exspectare talem reductionem non est divinitus promissum, Quod obiter monuisse liceat.

Ut igitur ad συλλογισμὸν Ariæmontani aliorumque veniamus; firmum quidem est, Siclos illos Samaritanis characteribus signatos, confectos esse quo tempore nomen Israelis fuit commune, & Hierosolyma eorum omnium commune sacrarium: at vero falsum, illud contigisse non nisi ante defectionem tribuum decem Jeroboami fraudibus. A captivitate enim iterum hoc ipsum invaluit, fuitque ad excidium usque gentis observatum. Tantum igitur abest, illam quidem Ariæmontani collectionem conciliasse vetustatem usque adeo magnam Siclis istis, ut illi ipsi fundamento innisi nos proximo capite simus demonstraturi, omnes illos Siclos primis Hasmonæis deberi, adeoque captivitate ipsa Babylonica longe esse posteriores.

Saltim igitur pro Siclis nullum suppetit firmum jactatæ antiquitatis argumentum. Multo minus autem valent quidquam illa, quæ de reliquis hujusce generis nummis a nonnullis referuntur. Existimatur nimirum, etiam illos paris cum Siclis esse vetustatis, ab ipsis inscriptionibus accepto indicio. Etenim in Siclis quoque quibusdam credunt docti aliquot reperiri nomina Davidis & Salomonis. In aliis ipsamet Villalpandus & Kircherus, deprehendi vestigia Samuelis, imo & Josuæ,

suæ, non dubitaverunt profiteri. Verum enimvero præconceptæ opiniones isthæc legere & deprehendere præclaros istos viros effecerunt; reapse nihil ejusmodi in iis reperitur. Illorum nummorum tres pridem, ipsa primi libelli *de Nummis* editione, Hottingerus longe aliud quid sonare, & recentioris esse ævi demonstravit. De singulis iterum agendum nobis erit capite sequente. Itaque nunc tantisper hęc seponantur.

Cum autem hęc ita sese habeant, manifesta jam est Paradoxi nostri veritas, nempe: *nummos qui Samaritanis characteribus sunt signati Captivitate Babylonica vetustiores esse, nullo certe argumento ostendi posse*. Quod unicum demonstrasse nunc quidem sufficit.

CAPUT IX.

Omnes Samaritanis literis inscriptos nummos esse Hasmonæorum & Herodum ætate cusos.

PErvenimus jam ad Paradoxum Quintum; *Nummos omnes Samaritanis literis signatos cusos esse Hasmonæorum & Herodum temporibus, & quidem ab ipsis Judæis, postquam cudendi nummi potestatem a Demetrio Nicatore fuerant nacti: Samaritanos enim characteres fuisse in usu vulgari, Hebræos autem solis sacris codicibus quasi dedicatos.* Prius vero quam ad ejus vindicationem accingamur, duo sunt nonnihil explicatius proponenda.

Horum *primum* attinet potestatem cudendi nummi Judęis concessam. Igitur scriptum quidem est a nobis, factam illam indulgentiam a Demetrio Rege: at non a *Nicanore*, prout vulgo appellatur atque edidit Hottingerus, sed *Nicatore*. In nummis sane antiquis, qualem & ipse habeo, atque ex quorum uno imaginem hujus regis pingi fecit & suo *Illustrium imaginum* eximio volumini inseruit Fulvius Ursinus, *Nicator* appellatur ac *Deus*. Fefellerat autem & nos memoria, isthęc cum scriberemus. Is nimirum qui tantum indulsit Simoni Hasmonęo, fuit Antiochus, qui nuncupatur in Maccabaicis Demetrii filius. Etenim *lib.* I. *Maccabæorum cap.* XV. 6. recitantur hujus literę ad Simonem Ethnarchum, inque iis demum hæc verba: καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σου: quod non male velit interpres vulgatus: *Et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua.* Est autem hic Antiochus is qui & Sidites & Pius appellatur, Demetrii Soteris filius Nicatoris frater. Non jam asseveraverim autem, hujus demum Antiochi indultu primum, jus cudendę monetę sibi Simonem sumpsisse. Quia enim Antiochus ille cœpit erigere caput cum jam in sextum annum plenę libertatis Ethnarcham ageret Simon, verisimile est, Antiochum hunc, quo amicitiam Simonis sibi conciliaret, potius confirmasse jus illud quod jam tum reapse Simon exercebat. Et vero, ut scribitur *lib.* I. *Maccab. cap.* XIII. 41. *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel & cœpit populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis, Anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce & principe Judæorum.* Quicquid autem hujus sit, ante partam istam libertatem cudere monetam non solitos vel ausos Judęos, haud est obscurum. Josephus *lib.* XIII. Ἀρχαιολογίας *cap.* XII. videtur illius Antiochi omnes largitiones contempsisse: judicasse certe indignas memoratu, etsi haud tacuerit illud de libertatis per Simonem recuperatæ a populo facta recognitione, quod paulo ante narravimus.

Etiam illud *Secundo*, quod diximus de diverso usu Hebræarum quæ nunc in usu sunt literarum & Samaritanarum, ita accipiendum est prout supra capite quarto docuimus. Ex Esdræ scilicet instituto ad sacras scriptiones solæ Assyriæ, sive nostræ Hebrææ, literæ adhibitæ sunt; prout nunc etiam adhibentur. Quoniam tamen ex Paradoxi nostri sententia Samaritanis literis fuerunt signati nummi, hinc liquidum fit, saltim ea tempestate duplices fuisse Judæis characteres, alios quasi sacros, alios profanos. Id quod itidem παράδοξον possit videri. Etsi enim, ante captivitatem Babylonicam literarum illam duplicem rationem obtinuisse, quidam affirment quidam negent: ab Esdra tamen usque non alias literas agnoscunt utrique quam solas Assyrias sive quadratas nostras. Ego vero, Hasmonæorum quidem ævo duplices literas fuisse in usu, arbitror liquido patere; ante captivitatem autem idem obtinuisse, est mihi duntaxat verosimile.

Hisce sic expositis possumus jam propius accedere ad institutum. Initio tamen nihil aliud demonstrabimus, quam falso credi a plerisque, omnes omnino Samaritanis literis signatos nummos exilio Babylonico vetustiores esse. Et vero, etsi jam ostenderimus deesse certa argumenta quibus id possit probari, nondum tamen asserti illius falsitatem ostendimus: Cęterum falsam quoque esse assertionem istam, duplici, me judice, constare potest haud illiquido indicio.

Primum est, quia ab omni similitudine veri est alienum, nullos superesse num-

mos

mos ex iis qui ab Hasmonæorum usque ætate fuerunt cusi, atque adeo sunt ævi recentioris, superesse autem solos illos qui vetustissimis temporibus sunt confecti. Cum hoc autem absurdum sit dictu, falsum quoque fuerit, omnes illos nummos deberi temporibus Captivitatem antecedentibus. Nec vero est, quod dicas: superesse adhuc etiam post recuperatam per Hasmonæos libertatem conflatos nummos, sed literis quadratis sive nostris jam vulgaribus signatos. Jam enim probavimus *capite septimo*, omnes istius generis nummos qui ostentantur esse suppositítios. Syllogismus igitur noster probe hunc in modum sese habet: Si omnes Samaritanis literis inscripti nummi sunt Captivitate priores, ergo nulli supersunt hodie post recuperatam libertatem signati. Sed consequens est vero dissimile, Falsum ergo est & antecedens.

Est *Secundo* a fide alienum, tantæ vetustatis nummos ad nos pervenire integros potuisse. Præsertim, eorum aliquem Josuæ, aliquem Samuelis, aliquem Davidi, aliquem Salomoni, aliquem Asæ Regi deberi. Nihil sane reperias simile in ulla gente. Nec enim ulli hodie Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarumque veterum nummi supersunt. Græcorum nummorum vetustissimi haud attingunt Peloponnesiacum bellum. Romani jam Servio Tullio rege, hoc est ipsa exilii Babylonici tempestate, si non ante, assem libralem ejusque partes signaverunt quidem, & æris illius gravis etiamnum supersunt nummi nonnulli. Sed grave illud æs mansit in usu ad bellum Punicum primum, sive annum Urbis quingentesimum octogesimum circiter, quo tempore, teste Plinio *lib.* XXXIII. *cap.* III. *cum impensis respublica non sufficeret, constitutum ut asses sextantario pondere ferirentur*. Quæ nunc igitur supersunt æris gravis monetæ non debent ipsi Servio regi natales suos, sed forte paulo ante bellum illud Punicum sunt conflatæ. Quem ego habeo quadrans æris gravis, cum nullo pecudem sed præter solitum uno latere referat caput pileatum, videtur mihi quidem indicare partam pulsis regibus libertatem: aut illi ipsi tempori tamen adscribere illum secure non audeo; fortassis enim cusus est in acceptæ libertatis memoriam, perinde atque superstites alii nummi consulares vel Quirinum, vel Ancum Marcium, vel Tatium Sabinum aliosque veterum exhibent, cum ipsi longe sint recentiores. Uno verbo; illa nimia ævi vetustas vetat credere, tot nummos nunc quoque superstites illi tempori acceptos ferri oportere. Ubi etiam atque etiam meretur attendi: quosdam illorum nummorum æreos esse, hos autem præ argenteis & aureis minus esse aptos ut ferant ætatem. Manifestum sane hinc est, saltim illorum deprædicatam antiquitatem non posse admitti.

At cum nummi isti non sint adeo antiqui, si fuerint quidem post Captivitatem denique conflati, jam probaverimus simul: illos Hasmonæorum aut sequioribus nonnihil temporibus deberi. Post solutam enim Captivitatem, non fuit fas Judæis signare nummos, nisi recuperata demum Hasmonæorum auspiciis libertate reipublicæ.

Cæterum de *Siclis* quidem omnibus (loquor de veris Siclis argenteis) illud ipsum in communi licebit fortassis hoc modo demonstrare. Nulli Sicli sunt signati ante captivitatem, nec post eam ad Hasmonæos usque; ergo omnes Sicli cusi sunt post recuperatam ab Hasmonæis libertatem. Consequentia ratiocinationis liquida est: antecedens autem jam tum probavimus Capite sexto.

Utemur autem & hoc verisimili argumento: omnes Sicli cusi sunt quo tempore una Hierosolyma habita fuit Israelis sacrorum sedes, ergo sunt confecti aut Davide ac Salomone regnantibus, aut post partam per Hasmonæos libertatem. Sed regnantibus illis Regibus non sunt cusi, quia ex tam diuturno tempore non potuissent ad nos integri pervenire, nec soli illi jam superessent. Debentur itaque sequiori tempestati isti Hasmonæorum. Haud jactamus ἀποδεικτικὴν vim argumenti hujus; vero tamen simile etiam ita factum esse id quod profitetur nostrum Paradoxum, haud equidem dubitamus.

At vero Siclos quis dixerit, fortassis ad templi primi tempora non autem ad secundi referri ideo oportere, quia signati sunt urna mannam continente & amygdalis fœto ramulo: quorum utrumque in arca fœderis fuit repositum quidem, ast una cum arca periit & in templum secundum non pervenit. Ac proinde nec Siclis templi secundi sed primi exprimi jure potuit.

Non est hujus loci disputare, utrum virga isthæc amygdalifera & vasculum mannam continens semper fuerint comprehensa arca fœderis, an vero aliquando prope eam in sancto sanctorum deposita: utrum quoque arca fœderis a Nebucadnezare cum reliqua templi sacra supellectile fuerit Babylonem translata, an vero seorsim alicubi defossa atque occultata. Illud unum duntaxat nunc assero, videri haud absimile vero, saltim & ramum

mum illum frugiferum Sacerdotalem, & mannæ urnam ex Babylone rursum rediisse Hierosolymam, quando Cyri & Darii jussu vasa sacra a Nebucadnezare avecta in secundi templi usum reddita sunt. Nititur tamen mea hæc assertio sola traditione isthac Thalmudica in Mass. Joma: *quinque res quæ fuerunt in templo primo defecisse in secundo: nimirum Arcam cum operculo & Cherubim, ignem cælestem, majestatem divinam, Spiritum Sanctum, Urim & Tummim*: nulla facta mentione & rami illius & urnæ, quæ tamen templum primum ex ipso divino mandato in sanctissima adyta sua receperat. Jussa autem esse reddi sacra vasa per Nebucadnezarem avecta, constat ex libello Esdræ. Si Judæis autem etiam hoc credimus, uno in loco antehac prope arcam fuerant duo isthæc reposita: ut non sit mirum, una cum aurea illa urna etiam ramum amygdaliferum in templum secundum fuisse quasi postliminio reversum. Quod si autem hoc fuerit verum, caussa utique non defuerit, quare ab Hasmonæis binæ illæ omnium sanctissimæ reliquiæ in Siclorum signa sint receptæ. Etiamsi vero periissent, durante tamen etiam templo secundo debuit summum sacerdotium Aronicæ familiæ sacrosanctum conservari. Interfuit quoque Hasmonæorum, divini illius instituti observationem populo inculcari omnibus modis: quandoquidem ipsi & Pontificatum illum summum & simul ἐθναρχίαν sibi vindicabant. Id quod commodissime fieri potuit per Siclos, quod genus nummorum fuit in maximo habitum pretio. Addenda autem & Urna fuit illa mannam continens, quoniam hæc ramulo isto sacro sacerdotali ex ipso instituto divino illi virgæ semper fuit adjuncta. Quicquid hujus sit, is qui injectus fuit scrupulus non est idoneus omnibus Siclis soli templo primo vindicandis.

Etsi autem, cum & in communi omnes hodie superstites nummos Samaritanis literis signatos, & speciatim magis Siclos istius generis, jam retraxerimus in tempora libertatis per Hasmonæos recuperatæ, possimus videri satis defensum esse Paradoxum nostrum, agemus nihilominus seorsim de nummis singulis, illis cumprimis qui non sunt Siclorum nomine digni quidem, debentur tamen Hebræis. Et sane huc descendere quasi cogimur, quoniam illis a quibusdam viris prçclaris attributi sunt longe antiquissimi natales. Sequemur vero ea in re ordinem quem in Tabulis suis prçivit doctissimus idemque optimus Hottingerus. Ille enim fere omnium ejusmodi nummorum imagines exhibuit, versaturque liber ejus in manibus: non ita autem vel Waltoni, vel Kircheri, vel Morini id genus opera sunt obvia. Sçpe etiam provocandum nobis erit ad Hottingerum: utpote qui unus nummorum istorum veram lectionem & assecutus sit & docuerit. Continentur autem imaginum illarum Tabula Tertia quatuor & Tabula quarta una species. Nec enim his nunc annumerabo imagines binas Siclorum, quarum prima Tabulæ tertiæ primum, altera Tabulæ sextæ quartum locum occupavit, de quibus post iterum nonnihil differemus.

Igitur *qui* Tabula tertia secundus post Siclum offert sese nummus, illius imaginem primus dedit Villalpandus, post illum Morinus, ut & Waltonus *in Apparatu pag.* 35., nec non Kircherus *Oed. tom.* II. *clas.* II. *pag.* 93. Est autem æreus, pondere drachmarum duarum, atque ea propter æreus Semisiclus Villalpando & aliis audit; quod tamen perperam fieri, jam ostendimus Capite tertio. Scripturam unius lateris legit & interpretatur Villalpandus *Tempus circumcisionis*, alterius, *ejus pinguedo*: nec lectionem hanc aut interpretationem improbant Waltonus, Kircherus, & Morinus. Refert porro ejus natales Villalpandus in tempus secundæ circumcisionis, qua de agitur *Josuæ cap.* v. Idque conjicit ex radice balsami, quam nummus refert. *Balsamum enim non ferro sed lapide incidi ut stillet, unde ejus fruticem pro circumcisionis symbolo videri positam*. Waltonus vero jure ait: *Conjecturæ hæ mihi longe petitæ videntur*. Debuisset autem objici etiam hoc: quod Balsami planta Salomone demum Rege ex Arabia in Palæstinam fuerit translata, nec radix balsami sed frutex ferat opobalsamum. Cæterum & lectionem illam omnem Villalpandificticiam & inanem esse, multis iisque insignibus argumentis liquido ostendit Hottingerus *pag.* 129. & 130. *primæ*, *pag.* item 42. & 43. *secundæ editionis*. Suspicatus porro, nummum hunc esse amuletum aliquod Samaritanorum. Addit postremo: *Huc accedit, quod æreus hic nummus, non aureus vel argenteus: meo proinde judicio veteribus Israelitis vix tribuendus*. Sed æneos etiam nummos in usu fuisse Judæis veteribus, nullo potest negari probabili indicio. A Josuæ autem ævo ad nostra tempora potuisse nummum æreum integrum pervenire, fateor, mihi videri ἀδύνατον, naturæ quidem ordine observato. Ad eundem vero hunc nummum respexit Hottingerus *pag.* 135. *primæ*, & 148. *secundæ edition.* agens de Samaritano nummo, claudens sermonem his

his verbis: *Nummi, quotquot indubie Hebraicos agnoscimus, urnam & virgam ostendunt. Radices hinc balsami, inde palmæ, quas Palæstinæ proprias fuisse præter Tacitum alii observant, nummis propterea Judæorum insculptas, nullo exemplo probatum est.* Ast nullo alio exemplo, fateor, id probatum est hactenus: non propter eam tamen causam debet hic nummus esse suspectus Samaritanismi. Et Siclos quidem habere virgam & urnam constat, minime autem consequens hic est, non & aliis signis Hebræos in nummis esse usos. Sed & ipse Hottingerus convictus tandem erroris, agnovit hunc nummum vere esse Hebræum, imo cusum esse a Simone Hasmonæo. Non possum non hoc loco recitare, quæ in hanc sententiam præfatus est ad lectorem libro illi eximio cui *Bibliothecario* nomen indidit. *Reverendo D. Spizelio, Augustano Ecclesiastæ, acceptum fero antiquissimum Siclum æneum, & talem quidem in cujus explicatione hactenus eruditi multum fuerunt occupati. Meminit ejus Villalpandus & alii ex eo. Priorem faciem hic legit* עת מול *Tempus circumcisionis, quasi* μνημονικὸν *esset nummus illius circumcisionis cujus mentio* Jos. v. vers. 8. *Alteram vero* משמן *quod pinguedinem terræ Canaan exprimit. Nobis prioris faciei alia placuit lectio,* שמעון *Schimeon. Eam luculentissime confirmat Nummus noster Spizelianus, ubi literæ clare satis & distincte vocem* שמעון *exprimunt. Posterioris vero faciei literæ magnam quidem partem sunt exesæ, nihil tamen omnibus diligenter expensis, colligi aliud videtur, quam* שקל ירושלם הקרושה *Siclus Jerusalem Sanctæ. Illud evidenter conjicere possumus: vana esse & frivola, quæ de antiquissimo (vix enim antiquius rei nummariæ Hebraicæ monumentum extare puto) hoc nummo, Villalpandus & alii sunt hariolati, quasi ad ultima Josuæ tempora ille referendus esset, cum genuina illa inscriptio ad sequiorem nos rejiciat ætatem, & eam quidem, quam in Tractat. nostro de Num. Oriental. pag.* 144. *ostendimus.* Hæc omnia Hottingerus: & quidem recte. Nisi quod fefellerit illum conjectura, qua parte literæ sunt exesæ legi oportere, *Siclus Jerusalem sanctæ.* Non enim ita scriptum fuisse, palam est ex eo, quia nummus hic est æreus, & drachmarum duarum, quorum neutrum Siclo genuino convenit, ceu probavimus jam tum Capite quarto.

Etiam *Alterum* vero nummum, qui Tabulæ Hottingerianæ tertiæ est tertius, debemus Villalpando; ab illo enim uno alii omnes sunt mutuati. Quoniam brevibus, quę ante Hottingerum ipse Villalpandus cumprimis & Morinus sunt de nummo isthoc commentati, complexus est Waltonus, non abs re fuerit illius unius duntaxat verba huc adducere. *Decima est tum Villalpandi tum Morini. Sicli quadrantem putat ille, hic amuletum Samaritanum. A reliquis Sicli partibus multum differt forma & inscriptione: ex una parte torquem habet, quem Salomoni vel regi alicui in usu fuisse conjiciunt; intra cujus ambitum sunt literæ in medio quas legit Villalpandus* עת שמן *Tempus unctionis, ex altera parte est cantharus sive guttus, cui adstat virga frondescens, quæ Aaronis esse conjicitur. Ut & vas videtur esse illud* Exod. XXXI. 23. *in quo oleum unctionis asservabatur. Inscriptionem ita legendam esse putat Villalpandus* לחרות ירושלם *quam interpretatur: Ad scripturam Jerusalem. Conjicit anno tertio Josiæ percussum fuisse.*

Hæc de nummo isthoc Waltonus. Sed Morini quidem conjectura prorsus inanis est. Qui enim Samaritanis fuerit pro amuleto aliquid Hierosolymæ nomine inscriptum? Et quodnam tandem hic est indicium amuleti? Etsi porro argenteus sit nummus ac drachmæ unius, hactenusque sit quadrans Sicli, quoniam tamen legitimus Semisiclus urnam & virgam refert & aperte Sicli dimidium inscribitur, non videtur olim hunc nummum cognomento quadrantis Sicli audiisse, sed alio vocabulo. Regum porro alicujus torque nummum fuisse signatum, nihil habet verisimilitudinis. Cum erraverit quoque in legendo Villalpandus, nec *unctionis* in nummo facta sit mentio, sequitur nec cantharum qui signatus est trahendum esse ad illud *Exodi* 31. 23. Ramus postremo qui in nummo conspicitur, non fert amygdalas ac proinde non est virga Aronis. Errasse autem graviter Villalpandum, & altero nummi latere legendum : לחרות ירושלם *i. e. Liberationis sive libertatis Hierosolymorum*, in altero שמעון *Schimeon*, præclare docuit Hottingerus jam tum editionis primæ *pag.* 130. & 131. *secundæ* autem *pag.* 142. 143. & 144. Quæ cum cura expendisse operæ erit pretium. Quadrant autem huic lectioni etiam inscripta signa catenæ, virgæ virescentis, & canthari. Catena enim non clausa est sed soluta: indicium scilicet liberationis. Cantharus videtur significare abundantiam vini, & ramulus videtur esse ficulneus. Quibus indicetur, jam licere populo ficubus & vino suo frui, quemadmodum solent sacri codices describere tranquillam vitæ felicitatem. Certe hunc etiam nummum deberi Simoni Hasmonæo qui primus libertatem populo recu-

pe-

peravit, liquidum fecit celeberrimus Hottingerus.

Tertius nummus æreus, qui locum tenet quartum Hottingerianæ Tabulæ tertiæ, debetur itidem Villalpando. Ast Hottingerus ab illo adductam & hujus nummi lectionem atque interpretationem perstringit multis, *pag.* 132. 133. & 134. *primæ*, nec non *pag.* 146. & 147. *secundæ editionis*. Quoniam tamen literas nummi perdidit temporis injuria, non dedit Hottingerus lectionem aliquam integram. Quin recte sese habeat censura Hottingeriana, videtur dubio esse procul. Certe nihil in nummo reperire est, quo possit saltim simile vero reddi, quod ex literis nonnihil superstitibus voluit deducere Villalpandus, *Samuel Propheta*. Enimvero literæ Schin & Mem satis sunt conspicuæ, reliquæ autem obscuræ atque incertæ. Illæ autem binæ literæ Simeonis nomini magis conveniunt quam Samuelis. Ad hoc valde plausibilis est conjectura & lectio Hottingeriana unius lateris גאלח לצום *Vindicationis Israelitarum jejunio*. Ita vero itidem significaverit fortasse nummus hic memoriam vindicatæ Hasmonæorum felice ductu antiquæ Israelitici populi libertatis ab hostibus. Quod si porro attendas duntaxat, æreum esse hunc nummum, non facile probaveris Villalpandi sententiam de Samuele, quasi ejus ætate hic nummus sit confectus: non solet videlicet æreum aliquid tantæ esse vetustatis. Uno verbo, etsi non æque perspicua hic sint Hasmonæi ævi vestigia atque in nummis reliquis, cum nihil tamen hic sit quod repugnet, imo cum literæ quædam huc nos invitent, par utique est etiam hunc nummum reliquorum ordini annumerare.

Quartum nummum quinto loco exhibuit Hottingeriana Tabula Tertia, nec habet illum Villalpandus, Waltonus, Morinus aut Kircherus. Jam tum vero *editionis primæ pag.* 159. Hottingerus illum Simeoni adjudicandum censuit: legitque latus alterum לחרות ירושלם h. e. *Libertatis Hierosolymitanæ*: Alteram שמעון *Schimeon*. Repetit eadem *pag.* 145. *editionis secundæ*. Et vero usque adeo liquent hic omnia, ut de Hottingeri sententia non videatur superesse causa dubitandi.

Qui Tabula quinta quarto loco exhibetur, eundem esse cum præcedente, recte arbitratur idem Hottingerus *pag. citata* secundæ editionis. Certe sani oculi ita judicant. Non potest igitur aliter de hoc quam de priore existimari.

Cum in utroque autem nummo hoc templi porticus parte una, aversa autem frumenti spicæ & fructus nonnulli exhibeantur, per fit verosimile, nummos illos cusos ad commonefaciendum populum de offerendis Deo primitiis frugum & fructuum, posteaquam præsertim jam esset populus liberatus ab ejusmodi præstationibus a Syriæ regibus hactenus exactis. Eadem fini videtur & nummus Tabulæ tertiæ quartus esse signatus: altera parte poculo quo vinum & oleum potuit offerri, altero manipulo frugum & fructibus nonnullis. Fortassis quoque talibus nummis redimere primitias illas sacras fuit institutum. Habuit sane locum redemptio pecuniaria non circa primitias illas duntaxat sed etiam decimas. Conferri huc merentur, quæ incomparabilis de *Nummorum præstantia* operis *pag.* 444. & sequente editionis Batavicæ, differuit ad nummum quendam Agrippæ Junioris, in hoc doctrinæ genere plane eximus Ezechiel Spanhemius. Sed hæc obiter: non enim faciunt ad Paradoxum nostrum, sive ad asserendum nummis Hebræorum qui Samaritanis sunt literis inscripti, ævum Hasmonæorum, quod jam agere instituimus.

Cæterum in universum omnes nummos hujus generis superstites, qui non sunt veri Sicli ab Hottingero autem per imagines exhibentur, Hasmonæorum temporibus oportere acceptos referri, abunde jam manifestum est. Fortassis autem alii ejus notæ nonnisi perpauci inveniuntur. Etenim produxit & Morinus nummulum hujus generis, quem etiam Waltonus pingi fecit loco sexto: verum ille consimilis fere est Hottingerianæ Tabulæ tertiæ nummo quarto, literis autem adeo detritis ut certi aliquid ex iis nequeat colligi ac proinde haud dubie etiam ad hanc pertinet classem de qua jam differimus. Exhibet plures Kircherus, sed ab Hottingerianis diversos tantum duos; alterum *pag.* 101. alterum *pag.* 102. In priore credit repertum sibi nomen *Samuel*, debuisset autem legere *Simeon*. In posteriore ipsemet fatetur legi, *Simeon Princeps Israel*. Utut igitur alii nonnulli ejusmodi nummi supersint, illi tamen vel aperte nostram assertionem probabunt, vel saltim huic non adversabuntur.

Nihil igitur jam reliquum est, quam ut de Siclorum quoque genuinorum natali tempore nonnihil adjiciamus. Et Hottingerus quidem fatetur *pag.* 129. *primæ*, & 141. *secundæ editionis*, illos Siclos quibus inscriptum est ירושלים cujusmodi unum scribit a se exhiberi *tab.* VI. *num.* 4. (ubi tamen habetur *Jerusalem*) *esse recentiores*, *tum demum usurpatos cum in superiorem & inferiorem urbs* di-

divideretur docente Amama Antibarbari pag. 475. Sane verba Amamæ hæc sunt: *Dicam quod sentio, vetustius nomen esse puto* Jerusalem *sine jod. Firmat hanc meam conjecturam antiquum urbis nomen, unde hoc compositum est,* Salem, *& constans scriptura sine Jod. Quam lectionem etiam Chaldæus & LXX. & scriptores Novi Testamenti & Hieronymus constanter retinuerunt. Posterioribus autem temporibus dici cœpisse etiam* Jerusalajim, *forte quod urbs quasi gemina esset superior & inferior. Unde hanc plenam scripturam cum jod non invenies nisi in libris circa vel sub captivitate Babylonica scriptis.* Ex. gr. *Jeremiæ* XVIII. II. I. *Chron.* III. *vers.* 5. 2. *Chronicor.* XXV. I. 2. *Chronicor.* XXVI. *vers.* 3. *Esth.* II. 6. Hæc Amama. Verum enimvero cum urbis partes fuerint jam Davidis ætate aliæ in montibus sitæ (Arnon utique Jebusæus incoluit montem Moriæ) aliæ locis depressis, distinctio illa urbis in superiorem & inferiorem non est nova sed perantiqua & nata forte cum ipsa urbe. Quoniam porro etiam ipsi Chaldæi Paraphrastæ scribant *Jerusalem*, liquet, sic satis recenti ætate fuisse in usu τὸ *Jerusalem*: nec εὐφωνίας gratia a solis Græcis hanc appellationem aut cœpisse aut retentam esse. Quoniam porro in ipsomet Jeremia occurrit illud *Jerusalajim*, etiam illa appellatio non demum post Captivitatem incœpit. Videtur igitur, eam quidem Amamæ conjecturam: quasi nimirum illud *Jerusalem* arguat vetus ævum quod Captivitatem præcessit, quasi item tunc fuerit in usu non autem posteris temporibus, quasi denique ibi tandem obtinuerit *Jerusalajim*: illam, dico, conjecturam non esse vero consentaneam, atque adeo neque *Jerusalajim* recentius, neque *Jerusalem* vetus ævum indicare. Potius sane verisimile est, voces illas eodem tempore, & quidem etiam diu post solutam Captivitatem, in promiscuo fuisse usu vulgi, aliis hoc aliis altero modo pronunciantibus. Constat sane Galilæos a Judæis dialecto multum fuisse diversos. Observat quoque, teste *pag.* 138. ipsomet Hottingero, R. Azarias ex Megilla Thalmudica, Hierosolymitanam plebem scribere solitam *Jerusalaimah & de hac re non curare.* Unde consequens est, ex illis quidem vocibus, Siclorum ætates dignosci non posse. Ex adverso si videas superstites Siclos, & attendas ad omnem illorum conditionem, nullam inter illos observaveris, certe non eam diversitatem, unde possit apparere, omnes qui *Jerusalem* habent esse vetustiores iis quæ voce *Jerusalajim* inscribuntur. At vero, si illi quidem pridem ante Captivitatem, hi longe post demum (non potuerint autem ante Hasmonæorum ætatem procudi) sint confecti, conspicuum statim deberet esse, illud ævi usque adeo inter se dissiti discrimen.

Fortassis aliud in medio est indicium, ex quo possit de Siclorum natalibus certius aliquid affirmari. Habent nimirum Sicli omnes super urna mannam continente nunc unam nunc duas literas inscriptas. Et unam quidem illam esse *Aleph* Samaritanum nemo dubitat, aut potest dubitare. Similiter cum duæ junguntur earum primam *Schin* esse itidem liquet. Altera quænam sit, dubium est, Walthonus agens de Siclo secundo, scribit: *In omnibus similis est hic priori, nisi quod pro Aleph in ore calicis habet duas literas Schin & Tau.* Videtur autem calamo properanti illud *Tau* excidisse: paulo enim post scribit: *Pro Schin & Daleth legit Masius Schin & Mem:* & passim ibi *Daleth* agnoscit non *Tau*. Qua præcipitantia factum quoque est ut, ad *num.* V. scriptum sit *pro Daleth*, cum scribi debuisset *pro Aleph*. Fecerunt autem cum Waltono etiam Kircherus & Morinus, imo ipse Villalpandus, qui primus forte Sicli illius imaginem exhibuit. Hottingerus etiam idem sensit, ceu legere est *pag.* 140. Judæus quoque Rabbi Azarias libro *Meor Enaim* dicto, literas *Schin* & *Daleth* supra urnam reperiri tradit, idque suo judicio esse *Siclus Davidis*. Mihi peraffinis quidem videtur esse ille qui in nummis ejusmodi conspicitur character literæ *Daleth* Samaritanæ: plane autem alium esse, liquido potest videri, facta comparatione literæ *Daleth* quem nummi referunt in voce K*adoscha* & hujus quæ supra urnam spectatur. Illum vero nummum, post Villalpandum, non Kircherus duntaxat & Morinus expresserunt, sed etiam Antonius Augustinus conspiciendum primo pariter ac secundo dialogo *de Nummis veterum* produxit; habeturque in editione Romana versionis Italicæ, quæ mihi nunc ad manum, *p.* 12. & 22. Hinc vero manifestum est, *primo* Masii quidem conjecturam quasi duabus illis super Urna scriptis literis significatum sit *Salomo Melech* inanem esse, quia *Mem* in nummis illis non comparet. *Secundo* & Villalpandi suspicionem de voce Schaddai, & Judæi Azariæ, ut & Morini Kircheri Waltoni aliorumque de *Sekel David* esse nihili, quia nempe etiam *Daleth* deficit. Taceo enim nunc, quum in Siclo legatur *Sekel Israel* illud *Sekel David* non habere locum.

Æque autem carent verisimilitudine con-

conjecturæ ſuper litera *Aleph*, quæ in aliis Siclis, & quidem plerisque, urnam quasi obumbrat. Volunt nimirum nonnulli, ſignari vocem *Adonai*, Hottingerus *Aron*. Cur vero ſoli illi Sicli ita ſint inſcripti, cum tamen reverentia nominis *Adonai* & memoria *Aronis* ſit communis Ariæmontano placuit ſignificari litera iſthac anteriorem nummi faciem. At illa indicatio nullius eſt uſus. Et ſi haberet uſum, quur deeſt in nummis aliis? Magis vero queat ſimile cenſeri, literam iſtam *Aleph* ſignificare, quod nummus ſit integer Siclus. Et vero Waſerus Semiſiclo inſcripſit literam *Beth*, trienti Sicli literam *Gimel*, quadranti Sicli literam *Daleth* Samaritanas. Quæ Sicli partes ſi illis literis inſcriberentur, non liceret dubitare etiam de ſignificatione τȣ̃ *Aleph*. Verum enimvero jam tum *cap. quarto* monuimus. Trientis & Quadrantis imagines a Waſero eſſe effictas, nec illud ab eo eſſe diſſimulatum *cap.* VII. *lib.* II. De Semiſiclo etiam Waſeriano idem pronunciavit Morinus. Nec ego multum repugnaverim. Etſi circa dimidium Siclum diſſimulaverit factum hoc VVaſerus, & VValtonus ad nummum octavum ita ſcribit: *VVaſeri has Sicli partes, dimidium trientem & quadrantem, haud ſinceras eſſe putat Johannes Morinus, ſed ad partes Siclorum in Scriptura repræſentandas effictas: ſed cum rationem nullam proferat, hoc de VVaſero non facile crediderim; unicuique tamen liberum ſit judicium*. Jam diximus vero, VVaſerum ipſum non diſſimulaſſe hoc ſuum factum, etſi minus aperte circa Semiſiclum. Accedit quod tales VVaſero depictos nummos nemo alius ſibi viſos adduxerit, nec ipſe VVaſerus fuerit profeſſus illos ſibi eſſe conſpectos. Quicquid ſit, literam *Aleph* indicium eſſe integri Siculi, ex illis a VVaſero depictis partium Sicli imaginibus non poteſt dignoſci. Quod ſi porro τὸ *Aleph* eſſet inſcriptum Siclo ad integritatem iſtam indicandam, debuerint illa litera omnes integri Sicli eſſe notati. At vero quem Antonius Auguſtinus fecit depingi fuit πετράδραχμος: quod ille diſerte affirmat. Tetradrachmus quoque fuit alius Villalpandi & Morini. Quorum uterque tamen pro *Aleph* litera habet duas plane diverſas literas, *Aleph* nullum. VValtonus cum aliis nonnullis impugnat iſtam de litera *Aleph* ſententiam eo argumento, quoniam & Semiſicli ſunt notati eadem litera. Et vero fecit ille depingi Semiſicli cognomento duos nummos qui habent ſuper urna mannam continente *Aleph* literam, non aliter atque illa litera invenitur in Siclis plerisque integris. Priorem ex Bezæ commentariis ad Matthæum, alterum ex Villalpando & Morino eſt mutuatus. At vero nummum poſteriorem eſſe genuinum Semiſiclum, certum eſt: ipſa enim inſcriptio id aperte loquitur; & quoniam habet literam *Aleph* ſuper urna collocatam recte ſeſe habet collectio, quod ſcilicet *Aleph* non denotet integritatem Sicli. Bezæ autem nummus inſcribitur *Sekel*: atque adeo non eſt cuſus autoritate publica in id ut dimidium Sicli valeat. Juſtum pondus deficere multum potuit, ſed culpa æruſcatorum: ut ſolet id genus hominum detrahere juſto nummorum ponderi & metallo ipſi, ab omni forte retro memoria. *Ejus ſane generis malæ notæ nummi veteres*, Græci Romani aliarumque gentium, quamplurimi etiamnum ſuperſunt. Feci ego mentionem in Epiſtola ad Hottingerum nummi, qui fuit quondam Cornelii Martini & poſt Georgii Calixti ſummorum virorum; ex Italia allatus per Theodorum Adamium magni Caſelii generum, virum inſignem: qui itidem Sicli nomine erat inſcriptus, urna item & virga Aronis ſignatus, magnitudine tamen æquabat duntaxat Semiſiclum genuinum Villalpandi, & ponderis erat drachmarum duarum, ſcrupulorum duorum & granorum ſex: loco *Aleph* autem habebat literas illas binas quibus & tetradrachmi quidam Sicli ſunt inſcripti. Haud dubie autem & ille paſſus erat artifices probæ monetæ corruptores. Unde obiter liquet, nec Hebræis ſua defuiſſe quondam rei nummariæ adulteria. Nihilominus recte argumentatum eſſe VValtonum: *Aleph* non præbere indicium Sicli integri quia & Semiſicli quondam ſic fuerint inſcripti, jam in confeſſo eſt.

Ex omnibus autem hiſce manifeſtum eſt, a nemine hactenus eſſe adductam veram & certam cauſſam, quare alii Sicli uno *Aleph* alii duabus literis ſuper urnam ſint notati. Nec vero eſt, quod hac in re Judæorum ſententiis ſtandum, atque adeo Rabbino Azariæ, autori *Meor Enajim*, præ aliis credendum eſſe, quis arbitretur. Sunt enim illi rei veteris monetariæ perquam rudes: præſertim quia nullis aut raris Thalmudicis traditionibus inſtruantur. In exemplum ruditatis placet hic adducere verba ejus, qui doctus cenſetur Rabbi, Moſis Elſecher, quemadmodum vertit illa Villalpandus cap. XXI. *Scito, quod pervenerunt ad manus meas quædam monetæ ex multis generibus, diverſi in pondere Sicli & Semiſicli. Et in nonnullis eorum ſcriptum eſt: Anno tali conſolationis Iſrael: & in alio: Anno tali*

tali Regis talis. Et in quibusdam vidi formam palmæ, fasciculi & cedri. Et dixit mihi quidam Hebræus in illa scriptura peritus, quod in uno latere erat scriptum literis Hebræis antiquis. Et opinor, quod sint insculptæ tempore servitutis Hebræorum, sub Imperatoribus Græcis. Hæc ille. Unde non ruditatem solum sed etiam imprudentem audaciam hominis discere est, ut qui ausus fuerit interpretari quæ ne legere quidem potuit.

Fortasse licebit proinde bona cum eorum qui antehac conjecturas suas prodiderunt de literis istis, affirmare aliquid hactenus non auditum. Quid si ergo asseramus, literis istis indicari nomina eorum, quorum autoritate publica Sicli isti sunt confici jussi? Non sane potest hoc jure haberi improbabile iis, qui cum Waltono aliisque statuunt, litera *Aleph* designari locum ab isthac litera incipientem ubi Siclus sit procusus. *Aleph* igitur significaverit Aristobulum aut Alexandrum Hasmonæos: *Schin* autem Simeonem, & si altera litera fuerit *Nun*, designaverit vocem Nasi sive Ethnarchæ, si *Kaph* (quod forte rectius) כהן הגדול h. e. ἀρχιερεὺς.

Haberemus sane hac ratione ipsos illos, qui Siclos istos orbi quondam quasi produxerunt, atque adeo etiam sic pateret veritas mei Paradoxi. Verumtamen ego quidem huic non petam potissimum robur mei etiam de Siclis Paradoxi. Satis nimirum jam tum est evictum, recens Hasmoniacum, ut aliorum Hebræorum nummorum, ita & Siclorum, primordium. Quibus ergo licet secure acquiescere. Et sane ipsemet Hottingerus ita tandem dimisit Paradoxum meum, ut non multum se dissentire, diserte satis sit confessus iis verbis: *Ab Hebræis cusos fuisse, illos nummos Hebræos, in signum αὐτονομίας, literis ut plurimum, vix tamen semper, Samaritanis non repugno.*

CAPUT X.

Non fuisse olim in usu Siclum alium sacrum alium profanum.

ETiam Quinto Paradoxo expedito nihil superest, quam ut de *Sexto* nonnihil agamus. Est autem illud: *Unum duntaxat fuisse Sicli genus, non vero alium Siclum sacrum alium profanum.*

Fortassis autem non meretur hoc assertum meum Paradoxi nomen, ut nec defensionem. Agnosco enim etiam ipsemet, jampridem & Villalpandum & Waltonum, aliosque nonnullos summates literaturæ hujus, idem mecum asseruisse. Hottingerum quoque ipsum non dissentire quis dixerit, attendens ad ea quæ Epistolæ meæ respondit, atque ita non etiam requiri, ut illi quidem mea isthæc approbem.

Etsi vero priora quinque pronunciata mea magis quam hoc abludant a communi sententia, etiam hoc tamen paucos habet adstipulatores, longe plures autem sentiunt plane aliud. Etenim Judęi quidem forte omnes, & Christianos inter Ecclesię veteris reverendi nobis & sancti Patres Hieronymus, Epiphanius, Isidorus, recentiorum quoque scriptorum longe doctissimi Waserus, Kircherus, Grsepsius, Buxtorfius, Cappellus aliique adversantur. Hottingerus ipse iis est verbis usus, ut propensum quidem in meas partes, nonnihil tamen fuisse illum dubium, appareat. In libello enim cum pro utraque parte varias attulisset rationes, disputationem *pag.* 128. *edit. secundæ* hisce verbis claudit: *Hæc fere sunt quæ in utramque partem disputantur; & certe nisi constanti Hebræorum consuetudini & traditioni aliquid deferatur posterioris sententiæ rationes priori videntur prævalere; præsertim cum Maimonides suo de Siclis tractatu non intercedat.* Pag. 123. cum dixisset finem Siclorum alium esse sacrum, alium civilem, mox addit: *Institutus nempe erat Siclus sacer ad res sacras sive Ecclesiasticas*: Nec multo post: *De hoc Siclo* sacro videlicet) *quæritur cur sic appelletur? Respondimus jam, a fine. Alii tamen, a subjecto loco.* Hisce denique verbis mihi respondit: *Unum fuisse ratione ponderis Sicli genus, libenter dedit: confirmavi etiam supra pag.* 124. Non ἁπλῶς igitur vel tum idem mecum est professus, sed duntaxat, nullam fuisse olim differentiam ratione ponderis. Pro illorum quoque sententia, qui negant Siclum sacro profano fuisse altero tanto graviorem, adduxit quidem Hottingerus laudato loco rationes complures; etiam ita tamen illum hæsitasse, liquidum est ex verbis quibus finivit illam disputationem paulo ante in medium productis. Quibus porro rationibus est usus Hottingerus, illarum (si verum fas est dicere) quammultæ levis ponderis, ita etiam obscure propositæ sunt, ut vim argumenti ægre possis dignoscere. Quapropter haud abs re fuerit, si nos quoque de hac controversia quædam adferamus in medium.

CREDITUR ergo a multis, Siclos olim duorum fuisse generum, diversos & pondere & charactere. Nam sacros fuisse drachmarum quatuor Atticarum, alios autem in civilem usum flatos, dimidio leviores didrachmos videlicet. Signo item fuis-

fuiſſe illos diverſos, vel ſaltim literis atque inſcriptione: Sacros enim Siclos fuiſſe inſignitos literis ſanctis ſive Aſſyriacis, profanos autem Samaritanis characteribus. Utrumque autem non aſſeritur ab omnibus. Etſi enim in eo conveniant, quod Sicli alii ſacri alii profani fuerint, non tamen omnes & in pondere ſimul & in literis inſcriptis collocant differentiam iſtam, ſed plerique in ſolo pondere, pauciores etiam in ſigno & characteribus. Paradoxum autem meum omnem illam diverſitatem tollit. Igitur ut omnibus ſatisfiat, ſeorſim fuerit agendum & de pondere & de literis aut ſignis.

Cæterum ponderis fuiſſe omnes Siclos non unius, ſed alteros tetradrachmos alteros didrachmos, videtur ſufficienter oſtendere conſtans ea in re traditio Judæorum Thalmudicorum aliorumque. Tanti ſane ratio iſthæc momenti viſa eſt etiam Hottingero, ut non auſus fuerit illam ſpernere, imo propter unam illam dubitaverit ἁπλῶς aſſentiri ſententię adverſę: quod paulo ante audivimus. Adducit autem & Hottingerus *pag.* 125. ex libro celeberrimæ famæ cui titulus *Schalscheleth Hakkabala*, Rabbi Jechaiæ autoris: *Traditione diſcimus, Siclum ſanctuarii pondere trecenta viginti grana hordei in puro argento:* quod idem eſt, atque fuiſſe illos drachmarum quatuor Atticarum. *Multo* magis id probatur ex eo, quod ſæpius in ipſis ſacris codicibus fiat mentio Sicli ſanctuarii: quod ſi autem omnes Sicli fuiſsent tunc ejuſdem ponderis, fruſtra facta fuiſset mentio Sicli ſanctuarii, fruſtraque juſſum ad illius normam alios exigere. Liquidum id *Tertio* videtur eſſe ex verſione Græca τῶν ἑβδομήκοντα. In illa enim ſolet *Siclus* Gręce tantum non ſemper reddi δίδραχμον. Quod indicio eſt, interpretes illos reſpexiſſe non ad Siclos ſanctuarii qui erant πετράδραχμοι, ſed ad alios dimidio leviores, qui nempe in civili fuerunt uſu. Confirmant hoc ipſum *Quarto* & nummi Hebræi. Alii enim eorum ſunt quidem drachmarum quatuor, alii tamen multum leviores. Quin imo reperiuntur qui diſerte inſcripti ſunt cognomento Sicli & tamen non ſunt πετράδραχμοι: ſed quidam ſunt δίδραχμοι: ut ille quem Beza curavit depingi, & alius gravior quidem non tamen juſti ponderis quatuor drachmarum, de quibus proximo actum eſt capite.

Verum enimvero etſi ſpecie probabilitatis hæc non deſtituantur, reapſe tamen nullius ſunt roboris. *Primo* enim, de re nummaria veteris ævi ne quidem ex Thalmude ſolet a Rabbinis aliquid conſtanter tradi, Thalmud autem Judaicarum traditionum eſt promtuarium & monumentum antiquiſſimum. Eoque non ſemel faſſus eſt ipſe Hottingerus, fluctuare hac in re Judæorum doctrinam. Satis fuerit legiſſe, quæ notavit ad *Jus Hebræorum pag.* 134. & libello *de Nummis pag.* 121. *ſecundæ editionis*. Ut merito mireris, qui in diſputationis illius concluſione fecerit aliquam mentionem *conſtantis Hebræorum conſuetudinis & traditionis*: præſertim quum conſuetudinis conſtantis nec vola nec veſtigium uſpiam compareat. Taceo, rei nummariæ imperitiam Thalmudicorum magiſtrorum vel inde parere, quod nuſquam illi memoraverint nummos Hebręos Samaritanis characteribus inſcriptos, quodque adeo perquam paucis Rabbinorum, & non niſi ſequioris ævi, illi cæperint innoteſcere. Et nullum itaque conſtans Hebræorum teſtimonium Paradoxo meo adverſatur: & ſi quod eſſet, nihili valeret. Hieronymus porro & Epiphanius familiaribus ſibi Judæis videntur crediдиſſe. Utique nec illis niſi inquantnm ſunt rationibus inſtructi, tuto credi, notum eſt. Nudæ ſententiæ nullam vim habent.

Fuiſſe *porro* olim ante Captivitatem Babylonicam ſingularem aliquem Sanctuarii Siclum, certum quidem eſt. At vero jam probavimus, non monetæ alicujus ſignatæ genus Siclum illum fuiſſe, ſed certi ponderis. Enimvero etiam alia fuerunt Sicli nomine fortaſſis haud parum diverſa pondera. Diſerte ſane 2. *Samuelis cap. XIV.* 26. fit mentio *Siclorum ponderis regii*. Nec Abſolonis capilli ponderati fuerunt ad monetam aliquam, ſed ad alicujus ponderis normam: quod quantæ fuerit gravitatis hodie nos fugit. Oſtendimus vero itidem, ante Captivitatem illam Siclos quidem fuiſſe in uſu loco monetæ ſed ἀσήμους: omnes vero illos fuiſſe pares ponderi Sicli Sanctuarii non equidem affirmaverim: imo improbitatem temporum illorum attendens haud dubito, ſæpenumero pondus Sicli vulgare ab eo quod in ſanctuario aſſervabatur multum deflexiſſe. Neutiquam vero inde colligere eſt, quaſi lege conſtitutum fuiſſe, aliud Sicli genus in ſacros aliud in profanos uſus. Imo vero conſtat ex *Levitici XVII.* 15. omnes æſtimationes rerum fieri oportuiſſe ad normam Sicli ſanctuarii atque adeo eandem Sicli ſive ponderis rationem in civilibus quoque negotiis debuiſſe obſervari. Utrum poſt ſolutam Captivitatem Babylonicam fuerit itidem Siclus aliquis ſingularis ſanctuarii nec ne, haud equidem dixerim. Ab Haſmonæorum uſque ætate ullum fuiſſe in uſu diſcrimen Sicli profani & ſacri, nullo poteſt vel leviſſimo oſtendi indicio. Quæ cauſ-

caussa vero fuerit, illius appellationis *Sicli Sanctuarii* recte jam tum a Villalpando pariter & doctissimo waltono est expositum. Utemur verbis Walthoni, ne videamur nobis voluisse vindicare aliorum observata. *Cum mentio fit in scripturis Sicli sanctuarii, hic ideo dicitur Siclus sanctuarii, quia in sanctuario asservata sunt ponderum & mensurarum exemplaria. Hoc enim ad sacerdotum officium pertinebat, ut sint super omne pondus & mensuram*, 1. *Chron. XXIII.* 29. Item: *Inter sacra enim æstimata erant pondera & mensuræ. Unde in templis apud Paganos, & in Ecclesiis Christianorum servari solebant, ut ex Justiniani Novella* 128. *cap.* 15. *ostendimus*. Hæc Walthonus. Utut postremo fuissent olim Sicli quidam sacri, non tamen hi potuissent appellari Sicli sanctuarii: quia non omne sacrum ad sanctuarium pertinuit.

Quod *Tertio* versionem attinet Septuaginta seniorum Gręcam torsit illa aliquamdiu viros etiam doctissimos Arięmontanus enim & Masius errorem ab interpretibus commissum censent. Quod verisimile non est, in re vulgo & nota & obvia: pręsertim cum sępe hęc interpretatio sit repetita. Alii librariis adscribunt culpam; qui scripserint initio quidem διδράχμα, post jota inseruerint, fecerintque δίδραχμα. Quis credat vero, id factum tam multis in locis, idque a peritioribus post emendatum non esse? Villalpandus *cap.* XXVIII. scribit, *cum didrachmum pro Siclo reddunt* septuaginta, *non certam habuisse exæquandi ponderis rationem, sed potius pro Hebraico alium Græcum substituere voluisse, qui in eo tantum esset similis; quod magis in ore & manibus omnium Græcorum didrachmum tunc versaretur, haud secus quam tetradrachmus Siclus in oculis ac manibus olim Hebræorum*. At vereor, ut hæc excusatio sit imputatio supinæ oscitantiæ: si scilicet scientes Græcum nummum substituerint pro Hebræo. Fuit vero & Stater sive τετράδραχμον satis familiaris nummus Græciæ populis: ac proinde non fuit necessum, melioris intellectus caussa in gratiam Græcorum δίδραχμον vertere. Rectius gerit in his enodandis sese Villalpandus *cap.* XXIX. Sed non opus est illa huc advocare. Omnium optime illi rem expedierunt, qui observavere: drachmam Alexandrinam pendisse duas Atticas; atque ita δίδραχμον Alexandrinum esse τετράδραχμον Atticum, (id quod ex Polluce constat) Septuaginta autem Alexandrino more fuisse loquutos, sicut in Ægypto versio illa fuit nata.

Quicquid vero sit, versio isthæc Septuagintaviralis non juvat quidquam illam de diverso pondere Sicli sacri & profani opinionem? quoniam nusquam in versione isthac, etiam quando de sacris agitur, *Siclus* vertitur τετράδραχμον, sed semper δίδραχμον: ut proinde hi quidem interpretes ista a sequioris ævi Judæis excogitatam Siclorum differentiam non agnoverint. Perquam frivolum sane est, quod nonnulli trahere huc moliti sint illud de pondere capillorum Absolonis: quia scilicet ea Septuagintavirali versione legitur pondus capillorum æquasse centum Siclo, in Hebræos autem ducentos. In quibusdam enim Græcis codicibus versionis illius legitur itidem διακοσίες: fortassis etiam Interpretes illi usi sunt exemplaribus Hebræis quæ nonnihil a nostris fuerunt diversa: id quod in aliis quammultis locis etiam est observare.

Quod *quarto* loco adduximus, non solet quidem multum urgeri, fortassis tamen haud immerito cui videatur, omnium esse verisimillium. Attamen qui Hebræi nummi non habent inscriptum nomen *Sekel*, ad rem non faciunt, utpote qui non Sicli sed diversi fuerint a Siclo ordinis. Utque illorum nonnulli fuerint τετράδραχμοι, quidam δίδραχμοι, quidam non nisi drachmam unam pondere ęquaverint: non tamen propterea Siclis κατ' ἐξοχὴν ita dictis merentur accenseri. Solent pręterea illi ponderis esse admodum a Siclis diversi &, ut ita dicam, plane irregulares. Quam maxime huc facere dixeris, nummos illos qui non sunt τετράδραχμοι & tamen nomen *Sicli Israelis* habent inscriptum. Jam tum autem ostensum est, factum illud esse non secundum leges sed vitio eorum qui monetas adulterarunt. Quod genus hominum nequam nulli reipublicę solet deesse.

Saltim eorum igitur, qui sacri profanique Sicli in diverso pondere differentiam constituerunt, sententiam nullis niti firmis rationibus, jam est manifestum. Illi qui Siclos illos fuisse etiam literis diversos qui statuunt, nulla plane veterum traditione colorem sibi parare potuerunt. Omnis illorum prętextus videtur stare eo, quod nummorum Hebręorum quidam reperiantur etiam sacris sive Assyriis literis insigniti, alii Samaritanis atque adeo profanis. Et sane reperiri, etiam *Sicli* nomine per literas sacras insignitos nonnullos nummos, certum est. Verum enimvero, etsi, ponas, nummorum illorum qui Assyrias literas habent inscriptas nonnullos esse genuinos, non sequitur tamen, illos audiisse olim *Sicli* nomine. Sed & eorum qui hodie quidem superant Sicli nomen non habentes inscri-

ſcriptum, forte nulli vel Sicli, vel Semiſicli, vel trienti, vel quadrantis Sicli pondus exacte referunt; atque adeo ad Sicli ſanctuarii normam nec hi ſunt compoſiti, aut merentur *ſacri Sicli* cognomentum. Eorum qui inſcripti ſunt *Sicli* titulo, pauciſſimos item reperias Siclo ſanctuarii æquales, ac proinde neutiquam merentur *ſacri* cognomentum. Probavi autem jam tum in univerſum ſic ſatis clare, niſi fallor: omnes literis Aſſyriis inſcriptos nummos eſſe ſuppoſititios & natos demum poſt gentis Judaicæ Romanum excidium.

In univerſum igitur licet jam ſaltim hoc conſtituere, ſententiam illam de duplici Siclo, ſacro & profano, deſtitui firmo omni fundamento. Hoc evicto autem conſequens eſt, fas eſſe illam rejicere & opinionem adverſam amplecti tanquam ſimiliorem vero: idque quoniam in bene conſtituta republica, qualem utique Deus ſuam Iſraelitarum eſſe voluit, non ſolent temere admitti in idem nomen diverſi pretii monetæ, quo vitetur omnis deceptio. Idem vero maxime confirmant illi, qui etiamnum ſuperant genuini Sicli. Illi enim inſigniti ſunt ſignis ſanctiſſimis, ex ipſa Arca fœderis aſſumptis, Urna ſcilicet mannam continente & ramulo amygdalarum ferace, atque adeo non poſſunt deſpici tanquam ſint profani. Iidem ſolent eſſe, pauciſſimis exceptis, τετράδραχμοι, aut ſi Semiſicli fuerint, δίδραχμοι, adeoque ad normam Sicli ſanctuarii bene compoſiti. Et tamen ſunt inſcripti literis non ſacris ſed Samaritanis, recepti item in uſus civiles ad inſtar aliorum nummorum. Quod ſi porro fuiſſent olim in vulgi uſu Sicli ab his dimidio leviores, utique illi etiam ſigni ſanctiſſimis non debuiſſent inſcribi, nec honorari titulis *ſanctæ Jeruſalem* & *Sicli Iſraelis*, deberent etiam illorum hodie nonnulli eſſe ſuperſtites. Nihil autem horum uſquam comparet, nullum reperitur vel leviſſimum indicium. Tollere denique penitus illud imaginarium diſcrimen Siclorum aptum eſt unum Flavii Joſephi teſtimonium: ὁ δὲ Σίκλος, νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Non enim ἁπλῶς, & nulla addita exceptione, potuiſſet ita Joſephus loqui, ſi tunc fuiſſet in uſu civili Siclus aliquis profanus δίδραχμος. Ego ſane illud unicum Joſephi teſtimonium ſufficere arbitror Paradoxo meo ſtatuminando. Quapropter etiam in illo nunc acquieſco, nec verbo addito opus eſſe cenſeo.

CAPUT XI.

Quæ de Cippis Hebræorum in libello ab Hottingero edito memorantur non mereri fidem.

QUÆ ad illuſtrationem defenſionemque etſi non omni ex parte ἀποδεικτικὴν, perquam veroſimilem tamen, Paradoxorum noſtrorum ſex attinent, fortaſſis abunde ſatis perſecuti ſumus. Reſtant, fateor, dicenda complura alia de Hebræorum nummis, ſed illa aggredi non patiuntur negotia mea. Aliis illa curæ ſint quibus plus otii ſuppetit, & literaturæ Hebrææ plenior notitia.

Fortaſſis majori juris ſpecie poſſit a me exſpectari aliquid hoc loco, de *Sepulcris Hebræorum*: quandoquidem & in ea Epiſtola & in Reſponſo Hottingeriano hoc quoque argumentum factum eſt. Cæterum & illud agere vetant meliores gravioreſque occupationes. Et vero parum refert, quid de narrationibus Judaicis, quos libellus ille ab Hottingero editus verſuſque comprehendit, ſentiendum ſit. Non enim vel Eccleſiæ vel reipublicæ iſthæc ſcire intereſt.

Me in ſententia etiamnum confirmant, tot Chriſtianorum accurata cura elaboratæ Terræ ſanctæ vicinarumque regionum deſcriptiones: præter enim plurimas Latine ſcriptas hujus argumenti hiſtorias, dedit orbi Leo Allatius inter ſua Σύμμικτα Græcas tres: Omnes vero illæ pauca admodum memorant de ejuſmodi Cippis, cum tamen ſepulchra Patriarcharum & Prophetarum etiam Chriſtianis ſint religioſa, non minus ac Judæis. Accedit, quod etiam ipſe magnus error Benjamin Tudelenſis Judæus, etſi fuerit rerum ſuæ gentis curioſus indagator & fabuloſus præco, itidem tamen pauca duntaxat ſepulcra ejuſmodi commemoraverit. Haud præteriturus illa ſilentio, ſi ejus ætate fuiſſent & numeroſa adeo & tanta in veneratione. Obiit autem Benjamin ille ſeculo duodecimo Chriſtiano, & quidem anno 1173. ut vir plane eximius Conſtantinus l'Empereur in ſua Itinerario Benjaminis præmiſſa *Diſſertatione*, ex Chronicis cum Abrahami Zacuthi tum Davidis Gans, celebrium Rabbinorum, pridem docuit. Autor vero libelli ab Hottingero editi multo recentior eſt Benjamine: ſaltim itaque de iis quæ hic tradit fas eſt ſuſpicari, recentiora eſſe, a ſequioris ævi Judæis partim confecta partim conficta. Et vero ille de Cippis ab Hottingero editus libellus ſcriptus eſt ſuperiore demum ſeculo, imperante per Orientem ipſi-

ipsique Palæstinæ Solimanno. Hottingerus enim quidem *pag.* 17. *editionis primæ* numerum minorem Judaicæ æræ 297. quem scriptor memorat, anno Christi 1137. respondere docuerat, ipse tamen illud jussit emendare *pag.* 75. & reponere annum Christi 1537. Secunda vero editione *pag.* 35. prior error est repetitus, & *pag.* 84. novus commissus, sexcentesimo Christi anno posito in locum quingentesimi. Ne autem notis numeralibus quisquam fallatur satis cavit ipse scriptor, narrans, quemadmodum jussu Sultani Solimanni, & mœnia & multa alia Hierosolymæ urbis fuerint iterum exstructa, editionis primæ *pag.* 12. secundæ *pag.* 34. Quin imo ex iis quæ fine libelli habentur liquet, initio quidem in modum Epistolæ omnia scripta, inde autem ab alio quodam Judæo, qui etiam ipse Palæstinam lustraverat, in libellum post denique translata esse. Cum Benjamin itaque suum iter instituerit rerum potientibus in Palæstina Christianis Europæis, tunc vero adeo multi Cippi non fuerint in existimatione, alter vero integris quadringentis annis post demum vixerit, cum jam per trecentos amplius annos Muhamedani ibi imperassent, manifestum profecto est, valde verosimile esse id quod in Epistola diximus, fracta denique Christianorum in terris illis potentia, a Judæis Cippos illos multos esse constructos quos hic scriptor commemorat. Non sane vel hac tempestate desiit apud Judæos κακοζηλία illa Pharisaica, jam tum olim a Salvatore nostro improbata, imo graviter Pharisæis improperata, *ædificandi monumenta Prophetarum*. Ac proinde id quod diximus, de Cippis intra hosce trecentos annos recenter conditis, non utique est vero absimile.

Reperiuntur porro in libello isthoc quammulta fabulosa; quæ proinde & reliquis narrationibus de Cippis fidem detrahunt. Quod solet esse mendaciorum commune præmium. Ipsemet Hottingerus fidem omnium istarum narrationum non ausus fuit præstare. In ipsis sane Notis suis complura passim falsi convincit: in Responso fatetur, *non omnium eandem autoritatem esse: Quæ nimia commendantur antiquitate suspicione vix carere*. Quibus itaque narrationibus liceat fidem commodare quibus non, incertum saltim est.

In universum istius quidem libelli Autor videtur ejusdem fuisse indolis cum Benjamine, vel potius ejus quæ vulgo Judæis est pene communis; quæ nempe in parte pietatis collocat mentiri, si videatur id suo superstitioso zelo commodum. Quod non est tamen mirum, quoniam eodem vitio tenentur cujuscunque pene θρησκείας & quarumcunque sectarum complures fervidi zelotæ: etiam Muhammedicorum. Utinam non quoque Christianorum! Sed, eheu, jam tum seculo Christiano undecimo non semel conquestus fuit ipsemet magnus tunc nomine atque autoritate Cardinalis Romanus Petrus Damiani, *quod nonnulli se Deo deferre existiment, si in extollendis sanctorum virtutibus mendacium fingant*. Est sane quamplurium omnis pene generis hominum persuasio, circa eorum qui Sancti creduntur sepulcra, promtius exaudire Deum preces. Judæo saltim illi qui librum de Cippis conscripsit idem, quod aliis vulgo, placuisse de precibus ad sepulcra fundendis, haud obscure patet ex ipsis verbis quibus libellum est exorsus. Ita enim illa interpretatus est Hottingerus. *Hæc sunt itinera filiorum Israel, quæ fecerunt proficiscentes de virtute in virtutem, ut prosternerent se ad sepulchra justorum, super quibus pax. Accedunt autem cum lacbrymis & deprecationibus, ut petant & exorent misericordiam pro se & fratribus suis, qui in exilio morantur*. Ad ipsas tamen sepultorum animas non dixerim a Judæorum nonnullis preces alligari: etsi me non prætereat, a paucis quibusdam angelos invocari solitos. Cæterum quandoquidem illa de vi precum circa sepulcra effusarum persuasio usque adeo apud quammultos invaluerit, non est mirum de sepulcris ipsis plurima solere fingi: Optimo tamen maximo Deo forte nihil magis est invisum istis mendaciis.

Uno verbo, nihil est caussæ quare libello illi Hottingeriano liceat secure credere: propterea persto, parte quidem optima, in ea, quam dixi, sententia.



STANISLAI GRSEPSII
De multiplici Siclo & Talento Hebraico.
ITEM,
DE MENSURIS HEBRAICIS,
Tam aridorum quam liquidorum.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

LIbri Budæi de aſſe, candide Lector, quantam voluptatem pariter & utilitatem legentibus afferant, facile qui legit perſpicit. Ego autem opus illud cum attentius legiſſem, non mediocriter dolui, quod in Hebraicis ponderibus & menſuris inveſtigandis vir ille non poſuiſſet tantum operæ, quantum in iis poſuit, quæ apud profanos leguntur auctores. Hebraica enim Budæus in genere tantum tractat, oſtendens apud Hebræos magna & parva atque adeo etiam minima talenta fuiſſe. Sed quantum fuerit aliquod talentum, non definit. Nos igitur cupientes cognoſcere, quæ a Budæo ſunt omiſſa, plurimum in eo negotio laboravimus, ſed qua felicitate, judicabunt alii, qui noſtra hæc cognoſcere non gravabuntur.

Noſtri certe in hac parte (quorum quidem ego ſcripta poſt aſſem Budæi viderim) nihil fere norunt niſi quæ Rabini docent: nempe talentum Hebraicum duplex & ſiclum duplicem. De regio autem talento, & ſiclo regio, & item de minimis & maximis talentis

ſiclisque, nihil penitus noverunt. Sed nec illud obſervarunt, talentum auri & ſiclum diverſum eſſe a talento & ſiclo argenti: ſicut æris ferrique pondera diverſa fuerunt a ponderibus argenti & auri. Nec menſuras etiam melius cognitas habuimus. Nam quæ Hebræi neoterici de menſuris ſentiunt, ridicula ſunt. Joſephus autem nunc eorum decem Atticorum medimnorum dicit eſſe, nunc ſeptuaginta coros efficere dicit Atticos medimnos quadraginta & unum. Quæ quomodo cohæreant, hucuſque nemo oſtendit. Itidem bath menſuram Septuaginta interdum transferunt bathum, interdum metretem, aliquando choea, id eſt, congium, nonnunquam cotylam, quorum rationem reddere nemo, quod equidem ſciam, conatus eſt, quaſi aut Septuaginta minus recte tranſtulerint, aut hæc ſcire non magni ſit momenti. Atqui Septuaginta illos interpretes, & Joſephum probabile non eſt hæc ignoraſſe, qui templo & rep. Hebræorum ſtante, & cæremoniis veteris legis durantibus, vixerunt ſacerdotes & ſacrarum literarum ſcientia clari, ita ut ignorari talia nefas illis eſſet. Quod autem non parvi ſit momenti hæc noſſe, manifeſtum eſt, cum in ſacris libris nuſquam non obvia ſint: ut qui ignarus eorum fuerit, neceſſe ſit in multis ſcripturæ locis eum hærere atque hallucinari. Ut ne commemorem, quod nec rationem anni Hebraici ſcire poterit, qui hæc non novit.

Quam varie enim annus apud Hebræos accipiatur, hucuſque nemo tradidit. Ex quo autem ſemel amiſſa eſt cognitio hujus rei, non poteſt recuperari niſi ex proportione ponderum & menſurarum. In menſuris enim & ponderibus Hebraicis eadem proportio invenitur. Menſurarum autem ſuarum modos priſci illi habita temporum ratione inſtituerunt proinde annus apud Hebræos eodem modo dividitur, quo pondera & menſuræ, unde qui hæc intelligit, & annum facile intelliget: cujus cognitio quam ſit neceſſaria ad intelligendas ſcripturas, is demum cognoſcit, qui diligenter perpendit quantas tenebras ignorantia temporum parere ſolet. Ego vero cognitionem Hebraicorum non ſolum ad ſacras ſcripturas, verum etiam ad profanos autores intelligendos utilem eſſe video. Sicut enim Hebraica ex collatione Græcanicorum & Italicorum; ita & Græcanica Romanaque, ſi conferantur cum Hebraicis, melius intelliguntur. Cur nonnulli aurei dicantur hemjecta apud Athenienſes, non facile rationem dare poterit qui Hebraica non tenet. Item talentum Atticum apud Plinium cur ſedecim ſeſtertiis taxetur: & apud Xenophontem tria millia aureorum Daricorum, qua ratione decem talenta dicantur, aliaque id genus multa, facile intelligit qui Hebraica tenet. Quin & Romana pondera menſuraſque, ſicut Budæus docuit, eadem cum Atticis ponderibus menſuriſque fuiſſe. Quamvis antea non dubitaverimus, meditandis tamen Hebraicis magis in noſtra confirmati ſumus ſententia. Unde mirari ſubit Georgium Agricolam, virum alioqui doctum, quod, quæ Budæus recte docuit, convellere auſus eſt, aſſerens pondera & menſuras Romanas diverſas eſſe ab Atticis, & argumentis Budæi, quod nihil

nihil ad Bacchum facit, opponens pondera & menſuras medicorum. Hinc complures autorum locos perperam interpretatur, aut, ſi depravati ſint, tuetur ac defendit. Cujus rei exemplum unum & alterum adducam. Svetonius Cap. LXXXIII. de Julio Cæſare ita ſcripſit: Populo Romano hortos circa Tyberim publice, & viritim tricenos ſeſtertios legavit. Appiani autem Latina exempla pro CCC. ſeſtertiis, quinque & octoginta drachmas Atticas habent. Quem Appiani locum Budæus, corruptum eſſe judicans, emendavit. Agricola autem contendit recte ſcriptum eſſe, etiamſi nec ita ſcriptus ad inſtitutum ipſius ſatis quadret. Ceterum locum hunc in Latinis exemplaribus vitiatum eſſe, & Budæum recte emendaſſe, Græca exemplaria docent: τῷ δήμῳ δὲ ἦσαν οἱ κῆποι ἐν διαίτημα δεδομένοι καὶ κατ' ἄνδρα ῥωμαίων τ ἔπ σὶ ἄςει, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἀττικαὶ δραχμαί. Eſt & alter Appiani locus cum Svetonio mire congruens. Svetonius in Julio Cap. XXXVIII. (vide ibi Torrentium in notis) ita habet. Populo præter frumenti denos modios & totidem olei libras tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit; & hoc amplius, centenos pro mora. Appianus autem Cæſarem poſt triumphum pecuniam diviſiſſe refert, ita ut promiſſa ſuperaret, & addit ſingulis e populo datam eſſe minam Atticam: quem locum Agricola quia contrarium ſibi videbat, conatus eſt eludere. Svetonius (inquit) tricenos ſeſtertios populo datos dicit, Appianus autem minam Atticam; Mina igitur Attica non centum, ſed ſeptuaginta quinque denarios valet. Quaſi Svetonius CCC. tantum nummos & non CCCC. ſingulis e populo datos eſſe dicat, aut quaſi Appianus non plura dediſſe Cæſarem ſcribat quam promiſiſſet. Sed hæc quam frivola ſint, nemo eſt qui non cernat. Nec meliori fide menſuras tradit Agricola: vult enim Romanas menſuras & Atticas diverſas eſſe. (*) Et hoc dum conatur probare, docet amphoram Atticam ſeu metretam congios duodecim capere, & congium ſextarios ſex; ſextarium duas cotylas, & verſus Fannii citat.

Attica præterea dicenda eſt amphora nobis
Seu cadus, hanc facies, noſtræ ſi adjeceris urnam.

Ex

(*) Cave iis credas, quæ de amphora ceteriſque menſuris ſcripſit doctiſſimus Politianus *Epiſt. ult. Lib.* X. Nam ea erroribus ſcatet, planeque indigna eſt Politiano, quod, ſi a nobis dici mireris, lege quæ hac de re ſcripſit Budæus initio *Lib.* V. de Aſſe. Julius Africanus in Fragmento περὶ μέτρων. ὁ τοῦ οἴνου ἀμφορεὺς, ὃν καὶ μετρητὴν λέγουσι πολλοὶ, ἡμιαμφόρεια μὲν ἔχει δύο, ἃ καλοῦσι κάδδους ὀνόματι κοινῷ, οἱ δὲ ῥωμαῖοι οὔρνας. ὥςε τὸν ἀμφορέα εἶναι ξεςῶν μη. *Amphora vini, quam & metretam multi vocant, continet ſemiamphoras duas, quas cados communi nomine adpellant, Romani vero urnas dicunt: ita ut amphora ſit ſextariorum* XLVIII. Voluſius Metianus: *Nam quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo &c.* Sed hæc capienda de amphora Romana. Nam Attica trium urnarum fuit. Feſtus. *Quadrantal vocabant antiqui, quam Græci amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit ſextarios.* Columella *Lib.* XII. *Cap.* XX. *Quadrantem medicaminis in binas amphoras miſcere ſolitus ſum, ita ut quatuor urnarum eſſet muſti modus.* E quibus conſtat amphoram liquidorum aridorumque menſuram fuiſſe, capientem urna duas.

Ex quibus poſtea argumentatur: Si Attica amphora capit amphoram Romanam & urnam; Romana vero amphora congios octo, urna quatuor: nonne ſequitur metretem continere choas, qui Romanis congii dicuntur, duodecim? Ita probat amphoram Atticam diverſam eſſe a Romana.

Nec videt interim ſe ſibi contrarium eſſe. Si enim Attica amphora capit tres urnas, & congii ac cotulæ totidem ſunt cum Attica amphora: quot in tribus urnis Romanis neceſſario conſequitur congios & cotylas Atticas cum Romanis congiis & cotylis æquales eſſe, quod contra Agricolam eſt, qui omnem, quod ajunt, lapidem movet ut hæc diverſa eſſe oſtendat. Et Budæus quidem, cum menſuras tractat, oſtendit ex multis autorum locis ſe veritati conſona docere. Agricola autem, ut ne alia commemorem, Atticum chœnicen, qui eſt diurnus hominis cibus, adeo exiguum fecit, ut gallinæ potius quam hominis diurnus cibus ſit dicendus. Hoc autem Agricolæ ex eo contigit quod cum medicus eſſet, medicas menſuras & pondera cum publicis eadem eſſe voluit. Firmamentum autem argumentorum ipſius in Romano ſextario Galeni conſiſtit: cujus menſuram oſtendit Galenus ex alia menſura quæ libra dicitur ὃ πάμπολυ καθ᾽ ὅλην τὴν πόλιν ἐστιν quæ menſura (inquit) frequentiſſima eſt in tota urbe. Quod autem Galenus de libra dicit, dicturus erat & de ſextario ſi publicum & non medicorum intelligeret ſextarium; neque enim minus frequens erat ſextarius publicus in urbe Romana, quam libra, nec minus notus, ut propterea menſura ipſius ex libra eſſet oſtendenda.

Sed de Agricolæ ſcriptis hæc admonuiſſe ſufficiat. Ut autem ad inſtitutum redeamus, nos de ponderibus & menſuris Hebraicis ante aliquot annos quæ habuimus conſcripſimus, breviter quidem & nude utpote quæ inter commentandum ſcripſimus juvandæ memoriæ gratia, ne videlicet meditata exciderent ac dilaberentur. Sed tamen ea puto commoditate in lucem prodeunt, ut ne brevitas nimia moleſtam obſcuritatem legentibus faceſſere poſſit.

Ut autem Hebraica facilius intelligantur, præmiſimus iis epitomen ex Budæo potiſſimum deſumtam de ponderibus & menſuris Græcorum & Romanorum: quamvis & hic complura ex autoribus addidimus, quæ ad intelligenda Hebraica faciunt, & in aſſe Budæi non reperiuntur. Omnia autem hæc ad vernacula noſtra, nempe Sarmatica pondera & menſuras reduximus. Sed ita, ut exemplo ſimili hæc eadem ad ſua quiſque reducere poſſit. Sub finem autem libelli complura de anno Hebraico addidimus: cognitio enim ponderum & menſurarum eſt veluti via quædam ad cognitionem anni. Proinde traditis ponderibus & menſuris Hebraicis non alienam ab inſtituto noſtro nec ingratam legentibus rem facturos nos arbitrabamur, ſi aliqua de anno adjiceremus, præſertim quæ ab aliis nondum eſſent obſervata. Vale lector, & operam noſtram boni conſule.

* HENRICUS GUNTERUS THULEMARIUS

BENEVOLO LECTORI S.

PRæsentem, quem heic vides, libellum, ante tempus aliquod, ex communicatione Viri cujusdam, in omni literarum genere exercitatissimi, νῦν ἐν ἁγίοις, *legi, & relegi; cumque mihi affatim placeret, dicti Viri indultu, eundem descripsi, non, ut publicæ luci exponerem, sed ut in privatos usus servarem. Ast, cum Viris quibusdam, haud proletariæ eruditionis, sparsa quædam ejusdem folia, quæ ipsis lustranda concesseram, se maxime probarent, institerunt, & non una vice, urserunt, ut publicis typis committerem, nec orbi literario egregium istiusmodi scriptum inviderem. Talibus tandem monitis locum dare coactus sui; hinc descriptum meum exemplar (præprimis cum jam certo mihi constet, cœlitibus supra dictum Clarissimum Virum adscriptum esse,) prælo subjicio, tuisque* B. L. *usibus consecro. De Autore hujus libris, a Christoph. Plantino Antuerpiæ anno* 1568. *(uti ex calce colligebatur,) impressi, laudatus vir sibi nihil constare adfirmabat, quippe cum absque titulo & Inscriptione, in antiqua quadam Bibliotheca, a muribus & vermibus ferme corrosam illum repererit, nec, licet diligentissime inquisiverit, hominem, cui hic fœtus jure tribui possit, invenisse. Ego quoque non semel investigavi, num in Virorum Celeberrimorum, Casparis Waseri, Joh. Henrici Hottingeri, Hermanni Conringii, specialibus de nummis Hebræorum tractatibus, ut & modo dicti Waseri singulari, de mensuris Hebraicis, libro, talismodi scripti auctorem allegatum invenirem: sed frustraneus fuit hic labor. Quare suspicatus sum, & forsam non falso, istius libelli, nulli; vel paucis, inspiciendi copiam fuisse. Suscipe itaque,* H. L. *hunc partum luci vindicatum, & operam nostram, hac in parte, æquo nutu attende. Vale, &* errata typographica, *quæ ob absentiam meam irrepserunt, pro candore tuo corrige.*

Dab. ex Musæo 5. Non.
Mart. anno 1676.

* Hęc pręfatio editioni Germanicę pręmissa est in 12. cujus editionis locum & annum addere nequeo, cum in lacerum codicem inciderim, cui prima pagina ademta.

EPITOME EX LIBRIS BUDDÆI DE ASSE.

AS vel aſſis apud veteres quævis res, quæ in duodecim dividitur partes. As enim aliquando dicitur libra, quæ in duodecim partes, hoc eſt, uncias dividitur. Aliquando nummus libralis, hoc eſt unius libræ. Aliquando pes, quæ menſura duodecim uncias, hoc eſt, pollices habet. Aliquando jugerum, quod duodecim unciis ſeu partibus conſtat.

Dicitur & de menſura liquidorum, ut poſtea dicemus. Sed & hereditas dicitur as: unde ex aſſe heredem facere, id eſt, totius hereditatis. Uſura quoque centenaria pro aſſe intelligitur: quæ dimidiata dicitur ſemis, & rurſus ſemis dimidiatus, quadrans, ſimilis ratio de trientario fœnore.

Breviter, quicquid in duodecim partes dividebant veteres, aſſem vocabant; & partes, uncias.

As in duodecim uncias diſtribuitur.

1	uncia.	2	ſextans.
3	quadrans.	4	triens.
5	quincunx.	6	ſemis vel ſemiſſis.
7	ſeptunx.	8	bes vel beſſis.
9	dodrans.	10	dextans.
11	deunx.	12	as vel aſſis.

As igitur, ut ad id quod inſtituimus, veniamus, libralis nummus fuit, libram gravis æris pendens. Nam Romani primo gravi ære, id eſt, nummo nudo & informi uſi ſunt: Poſtea ære ſignato, quod fuit ſub ſexto demum rege. Deinde argento ſignato, quod quinque annis ante primum Punicum bellum fuit. Servius rex primum apud Romanos ſignavit æs: ſignatum eſt autem nota pecudum, unde & pecunia dicta. Quadrans, teruncius aliter dicitur, a tribus unciis, quod ſit libellæ quarta pars, quomodo & & quadrans aſſis.

Triens tertiam aſſis partem valebat.

Semis autem duos quadrantes.

Sextans ſexta pars aſſis: nummulus erat quadrante minor duas uncias valens.

Unciaria ſtips apud Plinium dimidio minor, quam ſextentaria.

As dipondius duos aſſes valebat. Ab aſſe veniunt treſſis, quadraſſis, nonuſſis, decuſſis, centuſſis, &c. pro tribus, quatuor, novem, decem & centum aſſibus.

As & libella idem: Sed libella argentea fuit, unde & argentea libella dicta. As nunquam fuit argenteus, ſicut denarius, nunquam fuit æreus. Sed ante argentum ſignatum æreus decuſſis ut centuſſis æreus fuit.

Cum apud antiquos mille æris legimus, mille aſſes intelligere debemus, mille autem aſſes, centum denarios valent.

Denarius, ut diximus, nunquam fuit æreus apud Romanos, ſicut nec drachma apud Græcos, ſed ſignata ſtatim argentea pecunia conſtitutum, ut denarius libris æris decem valeret, id eſt, decem aſſibus, & ſeſtertius (nam & hic nunquam æreus fuit) dipondio & ſemiſſe: unde quatuor ſeſtertii denarium unum æquabant.

Quinarius quinque aſſes, hoc eſt duos ſeſtertios valebat. Hic etiam victoriatus dictus fuit: nos non amplius tres vidimus tales.

Denarios vero permultos vidimus & complures etiam nacti ſumus. Nam in Sarmatia etiamnum multi reperiuntur effigies & inſcriptiones conſulum & Cæſarum Romanorum habentes: nacti ſumus & Gallicanæ monetæ pondera, quibus Budæus in explicandis ponderibus antiquorum utitur, & ex his omnibus deprehendimus denarii Romani pondus eſſe, quantum eſt quatuor ſemigroſſorum noſtrorum, paulo minus, ſemiſiciliquo Cracovienſi.

Quod ut exactius intelligatur, conferemus libram noſtram cum Romana, & quid inter hanc & illam interſit, dicemus.

Libra aurificum noſtrorum in totidem ſiciliquos, in quot & Romana, dividitur. Romana enim libra habuit duodecim uncias, uncia quatuor ſiciliquos, atque ita libra Romana habuit quadraginta octo ſiciliquos. Noſtra autem libra dividitur in ſelibras, ſeu marcas duas, & marca in XXIV. ſiciliquos, unde libra noſtra XLVIII. ſiciliquorum eſt, ſicut & Romana.

Pondus autem libræ & marcæ noſtrorum aurificum non eſt idem ubique. Marca Cracovienſis, Poſnanienſis, Wratislavienſis & Lublinenſis eſt eadem: Leopolienſis autem eſt major trium ſiciliquorum pondere. In Maſovia & Pruſſia eſt minor Cracovienſi. Torunenſis Marca

unius

unius ſiciliqui pondere, & duæ marcæ, hoc eſt, libra, minor eſt Cracovienſi pondere duorum ſiciliquorum. Romana autem libra ſuperatur a Cracovienſi ſeptem denariis Romanis & quadrante, hoc eſt, tribus ſiciliquis Cracovienſibus & ſemidodrante fere ſiciliqui.

Nummulariorum autem noſtrorum libra quantum conjicere licet ex iis quibus nunc utimur nummis, minor eſt quam libra Cracovienſium aurificum, & groſſi quidem graviores ſunt, ſemigroſſi vero exacte cum ponderibus Romanis conveniunt. Octo enim in ſiciliquum Romanum ſignati ſunt, etiamſi alii aliis paulo ſint vel graviores vel leviores. Deprehendes hoc etiam in majori pondere. Si enim in altera lance ponas libram aut ſelibram Romanam; in alteram autem ſemigroſſos, qui pondere æquent libram ſelibramve, invenies in ſingulos ſiciliquos octo ſemigroſſos cedere. Cum autem dico ſemigroſſos, excipio illos, qui Piorunki vocantur; illi enim leviores ſunt, nec juſtum pondus habere judicati ſunt, etiam tunc cum primum ſignati eſſent. Habet autem pondus ſemigroſſus noſter idem quod Auſtriacus Cruciatus, nempe Viennenſis. Ex hoc autem ſemigroſſorum pondere ego conjicio libram Nummulariam apud nos antiquitus Romanum pondus habuiſſe. Cujus rei argumento ſunt etiam menſuræ noſtræ cum Romanis menſuris convenientes, ut inferius oſtendemus. Unde antiquitus cum in uſu fuiſſent apud nos denarii Romani, marca pecuniæ, hoc eſt, quadraginta octo denarii, marcam argenti valebat, & ex eo etiamnum quadraginta octo groſſi dicuntur marca, etiamſi marcam argenti nec valore nec pondere æquent.

Romanos autem denarios apud nos fuiſſe in uſu, apparet ex eo, quod etiam nunc multi reperiuntur in agris, & ſingulis annis multi per totum fere regnum ab aurificibus conflantur. Quod autem denarius ſeu nummus denarii pondere ſignatus in Gallia etiamnum vocentur groſſus, teſtatur Budæus de aſſe.

Cæterum quod libram Romanam dixi fuiſſe duodecim unciarum, hoc intelligendum eſt, non de libra Nummulariorum. Nam libra nummularia apud Romanos, quæ etiam mina & pondo dicitur, centenaria fuit, id eſt, centum denarios habuit, ſeu quod idem eſt, duodecim uncias & ſemiſſem, quæ ſiciliquos efficiunt quinquaginta Romanos. Hanc minam Cracovienſis libra ſuperat, ſeſquiſiciliquo ferme, nempe tribus denariis & dodrante ſcrupuli.

Eſt autem ſcrupulus ſexta pars ſiciliqui, & denarii tertia; tres enim ſcrupuli denarium appendunt, & ſex ſcrupuli ſiciliquum. Sed poſtquam de pondere denarii diximus, atque adeo etiam de pondere libræ, ac minæ Romanæ; nunc quanti æſtimanda ſint hæc, dicamus. Marca argenti puri Cracoviæ æſtimari ſolet florenis octo: & duæ marcæ, hoc eſt, libra, ſedecim florenis. Interdum tamen argenti pretium augetur, vel minuitur. Marca argenti nunc venditur octo florenis & quatuor groſſis; & libra ſedecim florenis & octo groſſis.

Nos vero inter utramque æſtimationem hanc incedentes ſtatuemus libram argenti, plus quam ſedecim florenos valere, minus tamen quam ſedecim florenos & octo groſſos. Ita ut mina Romana, quæ minor eſt Cracovienſi fere ſeſquiſiciliquo, æſtimetur quindecim florenis & ſemiſſe, & præterea tribus groſſis, quæ ſumma novem Ungaricos valet aureos: quandoquidem Ungaricus aureus, nunc quinquaginta duobus permutatur groſſis.

Quod autem Romana mina (quæ Cracovienſi minor eſt, ut diximus, fere ſeſquiſiciliquo) recte a nobis novem Ungaricis aureis æſtimetur, ita colliges. Adde quindecim groſſos, & ſi libet etiam ſemiſſem, ad prædictam ſummam, nempe ad novem Ungaricos, pro ſeſquiſiciliquo (quo libra ſeu mina Romana ſuperatur a Cracovienſi) habebis pretium Cracovienſis libræ, ſedecim florenos & tres groſſos cum ſemiſſe: quæ ſumma, ſicut vides, medium tenet inter utramque æſtimationem, nempe inter eam, quæ eſt ſedecim florenorum, & eam, quæ eſt ſedecim florenorum & octo groſſorum.

Si igitur minam, hoc eſt, centum denarios ſtatuemus novem Ungaricos valere, denarius unus valebit fere quatuor groſſos & duos ſolidos; & ſeſtertius nummus groſſum unum, & tria fere minuta. As autem paulo plus valebit, quam octo minuta, ſemigroſſum videlicet non integrum. Et hæc eſt denarii & minæ ſimplex æſtimatio. Budæus autem minam Romanam æſtimavit coronatis Gallicis decem. Sed Gallicus coronatus tunc minori pretio permutabatur in Gallia, quam nunc permutatur. Non enim auri & argenti idem eſt pretium ſemper, nec in omnibus regionibus, ſed pro diverſitate regionum & temporum variare ſolet. Quapropter nec mirum videri debet, ſi quid æſtimatio noſtra diſcrepat ab æſtimatione Budæi.

Denarius drachmæ Atticæ pondus habuit & æſtimationem, & ſicut drachma apud Græcos dividitur in ſex obolos, ſic denarius apud Romanos in quatuor ſeſtertios,

tios, ita ut sestertius sesquiobolum Atticum penderet, quod pondus etiam semigrossus noster habet. Sestertius & nummus idem. Sestertius ex eo dictus est quod duos asses & semissem valeret, quasi semistertius.

Libra Romana, sicut diximus, quæ & mina & pondo dicitur, centenos denarios, seu, quod idem est, centenas drachmas habuit. Cum igitur denarius quaternos sestertios æquaret pondere & æstimatione, liquet in libra Romana quadringentos fuisse sestertios, & duabus libris & selibra, mille sestertios. Qua ratione fit, ut sestertia singula numero plurali millenos sestertios valeant, hoc est, duas libras & semissem: ut enim sestertius nummus dicitur ex eo quod duos asses & semissem valebat, hoc est, duas libras æris gravis & selibram: Ita sestertia numero plurali & genere neutro ideo dicuntur, quod singula duas libras & selibram argenti valerent, hoc est, ducentos & quinquaginta denarios, sive mille sestertios, quod idem est: sic fit, ut decem sestertia & decem millia sestertium nummorum pro eodem ab antiquis dicerentur.

Mille sestertii æstimatione nostra viginti duos aureos & semissem valent. Dicitur autem mille sestertii & mille nummi: vel mille sestertium & mille nummum, vel copulate mille sestertium nummum.

Decem millia nummum, vel decem millia sestertium, quod idem est, ducentos vigintiquinque Ungaricos valebant. Hæc etiam decem sestertia dicuntur, cum singula sestertia singula millia significant.

Decies sestertium idem est, quod decies centena millia sestertium, quæ summa centies major est decem sestertiis. Idem est enim decies sestertium quod mille sestertia. Cum enim singula sestertia millenos nummos sestertios valeant, si mille sestertios millies multiplices, fient decis centena millia, quem lingua vernacula millionem vocant.

Decies igitur sestertium centies ducentos viginti quinque Ungaricos valent, hoc est, viginti duo millia & quingentos; sic fiet ut millio Romanus viginti duo millia aureorum & quingentos aureos valeat.

Hoc igitur tenere oportet, quod quemadmodum cum a nummis sestertiis ad sestertia genere neutro fit transitus, numerus millies multiplicatur; ita cum ad eam loquutionem ventum est, quæ per adverbia numeralia enuntiatur, sestertia singula centuplicata crescunt, ut verbi gratia, si centum sestertia dicam, centum millia sestertium intelligere debeas: quod si centies sestertium dicam, non jam centum sestertia, sed centies centena sestertia, seu centies centena millia sestertium intelligendum sit.

Ut autem facilis & obvia sit unicuique earum summarum intelligentia, quæ apud autores identidem leguntur: subjectas hic oculis proposuimus, calculandi tædio studiosos levare volentes.

Decem sestertia: ducenti vigintiquinque aurei Ungarici.

Viginti sestertia: quadringenti quinquaginta aurei.

Triginta sestertia: sexcenti segtuaginta quinque aurei.

Quadraginta sestertia: nonigenti aurei.

Quinquaginta sestertia: Mille centum vigintiquinque aurei.

Sexaginta sestertia: Mille trecenti & quinquaginta aurei.

Centum sestertia: duo millia ducenti & quinquaginta aurei.

Ducenta sestertia: quatuor millia & quingenti aurei.

Quadringenta sestertia: Novem millia aureorum. Census equestris sub Julio Cæsare.

Quingenta sestertia: undecim millia & ducenti quinquaginta aurei.

Sexcenta sestertia: Tredecim millia & quingenti aurei.

Octingenta sestertia: Decem octo millia aureorum. Census senatorius ante Augustum.

Notandum quod supra mille sestertia, Romani fere semper per adverbia loquebantur infra mille, nunquam per adverbia locuti sunt, hoc modo.

Decies sestertium, id est, mille sestertia: viginti duo millia & quingenti aurei.

Duodecies sestertium: vigintiseptem millia aureorum. Census senatorius sub Augusto.

Quindecies sestertium: Triginta tria millia septingenti & quinquaginta aurei.

Vicies sestertium: quadragintaquinque millia aureorum.

Tricies sestertium: sexaginta septem millia & quingenti aurei.

Quadragies sestertium: nonaginta millia aureorum.

Quinquagies sestertium: centum & duodecim millia aureorum & quingenti aurei.

Sexagies sestertium: centum trigintaquinque millia aureorum.

Centies sestertium: ducenta vigintiquinque millia aureorum. Tanti æstimatus est unio Cleopatræ.

Quadringenties sestertium: noningenta mil-

millia aureorum. Tanti æstimatus est a Plinio ornatus Loliæ.

Millies sestertium: bis & vicies centena & quinquaginta millia aureorum. Id est duo milliones & ducenta quinquaginta millia.

Bis millies sestertium: quadragies quinquies centena millia.

Quater millies sestertium: nonagies centena millia aureorum.

Decies millies sestertium: vigintiduo milliones & quingenta millia aureorum.

Quadragies millies sestertium: noningenties centena millia aureorum, id est, nonaginta milliones.

Vicies septies millies sestertium coegisse Tiberius dicitur, id est, sexaginta milliones, septies centena & quinquaginta millia aureorum.

Præter libra duodecim unciarum & minam nummulariorum, fuit Italica mina, sicut Epiphanius docet, viginti unciarum. Idem legimus in libello De ponderibus & mensuris titulo Galeni. Atque hujus minæ seu libræ semissis, hoc est, decem unciæ libra seu mina etiam dicta fuit, sicut Priscianus De ponderibus tradit. Et ex eo apud Romanos mensura olei vocabatur libra, quod caperet olei libram ponderis decem unciarum. Nec mirum cuiquam videri debet, quod semissis minæ seu libræ dicatur libra, cum semissis talenti apud Græcos dicatur talentum, sicut inferius docebimus, & apud Oribasium legimus minam octo unciarum, quæ est semis minæ sedecim unciarum. Fuit enim mina seu libra medicorum sedecim unciarum quæ Ægyptia mina quoque dicitur.

Legimus præterea, Italicam minam fuisse unciarum decem octo, quæ sesquiplam habuit proportionem ad libram duodecim unciarum, & hujus semis sunt novem unciæ, seu quod idem est, septuaginta duæ drachmæ, mina Attica, quæ postea auctior facta est tribus drachmis, quemadmodum & libra duodecim unciarum aucta est quatuor drachmis, & facta est centenaria: quod ex proportioni auri ad argentum contigit, ut inferius dicemus. Legitur & octoginta quatuor drachmarum libra, apud Latinos medicos, eam proportionem habens ad libram septuaginta duarum drachmarum, quam libra duodecim unciarum habuit ad libram octoginta & quatuor drachmarum. Sed Romanis usitatissima fuit & maxime vernacula libra duodecim unciarum, as & assis dicta, & post hanc centenaria, quæ & mina & pondo dicitur.

Sicut autem as seu assis dividitur in duodecim uncias; ita uncia in quatuor siciliquos, & siciliquus in duas drachmas seu denarios: ita ut uncia octonas contineat drachmas. Drachma rursus dividitur in terna scrupula quæ a Græcis γράμματα, id est, litteræ ideo dicuntur, quod quatuor & viginti litteras Græci in alphabeto suo habent; quod uncia scrupulos capit, & dies civilis horas.

Scrupulum dividitur in sex siliquas. Siliqua est genus minuti ponderis a siliquæ grano, cujus habet pondus, sic dicti. Est enim siliqua genus fructus cujus sex grana scrupulum appendunt, nostri hoc genus fructus, panem S. Joannis, vernacula lingua vocant, in officinis pharmacopolarum invenitur, scrupuli pondus non multum abest a pondere semiargentei nostri, quem Triplicem vocamus. Drachma seu denarius, pondus habet duodecima parte majus quam Ungaricus aureus. Proinde undecim drachmæ appendunt duodecim Ungaricos.

Supputatio Græcorum.

Drachma Attica denarii Romani pondus & æstimationem habuit. Idem de mina Attica & Romana sentiendum est. Mina Attica centum drachmas Atticas habuit. Drachma sex obolos, obolus semiscrupuli Romani habuit pondus. Obolus octonos valuit chalcos, id est, æreos. Bini chalci πεταρτημόριον, id est, quadrans dicti sunt, quadrantem enim oboli valebant.

Obolus juxta proportionem æstimationis drachmæ est æstimandus. Si enim drachma Attica, sicut & denarius Romanus, quatuor grossos & duos solidos valet; obolus Atticus, cum sit sexta pars Atticæ drachmæ, valebit duos solidos & minuta duo. Atque ita chalcus, id est, æreus, valebit pauxillo minus duobus minutis, nempe minutum unum & dodrantem.

Talentum Atticum (inquit Pollux) Atticas drachmas valebat numero sex millia. Babylonium septem millia. Ægineum decem millia. Syrium mille & quingentas, si quis supputationem ad drachmas Atticas faciat. Itidem minas Atticas Atticum quidem talentum sexaginta: Babylonium septuaginta: Ægineum centum juxta proportionem habuit. Porro mina ipsa, ut apud Athenienses centenas drachmas; ita apud alios quoque totidem suas cujusque gentis: quæ pro ratione cujusque talenti plus minusve valerent augmento vel decremento. Quæ verba Pollucis Budæus explicans, ex his, inquit, verbis ad formulam unam omnia propemodum genera talentorum minarumque re-

redigere possumus. Quomodo enim Atticum talentum sexagenas minas capit, & mina Attica centenas suas drachmas, sic Babylonium sexagenas minas Babylonias quæ centenas & ipsæ drachmas vernaculas capiunt, & Æginense talentum totidem minas Æginenses, & Ægineticæ rursus minæ centenas drachmas Ægineticas. Verum enim vero ut Babylonium talentum proportionem ephectam, id est, sesquisextam (vel ut alii loquuntur supersextam) ad talentum habet Atticum, sexta enim parte hoc ab illo superatur; sic drachma Babylonia Atticam drachmam sesquisexta proportione superat: Et ut Æginense talentum proportionem superpartientem ad Atticum talentum habet, utpote quod semel id capit & duas insuper ejus partes (ita enim se habet centenarium talentum ad sexagenarium) sic eamdem quoque proportionem Æginea drachma ad Atticam drachmam habet, ut quæ denos obolos Atticos capiat, quos Attica tantum senos. Hactenus Budæus. Notandum vero est, quod sicut Pollux hoc loco dixit, Babylonium talentum septuaginta minas Atticas habere, ita Herodotus hoc ipsum talentum, nempe Babylonium, Euboicas minas itidem septuaginta valere dicit, unde colligitur, minam Atticam & Euboicam æquales fuisse. Quod si mina Attica & Euboica sunt æquales, proculdubio & talentum Atticum cum Euboico sunt æqualia. Pro magnitudine enim talenti est magnitudo minæ, quandoquidem sexaginta minas quodvis talentum pro quantitate sui habet. Porro Euboica pondera eadem cum Atticis ponderibus fuisse, argumento est etiam talentum magnum, nempe octoginta minarum, quod utrisque fuit commune.

Babylonium tamen talentum paullo majus septuaginta minis Euboicis fuisse, ex ipsius Herodoti computatione, qua Babylonia talenta reducit ad Euboica, colligit Budæus; quare Herodotus, cum Babylonium talentum dicit septuaginta minas Euboicas valere, non ad vivum resecuisse rem credendus est: sicut nec Julius Pollux cum Babylonium talentum septuaginta minas Atticas habere dicit. Quod ex Æliano etiam probari potest, qui hoc libro primo variæ Historiæ capite XXII. exactius tradidit, his verbis, *δύναται δὲ τὸ τάλαντον τὸ βαβυλώνιον δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς ἀττικάς*. id est, valet autem talentum Babylonium duas & septuaginta minas Atticas. Quare talenti Babylonii ad talentum Atticum Euboicumve proportio non est sesquisexta seu supersexta, sed sesquiquinta, seu superquinta, nempe quam sex habent ad quinque, eademque erit proportio minæ Babiloniæ ad minam Atticam Euboicamve, & drachmæ ad drachmam.

Talentum Atticum minus seu Euboicum, hoc est, sexaginta Atticæ seu Romanæ minæ efficiunt libras aurificum Cracoviensium fere quinquaginta octo & quinque siciliquos, seu quod idem est, centum & sedecim marcas & siciliquos quinque. Si quis autem æstimet singulas minas, sicut nos æstimavimus novem aureis Ungaricis, talentum Atticum, hoc est, sexaginta minæ argenti valebunt quingentos & quadraginta aureos Ungaricos.

Majus autem talentum Atticum seu Euboicum octoginta minas appendit, hoc est, septuaginta septem libras Cracovienses, & fere semissem, centum quinquagintaquinque marcas. Porro octoginta minæ argenti juxta æstimationem nostram valent septingentos & viginti aureos Ungaricos.

Hoc talentum Græcis commune habuerunt cum Ægyptiis.

Ægineum talentum sermone nostro potest dici *centner*: centum minas appendit, hoc est, nonaginta sex libras nostras & quadraginta unum siciliquum, nempe centum nonaginta tres marcas Cracovienses, & decem septem siciliquos.

Valent autem centum minæ, hoc est talentum Ægineum æstimatione nostra noningentos aureos.

Babylonium talentum majus quidem septuaginta duas minas Atticas valuit, quæ efficiunt sexaginta novem libras, & dodrantem, hoc est, centum triginta novem marcas & duodecim siciliquos aurificum Cracoviensium.

Minus vero idem cum Euboico seu Attico minore fuit. His enim ponderibus, sicut ex Herodoto discimus, Persarum reges usi sunt, quibus Babylonica pondera fuerunt in usu.

Syrium talentum fuit quadrans Attici talenti, libras nostras appendit circiter quatuordecim & semissem. Marca vigintinovem & siciliquum.

Præter hæc autem legimus talentum parvum fuisse numismaticum, nempe talenti justi aliquotam partem, sicut apud Athenienses talentum fuit numismaticum minoris talenti sexta pars, majoris autem octava. Apud Persas autem, qui Babyloniis ponderibus usi sunt, numismaticum fuit majoris quidem talenti sexta pars, minoris autem quinta. Attici talenti numismatici Suidas meminit in ditione obolus: Talentum inquiens esse

mo-

moderna quatuor, numiſmatica autem octo & ſex. Minam autem ſexageſimam talenti partem &c. Quomodo autem intelligendum ſit, quod dicit talentum eſſe moderna quatuor, inferius dicemus, cum de ponderibus Hebraicis tractabimus. Quod autem dicit talentum eſſe, numiſmatica octo & ſex, hoc intelligitur de majori, & minori talento Attico, majus enim octo talenta numiſmatica efficit, & minus ſex: unde colligitur numiſmaticum talentum apud Athenienſes decem minas Atticas Romanaſve valuiſſe; ſicut apud Babylonios numiſmaticum talentum decem minas Babylonicas valuit, quæ eſt ſexta pars Babylonii talenti. Meminit autem Babylonii talenti numiſmatici Xenophon libro primo Anabaſeos Cyri hiſce verbis.

Ενταῦθα κῦρος σιλανὸν καλέσας τ̃ ἀμβρακιώτlω μάντην, ἔδωκεν αὐτῷ δαρεικοὺς τρισχιλίους, ὅτι τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας πρότερον πυθόμενος, εἶπεν αὐτῷ, ὅτι βασιλεὺς οὐ μαχεῖται δέκα ἡμερῶν κῦρος δὲ εἶπεν, οὐκ ἄρα ἔτι μαχεῖται, εἰ μὴ ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις μαχεῖται, ἐὰν δὲ ἀληθεύσῃς ὑπισχνοῦμαί σοι δέκα τάλαντα. τοῦτο τὸ χρυσίον τότε ἀπέδωκεν, ἐπεὶ παρῆλθον αἱ δέκα ἡμέραι.

Hoc eſt, ut Romulus Amaſæus tranſtulit: Ibi Cyrus vatem Silanum Ambraciotem ad ſe vocatum, Daricis ter mille donavit, quod undecimo die ante proximis decem diebus regem, cum id ex eo quæreretur, prælium commiſſurum negaſſet. Cui Cyrus reſponderat, non præliaturum certe illum, ſi intra decem dies non eſſet congreſſus: quod ſi id evento ipſo verum eſſe cognoviſſet, talenta ſe illi decem receperat daturum. Hoc igitur aurum (ſive pecuniam auream) tunc illi reddidit cum decem dies præteriiſſent. Hactenus Xenophon. Hic manifeſte vides, ter mille Daricos decem talenta dici: unde ſequitur talentum unum eſſe trecentos Daricos. Daricus autem ſicli Hebraici pondus habuit, hoc eſt, quatuor Atticarum drachmarum, ſicut ex Joſepho diſcimus, qui libro antiquitatum tertio, pro decem auri ſiclis juxta ſiclum ſanctuarii decem Daricos interpretatus eſt. Nec ignoro ſcripſiſſe quoſdam aureum Daricum fuiſſe didrachmalem & viginti drachmas argenti valuiſſe. Sed hoc falſum eſſe coarguitur etiam ex Xenophonte, qui ſcribit ſtipendium menſtruum Græcorum militum qui in caſtris Cyri merebant, fuiſſe aureum Daricum, etiamſi poſteaquam ſuſpicari cœpiſſent Græci ſe adverſus regem Perſarum duci & proinde ſequi recuſarunt, Cyrus ſtipendia iis auxerit & pro Darico promiſerit ſeſquidaricum. Quod ſi Daricus didrachmus fuit, & viginti drachmas valuit; quomodo credibile eſt Græcos tam levis mercedis gratia tranſmarinam militiam ſuſcepiſſe, idque apud Perſas ad quos non niſi magna ſpe lucri propoſita in militiam proficiſci conſueverant? Legimus apud Xenophontem ſtipendia militum Græcorum in Peloponeſo ternos obolos Ægineticos fuiſſe in ſingulos dies, tres autem oboli Æginetici valent quinque Atticos, unde colligitur ſingulos milites in menſem vigintiquinque Atticas drachmas accipere ſolitos. Apud Athenienſes autem ſtipendium militum fuit drachma Attica in ſingulos dies: unde ſequitur ſtipendium menſtruum fuiſſe militis triginta Atticas drachmas. Non igitur Daricus didrachmus fuit, nec viginti drachmas valuit. Quis enim credat Græcos tam parva ſtipendia in caſtris Perſarum meruiſſe? Sed ſicut Joſephus transfert ſicli Hebraici, id eſt, quatuor Atticarum drachmarum pondus habuit. Atque ita non viginti drachmas, ſed pluſquam quadraginta drachmas valuit: ex puriſſimo enim auro ſignabantur Darici, ſicut Herodotus teſtatur. Nos antiquiſſima vidimus aurea numiſmata Philippi, & Alexandri filii ipſius, & item Lyſimachi, quorum pondus deprehendimus tredecim fere obolos Atticos & ſemiſſem, niſi quod Lyſimachi aurei pondus non detritum, ſed ab initio, ut apparet, fuit diminutum, quemadmodum & argentei ſtateris. Nam vidimus & argenteos ſtateres Lyſimachi duos pulcherrimos ſane, qui non attriti appendebant obolo minus quatuor Atticas drachmas. Sed Macedonicos aureos pondus arguit Cygicenis aureis fuiſſe æquales. Legimus autem apud Demoſthenem Cygicenum aureum valuiſſe vigintiocto drachmas, quanti & Macedonici poſſunt æſtimari. Si quis enim pro Macedonico aureo pauxillo plus quam duodecies tantum argenti appendat, juxta auri ad argentum analogiam antiquis uſitatam, habebit vigintiocto drachmas argenti. Præter hos autem vidimus aureum Alexandri longe majorem & forma diverſa factum, non enim galeatum, ſicut in illis prioribus, ſed diademate ornatum caput in eo apparet, & quanquam adulterinus ſit, elegantiſſime tamen ad exemplar probi aurei videtur eſſe factus. Tales ego nummos Alexandræos poſt devictos Perſas crediderim percuſſos pondere Daricorum, ea enim magnitudo nummi illius eſt. Ut niſi adulterinus ſit, quatuor Atticas drachmas appendere poſſit, hoc eſt, quatuor Ungaricos & trientem fere. Sed unde digreſſi ſumus revertamur. Trecenti Darici pon-

pondus habent mille ducentarum Atticarum drachmarum, quæ minas Atticas efficiunt duodecim: Babylonias vero decem. Decem autem Babylonicæ minæ ſunt ſexta pars talenti Babylonii, ſicut decem Atticæ minæ ſunt ſexta pars talenti Attici. Sed de talento numiſmatico adhuc dicetur, cum de ponderibus Hebraicis tractabimus. Babylonium talentum numiſmaticum viginti tres marcas Cracovienſes & quadrantem appendit. Atticum autem talentum numiſmaticum decemnovem marcas Cracovienſes & ſiciliquos fere novem.

De Aureo Numiſmate Græcorum.

Stater Aureus apud Græcos dimidium pondus argentei ſtateris habuit. Stater argenteus tetradrachmus fuit, hoc eſt, quatuor drachmarum; aureus vero ſtater fuit didrachmus, hoc eſt, duarum drachmarum, ſicut teſtatur Pollux.

Fuit apud Athenienſes, ſicut idem autor tradit, præter ſtateres didrachmos aliud genus aureorum, qui ſemiſtateres & tetraſtatares vocabantur. Semiſtateres quidem, ut apparet, dicti, quod ſemiſſem argentei ſtateris appenderent: tetraſtateres vero, quod, ſicut Pollux dicit, quatuor ſtateres argenteos valerent, iidem vocabantur hemiecta octonum obolorum pondus habentes. Hemiectum enim ſignificat ſextæ partis dimidium, ſicut menſura quatuor Chœnicum dicta eſt hemiectum, quod ſextæ partis medimni eſſet dimidium: & ſemiobolus apud Heſychium hemiectum dicitur, quod oboli, qui eſt ſexta pars drachmæ, ſit dimidium. Ad hunc igitur modum & aureus octo obolorum hemeiectum dictus eſt, quod quatuor ſtaterum, a quibus etiam nomen accepit, ſextæ partis dimidium appenderet. Si enim hemiectum octo obolorum fuit, ſexta pars haud dubie ſedecim obolos habuit, & integrum ipſum ſexies ſedecim, hoc eſt, nonaginta ſex obolos, qui ſtateres quatuor efficiunt tetradrachmos. Quod vero ſtateres tetradrachmos valerent hujuſmodi aurei, res ipſa arguit. Si enim pro octo obolis auri appendas duodecies tantum argenti (nam & hæc auri ad argentum analogia antiquitus fuit) habebis nonaginta ſex obolos, hoc eſt, quatuor ſtateres tetradrachmos. Non injuria ergo tetraſtateres dicti ſunt hujuſmodi aurei a pretio, quandoquidem quatuor ſtateres valebant tetradrachmos: Semiſtateres vero quoniam ſemiſſem ſtateris argentei appendebant. Apparet enim apud Græcos fuiſſe etiam ſtateres argenteos ſedecim obolorum, qualis plane fuit Corinthius ſtater, qui, ſicut Pollux ſcribit, decalitros, dictus fuit, quod decem valeret litras. Litra autem, eodem teſte, obolum Ægineticum valuit, unde ſtater Corinthius valuit decem obolos Ægineticos, qui ſedecim ferme Atticos obolos efficiunt. Si ergo nummus qui ſedecim obolos Atticos appendit, ſtater dicitur ſemiſſis hujus, hoc eſt, octo oboli, dicitur ſemiſtater. Jam igitur ex iis quæ diximus, vides aureos nummos apud antiquos dimidium pondus argentorum habuiſſe. Deinde illud etiam animadvertere debes, quod ſtater ſedecim obolorum, eſt didrachmum, talenti majoris Attici, & ſemiſtater octo obolorum, drachma: ſex millia enim drachmarum octonum obolorum efficiunt talentum octogenarium, ſicut ſex millia drachmarum ſenum obolorum conſtituunt talentum ſexagenarium.

Unde ſtater apud Græcos, ſicut & ſiclus apud Hebræos, didrachmi rationem habet, & ſemiſtater drachmæ. Hinc ſeptuaginta ſiclum Hebraicum, qui idem cum ſtatere tetradrachmo Græcorum fuit, didrachmum ſolent transferre: propterea quod talenti Hebraici didrachmum ſit, ut inferius, Deo volente, oſtendemus.

Præter aureos vero jam dictos fuerunt & alii majores aurei, nempe octo drachmi, qui minam, hoc eſt, centum drachmas valebant, ſicut talentum auri ſex drachmas Atticas appendens minam Atticam ſeptuagintaquinque drachmarum valuit. Fuit enim apud Athenienſes mina non ſolum centum drachmarum, ſed & ſeptuagintaquinque drachmarum, eam proportionem habens ad minus talentum, quam centenaria mina habuit ad talentum majus.

Cæterum talentum ſex drachmarum non ſolum apud Athenienſes, ſed & apud Siculos fuit in uſu. Siculum enim talentum, ſicut Pollux ex Ariſtotele annotavit, antiquum quidem valuit vigintiquatuor nummos, poſterius vero talentum duodecim nummos. Nummus autem ſeſquiobolum valuit, unde vigintiquatuor nummi ſex drachmas efficiunt, & duodecim nummi tres drachmas.

De Aureis Romanis.

Aureus Romanus Attici aurei didrachmi pondere percuſſus fuit, quod pondus habent octo ſemigroſſi noſtri. Hoc igitur fuit juſtum pondus aurei Romani, duæ videlicet drachmæ Atticæ, ſeu quod idem eſt, duo denarii. Verum Cæſares Romani ſenſim diminuerunt pondus, de qua re Budæus plura ſcribit: ad extremum autem pro duobus tres ſignari cœpe-

perunt, ita ut tres aurei Romanorum principum quatuor drachmarum pondus haberent, quod fuit pondus antea duorum aureorum. Tales autem aurei vocabantur solidi & pondus quatuor scrupulorum habuerunt. Nos vidimus hujusmodi complures, ex quibus alii quatuor scrupulos, alii minus appendebant: nam & horum pondus successu temporis diminutum est. Probabile est autem fuisse apud Romanos & octodrachmos aureos, sicut apud Athenienses. Nam vidimus multos hujusmodi non aureos quidem illos, sed aurum imitantes, ad exemplar, ut apparet, proborum aureorum elegantissime factos; nominatim, Claudii, Cæsaris, Nervæ, Neronis, Vitellii, Antonii pii, Vespasiani, Domitiani, &c. quorum ea magnitudo fuit, ut si aurei essent, unciam potuissent appendere. Sed & aureum exstare audio apud Magnificum D. Johannem Christophorum Comitem a Tarnou Castellanum Woynicensem, non dissimilem aureis Romanis cum inscriptione Græca ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ, sicut amicus quidam mihi retulit aulæ ipsius addictus, qui pondus nummi illius decem aureorum esse dixit. Sed hæc hactenus.

De Auri ad Argentum Analogia.

Auri ad argentum apud veteres varia fuisse deprehenditur analogia. Pollux decuplicem apud Athenienses fuisse docet, ita ut talentum auri decem talenta argenti valeret: quod tamen non de obryzo, sed de inferioris notæ auro intelligendum est.

Apud Romanos aureus, quem didrachmum fuisse diximus, centum sestertiis nummis permutabatur, id est, vigintiquinque denariis: qua ratione auri drachma duodenis argenteis drachmis & semisse valuit: quam analogiam auri ad argentum fuisse apud Athenienses quoque conjicere possumus: quippe si aureus octodrachmus minam argenti valuit, non dubium est, quin auri ad argentum analogia fuerit, quam unum habet ad duodecim & semissem; siquidem aureus uncialis mina argenti, hoc est, duodecim unciis & semisse permutabatur. Itidem mina septuaginta quinque drachmarum videtur fuisse pretium talenti auri sex drachmarum. Si enim pro sex drachmis auri duodecies tantum appendas argenti, habebis septuaginta duas drachmas; quibus si addas semissem de sex, hoc est, tres drachmas, habebis septuaginta quinque drachmas. Libra autem duodecim unciarum non ex hac auri ad argentum analogia, sed ex duodecupla, ut apparet, nata est, nempe cum aureus uncialis duodecim unciis argenti permutabatur. Quæ quidem analogia non multum abest ab ea quæ nunc est auri ad argentum proportione.

De Mensuris juxta Ordinem Alphabeti.

Amphora (*Vide Infra Pag.* 308.) vas pedis quadrati, quam formam tesserariam Græci cubum vocant. Quadrantem pedis Romani ex Glareano hic apposuimus.

Quadrans Pedis Romani.

Hæc mensura quadruplicata efficit Romanum pedem, qui idem fuit cum Parisiensi, quo Budæus est usus, juxta cujus pedis mensuram & tu faciendam curare poteris amphoram Romanam, ita ut intus quoquo versus sit pedalis. Amphora quadrantal etiam dicitur, & fuit liquidorum & aridorum mensura. Amphora duas urnas capit. Amphora dividitur in octo congios, congius in sex sextarios, ita amphora capit quadragintaocto sextarios. Amphora Romana capit mediam baryllam, hoc est, duodecim Cracovienses ollas vini. Amphora geminata medimnum constituit. Amphora seu quadrantal tres modios capit, hoc est, Coretum Cracoviensem vulgo dictum, quæ mensura quartario Calisiensi, qui vernaculo sermone *viertel* dicitur, est æqualis, itidem & semicoro Masovitico. Nam corus in Masovia duos coros seu coretos Cracovienses capit, sicut & quartarios Calisienses duos. Amphora Romana ab Atheniensibus pervenit ad Romanos: quandoquidem amphora semimedimnum capit; medimnus autem Romanus idem fuit cum Attico.

Præter hanc autem amphoram fuisse & alteram apud Athenienses discimus ex carminibus illius Fannii:

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies nostræ si adjeceris urnam.

Ex his carminibus constat fuisse amphoram apud Athenienses, quæ tres urnas, hoc est, sesquiamphoram Romanam caperet: nempe duodecim congios. Hinc enim & choeus, hoc est, congius δωδεκεὺς, dictus est, quasi dicas duodecimarius, quod duodecima pars amphoræ, seu cadi esset & semicongium ἡμιδωδέκατον, sicut apud Hesychium videre est. Est enim δωδεκεὺς vox plane Attica, ita dicta sicut τελεὺς, ἑκτεὺς &c. Apparet enim apud

apud Athenienſes, ſicut pondera, ita & menſuras duplices fuiſſe, nempe majores & minores, quæ eam proportionem inter ſe haberent, quam habent pondera ad pondera; eam enim proportionem habet amphora duodecim congiorum ad medimnum ſedecim congiorum, quam talentum ſexaginta minarum habet, ad talentum octoginta minarum: qua de re etiam inferius dicemus, cum de menſuris Hebraicis tractabimus.

Achane eſt menſura magna. Achane Perſica capiebat quadraginta quinque medimnos Atticos. Nec Græcis ignota fuit Achane. Nos Achanen habemus ſexaginta medimnorum. *lasl*

Acetabulum eſt ſeſquicyathus heminæ quarta pars: idem oxybaphus dicitur.

Artaba apud Barbaros, idem quod medimnus apud Græcos: capiebat autem artaba medimnum Atticum, ſicut Heſychius & Suidas teſtatur. Perſica autem artaba major fuit medimno Attico tribus Chœnicibus Atticis, Herodoto teſte. Præter has autem fuiſſe artabam, quæ ſemimedimnum Siculum capiebat, inferius oſtendemus, cum de menſuris Hebraicis dicemus.

Brochus non eſt certum menſuræ genus, ſed eſt vas fundendo vino adcommodatum, implendis deplendiſque culeis, & vino quoquomodo tranſvaſando. Dicitur autem Brochus a βίχω verbo Græco, quod fundo ſignificat. Græci œnophorum ex eo appellant quod comportando vino aptum ſit.

Cadus ſeu amphora Attica, ſicuti diximus, ſeſquiamphoram Romanam capiebat. Apud Latinos Cadus & metretes decem congiorum fuit. Decima cadi pars, hoc eſt, congium, dicitur cadus, unde & congiarius cadus dicitur, hoc eſt, qui congium tantum capit. Hoc ad intelligendas menſuras Hebraicas expedit ſcire. Columella cadum vocat amphoram duarum urnarum, ut cadus & amphora pro eodem accipiantur.

Congium menſura liquidorum, octava pars amphoræ, ſextarios ſex capiens. Congium, hoc eſt, decimam partem cadi non ejuſdem menſuræ fuiſſe credo cum hoc congio.

Cotyla κοτύλη Latine hemina, duodecima pars congii, ſextarii dimidium, vide in dictione chœnix.

Cyathus duodecima pars ſextarii, vide inferius in dictione ſextarius.

Choenix ἡμερήσιος τροφὴ, id eſt, diurnus cibus, menſura eſt aridorum capiens frumenti quantum unus homo ſingulis diebus abſumere poteſt. Chœnix tres cotylas capit, ſicut docet Pollux & alii plerique: proinde & placentarum genus quoddam cotyliſci dicuntur apud Athenæum, quod ex tertia chœnicis parte ſinguli nempe ex cotyla farinæ conficerentur, quare chœnicem tres cotylas capere ſtatuemus. Sed quoniam Budæus chœnicem duos ſextarios capere, hoc eſt, quatuor heminas ſeu cotylas, evidentibus argumentis probat, ne quis argumenta Budæi rejicienda putet, quaſi ſcriptis probatorum autorum contraria, ſcire debet utrumque verum eſſe, & quod Budæus adſtruit, & quod prædicti autores Græci docent. Apud Athenienſes enim, ſicut pondera, ita & menſuræ duplices fuerunt, majores videlicet & minores, unde majoris menſuræ, hoc eſt, medimni cotyla fuit major & minoris menſuræ, hoc eſt, cadi, ſeu amphoræ cotyla fuit minor: fac enim medimnum chœnices capere quadraginta octo, ſicut Pollux docet, & ſingulos chœnices cotylas ternas, ſic medimnum efficiet centum quadraginta quatuor cotylas, quem numerum cotylarum etiam minor menſura, nempe cadus ſeu amphora duodecim congiorum efficit; duodecim enim congii ſeptuaginta duos ſextarios efficiunt, hoc eſt, centum quadraginta quatuor cotylas. Cum ergo major & minor menſura eundem numerum cotylarum efficiant, neceſſe eſt illas cotylas non æquales fuiſſe, ſed majoris menſuræ fuiſſe majores, minoris autem minores, ita ut cotyla major eam proportionem habeat ad minorem quam medimnum ad cadum ſeu amphoram habet. Conſtat autem tres medimnos tantundem capere quantum capiunt quatuor cadi ſeu amphoræ duodenum congiorum, nempe tres medimni efficiunt ſex amphoras Romanas, ſicut & quatuor cadi; neceſſe eſt ergo & cotylas tres majores tantundem capere, quantum minores quatuor capiunt. Sic igitur chœnix capiet cotylas tres majores, ſicut autores Græci docent, & quatuor minores ſicut Budæus adſtruit. Videtur autem apud Athenienſes major cotyla, id eſt, tertia chœnicis pars magis aridorum fuiſſe menſura quam liquidorum: Minor contra magis liquidorum, quam aridorum.

Choeus Græce, Latine congius dicitur.

Chus interdum ſignificat idem quod choeus. Chus, inquit, Nicandri interpres, ſunt duodecim cotylæ. Interdum chus pro ſexta parte hujus accipitur, nempe pro ſextario. Unde Hieronymus duos choas Atticos exponit duos ſextarios Italicos. Et Plinius chun aliquando exponit congium, aliquando ſextarium, quod ad Hebraicas menſuras ſcire expedit. Sicut autem congium duodecim cotylis, ita ſex-

ſextarius duodecim cyathis conſtat. Cyathus autem & cotyla plerumque confundi ſolent. Unde quod Nicander in Alexipharmacis quatuor cyathos dixit, interpres Græcus quatuor cotylas interpretatur. Rurſus Hieronymus pro cotyla exponit Cyathum; ſic ergo congius & ſextarius, chus uno nomine dicitur, & uterque duodecim cotylis ſeu cyathis conſtat. Suidas inter choea & chun hoc intereſſe dicit, quod choeus ſex capiat ſextarios, chus autem duos ſextarios. Nos autem jam oſtendimus inter chun & choea interdum nihil intereſſe Quod autem dicit Suidas chun pro menſura duorum ſextariorum accipi, hoc apud alios fuiſſe arbitror, non apud Athenienſes neque apud Romanos. Nam apud pleroſque Græcorum ſextarius inter ſex Cyathos dividebatur, ſicut videre eſt apud Epiphanium, qui ſextarium Alexandrinum dicit in ſex cyathos dividi, non in duodecim, ſicut apud Romanos, etiamſi Alexandrinus ſextarius major eſſet quam Romanus. Duo igitur ſextarii qui dividuntur in duodecim cyathos, non abſurde dicuntur chus, ſicut Suidas tradit.

Culeus viginti amphoras continet, vel urnas quadraginta; ſed ſæpe hoc vocabulum, ad ſpeciem & formam vaſis refertur, non ad certum menſuræ genus.

Dicbus geminatus chus.

Demenſum a menſe vel metiendo quod ſervis quolibet menſe ſolet admetiri: quatuor autem fere modii dabantur ſervis in menſem, ſicut Donatus ſcripſit.

Dolium non habuit certam menſuram, ventricoſum fuiſſe apparet. Vina in doliis inveteraſcere non ſinebant antiqui, ſed in amphoras & cados diffundebant. Dolium quadragenarium fortaſſe quadraginta amphorum.

Defrutarium ahenum prægrande quo muſtum coquitur.

Fidelia vas Samium ad plurimos uſus: fidelia congialis legitur, fidelias vitreas & fictiles legimus apud Columellam.

Hekteus, ἑκτεὺς apud Athenienſes idem quod modius Romanus. Dicitur autem Hecteus quaſi dicas ſextarius, quod ſit ſexta pars medimni.

Hemina dimidium ſextarii, dimidia quarta Cracovienſis.

Hemiectum ſextæ partis medimni dimidium, id eſt, ſemodius.

Lagena dicitur λαγῦνυ & λάγυνον, apud Athenæum ita legitur. λάγυνον μέτρον λέγουσιν εἶναι ὄνομα παρὰ τοῖς ἕλλησιν ὡς χὸς καὶ κοτύλης, χωρεῖν δὲ αὐτὸ κοτύλας ἀττικὰς ιβ, id eſt, lagena menſuræ nomen dicitur eſſe apud Græcos, ſicut chus & cotyla, capere autem lagenam dicunt cotylas Atticas duodecim: ex quibus verbis diſcimus lagenam idem eſſe quod congium. Hinc enim & λαγυνοφορίαι feſtum apud Alexandrinos dictum, quod apud Athenienſes choes vocabatur. Hoc tantum intererat, quod apud Athenienſes cum celebrabantur choes, is qui excipiebat convivas, ſingulis congium apponebat vini. Alexandriæ vero lagenophoriis lagenam ſeu congium vini quiſque ſecum in convivium afferebat.

Libra menſura fuit apud Romanos, qua oleum metiebatur, & capiebat olei libram, hoc eſt, pondus decem unciarum. Dividebatur autem hæc menſura in duodecim partes, & ſingulæ partes vocabantur unciæ. Proinde libra olei menſura, capiebat duodecim uncias menſurales ponderales autem uncias decem.

Medimnum ſeu medimnus menſura eſt aridorum & liquidorum duas amphoras capiens. Medimnus Romanus duos coretos vulgo dictos Cracovienſes capit: Maſovienſem autem unum duos quartarios Calliſienſes, qui *viertele* vocantur. Medimnus Atticus & Romanus idem fuit. Medimnus Siculus quadrante fuit major quam Atticus. Joſephus enim libro antiquitatum tertio, Siculos medimnos triginta unum & Atticos quadraginta unum pro eodem accipit. Unde colligitur Siculum medimnum, cujus mentio fit apud Polybium & alios auctores, octo modios Romanos capere, ita ut tres Siculi medimni quatuor Romanos efficiant. Medimnus apud Athenienſes in tres partes dividitur: tertia pars medimni vocatur τριτεὺς, id eſt, tertiarius, & hujus dimidium dicitur ἑκτεὺς, hoc eſt, ſextarius, quod ſit ſexta pars medimni, Romani & alii Græci modium vocant, ἡμιεκτὸν autem eſt ſextarii ſeu modii dimidium quatuor chœnices capiens.

Modius ſexta pars medimni, proinde etiam dicitur ἑκτεὺς, Græci medimnum; alii in quinque, alii in ſex modios partiuntur, etiamſi interdum unus & idem ſit medimnus, unde naſcitur diverſitas modiorum: quemadmodum in Sicilia medimnus Romanus dividebatur in quinque modios, quem Romani in ſex modios dividebant. Modius Romanus major eſt Cracovienſi modio, qui vernaculo ſermone dicitur *matza*. Tres enim modii Romani quatuor Cracovienſes efficiunt.

Metreta idem quod cadus menſura decem congiorum: Congius autem non ejuſdem menſuræ fuit apud omnes. Congius pro magnitudine menſuræ magnæ puta metretæ aut amphoræ fuit.

Oxibaphus idem quod acetabulum.

Orca vas ad ſimilitudinem belluæ orcæ;

cæ; ſunt enim teretes atque uniformi ſpecie hujuſmodi vaſa.

Oenophorum idem quod brochus.

Quadrantal idem quod amphora a forma nomine facto.

Quartarius quarta pars ſextarii, quaterca vulgo dicitur; in ponderibus vero quartarius pro quadrante libræ.

Sextarius dicitur, quod ſit ſexta congii pars. Sextarius Romanus duas libras liquoris capit. Proinde ſi aquæ aut vini pondus viginti quatuor unciarum accipias, habebis ſextarium Romanum. Sextarius Romanus capit quantum Cracovienſis quarta. Sextarii Romani dodrantem capit, *Sietl* menſura vulgo dicta Olomucenſis, quæ Moraviæ eſt metropolis, proinde quatuor *ſietl* efficiunt tres ſextarios Romanos. Sextarii Romani menſura in pleriſque oppidis Maſoviæ etiamnum reperitur. ¦Plotiæ antiquitus fuit menſura, quarta vulgo dicta, ſextario Romano par. Nunc vero non ita pridem eſt diminuta. In nonnullis tamen oppidis ad Plotiam pertinentibus adhuc priſca retinetur Sextarii Romani menſura, nominatim in oppido Mlana, ubi tum agebamus, cum hæc ſcriberemus. In quo oppido etiam eſt menſura congio Romano par, quæ menſura cerviſiæ ſemigroſſo venundari ſolet. Sextarius apud Romanos in duodecim Cyathos dividitur. Cyathus duas uncias, hoc eſt, ſedecim drachmas liquoris appendit. Sextans duos cyathos capit, nempe ſextam partem ſextarii. Triens vero tertia pars ſextarii fuit, hoc eſt, quatuor cyathi. Sic quincunx, ſeptunx, bes, deunx, pro menſura quinque, ſeptem, octo & undecim cyathorum dicuntur. Romani enim ſextarium, quaſi legitimam ac quotidianam virilis potus menſuram ſtatuentes ab eo, quaſi ab aſſe incipientes, reliqua vocabula partes ejus fecerunt, ut ſextarius aſſis & partes ejus partium aſſis rationem haberent.

Seria formam certam vaſis denotat, non certam menſuram: erant enim ſeriæ vaſa grandia, ut dolia, variæ capacitatis.

ΤΡΙΤΕΥΣ, id eſt, tertiarius, medimni tertia pars, nempe decem octo chœnices, ſeu quod idem eſt, triginta ſex ſextarii. Vide medimnus.

Xeſtes Græcis, Latinis dicitur ſextarius, etiamſi nonnunquam pro cyatho accipiatur. Sicut enim chus non ſolum pro congio, ſed pro ſexta congii parte, nempe pro ſextario accipitur: itidem cotyla pro cyatho, cyathuſve pro cotyla, etiamſi cyathus proprie cotylæ ſit ſexta pars, ad eundem modum Xeſtes, non ſolum pro ſextario, ſed & pro ſexta parte ſextarii, hoc eſt, pro cyatho dicitur. Dividebatur enim Xeſtes apud nonnullos Græcos in ſex cyathos, ſicut cotyla ſeu hemina apud Atticos & Romanos.

DE SICLO ET TALENTO HEBRAICO.

Siclus apud Hebræos idem quod ſtater apud Græcos, genus nummi & modus ponderis: etiamſi interdum ſiclus pro pondere ſimpliciter accipitur, ſicut ſpecies pro genere.

Dicitur autem ſiclus a verbo ſchacal, quod appendere ſignificat, ſicut apud Græcos ſtater ab ἵσταμαι, id eſt, ab appendendo, unde & στατική, id eſt, ratio ponderandi dicta.

Siclus apud Hebræos didrachmi rationem habet, & ſemiſiclus drachmæ. Sicut enim apud Græcos talentum quodvis pro quantitate ſui drachmas habet ſex millia, & didrachma tria millia; ita apud Hebræos talentum pro magnitudine ſui ſiclos ter mille habet, & ſemiſiclos ſexies mille. Unde Septuaginta ſiclum ſanctuarii didrachmum transferre ſolent, & ſemiſiclum drachmam, etiamſi ſanctuarii ſiclus drachmas Atticas quatuor appendat; ut Joſephus docet, & ſemiſiclus duas drachmas.

Quod vero talentum Hebraicum tria millia ſiclorum habuerit, diſcimus in Exodo, Cap. XXX. 12. 13. 14. 15. ubi præceptum legimus, ut quando recenſeretur populus, ſinguli offerent Dominio dimidium ſiclum. Dives (inquit) non addet ad medium ſiclum, & pauper nihil minuet. Recenſiti ſunt itaque omnes a viginti annis & ſupra, & inventus eſt numerus illorum ſexcenta tria millia virorum, quingenti & quinquaginta viri. Quantum autem argenti contulerint prædictus numerus, habemus ſcriptum Cap. XXXVIII. 25. 26. hiſce verbis juxta tranſlationem Septuaginta, ϗ ἀργυρίου ἀφαιρέματα παρὰ τῶν ἐπεσκεμμένων ἀνδρῶν τῆς συναγωγῆς, ἑκατὸν τάλαντα, ϗ χίλιοι ἑπτακόσιοι ἑβδομήκοντα πέντε σίκλοι, δραχμὴ μία τῇ κεφαλῇ τὸ ἥμισυ τοῦ σίκλου κατὰ τὸν σίκλον τὸν ἅγιον. πᾶς ὁ παραπορευόμενος τὴν ἐπίσκεψιν ἀπὸ εἰκοσαετοῦς ϗ ἐπάνω, εἰς τὰς ἑξήκοντα μυριάδας ϗ τρισχιλίους πεντακοσίους πεντήκοντα, id eſt, & argenti oblati ab iis qui recenſiti ſunt ſynagogæ viris, fuerunt centum talenta & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli, drachma una in ſingula capita, hoc eſt, dimidium ſicli, juxta ſiclum ſanctum, quotquot a viginti annis & ſupra recenſiti ſunt in numerum ſexcentorum trium millium & quingentorum quinquaginta virorum. Hactenus Septuaginta. Eundem ſenſum haberi in Hebræo Lyranus docet. Sic enim ex Hebræo legit: Argentum (inquit) numerationis populi fuit centum centenarii & mille ſeptingenti & ſeptuaginta quinque ſicli ad pondus ſanctuarii, dimidius ſiclus per ſingula capita omnium tranſeuntium ad numerum a viginti annis & ſupra de ſexcentis tribus millibus, quingentis, quinquaginta viris. Lyranus ſicut & Judæi non abſurde talentum Hebraicum propter magnitudine centenarium interpretatur, Polonice *centnar*. Et vides eundem haberi ſenſum apud Septuaginta & in Hebræo, nempe argenti collati a ſexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta viris fuiſſe centum talenta & mille ſeptingentos ſeptuaginta quinque ſiclos, ſingulis dimidium ſiclum conferentibus. Noſtra autem translatio hoc loco mutilata eſt, unde nec ſenſus idem ex ea elicitur; quo factum eſt, ut Budæus Hebraici talenti quantitatem, & quot habeat ſiclos, ignoraverit. Quod utique niſi locus mutilatus fuiſſet, facile deprehendi poterat. Sexcenta enim millia virorum, ſingulis dimidium ſiclum conferentibus, trecenta millia ſiclorum contulerunt, & tria millia quingenti & quinquaginta viri contulerunt mille ſeptingentos ſeptuaginta quinque ſiclos. Pro trecentis millibus ſiclorum ſcriptura centum talenta dixit, tria millia ſiclorum haud dubie pro ſingulis talentis numerans. Mille autem ſeptingentos & ſeptuaginta quinque ſiclos, quoniam integrum talentum non efficiunt, ita ut erant, reliquit. Ex hoc igitur evidenti ſcripturæ teſtimonio ſatis, ut puto, conſtat, Hebraicum talentum ter mille ſiclos continere. Sed adſcribemus Lyrani verba, quæ ex Rabbi Salomone ſuper hunc locum annotavit. Dicit Rabbi Salomon (inquit Lyranus) quod centenarius continet ſexaginta mnas: mna autem ſanctuarii duplex erat reſpectu communis, & ſic centenarius continebat centum viginti mnas: & mna viginti quinque ſiclos, & ſic centenarius ſanctuarii continebat

tria millia ſiclos. Hactenus Lyranus. De mina ſanctuarii & vulgari, inferius videbimus. Interim autem hoc jam tenere debemus, talentum Hebraicum tria millia ſiclorum continere. Sed & Epiphanius talentum hoc centum viginti quinque librarum pondus habuiſſe dicit. Libras autem Epiphanius Romanas intelligit, nempe duodenum unciarum & unciam octonum drachmarum. Si ergo ſiclus ſanctuarii quatuor Atticas drachmas appendit, ſicut Joſephus & Hieronymus docet, uncia una duos ſiclos habebit, & duodecim unciæ, hoc eſt, libra ſiclos viginti quatuor efficiet. Atque ita centum viginti quinque libræ efficient tria millia ſiclorum, ſicut ſupra collegimus. Indubitatum igitur eſſe debet, talentum Hebraicum ſiclos ter mille continere, & ſemiſiclos ſexies mille, ut ſemiſiclus drachmæ rationem habeat, & ſiclus didrachmi, ſicut Septuaginta transferre ſolent. Hoc idem fuiſſe deprehendes apud Græcos, qui Hebraicis etiam ponderibus uſi ſunt, ſicut inferius patebit; quippe apud Athenienſes ſicut duplex talentum, ita & ſtater duplex fuit. Legimus ſtaterem apud Pollucem duarum drachmarum, quod minoris talenti haud dubie didrachmum fuit, ex eodem ſemiſtaterem, qui & hemiectum dictus fuit, octo obolorum diſcimus. Unde ſequitur, ſtaterem ſedecim obolorum fuiſſe, quod didrachmum prorſus fuit majoris talenti; tres enim ſtateres ſenum denum obolorum efficiunt drachmas ſenum obolorum octo; & tria millia ſtaterum hujuſmodi, nempe majoris talenti, efficiunt octo millia drachmas minoris talenti, hoc eſt octoginta minas Atticas: quod pondus talentum majus Atticum habuiſſe conſtat. Sed quoniam præter ea quæ diximus, ſtaterem tetradrachmum conſtat fuiſſe apud Græcos: ſcire debemus & talentum, cujus ille ſtater fuit, non ignotum Græcis fuiſſe: fac enim talentum habere ſtateres tetradrachmos ter mille, talentum illud habebit centum & viginti minas, mille enim ſtateres tetradrachmi quadraginta minas efficiunt, & tria millia ſtaterum ter quadragenas, hoc eſt, centum & viginti minas. Quod talentum nempe centum & viginti non ignotum fuiſſe Græcis, conſtat ex Vitruvio, Heſychio, & Dionyſio Halicarnaſſæo, qui libro nono Romanæ archæologiæ duo millia aſſium efficere dicit ſedecim talenta æris, ἦν δὲ ἀσσάριον, χάλκεον νόμισμα, βάρος λιτραῖον *erat autem* (inquit) *aſſis, æreum numiſma, pondus libra habens*. Quod ſi duo millia aſſium, ſeu librarum, ſedecim talenta efficiunt, neceſſe eſt talentum unum centum viginti quinque librarum, ſeu quod idem eſt, centum & viginti minarum habuiſſe pondus. Tam igitur apud Græcos quam apud Hebræos ſtater, ſeu ſiclus didrachmi locum obtinet, pro quantitate ejus talenti cujus eſt ſtater ſeu ſiclus: ſicut enim talentum majus ter mille ſtateres ſeu ſiclos habet majores, ita minus talentum totidem habet minores: quo fit, ut cognita quantitate talenti alicujus, facile & ſtateris, ſeu ſicli ejus quantitas cognoſcatur; & contra, cognita ſicli quantitate, & talenti quantitas cognoſcatur: ut verbi gratia: Siclos ſanctuarii quatuor Atticas drachmas valuit; tria millia igitur ſiclorum, hoc eſt, talentum ſanctuarii, efficiunt duodecim millia Atticarum drachmarum, quæ ſunt centum & viginti minæ Atticæ, ſeu quod idem eſt, duo talenta Attica. Talentum igitur ſanctuarii duo talenta Attica valuit; ſicut & illud, cujus modo ex Dionyſio Halicarnaſſæo & Heſychio mentionem fecimus.

Talentum ſanctuarii marcas aurificum noſtrorum appendit ducentas triginta duas, & decem ſiciliquos.

Siclus autem ſanctuarii pondus habet ſedecim ſemigroſſorum noſtrorum. Poteſt autem æſtimari talentum ſanctuarii, juxta æſtimationem noſtram, Attici talenti & minæ, mille & octoginta aureis Ungaricis. Siclus autem decem octo groſſis & tredecim minutis. Sicli igitur & talenti ſanctuarii ea quantitas eſt quam diximus.

Nunc ad alios ſiclos & talenta veniamus.

De minori talento Publico.

Apud Græcos, qui iiſdem etiam, quibus Hebræi, uſi ſunt ponderibus, legimus majora & minora fuiſſe pondera. Minus talentum apud Græcos fere ſemiſſis fuit majoris: ut verbi gratia, Talentum Atticum ſexaginta minas Atticas valens fuit ſemis talenti centum & viginti minarum, cujus Vitruvius & Dionyſius Halicarnaſſæus meminit; ſimiliter talentum quod apud Plinium taxatur, ſedecim ſeſtertiis, hoc eſt, quadraginta minis, fuit ſemis talenti octoginta minarum. Ad eundem igitur modum & apud Hebræos talentum minus publicum fuit ſemis talenti ſanctuarii, unde & ſiclus hujus talenti dimidium pondus habuit ſicli ſanctuarii, nempe duas drachmas, cum ſiclus ſanctuarii quatuor drachmas valeret. Quod quidem ita eſſe, docet nos auctor libri primi Machabæorum, qui capite decimo in Epiſtola Demetrii

verſ.

vers. 47. pro decem millibus drachmarum (sic enim Demetrium hominem Græcum scripsisse discimus ex Josepho) quinque lia siclorum Hebraico more dixit, binas drachmas pro singulis siclis computando, unde colligitur talentum publicum dimidium pondus talenti sanctuarii habuisse, sicut & talentum Atticum sexagenarium. Atque hinc etiam sequitur talentum Hebraicum minus idem fuisse cum Attico talento, tria enim millia siclorum didrachmorum efficiunt sex millia drachmarum, hoc est, sexaginta minas, semissem videlicet talenti sanctuarii, quod duo talenta Attica, seu quod idem est, centum & viginti minas valuisse diximus. Sed & Rabbini testantur siclum & talentum publicum, dimidium pondus sicli & talenti sanctuarii habuisse. Quin & pondus quantum fuerit hujus talenti docent, obolum juxta doctrinam Cabalæ affirmantes habere pondus sedecim granorum hordei, sex obolos efficere drachmam seu denarium, quatuor denarios siclum, viginti quinque siclos minam, sexaginta minas talentum. Atque hæc sunt quæ Rabini tradunt de ponderibus Hebraicis, nempe de talento publico & talento sanctuarii: aliud autem talentum præter hæc duo, nullum sciunt: Nos autem & alia quæ illi ignorant, dicemus. Prius autem monendus est lector, ut perpendat pondera Hebraica, quæ huc usque diximus, per omnia cum Græcis convenire. Nam talentum sanctuarii idem fuit cum talento Græcorum, quod ex Hesychio & Halicarnasseo diximus, (*col.* DCXIX.) centum & viginti minarum fuisse. Siclus quoque sanctuarii ejusdem ponderis fuit cum statere tetradrachmo Græcorum. Sic talentum publicum idem pondus habuit cum Attico talento sexagenario, & siclus publicus cum statere di. drachmo Attico. Atque hæc magis etiam confirmantur ex iis quæ de numismatico talento jam dicturi sumus.

De Talento Numismatico.

Talentum Numismaticum, sicut apud Athenienses, ita & apud Hebræos mille Atticas drachmas valuit, hoc est, sextam talenti publici partem, sanctuarii autem talenti duodecimam. Talia talenta centum & viginti Regina Saba scribitur Salomoni donasse libro tertio Regum Capite decimo vers. 10. Josephus enim pro centum viginti talentis auri (auro enim potissimum deputata fuerunt hujusmodi talenta parva) viginti talenta scripsit, sena talenta pro singulis talentis numerans. Quæ parva talenta apparet Ægyptiis quoque fuisse in usu. Legimus enim apud Cleopatram drachmam fuisse Ægyptiam quæ Attici oboli pondus habuit; unde sequitur, sex millia drachmarum hujusmodi, hoc est, talentum parvum mille drachmas Atticas valuisse, sextam videlicet partem Attici talenti, quod cum Hebraico publico idem fuit. Si autem drachma obolum Atticum valuit, didrachmum seu siclus valuit duos Atticos obolos, quod pondus fere semissis argentei nostri habet, quem triplicem vocamus. Et talis siclus est sexta pars sicli didrachmi, tetradrachmi vero duodecima; eam enim proportionem habet siclus ad siclum, quam talentum habet ad talentum; unde duodecim hujusmodi sicli parvi valebant siclum sanctuarii, sicut liber Paralipomenon & Regum nos docet. Nam secundi Regum Capite ultimo, vers. 24. David dicitur aream exstruendo altari & boves in holocaustum emisse quinquaginta siclis: primi autem *Paralip. cap.* XXI. *vers.* 25. pro quinquaginta siclis sexcenti leguntur. Cum enim David ad Ornam venisset, dicens, Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino, ita ut, quantum valet argenti, accipias: Orna respondit Davidi; Tolle, & faciat dominus meus Rex quodcunque ei placet; sed & boves do in holocaustum & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium omnia libens præbebo. Cui David, nequaquam ita fiet, sed argentum dabo, quantum valet; neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. Postea infertur, dedit ergo David ipsi Ornam pro loco siclos ponderis auri sexcentos (sic enim translatio Septuaginta habet, & Neoterici nonnulli similiter ex Hebræo transferunt) non aureos siclos; argentum enim datum est non aurum, sicut Regum liber testatur, & hoc loco David argentum promittit, non aurum. Unde sexcenti sicli dati sunt non aurei, sed argentei sicli ponderis aurei, nempe parvi & juxta pondus auri. Hæc enim minuta pondera propter aurum principaliter instituta fuerunt, nempe ut talentum parvum auri valeret talentum magnum argenti; & siclus aureus parvus, valeret siclum argenteum magnum. Hinc enim & nomen talenti & sicli, accepisse videntur hæc parva pondera a valore videlicet: quod talentum valeret talentum, & siclus siclum. Sexcenti ergo parvi argentei sicli, quinquaginta siclos sanctuarii efficiunt, si quis duodecim parvos pro singulis tetradrachmis numeret. Unde sequitur ter mille siclos hujusmodi: hoc est, talentum parvum efficere ducentos

& quinquaginta ſiclos tetradrachmos; ſeu, quod idem eſt, mille drachmas Atticas, ſicuti diximus, quæ ſunt talenti ſanctuarii duodecima pars, publici vero talenti ſexta: ſicut Joſephum etiam diximus computaſſe.

De Talento Majori Publico.

Talentum publicum non unum fuiſſe apud Hebræos probabile eſt, ſicut nec apud alias gentes fuit unum. Atque ejus rei argumento ſunt etiam menſuræ publicæ tam aridorum quam liquidorum, quæ apud Hebræos fuerunt, ſicut & apud alios majores & minores; unde & pondera publica majora & minora fuiſſe, credendum eſt. Corus major apud Hebræos decem medimnos Atticos capiebat; minor vero ſex, ſicut inferius oſtendemus, cum de menſuris agemus: eadem proportio fuit majoris bathi ad minorem; unde colligitur & talentum fuiſſe majus; eam proportionem habens ad talentum minus, quam habent majores menſuræ ad minores. Antiquitus enim non ſolum apud Hebræos, ſed & apud alias gentes eadem in ponderibus & menſuris deprehenditur fuiſſe proportio; unde ſi talentum minus ſex numiſmatica talenta capiebat, ſicut ſupra oſtendimus, majus talentum capiebat decem: ut majus talentum ad minus eam proportionem habeat, quam corus major ad minorem habet, & bathus major ad minorem, hoc eſt, quam denarius habet ad ſenarium, quæ proportio ſuperpartiens dicitur. Si ergo talentum publicum minus apud Hebræos valuit Atticum talentum, hoc eſt, ſexaginta minas Atticas ſeu Romanas; majus talentum ſimiles minas centum valebit, hoc eſt, talentum Ægineticum. Nam talentum Ægineticum, ſicut ſupra (*col.* DCV.) oſtendimus, centum Atticas minas valuit, atque ita ſiclus talenti majoris fuit didrachmum Ægineticum, ſicut ſiclus minoris fuit didrachmum Atticum. Ad hunc igitur modum talentum majus publicum talenti ſanctuarii eſt dextans, eam proportionem habens ad ſanctuarii talentum, quam decem habent ad duodecim, & quinque ad ſex; eadem proportio erit & ſicli ad ſiclum. Hanc proportionem in ponderibus fuiſſe apud Babylonios ſupra (*col.* DCIV.) diximus; quæ quare inſtituta ſit, dicemus inferius, cum de partibus talenti agemus.

De Talento Regio.

Poſtquam igitur de ſiclo & talento ſanctuarii & item de publico majori & minori diximus; ſupereſt, ut de Regio quoque dicamus. Reges enim apud Hebræos, ut ex Joſepho colligitur, ſicut menſuris minoribus, ita & talento minori eodem cum cæteris ſuæ gentis hominibus uſi ſunt. Majus autem talentum peculiare habuerunt, ſicut & menſuras majores; ſiclus regius dodrans fuit ſicli ſanctuarii, nempe tres Atticas drachmas appendens, ut quatuor ſicli regii tres ſiclos ſanctuarii efficerent, & quadraginta ſicli regii triginta ſiclos ſanctuarii, ſicut ex Joſepho colligitur, qui libro tertio antiquitatum talentum ſanctuarii centum minarum fuiſſe dicit, triginta ſiclos tetradrachmos, haud dubie pro ſingulis minis computans. Septimo autem libro ejuſdem operis de Abſalonis coma ſcribens, quam Abſalon ſtatis temporibus tondere conſueverat ducentos ſiclos appendentem juxta ſiclum regium (ſic enim in Hebræo & apud Septuaginta 2. *Sam.* XIV. 26. legitur) Joſephus cum dixiſſet pondus comæ Abſalonis fuiſſe ducentos ſiclos, addit, quæ ſunt quinque minæ, quadragenos ſiclos regios numerans pro mina, ut quadraginta ſicli regii efficiant minam triginta ſiclos ſanctuarii appendentem, quæ plane eadem fuit cum Babylonica mina, centum & triginta drachmarum Atticarum pondus habens. Sic igitur ſiclus regius dodrans fuit ſicli ſanctuarii, & per conſequens talentum regium talenti ſanctuarii fuit dodrans, ſeſquiplam habens proportionem ad talentum minus, ſicut ſiclus trium drachmarum ſeſquiplam proportionem habet ad ſiclum didrachmum. Quæ proportio & in menſuris deprehenditur. Bathus enim regius major ſeſquibathum minorem capiebat, ut poſtea oſtendemus. De ſiclo igitur & de talento ſanctuarii, & item publico & regio, hæc dicta ſunto.

Nec eſt quod quiſpiam miretur tam multa talenta apud Hebræos fuiſſe; conſtat enim Græciæ civitates ſingulas non uno talento fuiſſe uſas: quota autem pars ampliſſimi regni Hebræorum fuit una Græciæ civitas? Deinde illud etiam perpendere convenit ſacris literis hiſtoriam multorum millium annorum contineri, tempus autem multa novare ſolet; unde nec mirum videri debet, ſi qua tanto tempore varietas ponderum nata eſt. Antiquiſſimum talentum apparet fuiſſe quod ſanctuarii talentum dicitur, idemque perfectiſſimum; quippe reliqua talenta hujus partes ſunt, & ex hoc nata videntur. Talentum enim publicum minus eſt ſemis talenti ſanctuarii, ſicut diximus: majus autem dextans, regium vero eſt dodrans: ut ſi quis talentum Hebrai-

braicum unum esse dicat sanctuarii talentum, reliqua autem hujus partes appellet, is a vero nihil aberrare videatur. Hinc & Septuaginta siclum talenti sanctuarii didrachmum sæpe transferre solent: reliquorum autem siclos, tanquam hujus partes & minutias didrachmi vocabulo non dignantur: sed minoris quidem talenti publici siclum drachmam, reliquorum autem siclos tantum vocant: unde colligitur antiquissimis temporibus, hoc est, Abrahæ, Isaac, & Jacob, talentum quod sanctuarii dicitur apud Chananæos fuisse in usu, quippe siclos temporis illius; Septuaginta interpretantur didrachma & beca, id est, semisiclum, drachmam. Reliqua talenta posterius nata videntur. Regium vero apud Hebræos sicut & mensuræ regiæ, simul cum regibus & orta & exstincta videntur, nec illorum ante reges & post reges mentio fit uspiam. Majus talentum publicum idem usus peperit, qui & talenti partes, nempe decimas & duodecimas, & item quintas & sextas, de quibus paullo post dicemus. Minus autem talentum, hoc est, semis sanctuarii talenti apud Hebræos ita natum videtur, sicut aliæ quoque gentes successu temporis pondera sua diminuerunt, ita ut pro talento haberent, quæ olim fuerunt semisses talenti: quemadmodum apud Siculos talentum fuit antiquum viginti quatuor nummi, posterius autem duodecim nummi: & apud Athenienses talentum fuit olim octoginta minarum, posterioribus autem temporibus quadraginta minarum, sicut Plinius testis est, (*lib.* XXXV. *cap.* XI.) apud quem talentum Atticum sedecim sestertiis æstimatur, sedecim enim sestertia quadraginta minas efficiunt. Progressu vero temporis semisses rursus sunt dimidiatæ, ita ut posterioribus temporibus talentum esset apud Græcos semissis dimidium, hoc est, quadrans talenti, unde apud Suidam talentum dicitur moderna quatuor, & Julius Pollux, qui libros suos Commodo Cæsari dicavit, Syrium talentum dicit mille quingentas Atticas drachmas valere, qui plane est quadrans Attici talenti sexagenarii.

De Talento Ægyptio.

Sed quoniam in sacris literis Ægyptii sicli fit mentio, necesse est, ut de Ægyptio quoque siclo & talento nonnihil dicamus. Talentum igitur Ægyptium constat ex Plinio (*lib.* XXXIII. *cap.* III.) octogenarium fuisse; octoginta enim pondo seu minas capiebat: quod pondus etiam Attici & Euboici talenti majoris fuit, unde necesse est, siclum talenti hujus sedecim obolorum Atticorum pondus habuisse. Tres enim hujusmodi sicli efficiunt octo drachmas Atticas, & per consequens talentum, hoc est, tria millia siclorum hujusmodi, efficiunt drachmas Atticas octo millia. Quare apud Athenienses, qui hoc talento pro majori usi sunt, semistater fuit, qui & hemiectum dicebatur, octo obolorum, ut ex Julio Polluce discimus. Quod si semistater fuit octo obolorum, necesse est, staterem sedecim obolorum fuisse; ut stater Atticus idem habuerit pondus cum siclo Ægyptio, sicut & talentum Atticum idem cum Ægyptio fuit.

De Divisione Talenti.

Talentum apud Hebræos dividitur in decimas & duodecimas. Decimæ rursus dividuntur in alias decimas, hoc est, centesimas, & centesimæ in millesimas. Dicitur autem talentum & decima talenti & centesima & millesima. De decima exemplum exstat primi libri Paralip. Capite vigesimo secundo, *vers.* 14. ubi David ad Salomonem ita loquitur: Ego in paupertate præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia & argenti mille millia: hoc loco talenta parva intelliguntur, nempe talenti decimæ, sicut Josephus libro antiquitatum VII. indicat, qui pro centum millibus decem millia talentorum auri scripsit, & pro mille millibus centum millia talentorum argenti, dena talenta pro singulis numerans. De centesima autem habetur quarti Regum capite vigesimo tertio, *vers.* 33. ubi Rex Ægypti multasse terram Judæorum scribitur centum talentis argenti & centum auri. Sic enim translatio Septuaginta habet. Hoc idem autem secundi Paralipomenon ultimo, *vers.* 3. ita scribitur. Et condemnavit terram centum talentis argenti & talento auri. Non igitur dubitare debemus, in superiori exemplo centum talenta auri parva talenta intelligenda esse, hoc est, centesimas talenti; quandoquidem pro illis talentis alio loco talentum unum scribitur. De millesima ex sacra scriptura testimonium proferre non possumus. Sed Julius Pollux docet fuisse apud Athenienses talentum auri tres stateres didrachmos; quæ prorsus est millesima pars Attici talenti, quod idem cum Hebræorum publico talento minori fuit. Idem autor docet Siculum talentum viginti quatuor nummos fuisse, nummum autem valuisse sesquiobolum, nempe sestertium Romanum, unde viginti quatuor nummi sex drachmas effi-

efficiunt, millesimam videlicet talenti Hebraici, seu Attici, quod idem est. Nec mireris tam multiplicem talenti acceptionem apud Hebræos antiquitus fuisse; fuit enim & apud Græcos hoc idem; etiamsi posterioribus temporibus sicut & apud Hebræos ambiguitas vocis hujus restricta sit. Hac enim de caussa Aristoteles scripsit talenti pondus indefinitum antiquitus fuisse. Decima talenti sunt trecenti sicli. Centesima vero triginta sicli. Millesima autem tres sicli majores & minores pro quantitate cujusque talenti. Quod autem & duodecima talenti dicatur talentum, patet ex eo quod superius de numismatico talento diximus, quod minoris quidem talenti est sexta pars, sanctuarii autem talenti est duodecima. Dividuntur autem duodecimæ in decimas, & decimæ rursus in alias decimas, quæ ad decimarum decimas; hoc est, ad centesimas talenti & millesimas eam proportionem habent, quam ipsæ duodecimæ habent ad talenti decimas. Sic igitur talentum in decimas & duodecimas dividitur. Est præterea & altera divisio talenti in quintas & sextas. Sexta talenti sunt duæ duodecimæ: & quinta talenti sunt duæ decimæ. Verbi gratia: Quinta talenti sanctuarii sunt sexcenti sicli tetradrachmi, & hujus decima sunt sexaginta sicli, quæ est sanctuarii mina, triginta uncias Romanas appendens: seu quod idem est, duas libras & semissem; sicut Josephus scribit libro antiquitatum quatuor decimo, & Kimchi apud Hebræos. Decima autem hujus sunt sex sicli, qui dicuntur siclus, ut inferius dicemus. Sexta vero talenti sanctuarii, eadem est cum quinta publici talenti majoris, nempe quingenti sicli tetradrachmi, & hujus decima quinquaginta sicli, mina videlicet sanctuarii, sicut Rabbi Salomon docet, cum dicit vulgarem minam viginti quinque siclos; sanctuarii autem minam duplo majorem, nempe quinquaginta siclos. Duplex enim fuit mina sanctuarii, ut apparet: sicut & publica mina fuit duplex. Decima autem hujus sunt quinque sicli, qui & siclus dicuntur, ut paulo post ostendemus.

Itidem publici talenti, quod est semis talenti sanctuarii quinta pars, sunt sexcenti sicli didrachmi, hoc est, trecenti sicli sanctuarii; ad hos enim tanquam principales minores sicli reducendi sunt. Quinta igitur publici talenti minoris sunt trecenti sicli tetradrachmi, quæ plane est decima talenti sanctuarii. Decima enim illius est quinta hujus: sicut duodecima illius est hujus sexta. Hac quinta Persæ usi sunt pro talento numismatico. Constat enim ex primo Anabaseos Xenophontis, talentum numismaticum fuisse apud Persas trecentorum Daricorum. Daricus autem sicli sanctuarii pondus habuit, ut videre est apud Josephum, qui libro antiquitatum tertio decem siclos auri juxta siclum sanctuarii, decem Daricos interpretatus est. Quod quidem talentum trecentorum siclorum apparet Babylonios ab Hebræis mutuatos esse; una cum talenti sanctuarii esse diximus, quod Persis etiam in usu fuit; sicut Auctor est Herodotus, qui & Euboicum illud vocat, eo quod cum Euboico minore idem pondus habuit. Quinta pars ergo Hebraici talenti minori sunt trecenti sicli sanctuarii, talentum parvum Persis etiam, sicuti diximus, usitatum: cujus siclus duos obolos Hebraicos appendebat: quam enim proportionem talentum habet ad talentum, eam & siclus ad siclum habeat necesse est. Unde quoniam hoc talentum est quinta pars publici talenti minoris, siclus quoque ejus quintam partem sicli didrachmi habebit; hoc est, duos obolos Hebraicos. Siclus enim sanctuarii viginti obolos habuit Hebraicos & semis hujus, hoc est, siclus publicus decem obolos, quinta autem pars de decem sunt duo: duos itaque obolos Hebraicos habuit hic siclus. Decima talenti trecentorum siclorum tetradrachmorum, sunt triginta sicli, quæ fuit mina Hebraica; sicut Josephus indicat, cum dicit talentum Hebraicum, nempe sanctuarii, esse centum minas, tricenos siclos haud dubie pro singulis minis computans. Triginta sicli tetradrachmi centum viginti drachmas Atticas efficiunt; quod pondus etiam Babylonica mina habuit. Hæc antiquitus talentum etiam vocabatur, cum talenti sanctuarii esset centesima. Mina autem seu mna, ut Græci dicunt, vox est Hebraica, non Græca nec Latina, & significat partem; id quod non ignorant, qui Hebraicas litteras saltem a limine salutarunt. Decima autem hujus sunt tres sicli tetradrachmi, sex videlicet sicli didrachmi, qui & siclus dicti sunt. Porro sexta pars talenti publici minoris sunt quingenti sicli didrachmi; tetradrachmi vero ducenti quinquaginta sicli; talentum illud numismaticum, de quo supra diximus, aureo numismati potissimum deputatum, sicut & illud quo Babylonii usi sunt trecentorum siclorum, seu Daricorum. Unde & sicli argentei talenti hujus sicli ponderis auri dicuntur, sicut supra ostendimus. Hoc talentum cum sit sexta pars minoris talenti publici, majoris publici est decima; sicut illud trecentorum siclorum, est sanctuarii talenti decima. Siclum hujus talenti di-

xi-

ximus duos obolos Atticos habuisse, sicut illius trecentorum siclorum talenti siclus duos obolos habuit Hebraicos. Decima autem hujus talenti sunt viginti quinque sicli tetradrachmi, mina videlicet altera publica eadem cum Attica mina; viginti enim & quinque sicli tetradrachmi centum drachmas Atticas efficiunt, hoc est, Atticam minam. Hæc talentum antiquitus dicta fuit, cum sit majoris talenti publici centesima pars. Has minas auctor libri primi Machabæorum intellexit, capite quatuordecimo, *vers.* 24. cum scribit Clypeum aureum, quem Simon Hebræorum dux Romanis misit, fuisse minarum mille; sicut patet ex decreto Romano, quod apud Josephum exstat libro antiquitatum quatuordecimo; in quo decreto clypeus ille quinquaginta millium aureorum fuisse dicitur.

Quinquaginta enim millia aureorum Romanorum cum singuli duas drachmas appendant, mille Atticas minas centenarum drachmarum efficiunt, quæ sunt Hebraicæ minæ vicenum quinum siclorum. Decima hujus minæ, sunt duo sicli tetradrachmi & semis, hoc est, quinque didrachmi sicli, qui & siclus dicuntur primo libro Machabæorum, sicut inferius ostendemus.

		cujus		cujus	
Talentum minus publicum 3000. sicli didrachmi, 1500. tetradrachmi, cujus	*Decima 300. sicli didrachmi 150. tetradrachmi.*		*Decima 30. didrachmi 15. tetradrachmi.*		*Decima tres didrachmi.*
	Duodecima 250. didrachmi 125. tetradrachmi.		*Decima 25. didrachmi.*		*Decima duo & semis didrachmi.*
	Quinta 600. didrachmi, 300. tetradrachmi		*Decima 60. didrachmi, 30. tetradrachmi.*		*Decima 6. didrachmi.*
	Sexta 500. didrachmi, 250. tetradrachmi		*Decima 50. didrachmi, 25 tetradrachmi*		*Decima 5. didrachmi.*

		cujus		cujus	
Talentum sanctuarii ter mille sicli tetradrachmi, cujus	*Decima trecenti sicli.*		*Decima triginta sicli.*		*Decima tres sicli.*
	Duodecima ducenti quinquaginta sicli.		*Decima viginti quinque sicli.*		*Decima duo sicli & semis.*
	Quinta sexcenti sicli.		*Decima sexaginta sicli.*		*Decima sex sicli.*
	Sexta quingenti sicli.		*Decima quinquaginta sicli.*		*Decima quinque sicli.*

Ad eum modum & alia talenta dividi possunt.

Talis autem divisio talenti & aliis forte de caussis instituta est, & quod unius & ejusdem metalli non eadem cujuslibet nota sit; unde institutum videtur, ut auri obryzi sexta, auri non obryzi quintæ responderet æstimatione, & duodecima decimæ, & item decimæ decimis quæ ex iis nascuntur. Et alioqui magnam commoditatem habuit hujusmodi divisio talenti. Decima enim auri vel duodecima pro qualitate metalli, videlicet valuit talentum argenti, unde & talenta sunt dictæ decimæ & duodecimæ, quod videlicet talentum argenti valerent. Itidem parvi talenti decima, hoc est, mina auri, valuit parvum talentum argenti, pro-

proinde & talentum quoque fuit dicta; quia talentum argenti valuit. Rursus decima minæ, hoc est, quinque sexve sicli auri, minam argenti valuit, & ob hoc millesima talenti dicta fuit talentum, quod videlicet talentum, nempe minam argenti valeret. Siclus autem auri, qui fuit dimidio minor quam argenti, decimam minæ, hoc est, quinque sexve argenti siclos valuit. Hinc quinque sexve sicli argenti siclus etiam dicti sunt, quod siclum auri valerent, sicut inferius ostendemus.

Porro quintæ & sextæ talenti institutæ videntur, ut eam proportionem ad decimas & duodecimas haberent, quam talentum argenti habet ad talentum auri, ut videlicet decima aut duodecima auri sexcuplex aut quincuplex, sit ad quintam sextamve argenti.

De Siclo & Talento Auri.

Siclus aureus apud Chananæos & Hebræos dimidio fuit minor quam argenteus; sicut apud Græcos aureus nummus fuit dimidio minor, quam argenteus, quippe stater aureus apud Græcos, fuit didrachmus; argenteus vero, tetradrachmus. Item aureus qui hamiectum dictus est, octo obolorum pondus habuit, idem & semistater fuit dictus, quod videlicet stateris argentei dimidium pondus haberet. Ad eundem igitur modum & apud Hebræos siclus aureus dimidio fuit minor quam argenteus: unde apud Esdram aurum non ad siclos, sed ad drachmas juxta veterem consuetudinem computatur, quod videlicet drachma, seu semisiclus auro esset deputatus, sicut argento siclus. Et Genesis vigesimo quarto *verʃ.* 22. juxta translationem Septuaginta ita scriptum legimus: ϗ ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος δύο ἐνώπια χρυσᾶ ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς, ϗ δύο ψέλλια ἐπὶ τὰς χεῖρας αὐτῆς, δέκα χρυσῶν ὁλκὴ αὐτῶν. Id est, & accepit homo ille inaures aureas: quæ singulæ drachmam appendebant, & duas armillas, quarum fuit pondus decem aurei. Hactenus Sept. Duæ inaures habuerunt pondus duarum drachmarum seu semisiclorum; potuit ergo dici inaures aureas, quarum pondus fuit siclus. Sed scriptura juxta receptam consuetudinem, aurum ad semisiclos potius quam ad siclos computat. Ut intelligamus etiam in sequentibus cum dicit decem auri, sic enim habetur in Hebræo, pro quo, Septuaginta transtulerunt decem aureos, ut, inquam, decem aureos seu decem auri intelligamus decem drachmas auri, seu decem aureos drachmales; nempe drachmæ, seu semisicli pondus singulos habentes. Nostra autem translatio pro drachmis seu semisiclis, exponit siclos: unde colligitur autorem translationis illius non ignorasse, quod siclus aureus dimidio minore esset, quam argenteus. Neque enim pro beca, quæ vox significat semisiclum, transtulisset, siclum, nisi sciret siclum auri semisicli pondus habuisse. Aureus enim nummus quatenus argentei sicli dimidium pondus habet, semisiclus dicitur; quatenus vero proprium pondus justum ac integrum habet, dicitur siclus. Unde & quinque sexve argentei sicli dicuntur, siclus a valore, nempe quod siclum auri valerent, valere autem non possent, nisi duplo essent majores quam siclus auri. Secundi Regum Capite decimo octavo *verʃ.* 11. scribitur quidam venisse ad Joab dicens: Vidi Absalonem pondere de quercus cui Joab. Si vidisti, quare non confodisti eum, & ego tibi dedissem decem argenti? sic enim habetur in Hebræo, subaudita voce, siclos, ut sit decem argenti siclos. Est enim hujusmodi loquutio usitata, & passim obvia in scriptura. Septuaginta autem & Josephus hoc loco pro decem argenti siclis, transtulerunt quinquaginta siclos, quinque siclos pro singulis siclis computantes, eo quod quinque sicli argenti dicuntur siclus. Annotavit hoc etiam Suidas, nescio ex quo autore, nempe siclum argenteos quinque dici apud Mosen. Locus autem, quem designasse videtur Suidas, exstat Genesis tricesimo septimo *verʃ.* 28. ubi Joseph dicitur venditus viginti argenti, hoc est, viginti siclis argenti, pro quo Septuaginta transtulerunt viginti aureis, ut intelligamus viginti argenti ita dictum esse, sicut apud nos, viginti aurei monetæ dicuntur. Sic enim vernaculo sermone nostro dicere consuevimus, cum non aureos, sed aureorum pretium volumus designare. Quondam enim aureus Ungaricus apud nos triginta grossis permutabatur ex Casimiri etiam constitutione, unde triginta grossi etiamnum aureus vocantur a valore, quod videlicet aureum valerent. Ad hunc igitur modum viginti argenti accipiemus hoc loco pecuniam argenteam viginti aureos valentem, nempe centum siclos argenteos; viginti enim sicli centum argenteos efficiunt, si quis singulos siclos pro pretio aurei accipiat, hoc est, pro quinque argenteis siclis. Quod si quis viginti argenti pro viginti aureis accipiat, ex pretio aureorum aureos ipsos designatos credens, cum hoc non contendemus, præsertim cum apud Græcos qui iisdem cum Hebræis usi sunt ponderibus, exemplum hujus rei reperiatur. Aureus

reus enim nummus apud Græcos nonnunquam pretii vocabulo designabatur, sicut apud Athenienses semistateres aurei vocabantur tetrastateres, quod videlicet quatuor stateres valerent. Quamquam proprie illi aurei (ut hoc quoque admoneam) a pretio non tetrastateres, sed hexastateres dici deberent, singuli enim semistateres aurei octonum obolorum, sex stateres argenteos senum denum obolorum valebant, sicut apud Hebræos siclus aureus, quinque sexve argenteos.

Hinc enim hemiecta quoque dicebantur hujusmodi aurei, sicut supra *Col.* DCXXVI. ostendimus. Verum quoniam stateres tetradrachmi magis fuerunt in usu Atheniensibus, & quatuor tetradrachmi tantundem efficiunt quantum sex senum denum obolorum, factum est, ut tetrastateres magis dicerentur. Sed viginti siclos argenti quibus Joseph venditus est, sive pretium viginti aureorum intelligas, sive viginti aureos, parum refert cum utrumque idem valeat. Exstat alter locus in Genesi, quem Suidas etiam designasse videri possit, cum dicit apud Mosen siclum dici quinque argenteos, nempe quadragesimo quinto capite, *vers.* 22. ubi Joseph in Ægypto scribitur donasse fratri suo Benjamin trecentos argenti. Septuaginta enim ad eumdem modum transtulerunt, trecentos aureos. Alias autem hoc genus locutionis, Septuaginta varie solent transferre: verbi gratia; si in Hebræo scriptum sit, decem argenti; Septuaginta, si simplices sicli intelliguntur, transferunt decem argenteos per adjectivum, vel decem siclos argenti per substantivum, addita voce, siclos: si vero sicli pro pretio aureorum accipiuntur; Septuaginta interdum quinquaginta sexagintave siclos pro decem siclis interpretabuntur, nonnunquam ἀργυρίς, id est, argenti, sive argenteæ pecuniæ transferent per substantivum, omissa voce, siclos, sicut Judicum decimo octavo, *vers.* 2. 3. 4. 10. quæ differentia in Hebræo non reperitur. Hebræi enim semper per substantivum efferunt, qualescunque sicli intelligantur, decem argenti, viginti argenti, vel addita voce, siclos, viginti siclos argenti &c. Septuaginta autem, ut dixi, discrimen facere solent. Quod & Tzetzes vir multiplicis eruditionis non ignoravit, qui in varia Historia, pro eo quod est Judicum sedecimo *vers.* 2. juxta translationem Septuaginta, mille & centum argenti interpretatus est, χρυσᾶς χιλίας ἑκατὸν, id est, mille & centum aureos. Intelligebat Tzetzes aliud esse mille & centum argenti, aliud mille & centum argentei.

Quod autem siclus aureus quinque argenteos valeret, in Hesychii quoque collectaneis legimus his fere verbis. Drachma (inquit) auri est pondus numismatis ad rationem argenti didrachmorum decem, Δραχμὴ χρυσῆς, ὁλκὴ νομίσματος εἰς ἀργυρίς λόγον διδράχμων δέκα. Quæ quidem verba, ut apparet, ex scriptore quopiam Ecclesiastico annotata sunt, sicut & alia pleraque multa. Drachma enim Hebraica, quæ apud Mosen beca, apud Esram vero darcmon, dicitur. Septuaginta autem, sicuti diximus, drachmam transferre solent, est siclus auri, nempe minoris talenti publici siclus, semis sanctuarii sicli. Hæc, inquam, drachma auri, ad rationem argenti efficit decem, didrachma Græca, hoc est, quinque siclos tetradrachmos. Quod autem & sex siclos argenteos valuerit aureus, potest probari ex translatione septuaginta, qui tertii Regum capite decimo, *vers.* 29. pro sexcentis argenteis, transtulerunt, centum argenti. Egrediebatur Salomoni ex Ægypto ἅρμα ἀντ' ἑκατὸν ἀργυρίς, id est, currus pro centum argenti: hic enim centum argenti, hoc est, pretium centum aureorum, sexcenti argentei sunt, non quinquaginta; unde arguitur, aurei pretium fuisse sex argenteos siclos, ut proportio auri ad argentum fuerit duodecuplex, sex enim sicli argentei cum sint aureis duplo majores, duodecies appendunt aureum: quam auri ad argentum analogiam apud Græcos etiam fuisse arguitur, ex eo quod semistater aureus octo obolorum sex argenteos stateres senum denum obolorum valebat, hoc est, quatuor stateres tetradrachmos. Quod autem decuplex quoque fuerit proportio auri ad argentum, docet Pollux ex Menandro: quod tamen non de Obryzo, sed de inferioris notæ auro intelligendum est. Sicut & apud Hebræos non unius notæ fuit aurum. Legimus enim aurum optimum, aurum purissimum in sacris literis, ad differentiam utique auri non perinde probati. Item aurum Arabicum, aurum Ophir, ad differentiam auri ex aliis regionibus non perinde boni; unde si auri probatissimi siclus valuit sex argenteos siclos, juxta auri ad argentum duodecuplicem proportionem, siclus auri inferioris notæ potuit quinque siclos argenteos valere juxta duplicem auri ad argentum analogiam. Sicut autem siclus auri ad argentum fuit sexcuplex & quincuplex, sex enim & quinque argenteos unus auri siclus valuit; ad eumdem modum & talentum auri ad talentum argenti fuit sexcuplex, sicut Suidas in dictione Obolus

lus annotavit, & quincuplex, ſicut ex Heſychio diſcimus, qui talenti meminit quadringentarum minarum. Quadringentæ enim minæ efficiunt quinque talenta Ægyptia ſeu Attica octogenarum minarum: unde etiam diſcimus quod ſicut ſiclus dicitur & argenteus unus, & quinque ſexve argentei, hoc eſt, ſicli auri pretium. Ita talentum dicitur non ſolum unum ſimplex talentum, ſed & quinque ſexve talenta, nempe talenti auri pretium. Quoniam ergo ſiclus anri ad argenteum ſiclum, ſexcuplex & quincuplex eſt, & item talentum auri ad talentum argenti eſt quincuplex & ſexcuplex, neceſſe eſt, ſiclum & talentum auri dimidium pondus ſicli & talenti argenti habuiſſe, ut auri ad argentum ſit proportio decuplex & duodecuplex. Præter decuplicem autem & duodecuplicem proportionem invenitur & tertia, medium inter has duas locum obtinens, nempe quæ eſt unius ad undecim. Id ita eſſe, docet nos liber Judicum capite decimo ſeptimo, *verſ.* 3. ubi filius promittit ſe matri pecuniam reſtituere velle, mille videlicet & centum argenteos, *χιλίους ϗ ἑκατὸν ἀργυείους*, ita enim Septuaginta tranſtulerunt per adjectivum, quod ſimplices ibi ſicli intelligantur. Ceterum ne promiſſæ tantum putetur, additur, *verſ.* 3. *ϗ ἀπίδωκε τοὺς χιλίους ϗ ἑκατὸν ἀργυείους τῇ μητσὶ αὐτοῦ*, id eſt: Et reddidit mille & centum argenteos matri ſuæ. Et ruſus idem, *verſ.* 4. ita ut mos eſt ſcripturæ, repetitur, *ϗ ἀπέδωκε τὸ ἀργύειον τῇ μητεὶ αὐτοῦ, ϗ ἔλαβεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ διακοσίους ἀργυείου*, id eſt, & reddidit pecuniam illam matri ſuæ; & accepit mater ejus ducentos argenti. Hic ducentos argenti per ſubſtantivum ſeptuaginta tranſtulerunt, non ducentos argenteos, propterea quod ducenti argenti, pro mille & centum argenteis ſiclis accipiantur: eadem enim ſumma quæ prius mille & centum argentei vocabatur, nunc ducenti argenti dicuntur. Faciunt autem ducenti argenti mille & centum argenteos: ſi quis ſingulos ſiclos non pro quinque ſiclis, nec pro ſex ſiclis, ſed pro quinque & ſemiſſe accipiat, in undecupla auri ad argentum proportione, quam mediam inter decuplicem & duodecuplicem eſſe diximus. Ita intelligendum eſt, quod eodem libro ſcriptum eſt, capite ſedecimo *verſ.* 6. de pecunia quam Philiſtinorum Satrapæ promiſerunt Dalilæ meretrici, quam Samſon amavit. Decipe, inquiunt, eum, nempe Samſonem, & diſce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille, & centum argenteos. Lyranus admonet, Satrapas Philiſtinorum fuiſſe quinque, & ſingulos mille & centum argenteos promiſiſſe. Proinde ſummam promiſſæ pecuniæ dicit eſſe quinque millia & quingentos ſiclos, quæ ſumma *Χιλίους ἀργυείου*, id eſt, mille argenti efficit in undecupla proportione, vel *χιλίους ἀργυείου*, id eſt, mille & centum argenti in decupla, ſicut Septuaginta tranſtulerunt, *ϗ ἡμεῖς δώσομέν σοι χιλίους ϗ ἑκατὸν ἀργυείου*. Et nos dabimus tibi mille & centum argenti: ſed hæc hactenus.

Antiquiſſimis ergo temporibus ſiclus argenti & talentum argenti fuit, quem ſiclum ſanctuarii & talentum ſanctuarii ſcriptura vocat; auri vero ſiclus & talentum fuit ſemis ſicli & talenti ſanctuarii. Poſterioribus vero temporibus, qui fuit ſiclus auri, cœpit eſſe & argenti ſiclus; & quod fuit talentum auri, cœpit eſſe & argenti: quo factum eſt ruſus, ut poſtquam ſiclus argenti didrachmus cœpit eſſe, ſiclus etiam auri dimidio minor, id eſt, drachmalis factus ſit, unde centum aurei drachmales minam efficiebant centum drachmarum, ſicut hiſtoria ſacra teſtatur. Nam ſecundi Paralipomenon capite nono verſ. 16. ſcribitur Salomon feciſſe trecenta ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta. Tertii autem Regum *capite decimo verſ.* 17. pro trecentis aureis, legimus tres minas in Hebræo & in translatione Septuaginta & apud Joſephum. Quod ſi trecenti aurei drachmales eſſent, Joſephus Græce loquendi obſervantiſſimus non tres, ſed ſex minas dixiſſet, aut ſaltem minæ interpretationem addidiſſet. Tempore igitur Salomonis ſiclus auri præter didrachmum fuit etiam drachmalis: non enim propter minorem majoris uſum penitus abolitum fuiſſe arbitrari debemus, ſed præter minora pondera etiam majora in uſu fuiſſe credendum eſt. Talem autem ponderum diminutionem etiam apud alias gentes fuiſſe diximus. Siculum enim talentum, antiquum quidem, fuit viginti quatuor nummorum, poſterius vero duodecim nummorum, & apud Athenienſes talentum octogenarium poſterioribus temporibus dimidio minus factum eſt, nempe quadraginta minarum. Progreſſu autem temporis, & hoc ruſus eſt dimidiatum, ut quadrans talenti eſſet talentum. Hinc enim apud Suidam talentum dicitur moderna quatuor, & apud Pollucem legimus Sirium talentum fuiſſe mille & quingentarum drachmarum qui eſt plane quadrans Attici talenti. Sed locum Suidæ, cujus jam aliquoties fecimus mentio-

tionem, adſcribemus: *τάλαντον* (inquit Suidas) *τȣ̃ ἀργυρίȣ τῶν νῦν τέσσαρα καὶ νομίσματος ή καὶ ς. ἡ δὲ μνᾶ ἑξηκοστὸν ἐς τȣ̃ ταλάντȣ, τȣ̃ χρυσίȣ ἑξαπλάσιόν ἐστι*, id eſt, talentum argenti, ſunt moderna quatuor & numiſmatica octo & ſex, mina vero ſexageſima pars talenti, auri autem talentum eſt ſexcuplex. Siclus ergo antiquiſſimis temporibus, argenteus quidem, fuit tetradrachmus, aureus vero didrachmus. Poſterioribus vero temporibus argenteus etiam didrachmus & aureus drachmalis etiam fuit: unde quod ſcribitur Geneſis XXXVII. 28. Joſeph venditus eſſe viginti ſiclis argenti, intelligimus vel viginti aureos didrachmos, vel pretium viginti aureorum didrachmorum, nempe centum ſiclos tetradrachmos. Machabæorum autem libri primi *cap.* X. 40. quindecim millia ſiclorum atgenti accipiemus, pro pretio quindecim millium ſiclorum auri drachmalium. Joſephus enim pro quindecim millibus ſiclorum ſcripſit quindecim Myriadas, hoc eſt, centum & quinquaginta millia drachmarum, decem drachmis, quæ quinque ſiclos efficiunt, pro ſingulis ſiclis computatis. Ad eundem modum Geneſis XLV. 22. ubi Joſeph ſcribitur fratri ſuo Benjamin donaſſe trecentos argenti, intelligemus vel trecentos aureos octonum obolorum, vel trecentorum hujuſmodi aureorum pretium, nempe mille & quingentos ſiclos Ægyptios ſenum denum obolorum. Tertii autem Regum *cap.* X. 29. ubi pretium equorum legitur, qui Salomoni ex Ægypto adducebantur, currus pro centum argenti, & equus pro quinquaginta argenti, ſic enim tranſtulerunt ſeptuaginta, intelligere debemus centum argenti pretium centum aureorum quaternorum obolorum, nempe ſexcentos ſiclos argenti Ægyptios octonum obolorum, non quod Ægyptium numiſma apud Hebræos cuderetur, ſed quod importato numiſmate Ægyptio Hebræi uterentur, & in contractibus cum Ægyptiis, rationibus & ponderibus uterentur Ægyptiorum. Probabile eſt enim hæc Hebræis uſitatiſſima fuiſſe propter vicinitatem utriuſque regni, & contractus, qui inter finitimos frequentes fiunt, præſertim cum neceſſitudo etiam ex connubio regum Hebræis tunc interceſſerit cum Ægyptiis. Ægyptius ſiclus habuit pondus, ſicut diximus, ſedecim obolorum Atticorum; aureus autem ſiclus dimidio minor fuit, nempe octo obolorum: qualem fuiſſe apud Athenienſes oſtendimus, qui talento Ægyptio, nempe octogenario, etiam uſi ſunt. Poſterioribus autem temporibus ſiclus, ut apparet apud Ægyptios dimidio minor factus eſt, ſicut & apud Hebræos, ut argenteus eſſet etiam octo obolorum, aureus vero etiam quatuor obolorum, noſtri fere argentei, quem triplicem vocamus, pondus habens: quod pondus etiam habuit ſiclus talenti parvi, nempe ſextæ partis talenti ſanctuarii. Tales autem aureos fuiſſe apud Athenienſes probabile eſt. Hinc enim videtur tetraobolum pro pretioſo accipi, *τετρώβολον* Suidas interpretatur *πολυτίμητον*, id eſt, magni pretii. Alioqui quatuor oboli pro vili pretio accipiuntur, ut videre eſt apud Eraſmum in Chiliadibus: fuiſſe autem ſiclum quatuor obolorum etiam Phavorinus Camertes, neſcio ex quo autore, annotavit. Cum igitur dicitur currus pro centum argenti, pretium centum aureorum quaternorum obolorum intelligemus, hoc eſt, ſexcentos ſiclos argenteos octonum obolorum, quos Joſephus propter parvitatem drachmas vocavit. Sunt enim hujuſmodi ſicli drachmæ talenti Ægyptii octogenarii Atticis drachmis majores, Ægineticis vero minores. Sic enim legitur apud Joſephum. Conſtituit autem Salomon (inquit) & mercatoribus Ægyptiis, ut adducentes venderent ſibi currum cum duobus equis ſexcentis drachmis argenti. Septuaginta autem, ſicuti diximus, tranſtulerunt: Egrediebatur ex Ægypto *ἅρμα ἀνθ' ἑκατὸν ἀργυρίων καὶ ἵππος ἀντὶ πεντήκοντα ἀργυρίου*, id eſt, currus pro centum argenti, & equus pro quinquaginta argenti. Centum argenti igitur pretium centum aureorum quaternorum obolorum intelligemus ſexcentos videlicet argenteos ſiclos octonum obolorum. Alioqui ſi centum argenti hoc loco accipias pro pretio centum aureorum Hebraicorum, qui drachmæ Atticæ pondus habuerunt, aut Ægyptiorum, qui octonos obolos appendunt, reclamabit Joſephus: non enim centum hujuſmodi aureorum pretium eſſent ſexcentæ drachmæ, ſed mille & ducentæ. Notabis autem hoc loco apud Septuaginta currum pro biga accipi, ſicut & apud Joſephum. Si enim currus pro centum argenti, & equus unus dimidio hujus, hoc eſt, pro quinquaginta argenti, neceſſe eſt currum intelligamus bigam, non quadrigam. Secundo autem Paralipomenon *capite* I. *verſ.* 17. currus non pro biga accipitur, ſed pro quadriga, etiam juxta translationem Septuaginta, quamvis illo in loco translatio Septuaginta non ſatis integra ſit; ſic enim legitur: *καὶ ἐξῆγον ἐξ αἰγύπτȣ ἅρμα ἐν χιλίοις* (lego *ἐν* χ *σίκλοις*) *ἀργυρίȣ, καὶ ἵππον ν καὶ ρ ἀργυρίȣ* id eſt, Et educebant ex Ægypto currum ſexcentis ſiclis argenti, & equum centum & quinquaginta argenti, repetito ex ſu-

periori, ficlis, quare sexcentos siclos quibus quadriga emebatur, duplo majores intelligemus, nempe senum denum obolorum; sexcentos autem siclos, quibus emebatur biga dimidio minores, nempe octonum obolorum, quos Josephus, sicuti diximus, drachmas vocat; sic enim sexcenti sicli majores efficient mille & ducentos siclos minores, nempe pretium duarum bigarum, unius videlicet quadrigæ, & centum quinquaginta sicli majores, efficient trecentos minores, quod est pretium unius equi. Ad hunc igitur modum uterque locus de equis Salomonis consonus sibi invicem esse reperitur, quod vel Scriba vel Rabbini apud Hebræos non intelligentes, alterum locum ex altero castigaverunt; videbantur enim isti duo loci inter se pugnare, nec simul stare posse. Proinde nunc uterque locus in Hebræo eodem modo legitur, nec potest uterque nisi de quadriga intelligi, cum tamen ex translatione Septuaginta & Josepho constet alterum de biga scriptum fuisse. Quod igitur siclus & talentum auri dimidium pondus sicli & talenti argenti habuerit, satis, ut puto, ostensum est. Sciendum tamen quod aurum interdum ad pondus argenti computatur, præsertim quando post summam argenti summa auri describitur: cujus rei exemplum est, quod superius citavimus, ubi rex Ægypti dicitur IV. Reg. XXIII. 33. a Judæis exegisse centum talenta argenti & talentum auri; & in Moysi libris, aurum frequenter ad siclum & talentum sanctuarii, sicut & argentum computatur. Sic apud Pollucem talentum auri dicitur decem talenta argenti, non quinque aut sex. Quin & argenti summa nonnunquam numeratur ad pondus auri. Sicut *lib.* I. Paralip. *cap.* XXII. 14. ubi David dicit se præparasse impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; hoc loco enim argenti talenta, sicut & auri parva intelliguntur, quemadmodum ex Josepho ostendimus, & capite XXI. ejusdem libri argentum numeratur ad siclos parvos nempe ponderis auri. Majora tamen pondera principaliter argento fuerunt deputata, & minora auro, sicut supra ostendimus.

Præter aureos vero, de quibus jam diximus, fuerunt & alii majores apud antiquos. Pollux docet apud Athenienses fuisse staterem, qui minam valuit, & minam stateram vocatam esse. Budæus ex pretio conjicit staterem hujusmodi fuisse uncialem, id est, octodrachmum, quales etiam aureos credo fuisse apud Romanos, qui Atheniensium ponderibus & mensuris usi sunt. Vidimus multos tales, adulterinos quidem illos, non enim aurei fuerunt. Sed aurum imitabantur elegantissime ad exemplar, ut apparet, proborum aureorum facti, quorum ea magnitudo fuit, ut si aurei essent, unciam possent appendere. Sed & aureum hujusmodi exstare audio apud Magnificum Dominum Johannem Christophorum Castellanum Voinicensem Comitem a Tarnou, cum inscriptione Græca ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ, cujus magnitudo citra ultra decem aureorum esse dicitur. Si igitur octo drachmarum aureus fuit apud Athenienses, sex aureis constabat octonum obolorum, quemadmodum pretium aurei octo obolorum, sex argenteis constabat senum denum obolorum, quod pretium Hebraice siclus dicitur. Sicut autem argentei stateris dimidium pondus habuit aureus; ita sicli, hoc est, sex argenteorum, aureus stater magnus dimidium pondus videtur habuisse. Sex enim aurei octonum obolorum, quibus constabat, semissem appendunt sicli sex argenteorum, nempe tres stateres senum denum obolorum, quæ fuit millesima talenti majoris Attici, quod idem cum Ægyptio fuit. Sicut talentum illud auri sex drachmarum, cujus supra mentionem fecimus ex Polluce, fuit millesima minoris talenti Attici, quod idem cum Hebraico talento fuit. Similes igitur aureos fuisse apud Hebræos & Ægyptios, quibus Athenienses sua pondera debent, probabile est, & siclos ita vocatos, sicut stateres apud Græcos, non solum ipsos aureos, sed & pretia eorum, hoc est, minas seu stateras. Hinc enim Judicum nono *vers.* 4. septuaginta argenti (ita enim in Hebræo & apud Septuaginta legitur, subaudita voce, siclos, ut sit septuaginta argenti siclos) nostra translatio exponit septuaginta pondo argenti, & certe, locus ille requirit hoc, ut septuaginta argenti majorem summam intelligamus, quam septuaginta aureorum didrachmorum pretium. Similiter Josephus in antiquitatibus, *Gen.* XXXVII. 28. Joseph venditum scribit viginti minis, viginti enim argenti, quod habetur in Hebræo, intellexit. Josephus pretium viginti aureorum, non minorum, sicut nos interpretati sumus ex Suida, sed grandiorum, qui scilicet singuli minam valerent. Sic igitur siclus aureus fuit non solum parvus nempe argentei sicli dimidium pondus habens, sed & grandior, nempe quinque sexve minores aureos appendens; & item pretium sicli aurei, quod etiam siclus dicitur, non solum quinque sexve argentei, sed & mina grandioris aurei pretium. Notabis etiam in ta-

talentis, quæ quinquies sexiesve talentum capiunt, quantum simplex continet talentum, siclum etiam quinquies sexiesve tantum esse, quantum simplex continet siclus, ut quod in simplici talento est argenteus unus, hoc in hujusmodi talento sit auri unius dimidio minoris pretium, & quod in simplici talento est pretium aurei sicli, hoc in hujusmodi talento sit pretium quinque sexve aureorum siclorum, hoc est, unius grandioris aurei. His ita expositis, priusquam ad alia transeamus, non inutile fortasse fuerit, & locum Matthæi expendere de pecunia, qua conductus Judas Dominum prodidit. Apud Zachariam *cap.* XI. 12. triginta argenti legimus, apud Matthæum *cap.* XXVII. 3. 9. τελάκοντα ἀργύελα. Est autem ἀργύελον Græcis pecunia argentea, sicut χρύσιον pecunia aurea. Et si quidem τελάκοντα ἀργυεῖος scriptum haberemus, necessario intelligeremus triginta argenteos. Verum cum τελάκοντα ἀργύελα scriptum sit, possumus intelligere triginta summulas, ut ita dicam, hoc est, triginta siclorum auri pretia. Nam quod non triginta denarios hic intelligere debeamus, res ipsa arguit. Constat enim pecunia illa agrum emptum esse, in sepulturam peregrinorum. Triginta autem denariis emi non poterat: Quid enim tantillo pecuniæ emas? nam triginta denarii non multo plus valent quatuor taleris: quapropter hic triginta ἀργύελα accipiemus, pro pretio triginta siclorum auri. Utebantur autem tunc Judæi, ut constat ex Evangeliis, Romana moneta. Romanis autem aurei didrachmales erant; quapropter xxx. aureorum hujusmodi pretium trecentos superat denarios. Quod si non numismatici, sed rudis, & inferioris notæ auri pretium intelligere volumus, xxx. sicli hujusmodi auri efficiunt in decupla proportione, trecentos denarios: æstimabatur autem unguentum, quod in caput Domini effusum est, plusquam trecentis denariis. Judas autem, sicut Johannes *cap.* XII. 5. scribit, indignabatur, quod non esset trecentis denariis venditum; unde probabile est, Judam tantum a Judæis postulasse, & accepisse, quanti unguentum valere putabat, vel quanti non esse venditum indignabatur.

De Siclo Æris & Ferri.

Siclum æris & ferri eundem fuisse, probabile est; quantus autem fuerit hic siclus, non satis constat: Siclum tamen æris omnino non minorem fuisse argenti siclo, credere debemus, sed aut majorem, aut certe parem; neque enim probabile est, vilioris metalli minorem fuisse siclum. Secundi Regum *cap.* XXI. *vers.* 16. Philistæi cujusdam de genere Gigantum pondus hastæ scribitur fuisse, juxta translationem Septuaginta, trecentorum siclorum ponderis æris, unde discimus fuisse siclum, qui peculiariter siclus ponderis æris vocabatur: nempe, diversus a siclo argenti. Quod si diversus fuit, major fuit; non enim quod minor, sed quod major esset diversus erat: comprobat hoc & nostra translatio, quæ pro trecentis siclis, habet trecentas uncias. Cujus (inquit) hasta, trecentas uncias appendebat. Ut sit siclus æris duplo major siclo argenti, sicut argenti siclus, duplo fuit major quam siclus auri, & primi Regum *cap.* XIII. 20. 21. scribitur in universa terra Israel non fuisse fabrum ferrarium, quod Philistini cavissent ne Hebræi gladium facerent, aut hastam. Unde universus Israel, descendebat in terram Philistinorum ad fabricanda instrumenta, agriculturæ necessaria. Instrumenta autem fuerunt, juxta translationem Septuaginta, tres sicli in dentem, seu vomerem, & secuti atque falci idem fuit pondus, seu, ut verbis Septuaginta utar, eadem hypostasis, seu substantia. Quod & si videtur dictum ad ostendendam parvitatem instrumentorum; siclum tamen ferri, arguit majorem fuisse argenti siclo, nempe, tetradrachmo. Atque hæc caussa videtur esse, quod æris & ferri summa nunquam recensetur in scriptura, ad siclum sanctuarii, sicut argentum & aurum, nimirum quod siclus hic, diversus & major sit tetradrachmo, & semiunciali siclo. Sic igitur siclus æris & ferri, videtur fuisse major siclo argenti. At si pondus armorum Goliath expendamus, diversum reperiemus, nempe siclum æris & ferri, semiuncialem fuisse. 1. *Sam.* XVII. 5. 6. 7. Lorica Goliath, habuit pondus quinque millia siclorum, æris & ferri; hasta autem ejus, immo non hasta sed ferrum hastæ, sexcentos siclos ferri habuit. Fac siclum æris & ferri semiuncialem fuisse, quinque millia siclorum efficient ducentas minas, & sexcenti sicli, viginti quatuor minas; quibus addatur pondus conti, seu hastilis, quod erat quasi liciatorium texentium, & item gladii, galeæ, ocrearum ærearum, & clypei ærei qui humeros ejus tegebat. Hæc enim singula, pro magnitudine prædictorum juxta proportionem competentem, magnitudinem suam habuerunt, unde conjuncta simul omnia arbitror plus habuisse ponderis quam thoracem cum ferro hastæ. Atque ita pondus universorum armorum Goliath ascendet ultra quadrin-gen-

gentas minas. Budæus justum pondus bajularii dicit esse centum sexaginta libras zygostaticas Parisienses quæ ducentas fere minas efficiunt, seu duos centenarios. Arma igitur Goliath, plus quam duorum bajulariorum est justum pondus, habuerunt. Si autem siclum æris & ferri uncialem intelligemus, duplo majus pondus armorum ipsius statuamus necesse est, ut arma Goliath, plus quam quatuor bajulariorum habuerint pondus, quod videtur esse impossibile, præsertim cum armatum, non ita oneratum esse armis conveniat, ut tantum ea ferat, sed ut armatus expedite & pugnare, & currere, & alia id genus facere, quoties opus est, valeat: quod viro dimidium justi oneris, ut puto, adimet. Plutarchus in Demetrii exercitu scribit fuisse Alcimum quemdam Epirotam, qui solus panoplia duorum talentorum utebatur, cum alii panopliam dimidio minorem gestarent, nempe unius talenti. Alcimus igitur, duorum virorum gestabat arma, nempe, duorum centenariorum, ut jam concedamus ibi talenta centenarum minarum esse intelligenda. Goliath autem, plusquam quatuor virorum, si, inquam, siclum æris & ferri, semiuncialem intelligamus; alioqui si uncialem accipias siclum, bis tantum erit pondus armorum Goliath, quod fidem excedere videtur. Ex prædictis igitur apparet quod siclus æris & ferri institutus sit duplo major quam argenti, nempe uncialis. Ceterum sicut argenti siclus, quamvis tetradrachmus esset institutus, cœpit esse & didrachmus: ita siclus æris & ferri, ut apparet, cœpit esse & semiuncialis, etiamsi proprie siclus æris & ferri diceretur, qui unciam appenderet: sic igitur quinque millia siclorum thoracis Goliath & sexcentos siclos, quos ferrum hastæ ipsius appendebat, semiunciales siclos intelligemus. Trecentos autem illos siclos hastæ alterius Philistini unciales intelligemus siclos, qui proprie sicli æris dicuntur, ut hasta trecentorum siclorum, idem pondus haberet cum ferro hastæ Goliath, pro miraculo enim & illa hasta refertur, unde & pondus ejus ingens fuisse credendum est. An autem, sicut argenti siclus dicitur & unus tetradrachmus siclus, & quinque sexve tetradrachmi sicli & mina argenti; ita etiam æris ferrive siclus, dicatur & unus uncialis siclus, & quinque sexve unciales sicli, & libra seu mina ferri, non constat, nisi quod locus ille, quem ex translatione Septuaginta de instrumentis rusticorum adduximus, tale aliquid innuere videtur: qualis enim securis, ex tribus ferri unciis esse potest? quare sicli ferri illo in loco videntur esse accipiendi, pro libralibus, aut quincuncialibus sexuncialibusve siclis, quod quidem non in ponderibus tantum, sed & in mensuris tam aridorum, quam liquidorum fuisse observavimus. Quin & in Geometricis mensuris hoc idem deprehenditur, cubitus enim antiquitus apud Geometras fuit, qui in sex cubitos simplices diducitur, sicut Origenes & Augustinus annotarunt, super Genesim, *cap.* VI. 15. ubi Noe dicitur fecisse arcam trecentorum cubitorum. Hæc habuimus de siclo æris & ferri, de siclo argenti & auri, de talento sanctuarii, de talento publico, majori & minori, & item de regio, & Ægyptio talento: superest jam ut ad mensuras Hebraicas veniamus, quod & faciemus, Deo favente, si prius paucis dixerimus, unde pondera Hebraica ad Babylonios & Græcos pervenerint. Ad Babylonios igitur pervenisse videntur, cum Hebræi late in Syria imperarent, a mediterraneo mari, ad Mesopotamiam usque; aut certe, cum Chaldæi Hebræos Phœnicas & alias gentes, in Syria armis subegissent. Ad Græcos autem transmarinos homines pervenisse videntur pondera Hebraica, non ab Hebræis mediterraneam incolentibus, sed vel ab Ægyptiis vel a Phœnicibus Hebræis vicinis, quod & probabilius est. Phœnicum enim cum Græcis antiquissima commercia fuisse, ex Homero & Herodoto discimus. Quod autem Phœnices iisdem ponderibus uterentur, quibus Hebræi, colligitur etiam ex Josepho qui libro secundo de bello Judaico, Tyrii numismatis meminit, quod quatuor Atticas drachmas valuit, sicut & siclus Hebraicus, ut Tyrium numisma idem fuerit cum siclo Hebraico: sed de his, lectorem paucis admonuisse sufficiat.

DE MENSURIS HEBRAICIS.

Nomina mensurarum quæ hic explicantur.

ARIDORUM.

Gomor, sive Hemor,
Corus,
Lethek,
Epha,
Satum,
Assaron, seu Gomor,
Cabus.

LIQUIDORUM.

Bathus,
Hin,
Log,
Corus,
Homer, seu Gomor,
Schalis & satum.

De mensuris Aridorum.

Corus aridorum maxima mensura. Corus & Gomor idem, sicut Rabini docent, & translatio Septuaginta, quæ pro Gomor sæpe corum interpretatur. Hoc tamen interest, quod Gomor est vox antiquior, & Hebræis usitatior, & ut ita dicam, magis vernacula. Corus autem, quem Hebræi Cor dicunt, vox non perinde antiqua videtur, nec ita Hebræis usitata. Non enim vel in Mosi libris, vel apud prophetas, usquam reperitur, præterquam apud Ezechielem *cap.* XLV. Esdram, *cap.* VII. 22. & in libris Regum, vid. III. Reg. IV. 22. *cap.* V. 11. ac 2. Paralipomenon, II. 10. & XXVII. 5. & videtur ad Hebræos ab externis pervenisse, quibus ut apparet magis usitata quam Hebræis fuit: id quod ex scriptis Josephi, & Septuaginta translatione colligi potest. Josephus enim Græce scribens, cori voce sæpe utitur. Gomor autem vox nusquam in scriptis ejus reperitur. Septuaginta vero pro Gomor, sicut diximus, sæpe corum interpretantur, quod satis arguit, externis vocem hanc magis notam, & usitatam fuisse, contra quam Hebræis, quibus vocem Gomor, magis usitatam & vernaculam fuisse constat.

Corus igitur, ut Epiphanius, Episcopus Salaminis ejus, quæ in Cypro est, scribit, triginta modios capit, hoc est, sex medimnos. Nam Salaminus medimnus in quinque modios dividebatur, ut Epiphanius docet. Probabile autem est, Salaminios medimnum Romanum habuisse: quandoquidem etiam pondera habuerunt Romana, ut ex eodem Epiphanio discimus. Libra enim apud Salaminios, fuit duodecim unciarum, & uncia, octo drachmarum. Sed quod medimnus Salaminius idem esset cum medimno Romano, ex eodem Epiphanio potest evidentius probari. Satum enim, quod Josephus dicit capere sesquimodium Italicum, Epiphanius dicit capere modium Salaminium, & quadrantem, ut quatuor sata, quæ sex modios Italicos constituunt, hoc est, medimnum Romanum, quinque Salaminios modios efficiant, nempe medimnum Salaminium. Si igitur quatuor sata constituunt medimnum Salaminium, & medimnum Romanum; necesse est, Salaminium medimnum, cum Romano æquales esse. Nec movere quemquam debet, quod apud Romanos medimnus, sex modiis constat: Salaminius vero, quinque modiis. Sic enim medimnum antiquitus, alii in quinque, alii in sex modios partiebantur, etiamsi interdum unus & idem esset medimnus. Unde Budæus ex Cicerone annotavit medimnum Romanum, Ciceronis tempore. Siculis in usu fuisse, quem tamen illi in quinque, non sicut Romani in sex, dividebant modios. Quod autem corus, seu gomor, sex caperet medimnos, testis est Eupolemus, scriptor Græcus, qui dicit, corum Hebraicum, sex artabas capere, ut videre est, apud Eusebium libro nono de præparatione Evangelica. Et Septuaginta Esaiæ quinto 10. corum eodem modo interpretati sunt sex artabas. Artaba autem, ut videre est, apud Hesychium & Suidam, capiebat Atticum medimnum: est & mensura Persica Artaba, quæ, ut Herodotus scribit, Atticum medimnum su-

ſuperabat, tribus chœnicibus Atticis, ut artaba Perſica chœnices Atticos quinquaginta & unum caperet: Atticus autem medimnus, quadraginta octo. Hic autem ſex artabas, non Perſicas menſuras, ſed Hebraicas, ſex Atticis medimnis pares, intelligere debemus. Nam Athenienſes, ſicut ponderibus, ita & menſuris iiſdem, quibus Hebræi, uſi ſunt: id quod inferius magis apparebit. Similis coro Hebraico fuit Cypſele, menſura apud Athenienſes, ſex medimnos capiens, cujus etiam fit mentio apud Ariſtophanem in Pace, κἀμοῦ λίθον ἐμβαλόντες ἑξμέδιμνον κοψέλλω ἀπώλεσαν, id eſt, ac meam injecto lapide, ſex medimnos capientem Cypſelem confregerunt. Sed quantitas cori manifeſtius etiam eſt oſtendenda. Sciendum itaque, quod decima cori pars, dicitur corus, ſicut decima talenti talentum. Unde quod tertii libri Regum capite quinto *verſ.* 11. legitur, Salomonem Tyriorum regi quotannis præbuiſſe viginti millia coros tritici: Joſephus pro viginti millibus, ſcripſit duo millia, decem coros, pro ſingulis coris computans: quod cum ita ſit, videamus alterum Joſephi locum, qui libro antiquitatum tertio, ſub finem, hiſce verbis legitur, ἀλλὰ ϗ τοῦδε τοῦ πολεμοῦ μικρὸν ἔμπροσθεν κλαυδίου ῥωμαλῶν ἄρχοντος, ἰσμαήλου δὲ παρ' ἡμῖν ἀρχιερέως ὄντος, ϗ λιμοῦ τὴν χώραν ἡμῶν καταλαβόντος, ὡς τεσσάρων δραχμῶν πωλεῖσθαι τὸν ἀσσαρῶνα, κομισθέντος ἀλεύρου κατὰ τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζυμῶν ἐς κόρους ἑβδομήκοντα (μέδιμνοι δὲ οὗτοι σικελικοὶ μὲν εἰσὶν εἷς ϗ τριάκοντα, ἀττικοὶ δὲ τεσσαράκοντα εἷς) οὐδεὶς ἐτόλμησε τῶν ἱερέων κρίμνον ἂν φαγεῖν, id eſt, Quin & paulo ante Judaicum hoc bellum, principatu Claudii, pontificatum apud nos Iſmaele obtinente, cum tam valida fames regionem noſtram premeret, ut aſſaron quatuor drachmis veniret, & in feſtivitate azymorum, allati eſſent farinæ cori ſeptuaginta (qui ſunt medimni, Siculi quidem unus, & triginta; Attici vero, quadraginta unus) nemo tamen ſacerdotum auſus eſt micam unam inde comedere, hactenus Joſephus. Septuaginta cori parvi, id eſt, decimæ, efficiunt integros coros ſeptem. Si autem ſeptem cori, quadraginta & unum medimnum Atticum efficiunt; neceſſe eſt corum unum capere ſex Atticos medimnos, modio ferme uno, id eſt, ſexta medimni parte minus. Atque ita artaba Hebraica, ſexta pars cori, Attico medimno minor erit, fere chœnice & triente, ut inter Hebraicas, & Atticas menſuras, ea ſit differentia, quæ eſt inter raſas & cumulatas menſuras; facile enim medimnus, pro auctuario chœnicem, & trientem, atque adeo etiam amplius admittit. Jam igitur juxta hanc ſupputationem, corus Hebraicus pauxillo minus, quam ſex Atticos medimnos capiebat, quod tamen de minori coro intelligendum eſt. Fuit enim præter hunc, alius major, qui, ut Joſephus libro antiquitatum quindecimo ſcribit, capiebat Atticos medimnos decem, ὁ δὲ κόρος δύναται μεδίμνους ἀττικοὺς δέκα, valet autem (inquit) corus Atticos medimnos decem. Unde oritur dubium, ſi major corus decem Atticos medimnos capit, quomodo minor non integros Atticos ſex capiebat; neceſſe eſt enim, ſi major decem Atticos medimnos capit, minorem Atticos etiam ſex capere; aut ſi minor non integros ſex Atticos capit, majorem quoque non integros decem capere, ut proportio inter corum, & corum, conſervetur; alioqui nulla proportio ratiocinabilis eſſet inter has menſuras, quod eſt abſurdum. Quare dicendum, aut Joſephum diſcrimen quod eſt inter medimnos Atticos, & corum majorem Hebraicum, propter exiguitatem neglexiſſe, ſicut Herodotus, & Julius Pollux talentum Babylonium ſeptuaginta Euboicarum, ſeu Atticarum minarum pondus habere dixerunt; & tamen, ex ipſius etiam Herodoti ſupputatione, paulo majus eſſe conſtat ſeptuaginta minis Euboicis. Et Ælianus manifeſte docet, Babylonium ſeptuaginta duas minas Atticas appendere. Sic igitur, & hic tenue diſcrimen, quod eſt inter decem Atticos medimnos, & Corum Hebraicum potuit neglexiſſe Joſephus. Aut inter ſacras menſuras, & publicas fuit aliquid diſcriminis, fortaſſe quod publicas cum auctuario metiendi eſſet conſuetudo, aut confertas & coagitatas, nam & hanc conſuetudinem metiendi fuiſſe antiquitus, ex Evangelio *Luc.* VI. 38. diſcimus. In ſacris autem, non licuit quidquam addere, ſicut nec minuere: unde ſi ſeptuaginta cori ſacri, de ſacris enim locus ille Joſephi intelligitur, efficiunt quadraginta unum medimnum Atticum, totidem publicæ menſuræ, ſi aliquanto plenius admetiebantur, facile quadraginta duos Atticos medimnos efficere poſſunt, ita ut in ſingulos decem coros, qui unum integrum efficiunt, ſex integri Attici medimni cedant. Sed hæc lectoris judicio permittimus. Corum itaque ſtatuemus, majorem quidem decem Atticos medimnos, minorem vero ſex capere; aut ſi quod diſcrimen fuit, non tale tamen putandum eſt fuiſſe, ut ob hoc, aut ille decem Attici medimni, aut hic ſex dici non poſſit.

Quod cum ita ſit, ſupereſt, ut de regio

gio dicamus coro, quod & facturi sumus, ubi prius de partibus, in quas dividitur corus, dixerimus.

De Divisione Cori.

Corus in decimas, & duodecimas dividitur, sicut annus etiam antiquitus dividebatur. Non enim sine respectu temporis, antiqui mensurarum suarum, & ponderum modos instituisse videntur. Hinc illi Fannii versus, de scrupulis, quæ grammata dicuntur Græcis:

> ——— *unde putandum*
> *Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in se*
> *Uncia habet; tot enim notis vox nostra notatur,*
> *Horis quot mundus peragit, noctemque diemque.*

Et de uncia.

> *Uncia in libra pars est, quæ mensis in anno.*

Decima anni annus dicitur, secundi Regum quindecimo: *vers.* 7. post quadraginta autem annos dixit Absalon ad regem David. Similiter apud Septuaginta, & in Hebræo legitur. Josephus autem pro quadraginta dixit quatuor. Transactis (inquit) postquam reconciliatus est patri quatuor annis, *μετὰ δὲ τὴν τοῦ πατρὸς καταλλαγὴν τεσσάρων ἐτῶν ἤδη παρεληλυθότων*, vides ut hic denos annos, Josephus pro singulis annis computat. Quod autem duodecima anni quoque, hoc est mensis, ipse dicatur annus, testis est Plinius, qui annum Ægyptiis senio lunæ determinari dicit. Hinc & apud Romanos annus ab initio in decem partes divisus fuit; postea vero in duodecim. Sed ad corum redeamus. Decima cori dicitur corus, sicut ostendimus ex Josepho, & tales coros intelligere debemus Numeri undecimo, *vers.* 18. 19. 20. ubi de coturnicibus scribitur. Sed præstat integrum locum hic adscribere. Dixit Dominus ad Mosen: Populo quoque dices, sanctificamini, cras comedetis carnes; ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis non uno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & infra, *vers.* 37. Surgens ergo populus, toto die illo, & nocte, ac die altera, congregavit coturnices, qui parum decem coros. Hactenus verba Scripturæ. Decem cori parvi, id est, decimæ efficiunt unum corum integrum, sex aut decem medimnorum: sed esto efficiant sex medimnos, decem parvi cori: Sex medimni frumenti sufficere possunt in mensem alicui cum familia, quatuor enim modii apud Romanos, antiquitus dabantur in mensem servis, ut scribit Donatus, & militibus, ut Polybius testatur de Romana militia, unde sex medimni qui modios triginta sex efficiunt, sufficere possunt in mensem novem hominibus. Quod si frumenti sex medimni sufficiunt novem hominibus in mensem; multo magis, sex medimni carnis, possunt sufficere. Nec enim homo, quotidie tantum carnis comedere potest quantum panis. Quod si quis hoc loco decem coros, non decimas cori, sed integros coros velit intelligere, vide quam sensus non quadrabit cum verbis scripturæ. Decem cori senum medimnorum, sexaginta medimnos Atticos efficiunt; quæ summa, non in mensem, sicut scriptura dicit, sed in annum sufficeret alicui cum familia. Multo magis autem, si coros majores intelligamus. Hanc igitur absurditatem Hebræi vitare volentes, ignari corum decimam cori quoque dici, pro decem gomor, decem cumulos interpretantur, nihilominus absurde: quid enim certi hæc expositio affert? Omnino enim scriptura, cum dicit decem coros, certum aliquid his verbis indicare voluit, quare cum dicitur, qui parum, decem coros, decem coros, intelligemus parvos, nempe decimas; quæ sex medimnos Atticos efficiunt. Decima cori sex medimnorum, fere tres modios Atticos, quos illi hecteas vocant, & semissem capit. Majoris autem cori decima est medimnus Atticus, duo Cracovienses coreti. Sed de cori decima hactenus.

Duodecima cori, Hebræis dicitur epha, Ægyptiis autem œphi, sicut Septuaginta transferre solent. Ægyptia enim videtur hæc vox, non Hebraica. Sic enim ut plurimum Ægyptiorum vocabula, desinunt in i. Sicut videre est in iis quæ apud autores leguntur voces Ægyptiæ, quas proinde Græci in *is* vel in forma Græca; efferre solent, unde Hesychius quoque œphin, juxta formam Græcam dixit, œphin, inquit, est mensura Ægyptia, quatuor chœnicum. Hinc discimus Ægyptiis hanc vocem fuisse in usu, a quibus, ut puto, ad Hebræos pervenit. Porro chœnices quatuor, sunt duodecima pars medimni. Medimnus enim, pro quantitate sui, quadraginta octo chœnices continet. Sed ad Hebraicam epham redeamus. Epha, ut Hieronymus testis est; tres capit modios, id est, semimedimnum, quod quidem ex Jose-

pho videtur hausisse Hieronymus. Josephus enim assaron mensuram, hoc est, decimam partem ephi, septem cotylas Atticas capere testatur, libro Antiquitatum tertio, hoc est, duos chœnices Atticos, & trientem; unde decem assarones, seu epha, septuaginta cotylas Atticas, hoc est, viginti tres chœnices, & trientem efficiunt, quæ mensura semimedimno Attico, duobus tantum cotylis est minor; nam viginti quatuor chœnices, semimedimnum efficiunt; & XLVIII. medimnum. Duæ igitur ephæ, Attico medimno, quatuor cotylis tantum, hoc est, chœnice, & triente minores erunt. Atque ita duodecim ephæ, efficient corum, sex medimnos Atticos capientem, modio tantum uno deficiente: quæ supputatio, ut vides, ad unguem convenit cum illa superiori, de septuaginta coris. Quod igitur epha, sit duodecima pars cori, satis, ut puto, evidenter ostendimus. Epham Septuaginta interdum exponunt œphi, interdum, τρία μέτρα, id est, tres mensuras: unde quod habetur *Exodi* XVI. *vers.* 36. Gomor autem est decima pars ephi, Septuaginta transtulerunt, τὸ δὲ γομὸρ τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων ἦν. Hoc est, Gomor autem, decima pars trium mensurarum erat. Et Esaiæ quinto, *vers.* 10. pro eo quod in Hebræo legitur, Sementis homer faciet epham: Septuaginta transtulerunt. Qui seminat artabas sex, faciet mensuras tres: ὁ σπείρων ἀρτάβας ἕξ, ποιήσει μέτρα τρία. Gomor seu corum exponunt sex artabas: Epham vero tres mensuras. Sic igitur & nostra translatio, pro epha, frequenter tres modios habet, translationem Septuaginta in hoc sequuta. Septuaginta enim, pro modio, mensuram dicunt, propterea, quod modius Hebræis mensuram sonat; non enim modius Græca vox est, sicut nec mina, nec cadus, nec lagynum seu lagena. Sed hæc, & similia a barbaris pervenerunt ad Græcos. Quærendum autem est hoc loco, quo nomine istæ tres mensuræ, seu modii epham constituentes vocentur apud Hebræos. Chaldaica igitur paraphrasis docet, sata vocari tres hujusmodi mensuras, seu modios. Nam Exodi sedecimo, *vers.* 36. quod Septuaginta transtulerunt; Gomor autem, decima pars trium mensurarum fuit; Chaldaica paraphrasis ita habet: Gomor autem (inquit) est unum de decem, in tribus satis. Quorum verborum sensus est; Gomor esse unam de decem mensuris, quæ tribus continentur satis. Hoc loco paraphrastes Chaldæus, ut vides, epham, seu tres mensuras, vocat tria sata. Quin & Septuaginta passim satum interpretari solent, μέτρον, id est, mensuram seu modium, & tria sata. *Gen.* XVIII. 6. τρία μέτρα interpretati sunt, eodem modo, quo epham solent interpretari, ut jam nemini dubium esse possit, epham tria sata efficere, ita ut satum sit tertia pars ephæ, id est, modius Atticus, seu Romanus. Si igitur corus, ut jam probavimus, duodecim capit ephas, & epha tria sata; sequitur corum triginta sex continere sata. Atque, ut in compendium reducamus ea, quæ diximus, Decima cori dicitur corus, & duodecima cori dicitur epha. Epha dividitur in tria sata, & decima pars ephæ, dicitur Gomor, seu assaron. Gomor autem, id est, decima ephæ, apud Hebræos non iisdem litteris, quibus Gomor, hoc est, corus scribitur. Nam Gomor pro coro, per aspirationem scribitur homer: Gomor autem, id est, assaron, sine aspiratione per literam ain. Epha ad corum parvum, qui est decima cori, eam proportionem habet, quam habent decem ad duodecim: unde si epha decem assarones continet, corus, hoc est, decima cori, continebit duodecim. Divisionem in minutiora persequi non possumus. Interim autem monendus est lector, quod pro magnitudine cori, est partium cori magnitudo: ut exempli caussa, Corus sex medimnorum, decimam habet, tres modios Romanos fere, & semissem, nempe duodecim assarones continentem. Corus autem major, decimam habet sex modios Romanos, hoc est, medimnum capientem. Eadem ratione corus sex medimnorum satum habet modium Romanum capiens. Corus autem decem medimnorum satum, hoc est, tricesimam sextam partem habebit, aliquanto majorem sesquimodio, &c. Sciendum item est, quod sicut talentum diximus, dividi non solum in decimas & duodecimas, sed etiam in quintas, & sextas: ita Corus, præter prædictam divisionem, etiam in sextas dividitur. Nam sextas in mensuris Hebraicis annotare potuimus, quintas non item. Sexta minoris cori est artaba Hebraica, nempe medimnus Atticus, eadem cum decima cori majoris; unde si decima cori dicitur corus; sequitur, & sextam quoque dici corum, cum sexta minoris cori eadem sit cum decima majoris. Sic igitur, & artaba, seu medimnum, dicitur corus. Majoris autem cori sexta, sunt decem modii Romani. Major enim corus, decem Atticos, seu Romanos medimnos capit, qui sunt sexaginta modii. De sexaginta igitur sexta pars sunt decem modii, quæ mensura eadem ratione, corus seu homer dici-

citur. Hujus menſuræ decima, erit modius *Ezech.* XLV. *verſ.* 11. juxta translationem Septuaginta: ita legimus; Decima pars Gomor menſura. Menſuram autem Septuaginta, ſicuti diximus, ſolent vocare medium. Sic igitur intelligemus, decima Gomor ſeu cori eſse modium. In Hebræo autem habetur decima pars Gomor epha. Sciendum igitur eſt, quod Septuaginta epham interdum transferunt ephi, interdum tres menſuras, ſicuti diximus; interdum etiam, ut hic menſuram, hoc eſt, modium, quo ſecutus autor translationis noſtræ epham interdum ephi interpretatur, interdum tres modios, interdum etiam modium, ut *Levitici* XIX. *verſ.* 36. quod habetur in Hebræo epha juſta, & hinc juſtus, noſtra translatio habet modius juſtus, & ſextarius juſtus. Videtur enim corus antiquiſſimus, fuiſſe duodecim medimnorum, qui ad minorem duplam haberet proportionem, ſicut talentum ſanctuarii, quod antiquiſſimum conſtat fuiſſe, duplam habuit proportionem ad talentum minus publicum. Hujus autem cori ſexta fuerit duo medimini, id eſt, duodecim modii. Atque ex eo modius, ſeu ſatum ephæ nomen accepiſſe videtur, quod ſcilicet eſſet duodecima pars Gomor, ſeu cori duos medimnos capientis, & poſtea etiam idem nomen retinuiſſe, etiamſi poſtea decima Gomor non duodecima eſſet. Atque ex hoc loco Ezechielis non intellecto, Judæorum Rabini dicunt epham decimam partem cori eſſe menſuræ magnæ, neſcientes vocem Gomor, & ephæ varie in ſcriptura accipi. Sed & locus ille Ezechielis, non alium ſenſum requirit, quam quem habet translatio Septuaginta. Præcipitur enim illic de menſuris & ponderibus, quibus pauperes circumveniebantur a divitibus, nempe de parvis, id quod ſatis arguunt & pondera, quæ illic nominantur, nempe xx. oboli, xv. ſicli, xx. ſicli, xxv. ſicli. Vides hic nullam mentionem fieri magnorum ponderum, ſed tantum parvorum, quibus tenues quotidie circumveniebantur. Sed locum illum *Ezechielis cap.* XLV. 10. 11. 12. hic apponemus, juxta translationem Septuaginta. Ζυγὸς δίκαιος ϗ μέτρον δίκαιον ϗ χοῖνιξ δίκαια ἔςω ὑμῖν τȣ̃ μέτρȣ, ϗ χοῖνιξ ὁμοίως, ϗ ἔςαι τȣ̃ λαμβάνειν τὸ δεκατὸν τȣ̃ γομόρ χοῖνιξ, ϗ τὸ δέκατον τȣ̃ γομόρ τὸ μέτρον, πρὸς τὸ γομὸρ ἔςαι ἴσον, ϗ ςάθμιον εἴκοσιν ὄβολοι, εἴκοσι σίκλοι, πέντε ϗ εἴκοσι σίκλοι, δέκα ϗ πέντε σίκλοι ἔςαι ὑμῖν: id eſt, ſtatera juſta, & menſura juſta, & chœnix juſtus ſit vobis menſuræ & chœnix ſimiliter: & erit ut accipiat decimam Gomor chœnix, & decimam Gomor menſura, ad Gomor erit æqualis, & appendiculum (ςάθμιον ſignificat autem ponduſculum, quod lancibus imponitur, *gevvibt*) viginti oboli, viginti ſicli, quinque & viginti ſicli, decem & quinque ſicli erit vobis. Sic legitur hic locus apud Septuaginta, in exemplaribus vulgatis Græcis. Apud Hieronymum autem, ita legitur translatio Septuaginta: Statera juſta, & menſura juſta, & chœnis juſtus erit vobis ad menſuram, & chœnix ſimiliter, unus erit ad accipiendum. Decima pars Gomor chœnix, & decima pars Gomor ephi. Gomor erit æquum, ad pondus viginti oboli, viginti ſicli, quinque & viginti ſicli, & quindecim ſicli mina erit vobis. Tranſlationem igitur Septuaginta, & Græcam poſuimus, & ex Hieronymo Latinam, ut altera lectio poſſit ex altera emendari. In Hebræo itaque quod Septuaginta tranſtulerunt, menſura habetur epha: unde epham accipiemus hoc loco, pro modio, nempe, pro decima parte Gomor, ſeu cori decem modiorum, pro chœnice autem in Hebræo legitur bath, quæ vox de menſuris liquidorum tantum dicitur. Neque enim vel in ſcriptura, vel apud autorem quemquam exſtat mentio bathi aridorum menſuræ. Sed & locus Ezechielis poſtulat, ut bath intelligamus hoc loco menſuram liquidorum: præcipitur enim hic de ponderibus, & menſuris, quibus pauperes circumveniebantur: circumveniuntur autem menſuris, non ſolum aridorum, ſed & liquidorum, puta olei, mellis, vini &c. quapropter alterum Gomor hic intelligemus menſuram liquidorum, cujus decima eſt bath, ſeu chœnix menſura parva liquidorum, etiamſi chœnix apud Græcos de aridis fere dicitur. Sed Septuaginta abuſi ſunt hac voce, certa de cauſſa, ut poſtea dicemus. Quod autem Gomor fuiſſet menſura liquidorum, & bath decima ipſius, eodem capite *verſ.* 13. 14. apud Ezechielem legitur, juxta translationem Septuaginta: ϗ αὕτη ἡ ἀπαρχὴ ἣν ἀφοριεῖτε ἑκτὸν τȣ̃ ὕφι ἀπὸ τȣ̃ κόρȣ τȣ̃ πυρȣ̃ ϗ ἑκτὸν τȣ̃ ὕφι ἀπὸ τȣ̃ κόρȣ τῶν κριθῶν, ϗ τὸ πρόςαγμα τȣ̃ ἐλαίȣ ἀπὸ δέκα κοτυλῶν, ὅτι αἱ δέκα κότυλαι εἰσὶ γομόρ: id eſt, & hæ ſunt primitiæ, quas ſeparabitis, ſextam partem ephi de coro tritici, & ſextam partem ephi de coro hordei, & præceptum olei de decem cotylis, quia decem cotylæ ſunt Gomor. Quod hic dicitur decem cotylas eſſe Gomor, in Hebræo habetur, decem bath ſunt homer ſeu Gomor: unde homer ſeu Gomor, fuiſſe etiam menſuram liquidorum, decem bath ſeu cotlyas capientem, ex hoc loco manifeſte diſcimus,

etiamsi Rabini multiplicem acceptionem bath & Gomor ignorantes, longe secus hæc intelligant, quorum errorem etiam nostri sunt imitati; qua de re plura dicemus, cum de mensuris liquidorum tractabimus. Nunc autem postquam de majori & minori coro diximus, & item de cori partibus, superest ut de regio quoque dicamus coro: apparet enim reges antiquitus pondera & mensuras suas habuisse, quæ peculiari nomine Regiæ dicebantur, nec id apud Hebræos solum, sed & apud alias gentes regibus usu venisse credendum est. Nam & Herodotus scribens de rebus Persicis cubiti quoque regii meminit, quem vulgari cubito dicit majorem tribus digitis fuisse. Majores mensuræ apud Hebræos regiæ peculiariter dictæ, sicut & pondera, sesquiplam habuerunt proportionem ad minores mensuras, quas minores communes cum aliis suæ gentis hominibus habuerunt. Batus regius major sesquibatum minorem capiebat, sicut ostendimus inferius. Sic igitur & de aridorum mensuris sentiendum est. Corus major regius sesquicorum capiebat minorem. Unde corus major novem medimnorum erit. Quam autem proportionem corus ad corum, eam & partes cori unius ad partes alterius habuerunt, verbi gratia: Satum minoris cori capiebat modium, ergo satum majoris cori sesquimodius fuit. Quod autem fuisset satum sesquimodium capiens Italicum seu' Romanum, testatur Josephus libro Antiquitatum nono. Ex parte autem totum cognoscitur, & ex toto pars, sicut de ponderibus quoque diximus.

De Coro Ægyptio.

SIcut talentum Ægyptium ad talentum minus Hebraicum, eam proportionem habuit, quam habent octo ad sex; ita & corum Ægyptium, eandem proportionem habuisse ad minorem corum Hebraicum, credere debemus: colligitur id ex mensuris Græcorum, qui sicut ponderibus, ita & mensuris Ægyptiorum usi sunt, fac enim corum Ægyptium, octo medimnos Atticos capere; sexta pars fuit sex modii. Octo enim medimni Attici efficiunt modios quadraginta octo, quorum sexta pars sunt octo modii, Siculus medimnus videlicet, qui Atticum medimnum duobus modiis superabat, sicut patet ex illo Josephi loco, quem superius citavimus, ubi triginta Siculi medimni & quadraginta Attici pro eodem numerantur. Si enim triginta Siculi quadraginta Atticos valent, sequitur Siculos tres valere quatuor Atticos. Atque ita Siculus medimnus capiet Atticum medimnum & trientem, hoc est, hecteas Atticos seu modios Romanos octo, qualem medimnum Atheniensibus etiam in usu fuisse testatur Cornelius Nepos XXV. II. 6. cum scribit a Pomponio Attico frumentum Atheniensibus fuisse donatum, ita ut singulis VIII. modii darentur: VIII. enim, non VII. in emendatioribus exemplaribus legitur nominatim, quæ Venetiis apud Paulum Manutium sunt excusa. Et addit Nepos, qui modus mensuræ medimnos Athenis appellatur. (*) Sed & Aristophanes cum introducit quendam,

(*) Joan. Savaro & Beurerus legunt vii. *modii*. Sed Faernus hunc locum recte restituit vi. *modii* cum antea etiam pro *modiis* legeretur *modius*. Ceterum mecum selectæ eruditionis viri Johan: Andr. Bosius & Henr: Ernstius non solum hunc Nepotis Cornelii locum in notis suis egregie explicarint: verum etiam illud ipsum præsentis libri argumentum; non ab re erit verba illorum hic repetere ex optima, quam laudatus nobis Jenæ Bosius dedit editione M. DC. LXXV. in 8. quippe quæ hic in paucorum manibus versatur, & ut Germanica ob non nitidam, cui impressa, cartam imperite contemnitur. *Sex modii*, ita *inquit Ernstius* in notis, Faernus hunc locum restituit. Alii legunt vii. quomodo etiam in MS. Medic. II. inveni. sed male, idque propterea, quod autor paullo post ipse dicat, cum modum mensuræ medimnum Athenis adpellari. Jam vero Suidas docet, medimnum esse mensuram aridorum discretorum modios sex continentem. Error autem hic inde natus, quia in nonnullis libris editis & MSS. pro *modus* corrupte legitur *modius*, quod etiam in MSS. Medic. I. reperi. Suidæ adstipulantur Fannius *de Amphora* scribens, item Budæus de Asse *lib.* v. Et Georgius Agricola *lib.* II. de mensuris Græcorum. Sed Caspar Waserus *lib.* II. Antiquarum mensurar. *cap.* VII. Sect. III. ea non de medimno Attico, quem vult præter sex modios completos capere XIII. libras, & trientem libræ amplius, sed Siculo majori accipit. Hæc Ernstius. *Bosii verba hæc sunt*. *Septem modii* sic edd. vett. & MSS. Manutii, Gifanii, Schotti, Leid. & Medicæus II. Sed quoniam e Cicerone Verrin. III. *cap.* XLV. XLVI. & XLIX. Fannio, Ausonio, Suida, aliisque veterum constat medimnum continuisse sex modios, idcirco totidem & heic rescripsere cum Georg. Agricola. *lib.* II. de mensur. & ponder. Græc. ac Rom. Manutius, Faernus, Ursinus; eamque lectionem pro vera recepere Lambinus, & quotquot post eum Nepotem edidere, ceteri. Verum non idem medimnorum omnium modus, sicuti nec modiorum, fuit. Autori veteri de Mensuris inter Autores finium regundorum a Rigaltio edito *pag.* 335. *modii quinque medimnum faciunt*. Isidoro quoque XVI. Origin. XXV. *Medimnum est mensura modiorum quinque*: Quæ Jac. Capellus *lib.* de mensuris cubicis definit: LVIII. de medimno & modiis Hebræoum: Salmasius Epist. LXVII. de Paphio, sive Cyprio accipit. Erant & Siculi, majores Atticis. De illis haut dubie Cicero loquitur. Quos ceteri designent, non æque in aperto est. At noster Nepos sine dubio de Atticis loquitur. Quibus plerique quidem recentiorem sex modios dant, etiam Salmasius, testem advocans Africanum, qui hoc accuratissime persequutus sit: Sed intelligunt Italicos sive Romanos. Noster autem Nepos fortassis Atticos. At medimnum Atticum diserte septem modiorum facit Varinus Phavorinus in Commentario Græcæ Linguæ: Μέδιμνον, τὸ μόδιον ἢ μέτρον Ἀττικὸν, γινόμενον μόδιον ἑπτὰ, ἤτοι τεσσαράκοντα ὀκτὼ χοίνικες. Ubi Capellus *modios* de Romanis accipit; addit tamen, *id præcise verum* non

etiam-

dam, dicentem, quod sibi cypsele sex medimnorum injecto lapide fracta esset, videtur cypselen sex medimnorum dixisse ad differentiam alterius, nempe, quæ esset octo medimnorum. Athenienses enim usi sunt Ægyptiis ponderibus, & mensuris liquidorum, ut inferius docebimus: proinde non mirum quod & aridorum Ægyptias mensuras habuerint in usu. Hieronymus super Esaiam, mensuram sex artabas Ægyptias capientem, dicit viginti modios esse, quod utique Hieronymus, ut solet ex Græco quopiam accepit autore, qui hoc ita docuit modios accipiens eos, qui quinque medimnum efficiunt, & tales viginti efficiunt quatuor medimnos, corum videlicet minorem Ægyptiorum, eam proportionem habentem ad corum majorem, quam talentum minus habuit ad talentum majus. Diximus enim talentum minus Ægyptium semissem fuisse talenti majoris, unde & corus minor erit semis majoris cori.

Ita & apud Hebræos fuit semissis cori lethech dicta, cujus mentio fit apud Oseam prophetam *cap. tertio* 2. quam mensuram Epiphanius etiam Gomor vocatam tradit. Rabbini lethech, sicut & Epiphanius, dimidium corum interpretantur, sed cujus cori dimidium sit lethech, nec ex translatione Septuaginta, nec ex Josepho constat. Probabile tamen est, majorem corum propter magnitudinem dimidiatum fuisse, ita ut lethech quinque medimnos caperet Atticos, seu, quod idem est, decem ephas ternorum modiorum. Atque ita epha esset decima pars Gomor seu cori, qui dicitur lethech, sed hæc affirmare omnino non possumus.

Cabus mensura fuit quatuor sextarios capiens; quartam enim partem cabi, cujus fit mentio quarti *Reg. cap.* VI. 25. Josephus xestem, hoc est, sextarium interpretatur. Hanc ego mensuram puto, cujus Xenophon libro primo Anabaseos meminit, cum dicit capithen farinæ binis siclis venalem fuisse. Capithe autem (inquit Xenophon) duos chœnices Atticos capiebat. Sicli vox arguit, & capithen vocem Hebræam Chaldeamve esse, etiamsi detorta sit ad Græcam formam, sicut schecel forma Græca dicitur siclus, seu, ut Xenophon dicit, siglus. Porro duo chœnices quatuor xestas, id est, sextarios efficiunt. Sed hæc hactenus.

Diximus superius, antiquos mensurarum suarum modos, non sine respectu temporis instituisse. Corus Ægyptius, quem diximus octo medimnos capere, præter alia etiam in hoc videtur institutus, ut esset cibus unius hominis in annum integrum. Quatuor enim modii Attici sufficiunt uni in mensem: unde quadraginta octo modii, corus videlicet Ægyptius, in duodecim menses sufficient uni. Habet sua commoda & corus sex medimnorum. Satum, quod diximus esse modium Romanum, sufficere potest hominibus octo in unum diem. Modius enim octo chœnices continet, & chœnix frumenti est diurnus hominis cibus: ita satum sufficere potest homini cum familia non magna in unum diem. Cui autem satum in diem sufficit, huic corus in annum, hoc est, decimam anni sufficiet. Annus enim, id est, decima anni, sicut inferius ostendemus, sunt triginta sex dies, quod sata corum diximus continere. Quod si quis frumenti non trientem ephæ, hoc est, satum, sed trientem cori parvi, hoc est, quatuor assarones singulis diebus cum familia absumat, hic corum, hoc est, sex medimnos in annum, id est, mensem absumet: corus enim, sicut diximus, dividitur in decem coros parvos: quos rursus si in trientes dividas, erunt triginta trientes, quot videlicet dies mensis habet. Ægyptii enim, sicut Herodotus tradit, omnes menses tricenum dierum faciunt, unde sequitur, annum illis esse trecentorum sexaginta dierum. Duodecim enim menses si per triginta multiplicentur, efficiunt CCCLX. & tot gradus sunt Zodiaci, quem sol peragrans annum conficit. Verum quoniam sol intra trecentos sexaginta dies, cursum suum non consummat, ideo adjiciunt Ægyptii alios quinque dies extraordinarios, qui & intercalares ab illis vocantur, ut idem Herodotus scribit, Dio-do-

---

non esse. Waserus II. de mensur. Hebræor. VII. 3. scribit; *medimnum Atticum præter sex modios completos capere libras* XIII. *cum triente*. Atqui modius Romanus pendebat, ut volunt, libras (tritici scilicet) XX. Non male ergo medimno septem modii tribuentur. Sed omnis istarum mensurarum ratio nondum satis expedita est. Quæ cum ita sint, revocandam censui priscam lectionem, præsertim in tanto librorum consensu. Possis & *modum mensuræ* de singulis modiis accipere, non de septenis: nam aliquando *ἰσοδυναμοῦσι modius* & *medimnus*: etsi id hoc loco fretus negat Gonsalius ad Petronium *pag.* 148. & Salmasius l. c. Diserte Hesychius: *Μεδιμναῖον μέτρον μοδίου· Μέδιμνον μέτρον ὅμοιον·* (non opus cnm Guyeto addere *μοδίῳ·*) Et alibi: *Διμέδιμν, μέτρον χωροῦν δύο μοδίους·* Idem e Cicerone conatur elicere Capellus l. c. definit: XLI. Quin & definit: LXVIII. vexatissimum Josephi locum fine *lib.* III. Antiquit. sic accipit: ut *μεδίμνου* vox pro modio sumatur. De quo nos plura ad eum locum. Hactenus Bosius. Alexander ab Alexandro *lib.* II. *cap.* XX. ita distinguit, ut modios quidem sex medimnum facere: Atheniensem autem medimnum septem modiis constare dicat.

dorus Siculus, Dion & Gaza. Quod vero extraordinarii esent hi quinque dies, nec in annum, partesve anni computarentur ab Ægyptiis, docet Plutarchus etiam in libello, quem de Iside & Osiride scripsit, fabulam quamdam super ea re referens, nempe Solem imprecatum esse Rheæ: μήτε μηνὶ μήτε ἐνιαυτῷ τεκεῖν, hoc est, ut nec mense nec anno pareret. Atque Mercurium ea de caussa Lunæ hos quinque dies taxilorum lusu ademisse, & Rheam ita in iis peperisse: quos dies, inquit Plutarchus, nunc Ægyptii intercalares vocant, & natalitios deorum celebrant. Quod autem Hebræi in civilibus negotiis rationem mensium Ægyptiorum observassent, docet Josephus in Antiquitatibus. Annus igitur, id est, duodecima anni pars, triginta dies sunt. Annus vero, hoc est, decima anni, sunt triginta sex dies; de trecentis enim & sexaginta decima pars est triginta sex, duodecima autem pars triginta. Qui ergo, sicuti diximus, tertiam partem cori parvi, hoc est, quatuor assarones singulis diebus absumebat, hic duodecim coros senum medimnorum absumebat per annum integrum. Cui autem satum, hoc est, modius in singulos dies sufficiebat, huic corus sex medimnorum in decimam anni partem quoque sufficiebat, & decem hujusmodi cori in annum integrum. Decem autem cori efficiunt *last* nostrum, hoc est, sexaginta medimnos seu coretos Masoviticos, qui singuli Cracovienses duos capiunt: unde nostrates quoque videntur instituisse suum *last*, ut esset annuus cibus hominis cum familia mediocri. Porro mensuras magnas, nostris *last* non dissimiles, apud antiquos fuisse ostendemus inferius. Quod ergo de coro sex medimnorum jam diximus, similia de aliis coris intelligi possunt. Poterit autem aliquis præter hæc, & alia eodem pertinentia, per se investigare. Nos autem postquam de his quoque lectorem admonuimus, ad alia transibimus.

De Mensuris Liquidorum.

Bathus inter liquidorum mensuras, quarum in sacris libris fit mentio, maxima fuit. Bathus apud Hebræos, sicut & corus, fuit major & minor & præter hos etiam bathus regius, eam proportionem inter se habentes, quam pondera & mensuras aridorum habuisse diximus. Paralipomenon *libro* II. *cap.* IV. *vers.* 5. vas quoddam a Salomone rege factum, quod & mare propter capacitatem dictum est, scribitur ter mille bathos capere. Regum autem historia in III. *lib.* *cap.* VII. 26. idem vas, bis mille bathos capere tradit: unde manifeste bathi ad bathum sesquiplam fuisse proportionem discimus. Septuaginta, quos & nostra translatio sequitur, in Regum libris mille bathos transtulerunt; in libris vero Paralip. Ter mille metretas, minorem bathum metretam exponentes. Josephus autem ter mille bados scribit æneum mare capere, *lib.* VIII. *cap.* II. paulo autem superius eodem capite docet, badum mensuram esse septuaginta duorum sextariorum, cum scribit Salomonem Regem quotannis Tyriorum Regi misisse bis mille coros tritici, & totidem badus olei & vini. Badus autem (inquit Josephus) potest capere sextarios duos & septuaginta. Et si quidem Josephus post hanc interpretationem bathi, dixisset mare æneum bis mille bathos capere, sicut in libris Regum scriptum est; intelligeremus bathum Regium majorem fuisse septuaginta duorum sextariorum. Nunc autem non dua millia, sed tria millia dixit, sicut liber Paralip. habet. Necesse est ergo, ut intelligamus bathum minorem, septuaginta duos sextarios capere, & per consequens majorem bathum, quandoquidem sesquiplam habet proportionem, ad minorem, centum & octo sextariorum esse. Nam centum & octo sesquiplam habent proportionem ad septuaginta duo. Quod vero minor bathus septuaginta duorum sextariorum fuerit, potest etiam probari ex mensuris Atheniensium, quibus talentum minus Hebraicum, & mensuræ aridorum minores in usu fuerunt. Apud Athenienses ergo, sicut pondera duplicia, ita & mensuræ duplices fuerunt. Attica amphora capiebat amphoram Romanam, & semisem, sicut manifeste illa carmina docent.

Attica præterea dicenda est amphora nobis
Seu cadus, hanc facies nostræ si adjeceris urnam.

Amphora Romana, sicut supra *col.* DCX. ex Budæo docuimus, capiebat sextarios XLVIII. urna autem viginti quatuor. Si ergo quadraginta octo addas ad viginti quatuor, habebis septuaginta duos sextarios: Atticam videlicet amphoram, eamdem, ut vides, cum batho Hebraico. Ac ne quid dubites a barbaris ad Græcos hanc mensuram pervenisse, cadi vox te admonet. Cadus enim sicut & bathus Hebraica vox est, cad, & significat interdum hydriam, id est, vas quo aqua e puteo hauritur, Genesis XXIV. *vers.* 14. in qua significatione apud Græcos nonnunquam usurpa-

patur; unde apud Plutarchum περὶ ἀδολεσχίας legimus, Socratem post exercitium corporis, quando maxime sitire solet homo, cadum aquæ quem primum hauriret, effundere in terram solitum, ut hoc modo appetitum assuesceret rationi obtemperare. Cadum Josephus nonnunquam interpretatur amphoram. Sic hydria apud Græcos, quamvis proprie significat vas, quo hauritur aqua; unde & nomen ab aqua habet. Sæpe tamen accipitur pro mensura vini, sicut ex Polluce, & aliis autoribus notum est. Attica igitur amphora, sicuti ostendimus, Romanam amphoram & semissem, hoc est, tres urnas capiebat. Medimnum autem capiebat quatuor urnas, hoc est, duas amphoras Romanas, eam proportionem habens ad amphoram trium urnarum, quam talentum majus ad talentum minus habuit, hoc est, quam tria ad quatuor, & sex ad octo habent. Sic ergo Athenienses habuerunt amphoram seu cadum, qui responderet talento minori; & medimnum, quod responderet talento majori: unde colligitur, quod sicut talentum minus Atticum, idem fuit cum talento minori Hebraico; ita & mensura liquidorum minor Attica, respondens talento minori, eadem fuit cum mensura liquidorum Hebraica, minori itidem talento respondente. Quod igitur bathus septuaginta duorum sextariorum fuerit, & quod is bathus minor fuerit, satis, ut puto, liquet. Notandum autem est, quod Bathus Ægyptius, si quis eum statuat (sicut certe statuere debet) eam proportionem habere ad bathum Hebraicum, quam pondera ad pondera, & aridorum mensuræ ad aridorum mensuras habuerunt: quod, inquam, bathus is erit æqualis mensuræ aridorum, quæ est apud Hebræos sexta pars cori minoris. Talentum enim Ægyptium continet Hebraicum talentum semel, & trientem insuper ipsius, & corus Ægyptius, quem octo medimnos Atticos capere diximus, continet corum Hebraicum minorem itidem semel & trientem ipsius: fac igitur & bathum Ægyptium, qui bathum minorem Hebraicum capiat semel, & trientem, hoc est, septuaginta duos sextarios, & item sextarios viginti quatuor. Nam viginti quatuor, sunt tertia pars de septuaginta duobus: Septuaginta duo, inquam, cum viginti quatuor efficiunt nonaginta sex sextarios, medimnum videlicet Romanum & Atticum, qui idem fuit cum sexta parte cori Hebraici minoris. Sic ergo bathus Ægyptius, cum sexta parte cori minoris Hebraici coincidit; unde Athenienses medimnum aridorum Hebræis debent seu Phœnicibus: Medimnum autem liquidorum Ægyptiis, etiamsi eæ mensuræ æquales inter se reperiantur. Bathus minor Hebraicus, sicuti diximus, septuaginta duos sextarios capiebat, & regibus etiam in usu fuit. Sicut locus Josephi, quem paullo ante citavimus, arguit: alter autem bathus regius peculiariter dictus, qui sesquiplam ad hunc proportionem habuit, centum & octo fuit sextariorum. Publicus autem bathus major, si eum statuemus proportionem eam habere ad bathum minorem, quam corus major habuit ad corum minorem, centum & viginti sextariorum haud dubie fuit. Sic enim decima hujus erit sexta illius, duodecim videlicet sextarii, sicut decima cori majoris est sexta pars minoris. Quod autem bathus centum viginti sextariorum fuisset, apud Hebræos colligitur ex Josepho, qui in vita sua scribit de Johanne quodam veteratore homine, qui a Josepho rex Galileæ tunc administrante, petiit, ut oleum sibi extra fines liceret exportare, propter Judæos, quibus oleo a gentibus facto uti nefas esset. Hæc autem (inquit Josephus) non religionis, sed turpis lucri gratia faciebat; sciebat enim Cæsareæ Philippi duos sextarios olei drachma una venire: Gischalis autem, quæ patria Johannis fuit, octoginta sextarios drachmis quatuor. Rursus de bello Judaico Josephus eadem de re ita scribit: Coemens (inquit) Johannes Tyrio numismate, quod quatuor drachmas Atticas valet, amphoras olei quatuor, eodem pretio amphoræ dimidium venundabat. Quod ibi dixit octoginta sextarios, quatuor drachmis; hic, Tyrio numismate, quod quatuor Atticas drachmas valet amphoras quatuor, efficiant amphoras vicenum sextariorum: unde discimus amphoram Hebræis in usu fuisse viginti sextariorum, siquidem octoginta sextarii quatuor amphoras vicenum sextariorum efficiunt. Johannes ergo quatuor drachmis in patria quatuor amphoras vicenum sextariorum emebat. Cæsareæ autem dimidiam amphoram, hoc est, decem sextarios eodem pretio vendebat, quamvis oleum Cæsareæ carius veniret, priusquam a Johanne importatum esset: & Johannes, ut puto, iis vendebat oleum, qui quæstum ex ea re quoque facturi erant. Nec enim probabile est', Johannem oleum cotulatim divendidisse. Sit ergo amphora viginti sextariorum Hebræis usitata: quærendum cujus bathi pars illa amphora fuit. Minor bathus qui septuaginta duos sextarios capiebat, non potest in hujusmodi amphoras dividi. Sed nec regius ba-

bathus, hoc eſt, centum & octo ſextarii diviſionem hujuſmodi admittit. Supereſt igitur, ut amphoram illam majoris bathi partem eſſe dicamus; is enim ſolus in hujuſmodi amphoras dividi poteſt, nempe viginti ſextarii, ſunt ſexta pars de centum viginti ſextariis. Nam quod menſuræ liquidorum antiquitus in ſextas dividerentur, ex Hieronymo etiam diſcimus, qui ſuper caput quintum Eſaiæ ſcribens, bathum (quem ex ſententia Rabinorum æqualem ephæ autumat) interpretatus eſt tres amphoras, amphoram haud dubie ſedecim ſextariorum menſuram vocans, quæ plane eſt ſexta pars medimni Attici, hoc eſt, bathi Ægyptii. Quod autem fuerit bathus ſeu metretes in Syria qui centum & viginti ſextarios caperet, docet etiam Cleopatra, & Nicandri interpres. Cleopatræ verba ſunt. Apud Syrios metretes eſt ſextariorum Italicorum centum viginti. Hujus igitur bathi ſexta pars, nempe amphora viginti ſextariorum, vocatur Gomor Ezechielis *capite* XLV. 11. 13. 14. ubi dicitur juxta translationem Septuaginta, Decima pars Gomor chœnix; in Hebræo autem legitur, decima pars Gomor bath. Si enim decimam Gomor, hoc eſt, bath ſtatuamus tantum capere, quantum chœnix capit, nempe duos ſextarios; neceſſe eſt, ut Gomor, qui in hujuſmodi menſuras decem dividitur, viginti ſextarios capiat. Ideo enim Septuaginta abuſi videntur chœnicis voce de bath, liquidorum menſura; quod hæ duæ menſuræ æquales inter ſe eſſent; & ob hoc altera alteri nomen facile communicaret. Deinde quia amphora hæc viginti ſextarios capiens, quamvis liquidorum ſit menſura, nomen tamen aridorum menſuræ habet: nam Gomor & corus de aridis potius dicuntur, ideo & decima ejus chœnix aridorum menſuræ nomine vocatur. Gomor autem hæc menſura dicta eſt, ex, eo quod bathus etiam cori nomine appellatur, ſicut videre eſt apud Ezechielem, & in libris Regum & apud Eupolemum Græcum ſcriptorem: proinde nec mirum, quod pars ejus Gomor ſeu corus etiam dicatur. Non ſolum autem ſexta bathi, ſeu cori liquidorum vocatur Gomor, ſed & duodecima eodem nomine appellatur, ſicut inferius dicemus. Quemadmodum enim de ponderibus diximus, quod ſexta pars talenti & duodecima vocatur talentum; quin & decimæ eorum, talenta quoque dicuntur: Ita & bathi ſeu cori ſexta & duodecima vocantur Gomor ſeu corus, & horum decimæ bathi quoque dicuntur.

De Bathi Partibus.

Bathus dividitur in ſextas, ſicut jam diximus; & præterea dividitur in decimas, & duodecimas, ſicut apud Græcos & Latinos cadus in decem congios, & amphora Attica ſeu cadus, qui idem fuit idem fuit cum batho minore Hebraico, in duodecim congios: unde corus, hoc eſt, congius dictus eſt δωδεκεύς, id eſt, duodecimarius; ſicut Heſychius teſtatur, & ſemicongium ἡμιδωδέκαιτον. Eſt autem δωδεκεύς, ſicut τελπεύς, ἐκδάς, vox Attica: unde liquet Athenienſium hanc diviſionem amphoræ fuiſſe, a quibus etiam Romani congii ſui modum habuerunt, amphoram, id eſt, ſemimedimnum in octo congios dividentes, & duas amphoras, hoc eſt, medimnum in ſedecim congios, non ſuæ amphoræ medimnive proprios, ſed alterius amphoræ, quam diximus eamdem fuiſſe cum batho minore Hebraico. Sicut enim talentum Atticum majus octoginta minas continere dicitur, non ſuas utique proprias, ſed minoris talenti minas; ſuas enim minas ſexaginta haud dubie habuit, ita & medimnum cum dicitur ſedecim congiorum eſſe, intelligemus non proprios ipſius congios, ſed minoris menſuræ congios; ſuos enim congios duodecim aut decem habuit, ſi quidem in decimas & duodecimas, & item in ſextas menſuræ antiquitus dividebantur. Decima cadi, hoc eſt, congius apud Græcos & Latinos dicebatur cadus, unde congiarius cadus dictus eſt, qui congium capiebat. Sic apud Hebræos decima bathi dicitur bathus, ſicut ex Joſepho diſcimus, qui quod in Regum libris (III. *Reg.* V. 11.) & 2. *Paral.* II. 10. ſcriptum eſt de Salomone, quod ſcilicet Tyriorum regi quotannis mitteret tritici coros viginti millia, & olei bathos viginti millia, & vini bathos, itidem viginti millia tranſtulit, ſicut diximus, bis mille coros & totidem bados olei & vini: denos coros pro ſingulis coris, & denos bathos pro ſingulis bathis accipiens. Ita tertii Regum *cap.* ſeptimo, *verſ.* 38. ubi ſcriptum eſt, quadraginta bathos capiebat luter unus, Septuaginta interpretati ſunt quadraginta congios, & Joſephus ſimiliter libro octavo; unde bathos ibi decimas bathi intelligemus, ut quadraginta bathi parvi quatuor valeant bathos, quos metretas Septuaginta vocant: & Johannes Evangeliſtas *cap.* 11.6. cum dicit hydrias capientes binas aut ternas metretas, per metretas deſignans bathos minores, qui ſinguli ſeptuaginta duos ſextarios capiebant. Convenienter igitur de-

decima bathi minoris choeus, ſeu congius dicitur, cum ſit decima ejus menſuræ, quæ metreta, ſeu cadus, ſeu amphora dicitur. Metreta enim & cadus, pro eodem accipiuntur: itidem amphoram & metretam, pro eodem interdum accipi docet Julius Pollux. Eupolemus apud Euſebium bathum Hebraicum vocat corum; & addit: Corus autem vini ſunt menſuræ decem, ὁ δὲ κόρος τȣ̃ οἴνȣ ἐςὶ μέτρα δέκα. Decem menſuras Eupolemus vocat decem parvos bathos, hoc eſt, decimas bathi, qui dicuntur congii. Diximus bathum quoque dici, ſextæ partis bathi decimam, menſuram videlicet duorum ſextariorum, quam Septuaginta chœnicem interpretati ſunt *Ezechielis* XLV. 11. 13. 14. eodem capite Septuaginta duodecimæ partis bathi nempe Gomor decimam exponunt cotylam. Atque ita ſane cadus apud Græcos nonnunquam accipitur pro parvo vaſculo, nempe pro cyatho, ſeu poculo, ſicut Athenæus docet libro undecimo, adducens etiam hos verſiculos de quodam Paſiſocle.

> Ἐξ ἠȣ̃ς εἰς νύκτα καὶ ἐκ νυκτῶν Πασισοκλῆς
> Εἰς ἠοῦν πίνει τετρακοσίοισι κάδοις.

id eſt, de luce in noctem, & de nocte in lucem, Paſiſocles quadringentis bibit cadis. Ex prædicto autem loco Ezechielis male intellecto, Hebræorum Rabini, quos etiam Latini ſcriptores ſequuntur, ſtatuunt bathum decimam partem eſſe Gomor, id eſt, cori menſuræ magnæ aridorum, cum bathus cori ſit octava pars, non decima; ſicut ex iis, quæ ſuperius diximus, conſtat. Sed is error Hebræis evenit, ex eo quod bathi & Gomor, multiplicem acceptionem in ſcriptura ignorarent.

Hin menſuram, cujus mentio fit frequens in libris Moſi; Septuaginta χȣ̃ν interpretantur, *Levitici* XIX. 36. ubi præcipitur ut ſint ſtateræ juſtæ, epha juſta, & hin juſtus. Sic enim habetur in Hebræo. Septuaginta autem tranſtulerunt, ζυγὰ δίκαια καὶ μέτρα δίκαια καὶ χȣ̃ς δίκαιος, id eſt, ſtateræ juſtæ, menſuræ juſtæ, & chus juſtus. Noſtra translatio habet, modius juſtus æquuſque ſextarius. Hieronymus ſuper *Ezechielem cap.* IV. 12. Hin, inquit, duos choas Atticos facit, quos nos appellare poſſumus duos ſextarios Italicos, ita ut hin menſura ſit Judaici ſextarii, noſtrique caſtrenſis, hactenus Hieronymus. Hinc igitur diſcimus, quod hin, id eſt, chus Hebraicus, ſicut Septuaginta tranſtulerunt, duplo major fuit quam Atticus, ſicut didrachmum Hebraicum (ſic enim ſiclum ſanctuarii ſolent interpretari Septuaginta) duplo majus fuit, quam didrachmum Atticum. Si quidem chus Atticus, ſicut hic Hieronymus docet, ſextarium Romanum capiebat. Hebraicus autem bis tantum, hoc eſt, duos choas Atticos, ſeu quod idem eſt, duos ſextarios Romanos. Qualem etiam chun, nempe duorum ſextariorum, fuiſſe apud nonnullos Græcos, ex Suida diſcimus. Accipitur autem chus interdum pro menſura duodecim cotylarum, ſicut ſupra ex Nicandri interprete oſtendimus; unde chus interdum congium ſignificat, interdum etiam ſextam congii partem, hoc eſt ſextarium. Ad eumdem modum apud Hebræos Hin interdum ſignificat menſuram parvam, nempe duorum ſextariorum, interdum etiam magnam, & quæ parvum hin aliquoties capit. Unde Epiphanius hin capere dicit ſextarios Alexandrinos, ſi recte Vulgata exemplaria habent, novem. Sextarius autem Alexandrinus major fuit, quam Romanus, ut ex eodem Epiphanio colligitur. Rabi autem Salomon menſuram Log (quæ vox in plurali facit login, unde lagynon & lagena (*) apud Græcos nomen accepit) capere dicit ſex ova; & duodecim login efficere menſuram hin. Ovum autem genus minutæ menſuræ antiquitus fuit, ut apparet, dictum a forma ovi. Unde apud Athenæum etiam ovum inter pocula recenſetur, & ex Heſychio colligimus, cyathum formam ovi habuiſſe: quare quod legitur apud Rabinos log capere ſex ova, ego intelligo cyathos duplo majores Romanis, ut log ſit,

(*) Eruditiſſ. Jacob. Rigaltius in Phædr. I. Fab. XXVII. 8. *Lagonam* edidit, ac *lagenam*, *lagonam*, & *lagunam* ait reperiri, quod ultimum video e Marmoribus adferri, cum in veteri inſcriptione legatur apud Gruterum *pag.* DCCLXXVIII. Inſcript. L. Trophimus Aug. Lib. A Veſte Item A Laguna. In Gloſſis etiam Cyrilli eſt λάγυνος *lacuna*, ubi *laguna* legendum. Factum hoc Græcorum more, qui λάγυνος dicunt, ut cum ex adlato Gloſſarii loco, tum ex Suida conſtat. Indeque λαγυνοφορία, de qua Athenæus initio *lib.* VII. Videlicet hic itidem factum eſt, ut in aliis nominibus Græcis, in queis y in O converſum fuit. Ita a Græco νύξ, Latinum *nox*, a μύλα (quod Doricum pro μύλη) *mola*; & e λάγυνος & λαγύνιον, & quæ Pollux & Etymologus agnoſcunt, fit *lagona* & *laguna*. Etſi autem plurimum per y in veteribus libris ſcribatur, interdum tamen & per η legas λάγηνος, ut in Latinis *lagena*, quod uſitate dicitur. Quamquam vero λάγηνος, ſeu λάγυνος, & *lagena* pro *poculi genere* accipi ſoleant: tamen cum hæc poſterior ſignificatio eſſe poſſit, & Athenæus *lib.* XI. diſertim ſcribat, quoſdam velle λάγυνον Græcis eſſe *menſuræ genus*, veluti χοᾶ, & κοτύλη, plane veriſimile eſt Gerardo Joanni Voſſio *pag.* 279. a. Etymolog. λάγυνον venire a לוג, quod & ipſum eſt *menſuræ genus*. *Sextarium* transfert Hieronymus Lev. XIIII. 12. Vide ſupra *pag.* 345.

ſit, ſicut Latina translatio habet *Levitici* XIV. 12. ſextarius, qui ſex ova, id eſt, cyathos capit. Antiquitus enim ſextarius, apud alios in duodecim, apud alios in ſex cyathos dividebatur. Arbitror enim Rabinos antiquos ita ſenſiſſe, etiamſi poſteriores Judæi hoc a majoribus acceptum, de gallinaceis ovis perperam intellexerunt, amphibologia vocis decepti: nec ſcripto a quoquam hoc traditum habent, quod dicunt de ovis gallinaceis, ſed conjectura tantum utuntur. Ego vero, quod dicitur log, capere ſex ova, de ovis ipſis intelligi poſſe conceſſero, ſi quis ova grandiuſcula intelligat, qualia ſunt anſerum: teſtula enim anſerini ovi, ſextam fere partem ſextarii Romani capit, & ſex teſtulæ ſextarium Romanum. Quod autem antiqui Rabini, ſex ova ſeu log, pro ſextario acceperint, argumento eſt, quod Cabum menſuram continere dicunt, quatuor logim; legerunt enim apud Joſephum, pro quarta parte cabi ſextarium, unde cabum ipſum quatuor logim, hoc eſt, quatuor ſextarios interpretati ſunt. Nam quod ex Joſepho hoc deſumſerint Rabini, apparet etiam ex interpretatione ſati; ſatum enim capere dicunt, ſex cabos; Joſephum haud dubie ſecuti, qui ſcripſit, ſatum ſeſquimodium Italicum capere: ſi quidem ſex cabi, viginti quatuor ſextarios efficiunt, ſeu, quod idem eſt, ſeſquimodium Italicum. Quod igitur ſex ova ſeu log pro ſextario Rabini acceperunt, ſatis jam, ut puto, liquet. Septuaginta autem log interpretati ſunt cotylam a proportione, ſicut & ſiclum interpretari ſolent didrachmum, etiamſi duplo major ſit didrachmo Attico. Sic igitur & log interpretati ſunt cotylam, quod eſſet Hebraici congii, hoc eſt, menſuræ hin pars duodecima; ſicut cotyla apud Athenienſes, eſt Attici congii duodecima pars. Apparet autem log dictum eſſe quoque bath. Nam Septuaginta apud *Ezechielem* XLV. 11. 13. 14. bath decimam partem Gomor cotylam ſimiliter interpretantur, ut intelligamus eo in loco Gomor menſuram liquidorum, duodecimam partem bathi majoris fuiſſe, capientem decem cotylas Hebraicas, qui ſunt decem ſextarii Romani. Sic enim & apud Epiphanium legimus Gomor eſſe duodecimam partem bathi: ſed ad hin redeamus. Sicut apud Græcos chus pro congio, & pro ſexta congii parte, hoc eſt, pro ſextario accipitur: ita hin apud Hebræos, ſtatuemus interdum pro duobus congiis accipi, interdum pro ſexta parte duorum congiorum, id eſt, pro duobus ſextariis. Id ita eſſe, ex Joſepho etiam probari poteſt: is enim libro tertio ἀρχαιολογίας de oleo unctionis ſcribens, hin menſuram hunc in modum definit. Eſt autem (inquit) hæc menſura vernacula, duos choas Atticos capiens: μέτρον δ' ἐστιν τοῦτο ἐπιχώριον δύο χόας ἀττικοὺς δεχόμενον. Et paulo poſt de ſacrificiis, ὃδὲ ἲν μέτρον ἀρχαῖον ἑβραίων, δύναται δὲ δύο χόας ἀττικοὺς: Id eſt, Hin autem eſt menſura antiqua Hebræorum, & poteſt duos choas Atticos efficere. Bis eamdem vocem interpretatur, ut intelligamus duo ſignificata ipſius, quemadmodum choos apud Græcos duo ſignificata ſunt. Alioqui quorſum attinebat in una propemodum charta, bis eandem vocem interpretari, præſertim cum in omnibus ſuis ſcriptis Joſephus unam menſuram bis non ſit interpretatus? Quod igitur dicit Joſephus, duos choas poteſt accipi pro duobus congiis, & pro duobus ſextariis; ſed in ſuperiori loco, duos choas neceſſe eſt, ut intelligamus magnos, nempe congios; in poſteriori vero parvos, hoc eſt, ſextarios. Sic enim *Exodi* XXX. 23. 24. 25. de oleo unctionis ſcribitur: Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinamomi medium, id eſt ducentos quinquaginta ſiclos: caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii, olei de olivetis menſuram hin, facieſque unctionis oleum ſanctum unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges ex eo tabernaculum teſtimonii, & arcam teſtamenti, menſam cum univerſis vaſis ſuis, candelabra & utenſilia ejus, altaria thymiamatis & holocauſti, & univerſa ſupellectilia, quæ ad cultum eorum pertinent &c. Pondus aromatum, quæ hie recenſentur, ſunt mille quingenti ſicli ſanctuarii, id eſt, talentum Atticum ſexaginta duas libras Romanas efficiens & ſemiſſem. Ad tantum igitur pondus aromatum non convenit, ut intelligamus additos eſſe duos choas, id eſt, duos ſextarios; ſed potius duos congios intelligemus, præſertim cum totum illud confectum dicatur oleum ex quo tam multa ungenda erant. In ſacrificiis autem offerendis præceptum eſt, *Exod.* XXIX. 40. *num.* XXVIII. 5. 7. 14. *Ezech.* XLV. 24. XLVI. 5. 7. 11. 14. ut cum agno offeratur ſimilæ aſſaron, & olei quarta pars hin, cum ariete ſimilæ duo aſſarones, & olei tertia pars hin, cum bove aſſarones ſimilæ tres, & olei medium hin. Hoc loco hin parvum, id eſt, duorum ſextariorum intelligere debemus, ut videlicet ſimilæ reſpondeat oleum, alioqui quartam partem hin, id eſt, duorum congiorum tres videlicet ſextarios olei cum aſſarone ſimilæ offerri non eſt probabile. Pro-

Probabilius enim eſt cum aſſarone ſimilæ quartam partem hin, id eſt, heminam olei offerri &c. Hæc igitur eſt cauſſa, quod Joſephus vocem hin, bis in una fere charta interpretatur, nempe quod duo ſignificata ejus ſint. Alioqui ſi in poſteriori loco acciperetur, ſicut in ſuperiori; quid attinebat ſtatim eadem repetere, præſertim cum id Joſephus alias nunquam faciat?

Hin duodecim ſextariorum, tres congios, ſeu tres ollas Cracovienſes efficit.

Hin menſura duorum congiorum tantum fere capit; quantum cervifiæ groſſo in Maſovia venditur.

Hin duorum ſextariorum ſemicongium, ſeu dimidiam ollam Cracovienſem capit, in Pruſſia *ſtoff* Germanice vocatur.

Eſt autem hin menſura duorum congiorum, gnomon menſurarum magnarum, nempe minoris & majoris bathi, & item regii. Atque adeo etiam Ægyptii bathi. Minoris enim bathi, eſt ſexta pars, majoris autem decima, Regii vero nona, Ægyptii autem octava. Quemadmodum artaba Hebraica medimnum Atticum valens, minoris cori eſt ſexta pars, majoris decima, regii nona, Ægyptii octava. Sic etiam talentum numiſmaticum mille Atticas drachmas valens, minoris talenti publici eſt ſexta pars, majoris decima, regii nona, Ægyptii octava.

Sed de ſextario Hebraico, nempe de parvo hin, & item de cotyla Hebraica, quæ ad explicandum Ezechielis locum facere videntur, adjiciemus.

Diximus ſuperius eandem menſuram apud Hebræos interdum diverſis nominibus vocari, alio atque alio reſpectu: ſatum enim quod modium Romanum capit, quatenus eſt triens ephæ, vocatur ſatum; quatenus autem ſextæ partis cori eſt pars, vocatur epha: ad eundem igitur modum in liquidis, menſura duorum ſextariorum, quatenus eſt ſexta pars hin congii Hebraici, vocatur hin, hoc eſt, Chus, ſive ſextarius Hebraicus, duplo major quam Atticus chus, ſeu Romanus ſextarius: quatenus vero eſt decima ſextæ partis bathi, vocatur bathus. Itidem de menſura unius ſextarii ſentiendum eſt: quatenus enim congii Hebraici eſt duodecima pars, & choos ſeu ſextarii Hebraici ſemiſſis, vocatur log, hoc eſt, cotyla ſeu hemina Hebraica, duas cotylas Atticas ſeu heminas Romanas capiens: quatenus vero duodecimæ partis bathi eſt pars, vocatur bathus. Nec illud prætereundum, quod antiqui menſuras ſuas ita inſtituerunt, ut aridorum menſuræ haberent octuplicem proportionem ad liquidorum menſuras. Corus minor ſex medimnos capiens bathum minorem ſeptuaginta duorum ſextariorum octies capit; & major corus decem medimnorum, bathum majorem centum & viginti ſextariorum capit itidem octies: idem ſentiendum de aliis coris & bathis, idem de partibus cororum & bathorum. Hæc proportio antiquitus convenientiſſima eſt judicata, inter menſuras aridorum & liquidorum. Proinde Salomon totidem bathos olei, itemque vini Tyriorum Regi donat, quot & coros tritici: III. *Reg.* V. II. quo loco Joſephus, ſicut diximus, coros intellexit, non integros, ſed decimas cori; quapropter bathos quoque pro decimis bathi accipit: bathus enim coro, & decima bathi, decimæ cori convenienti, hoc eſt, octuplici proportione reſpondet: hinc eſt, quod in ſcriptura hin & epha conjunguntur. Levitici XIX. 36. epha juſta & hin juſtus. Septuaginta autem epham interpretati ſunt μέτρον, id eſt, modium, & hin chun, ſeu ſextarium. Sciebant enim Septuaginta, quod menſura ephæ trium modiorum non reſpondet, neque magno hin neque parvo; ideo epham, modium & hin ſextarium expoſuerunt. Chus enim, ſeu ſextarius Hebraicus, reſpondet modio in octuplici proportione, in modio enim ſunt octo chœnices, chœnix autem tantundem capit quantum chus, ſeu ſextarius Hebraicus. Sic & apud Ezechielem loco ſuperius allegato, *cap.* XLV. II. epham aridorum exponunt, μέτρον, id eſt, modium, & bath liquidorum menſuram chœnica, proportionem liquidorum ad arida, hac voce ſignificantius exprimere volentes. Eodem capite *Ezechielis* 13. 14. ubi præcipitur, ut primitiæ dentur e coro frumenti, ſexta pars ephæ, id eſt, ſemodius, ex batho autem olei decima pars Gomor, hoc eſt, bath menſura. Septuaginta bath interpretati ſunt cotylam. Atqui bath accipitur etiam pro ſextario Hebraico: cur igitur cotylam potius quam chœnicem hoc loco interpretati ſunt? nimirum quia cotyla Hebraica ſextarium Romanum capiens, reſpondet ſextæ parti ephæ, id eſt ſemimodio, in octuplici proportione; modius enim capit ſedecim ſextarios; hujus igitur octavam partem capit Hebraica cotyla. Quot autem ſunt modii in coro, tot ſunt ſextarii Hebraici in batho; & quot ſemodii, tot cotylæ. Verbi gratia: in batho majori ſunt centum & viginti Hebraicæ cotylæ, hoc eſt, ſextarii Romani, totidem & ſemodii ſunt in coro majori decem medimnorum; nam decem medimni ſexaginta modios efficiunt, & ſemodios bis tantum, hoc eſt, centum viginti. Idem de

de batho minori, & coro minori dicendum eſt. Sicut enim in batho minori cotylæ Hebraicæ ſeu ſextarii Romani ſunt ſeptuaginta duo, ita in coro ſex medimnorum, modii ſunt triginta ſex, ſemodii vero ſeptuaginta duo. In ſacrificiis tamen apud Moſen non eadem proportio ſervatur. Sed quoniam locus Ezechielis ubi de oleo ſcribitur, non eſt integer in translatione Septuaginta; ideo adſcribemus integrum ex Hebræo. Sic enim in Hebræo *verſ.* 14. legitur. Statutum vero olei, bathus olei, decimarius bathus de coro, decem bathis Gomor explentibus, quia decem bathi ſunt Gomor. Corum vocat bathum inregrum, homer duodecimam hujus partem; bathum autem, hoc eſt, cotylam vocat decimam partem homer ſeu Gomor. Proinde cum dicit ſtatutum olei, bathus olei, velut exponens addit decimarius bathus, ut intelligamus eum bathum qui eſt decima pars Gomor decem cotylarum, nempe cotyla Hebraica. Septuaginta autem pro decimario batho transtulerunt, de decem cotylis ſeu bathis: & certe ex Hebræo poteſt ita legi, vocabulis punctis mutatis; quæ (*) puncta tempore Septuaginta nondum fuerunt, ſed poſtea addita ſunt a Rabbinis. Similis apud Græcos proportio fuit menſurarum: cadus ſeu amphora Attica duodecim congiorum reſpondebat cypſelæ ſex medimnorum in octuplici proportione, & bicongium medimno, &c. Atque hæc videtur eſſe cauſſa, quod Romani cum accepiſſent menſuras ſuas ab Athenienſibus, nempe medimnum, qui Atticus medimnus dicitur aridorum, & ſemimedimnum liquidorum, hoc eſt, amphoram diviſerunt in alterius amphoræ congios liquidorum menſuram, ſicut ſupra admonuimus, ut videlicet congii reſpondere poſſint medimnis aridorum, ſicut apud Athenienſes. Siculis autem medimnis qui Atticis majores ſunt quadrante, non hæc diviſio amphoræ, ſed alia congruebat. Dividebatur enim amphora Romana præter congios ſenum ſextariorum, etiam in amphora ſedecim ſextariorum, ſicut ex Hieronymo annotavimus ſuperius, ita ut amphora tres, & duæ amphoræ, hoc eſt, medimnum liquidorum hujuſmodi ſex amphoras minores caperet. Talis igitur amphora ſedecim ſextariorum reſpondebat medimno Siculo in octuplici proportione, ſicut bicongium medimno Attico ſeu Romano eadem analogia reſpondebat. Quod vero Siculus medimnus Italis fuerit in uſu colligitur ex Polybio, qui libro ſecundo tanta fertilitatem Italiæ dicit eſſe, ut temporibus Polybii in Italia ſæpe venderetur Siculus medimnus tritici, quatuor obolis; & hordei, duobus obolis. Sed hæc hactenus.

Schaliſch menſuram liquidorum. Pſal. LXXX. 6. potaſti eos lachrymis ſchaliſch, id eſt menſura magna, ſchaliſch dicta. Eſa. XL. 12. pro menſura aridorum dicitur, Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlum ſpithama, & totum pulverem terræ menſura ſchaliſch. Septuaginta pſalmo ſupradicto, ſchaliſch interpretati ſunt μέτρον, ſicut ſatum, id eſt, modium interpretari ſolent: eodem modo & alterum ſatum, quod Joſephus ſeſquimodium dixit, interpretati ſunt quarti Reg. Septimo *verſ.* 2. 17. 19. Judæi menſuram hanc ſchaliſch dictam putant quaſi dicas tertiariam; quod ſit tertia pars menſuræ magnæ, hoc eſt, bathi, tertia pars de ſeptuaginta duobus ſextarii, ſunt viginti quatuor ſextarii, nempe menſura duos hinc capiens: fac menſuram aridorum tantundem capientem, viginti quatuor ſextarii efficiunt ſeſquimodium Romanum, nempe ſatum cujus Joſeph meminit. Quod autem ſatum poſſit dici ſchaliſch, quaſi dicas triens, conſtat ex iis, quæ ſuperius de ſato diximus; nam ſatum diximus tertiam partem eſſe duodecimæ partis cori. Probabile igitur eſt, utramque menſuram cum ejuſdem quantitatis eſſet, & utraque majoris menſuræ eſſet triens, nomina invicem ſibi communicaſſe, ita, ut aridorum menſura ſchaliſch, & liquidorum menſura ſatum diceretur. Hæc ſi cui parum probantur ſuſpendat ſententiam, quoad certius aliquid invenerit de illa menſura. Eſt & alius locus, ex quo colligi poteſt, ſatum fuiſſe menſuram liquidorum, licet non ejuſdem magnitudinis cum hac menſura, de qua modo diximus. Tertii Reg. *cap.*

(*) μέγα λίαν ἄτημα. Contrarium docent Summus D. N. Calovius in Critico ſacro *pag.* 328. & Tomo I. Syſtematis. Q. XXIX. *pag.* 728. ſ. Magnus Gerhardus in Exegeſi Loci I. *cap.* XV. §. 334. ſ. *pag. m.* 130. ſ. B. D. Dannhavver in Hodoſophia Phænom. I. *pag.* 58. D. Jo. Andr. Quenſtedt in Exercitatione inaugurali de Puritate Fontium, Hebræi Veteris, & Græci Novi Teſtam: Wittenb. habita CIↃ IↃC LXXV. Obſ. XIV. Et qui hic cumprimis nominandi, incomparabiles Buxtorfii: Johannes Pater in libro I. nunquam ſatis laudati Theſauri (vere Theſauri) Grammatici Linguæ Hebrææ cap. V. *pag.* 55. edit. primæ Baſileenſ. CIↃ IↃC IX. Item in Tiberiade ſive Commentario Maſorethico *cap.* VII. *pag. m.* 31. Johannes filius in ſolido tractatu de punctorum antiquitate & origine. Item Jo. Henr. Hottingerus in Theſauro Philolog. *lib.* I. *cap.* III. Sect. IV. *pag.* 400. ſ. Adde Cl. Leuſdenii Philologum Hebræum Diſſert. XIII. XIV. XV. XVI. *pag.* 143. 195.

*cap.*XVIII. *verſ.*32. hæc fere verba leguntur: Et fecit ſulcum duorum ſatorum (ſic enim Lyranus tranſtulit.) alii autem: Fecitque aquæ ductum ſpatio duorum ſatorum ſementis in circuitu altaris. Septuaginta autem tranſtulerunt, Fecit mare quod caperet duas metretas ſementis in circuitu altaris: ἐποίησε θάλασσαν χωροῦσαν δύο μετρητὰς σπέρματος κύκλοθεν τοῦ θυσιαστηρίου. Hic Septuaginta *ſatum* interpretati ſunt metretam, quo nomine alias bathum, ſicuti diximus, expoſuerunt. Hinc autor translationis noſtræ bathum nonnunquam ſolet interpretari ſatum, quaſi ſatum ſit idem quod bathus, quamvis hoc loco non ſimpliciter pro ſato metreta dicitur, ſed pro ſato ſementis metreta ſementis. Quod ſi ſatum ſementis menſura aridorum intelligenda eſt, metreta quoque ſementis neceſſe eſt, ut aridorum menſura intelligatur, etiamſi metreta Græcis, quod equidem ſciam, non niſi de liquidis dicatur. Sed arbitror Septuaginta abuſos hac voce, certa quapiam de cauſſa, forte quod ſatum eſſet menſura quædam aridorum æqualis batho ſeu metretæ menſuræ liquidorum: unde probabile eſſet, utramque menſuram commune nomen habuiſſe: quod Septuaginta forte indicare volentes, tranſtulerunt pro ſato ſementis, metretam ſementis, ut intelligamus hanc menſuram liquidorum & aridorum fuiſſe. Nam ex hoc quod metreta dicitur, liquidorum menſura intelligitur: ex eo vero quod additur, ſementis; intelligitur etiam aridorum menſura eſſe. Bathus quem Septuaginta metretam interpretati ſunt, capiebant ſeptuaginta duos ſextarios Romanos: fac igitur aridorum menſuram quæ tantundem capiat: ſeptuaginta duo ſextarii efficiunt modios quatuor & ſemiſſem, quæ eſt plane duodecima pars cori Regii novem medimnorum, ephæ rationem obtinens, quem corum in Samaria, quæ Regum Iſrael regia fuit, colligimus in uſu fuiſſe ex Joſepho, qui libro nono ſatum, cujus uſus in Samaria fuit, ſeſquimodium Italicum interpretatus eſt. Sed hic fortaſſe aliquis objiciat: Si ſatum de quo in præſentia agimus, æquale metretæ ſeu batho fuit, quatuor modios, & ſemiſſem capiens; cur ſatum & non potius epha dicitur, cum non triceſima ſexta ſed duodecima ſit cori pars? Arbitror igitur, ſicut ſupra oſtendimus, tertiam partem ephæ, nempe modium Romanum, unam & eamdem menſuram juxta aliam atque aliam rationem interdum ſatum, interdum epham dici: ita & hanc menſuram certa de cauſſa etiam ſatum dictam eſſe. Credo enim fuiſſe apud Hebræos, & alias menſuras, iis, quas diximus, majores; quemadmodum apud Perſas fuit Achane, quadraginta quinque medimnos Atticos capiens, ſicut Ariſtophanis interpres ex Ariſtotele annotavit. Nec Græcis ignota fuit Achane, ut apparet ex Ariſtophane & Arato Plutarchi. Talis apud nos etiam Achane eſt, *laſt*, noſtro ſermone vernaculo dicta, ſexaginta medimnos capiens. His igitur non diſſimiles fuiſſe apud Hebræos credo, alioqui menſuræ liquidorum hoc ipſum ſatis arguunt. Quis enim credat bathum, hoc eſt, baryllam, maximam fuiſſe menſuram liquidorum, ipſa etiam voce refragante? *bath* enim Hebræis filiam ſignificat, unde barylla dicta eſt bath, quod eſſet velut proles magnorum vaſorum, in quibus liquida aſſervari ſolent. Sicut igitur de talento diximus, talentum non ſolum ſexaginta minas, ſed & quinquies ſexieſve tantum pondus talentum dici; ita & menſuras arbitror fuiſſe majores tam aridorum, quam liquidorum, quæ coros & bathos, de quibus ſupra diximus, caperent aliquoties: ut verbi gratia, in Samaria, quæ fuit regia Regum Iſrael, ſtatuamus fuiſse corum novem medimnorum, & minorem corum, ſemiſsem hujus, hoc eſt, quatuor medimnorum cum ſemiſſe. Fac igitur menſuram, quæ minorem hunc corum ſexies capiat, nempe viginti ſeptem medimnos, hujus, inquam, menſuræ triceſima ſexta pars, hoc eſt, ſatum erit quatuor modii & ſemis, metreta ſementis, ut Septuaginta interpretati ſunt. Sed de his ſentiat, ut quiſquis vult, ſi hæc, quæ attulimus, parum probabilia videntur. Quod autem de talento, coro & batho diximus, fuiſſe videlicet majora pondera, quam ſimplex talentum eſt, & majores menſuras, quam corus & bathus eſt, idem de anno dicere poſſumus. Annus, qui Hebræis ſchana dicitur, non ſolum de ſpatio duodecim menſium ſed de longe majori tempore dicitur. Sicut γένεα apud Græcos ſignificat ſeptem annorum, ſignificat & triginta annorum ſpatium: ita apud Hebræos ſchana de longo tempore etiam dicitur, primi *Reg.* XIII. *verſ.* I. filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet. Conſtat autem Saulem adultum fuiſſe, cum factus eſſet Rex: quomodo igitur fuit unius anni, niſi annum accipiamus pro ſpatio multorum annorum? Et Judicum decimo: *verſ.* 8. Judæi hoſtibus ſuis dicuntur eſſe traditi illo anno per decem octo annos, ubi annum intelligemus ſpatium majus, aut certe non minus, quam decem octo ſunt anni. Joſe-

ſephus libro primo ἀρχαιολογίας, annum magnum dicit eſſe ſexcentorum annorum, quæ plane eſt decima de ſex millibus annorum, quibus duraturum mundum credunt Judæi ex ſententia Heliȩ, quiſquis tandem fuit ille Helias, cujus feruntur eſſe illa verba: Sex millia annorum mundus & poſtea deſtructio: Decima pars de ſex millibus ſunt ſexcenti anni, & de ſexcentis decima ſunt ſexaginta anni, cujus ſemiſſis ſunt triginta anni; γένεα Græcis dicta, tempus, quo pervenit ad perfectionem homo.

Plura de Anno.

SED non abs re fortaſſe fuerit de anno plura etiam addere; præſertim cum multa, quæ ſumus hic dicturi, nondum a quoquam, quod equidem ſciam, obſervata ſint.

Annus apud Hebræos duplex fuit, Solaris & Lunaris. Solaris annus eſt tempus, quo ſol totum peragrat Zodiacum. Lunaris annus, duodecim lunationibus conſtat. Solaris annus ſunt trecenti ſexaginta quinque dies, & quadrans diei, hoc eſt, ſex horæ. Lunaris autem annus, ſunt trecenti quinquaginta quatuor dies.

Sicut autem duplex eſt annus, ita & menſis eſt duplex. Solaris menſis eſt, dum ſol in Zodiaco unum quodque ſignum percurrit, quod fit triginta fere diebus. Tales Ægyptii menſes obſervabant, apud quos annus fuit CCCLX. dierum, propterea quod Zodiacus in totidem gradus ſit ſectus. Sed quia per CCCLX. dies ſol non conſummat curſum ſuum, ideo ſingulis annis poſt duodecim menſes tricenum dierum adjiciebant quinque extraordinarios dies & quadrantem.

Lunaris autem menſis eſt tempus a novilunio ad novilunium XXIX. dies continens, & ſemiſſem diei. Hos menſes Græci quoque obſervabant, apud quos menſes erant tricenum & alternatim XXIX. dierum. Tales menſes duodecim efficiunt lunarem annum, trecentorum quadraginta quinque dierum, qui anno ſolari minor eſt undecim diebus & quadrante, & hæc de cauſſa Græci ut annus lunaris adæquaretur ſolari anno, intercalabant non quem ſingulis annis undecim dies, ſed tertio anno menſem triginta dierum: nam per tres annos colliguntur, intercalares die XXXIII. ex quibus intercalabant XXX. & reſiduos tres dies addebant ad intercalares ſequentium annorum, quoad rurſus excreſceret numerus epactarum ad XXX.

Hoc autem ideo faciebant, ut lunaris annus iiſdem finibus quibus & ſolaris coerceretur. Bifariam enim annum conſiderabant Græci, præſertim Athenienſes, ſicut Gaza de menſibus docet. Nam & ſolarem annum CCCLX. dierum, obſervabant, & lunarem CCCLIV. dierum, poſt ſolares duodecim menſes quinque dies, & ſi quid amplius opus erat intercalantes, poſtlunares vero XXX. dies. Quod autem ſolaris lunariſque annus & menſis communis fuerit Athenienſibus cum Hebræis, ſicut pondera, & menſuras eis communes eſſe docuimus, ex iis quæ deinde ſumus dicturi de partibus anni, & multiplici apud Hebræos acceptione anni, manifeſtum fiet.

Primo autem ex profanis autoribus de varietate anni dicam, ne quis nova & inaudita me tradere putet, cum apud Hebræos tale aliquid fuiſſe docebimus. Plinius libro ſeptimo *cap.* XLVIII. de anno ita ſcribit. Annum alii æſtate unum determinabant, & alterum hieme, alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam lunæ ſenio, ut Ægyptii. Sed & Solini verba quȩ capite tertio leguntur, adſcribemus. Annus, inquit, apud Ægyptios quatuor menſibus terminabatur, apud Arcades tribus, apud Acarnanes ſex, in Italia apud Lavinios tredecim, quorum annus trecentis ſeptuaginta quatuor diebus ferebatur. Romani initio annum decem menſibus computaverunt. Hactenus Solinus. Xenophon autem in ȩquivocis ita ſcribit: Annus etiam diverſus eſt; etenim Ægyptii utuntur anno quandoque menſtruo, ſȩpe bimeſtri, non raro trimeſtri; ſȩpe quadrimeſtri, nonnunquam ſolari. Quȩ varietas etiam ex noſtris, qui ab eis literas habuerunt, ſapientes coegit aberrare. Iberis annus quadrimeſtris, ut plurimum, eſt, rariſſime ſolaris. E contra Chaldȩi quum in antiquitate diſciplinarum ſuarum utantur menſtruo, in ceteris ſemper ſolarem ſe intelligere fatentur. Hactenus Xenophontis verba. Ex his ergo & ſimilibus autorum teſtimoniis diſcimus, quod ſemiſſis anni, & triens anni, & quadrans anni, & ſexta duodecimaque pars anni, antiquitus vocabatur annus non ſolum apud alios atque alios, ſed & apud eoſdem interdum, ſicut apud Ægyptios anni multiplicem acceptionem fuiſſe Xenophon hoc loco teſtatur. De majoribus autem annis Cenſorinus ſcribit, magnitudinem eorum diverſam, inquiens, & a gentibus obſervatam, & ab autoribus traditam, ut alii unum annum magnum eſſe in annis vertentibus duobus, alii in multis millibus annorum arbitrati ſint. Hujuſmodi autem anni Cenſorinus proprium eſſe vult, ut ex annis vertentibus

tibus ſolidis conſtet. Sed ad Hebraicum annum redeamus.

Annus apud Hebræos, ſicut pondera & menſuræ, dividitur in decimas & duodecimas, & item in quintas & ſextas. Solaris anni decima ſunt XXXVI. dies: Duodecima XXX. dies, ſicut ſupra oſtendimus, cum de menſuris ageremus. Quinta LXXII. dies, quæ quidem Athenienſibus etiam fuit uſitata, ſicut Gaza ex Ariſtotele annotavit. Sexta autem ſunt LX. dies, Ægyptiis non ignota. Ultimo libro Reg. *cap.* XV. 23. Phacejas dicitur ſuſcepiſſe regnum quinquageſimo anno Azariæ Regis Juda, & regnaſſe in Samaria duodecim annos, juxta translationem Septuaginta: quo loco XII. annos intelligere debemus parvos annos, nempe ſextas partes anni. Nam paullo poſt *verſ.* 25. 27. Phacea ſcribitur, occiſo Phaceja regnum occupaſſe, quinquageſimo ſecundo anno Azariæ Regis Juda: ut dubium non ſit, duodecim annos, pro duobus annis accipi debere.

Lunaris autem anni partes, præter lunationes, de quibus diximus, decimas etiam & quintas obſervavimus. Decima lunaris anni ſunt XXXV. dies. Quinta autem ſeptuaginta dies. Sicut enim ſolaris annus non poterat commode in ſuas partes dividi, niſi quinque diebus amotis, ita lunarem quoque annum Hebræi remotis prius quatuor diebus diviſerunt in decimas & quintas, ita ut lunaris annus apud Hebræos, præter intercalares dies, fuerit trecentorum quinquaginta dierum, qualem annum Herodotus quoque non ignoravit, apud quem Solon cum eſſet apud Crœſum, vitæ humanæ ſpatium dixit eſſe ſeptuaginta annos; qui, inquit, efficiunt dies viginti quinque millia, & ducentos, non computatis intercalaribus diebus. Si quis autem velit alterum quemque annum, menſe uno longiorem fieri, ut ſingulæ partes anni in tempus ſibi congruum incidant, menſes intercalares per annos ſeptuaginta fiunt triginta quinque, ex quibus menſibus dies ſunt mille & quinquaginta. Ex quo loco Herodoti intelligimus annum antiquitus apud nonnullos fuiſſe dimidio menſe, id eſt, quindecim diebus minorem, quam eſt juſtus annus, ita ut alternis annis menſem triginta dierum neceſſe fuerit intercalare: talis autem annus eſt CCCL. dies, de quo in præſentia agimus. Nec illud quemquam movere debet quod numerus dierum quem in vulgatis Herodoti exemplaribus legimus, non lunaribus ſed ſolaribus annis congruat. Nam quod Herodotus lunares intellexerit annos, manifeſtus eſt, quam ut probatione indigeat: alioqui, ſi quis ſolarem annum ſemimenſe longiorem faciat, ita ut altero quoque anno, intercalaris menſis integer excreſcat; fieri non poteſt, quin horæ, id eſt, quatuor partes anni varient, & tempus hiemis incidat in ver, veris tempus in æſtatem &c. Quod eſt contra Herodotum, qui intercalationem ideo fieri debere ſcribit, ut ne quippiam tale accidat. Non dubium eſt igitur numerum dierum depravatum eſſe a ſciolo quopiam, & harum rerum imperito, qui cum ignoraret annum CCCL. dierum, ſeptuaginta annos intellexit ſolares annos CCCLX. dierum. Atque ita pro viginti quatuor millibus & quingentis diebus ſubſtituit *viginti quinque millia & ducentos dies*, ex quo errore ſecutus eſt & alter error, quem ibidem videre licet apud Herodotum. Sed ad inſtitutum redeamus. Partes, quas dixi, lunaris anni, Hebræis propter ſeptenarium numerum, quem in ſe complectuntur, in magno fuerunt uſu. Decima enim, hoc eſt, XXXV. dies ſunt hebdomades quinque, & quinta, hoc eſt, LXX. dies ſunt hebdomades decem. Primi *Reg. cap.* XXVII. 7. David dicitur in terra Philiſtæorum egiſſe dies & quatuor menſes. Joſephus interpretatus eſt viginti dies, & quatuor menſes. Nam hujuſmodi locutione Hebræi decimas anni partes deſignabant. Nihil enim aliud eſt decima anni, niſi menſis & dies aliquot, nempe quinque aut ſex. Non immerito igitur Joſephus, quod in ſcriptura dicitur, dies & quatuor menſes, tranſtulit viginti dies & quatuor menſes: quatuor enim decimæ tricenum quinum dierum efficiunt viginti dies, & quatuor menſes. Hac de re etiam *cap.* XXIX. ejuſdem libri *verſ.* 3. Lachis Philiſtæorum Rex, ad Satrapas dixit: Numquid non iſte eſt David ſervus Saul Regis Iſrael, qui iſtis diebus aut annis fuit mecum? Ita enim in Hebræo legitur. Septuaginta autem ſecus legiſſe videntur, ſic enim tranſtulerunt: γέγονε μεθ' ἡμῶν ἡμέρας τοῦτο δεύτερον ἔτος, id eſt, fuit nobiſcum dies ſecundum hunc annum: hoc eſt, egit apud nos tempus alterum hunc videlicet annum, videntur Septuaginta conjunctionem disjunctivam non legiſſe, quamquam & alias hujuſmodi locutionem non diſſimili modo tranſtulerunt, *Geneſis* XXIV. 55. ubi in Hebræo legitur, maneat puella nobiſcum dies vel decem: Septuaginta habent, ὡσεὶ δέκα ἡμέρας, id eſt, circiter decem dies. Sic & nos vernaculo ſermone noſtro dicere ſolemus, manſiſſe aliquem in oppido per diem aut decem, id eſt, decem circiter dies. Præterea videntur Septuaginta duali numero legiſſe dies pro plurali. Sed

ſive

ſive ſecus legerunt Septuaginta quam nunc in Hebræo legitur, ſive explicandi gratia ita transferre voluerunt, omnino ex autoritate illorum poſſumus intelligere hoc loco duos annos parvos, nempe duas anni quintas, quæ quatuor decimis conſtant. Nam ſi decima anni dicitur annus, ſicut ſupra oſtendimus, & hoc loco Hebraica docent; multo magis quinta pars anni, quæ duas decimas valet, poteſt annus dici. Adeo autem decima pars Lunaris anni uſitata fuit Hebræis, ut annum etiam haberent, qui duodecim hujuſmodi conſtabat decimis, ſicut Solaris annus conſtabat duodecim menſibus tricenum dierum, ita ut annus apud Hebræos præter ſolarem, & quem modo dixi lunarem annum, fuerit CCCCXX. dierum: qui quidem annus cum ſolari eam proportionem inter ſe habent, quam & partes eorum, nempe quæ eſt ſeptenarii ad ſenarium: hanc enim proportionem habent XXXV. ad XXX. Quo fit, ut iſti anni in hebdomade annorum coincidant. Septem enim ſolares CCCLX. dierum tot habent dies, quot & ſex anni CCCCXX. dierum. Septem igitur anni duodenum menſium valent ſex annos duodenum decimarum. Proinde quod Solomon juxta translationem Septuaginta duodecim annorum dicitur fuiſſe, cum regnum ſuſcepiſſet, Joſephus quatuordecim annos eum vixiſſe ante ſuſceptum regnum dicit, ſeptenos annos pro ſenis numerans. Nec illud movere quemquam debet, quod in Hebræo de ætate Solomonis ante ſuſceptum regnum nihil legatur. Nam Septuaginta quæ tranſtulerunt, ex Hebræo haud dubie tranſtulerunt. Nec de fide exemplarium Græcorum, quod ad hunc attinet locum, dubitare poſſumus, cum a Clemente, qui fuit Petri diſcipulus, hoc ipſum in Conſtitutionibus Apoſtolicis libro ſecundo citetur hiſce verbis, ϗ γὰρ Σολομὼν δωδεκαετὴς τȣ̃ ἰσαὴλ ἐβασίλευσεν, etenim Solomon (inquit) duodecim natus annos factus eſt Rex Iſrael. Probabile eſt igitur Hebræos locum illum omiſiſſe, quod cum aliis ſcripturæ locis diſſidere videretur. Scribitur enim Solomon ſenex factus eſſe. Si autem ſenex fuit, non eſt probabile eum duodecim annos vixiſſe ante regnum, quandoquidem quadraginta annos tantum regnaſſe ſcribitur. Deinde ſi quadraginta annos regnavit Solomon, & duodecim annorum fuit cum ſuſcepit regnum, quomodo filium Roboamum quadraginta unius anni relinquere ſucceſſorem potuit? Solomon enim decem annos natus, non potuit Roboamum procreare, ut undecimo Solomonis anno naſceretur. Propter vitanda igitur hujuſmodi abſurda, videtur locus ille, de duodecim annis omiſſus eſſe. Atqui in ſcriptura nihil eſt abſurdi, ſi modo quis eam recte intelligat, ſicut Septuaginta intellexerunt & Joſephus, qui nihil contrarium veritati in ſcriptura videntes, locum hunc integrum ſervaverunt. Porro quadraginta annos Joſephus, quibus Solomon regnavit, duplicatos intellexit annos, cum dixit, Solomonem octoginta annos regnaſſe, & nonaginta quatuor vixiſſe. Nec dubium quin ſolares annos Joſephus intellexerit, Græcis videlicet & Romanis, quibus ſuam hiſtoriam ſcripſit, uſitatos: unde colligimus quod apud Hebræos, ſicut & apud alias gentes, duo ſolares annis vocabantur annus. De anno autem duodecim decimarum duplicato, exſtat teſtimonium libro primo Paralipomenon, *cap.* XXII. 12. ubi Davidi optio proponitur a Deo, ut eligat ſibi, aut famem tribus annis, aut hoſtium perſecutionem tribus menſibus, aut peſtem tribus diebus. Hoc loco annos duplicatos intelligere debemus, ita ut tres anni valeant ſex annos duodenum decimarum. Nam ſex hujuſmodi anni conſtituunt ſeptem ſolares annos: & ideo ſecundus liber Regum *cap.* XXIV. 13. pro tribus annis habet ſeptem annos, & Joſephus ſeptem annos quoque interpretatur. Septuaginta tamen ſecus intellexiſſe videntur illum locum quam Joſephus, nam utrobique tres annos interpretati ſunt. Itaque in libro Regum ſeptem annos accepiſſe videntur, pro ſeptem ſemiſſibus anni ſolaris. Nam ſeptem ſemiſſes anni ſolaris efficiunt tres annos duodenum decimarum. Sicut enim ſemiſſis talenti dicitur talentum, ita & ſemiſſis anni annus, non ſolum apud Hebræos, ſed & apud alias pleraſque gentes, ſicut ſupra oſtendimus. Hinc eſt quod decimæ quoque anni partes dimidiatæ fuerunt; nam dimidiato anno dimidiatæ competunt partes. Dimidiatæ decimæ vocantur menſes primi Reg. ſexto; *verſ.* 1. ubi dicitur arca apud Palæſtinos fuiſſe ſeptem menſibus. Joſephus enim pro ſeptem menſibus, quatuor menſes interpretatus eſt. Nam ſeptem ſemiſſes decimarum, ſeu, quod idem eſt, tres decimæ & ſemis efficiunt dies integros CXXII. quatuor videlicet menſes Romanos, qui tempore Joſephi Græcis etiam fuerunt in uſu.

Sicut autem (*) ſex talenta dicuntur ta-

(*) *Lege hic Jacobum Uſſerium Armachanum parte II. Chronologiæ ſacræ cap.* IV. *p.* 65. *ſ. edit. Oxonienſ.* M. DC. LX. *in quarto.*

talentum, ita & ſex anni dicuntur annus apud Hebræos: proinde quod in Geneſi Sem dicitur genuiſſe Arphaxatem, biennio poſt diluvium; Joſephus (*) duodecim annos interpretatus eſt, ſenos annos pro ſingulis numerans.

Sed de anno Hebraico in præſentia hæc dicta ſufficiant. Neque enim ex profeſſo de anno hic tractare inſtituimus, ſed guſtum tantum ſtudioſis voluimus dare, & occaſionem exactius hac de re commentandi: fortaſſe autem & nos plura de anno ſcribemus, ſi otium ad eam rem fuerimus nacti. Nam in pleriſque nondum ipſi nobis ſatisfecimus, quod genus eſt de annis Adami & qui Adamum ſecuti ſunt. Conſtat enim Adamum, & pleroſque alios poſt Adamum pluſquam noningentos annos vixiſſe. Sed illud quærendum eſt, cum in Hebræo legatur Adam vixiſſe CXXX. annos antequam genuiſſet Setum, poſt natum autem Setum octingentos annos, cur Septuaginta pro annis CXXX. tranſtulerunt ducentos & triginta (ſic enim habent emendatiora exemplaria) & pro octingentis annis ſeptingentos. Hæc & ſimilia non defuturos ſpero, qui explicabunt.

Quandoquidem nobis egregiam præſenti de menſurarum ac ponderum argumento eruditiſſimus reliquit Salmaſius epiſtolam, quæ eſt in libro Epiſtolarum ejus n. LXVII. p. m. 141. *placuit eam hic in Lectoris gratiam inſerere, cum multi deſtituantur illo epiſtolarum volumine, & ibi id haberi neſciant, vel non recordentur.*

Viro Clariſſimo atque eruditiſſimo

JOHANNI WALÆO. S. P. D.

ITA quidem eſt, ut dicis, Clariſſime & Doctiſſime Walee, nihil in tota Antiquitate de quo magis varient veterum Autorum ſententiæ, quam de *Ponderibus* ac *Menſuris*; nec id ipſorum fortaſſe vitio, ſed rei, quæ tam varia, cum ſingulæ Gentes ſuæ habuerint, & quadam partim eadem ſub diverſis appellationibus, partim diverſa ſub iiſdem. Hæc omnia ut explicatu difficilia, ſi quis vel ſolas differentias exponere ſatagat, ita conciliari inter ſe poſſe quæ diſcrepant vix unquam ſperandum. Ea de quibus quæſiſti, breviter, ut potero, hic attingam; quæ ſi pluribus eſſent pertractanda, non Epiſtolæ, ſed libri negotium foret. De *Coro* primum videbimus, deinde alia ſequentur. Haud bene illud in tuis ſignatum, quod Epha decem κόρους ſive Gomer capiat, Chomer vero decem Ephas recipiat. Imo Κόρος & Chomer idem fuit & decem Ephas hoc vel illud habuit. Κόρος maxima apud Hebræos Aridorum Menſura, adeo ut Onus Cameli fuiſſe velint. Chomer decem Ephas continuiſſe conſtat ex Ezechielis XLV. 10. 11. Epham rurſum decem Gomer habuiſſe diximus ex Exodi *XVI. 36. Sic* Gomer centeſima pars fuerit τῷ Chomer. Duo hæc vocabula עמר & חמר cum in tantum & literis & ſignificatione differant, Græci tamen Septuaginta Interpretes utrumque γόμορ appellant. Quæ res non minimam confuſionem in Scriptis Antiquorum Patrum peperit, qui eas Menſuras interpretari conati ſunt. Epiphanius, & poſt eum Iſidorus aliique multi, Gomor XV. Modiorum onus appendere dicunt, Corum vero triginta Modiis impleri. Quod neque cum Chomer convenit, qui idem eſt cum Coro; neque cum Gomer, quæ centeſima pars eſt Cori. Verum de his alibi. Has Menſuras Hebraicas ſi quis revocare ſtudeat ad Romanum vel Græcum uſum, & cum utriuſvis Gentis Menſuris æquiparare, Autoribus antiquis acquieſcat oportet, qui & ipſi mirum quantum inter ſe diſſident. Meliores eligendi ac probatiores quos ſequamur. Joſephus, ut recte notaſti, docet Κόρον decem Medimnis Atticis adæquatum. Medimnus Atticus, teſte Africano, quem habeo, qui hoc accuratiſſime perſecutus eſt, ſex Modios Italicos implebat; adeo ut Ἐκτεὺς Atticus, qui ſexta pars erat Medimni, idem eſſet cum Modio Italico: Ergo Medimnus Atticus idem cum Epha Hebraica, eaque ſex Modios Italicos receperit. Hac ratione Corus qui decem Ephas, ſeu decem Medimnos Atticos continebat, ſexaginta Modios Italicos compleverit. Quod & cum Epiphanio aliiſque Veterum quam plurimis e diametro pugnat, qui Corum triginta tantum Modiis definiunt. Ne hoc quidem congruit cum Hieronymi ſententia, qui Satum Seſquimodio Italico æquiparat. *Epha* tria Sata complectebatur. Si decem Ephas Corus tenebat, triginta Sata comprehendet. Hi ſane ſunt Modii quos Coro implendo ſatis fuiſſe tradit Epiphanius. Nam & paſſim Hieronymus vocem Hebraicam סאה, quod eſt Saton, Modium

(*) *Scilicet in Græca Joſephi editione hodie corrupte legitur* ιβ, *pro* β *poſito*: Σήμα δὲ υἱὸς Ἀρφαξάδης ἦν, μετὰ ἔτη δώδεκα τῆς ἐπομβρίας γενόμενος. *At in Ruffiniana Joſephi verſione*: Sem filius Arphaxad natus eſt poſt annos duos facti diluvii.

dium reddit. Et viciſſim Græcam dictionem Μόδιον apud Matthæum V. 5. Syrus Interpres vertit סאת. Sic facile patiar Corum dici triginta Modios habere quæ Sata ſunt. Sed ſi Saton autore Hieronymo Seſquimodium Italicum adæquavit; tum Corus qui triginta talia habuit Sata, quadraginta quinque Modios Italicos adpenderit neceſſe eſt. At ſecundum Joſephum, Saton duos Modios Italicos adimplevit, qui ſexaginta tales Modios Coro adtribuit, decem Atticis Medimnis reſpondentes, & triginta Sata exæquantes pondere. Sunt rurſus Autores qui Medimno dant tantum quinque Modios, ut Iſidorus, & Autor vetus qui de Ponderibus ſcripſit, adjectus Scriptoribus Rei Agrimenſoriæ. *Modia*, inquit, *quinque Medimnum faciunt. Tres Medimni Gomer complent: Duo Gomer Corum reddunt. Duo Cori culleum quæ ſunt Modia ſexaginta.* Atqui totidem Joſephi Corus Modios habuit, quot hic Culleo reddit. Medimnus autem ille quinque Modiorum, Paphiorum ſive Cypriorum proprius. Nam *Atticus* ſex Italicis adpenſus eſt. Alius fuit & Siculus Modius, cujus meminit idem Joſephus *Lib.* III. *cap. ult.* his verbis: χομιϑέντος ἀλοῦρυ εἰς χόρυς ἑβδομήκοντα, μέδιμνοι δὲ ὗτοι μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τελάκοντα, Ἀ'ττικοὶ δὲ ποσαράκονταεἷς. Quæ verba nullus intelligo. Nam ſi ex præſcripto Joſephi decem Medimni Attici in *Coro* fuere, quomodo ſeptuaginta Cori reddere poterunt tantum Atticos Medimnos unum & quadraginta? Hunc enim ſenſum verba Græca præferunt, Septuaginta Coros reſpondere uni & triginta Siculi Medimnis, item uni & quadraginta, quales Attici. Interpretes ita reddunt quaſi Siculi triginta & unus Medimni, juncti cum uno & quadraginta Atticis, effecerint ſeptuaginta Coros. Quod non poteſt obtineri. Alii porro ex illo Joſephi loco adſtruunt Corum unum valuiſſe quadraginta & unum Medimnos Atticos, ut triginta & unum Siculos. Sed tum legendum foret in verbis illis Joſephi: Μέδιμνος δὲ οὗτος εἰσὶν Σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τελάκοντα, ὗτος nimirum ὁ χόρος. Quo ex calculo Joſephi ſi hanc lectionem admittimus, Satum habuit Modium Italicum & trientem. Cum autem conſtet Corum triginta Satis conſtitiſſe, ſic Modios habebit præter propter quadraginta & unum Italicos. Quod minus recedit a ratione Hieronymi qui Seſquimodium Italicum Sato dat, & minus etiam ab illa Epiphanii, qui Modium cum quarta parte tribuit eidem Sato. Secundum Epiphanium Corus erit Satorum triginta ſeptem cum dimidio. Secundum Hieronymi calculum Modiorum quadraginta quinque. Juxta rationem Joſephi vero quadraginta. Triginta autem Sata cum triginta Trientibus, quadraginta Modios efficiunt. Atque ita corrigendum fuerit in ſupra citato Joſephi loco: Μέδιμνοι δὲ ὗτος Σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τελάκοντα, Ἀ'ττικοὶ δὲ Μέδιμνοι τεσσαράκοντα. Verum hæc omnia falſiſſima, quæ tum demum procederent, ſi Medimnus Atticus idem eſſet cum Modio Italico, qui ſextuplus eſt ad Italicum. Tales quidem Modios, quales Italici ſunt, Corus continet, ex Hieronymi ſententia, quadraginta quinque; ex Epiphanii, triginta ſeptem cum dimidio: at Medimnos tantum Atticos decem, qui ſexaginta Italicos continent. Longe itaque alia Medicina locus ille indiget, qui ſic mihi ſanandus videtur: Μέδιμνοι δὲ ὗτοι, Σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τελακόσιοι, Ἀ'ττικοὶ δὲ ἑπτακόσιοι. Certe Septuaginta Cori Hebraici ex computatione Joſephi tenere debent Medimnos Atticos ſeptingentos. Siculus Medimnus longe major Attico fuit. Nec enim aliam ſententiam ferre poſſunt verba illa Joſephi, quam ut explicarit quot Medimni fuerint Siculi, & quot Attici, ſeptuaginta illi Cori Hebraici.

De *Epha* non minor variatio. Chomer ſive Corus decem Ephas recipit. Ergo, ut diximus, Epha eadem cum Medimno Attico ſive ſex Modiis Italicis, qui quadraginta octo Chœnicas habebant. Ο'φι Heſychio τετραχοίνικον eſt, οἰφὴ Epiphanio eſt χοῖνιξ. Atqui, ut computat Joſephus, habuit quadraginta & octo Chœnicas, totidem quot Medimnus Atticus. Ecce alia dividia. *Exodi* XVI. *verſ.* XXXV. Gomer dicitur eſſe pars decima Ephæ. Ubi Chaldæus pro Epha ponit tria Sata Arabes duo Interpretes, Saadias & ille Erpenii, verterunt ويبة, quod idem eſt cum Epha. Reperio apud Arabes qui de Menſuris ac Ponderibus ſcripſerunt, Epha, vel Oeba, ut appellant, habere viginti quatuor قدح *Cadas*, qui ſunt Catini vel patinæ quæ ſingulæ pendunt libram cum quadrante. Sic Oepha adpendebat triginta libras. Cum autem decem Oephæ ſint in Chomero vel Coro, non plus quam trecentas libras penſitarit Corus; quod onus Aſini vel Muli vix eſſe queat, nedum Cameli, ut fuiſſe tradunt Veteres. Longe majus pondus Cori ex Joſepho adſtruere licet. Modius Italicus pendebat raſus triginta duas libras. Nam σπόριμος Modius, teſte Herone, quadraginta libris appendebatur; quia cumulatum ad ferendum ſolebant appendere.

dere. Cumulus autem quartam fere partem adjiciebat additus, aut detrahebat derasus. Sexaginta autem Modii inerant Coro. Ita Corus sustinebat pondus librarum mille sexcentarum ac viginti, Modio raso. Hæc de Coro quæ habui ad manum. De *Batho* nunc videamus.

Hæc Mensura in Liquidis locum habuit; atque ut Corus aridorum maxima, ita hæc liquidorum. Quantum olei ex una factura premi potuit, & ex uno trapeto redire, hoc nomine appellatum Veteres tradunt. Inter Magistros Judæorum constat Bathum tria Sata habuisse, quæ unum Epha constituebant. Epha in Aridis, Josepho teste, libras colligebat centum & sexaginta duas. In Liquidis haud scio an pondus respondeat. Immo certum est non respondisse. Gomer etiam in Liquidis decimam Ephæ constituebat; & quadraginta ac tria ova, cum parte quinta ovi tenebat. Quæris quo autore hæc dicantur? Citant ex opere *R. Alphes*, *Tractatu de Paschate*, e quo enucleata hæc omnia Ponderum in Liquidis nomina reperies apud Buxtorfium in Lexico Hebraico, in voce קבב. Lego apud Anonymum de Ponderibus Bathum constare Modiis duobus totidemque sextariis, duos Bathos Metretam facere, qui sunt centum sextarii. Septuaginta apud Ezechielem verterunt χοινικα, ubi dicitur χοῖνιξ, hoc est Bathus, esse τὸ δέκατον τȣ̃ γόμορ, hoc est Chomer, *cap.* XLV. *vers.* XI. Plura de hoc non habeo quæ hiscam. De Μνᾶ quæ restant, absolvere pergam ut postulatis tuis satisfaciam. Nulla ferme gens fuit quin hoc vocabulum usurparit ab illo Hebræo *Manes*. Scribit Africanus apud omnes Nationes Minam centum Drachmas habuisse, sed sui duntaxat generis. Hinc differentia Minarum. Cum enim esset coacervatio nummorum sive drachmarum centum, prout erant majoris vel minoris ponderis drachmæ, ita plus, vel minus appendebat Mina. Apud alias omnes nationes fortasse an hoc obtinuerit quod vult Africanus de Mina centum drachmarum. Apud Hebræos aliud fuit. Apud Ezechielem legitur *cap.* XLV. Mina sive *Manes* sexaginta siclorum fuisse. Siclus teste Josepho tetradrachmum Atticum valebat. Sic Mina Hebraica sexaginta tantum sui generis habuerit drachmas, quæ ducentis quadraginta Atticis exæquabatur. Siclus ille quatuor drachmarum major erat, & siclus Sanctuarii dicebatur. Alias minor fuit, didrachmus. Septuaginta tamen ubicunque occurrit mentio Sicli in scripturis semper δίδραχμον reddunt. Tempore Christi hæc δίδραχμα etiam in usu fuere Judæis, sed imagine Cæsaris incusa. Imo tunc temporis non amplius usitatam fuisse Minam illam Hebraicam plane liquet. Moneta Romana passim vigebat, ut apparet ex nominibus, quæ tum usurpabantur, ἀσσάριον, δηνάριον, κοδράντης, prorsus Romanis. Docet & Africanus suo tempore Minarum ceteras differentias cum suis appellationibus exolevisse, nec amplius uspiam audiri Minam Ægyptiacam, Syriacam, Tyriam, Ptolemaicam, Ægineticam & alias, sed omnes assumpsisse usum Italicæ. Τῇ Ἀττικῇ, inquit, δραχμῇ χρυσέον πρὸς σταθμὸν καὶ νόμισμα, ἐπειδήπερ ἰσοδύναμος ἐστὶ καὶ ἰσοστάσιος τῇ ἰταλικῇ, ἣ καλεῖται Δηνάριον, ὡς γὰρ ἐπίπαν τοῖς Ἰταλικοῖς νῦν χρῶνται πάντες. Dicit Drachmam Italicam ἰσοδύναμον & ἰσοστάσιον fuisse Atticæ, hoc est paris & pretii & Ponderis. Quod non usque quaque tamen verum est, & aliqua fuit differentia, licet non magna. Nam septem Denarii, sive drachmæ Italicæ, Unciam constituebant, cum octo Atticis opus esset Unciæ explendæ. Parvi tamen pependerunt hoc discrimen. Mina igitur cujus apud *Lucam* XIX. 16. mentio, est aut Attica, aut Romana, centum utique drachmarum. Si ad æstimationem nostræ monetæ Denarium Romanorum reducamus, Regalem Hispanicum valere putanda est, hoc est quinque asses Gallicos. Hæc habui quæ raptim ad quæsita hic exararem, quæ hesterno die misissem si per occupationes licuisset. Occupationem illam quæris quæ fuerit? Ambulatio fuit. Tam pulcrum diem perdere nolui. Vale & Clarissimum Reverendumque Parentem meo nomine saluta. VIII. *Id. Feb.* CIƆ IƆ. CXXXV.

Tuus ad omnia

CL. SALMASIUS.

Additamentum geminum, quorum prius continet mensuras vasorum sacrorum, & posterius pecuniam & pondera sacra, quorum S. Scriptura meminit.

De vasis sacris.

IN genere observandum est, mensuras cubicas sive vasorum apud Hebræos supputari secundum capacitatem communium ovorum. A minoribus vasis initium faciemus.

Mensuræ illæ sunt vel aridorum, vel liquidorum.

Veteris Test. mensuræ aridorum sunt sequentes.

I. Cabus, קב continet quantitatem viginti quatuor ovorum, 2. *Reg.* VI. 25.

II. Gomer, עומר est mensura duplo fere major præcedente, comprehenditque ova quadraginta tria, *Exod.* XVI. 36.

III. Sea, סאה est mensura plus quam triplo major præcedente, & comprehendit centum & quadraginta quatuor ova, hoc est 144. 2. *Reg.* VII. I. 18. *Genes.* XVIII. 6.

IV. Epha, איפה est mensura triplo major præcedente, continetque tria sata, h. e. ova quadringenta duo, h. e. 432. *Exod.* XVI. 36. *Deut.* XXV. 14. *Levit.* V. II. & XIX. 36. (*Vide Martin. Etym. col.* 672.)

V. Lethech, לתך est mensura quintuplo major præcedente, continetque ova bis mille, centum & sexaginta, h. e. 2160. *Hos.* III. 2.

VI. Chomer, חומר continet onus asini, sive capacitatem 30. satorum, hoc est 4320. ovorum, *Lev.* XXVII. 16. *Num.* XI. 32. (*Martin. d. l. col.* 1143.).

VII. Corus, כור est ejusdem quantitatis cum præcedente Ghomer, *Ezech.* XLV. 14. (*Martin. Etymol. col.* 514. *seq.*).

Novi Test. Mensuræ aridorum sunt:

I. Chœnix, χοινιξ est mensura tritici quæ homini unico die ad vitam sustentandam sufficit, sive continet mensuram duodecim ovorum, *Apoc.* VI. 6.

II. Satum, σάτον convenit cum סאה Hebræorum, continetque ova 144. *Matt.* XIII. 33.

III. Corus, κόρος etiam convenit cum כור Hebræorum, continetque ova 4320. *Luc.* XVI. 7.

Veteris Test. Mensuræ liquidorum sunt:

I. Log. לוג continet sex ova, *Levit.* XIV. 10.

II. Hin, הין comprehendit septuaginta duo ova. *Exod.* XXX. 24. *Lev.* XIX. 36.

III. Bat, בות est ejusdem capacitatis cum Epha, continetque ova 432. *Ezech.* XLV. II. (*Martin. Etym. col.* 132.).

IV. Cor, כר bis etiam usurpatur de liquidis, I. *Reg.* V. II. *Ezech.* XLV. 14. Est ejusdem capacitatis in liquidis, cujus est in aridis.

Novi Test. Mensuræ liquidorum:

I. Xestes, ξέστης continet sex ova. *Marc.* VII. 4.

II. Metreta, μετρητής comprehendit ova 432. *Joh.* II. 6.

III. Batus, βάτος convenit cut בת Hebræorum, continetque ova 432. *Luc.* XVI. 6.

Additamentum posterius de pecunia & ponderibus sacris.

Veteris Test. nummi & pondera sunt:

I. Siclus, שקל: estque sacer *Exod.* XXX. 13. vel profanus, 2. *Sam.* XIV. 26. *Gen.* XX. 16. Sacer ponderat semiunciam argenti, valetque semissem Thaleri imperialis. Profanus valet dimidium h. e. quartam parrem thaleris imperialis (*Vide D. Sebastian. Schmidt. Disp.* XIV. *Fasciculi Disputationum Theologico-Philologicar.* §. 10. *pag.* 815. *seq.*).

II. Gera, גרה ponderat circiter septendecim grana hordei, & respectu valoris viginti geræ efficiunt siclum sacrum, *Exod.* XXX. 13. *Levit.* XXVII. 25.

III. Agorah, אגורה I. *Sam.* II. 36.

IV. Keschita, קשיטה *Gen.* XXXIII. 19. *Jos.* XXIV. 32. Hi duo nummi conveniunt cum Gera.

V. Adarcon, אדרכון I. *Chron.* XXIX. 7. *Esra* VIII. 27. sive דרכמון darcemon, *Esra* II. 69. Est nummus aureus, & convenit cum ducato.

VI. Ciccar, ככר talentum. Estque sacrum aut profanum; utrumque iterum argenteum vel aureum. Talentum sacrum argenteum continet ter mille siclos sacros, h. e. 1500. Thaleros imperiales, *Exod.* XXXVIII. 25. profanum comprehendit dimidium, 2. *Reg.* V. 5. (2. *Lege Cl. Dn. Martin. Lipenium in Navigatione Salomonis Ophirica illustrata cap.* VII. *Sect.* III. §. 7. *pag.* 595. *s. Witteb.* 1660.).

VII. Talentum sacrum auri valet duodecies mille aureis ducatis, *Exod.* XXXVIII. 24. Profanum continet dimidium, 2. *Reg.* XVIII. 14.

Novi Test. nummi sequuntur.

I. nummulus, λεπτὸν est minimus nummus: quorum octo valent asse, *Marc.* XII. 42.

II. Quadrans, κοδράντης est quarta pars assis, *Matth.* V. 26. *Marc.* XII. 42.

III.

III. Aſſarius, Ἀσσάριον videtur eſſe dimidia pars aſſis, *Matth.* x. 29.

IV. Drachma, δραχμὴ in N. T. denotat nummum argenteum, qui valet quadrantem ſicli ſacri argentei, *Luc.* xv. 8.

V. Denarius, δηνάριον. Denarius eſt vel ſacer *Matth.* xxii. 19. vel profanus *Matth.* xviii. 28. & xx. 2. Sacer alias vocatur didrachmum. Profanus convenit cum drachma.

VI. Didrachmum, διδράχμον continet duas drachmas profanas, h.e. ſemiſiclum ſacrum, *Matth.* xvii. 24. (*Vide Seb. Schmid. d. l.* §. 8. *pag.* 811.).

VII. (*Vide rurſus Dn. Schmidt* §. 9. *pag.* 814. *ſeq.*). Stater, ϛατὴρ continet pondus quatuor drachmarum, ſive ſicli ſacri, h. e. dimidii Imperialis, *Matth.* xvii. 27.

VIII. Argenteus, Ἀργύριον. *Matth.* xxvi. 15. denotat ſiclum ſacrum, ſed *Act.* xix. 19. ſignificat denarium. Vide de hoc utroque additamento uberiorem explicationem in *Philologo Hebræo-mixto. Cl. Leuſdenii.*





D. SALOMONIS DEYLINGII
OBSERVATIO
DE
RE NUMMARIA
VETERUM HEBRÆORUM,
ad I. *Maccab.* XV. 6.

I. PErdifficilis & impedita quæstio est de veterum Hebræorum nummis. Dici vix potest, quantopere dissentiant inter se viri eruditi in illis, qui hodienum supersunt, & in Regum Principumque gazophylaciis adservantur, explicandis atque æstimandis. Nonnulli eos omnes aspernantur, & pro adulterinis habent. E quorum numero est vir eruditissimus *Otho Sperlingius* in egregia illa *Dissertatione* de *Nummis non cusis* ubi *pag.* 101. tam *absurdas & insulsas esse* opinatur *inscriptiones illas omnes* nummorum, qui vulgo Samaritani appellantur, *ut nihil in re nummaria occurrat stolidius*. In ea quippe opinione vir præstantissimus versatur, non siclos tantum, quadratis literis notatos, sed nummos omnes, qui Samaritanos characteres præferre dicuntur, adulterinos, & sequiori ævo ab impostoribus lucri caussa confictos, ac nullos omnino nummos a Judæis, etiam stante Templo secundo, cusos esse. Idem visum est Viro *Cl. Jacobo Basnagio*, qui omnes Hebræorum nummos, Samaritanis characteribus insignitos, & Templum Hierosolymitanum, liberationem Sionis, urnam mannæ, aliaque Judaicæ religionis sacramenta exhibentes, pro suppositiis, & secundo seculo a nata mundi salute cusis, habet, quo tempore frequentissimus apud Romanos nummorum usus fuerit, & Judæi, Rempublicam & antiquam gentis gloriam restauraturi, multa opera antiquitatem mentientia supposuerint & fabricarint. Videatur ejus Dissertatio *Sur les Medailles & les characteres des Samaritains, & la Monnoie ancienne des Juifs*, quam habet *L'Histoire des Ouvrages des Savans*, Janvier 1709. *Art.* IV. *pag.* 32. nec non Tomus VI. *Historiæ Judaicæ*, cui ob argumenti similitudinem est adjecta. Alii contra, iique eruditissimi viri ultimam antiquitatem ejusmodi nummis adscribunt, contenduntque, signatæ monetæ usum inde ab Abrahami ævo apud Hebræos fuisse. Hoc enim ex variis monetarum nominibus in Scriptura memora-

ratis, ככר *talento*, שקל *ſiclo*, גרה *obolo*, minimo Hebraicæ monetæ genere, manifeſto argumento evinci poſſe putavit Vir doctiſſimus *Fortunatus Scacchus* lib. II. cap. III. *Mirothec. Sacror. Elæochriſm.* refutatus a celeberrimo *Relando* in Diſſertatione *prima de Nummis Samaritanis pag. m. 49.* Nos in præſens non enarrabimus omnes virorum eruditorum opiniones & conjecturas; ſed quid nobis in re adeo obſcura atque recondita videatur, breviter, ſtrictimque, quoad ejus fieri poteſt, exponemus.

II. Veteres Hebræi ante Haſmonæos, & ante captivitatem Babylonicam argento & auro ſignato, aut moneta, non videntur uſi. Nullum certe ſignatæ monetæ veſtigium in S. codice comparet. Moſes ipſe ſilet Judaicarum originum conditor, & ſcriptor diligens in rebus minoris momenti adnotandis. Prophetæ ponderum menſurarumque fraudes frequenter commemorant & reprehendunt, ſed de nummorum vitiis ac uſu alte ſilent. Nihil etiam de nummis antiquiſſimo tempore ſignatis *Joſephus* habet perinduſtrius & copioſus rituum Hebræorum & antiquitatum enarrator, tale quid nequaquam prætermiſſurus, ſi certi quid de vetuſtiſſimis Hebræorum nummis, eorumque cudendorum jure ac uſu cognitum habuiſſet. Hebræi enim, perinde ac aliæ gentes, a rerum conditarum initio, rude uſurparunt argentum & aurum in commerciis ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σαθμῷ, *magnitudine & pondere definitum*, *Ariſtotele* teſte, qui docet: poſtea demum characteres impreſſos eſſe, ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτοὺς. Ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ πόσου σημεῖον, *ut liberaret homines a menſuratione; Character enim inditus eſt quantitatis indicium*. Hæc auri argentique ponderatio, Hebræis antiquis uſitata, indicio eſt non obſcuro, eos ſignatis nummis nondum eſſe uſos. Nam ſi moneta Hebræorum ſignata fuit, cur ubique legitur appenſa, etiamſi nummi exiguo numero ſolvendi eſſent? Cur in quovis fere contractu mentio fit ponderationis? Quæ ponderandi ratio ut antiquiſſima, ita & tutiſſima fuit, in qua nihil fraudis metuendum, ſtatera pondus pretiumque indicante. Ita Chinenſes, quibus nummi non ſignati hodienum in uſu ſunt, ſolo pondere eos probant. Propterea mercatores ſtateram, quo nummorum pondus examinent, ſecum circumferre dicuntur. Idem ponderationis mos ab Abrahami inde ætate perpetuo, atque ſub ipſis Hebræorum Regibus obtinuit, conſtanterque ſervatus eſt ad tempora uſque Maccabaica, ante quæ nummi in Scripturis non leguntur cuſi. Omnes quippe V. T. emtiones & venditiones factæ memorantur non auro argentoque, publico ſigno notatis, ſed vel ſimplici mercium permutatione, vel ponderatione metallorum. Antiquiſſimus eſt contractus Abrahami *Geneſ.* XXIII. *16.* qui non ſignato, ſed ponderato argento, ſive certo argenti pondere, datis nempe XL. argenti ἀσήμου ſiclis, ab Hephrone, redemit agrum. Unde intelligitur, eundem ponderationis morem Syris atque Chaldæis eo tempore in uſu fuiſſe.

III. Verum ne quid diſſimulemus, obſtare videtur noſtræ ſententiæ locus *Geneſ.* XXXIII. *19.* ubi Doctores Talmudici & interpretes Hebræi, quibus multi ex Chriſtianis adſentiuntur, קשיטה de *nummo ſignato* exponunt, muniuntque ſe autoritate, ac more aliarum gentium, quæ nummos a figuris impreſſis appellarunt. Sic Argivi lupos, Theſſali equos argenteos, aureos, æneoſque habuerunt. *Plutarchus* memoriæ prodidit *Theſea*, Athenienſium Ducem, bove pecuniam ſignaſſe. Sic Athenienſium & Deliorum moneta dicebatur ΒΟΥΣ, *bos*, ab impreſſa imagine bovis. *Julius Pollux lib.* IX. *cap. 6. pag.* 1028. Τὸ δὲ παλαιὸν τοῦτο ἦν Ἀθηναίοις νόμισμα, καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον. Ibidem *pag.* 1029. Καὶ ἐν τῇ παρὰ Δηλίοις θεωρίᾳ τὸν κήρυκα κηρύττειν φασὶν, ὁπότε δωρεᾷ τινι ἐδίδοτο. ὅτι δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτο, βόες, καὶ δίδοσθαι καθ' ἕκαστον βοῦν δύο δραχμὰς Ἀττικάς; ὅθεν ἔνιοι Δηλίων, ἀλλ' οὐκ Ἀθηναίων νόμισμα τὸν βοῦν νομίζουσιν. Unde βοῦν ἐπὶ γλώσσῃ, *bovem in lingua* habere illi dicebantur, qui pecunia corrupti erant, ne dicerent, quod ſentiebant. Videndus eſt *Heſychius* ſub voce Βοῦς. Athenienſes imitatus *Servius*, Romanorum Rex, ovium boumque effigie primus æs ſignaſſe dicitur apud *Plinium lib.* XVIII. *cap.* 3. At vero mos ille metalla ſignandi ove & bove, aut aliorum animalium effigie, multo recentior eſt Jacobi ævo, nec ullo probari poteſt argumento, eum jam tum in uſu fuiſſe. Propterea alii eruditi viri, LXX. interpretes ſecuti, קשיטה exponere maluerunt de *agno* vel *ove*, rati, Jacobum Patriarcham pro more illorum temporum centum agnos pro agro dediſſe. *Bolducius* certe ad *Jobi* XLII. *verſ.* 11. per קשיטה ovem proprie dictam intelligi oportere contendit, non in moneta expreſſam, quia ſi per nummum exponeretur munus ſingulorum Jobi amicorum, mendicitatem redoleret. Similiter de *ove* vel *agno* eam vocem exponendam eſſe multis argumentis contendit *Frid. Spanhemius in Hiſtoria Jobi ſ. m.* 85. *Tom.* II. *Op.*

At

At vero hic ipse Jobi locus, in quo קשיטה cum monili aureo conjungitur, argumento mihi & indicio est, munus manu datum fuisse, nec multum diversum ab aureo monili. Præterea agrum a Jacobo emtum Stephanus *Actor.* VII. 16. dixit: τιμῆς ἀργυρίου, *certo argenti pretio*, non agnis, quippe qui nusquam in Scripturis, ubi de ovium pastu, proventu, mactatione & sacrificiis tam copiose & frequenter agitur, קשיטה appellantur. Nec in vicinis Hebraicæ Linguis ullum vocis hujus, hac saltim significatione, vestigium apparere *Sam. Bochartus*: Vir harum rerum peritissimus, asseverat *Hieroz. Part.* I. *lib.* II. *cap.* XLIII. Qua in sententia suffragatorem habet *Jac. Gussetium* in *Comment. Linguæ Hebr. fol.* 763. qui affirmat, *agni* significationem incertam esse, utpote traditionibus Rabbinorum nugacibus tantum fultam, & eo animo excogitatam, ut nihil ignorare putentur. Inde tamen nondum sequitur, quod *Cel. Bocharto* & *Jo. Clerico* ad h. l. visum est, קשטיה fuisse nummi speciem certis characteribus signatam. Eo enim tempore nondum signabatur argentum, sed ponderari solebat, uti exempla ex Scripturis allata, & summus priscorum autorum consensus docent. Conferatur idem eruditissimus *Spanhemius loc. cit. f. m.* 87. §. XIII. Nec juvat viros doctissimos usus Syrorum, qui קוסטרא *Kostro* vocant *nummularium*, perinde ac Arabes, qui קסטאר *Kosteron* eundem dicunt. Nam hæc significatio apud Syros & Arabes multum est recentior, nec ducere nos potest ad antiquissimam vocis קשיטה significationem. Quam ego apud Hebræos investigare mallem, ducta vocis origine a קשט *Koseth*, *veritas*, & discrimine punctorum neglecto. Hoc jacto fundamento קשיטה tale argenti aliusve metalli frustum notare videtur, quod nec adulterinum, nec leve nimis, sed sincerum, ac veri justique ponderis est. In qua sententia me confirmant *Chaldæi Paraphrastæ*, qui קשוט *veritas*, ponderibus addunt, *Deut.* XXV. 15. & *Prov.* XVI. 11. Dissentit a nobis vir doctissimus *Soucietus*, Jesuita Gallus, in *Recueil de Dissertations Critiques sur des endroits difficiles de l'Ecriture S. pag. m.* 110. 111. Sed rationes ab eo allatæ me non potuerunt inducere, ut sententiam mutarem.

IV. Equidem non ignoro, argenteum nummum circumferri, qui Abrahami & Saræ nomen præfert cum subscriptis verbis: זקן וזקינה *Senex & anus* ex una, ex altera vero parte Isaaci & Rebeccæ nominum primas literas cum hac inscriptione: בחור ובתולה *Juvenis & Virgo*. Hujus nummi ectypum, ab *Herm. Conringio* missum, ex nummario thesauro Serenissimi Ducis *Antonii Ulrici* ære expressit *Hottingerus* Tab. VI. num. 3. Dissertationis de *Nummis Orientalium*. Similem nummum a *Boleslao* de *Hassenstein* ex Palæstina allatum, pius quondam sacrorum in valle Joachimica Antistes *Joh. Matthesius* vidit, & *Sareptæ* Conc. XIV. *pag.* 148. descripsit. Credunt Judæi, aliisque persuadere conantur in *Bereschith Rabba Parascha* 39. qui liber tertio post Christum natum seculo dicitur conscriptus, ipsum Abrahamum illum nummum cudisse, ejusque formam in Cananæam intulisse, quam fabulam, a Judæis excogitatam, *Epiphanius* in Libro de *Mensuris & Ponderib.* refert. Eandem Abrahamici nummi speciem cum aliis ex *Baba Kama* memorat *Christianus Gerson* libro, quem *Talmudis Judaici* cognomento vernacula Germanorum lingua conscripsit, parte altera *cap.* XVIII. *pag.* 577. Recte autem *Villalpandus* omnem hanc traditionem risu prosequendam, & commentis Judaicis accensendam putavit *Tom.* IV. *Parte* II. *cap.* XXVII. *sub finem*. Repugnat enim Abrahami conditio, temporisque ratio. Quis credat Abrahamum, hominem externum, privatum, peregrinum inter Cananæos potestatem habuisse cudendi monetam? Cur ponderavit argentum Hephroni, si signata pecunia in promptu fuit? Quomodo mentio fieri poterat in nummo Rebeccæ, tanquam בתולה virginis integræ ac illibatæ, quam Abrahamus nunquam viderat, nisi nurum, & post Saræ demum mortem filio suo nuptam? Ne quid dicam de stupenda & incredibili nummi ætate, de verbis inscriptis, quæ ridicula sunt & perinepta, nec non de characteribus, qui non sunt Cananæi, sed Assyrii, & qui valide me confirmant, illum nummum esse adulterinum. Hujus sententiæ autores habeo viros Celeb. *Herm. Conringium* cap. VII. de *Nummis Hebr.* & *Joh. Christophorum Wagenseilium* in Commentario ad *Sota cap.* IV. *pag. m.* 575. 577.

V. Ut Abrahami ætate merces permutari, & argentum appendi solebat, arte signandi & cudendi nummos nondum inventa, ita idem ille permutationis, ac ponderationis imprimis mos postea ætate Mosis, & deinceps sub ipsis Regibus, retentus est, & in commerciis observari consuevit. Sic *Exodi* XXII. 17. ubi de dote violatæ virgini a stupratore danda agitur, argentum jubetur appendi secundum dotem virginum. Simili ratione, quando I. *Chron.* XXII. 25. Regis Davidis

dis contractus cum Arnone describitur, David ipse potentissimus ditissimusque Israelitarum Rex, ei appendisse, & dedisse memoratur siclos auri pondere sexcentos. Unde intelligamus licet, nummos signatos eo tempore nondum fuisse in usu, & fabulosum esse illum Davidis nummum, cujus imaginem exhibuerunt *Waserus*, *Kircherus*, Tomo II. *Oedypi*, *Wagenseilius* loc. cit. aliique. In antica ejus facie literis Assyriis leguntur verba: דוד המלך ובנו שלמה המלך: *David Rex*, & *Filius ejus Salomo Rex*. In postica portæ piscatoriæ, prout eam *Adrichomius* videndam exhibuit, rudis imago conspicitur, his adscriptis verbis: ירושלם עיר הקודש: *Jerusalem urbs sanctitatis*. At vero David nummis signatis & numerandis non usus est. Nec aliarum gentium Reges eo tempore signarunt nummos, quorum antiquissimi sunt Darici & Alexandrini. Nec ratio apparet, cur David, nummos cusurus, in illis nomen filii expresserit, & Regem salutarit, quem in imperii societatem nunquam adscivit. Consentit *Wagenseilius loc. cit. pag.* 577. cui, horum nummorum originem investiganti, hæc in mentem venit conjectura: Nimirum, apud secula priora pietatis, aut curiositatis impulsu, Christianorum multos Palæstinam petiisse, loca, quæ præsentia Servatoris sacravit, suis contemplaturos oculis, veneraturos affectu. Uti autem peregrinantium omnium, ita & ipsorum hoc fuisse studium, ut quædam pro itineris memoria, domum secum referrent, inprimis λείψανα sanctorum, sacrosque nummos. Occasionem hinc sumsisse Judæos, qui in istis partibus degunt, fingendi nummos ejusmodi, & ex illorum venditione faciendi quæstum. Allatos in Germaniam facile reperisse amatores, qui ad aliorum similitudinem novos ferire jusserint. Inde illam, quam habemus, copiam esse.

VI. Idem esto judicium de illo nummo, qui *Salomonis* Regis nomen, & porticum Templi refert, & quem *Villalpandus*, *Waltonus*, *Kircherus* atque *Hottingerus* exhibuerunt. E quibus *Hic* αὐθεντίαν ejus propugnare non dubitavit, semel iterumque professus: *nullum se vidisse Hebraicis notatum literis, qui certiorem præ se ferat*, & *verisimiliorem antiquitatis speciem*. Idem ante *Hottingerum* senserunt *Schickardus* & *Job. Buxtorffius* in Dissertatione de *Literis antiquis Hebræorum*. At vero ego *Villalpando* & *Fulvio Ursino*, aliisque viris eruditis, atque rei nummariæ peritis, malo suffragari, nimirum vel falsum esse ejusmodi nummum, & ab impostore quodam confictum, vel recentius ab Herode percussum in honorem Antonii, cui regium nomen, regiamque dignitatem ac potestatem debebat. Effigies certe non est Salomonis Regis, sed Antonii vultum non male dicitur referre. Qua in sententia me confirmat corona capitis radiata, ἀποθεώσεως signum, rudis nummi fabrica, a fastu & splendore Salomoneo aliena, inscriptio, quæ minus concinna est, nummorum cudendorum ignorantia, quæ eo tempore erat, & literæ Assyriæ seu quadratæ, aliaque argumenta, quæ legi possunt apud *Ludov. Cappellum* in Diatribe *de Literis Hebræorum Job. Buxtorffio* opposita, *pag.* 120. & *Herm. Conringium* de *Nummis Hebræorum cap.* V. *p. m.* 146.

VII. Nec paullo post in desuetudinem abiit ponderandi argenti ratio & usus. *Achabo* Regi divinus vates edicit I. *Reg.* XX. 39. *Talentum argenti appendes*. Illo quippe tempore nummi signati ignorabantur, nec ullus eorum apud Hebræos in commerciis usus erat. Ita sub Rege *Ezechia* argentum ab emtoribus non numerari, sed appendi consuevisse, clare significatur *Esaiæ* LV. 2. ubi Esaias exclamat: *Quare* Appenditis *argentum in non panem?* Hic mos perduravit apud Hebræos usque ad excidium Reipublicæ Judaicæ, a Chaldæis illatum, & ad ætatem usque *Jeremiæ*, qui agrum a patruele emens appendit ei argentum in statera, *Jer.* XXXIII. 9. 10. *Interpretes Alexandrini* Hebræorum verbum שקל tantum non ubique exposuerunt per ἱστάναι vel στῆσαι, quod est appendere. Unde Στατικὴ non ignobilis Matheseos pars. Interpretes Græcos imitatus *Matthæus cap.* XXVI. 15. de Juda Servatoris proditore ait: ΕΣΤΗΣΑΝ τριάκοντα ἀργύρια, *appenderunt ei* XXX. *argentea* scilicet νομίσματα. Ex tot ponderati argenti exemplis justa conficitur demonstratio, Judæos ante deportationem, & captivitatem Babylonicam argento signato, & nummis, publica autoritate cusis, non esse usos.

VIII. Nec aliis gentibus ante illa tempora familiaris fuit signati æris usus. Assyriorum, Babylonicorum, Medorum, Persarumque veterum nummi prorsus ignorantur, nec quidquam de eorum vetustate dici potest. Quod mihi indicio est, illarum gentium Reges, auri argentique copia abundantes, artem signandi metalla diu ignorasse. Apud Romanos ipsa demum exilii Babylonici tempestate prius *Servius Tullius* Rex æs signavit. Cujus æris hodienum supersunt asses librales & semisses, quemadmodum Illustris *Spanhemius* demonstravit contra *Vaillantium*, qui in Præfatione ad *Familias* Ro-

Romanas id negarat. Argentum paullo ante primum bellum Punicum, aurum longe ſerius notarunt Romani. Græcorum autem nummorum vetuſtiſſimos bellum Peloponneſiacum non attingere *Herman. Conringius*, idoneis confirmatus argumentis, aſſeveravit. Cui contradicturus, eumque erroris convicturus illuſtriſſimus *Spanhemius* ad nummum provocat Amyntæ, eo nomine primi, & ſexti in ſerie Regum Macedoniæ Cyri, Cambyſique æqualis. Quem nummum in Theſauri Brandenburgici *Vol.* III. *pag.* 4. Clar. *Begerus* edidit. Hunc multo antiquiorem eſſe putat *Ez. Spanhemius* alterius Amyntæ nummo, qui ſit poſtremus eo nomine Macedoniæ Regum, Alexandri M. avus, quem e theſauris Gallorum regiis memoret *Joh. Harduinus Specim. Chronolog. V. Teſt. pag.* 109. omniumque, qui ſunt in Cimeliis, antiquiſſimum arbitretur. Utroque tamen multo vetuſtiorem *Atyis* cujuſdam, Lydiæ Regis, producit nummum, hinc ſenilis barbati capitis cum Phrygio pileo effigie, illinc monogramma, duas literas AT complexum, repręſentantem. Vid. Tabulę noſtrę III. *Fig.* 2. Quem *Atyn* equidem non antiquiſſimum eſſe ſtatuit, *Mane*, primo Lydorum Rege, ſecundum *Herodotum*, prognatum. Obſtare enim ait ſummam vetuſtatem, quę ei ab autoribus tribuatur. Sed *Atyn* intelligendum putat quendam ex Heraclidarum dynaſtia Lydię Regem, ex Herculis & Omphales progenie ortum, ad quę pertineant ea omnia, quę *Herodotus*, aliique veteris hiſtorię conditores, tanquam geſta a vetuſtiore *Atye*, primę apud Lydos dynaſtię Rege, referant. Videatur *prima* Diſſertatio *Ez. Spanhemii* in pręſtantiſſimo Opere de *Uſu Numiſmatum antiquorum*, ubi de antiquiſſimis Gręcorum nummis, qui ſuperſunt, erudite ornateque egit. Ego illuſtris viri memoriam ſancte colo, nec incunctanter in ejus ſententiam pedibus concederem, niſi me unum alterumque dubium remorarentur. Video enim precario ſupponi, nummos illos Principes habere autores, quorum nomina pręferunt, & ejuſdemeſſe ętatis. Quod nunquam, certe difficulter, probari poteſt. Quis clare docebit nos, uter *Atys* in nummo, a *Spanhemio* laudato, num prior, Parens Lydi, a quo gens Lydia nomen accepit; an vero poſterior, ſecundę Heraclidarum dynaſtię *Atys* intelligi debeat? Hic certe perobſcurus eſt in veterum ſcriptorum monumentis, in quibus vix alius occurrit Lydius Atys, quam filius Crœſi. Tam incerta ſunt omnia & tenebricoſa. Nummus pręterea certo temporis charactere deſtitutus, dubium incertumque relinquit curioſiſſimum, & rei nummarię peritiſſimum ſpectatorem, cui ſeculo & autori debeat adſcribi. Abſunt Regiæ dignitatis inſignia, corona, & ſceptrum, Lydiæ Regum ornamenta, *Dionyſio* teſte *Halicarnaſſenſi*, *lib.* III. *pag.* 187. Pileus Phrygius ſacerdotem magis, quam Regem, indicare videtur. Quidquid ſit, hoc ſaltim certum, exploratumque eſt, antiquiſſimos Græcorum nummos non antecedere Judaicæ gentis excidium & Babylonicam deportationem.

IX. Cum igitur aliæ gentes omnes, ingenio excultæ, & commerciis florentes, ſequiori demum tempore uti cœperint argento ſignato, & inter Græcos Æginetæ primi dicantur numiſma percuſſiſſe in *Marmore Epochæ Atticæ*, & apud *Ælianum Var. Hiſt. lib.* XII. *cap.* X. ad quem locum conferendæ ſunt erudite *Jac. Perizonii Notæ p. m.* 681. qui id ex autoritate, vel ex conſilio *Phidonis* Argivi, potentis tunc Regis in Peloponneſo, factum eſſe cenſet; idcirco difficulter induci poſſum, ut credam, ſolos Hebræos, nulla propemodum commercia cum vicinis populis exercentes, ſignata moneta uſos eſſe. Cum præſertim in nominibus nummorum, in Scripturis Vet. Teſt. memoratorum, nullum ſignatæ monetæ indicium deprehendatur. Nam ככר *ciccar*, interprete *Aria Montano*, Antiquitatum Hebraicarum peritiſſimo, *maſſam* ſimpliciter ſignificat, tortæ inſtar placentæ, qua forma aurum & argentum in Regum & Principum theſauris reponi conſuevit. Quo ipſa vox, *planitiem* formaliter notans, inclinare videtur. Uſus Scripturæ certum pondus notabat, uti apparet ex I. Reg. X. 14. & 10. גרה minutum ſignificabat pondus, vigeſimam videlicet partem שקל *ſicli*, qui antiquo tempore, & ante captivitatem ἄσημος erat, rudis argenti fruſtum, non tam monetæ, quam ponderis loco, nempe τετράδραχμος, *quatuor drachmarum*. Ita *Joſephus* eum definit *lib.* III. *Antiquit. cap.* 9. Ὁ δὲ Σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δράχμας τέσσαρας. *Siclus numiſma Hebræorum continet Atticas drachmas quatuor*. Equidem *Joh. Caſparus Eiſenſchmidius*, vir ingenio doctrinaque præſtantiſſimus, in Diſquiſitione Nova *de Ponderibus & Menſuris Veterum p.* 56. deceptum putavit τὸν Ἀρχαιλόγον, & vulgari præjudicio abreptum, quando iſtud Hebraici Sicli pondus definivit. Eſſe quippe 64. granis Pariſienſibus leviorem Attico tetradrachmo. Sed Vir *Cl. Adr. Relandus Joſephum* erudite vindicavit *Diſſert. V. de Nummis Samaritanis p. m.* 188. Dubium tantum movent Græci Alexandri-

drini, qui Siclum Hebraicum ubique fere *δίδραχμον* vertunt. Quę versio viros eruditos diu torsit. Quorum alii errorem ab interpretibus commissum censuerunt; alii librariis adscripserunt culpam. Sed neutrum dici potest, cum res per se salva sit. Modo observemus, versionem Græcam in Ægypto esse adornatam a Judæis Alexandrinis, eosque more Alexandrino loquutos esse, quo drachma Alexandrina duas Atticas pendebat. Hoc modo *δίδραχμος* Alexandrinus est *τετράδραχμος* Atticus, ut ex *Polluce* constat. Falsum quippe est, quod *Ligtfootus* ait, *Operum Posth. f. m. 16.* Græcam illam versionem a Synedrio adornatam esse, ut symbolum esset religionis Judaicæ, aut nonnullos a summo Senatu deputatos illius autores esse. Quos potius Alexandrinos fuisse Judæos inde constat, quod tot voces in Ægypto usurpatas, atque tritas, immiscuerunt. Ita חומים *ἀλήθειαν*, שקל *δίδραχμον* reddunt, & creationem *γένεσιν* vocant. Jer. XLVI. 15. Ἄπις Numen Ægyptium memoratur. Conferatur *Jo. Clericus Bibl. Sel. Tom. VIII. pag.* 354. Inde etiam est Παστοφόριον his interpretibus frequenter usurpatum, quæ vox apud Ægyptios valde usitata erat, notabatque collegium *Pastophororum*, & locum etiam, ubi conveniebant, a *παστὰς* vel *παστὸς cella* & *velo*, ante cellam oppanso. Recte proinde Vir doctissimus *Sam. Basnagius* Tom. II. *Annalium Politico Ecclesiasticorum* f. 260. *Pastophorium* describit ædiculam, sive thalamum, in quo Ecclesiæ suppellex recondi, Clericique recipi consueverint. Ita sumitur in *Constitut. Apostol. libr.* VIII. *cap.* 13. pro cellis, & conclavibus, quæ ad latera Templi solebant ædificari: Ὅταν πάντες καὶ πᾶσαι μεταλάβωσι, οἱ διάκονοι λαβόντες τὰ περισσεύματα εἰς Παστοφόρια εἰσφερέτωσαν. Quod Pontificii de *ciborio*, consecrati panis repositorio, male exponunt. *Hesychio* *παστοφόριον* est *ναὸς ἐυανθής*. Conferantur *Jo. Seldenus de Synedriis p. m.* 540. & *Steph. le Moine* in Epistola *de Melanophoris p. m.* 259.

X. Sed redeamus ad veterum Hebræorum nummos, quos certo charactere & signo, ante excidium a Chaldæis illatum, notatos fuisse, hoc inprimis argumento negavimus, quod nummi in Scripturis nusquam cusi, aut numerati, sed semper appensi memorantur in statera, ultimorum etiam Regum ævo. Inde incunctanter colligo, signatos esse non potuisse. Etsi enim apud Romanos non asses tantum librales, verum denarii quoque, argenteique nummi, dicantur appensi ab *Ez. Spanbemio*, æquo idoneoque veterum nummorum æstimatore ac interprete, adducto in eam rem *Cassiodori* loco, tamen rarius id factum est, nec nisi ab initio, & examinis caussa. Neque omnes fuerunt appensi, sed illi tantum, qui sublestæ fidei, dubiique ponderis poterant videri. Quo minus autem proximo a captivitate tempore, & post reditum in patriam, nummi a Judæis continuo cuderentur, impedivisse crediderim publicas calamitates, & miseram gentis conditionem. Etsi enim Judæi, e Chaldæa reduces, collapsam Rempublicam utcunque restaurarunt, tamen per plures, quam CCCC. annos sui juris omnino non fuerunt, sed sub Chaldæorum, Persarum, Græcorumque jugo ac dominatu vixerunt, nec suis sed vicinorum populorum nummis, ac eorum imprimis, quorum imperio obnoxii erant, videntur usi. Certe, quoad Judæi sub Persarum Græcorumque fuerunt potestate, non potuerunt nummos cudere, & argentum signare publico gentis suæ, ac Reipublicæ charactere. Hæc enim facultas ad eos pertinebat, qui summo cum imperio Judæis præerant. Ego existimaverim, Judæos eo tempore nec ausuros fuisse signare nummos, nec a Regibus externis, sub quorum potestate erant, impune laturos, si monetam cudissent. Hoc enim jure, quod summæ potestatis insigne decus est, Judæi, externis Regibus obnoxii, eo tempore non gaudebant. Nec ullum ante tempora Maccabaica cusæ monetæ vestigium in Sacrarum literarum monumentis apparet. Primus enim *Simon*, Judæorum Ethnarcha, recuperata Reipublicæ libertate, excussoque Syrorum jugo, potestatem cudendi nummos sibi asseruisse, eamque exercuisse videtur. Potestas certe Simoni Hasmonæo, populoque Hebraico, ab Antiocho Rege, qui in Maccabaicis appellatur Demetrii filius, indulta est, aut confirmata. Nam in literis I. Maccab. XV. 6. recitatis, hæc leguntur verba: Καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σου. Quod non male vertit *Interpres vulgatus*: *Et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua*.

XI. Plerique Hebræorum nummi, qui hodienum supersunt, & indubitata genuinæ antiquitatis indicia habent, sub Simonis Hasmonæi auspiciis, & principatu cusi sunt. Nonnullis enim impressum est hujus Simonis nomen. Talis adservatur in Cimeliis Foucaltianis in Gallia, cujus typum, ab *Antonio Gallandio* missum ad *Adr. Relandum*, exhibemus *Tab. III. Fig.* 3. Hujus ab una parte est inscriptio: שמעון נשיא ישראל *Simeon Princeps Israelis*. Ab altera parte pampinus est

est vel folium ficus, aut fructus balsami, ut nonnulli suspicantur. Literas, vetustate exesas atque detritas, *Adr. Relandus* restituit ex simili nummo, qui in opere *Bouterouano* exstat, ubi legitur: לחרות ירושלם *Libertatis Jerusalem*; & in alio: שנ' לח' ישאל *Anno secundo libertatis Israel*, ר omisso. Alius & peregregius omniumque, qui hodie supersunt, ab Hebræis cusorum, antiquissimus nummus, ab una parte amphoram habet, & has literas: - - - אחת שנת לגא *anno primo liberationis Zionis*. Ita enim reliqua supplenda esse Celeb. *Relandus* putat. Ab altera parte corollæ inscriptum fuit: שמעון נשיא ישראל *Simon Princeps Israelis*. Vid. *Fig.* 4. *Tab. III.* Sequens nummus *Fig.* 5. qui in Cimeliarchio *D. Henrionis*, JCti Parisiensis & Regii Linguæ Syriacæ Professoris, exstat, exhibet duas literas ון . . . ultimas videlicet nominis שמעון *Simonis*. Qua de re nos dubitare non sinunt alii nummi ejusdem generis, qui idem Simeonis nomen clarius expressum habent apud *Kircherum*, & Virum eruditissimum *Claudium Bouteroue*, Consiliarium quondam Curiæ monetariæ in Gallia, in libro erudito & perraro: *Recherches curieuses des Monnoyes de France*, Parisiis edito 1666. in Fol. in quo de Hebræorum etiam nummis egit, ita tamen, ut in Præfatione candide fateatur, se horum nummorum explicationem a Celeb. *Bocharto* didicisse. Etsi autem in illis explicandis non ubique rem acu tetigit, tamen hoc vidit, plerosque Hebrȩorum nummos, qui supersunt, sub Simeonis Hasmonei principatu cusos esse, illiusque regiminis annum expressum continere. Multa ex opere hoc *Bouterouano* se didicisse profitetur *Saintiore*, sub quo nomine *Rich. Simonius* latere voluit, *Biblioth. Criticæ Tom. II. Cap. XXVII. p. m.* 413. Huc pertinent reliqui nummi. Quintus ex cimeliis Harlȩanis petitus, tres literas nominis עון . . . *Simeon* reprȩsentat, & botrum uvarum, ad indicandos pacis, Simeonis fortitudine conciliatȩ, fructus, fertilitatemque terrȩ ac vini abundantiam. Botrus prȩterea, folium vitis, & palma, ut ex nummis apparet, symbolum erant Judȩȩ, perinde ac ramus opobalsami Arabiȩ, quemadmodum ex Vespasiani & Titi nummis constat. Solebant Romani quoque agrorum fertilitatem in nummis indicare per spicas, uvarum racemos, & palmas arbores. Quod *Vaillantius* in Prȩfatione ad Numismata Ærea Imperatorum, Augustarum, & Cȩsarum notavit. Altera nummi nostri *Fig.* 6. facies hanc habet epigraphen: לחרות .. ירושלם *Libertatis Jerusalem*, & duas prȩterea tubas, חצוצרות dictas, quȩ tempore communis lȩtitiȩ solebant inflari, Num. XX. 9. Hoc in nummo summum gentis Judaicȩ gaudium notant, post libertatem ab Hasmonȩis restitutam. Nummus sextus *Fig.* 7. ab una parte ramum oleæ & phialam sistit, seu gutturnium, quod notat vasa sacra templo restituta, 1. *Maccab.* XIV. 15. cum hac inscriptione: לחרות ירושלם *Libertatis Jerusalem*. Ab altera parte, quæ hucusque ἀνερμήνευτος est, *corolla* conspicitur secundum *Relandum*, *torques*, gemmis & unionibus conspicuus, secundum *Villalpandum*, & *Jo. Morinum*, sed *catena* soluta, ex opinione *Hottingeri*. Literas in medio corollæ vel torquis contentas, *Villalpandus* & *Morinus* שמן עת *Unctionis tempus* minus apte, & invita Hebræorum Syntaxi, interpretantur. *Stephanus Morinus* שמין, id est, *minutum* legit. Rectius ad Simeonem hunc nummum retulerunt, & Simeoni Maccabæo vindicarunt *Hottingerus*, *Harduinus* & *Bouteroue*, qui corollæ inscriptum credunt: שמעון *Simeonis* nomen, transpositis literis, ita ut ע inter ו & ן medium cernatur. *Adr.* tamen *Relandus* maluit ἐπέχειν. Mihi Simeonis Hasmonæi nomen, & tempora, fortunasque non obscure referre videtur. Idem ostendere possem de reliquis Hebræorum nummis, qui genuini sunt, eos Hasmonæorum demum ætate, & serius, cusos esse. Nulli enim exstant, qui exilio Babylonico, & Hasmonæorum ætate sint vetustiores. Nam nummorum signatorum usus minus antiquus est apud Hebræos. Conferatur *Histoire Critique de la Republique des lettres*, *Tom.* II. *p.* 69.

XII. Hi aliique Hebræorum nummi genuina ac certa antiquitatis indicia habere deprehenduntur. Equidem *Otho Sperlingius* in eam ductus est opinionem, omnes omnino Hebræorum nummos, qui hodie ostenduntur, quibuscunque literis notatos, lucri faciendi caussa confictos, & nullos omnino nummos, stante Templo secundo, cusos esse. Idem *Wagenseilius* in Commentario ad *Sota* asserere visus est *Conringio*, *Jac. Basnagio*, aliisque. Sed alibi diserte declaravit, se eos dumtaxat Hebræorum nummos, qui Assyriacis, seu quadratis insigniti sint literis, inter adulterinos referre. Reliquos autem, Samariticum, ut appellant, characterem præferentes, genuinis adnumerare. Videatur *Wagenseilii* Dissertatio de *Sceptro Judæ Genes.* XLIX. 10. ad *Christophorum Arnoldum* scripta, sub finem, quæ continetur Fasciculo *Quinto* Opusculorum

Phi-

Philologicorum a *Th. Creenio* editorum *p.* 301. Contra *Jac. Basnagii* opinio est, inter Samariticos nummos vix ullum inveniri genuinum. Omnes enim illos tanquam adulterinos rejiciendos esse, in quibus *Hierosolymæ*, tanquam sanctæ urbis, *Templi*, & *Libertatis Sionis*, mentio fiat, perinde ac eos, in quibus urna mannæ, aliaque vasa, ad Templi Hierosolymitani cultum, & ornatum pertinentia, cernantur. Eos enim neque a civibus Hierosolymitanis, neque a Samaritanis cudi potuisse. Hos quippe, Judæis perpetuo adversantes, ob liberationem Sionis, & restituta Templi vasa, cultumque publicum, in gaudii utilitatisque partem non venisse. Multo minus Hierosolymitanos signasse putat, quippe qui characteribus Samaritanis, quales in his nummis exstat, nunquam fuissent usuri in publico perpetuoque suæ fortitudinis, partæque libertatis monumento. Vid. *Jac. Basnagii* Dissertatio *Sur les Medailles, & les caracteres de Samaritains, & la Monnoye ancienne des Juifs*, sub finem Tomi VI. *Historiæ Judaicæ pag. m.* 444.

XIII. His vero opponimus aliorum judicia virorum, qui nullo partium studio ducti, usuque in veterum nummorum tractatione, ac orientis literatura exercitati, nummos ejusmodi Judæorum diligenter accurateque inspexerunt, & bonæ fidei argumentis confirmati, de genuina eorum antiquitate pronunciarunt. E quorum numero principem tenet locum perillustris *Spanhemius*, qui sub initium statim præstantissimi operis narrat: se in præclaris cimeliarchiis subinde incidisse in Judæorum nummos, Samariticis literis notatos, quos pro sinceris & antiquis non potuerit non agnoscere. Et quis credat, Hasmonæos Pontifices, Ducesque Judæorum, quibus nummorum cudendorum potestatem indulserant Syriæ Reges, eo beneficio non usos esse, cum præsertim eodem tempore vicinæ gentes, Syri, Ægyptiique nummos signarent, & moneta in commerciis uterentur? Si non omnes, nonnullos certe, non obscuras sinceritatis & antiquitatis notas habentes, genuinis adnumerandos esse censemus. Quales nostri inprimis sunt ac *VVildiani*, a Cl. *Relando* erudite illustrati, quos non ita pridem e Syria attulit homo, qui nulla spe lucri permotus, & pretii plane ignarus, hæc una cum aliis effossa numismata in Palæstina, facile a se impetrari passus est, dicens: sibi hanc suppellectilem inutilem esse, eodem *Adr. Relando* teste, *p.* 48. *Dissertationis primæ*. Hæc iis fidem faciunt, quæ Judæi narrarunt *Guil. Postello*, Orientis peregrinatori, Hierosolymis in maceriis & ruderibus profundissimis, talia numismata a terræ fossoribus crebro reperiri. Tales nummos *Postellus* vidit apud Judæos, qui eos usque adeo magni thesauri loco duxerunt, ut unum, alioquin quincunce vix æstimandum, duobus nummis aureis non potuerit redimere, quia a Salomonis ætate illos esse asserebant. Ejusmodi nummi figuram & descriptionem dedit *Postellus* in *Alphabeto* XII. *Linguarum*, Parisiis impresso anno Christi 1538.

XIV. Hic vero insignis emergit difficultas. Quæritur enim: qua de caussa Samaritani characteres post captivitatem Babylonicam, & Simonis Hasmonęi ętate Judęorum nummis, in urbe Hierosolymorum cusis, fuerint impressi? Quis facile induci potest, ut credat, Judęos in publicis gentis suę monumentis atque nummis, uti voluisse literis Samaritanorum, qui sacrorum Judaicorum desertores, adversarii, & Judęis ęque odiosi, ac Ethnici, *Joh.* IV. 9. & propterea a communi sacrorum usu exclusi, dirisque devoti erant? Videatur *Joh.* IV. 9. & *Jo. Ligtfootus* in eum locum *p. m.* 994. Hęc difficultas Cl. Virum *Jac. Basnagium* eo adegit, ut negaret, nummos, Samariticis literis notatos, genuinos esse. Alii eruditi viri, ingenio doctrinaque pręstantes, hoc argumento usi sunt, ad probandam summam horum nummorum antiquitatem, putantes, eorum permultos, ac siclos inprimis, cusos esse ante Hebręi populi divisionem factam post Salomonis excessum, quum Jerusalem adhuc omnium tribuum caput esset, & ab omnibus pro urbe sancta haberetur, stante adhuc Templo primo. Samaritanos enim characteres, quales in his nummis conspiciantur, olim communes totius Israelis literas fuisse ante discessum decem tribuum a duabus. Sed Judęos, ne cum schismaticis Israelitis ullo sacrorum usu communicarent, eam literarum formam, quę nunc etiam in usu est, hoc est, *quadratam*, mutatis valde alterius prioris figuris, adinvenisse. Hęc fere sententia est *Scaligeri*, *Villalpandi*, *Drusii*, utriusque *Vossii*, *Masii*, *VVaseri*, *Lud. Capelli*, *VValtoni*, & *Benedicti* inprimis *Ariæ Montani*, viri harum literarum apprime periti, & ob sacras Scripturas Regio ornatu atque apparatu illustratas, immortalem laudem promeriti, qui in suo *Ephron* de Siclo *Mosis Gerundensis*, qualis sibi etiam obtigerat, ita pronunciavit. Pręiverunt veteris Ecclesię Doctores, *Eusebius* & *Hieronymus*, qui in eadem fuerunt opinione characteres Samaritanos primęvas Hebręo

brȩorum literas fuiſse. Hanc opinionem *Joſephus Scaliger* in *Notis* ad *Chronicon Euſebianum* probari poſse cenſuit *p. m.* 62. 103. fide antiquiſſimorum ſiclorum, quos ſub Regibus Judȩ cuſos fuiſse ſupponit. In qua opinione ita fuit confirmatus, ut extremȩ inſaniȩ & imperitiȩ eſse pronunciaverit, putare, veterum Hebrȩorum alias literas fuiſse, quam quȩ in illis ſiclis viſuntur, & quȩ ſub Regibus Judȩ in commerciis Judȩorum fuerunt.

XV. Contra ſentit *Jo. Buxtorffius* Filius, de literis Hebraicis præclare meritus, in Diſſertatione *de Literis Hebræorum*. Etſi enim non negat, ſiclo tempore prioris Templi cuſos fuiſse, §.64. pernegavit tamen, Samaritanorum literas primȩvos Hebrȩorum characteres fuiſse. Sed multo moderatior eſt, quam *Matthias VVaſmuthus*, qui tanta acerbitate & vehementia diſputavit in ſuis *Vindiciis*, ut *Hermanno Conringio*, aliiſque, furere magis & inſanire, quam diſserere, veritatis indagandȩ cauſsa, videretur. Hujus ſententiȩ patroni duplices commenti ſunt literas, ſacras & profanas; rati Samaritanas, quales in nummis exſtant, profanas, & poſt reditum ex captivitate Babylonica uſu receptas eſse. Omnes etiam codices ſacros ante Babylonicam captivitatem literis ſacris ſeu quadratis, ſcriptos fuiſſe, ſed illas in eadem calamitate & exilio periiſſe, retentis ſolum literis profanis, quȩ Samaritanarum matres ſint. Eſdram vero illas reſtituiſſe, his ad Cuthȩos relegatis. Hujus ſententiȩ autores habent *R. Maimonidem* in Scholiis ad Codicem Miſchnicum ידים *de Lotione Manuum Cap.* IV. §. 5. *R. Azariam* in *Meor Enaiim Cap.* v. *f.* 38. *& R. Ob. De Bartenora* in eundem Miſchnȩ locum antea citatum *f.* 490. *Tom.* VI. *Edit. Amſtelodamenſis*, ubi affirmat: Legem Aſſyriacis Literis a *Deo* datam, Judȩos vero cis Jordanem ſcriptura deinde uſos, & quidem in rebus profanis, qua Cuthȩi, ſeu Samaritani ſolent. Idem *Bartenora* Aſſyrias literas, quibus hodie exarari ſolet liber Legis, non ab Aſſyriis, ſed a felicitate אשר vocari cenſet אשורי; quia ſit מאושר *beata*, omniumque excellentiſſima, quemadmodum *Geneſ.* XXX. 13. dicatur אשרוני בנות *beatam me prædicant filiæ*. At vero מכתב אשורי vi analogiȩ non eſt מאושר, ut vult *Bartenora*, ſed character Aſſyrius, ſive ex Aſſyria allatus. Inde *Themiſtius* Philoſophus ſacros codices Vet. Teſtamenti Hebraicos vocat Ἀσσύρια γράμματα in Oratione περὶ τῶν ἠτυχηκότων ad *Valentem* Imperatorem *p.* 89. quidquid demum ſentiat *Jo. Harduinus* ad h. l. in Notis. Prȩterea, ſi Pentateuchus ab initio charactere quadrato ſeu Aſſyriaco ſcriptus eſt, cur, quȩſo! Samaritani eum non habent ſub eodem charactere? Mihi diſtinctio characterum in ſacros & profanos, nullo idoneo argumento fulta, a Rabbinis videtur inventa, & quidem, ſi *Jo. Clerico* credimus *Bibl. Sel. Tom.* XI. *p.* 20. *a plaiſir, ſans etre appuye ſur aucun fondement hiſtorique, pour repondre a l' objection tiree des caracteres Samaritains, que l' on voit ſur les Medailles Juives. Ces medailles font voir evidement, que les Juifs ſe ſervoient de ces caracteres, & rien ne prouve, qu' ils en avoient d' autres*. Ibidem refellit *Allixium*, qui peculiari Epiſtola, quȩ in *Ez. Sphanhemii* prȩſtantiſſimo Opere de *Uſu Numiſmatum* exſtat, vetuſtam & divinam Aſſyriaci characteris originem defendit. Nec credibile magis eſt, *Eſdram literas Judaicas commutaſſe, ne cum Samaritanis miſcerentur*, quȩ *Euſebii* fuit traditio, ab incertis autoribus hauſta, in *Chronico* ad A. M. 4740. Nam lubrica dubiaque eſt hujus teſtimonii fides, quia in melioribus Codicibus MStis Græcis atque Latinis ejus Chronici eſt omiſſum, & ab ipſo *Scaligero* in ſua Editione deletum. Paullo peritior fuit rerum Hebraicarum *Hieronymus*, ſed facilis nimis ad omnia credenda, quȩ Judȩus Tiberienſis, incertis traditionibus & fabulis, ad laudem gloriamque gentis excogitatis, indulgens, propinabat. Recte oſtendit *Buxtorfius*, non omnes Judȩos, nec ipſos etiam Talmudicos *Hieronymi* opinionem uno conſenſu recepiſſe, in *Diſſertatione* antea laudata §. 60.

XVI. Sed quid dicemus tandem de literis, quæ in vetuſtis Hebræorum nummis cernuntur? Nonnulli faſſi ſunt, literas iſtas omnino Hebræas, ſed tachygraphicas eſſe, ex celeriori ſcribendi ſtudio ortas. Videantur *Stephani Morini* Exercitatio II. de *Lingua Primæva p.*271. & Viri ſummi *Val. Ern. Loeſcheri* de *Cauſſis Linguæ Hebrææ Liber II. cap. I. §. V. p. m.* 206. Peringenioſa hȩc eſt opinio, & multis difficultatibus ſolvendis accommodata, nec repudianda a nobis, dummodo de ejus veritate aliunde conſtaret. Multi putabunt, hanc hypotheſin neceſſitate ita urgente a prȩſtantiſſimis ingeniis belle quidem excogitatam eſſe, ſed in rei veritate nullum habere fundamentum. Tandem, ſi vel maxime concedatur, apud Hebrȩos illo tempore tachygraphicas literas, ſcribentium feſtinatione & negligentia ortas, in uſu fuiſſe, tamen difficulter perſuadebitur: uſum iſtarum literarum adeo fuiſſe univerſalem, probatum-

que

que ab universa Republica, ut characteribus primævis & divinis, atque inde a Mosis ætate usitatis præferendæ essent, & quidem in monumentis publicis Hebræorum, ac nummis ad posteritatis memoriam gloriamque gentis excusis, qui characteribus & præstantissimis & notissimis insigniri solent. Ita apud nos & tachygraphicæ & Longobardicæ literarum Latinarum formæ vulgo in usu sunt; sed lapidibus, nummis, aliisque monumentis publicis non imprimuntur. Mittimus conjecturam *Joh. Harduini*, qui in *Chronol. Vet. Test. Op. Sel. f. m. 602.* suspicatus est, Simonem, principem ac pontificem Judæorum, impetrata facultate cudendi monetam, forte impeditum fuisse religione legis Mosaicæ *Exodi* XX. 4. quo minus ipse pereximio illo ac regio jure uteretur, ac nummos excuderet. Cum tamen nihilominus exemplo aliarum gentium rerum præclare abs se gestarum memoriam ad posteros propagare cuperet, dedisse id negotium exsequendum Samaritis suæ ditioni obnoxiis, ac voluisse, ut Samaritico charactere insignirentur nummi, ne legem Mosaicam videretur violasse. Nos rationibus rite subductis ita pronunciamus: characteres in nummis istis conspicuos, aut genuinas Hebræorum literas esse, Hasmonæorum tempore publice usitatas; aut nummos in universum omnes, quos Samaritanos vocant, esse adulterinos. Horum alterum admittere oportet. Nobis nummi isti, si non omnes, plerique tamen videntur genuini, & indubitata sinceritatis ac antiquitatis indicia habere. Verum characteres & notæ in illis expressæ non sunt literæ Samaritanæ, modo recte eas intueamur. Citra hæsitationem certe non potest affirmari, nec idoneis argumentis probari, Samaritanas vere esse. Hi enim characteres, in nummis expressi, multum differunt a literis Samaritanis, ut lucide apparet ex Polyglottis Anglicanis, nec non ex Epistolis Samaritanorum ad *Cl. Ludolphum* datis, & ex Alphabeto, quo Pentateuchus Samaritanus, in Bibliotheca Vaticana latens, conscriptus est, apud *Bartoloccium* & *Villalpandum*. Veri igitur fit similius, illos characteres in nummis Samaritanis, ut vulgo vocantur, visos, vetustas Judæorum literas esse, Hasmonæorum ætate usitatas. Quod multi tanto facilius credent, quanto majorem cognationem habent cum literis Punicis, quales in nummis Siculis, Sidoniis, Tyriis, Africanis, aliisque conspiciuntur. Consulendus est *Bernardus Aldrete* in libro Hispanico idiomate scripto, cui titulus: *Varias Antiguedades de Espana, Africa, y otras provincias*, ubi *pag.* 178. complures nummi exhibentur Punicis characteribus notati. Vetustæ literæ Gadensium, qui Tyriorum colonia fuerunt, nostris magna ex parte similes sunt, uti ex nummis Punicis, in ea Hispaniæ parte repertis, apparet. Evolvatur *Tom.* XI. *Bibliothecæ Sel. Johannis Clerici*, *pag.* 105. Huc accedit, quod nummi ipsi nequaquam a Samaritanis sunt cusi, sed a Judæis, acerrimis eorum adversariis. Quis autem credat, Judæos literis Samaritanis in publicis ejusmodi monimentis usuros fuisse, qui cogitat odium illud ubivis, publice privatimque contra Samaritas proditum, & acerbissimas criminationes? Videatur *Siracid. cap.* L. *vers.* 28. Samaritæ enim infames Judæis erant, qui nullam non impietatem illis objiciebant. Divinissimus *Johannes*, Evangelicæ historiæ conditor, diserte affirmat *cap.* IV. 9. Judæos ὀ συγχρᾶσθαι τοῖς Σαμαρείταις, *nihil cum Samaritis commune habere*, quod de literarum & linguæ communione æque intelligendum puto, ac de communione sacrorum, matrimonii, convictus, civitatis, aliarumque rerum. Qua ratione igitur existimari potest, Judæos non suos, sed Samaritanos characteres nummis suis, publico gentis totius nomine & honore cusis, impressisse. Nam hi nummi, qui ostendi solent, non sunt Samaritani, sed Hebræi, post vincula Babylonica signati. Imperite igitur, & non nisi errore vulgi Samaritani appellantur. Nihil habent Doctores Talmudici de nummis Hebræis, literis Samaritanorum notatis, quippe qui sequioris demum ævi Rabbinis innotescere cœperunt. Primus talium nummorum mentionem fecit *R. Moses ben Nachman Gerundensis Seculi* XIII. scriptor in *Appendice* ad *Perusche Hattora* pag. antepenultima, his verbis, Latine ita versis: *Benedixit mihi* Deus *hucusque, quod dignus habitus fui, & perveni Acco, & inveni ibidem in manu senum terræ illius monetam. Et ostenderunt scripturam Cuthæis, qui statim legerunt eam. Nam scriptura erat Hebræa, quæ relicta fuit Cuthæis, prout memoratur in Massichta Sanhedrin.* Postea *R. Azarias Seculo* XV. *in Meor Enajim pag.* 171. hunc *Nachmanidæ* nummum repetiit, aliumque, sed minorem apud viduam mercatoris cujusdam Judæi vidit, quem *Ath. Kircherus*, *Hottingerus*, aliique repræsentant. Serius venerunt in manus Christianorum, qui fidem Judæorum secure secuti, eorum characteres pro literis Samaritanis habuerunt. Res igitur omnis nititur fide & autoritate Judæorum, non antiquissimorum, sed recentiorum, qui parum ante quingentos annos vi-

vixerunt, nec accuratum judicium ferre potuerunt de vetustis Samaritanorum, Hebræorumque literis, quales Hasmonæorum ætate in usu fuerunt. De harum figura non aliunde, quam ex ipsismet his nummis pronunciari debet. Sunt enim citra controversiam a Judæis Hierosolymitanis sub auspiciis & principatu Hasmonæorum excusi, & literis Hebraicis, eo tempore usitatis, notati. Nam Samariæ non signatos esse, inscriptiones, & vasa, ad Templi Hierosolymitani ornatum pertinentia, validissime probant. Relinquitur ergo, notas & characteres in vetustis & genuinis Hebræorum numismatibus obvios, non alias, quam Judæorum literas esse, quibus ætate Hasmonæorum communiter usi sunt, & quas vulgo appellamus Samaritanas. Idem confirmant voces in his nummis conspicuæ, quæ puræ Hebrææ sunt, & Hierosolymis usitatæ & notæ. Ergo characteres non sunt alii, quam Hebræi, illo tempore communiter usurpati. Videatur *Collectio Dissertationum Criticarum* in difficiliora quædam Sacræ Scripturæ loca, Parisiis MDCCXV. Gallice edita *p. m.* 27. ubi Autor in eandem sententiam concessit.

XVII. Inde tamen neutiquam sequitur: Judæos eo tempore alias etiam literas, ab his diversas, quas Assyrias seu quadratas vocant, usurpasse, & Legem eo scripturæ genere per Mosen datam esse. Nam distinctio characterum in sacros & profanos necessitatis caussa videtur excogitata a Judæis, ad solvendas quasdam difficultates, nec ullo idoneo argumento, quantum ego intellexi, suffulcitur, sed precario supponitur, ut paullo ante animadverti. Nummi præterea, quadratis literis, quibus nunc utimur, insigniti, in universum omnes sunt adulterini, nec ullus eorum verisimilia, nedum indubia & certa indicia illius antiquitatis, quam præ se ferunt, habet. Quibus igitur argumentis docebitur, divinæ originis, & primigenium esse quadratum Hebręarum literarum apparatum, quo nunc scribuntur, & imprimuntur Hebręorum libri. Nec ii, qui emunctioris naris sunt, in asseveratione Judęorum, possessione ac usu harum literarum, quas ab Adami vel Mosis ętate vulgo repetunt, facile acquiescent, aut sibi persuaderi patientur, illas, secundum omnes ductus, flexiones, & minutissima fulcra ac partes sinuosas aut rectas, Mosaicę vetustatis esse, sine ulla mutatione ad nos propagatas. Solent enim literæ, quoad scribuntur, (nam characteres typographici mutationi minus sunt obnoxii,) in unaquaque lingua subinde pro temporum vicissitudine, & arbitrario scriptorum genio, sensim paullatimque mutari, nec unam, eandemque figuram perpetuo atque constanter retinere. Ad omnes linguas provoco, & ad scribendi rationem Gręcorum atque Latinorum, quorum codices MSti per singula fere secula vehementer variarunt. Quanta literarum est diversitas in marmoribus, nummis, aliisque monumentis pro diversa temporum ratione? Quanta characterum Latinorum mutatio facta est sub Gothis & Longobardis? Quas mutationes subierunt literę Germanicę, pręcipue characteres veteres Saxonici? Excutiantur tabularia Principum, & monumenta superioris ętatis, Germanicis literis consignata, proh *Deum* immortalem! quantum est in iis effingendis discrimen, ut Oedipo sępe opus videatur ad eas legendas. Quis certo ostendet, solam Linguę Hebręę scripturam ab illa inconstantia immunem fuisse, & literas Quadratas, quales hodie in usu sunt, exactissime eandem figuram servasse, & a Mose per tot secula atque rerum conversiones, Judæorum clades, ac deportationes, nobis sub eodem habitu traditas esse. Divinam providentiam, & Judæorum industriam in conservandis τοῖς λογίοις τȣ̃ Θεȣ̃ spectatam, hic allegare nolim, ob aliorum argumentorum defectum. Nihil enim facit ad integritatem divini codicis externa literarum figura. Et parum refert, sive hoc, sive alio charactere scribatur, modo verba cum divino sensu sarta tectaque custodiantur. Dein ipsa Hebræa lingua, quæ tantum non sanctissima habetur, & hæ ipsæ literæ, quibus Judæi utuntur, permultas subierunt mutationes sequiori tempore, non obstante eorum Zelo. Quanta diversitas in ipsis Typographorum formis invenitur, quando veteres componimus cum hodiernis? Et ne hodie quidem omnes codices Biblici eandem characterum figuram habent. Characteres Judæorum Hispanorum simpliciores, & elegantiores sunt, quam Germanorum. Quanta characterum diversitas in exarandis epistolis apparet? Aliter Judæi Ægyptii ducunt ligantque literas, aliter Itali, teste *Ath. Kirchero*, harum rerum non imperito, *Tom.* II. *Oedipi pag.* 84. & Saintjore *pag.* 410. *Biblioth. Crit. Tom.* II. cujus hæc sunt verba: *Les Juifs d' Afrique lient leurs caracteres Hebreux de la même maniere, que les caracteres Arabes sont liès dans les Manuscrits.* Si autem sequiori tempore tanta inducta est literarum Hebraicarum differentia, non obstante Judæorum industria & cura pro con-

conservando linguæ sacræ thesauro, qua ratione existimari potest, illas a Mosis inde ætate ab omni ac minima etiam mutatione, fuisse immunes? Qualis ætate Hasmonæorum Hebræarum literarum figura fuerit, ex nummis certo scitur; Qualis autem multo antea fuerit, & ætate quidem Mosis, accurate definiri nequit, quod ad externum videlicet literarum ductum attinet. In se enim & essentialiter Mosaici, ac Salomonici characteres non multum diversi esse potuerunt a Maccabaicis, quos Samaritanos vulgo appellant. Et hos ipsos ab Assyriis, seu Quadratis non longe abire credo. Idem jam observasse video *Saint Jore*, sive *Risch. Simonium loc. cit. pag.* 409. *Que le caractere Samaritain ne differe point essentiellement de celui, qu' on nomme Assyrien; Si cen' est, que ce dernier est quarrè, & plus beau, & que l' autre, qui est moins simple a de certaines pointes, lesquelles cependant n' empechent pas, qu' il ne se conservent les mèmes traits quant à la substance*. Conferatur *Hist. Crit. Vet. Testam. lib.* 1. *pag.* 74.

XVIII. Nostra igitur opinione literæ Hebræorum quadratæ & Samaritanæ, sive rectius, Maccabaicæ, essentialiter & ipsa natura inter se non differunt; sed revera sunt eædem, modo recte inspiciatur utrumque Alphabetum, & conferantur inter se *Aleph*, *Beth*, *Caph*, *Mem*, *Nun*, *Ajin*, *Coph*. Dissimilitudo ipsa, quæ lapsu temporis inducta est, indicare videtur: literas quadratas, seu Assyrias, ex recentiori officina prodiisse, quia magis regulares sunt, & majori arte ac studio quasi Geometrico, elaboratæ, quam vetustæ Maccabaicæ, quæ distortæ, atque negligentiores sunt, & minus ornatos ac regulares ductus habent. His præmissis facile intelligitur: quid sentiendum sit de opinione præstantissimorum virorum, qui literis Samaritanis divinam originem & ultimam antiquitatem adscribunt. Hoc tuto affirmare licet, eas literas, quæ in Hasmonæorum nummi cernuntur, & quæ vulgo Samaritanæ appellantur, eo tempore usitatas Judæorum literas fuisse. Sed quis citra formidinem erroris inde colliget, easdem literas secundum exteriorem figuram tempore Davidis & Mosis exactissime in usu fuisse? Multo minus primus locus, & divinæ originis, ac ultimæ antiquitatis prærogativa citra erroris metum deferri potest iis characteribus, qui nunc Hebræi dicuntur. Quo enim argumento probari potest, *Deum ipsum*, Mosen, & priscam Judæorum Ecclesiam iis usam esse, sub eadem videlicet figura quadrata, qua hodienum in libris impressis, comparent, sine ullius punctuli, apicis aut ductus immutatione? Plerique standum censent in hac controversia Judæorum testimoniis, quæ *Buxtorfius de Lit. Hebr.* §. XIX. magno numero collegit. Sed cujus pretii & ponderis ea sint in re adeo vetusta, ac caussa propria, æquis harum rerum æstimatoribus, & a partium studio alienis, obscurum esse nequit. Sunt tamen, ne quid dissimulem, viri doctrina ingenioque florentissimi, qui aliis argumentis quadratarum literarum antiquitatem assertum iverunt, provocantes ad antiquissima marmora, in quibus vetustissimæ Græcorum literæ, ipsum etiam Θ & ο ad Hebræorum morem quadratæ comparent. Magni roboris esset hoc argumentum, si certo constaret, Græcos antiquissimos ab Hebręis vetustis quadratam hanc literarum formam accepisse, eosque solos, nec alios populos, sigillatim Ægyptios, hac in re imitatos esse, aut characteres pro arbitrio finxisse, cum Quadrata Hebræorum structura forte fortuna aliqua ex parte convenientes. Nam non omne, quod similitudinem quandam cum alio habet, ab eo dici potest mutuatum, aut ad ejus exemplum imitatione expressum. Præterea evidenter ostendi potest, vetustas Græcorum literas magis convenire cum charactere Phœnicio, quem Cadmus in Græciam intulisse dicitur, & cum literis, quæ in nummis Samaritanis conspiciuntur, quam cum charactere quadrato. Vid. *Recueil de Dissertations Critiques*, Parisiis 1715. editum, *pag.* 142. & 143. cujus autor est *Soucietus*, ordinis Ignatiani apud Gallos sodalis.

XIX. In subsidium inprimis vocant Pentateuchum Samaritanum Hebræi ἀπόγραφον, de quo observant: omnia propemodum divergia, quæ in eo occurrunt, ex confusione literarum, figura, aut sono affinium orta esse. E diligentiori autem collatione disci, ne semel quidem literas ב & ר, י & צ, נ & פ, quæ apud Samaritanos figura maxime conveniunt, sæpissime vero literas א & ע, ב & כ, ד & ר, ו & י, ם & ס, aliasque, quibus apud Hebræos nostros similis est figura, apud Samaritanos autem dissimillima, confundi, ac præterea *Vau*, aliasque literas, quæ apud Hebræos exiguæ sunt, ex errore librariorum sæpe addi vel omitti. Hoc argumentum diligenter persecutus est *Steph. Morinus* V. C. *Exercitat.* I. *de Lingua Primæva cap.* VII. *integro*. Invictum robur ei tribuit Vir Celeberr. V. E. *Loescherus lib.* II. *de caussis Lingua Hebræa cap.* I. §. XVI. *p.* 217. Certe non spernendum est hoc argumen-

tum, ſed dignum, quod in prima acie collocetur. Nam ſi res revera per innumera exempla ita ſe habet, non inſcite colligitur: codicis Samaritani autorem, ante oculos habuiſſe Pentateuchum Hebræum quadratis literis, vel ſimillimis, exaratum. Utinam vero de ætate Pentateuchi Samaritani conſtaret! Etſi enim ſatis antiquus eſt, & unum alterumque forte ſeculum nati Servatoris tempora antecedit, non tamen eſt antiquiſſimus. Prius enim non videtur adornatus, quam Samaritana gens Hebraice legere deſiit, & odium illud Judæos inter ac Samaritas maxime invaluit, & quo tempore Samaritæ linguam ac literas Judæorum, tanquam rem pollutam, ſpreverunt, quod poſt Haſmonæi demum principatus finem contigiſſe videtur, quo tempore Hebræorum literæ in figuram magis regularem & quadratæ proximam, forte jam abierant. Inde autem nequaquam inferri poteſt, hoc literarum genus primævum & divinum eſſe, ac a Moſis inde ætate perpetuo in uſu fuiſſe. Nihil enim inconſtantiæ & mutabilitati magis ſubjacet, quam externa ſcriptionis & literarum figura pro temporum, ſcribentium, ac populorum ratione. Idem Linguæ Hebrææ etiam accidiſſe, fatetur *Abrahamus Balmeſius* in מקנה אברהם *p. Alepb*, 3. *b.* ubi docet: *Scripturam literarum apud Hebræos varios modos babere pro diverſitate provinciarum, ſic tamen, ut participent omnes de forma literarum, quæ Aſſyriaca vocetur*. Paullo poſt refert: הסופרים ליפות כתבם החליפו צורותיהן לאומותם ללשונותם: *Scribas ut pulcram efficerent ſcripturam ſuam, immutaſſe literarum figuras pro nationibus, & linguis ſuis, ſed leviter; ita, ut divinatione opus non eſſet. Poſtmodum vero in ſcripturas omnes vulgares incidiſſe* חילוף רב *magnam mutationem* ולא נשמרה הכתיבה ראשורית כי אם במקרא: *neque ſervatam eſſe Aſſyriacam ſcripturam, niſi in Bibliis*. Si ſequiori tempore tantopere mutata eſt ſcriptura Hebraica, quis affirmare auſit, illam antiquiſſimo tempore ab omni omnino mutatione fuiſſe immunem?

XX. Noſtra igitur opinione nec Samaritanæ, nec quadratę Hebręorum literę, quales nunc in uſu ſunt, antiquiſſimę, & primęvę videntur. De neutro certe charactere id indubitato, & citra erroris metum probari poteſt, quippe qui ab inconſtantia in ſcribendo, & mutabilitate, cui omnium linguarum literę obnoxię fuerunt, nuſquam pronunciantur immunes. Quod ſi autem genuina, primęva, & divina Quadratarum literarum figura dubia adhuc eſt, & perincerta, quid certi quęſo de interno Hebraicarum literarum valore dici ſtatuique poteſt? Nam viri quidam Clariſſimi, doctiſſimique ſuſpicari ſunt: ipſi externo literarum Hebraicarum ductui recto, ſinuoſo, craſſiori & exiliori, peculiarem & emphaticam ſignificandi vim ineſſe, quam vir ingenioſiſſimus *Caſpar Neumannus*, ſummus ſacrorum Uratislavienſium Antiſtes, eruere conatus eſt, excogitatis in eum finem regulis, datoque illius artis ſpecimine non contemnendo, ſed vellem antea probaſſet vir eruditiſſimus, eaſdem haſce literas, eandemque earum figuram, qualem nunc habemus, primævam eſſe, & *Deum* ipſum habere autorem. Nam ſi Moſaicæ & divinæ literæ, quibus *Deus* decalogum tabulis inſcripſit, cum quadratis noſtris non prorſus eædem, ſed diverſæ omnino, aut paullulum diſſimiles fuerunt, vanæ ſunt omnes ejuſmodi meditationes, ab ingenio ſubtiliter excogitatæ, nec ullum in re ipſa habent fundamentum; ſed Linguam Hebræam dubiam reddunt, & in omnes partes, pro luxuriantis ingenii arbitrio, flexibilem, variamque atque incertam.

AN-



ANDREÆ BEYERI SICLUS SACER ET REGIUS APPENSUS.

AD BENEVOLUM LECTOREM PRÆLOQUIUM.

CUM omnibus ac ſingulis meliorum partium Studioſis maxime incumbere videatur, ut non ſolum in comparanda honeſtarum artium & Linguarum, ac præprimis ſanctæ ſcientia, (*multis verbis inculcat id ſuis, & ut perſuadeat, facundiam, qua imprimis pollet, adhibet Joh. Baptiſta Ferrarius, Orat. 30. 31. 32. & 33. a pag. 195. 239. Editionis in German.*) verum etiam in evolvendis, perquirendiſque antiquorum moribus, ritibus, cæteriſque eorum ceremoniis atque conſuetudinibus, utpote re difficili, (*Vid. harum omnium peritiſſimus Gejerus, procem. Luctus Hebr.*) operam & induſtriam collocent non parvam; tum iis præcipue, qui veluti majore quodam Numinis afflatu perculſi divinarum rerum intelligentiam, ad quam omnes cogitationes ſuas, atque ſtudia tandem conferre decrevere, ſibi elegerunt præ cæteris. Nam veluti ad Eleuſiniorum ſacra non niſi per minora Sacra, & longa initiorum experimenta aditus patebat; [*Vid. Octav. Ferrar. pag. 556. & Jacob. maxime Godofred. Exercit. poſterio-*

re, *quæ eſt de Myſterio Pietatis paſſim*], vel, ſicuti in V. T. nemo in Sanctuarium niſi per προαύλιον quoddam, [*Gerhard. Method. Stud. Theol. pag.* 38.] gentium ſcil. & ſanctum ſeculare, introire poterat; Ita & his ad Majora & interiora Theologiæ via conſueta addiſcendæ ſacra ac ſacraria, nunquam niſi per veſtibulum aliquod, Linguarum puta, diſciplinarum liberalium, antiquitatumque maxime ſacrarum *ſtudia*, patebit aditus; ibi enim, juxta illud Hebræorum in Pircke Avos: התקן עצמך בפרוזדור שתכנס לטרקלין *præpara te in veſtibulo, ut poſſis ingredi in Triclinium*, ut quibus deſtinatur, aptior ſit, ſe præparare debet quivis. Uti enim porro Sacerdotes ſanctuarium ingreſſuros manus ac pedes lavare oportebat; ita nec hos decet illotis, quod dicitur, manibus ac pedibus, Sanctuarium Domini violare, ſed modo dictis ſtudiis veluti Heliconis fonte connatam ignorantiæ labem prius abſtergere, prout id Univerſus Theologorum Majorum & Minorum Gentium Chorus inculcatum voluit olim, atque olim [ſi qua poſteritas ſperanda eſt] volet maxime, quos magno numero allegare in proclivi foret, niſi Minervam docere velle viderer, & hoc labore me ſublevaſſe Viva illa, [& utinam diutiſſime!] obambulans Bibliotheca, Magnificus Gejerus, Theologus, ut totius Theoſophiæ Scientiſſimus; ſic [quod ex ore Ἀχειβεστάτε Doctoris B. Hulſemanni me audiviſſe memini] in Exegeticis Incomparabilis, cujus locum hanc in rem non poteram non attingere ſupra in Dedicatione. Niſi ſenio, & dividiæ eſſet, audire poſſent de hac re Lutherus *Tom.* 3. *Lat. Jen. pag.* 462. Philippus Melanchthon, [*paſſim, & in Grammat. Hebræam Avenarii Præfatione*] Literarum, & artium in Germania reſtitutor, Flacius *pag.* 2. *Clav. fol.* 661., nec minor ipſo Forſterus *Præfat. in Dictionar.*, & hic ambobus ſi non major, certe par, Joh. Conr. Danhaverus, [*non uno loco in ſcriptis ſuis, patet vel ſola Hermineut. Sacr.*) Calovius *Iſagoge ad Theol. in Prærequiſitis*, & quis non, tum noſtrorum, tum ſequiorum Theologorum? quales Junius, Graſerus Erpenius *Orationibus de hac conjunctione habitis*, Sixtinus Amama *peculiari Paræneſi, ubi plures videri poſſunt &c.* qui, quod ſupra diximus, μιᾷ φωνῇ ſuadent omnes. Quare & ego, nihil minus, quam hoc cogitans, cum Summo rerum Moderatori me in vinea ſua aliquando, in qua haud ſecus ac in V. T. diverſi ſubſellii adminiſtratores fuerunt, non unius conditionis ac officii indiget operariis, adhibiturum eſſe ſentirem, (ſicuti nunc, ut flagella caſtigem, me introductum grata agnoſco mente,) refragari nec potui, nec debui, ſed omni conatu, quantum animæ & fortunæ facultates (quæ, non dicam parvæ, ſed nullæ, & ob id majoris impedimenti fuere,) conceſſerunt, in id incubui, ut, licet non ut fas eſſet ac deceret, [quod vix ditioris me conditionis, ac felicioris indolis homini poſſibile eſt,] tamen pro modulo ingenii paratus accederem, nihil morans illud Hebræorum Doctorum: צידה מעוטה והדרך רחוקה: h. e. licet viatici parum, viam vero longinquam mihi eſſe viderem; nec tamen me deterreri paſſus ſum. Spe enim immota nitebar fore, ut is, qui me legeret, hac cura & penuria ſub-

ſublevaret, nec ſpes decollavit. Contigit enim mihi, neſcio qui, credo tamen Deo ita diſponente, ut innoteſcerem Viris quibuſdam *CLis*, & præ cæteris *Uni*, qui, uti rara, chara, addo & vere cara ſupellectile literaria; ita non minore & humanitate, & in ea communicanda fere cuivis, liberalitate & promtitudine inſtructus erat, infra non niſi cum præfamine laudis nominandus, quum eidem, hujus quicquid eſt, acceptum referre debeam, referoque gratiſſimo pectore, utpote Inſtrumenta cudendo huic Nummo ſuppeditanti. Ampliſſimus inde mihi diligentiæ campus tunc extitiſſet, niſi improba, ac minus fida ſtudiorum Soror, Paupertas, viam obſepſiſſet, & ad alia a propoſito prorſus aliena detruſiſſet. Quare tantum per tranſennam florum iſtam copiam atque ſegetem adſpicere, & furtim quoſdam neſcia pertinaci dicta cuſtode decerpere, ſed quid dico decerpere? tumultuaria manu abrumpere potui. E quibus hunc [quem nunc ne hilo meliorem, & ornatiorem, Siſyphiis h. e. concatenatis Scholæ laboribus impeditus do conſpiciendum], ſub Præſidio J. A. Scherzeri, jam SS. Theol. Doct. Ejuſdemque & Linguarum Orient. Lipſiæ Profeſſoris Celeberrimi, Viri omnia, quæ ad conſummatum Theologum ſpectant, ſolidiſſime docti, Præceptoris in oculis perpetuo ferendi, ante octo & quod excurrit, annos, Eruditorum ventilationi exponere decreveram, ſed cauſis ex tranſverſo incurrentibus intermiſi, interea temporis Exemplar, quod πολυμαθείᾳ laudati Præceptoris expoliendum dederam, perditum, ſimul omnem ſpem reſuſcitandi hunc floſculum perdidit, verſanti jam in pulvere ſcholaſtico, eoque loco, ubi non eorum modo, quæ antea conſulere licebat, & conſulueram, ſed rariorum quoque tale quid meditantem decentium magna & acris eſt annona. Vivendum enim eſt eo angulo, ad quem vix melioris monetæ librorum nomina perveniunt, imo quamvis pertingerent, ob mercantium ſterilitatem ipſis ſine viatico remigrandum eſſet. Quare quum inter interminos labores, quales ſcholaſtici ſunt, etiam ſolo meo ſucco vivendum eſſe hactenus viderem, fere conatibus tentandi quicquam unquam, nedum deſperatam hanc rem, parum abfuit, quin plane interdixiſſem, niſi Magiſtra omnia docens, & omnia ſuadens ex abdito, obtorto collo, me non ignarum neque docendum ab alio, quis & quantulus ſim, utpote cui

Quod cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν, ſemper ante oculos verſatur, & proinde probe conſcium, quam res anguſta mihi domi, & quam curta ſit ſupellex, protraxiſſet, Muſiſque in angulo procul ab ambitu & majoris fortunæ ſtrepitu, operantem, contentumque ſi in obſcuro, quieto eſſe liceat, prodire imperioſe juſſiſſet. Iſtis telis adactus animum adjeci, ut denuo ex iis, quæ ſparſa adhuc ſupererant, quod hic obtrudo, ſed tumultuarie conſarcinarem, in eo longe infeliciſſimus, quod mutos Magiſtros, quibus antea uſus eram, adire iterum non daretur. Quare & tam ſterilis & jejuna compilatio Tibi, Æquiſſime rerum Cenſor, nequaquam bilem moveat, quod expectationem tuam fefellerit, quia, ut me decebat, prædixi, [*Hom. Od.* ι. *v.* 120.]

Oτπ

Ὅττι με δεῦρ' ἄνεμος τε φέρων καὶ κῦμα πελάσσῃ.

Quapropter [*Iliad. γ. verſ.* 102.]

Οὔτι μοι αἰτίη ἐςὶ, θεοί νυμοὶ αἴτιοί εἰσιν.

Accedit, ſi conſideras illa Hebræorum:

אדם בלי כסף ומטבע
i. e. לכסיל יחשב וחסר דע

quod homo abſque argento & moneta ſtulto annumeretur, & carenti ſcientia. Et quod gravius ſonat: עני חשוב כמת Pauper habeatur pro mortuo, illudque Arabum, Gallorumque Proverbium; quorum [*Erpen. Cent.* 2. *Prov.* 14.] prius: *hominem filium defectus;* hoc vero: *en petite riviere ne ſe prend gros poiſſon*, dicit. Qualem piſcem ne promiſi, nec promittere potui, quippe pauper & filius defectus. Excuſant ſe feliciori Minerva procreati, quid pinguioris, quale meum eſſe non diffiteor, ingenii decebit? Favore itaque Tuo maxime erit opus, Tibi, lecturo, hunc meum *Siclum*, tam iniquo ſidere cuſum, quem jam parario hoc ejuſdem præmiſſo in medium profero, ita ut tum de *Nomine*; tum de *Antiquitate*, & quæ ad eandem ſpectant, tum de *Figura* varia; tum denique de *Valore* & *Pondere*, & quidem de ſingulis, ſingulis Capitibus, tamen brevius & verbis, ut ſoleo & poſſum, rudibus agam. Tu ſi quid habes, ut plane perſuaſum mihi habeo, ſive ſint numiſmata, ſive alia huic negotia inſervientia, Rei literariæ promovendæ cauſa, Benevolentiſſime Lector, communicabis, imo ut communices, ea, quapar eſt, humilitate quemvis precor, Curis ſecundis, & ut lætior aliquando ſeges exſurgat. Interim ſit.

Auſpice Benigniſſimo Creator.

CAPUT PRIMUM.

Etymologia, Homonymia, & Synonymia Sicli.

I. *Etymologia*. Siclus *ſeu* שקל a שקל *formaliter* appendit, *idem & hæc radix in aliis Linguis ſignificat. Derivationis prima ratio. Æquipollet* ἱςάναι *unde* ςατκή? *Pecunia appenſa olim. Secunda. Siclus ponderum ſuæ ſpeciei Exemplar.* II. *Homonymia. Sumitur vel abſolute, pro omnium ponderum regula; vel attributive, tripliciter, ut numeratum argentum vel aurum additur.* 2. *Cum non additur.* כסף *in Lege occurrens argentum ſignatum notat.* 3. *Ut argentum ſeu aurum ſubintelligatur. Metaphorice vel pro libro, vel pro termino Grammatico.* III. *Synonymia varia. Chaldæis* סלעא & חקלא סלע מתקלא *Rabbinis itidem Sela Arabibus* מתקאלן LXX. modo σίκλος, modo δίδραχμον, *Symmacho & Aquilæ, Joſepho & Philoni, & Syro* ςατὴρ. *Latinis Siclus & Seclus perperam Sackal. Luthero:* ein Seckel und Silberling. *Antiquæ cuidam Germanicæ Verſioni:* ein Sect, *dicitur.* IV. *In Hebræo æquipollere volunt* כסף, זהב, זהוב, *probatur de* כסף. *Inde Græcorum* ἀργύελον, *vel* ἀργυρὸς, *& Lati-*

no-

norum argenteus. Laus & opinio Camerarii, dissensus ab ipso. Pretium iniquitatis, quo Salvator venditus, quantum fuerit? diversæ sententiæ, utra melior? Laus & sententia Dilberri de sententia Camerarii. Probatur idem de זהב. *V. Idem de* ככר, *quid in thesauro in templi structuram a Davide relicto significet? & quantus is thesaurus fuerit? divitias Magni Mogulis transgrediuntur. Non ab omnibus assumitur, lis in medio ita relinquitur, ut divinæ benedictioni nihil derogetur. Vel dicatur,* ככר *significare massam plenam auri, argentique.*

I. Quod igitur *Etymon* Sicli attinet, mediocriter sacræ Linguæ liquoribus tincto haud difficulter patet, eundem natales suos Palæstinæ, ejusque incolis debere, utpote apud quos imprimis, uti & cusus, sic & valuit, & proprio sono שקל audit, a שקל libravit, ponderavit, seu *appendit*, (quam formalem hujus radicis puto esse significationem, & in Linguis cæteris Orientalibus manere videmus v. g. Syra & Chaldæa, Arabica, in qua שקל & חקל sonat; Æthiopica, Samaritana, quæ etiam per חקל effert, sed in omnibus dictum formale retinetur vel per æquipollens exprimitur. Inde Talm. שקול libratum, ἰσόῤῥοπον; & שקול הדעת libra rationis. Syris in Ethpeel, attolli; unde משקלותא & שוקלא superbia, משקלא verbis aut factis fastuosus elati & quasi appensi animi, &c.) vel, quia monetam qua auream, qua argenteam, addo & æream, olim trutina appendisse dicuntur tum Hebræi, tum quoque Chaldæi cum Syris, docente CL. Daniele Wulfero, *disp. de Siclis* §. I. quem morem adhuc in N. T. durasse colligit ex illo *Matth.* 26. *vers.* 15. ἔστησαν τριάκοντα ἀργύρια, quod Beza: *appenderunt ei triginta*, subintellige νομίσματα, h. e. argenteos nummos; vel ut Lutherus, & reliqui, Silberlinge, recte, vertit. Hanc enim verbi ἱστάναι, vel στῆσαι esse significationem, Camerarius φιλέλλην opportune monet, conferatur & Budæus, *Comment. f.* 1328. *Camerarius in Figurarum notatione seu notis ad N. T. ad* cap. XXVI. Matth. p. m. *96*. & ad cap. XXXVII. Ejusd. p. m. 101. *addatur* Κεραυνώτατος Eras. Schmidius in Notis ad ll. cc. ex Matth. pag. 342. hinc non ignobilis filia Matheseos, Στατική. Ac olim pecuniam non numeratam, sed appensam fuisse, constat non tam ex Ulpiano, qui (*Digestor. lib.* 23. *tit.* 3.) *Olim*, inquit, *moneta librabatur, & ex pondere habebatur summa pecuniæ, ut nunc ex numero nummorum*: quam ex sacris Pandectis. Etenim (*Genes.* 23. *vers.* 16.) Abrahamus jam ætate sua: ישקול לאפרון את־הכסף: juxta LXX. viralem: ἀποκατέστησεν τῷ Ἐβρὼν τὸ ἀργύριον, appendit, non numeravit argentum. Sic I. *Reg.* 20. *vers.* 39. ככר־כסף תשקול Senes: τάλαντον ἀργυρίου στήσεις talentum argenti appendes. *Job.* 28. *vers.* 15. לא ישקול כסף מחירה: Hellenistæ: οὐ σταθήσεται ἀργύριον ἀντάλλαγμα αὐτῆς: non appendetur argentum commutatio ejus, juxta Luth. man kan nicht Silber darwegen sie zubezahlen, nunc diceremus: darzehlen. Inde & *Es.* 55. *v.* 2. תשקלו כסף: cur appenditis argentum, Luth. Warum zehlet ihr Geld dar? ad verbum vero iterum *Jer.* 32. *vers.* 9. אשקלה־לו את הכסף: ἔστησα αὐτῷ, appendi ei argentum, Lutherus: und wug ihm das Geld dar, uti & in vaticinio de mercede iniquitatis apud *Zach.* 11. *vers.* 12. וישקלו את שכרי שלושים כסף: καὶ ἔστησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργυροῦς, & appenderunt mercedem meam triginta argenteos, und sie wugen dar, wie viel ich galt, 30. Silberlinge. Vel quod apud Hebræos hoc nummi genus, & ponderis erat tanquam Exemplar, ad quod alios omnes penderent, & examinarent. Unde & ab hoc verbo fluunt alia nomina משקול scil. seu משקל pondus (*Ezech.* 4. *vers.* 10. 1. *Reg.* 10. *vers.* 14.) משקלת & Chaldæorum משקלתא seu משקלתא perpendiculum, pondus sive plumbum a filo pendens, quo rectitudo, aut obliquitas perpenditur, & examinatur. Vide Lexicon Talmud. *loco mox citando, seu in rad.* שקל.

II. Hoc vero nomen שקל observante Martinio, *in voce Siclus* ex Schindlero, *Lexico Pentaglotto in voce* שקל *pag.* 1933. & ex eodem πολυγλωττάτῳ Hottingero *in Cipp. pag.* 89. vel *absolute*, vel *cum attributo* sumi. *Absolute* pro moneta certi ponderis, & omnium ponderum regula, attribuique ei in hoc significatu post Legem generaliter pondo staterae, semiunciæ seu 4. זוזים h. e. 4. drachmarum Atticarum, prout id infra videbimus. *Attributive* autem cum numeris iterum *tripliciter*:

1. Ut numeratum argentum, vel aurum addatur, ut *Gen.* 23. *vers.* 16. וישקול & ponderavit Abraham Ephroni את הכסף argentum, nempe ארבע מאות שקל כסף quadringentos argenteos.

2. Cum numeratum metallum non apponitur, & tunc semper כסף subintelligitur, ut dabunt omnes &c. *Ex.* 30. *vers.* 13. מחצית שקל dimidium Sicli, scil. argentei. Vid. Hottingerum *in Jure Hebræorum pag.* 133., & Schalschelet Hakkabala, ubi *pag.* 14 b. כסף האמור בתורה הוא השקל: habebis confirmatum. Elegan-

gantiſſime R. Joſeph apud *Aquinat.* in מעריך המעריכות voce סלע ait in rem præſentem: כול כסף האמור בתולה כסף צורי i. e. quoties vox כסף in lege occurrit, ſemper argentum ſignatum, i. e. monetam argenteam notat, quod vero porro כסף צורי exponit tribus Lineis interjectis per שקל, de hoc dubitari adhuc poſſit.

3. Ut ſub intelligenda veniat expreſſo (cum numeris) numerato argento vel auro, v. gr. *Geneſ.* 20. *verſ.* 16. dedi fratri tuo אלף כסף mille argenteos, puta Siclos argenti, ſive 500. thaleros. Vide hac de re Rivetum ex Mercero *in Exerc. in Gen.* 120. *pag.* 394. *Metaphorice* iterum vel pro Libro quodam, tam pro quarto Seder מועד in Talmude, qui in plurali שקלים inſcribitur, agitque de Siclis. Vide Buxtorff. quam pro *alio quodam*, qui: שקל הקדש *Siclus Sanctitatis* dicitur, quem מבחר הפנינים nominatum alias, verſibus metricis comprehenſum, Authore R. Joſepho filio R. Iſaac Kimchi, patre ſc. R. Davidis, manuſcriptum, donoque ſibi Conſtantinopoli miſſum dicit Chriſtianorum Rabbi quondam Doctiſſimus Johannes Buxtorff. in Bibliotheca Rabbinica *pag.* 418. a celebri illic & Doctiſſimo Rabbino Jacobo Romano, ſic ipſum appellare non veretur (*Bibl. cit. pag.* 376.). Vel pro *Termino quodam Grammatico*, forma, analogia vel Anomalia vocis Grammaticę, quam משקל ſive שקל pondus appellari, annotavit, modo ſed nunquam ob diligentiam in Hebraicis præſtitam ſatis Laudatus Buxtorffius *in Lexico Talmud. Rabb. pag.* 2514. *ſeq.* v. g. quando Hebræorum Grammatici dicunt, quædam veniunt משקול שנים ad formam Nominis שנים materialiter accepti, ut מים &c. Sic R. David ſcribit *Ezech.* 4. *verſ.* 10. ad vocem במשקול eſt cum Cholem בשקל מזמור ad formam nominis מזמור.

Synonimiam.

III. Quod attinet, varie exprimitur apud Interpretes; Chaldæi Paraphraſtes, Onkelos & Jonathan præter conſueta purioris Idiomatis vocabula, תקלא ſcil. & מתקלא, quibus alias (*Vid. Buxtorff. Lex. Chald. & Syr. Addit idem hoc Exod.* 38. *v.* 26. *Gen.* 24. *v.* 22. *reſpondere Hebræorum* בקע *quod Siclum dimidium interpretantur.*) Siclus apud illos effertur, vertunt quoque, idque ſæpe & in Codice ſacros ut plurimum per סלע vel סלעא (*Vid. Buxtorff. Lex. Chald. Syr. p.* 375.) ut videre eſt in tantum non omnibus locis, quibus mentio fit Sicli. Quibus calculum ſuum adjicit Rabbinorum turba, e. g. R. Nathan, (*in Aruch. Lex. Talm. Rabbinico, de quo Buxt. Bibl. Rabb. p.* 395.) qui ſcribit, *Sela pondere Sicli æſtimari.* R. Elias (*in Thisbi*) R. David de Pomis, (*in Lexico.*) Philipp. Aquinas Judæus converſus, (*in Lixico Hebr. l. c. quem omnino videas.*) R. Levi, qui סלעים הם שקלים dicit, R. Elias Aaronis, apud quem ex pondere, quo Siclum, & Sela æquat, colliges, dum סלע משקל חצי אוזקיא i. e. Sela valere ſemiunciam pronunciat, quam & Siclum pendere infra probabimus, & Autor Schalsch. Hakkab paſſim habet: סלע והא שקל *Sela ipſe Siclus eſt*, cum aliis pluribus aſſerit. *Arabica* Verſio utplurimum per מתקאלן in convertendis Pandectis ſacris reddidit. LXX. in eo variant in nonnullis Locis paulo immutata voce reddiderunt: σίκλον, ut *Exod.* 30. *verſ.* 13. *cap.* 38. *verſ.* 24. 25. 29. *Lev.* 5. *v.* 15. *Num.* 3. *verſ.* 47. 50. 1. *Reg.* 9. *verſ.* 8. 2. *Reg.* 14. *verſ.* 26. *cap.* 21. *verſ.* 16. 4. *Reg.* 7. *verſ.* 1. 1. *Paralip.* 21. *verſ.* 25. in nonnullis tamen per δίδραχμον, (vel ut MS. apud Walton) *in Bibliis Polyglottis Anglicanis cum reliquis collatum, vid. variantes Lectiones: Si in omnibus Locis?* (*quod non conſtat,*) *diſcrimen inter didrachmum Atticum & Alexandrinum,* (*de quo infra*) *ſuſpicione effictionis non careret.*) habet, δίδραχμα ut *Gen.* 23. *verſ.* 10. *Exod.* 21. *verſ.* 32. (quæ loca Chaldæus æque per סלעים expreſſit, ſicuti & *Joſ.* 7. *verſ.* 21.) & in aliis locis plurimis, reſpectum ſc. habentes ad drachmas Alexandrinas, ſive Hebræos, quæ Atticis duplo Majores videntur ex Varrone & Polluce. Symmacho vero, & Aquilæ imprimis, ſicuti & Joſepho cum Philone non raro eſt στατὴρ, (non inconveniens vocabulum, ſiquidem etiam Originem ſuam a pondere, nimirum a verbo ἱστάναι, quod *pendere* inter cætera juxta hos & alios Autores (*Xenoph.* παιδ: 8. τάδε ἀληθεύοντες καὶ μετροῦντες, καὶ ἱστάντες πράγματα ἔχουσι.) ſignificat, habere apparet, idemque valet atque שקל. Hinc non ſolum Syrus Interpres Siclum per *ſtaterem*, ut *Exod.* 21. *verſ.* 32. vertit, verum & Petrus in Tributum pro ſe, & Domino, quorum quilibet Semiſiclum offerre debebat, congeſſit. Videatur Petitus & Seldenus (*citati Walæo pag.* 188. *ſeqq. Comment. in N. T.*) egregie de hoc cenſu diſerentes.

Latini Interpretes retinent fere, & reddunt *Siclum* LXX. ut videntur, ſecuti, proprius tamen accederemus, ſi *Seclum* diceremus. Obtinuit vero trium Lite-

terarum tyrannus mos, ut potius Sidum dicamus, pro quo tamen Reinerus Budelius Ruremund. JC. in περιγραφῇ Sicli cujusdam, quem ibidem exhibet, legit Sakal; Hebraicæ Linguæ, ut videtur, ignorantiam prodens. Lutherus in Germanica Versione convenienter admodum expressit per Vocem Sechtel/ in nonnullis tamen Locis einen Silberling. MS. quædam Versio Sacri Codicis Germanica ipsa Lutheri antiquior, Anno scil. 1442. facta, quam duobus Voluminibus Maxime Reverendus, atque Excell. Gothofredus Christianus Bosius, Symmysta Lipsiensis, Magnus noster Patronus, possidet ubique ein Secht.

4. Hæc essent ἐπρώνυμα ex variis Versionibus, restat ut adhuc quædam addamus ex sacræ gentis Lingua, h. e. Hebræa, quæ ipsi Siclo æquipollere ab Autoribus probantur, qualia sunt כסף זהב, זהוב, & ככר. De כסף quidem verum esse dicunt, quod, quum Nummum significet, ut *Gen.* 20. *vers.* 26. *cap.* 23. *vers.* 16. *cap.* 43. *vers.* 21. & 2. *Sam.* 18. *vers.* 11. Siclo æquipolleat, Chaldæus enim consueta voce & LXX. allegato loco Samuelis, it. *Es.* 7. *vers.* 23. (non 8. *cap.* ut Rivet *Comment. in Genes. pag.* 394.) citat. quo אלף כסף per χιλίων σίκλον, & sic כסף per σίκλον reddunt. Indæ & Græcorum ἀργύρεον vel etiam juxta M. Dn. Wulferum, Magnum Noribergensium Lumen (*in Disp. de hoc* §. 1. *præmittatur eorundem Mystarum Lucidissimus Phœbus, Dilherrus Dispp. Philol. Tom.* 1. *pag.* 409. *ubi idem ex Bexæ notis prolixius de hac materia agit.*) ἀργυρὸς, & Latinorum Argenteus, quando nummum significat, siclum nostrum exprimit. Quanquam enim Joachimus Camerarius, Græcæ Linguæ atque Latinæ ita peritus, ut juxta Jovium (*sub fine Elog. pag.* 143.) in scribendo pernobilis Ciceronis imitator evaserit, se didicisse asserit (*in libro de Numismatis Græcis, & Latinis adde Notas jam citatas.*) ex Græcorum Commentariis singula ἀργύρεια valuisse *denariis centenis*, i. e. una Mina Attica, & paulo post ἀργύρειον in Historia Evangelica ad *decem coronatos* reducat; Ipsi tamen obstat Eusebius (*lib.* 4. *de Evangel.*) qui *Matth.* 26. *vers.* 15. pretium iniquitatis τριακόντα ἀργύρεια, τριάκοντα στατῆρας transcripsit, idque computo satis justo factum mihi videtur, non obstante, quod alii Denarios velint, vide Daniel Clasen (*Exercit. in Passion. Domin. cap.* 5. *lib.* 1. §. 1.) & Cornel. Jans. (*part.* IV. *pag.* 131.) alii vero, ut Joseph. Villierius (*Notis ad N. T. pag.*588.) totidem argenti Libras intelligendas esse putent, quia locus Evangelii respondeat Vaticinio Zachariæ ab Evangelista inferius allegato, jam vero Elias Levita in Thisbi ex Rabbinorum observatione moneat, nomen Argentei in Pentateucho Mosaico usurpari pro *Siclo*; in Prophetis (quorum de numero Zacharias) pro *Libra*; in Hagiographis pro *Talento* sumi. Nam potior mihi Autoritas Hieronymi, tanta scientia præditi, juxta Augustinum, (*de Hieron. Testim. apud Volaterr.*) id, quod ipse ignoraverit, nullus hominum unquam sciverit, qui in *Es.* 7. & *Jerem.* 32. cum in scripturis argenteos legimus, ait, Sicli denotantur, teste Vossio, (*Harm. Evangel. pag.* 88.) suffragantur, Abulensis, qui ibidem Siculum argenteum intelligit, & 2.*Reg.* 6. *v.* 25. שמנים כסף octoginta argenteis interpretatur, per 80. Siclos, qui erant monetæ argenteæ; Et Vatablus apud *Matth. c.*26. istos XXX. argenteos vult esse XXX. Siclos. Vid. singularis literarum, omnisque antiquitatis, Vindex, Classenius. (*Exerc. in Pass. Dominicam cap.* 5. *lib.* I. §. 5. *pag.* 71.) Hinc laudatus interioris eruditionis ac Antiquitatum Condus ac Promus, Dn. Dilherrus, commemorato loco subjicit: Qui valorem nimis augent, illi Sambucam aptant caloni, nec attendere videntur, quotidianum ac per vulgatum ejus in emtionibus, venditionibus, conductionibus &c. usum *Deuter.* 22. 18. & 19. is, qui uxorem suam infamibus dicteriis proscidisset, ac probris onerasset, præter fustigationem, 100. jubetur argenteis multari; qui Camerarii computatione, 1000. constituerunt coronatos. At quotusquisque Israelitarum, si vel omnes res suas fecisset, tunc mille coronatos pendere potuisset? Abimelech, oves & boves, ancillas & insuper 1000. argenteos donavit Abrahamo *Gen.* 20. 16. sed unde tantus Regulus 10000. coronatorum millia desumsisset? Istam igitur sententiam, quo minus accipiamus, ratio est manifesta. Hæc ibidem Autor citatus. Æquipollet proinde Siclo. Idem de זהב R. Levi Gerson (*Comment. ad Judic. libr.*) probare vult.

V. De ככר res intricata est. Si enim Eupolemo apud Eusebium (*de Præparatione Evangel. l.* 9. *cap.* 4.) credendum, ככר (quod alias *Talentum* (*Exod.* 25. *vers.* 39.) *panem magnum*, vel etiam *frustum panis*, it. *planitiem* (*Gen.* 13. *vers.* 10.) denotat,) etiam *Siclum*, 1. *Paralip.* 23. *Hebræorum*, & *Lat.* 22. *vers.* 14. in ingenti auri, scilicet ככרים מאה-אלף centum mille; argenti autem אלף אלפים ככרים millies millium Talentorum cumulo, numeroque, quem non

minori se Filio suo Salomoni David Vatum, Regumque sacrorum Maximus reliquit in Templi magnificentiam admirabilem, significet. Equidem retento consuetæ computationis valore, reducto Talento ad 3000. Siclos, (quot Talentum conficere apertissime colligitur ex *Exod. cap.* 38. *vers.* 24. cum 25. *&* 26. collato,) Siclo vero ad dimidium Joachimici, immane est, quam summam destinarit in paupertate, & durantibus belli tempestatibus, tam Justus, & subditorum parcissimus æstimator. Nisi me calculus fallit ter millies millena millia Imperialium, seu Joachimicorum nostra moneta, sive tria millia, ut Galli vocant, Millionum Thalerorum auri, & argenti, & quidem quantum unius, tantum quoque alterius, habita in auro ad argentum proportione decupla, collegisset in Thesaurum, quo opulentissimorum, ditissimorumque orbis Monarcharum affluentiam, Magnique Mogulis, Regis Indostani, judicio Nobilissimi Johannis Albrecht a Mandelsloh. (*lib.* 1. *cap.* 28. *pag.* 93. *Itinerarii ab Oleario editi*,) hodie tantum non omnium opulentissimi Terrarum, divitias quæ sesqui mille Millionum Imperialium præter usurpatas opes conficiunt, superasset, Territorii tamen angusti, nulloque modo cum iisdem comparandi Rex & Dominus, quod multorum fidem sollicitat, computatione communi observata, hinc cum Eupolemo *Talentum Siclo exæquant*, ejusque ponderis esse volunt, quam litem aliis dirimendam relinquo, saltem notans, ob jam enarratam magnitudinem Talentum, sive ככר ad sicli valorem reductam esse, quamquam ea reductione supersedere nos posse videamur, si benedictioni divinæ, perpetuæ Davidis Comiti & Achati, imprimis quoque in aurei velleris, cujus superstitio Gentilium Regum erat custos, occupatione relinquamus, vel certe cum Aria Montano Hebraicarum antiquitatum peritissimo (*libro de Mens. sacris, cap. de Cicar.*) apud Breerwoodum (*cap.* 6. *pag.* 17. *lib. de Mens. & pretiis.*) dicamus ככר significare ibidem Massam aliquam plenam, pressam, auri, tortæ instar placentæ, qua forma scil. aurum & argentum reponi in Regum & Principum Thesauris consuevit, & adhuc mos est, & ipsa vox, planitiem ut diximus, alias formaliter notans, eo inclinare videtur, licet de pecunia alias materialiter sic usurpatam meminisse non possim.

CAPUT II.

De Sicli Cusoribus, Signatura *ipsius ante Legem*, populisque *quibus in usu fuerit*.

I. *Ætas Siclorum. Omnium nummorum primus. An cum incunabulis Caini cœperit? χρῆμα quid?* II. *Primo rerum permutatio recepta; probatur ex Aristotele, Plinio, Homero. Pecunia unde dicta? a quo, & cur inventa?* III. *Sicut non ultra diluvium ortus ejus extenditur ita Abrahæ temporibus statuitur. Asperne, an rudis?* קשיטה *quid? an agnus, an nummus, agno notatus? Posterius probatur contra Bolducium* IV. 1. *autoritate N. T.* 2. *morem aliarum gentium monetam animalibus signantium, v.g. lupi, equi, bovis. Bovem sub lingua habet, quid? noctuarum, Noctuas Athenas.* 3. *consensu Rabbinorum.* V. *Conclusio quod signatus fuerit?* VI. *Cusores quinam? Varii Judæi quatuor constituunt: Abrahamum, Josuam, Davidem & Mardochæum.* VII. *Siclus Neronicus. Dubii Sicli parentes.* VIII. *Orientalibus communis Siclus. Probatur. σιγλος nummus Persicus. Siclus Ægyptiacus.* 9. *Fabulosi Sicli de* 30. *scil. quibus Salvator venditus fuit, notantur, quos ostendunt tanquam grande sacrum.*

I. MOnitore Sicli, sive Nomenclatore jam dimisso, in *grandævitatem* jam Sicli, ut ante omnia inquiramus, necesse erit, investigantibus vero nobis tanto senio venerabilis se offert, ut omnium nummorum, quorum in antiquissimis h. e. sacræ Scripturæ Historiis mentio fit, Parens quasi sit habendus, quanquam vero multis retro seculis sit natus, ejus tamen incunabula vereor in primi fratricidæ tempora locare, quod nonnullos, quia Josephus Cainum multitudine χρημάτων, (*passim in significatu accipit inter multos alios Ælianus Var. Hist. l.* 1. *cap.* 20. *&c. vid.* CL. *Joan. Schefferus in Annotatis ad Ejusd. l.* 11. *cap.* 5. *pag.* 403. *junge. Rosin. Antiquit. Rom. l.* 8. *pag. m.* 791.) h. e. ut interpretantur, pecuniarum ex rapinis congregata, domum auxisse dixit, factitasse refert Budelius (*in Tract. de Re Num.*) vel cum hominibus eundem & sic monetam cœpisse, statuere. Siquidem vocabulum χρῆμα, ex quo tamen colligat, si quis quid hic statuat, necesse est, significare non monetam modo, seu pecuniam, sed & sumi pro omnibus rebus, quibus utimur,

tam mobilibus, quam immobilibus, nemo eſt, qui neſcit, ſicuti & ipſum nomen pecuniæ, pro omnibus, quæ homines poſſident in terra &c. accipi oſtendit citatus Dilherrus Diſpp. T. 1. pag. 348. ſeq.

II. Deinde principio tantum valuiſſe rerum permutationem, quæ Philoſophorum Coriphæo maxime (*lib.* 1. *cap.* 6. *Polit.*) ſecundum naturam eſt, conſtat fere ex omnibus autoribus, qui hanc rem attigerunt, v. g. celebri naturæ myſtæ Plinio, (*Natural. Hiſt. l.* 33. *circa principium. Eo inclinat Columed. Præfatione Libr.* VI.) Poetarum Principe Homero, *Iliados n. ſive* 7. *circa finem.*) ad cujus locum is provocat, ſuntque ſequentes verſus:

Ε῎νθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο κορηκομόωντες Α᾽χαῖοι
Α῎λλοι μεν χάλκῳ, ἄλλοι δε αἴθωνι σιδήρῳ,
Α῎λλοι δη δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ᾽ αὐτοῖσι βόεσσιν,
Α῎λλοι Α᾽νδραπόδεσσιν, &c.

aliiſque plurimis, pecuniam vero (quæ inde vel a pecude ſive pecore juxta Plinium, (*l.* 18. *cap.* 3. & *l.* 33. *cap.* 3. *Iſidorus apud Chockiori Face Hiſtor. pag.* 155. *putat propterea, quia primum ex corio pecudis facta ſit.*) Ovidium, (*lib.* 5. *Faſt.*) Colum, (*lib.* 6. *in præfat. Vid. & Roſinus Libr.* 8. *Antiquit. cap.* 20. *pag.* 853.) a pecu juxta Eruditorum Principem Scaligerum, (*ad Varron.*) & Georgium Agricolam dicta eſt,) longe poſt ob commodiorem uſum in Licitationibus, venditionibus emtionibus, aliiſque negotiationibus humana induſtria inventam, atque excogitatam fuiſſe, prout id multis etiam Autoritatibus probatum reliquit Covarruvias, (*Veterum Numiſm. Collat. cum recentioribus cap.* 1.) videlicet Polydori Virgilii, (*de Invent. rerum l.* 2.) Cœlii, (*Antiquit. Eccl. l.* 5. *cap.* 43. *A. lib.* 11. *cap.* 4.) Alexandri Neapolitani. (*Genial. Dierum l.* 4. *cap.* 5. *necte torſiſſimum Philipp. Caroli Notis ad Agell. cap.* 5. *Lib.* 10. *pag. m.* 406.)

III. Sicuti igitur ortum ipſius ad Antediluvianos uſque Patriarchas transferre, quippe cum ſacer codex in hiſtoria illorum temporum nullam prorſus mentionem faciat, nequimus: ita omnino affirmare debemus illum *Abrahæ tempore*, vel etiam paulo ante extitiſſe. Num vero *ſignatus* & *aſper*, vel *an rudis* & *lævis* fuerit, de hoc nihil extat, videtur tamen, tum quod in Geneſ. (*cap.* 23. *verſ.* 16.) ejuſmodi ſiclorum memoria extet, qui, uti recte a Pagnino vertitur, *ad mercatorem tranſeunt*, vel, ut Arabs tranſtulit, *currunt apud omnes*, quod ſignati longe commodius faciunt, valorem in fronte oſtendentes, quam trutina adhuc explorandi: Tum maxime ex *Geneſ.* 33. *verſ.* 19. quo loco, uti & *Joſ.* 24. *verſ.* 32. *Job. ultim. verſ.* 11. extat vox קשיטה, quam LXX. Seniores, Hebræo-Samaritanus textus, verſio Samaritana (retinent vero hanc vocem קשיטה) Syrus & Arabs interpretes cum Chaldæo Paraphraſte hujuſmodi vocibus, quæ vel agnum, vel ovem ſignificant, reddiderunt, unde & nonnulli colligunt, Patriarcham Jacobum ex more temporibus antiquis trito centum agnos vel agnas cum proportione illius agri permutaſſe, certe Bolducius, (*ad Job. citatum loc.*) quia, ſi per nummum exponeret, munus ſingulorum Hiobi Amicorum, quod קשיטה & inauris aurea fuit, mendicitatem redoleret quare per *ovem proprie dictam*, non in moneta expreſſam explicandum, putat; Verum mallem & ibidem *Elenchum cum Mnemoſyno*, cujus teſſera nummus-keſita & ejuſdem materiæ eſſe potuit, quam *Ovem cum inauri* intelligere, & in laudato agri pretio, quo redemit Jacobus ſibi, poſteriſque ſuis *Ovem iu nummo*, vel *ſignatos nummos*.

IV. Secutus I. Stephanum N. T. Protomartyrem, qui Abrahamum agrum non ovibus, ſed τιμῆς ἀργυρίου, pretio argenti, quod ſignatum, ut videtur, tunc ab impreſſa ove, קשטה h. e. ovem nominaſſe credibile eſt, emiſſe dicit, II. Ductum aliarum Gentium, quæ nummos a figuris impreſſis, appellarunt. Sic Argivi Lupos; Cephalenſes & Theſſali equos argenteos, aureos, aut æneos, prout monetæ materiam informarunt, habuerunt: Sic Theſea Athenienſium Ducem ſigno bovis monetam fabricaſſe memoriæ prodidit Plutarchus, (*in Theſeo.*) & meminit Pollux (*libr.* 9. *Onomaſt qui liber ſingularis Eruditionis Bœclero audit de Lexicis, pag.* 108. *Diſſertatione.*) qui id genus nummi etiam didrachmum vocat. Unde pecunia corrupti, *bovem in Lingua* habere dicebantur, qui nummi deinde abrogati, & *noctuæ* ſubſtitutæ ſunt, inde *Noctuas Athenas* ſcil. portare, rem eum in locum ferre, ubi alias ejuſdem copia eſt. Ejus generis, ut & prioris æri inciſos videre potes in Anton. Auguſt. Tabulis aliiſque. Quidam huc aliquot Plauti loca ex Aſinaria (*Act.* 3. *ſcen.* 3.) & Truculento (*Act.* 3. *ſcen.* 1.) referunt, quibus in aſini & ovis fit mentio, quæ per nummos iſtorum animalium figuris percuſſos explicant: aſt vero pro aſinis & ovibus id pretium,

xx. minas fuiſſe numeratas ajunt Muretus (*l. 9. Var. lect. cap.* 25.) & Taubmannus (*Comment. in h. l.*) Ad hunc modum animantibus varii generis ſignatas fere multæ gentes habent monetas, teſtantibus vel ſolis illis quæ Urſo tam ſunt formidabiles, vel Equo delectabiles, ut nemo non iisdem inſidietur. III. Quia omnibus fere Hebræis קשיטה מין מטבע ſeu monetæ ſpecies, & idem illis eſt quod Gerah, uſitatum tamen magis Arabibus, aut Chaldæis, quam Judæis. Sic Rabbi Akibbha, (*apud Dav. Kimchium in Rad.*) & R. Salom. (*in Comment. ad cap.* 33. *Geneſ.* ex itinere ſuo Arabico retulit, idemque R. Levi Ben Gerſon. (*in Pentateuch.*) tradit Vide Breer Woodum. (*Tractat. de Pretiis, & Menſ. Veterum Numiſm. p.* 5. 1.) Plures rationes, quibus corroborare ſententiam poſſem, taceo, utpote videndas in Egregio illo Libello, non minus Egregii Philologi, Clariſſimi Hottingeri, quem Cippos inſcripſit Hebr. (*p.*104. *Calculum adjicit Eruditiſſimus, & Antiquitatis & humanarum Literarum peritiſſimus ſacrarum Interpres feliciſſimus Joh. Heinr. Urſinus Sacrorum Miſcellaneorum l.* 4. *pag.* 109.

V. Si igitur nummus hic, qui quaſi Species Sicli fuit, ſignatus animantium ſimulacris traditur, quid ipſum Siclum tum temporis ſignatum fuiſſe dubitamus; Contrariam tamen ſententiam fovere videtur Brian. Walton, Vir non minoris famæ, quam fœtus ipſius Polyglotta Biblia, ſupplemento (*in Apparatu ad laudata Biblia*) de Siclorum formis, & inſcriptionibus. Probabile vero eſſe, veriuſque dici poſſe videtur, ex antea dictis, ſiclum ante Legem datam cum figuris cuſum fuiſſe, quibus autem? non ita conſtat, ut de illis, qui poſt latam legem commercia hominum adjuverunt, de illis enim alia eſt ratio.

VI. Sed mittimus nunc hæc, & pergimus ad ipſius *Cuſores*, populoſque hoc nummo utentes. Ut vero *primus Nummorum*, qui in Sacris recenſeri dignatus eſt, extra dubium eſt, ita varios ipſi affingi Parentes, & varios etiam habuiſſe, dubium nullum eſſe clare conſtat. Judæi Bereſch. Rab. ſect. 39. *quatuor* conſtituunt, quorum moneta in mundum exierit, horum familiam *Abrahamum* ducere, ejuſque nummum *vitulum & ſenem* ſtitiſſe; ſuccedere huic *Joſuam*, ejuſque monetam *bovem* & *unicornem* repræſentaſſe; Tertium eſſe *Davide* cum *virga* & *turri* in numiſmate autoritate ſua cuſo; ultimum vero *Mardochæum*, ejuſque monetam hinc *ſaccum*, inde *Regina* Eſther, *ſeque ipſum* oſtendiſſe, nimis, ut videtur, audacter aſſerunt, humana enim forma, utpote interdicta ipſis, cudiſſe, non immerito ambigitur, cum Waltone *Prol.* 3. §. 35. *in Append.*, itemque Grotio *in Præcept.* 2.

VII. Præterea crebro occurrit *Siclus Neronicus* סלע נרונית Miſnajoth, qui tamen, ut & priores nummi parentes nondum produnt, accedit Judæorum mentiendi non ignara indoles, quæ verum falſo miſcere non ſemel deprehenſa parum fidei meretur. Neſcimus igitur, cui tribuamus has primitias. Villalpandus *Apparat. Templ. pag.* 2. *lib.* 2. *pag.* 387. Lamecho hoc jus aſſerit, quod deinde diu inter Judæos uſque ad excidium, & templi ſecundi deſtructionem duraſſe probant in Philologia æque docte ac Jureperitus Seldenus *de Jure Gent. pag.* 224. Waſerus *de Numm. Hebr. pag.* 66. Vide & Hottinger *loc. cit. pag.* 108.

VIII. Quicquid vero hujus ſit, non tamen a ſolis Judæis cuſum fuiſſe exinde apparet, quod non Judæis tantum, ſed omnibus Orientalibus fuerit communis, ut patet ex *Gen.* 23. *verſ.* 15. quo loco Abrahamum ab Ephrone horum nummorum ſumma quadam locum in ſepulturam ſibi emiſſe legimus, & Xenophonte *lib.* 1. *de Cyri Aſcenſ.* ad Babylonem, qui nec Perſis alienum facere videtur, nummum referens, quem Siglum ſive σίγλον, eumque δύνασθαι ἑπτὰ ὀβολὰς, καὶ ἡμιοβόλιον Ἀττικὰς, ſeptem obolos, & dimidium Atticos valere dicit: *Vid. Paulus Leopard. lib.* 10. *cap.* 15. *Emendat. pag.* 267. Imo Heſychius, σίκλον Περσικὸν νόμισμα, δυνάμενον ὀκτὼ ὀβολὰς Ἀττικάς; & alio loco εἶναι νόμισμα Σαρδινικὸν aſſerens, aperte eo inclinat. *Vid. Agricol. lib.* 2. *de Ponderibus Monetarum*. Cl. Waſerus huc etiam refert Siclum Ægyptiacum. *Vid. ipſum lib.* 2. *cap.* 12. *pag.* 83. Adde Stephan. Greſepſium Polonum *de Siclo & Talento*, quem ſæpius allegat Waſerus, nonnunquam refutat Villalpandus, in nonnullis vero ſequitur Voſſius *in Harmon. pag.* 89.

IX. Inter tot divortia ſententiarum alium effinxerunt Siclorum parentem nonnulli dum 30. illos, quibus Mundi Salvatorem ſcelerate venditum novimus, rogatu Regis Nini, Beli Filii Tharen Abrahami Patrem optimum fabrum cudiſſe, eoſque per multas manus ad corbanam Judæorum, theſaurum ſacrum adeoque ad Pontificem perveniſſe, ab illo proditori bipedum nequiſſimo, traditos, de rejectis vero, diſperſiſque hinc inde binos fato relictos ſibi fuiſſe nugantur, quorum alter aſſervari, & coli Romæ in æde Divi Johannis Lateranenſis, a Villal-

lalpando *l.* 2. *de Pond. Disp.* IV. *c.* 30. alter Parisiis per vitrum ostendi, dicitur, apud Budelium *l. c.* qui plures testes hujus rei non solum citat, utpote Joh. Aquilam *de Monetarum potestate cap.* 3., Joh. Coras. *Miscell. lib.* 13., Bosium *in Praxi Criminali*, aliosque; sed & imaginem, & faciem hujusmodi Siclorum exhibet, cui omnia similem possidet Insignis Antiquarius Dn. M. Heinricus Mejerus, in Patria celeberrima h. e. Lipsiæ Symmysta, Magnus olim atque olim noster Patronus, inter rarissima Cimelia, quibus Patriæ, Academiæque Lipsiensi, & toti fere nostræ Germaniæ singulari est ornamento, & utinam sit diutissime!

CAPUT III.

De Sicli Divisione.

I. *Divisio Sicli, ratione Usus in Sanctuarii & Regium. Ejus divisionis Autores.* II. *Unici Sicli Autores.* III. *Rationes cur unus tantum, curque Sanctuarii dicatur. Amphora Capitolina quid apud Priscianum. De Mensuris, & Ponderibus Justiniani Mandatum.* IV. *Ulteriores, sed speciales rationes, cur unus, & Sanctuarii dictus? quarum:* 1. *Analogia ponderis, & ponderati:* 2. *Græcorum* στατὴρ. *Laus Waltoni:* 3. *Mos ponderandi:* 5. *Dubiæ sententiæ Rabbinorum, s. omissum Sicli nomen in dimidia Sicli parte.* 6. *Nunquam visus Siclus profanus:* 7. *Silentium Scriptorum:* 8. *Doctorum incerta sententia. VVaserus laudatus:* 9. *Improbabilitas:* 10. *Infirmatio contrariorum argumentorum. Didrachmon unde, quid, & quantum valeat? cur* LXX. שקל *modo* σίκλον, *modo* δίδραχμον *appellaverint? Sicilicus quid? Cornelii a Lapide sententia. Josephi locus de cœsarie Absolonis. Consensus versionum in exprimendo uno Siclo. Sicli ad mercatores transeuntes qui?* V. *Quid responderi possit hactenus dictis? obtendi posset diversitas temporis. Verba: omnis æstimatio, per universalem accommodam intelligenda. Quid ad rationes supra allegatas aliquis respondere possit singulas? ad* 1. & 2. *stater prc Petro & Christo in quale tributum datus?* Ad 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. δίδραχμον *neutri parti satis favet. Nec Epiphanius corruptus.* VI. *Duos siclos amittentium rationes:* 1. *Differentia characterum:* 2. *Translatio gemina* LXX. *allegata a nonnullis, sed non satis firma:* 3. *Consensus Hesychii:* 4. *Consuetudo Hebræorum:* 5. *Consensus Autorum graviorum. Inservit* προσδιορισμὸς, *sive* ה *emphaticum.* VII. *Nostra sententia neutri plane adversaria, nec tamen favens ratio. Laus Patroni M. H. M. ejusque diligentiæ opulentæ, utriusque generis Sicli producti, pondere & inscriptione discrepantes.* VIII. *Etiam Regius literis Samaritanis insignitus, & vetustissimus.* IX. *Kabbalistici, Magici, Annuletæ,* μνημονευτικοὶ *tanguntur saltem.* X. *Ratione* materiæ *varius juxta Ravanellum, sed frustra: Siclus nummus argenteus vel aureus, probatur ratione, autoribus.* XI. *Ratione* Efficientis, *alius Hebræorum, alius Persarum.*

I. LUstrata jam Sicli *Antiquitate, Locis, Populisque*, quibus usitatus hic nummus fuit, pergendum nunc ad Ipsius *Divisionem*, qua vel *ratione finis*, seu *Usus*, vel *ratione materiæ*, alius atque alius exsurgit. Ratione *Usus* alii distinguunt in *Sanctuarii*, sive *Ecclesiasticum*, & *Communem*, sive *Regium*. Horum numerus est fere innumerus, quia fere nemo non Autorum nomen suum inter ipsos numerari patitur, ut ex tam multis saltem paucos nominem, agmen ducat quanquam ætate, nemini tamen eruditione posterior immortalis memoriæ & gloriæ Vir Joh. Gerhardus *Comment. ad Genesin passim*. Sequantur Forsterus *in Lexico in Voce* שקל, Avenarius *ibid. in Lexico in eadem voce*, Franz. *parili modo in Lexico Sacro eademque dictione*. Santes Pagninus *in Thesauro Linguæ sanctæ*, Drusius *inter cætera in Notis ad N. T. in Luc.* 15. *vers.* 8. *&c.*, & quem aliquoties se laudavisse dicit, Calovius *Disput.* 1. *Anti Grot. in Genes. pag.* 11. tanquam veteranum Theologum Reformatum, Rivetus *passim in Exercitat. in Genes.*, Paræus *itid. in Comment. in Genes.*, Vossius *Harmon Evangel. pag.* 81. *seq.*, & quem reliquorum in sententia hac ducem faciunt, Grsepsius Polonus *in Tractat. de Numism. Hebr.*, aliique & faciunt alterum altero duplo majorem. De qua sententia tamen, licet Gemelli non improbentur, quid sentiendum sit, mox prolixius patebit, prius etiam producendi, si non omnes tamen aliqui, quibus alia plane est mens atque opinio, sunt enim.

II. Alii qui contrario itinere, *unicum* tantum faciunt, licet *binominem*. Unum eundemque Siclum Sanctuarii modo Regium diciasserentes. Inter hos familiam ducit Villalpandus *Part.* 2. *de App. Templi lib.* 2. *cap.* 28., & Lorinus *in cap.* 27. *Levit. vers.* 4. & *alibi*, hic provocat ad Ludov. Alcazar *Tract. de Ponderibus & Men-*

Mensuris, vestigia deinde legunt Cornel. a Lapide *in Exod.* 30. *vers.* 13., & Waltonius *in Apparat. ad Biblia Polyglotta Angl. pag.* 36., & nonnulli alii, qui ut jam dictum est, *unum* tantum statuunt.

III. *Sanctuarii* vero cognomen, (ne quis in limine offendat,) invenisse pronunciantes, quia in Sanctuario asservatus unus atque idem Siclus, Judex atque norma reliquorum profanorum, vel (ut vocari a Cusoribus putant,) Regiorum ad vitandas Mercatorum fraudes dicitur, juxta illud Levit. ultimo, vers. 15. *omnis æstimatio Siclo Sanctuarii ponderabitur*, (non computabitur, quomodo tamen dicendum fuisse videtur *Cornel. a Lapide in loc. cit. ex Lorini Comm. in loc. cit.*, si major Sacer fuerit,) ubi LXX. *& omne pretium erit mensuris sanctis*, q. d. omnis Siclus, ac omne pondus, ac omne pretium ponderabitur Siclo ac mensura justissima, quæ asservatur in Sanctuario, exponentibus jam citatis Cornelio, & Lorino, quos secutis & asseclis eorum nec vestigia in Profanis Scriptoribus sequendi hanc sententiam deesse gloriantur, citantes id, quod apud Julium Capitolinum de Maximo Patre legitur: bibisse scil. illum sæpe die vini *Capitolinam amphoram*, propterea enim in Capitolio Jovi sacratam fuisse amphoram, ne a quodam violaretur, confirmant illis, quos ex Prisciano in subsidium producunt, versiculis:

Amphora sit, cujus vim ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Unde & eadem de Causa Justinianum in mandatis dedisse, ajunt; ut in sacratissima cujusvis civitatis Ecclesia mensuræ & pondera custodirentur, (*Authent. de Collat. Coll.* 9. §. *Si autem &c. Vid. VValton. Proleg.* 3. *num.* 32. *App. in Polyglotta Biblia*). Inde ille tandem: *cum mentio fit*, subjicit, *in Scripturis Sicli Sanctuarii, quia in Sanctuario asservata sunt ponderum, & mensurarum Exemplaria, hoc enim ad Sacerdotum officium pertinebat, ut sint super omne pondus, & mensuram*, 1. Chron. 23. vers. 29.

IV. Hoc obice & offendiculo ita, ut putant, remoto, jam sententiam ulterius roborare satagunt, fulcris, quæ pleraque nobis congessit, Vir εὐπροσήγορος, & alloquio amicabilis, lectionisque multæ (*ita audit Tobiæ VVagn. in Inquisit. Theolog. in Acta Henotica, pag.* 13. *& demirandæ scientiæ Viro, pag. m. Dno. Danbavero in Salve Risom. pag.* 14.) Joh. Heinricus Hottingerus (*in Cipp. pag.* 110. *seqq.*) quorum.

1. Desumtum *ab analogia* ponderis, & ponderati, integri enim nummi semunciam pendunt. Provocat ad hoc tanquam validissimum testimonium Villalpandus: loc. cit. pag. 397. *ante aliquot annos*, inquiens, *appendimus Siclum unum apud Fulvium Ursinum, & postmodum eos omnes, quos præcedente capite percensuimus, atque comperimus singulos argenti Siclos ex æquo semunciæ Romanæ antiquæ respondere h. e.* 4. *drachmis*.

2. Suppeditat *Græcorum Stater* sive Semuncia Romana, pondus Sicli, & pretium, cujus in quotidiana conversatione, contractibus &c. usus erat, exprimens, & propterea ejus loco, & vice versa, Siclus Syro Interpreti stateris loco usurpatus, in versione sua longe certe antiquissima, ut videre est introductione ad Linguas Orientales, (*pag.* 38. seqq.) totoque prolegomeno de Lingua Syriaca, apud Stupendi Operis Biblici Anglicani Polyglotti Autorem Eruditissimum.

3. *Mos* & *Consuetudo*, qua non sacra tantum, sed & profana siclo Sanctuarii appensa & æstimata dicunt, juxta illud: *omnis æstimatio sit Siclo sanctuarii &c.* uterque vero 20. obulis, quod illi pretium adhuc tempore fuisse Hieronymi volunt ex Comment. ejus, (*in Ezech. cap.* 45.).

4. *Dubiæ Rabbinorum de Re Monetaria sententiæ*: inde recens Rabbinorum esse inventum Villalpandus *pag.* 397. dicit, qui modo Siclum 320. ut ex Schalschel. Hakk. ostendi potest, modo 160. granis, Vid. Hotting. *Jure Hebræorum pag.* 134. & sic alterum altero duplo majorem æstimant.

5. *Omissum Sicli nomen* in dimidia Sicli sacri parte, utpote quæ licet pondere exæquaret Regium Siclum, nunquam tamen legitur ejus nomine dignata, quæ tamen vix ac ne vix quidem factum esse, quis suspicaretur, si nullum discrimen fuisset, sed semper suo proprio, h. e. חצית השקל sive semisicli nomine in omnibus versionibus expressa. Certe *Exod.* 30. *vers.* 13. omnes versiones, septuagintaviralis, (quam omnium antiquissimam esse vult Walton *in Prolegom. de hac* Hebræo-Samaritana, (quæ cum Textu Samaritano in eodem loco aliquantulum quidem variat sed nihil derogat huic sententiæ) Arabica, Syriaca, Vulgata & aliæ vel hanc Vocem retinent, vel per æquipollens in proprio idiomate exprimunt.

VI. *Nunquam visus siclus profanus. Vix* credibile esset, si cusus unquam Siclus Re-

Regius fuiſſet, dicunt, quin ad noſtra uſque tempora e tanto numero vel unus ſaltem duraſſet.

VII. *Altum ſilentium* apud Vetuſtiſſimos Scriptores, qui profani ne verbulo mentionem faciunt.

8. *Incertitudo*, & *fluctuans ſententia* Doctiſſimorum in decidenda hac controverſia animus Virorum, qui licet probant communem, certi tamen nihil adferunt, ut vel ſolo Waſero patet, qui cum Hottingero omnium, quos vidi, hac de re ſcripſit accuratiſſime, multumque & ſatis longe in hoc litigio verſatus, denique admodum dubius loquitur.

9. *Improbabilitas*, vel ut ipſis videtur, non eſſe probabile, ut prudens Magiſtratus diverſa pondera, vel menſuras intra regnum admittat.

10. *Destructio* rationum nonnullarum, quibus adverſarios nonnullos ſententiam ſuam ſtabilire cernunt, dum ad LXX. ut interpretantur, per δίδραχμον, h. e. duas drachmas quandoque ſiclum reddentes, provocant, Sicloque regio applicant, hujus vero argumenti imbecillitatem ut oſtendant, varie excipiunt. Arias Montanus *lib. de Menſ. & Pond. Sacris* & Maſius, *ad caput* VII. *Joſ.* lapſos exiſtimat in tranſlatione, quod tamen tam multis in locis vix veriſimile eſſe putat φιλολογικώτατος Walton, *Supplem. de Siclo* quare alii in librarios referunt, quos cum vidiſſent literam δ. (4) ſignificantem, drachmæque propoſitam, inſerta litera (ι) δίδραχμον formaſſe dicunt, ſed iterum repugnante Laudato Waltonio, qui non probabile putat, tanti erroris eos autores ſtatuere. Novum igitur huic malo φάρμακον Alexandria accerſunt, ubi drachmam unicam duabus Atticis, & ſic δίδραχμον, quod Alexandrinum vocant, τετραδράχμῳ Attico æquivaluiſſe, huc vero nova hac ſicli appellatione oculum intendiſſe credunt, quia vel ibi LXX.-- Seniores (Alexandriæ) Verſionem adornaſſent, vel inde ad adornandam profecti fuiſſent; verum nec hoc denique medicamine contentus Villalpandus, aliud ſufficit, quando diſcrepantiam, tum LXX. Interpretum modo patrio Hebræo, ſed Græcorum more flexo nomine, σίκλον; modo plane Græcanico, δίδραχμον appellantium; tum etiam Joſephi, ut volunt quidam, & Epiphanium, quorum ille (*l.* 3. *cap.* 5. *Antiquit.*) 5000. Siclos a Demetrio Judæis remiſſos, 12000. drachmis: hic vero unum duabus æquaverit, objicientibus reſponſum obviam it, *ſeptuaginta*, inquiens, *cum* δίδραχμον *pro Siclo reddunt, non certam habuerunt rationem exæquandi ponderis, ſed potius pro Hebraico aliud Græcum ſubſtituere voluerunt, qui illi in eo tantum eſſet ſimilis, quod magis in ore, ac manibus omnium Græcorum* δίδραχμον *tunc verſaretur, haud ſecus, quam tetradrachmon ſive Siclus in oculis ac manibus olim Hebræorum*. Nec Epiphanium ſibi contradicere putat, ſi ubique apud illum pro *Siclo* legatur *Sicilicus* intelligaturque ille de *Sicilico Romano*, quæ tamen quomodo quadrent, alii videant, ſiquidem Marquardus Freherus, *de re monetaria Imperii Rom. pag. m.* 47. quartam partem Unciæ, & conſequenter *dimidiam ſic dicti* ſacri Sicli, eſſe dictitat ſicilicum, Cornelius a Lapide, *in Comm. ad Exod.* 30. *verſ.* 13. alio artificio Epiphanium ſibi conciliare annititur, ipſum vel memoria lapſum, vel in codicem ipſius mendum irrepſiſſe, idque vel exinde conſtare aſſerens, quia aperte LXX. Interpretes contradicant. Agmen idem denique claudit, & unum ex duobus conflat, vel ſaltem exæquat his verbis: *imo æquales fuiſſe*, inquiens, *patet* Ezech. 45. *ibi enim dicitur omnis ſiclus habere* 20. *obulos, quod dicitur hic habere*, l. (nim. ex Exod. c.) *Ezechielem enim loqui de Laicorum divitum, & pauperum patet ex antecedentibus, ita Ribera in Amos* c. 8. num. 15. ſeqq.

Hæc ſupra laudatus Hottingerus *l. c.* exhibet firmamenta, apud quem videre quoque eſt, quid ad id, quando nonnulli ex LXX. Verſione, 200. ſiclos (Regios ſcil.) quos Cæſaries Judæorum tunc pulcherrimi Abſolonis libraret, tantum 100. (ſacris nim. Siclis) exprimente. Objiciunt inæqualitatem, imo, quod volunt, duplo majus pondus in ſacro, reſpondeant, quod ego adducere nolui, quia variationem in eadem verſione non deprehendi, ſicuti nec prolixe attexo, quod fortaſſe poſſit, unanimem conſenſum omnium interpretum, quorum quiſque in vernacula ejuſmodi voce reddunt, quæ vel ſiclum, vel ſtaterem ſignificat, v. g. Chaldæus Paraphraſtes, qui conſtantiſſime שקל reddit per ſuum סלעא, ut videre eſt ex *Gen.* 20. *verſ.* 16. & præſertim ex *Gen.* 23. *verſ.* 16. (ſicco pede tranſeo reliqua loca, ut ſunt *Gen.* 43. *c.* 37. *verſ.* 28. *Exod.* 21. 32. *cap.* 30. *verſ.* 13. *cap.* 38. *verſ.* 24. *ſeqq. Lev.* 21. *verſ.* 34. *Joſ.* 7. *verſ.* 21.) ubi cum Originalis Textus habet ארבע מאות שקל בסף, עבר לסחר: & Santes Pagninus ad verbum reddidit: qui tranſeunt ad mercatorem, Septuaginta vero τετρακοσία δίδραχμα ἀργυρίου δοκίμου ἐμποείοις, Paraphraſtes: ארבע מאות סלעין דכסף: quod recipiebatur pro mercimoniis in quacunque provincia; & Arabs Siclos ex iis ponit, qui in quacun-

cunque provincia currunt, a quibus nec Syrus abludit, quum igitur non diverso vocabulo usi sint, in exprimendo diverso Siclo, neque aliud in suis regionibus æquipollens, substituerint in Regio vertendo, & talis inter mercatores fit mentio, quem sacrum alias dicunt, concludere pro uno posse videntur.

V. Nisi alterius sententiæ reponerent temporis diversitatem, & quod Regius postea demum cudi cœperit tempore Regum, & proinde mirum non esse, si unius tantum fiat mentio, nec derogare sententiæ, quæ duos suppeditat siclos, præprimis cum nec desit, quod ad hactenus tanta pompa adducta argumenta responderi possit. Et ad *responsionem* quidem, qua duplicem, sacrum & profanum ex sacris sibi objectum, per asservationem in sanctuario, in unum conflari & conciliari putant, quod ista *asservatio ad vigorem* quod Israelitæ quotannis pendebant *tributi sacri* ne vel falsis, & concisis, & diminutis, (quam artem ut hodie, sic dubio procul olim exercuit, & olim ex indole nationis exercitura est, Judæaneo (*Vid. l. c. ex Ezec.*) vel etiam deinde Regiis, & alius generis Siclis detrimenti quid pensio sacra capiat; & proinde magis pro *duorum* vel *plurium*, quam unius defensoribus faciat, idque probabilius longe, quia universalis illa: *Omnis æstimatio Siclo Sanctuarii ponderabitur*, per *universalem accomodam* ita exponi non repugnet, omnis æstimatio *ad rem sacram* pertinens, *omnisque* Siclus *in sanctuarium conferendus*, *omne pretium sanctuario*, Deo, & Sacerdoti debitum ponderabitur, & computabitur *mensuris sacris*, scil. *non profanis*, quibus quasi opponi videtur. Pari ratione ad rationes responderi possit, & ad

1. Quod illa neminem feriat, quia tantum sacros, non profanos appendisse poterunt, nec

2. Quod Stater quidem sacrum, de quo in N. T. fere sermo est, exæquet, sed non profanum, cujus usus interiisse potuit, & res, cui impensus legitur, vel sacra fuit, vel ad sacra adhuc tum vel olim pertinuit, v.g. *Matth.* 17. *vers. ult.* stater, quem pro se, & Petro in aperto piscis ore miraculose inventum Mundi Tributum in tributum dare jubet, non tam erat vectigal solvendum, in trajectu, aut telonio, quam annuum tributum, quod Judæi viritim de singulis, amissa libertate, capitibus Capitolio Romano pendere cogebantur, loco illius, quem præcepto (*Exod.* 20. *vers.* 13.) divino quilibet XX. ætatis annum egressus in templi librorum, ministrorum, pauperum sacerdotum, viduarum, ac orphanorum conservationem debebant. Vid. Bertram. (*ad cap.* XVII. *vers.* 24. *Matthæi.*) vel ipse adhuc semisiclus, quem Templo juxta illum solvebant, vid. Ligtfoot (*ad l. c. Matth. p.* 210.) &

3. præsupponit, quod adhuc probandum, nim. etiam profanas nec cultui divino destinatas res hoc æstimatas fuisse. Et

4. Adversariam sententiam ut feriat, abest, ut potius eandem adjuvet, quippe quod tantum non omnes in castra eorum concedunt, qui uno contenti haud sunt Siclo, qui & adjicere possunt quod

5. Necessitatem nullam inferat, sed probabilitatem, imo vix hanc quidem, quia quælibet versio eo in passu κατὰ πόδα vestigia legere voluit Prototypi, nec simile quid apparet in aliis mensuris, ubi per æquipollens exprimere potuissent, si animus fuisset, accedit, quod hic vix licuit, siquidem Regius sive profanus sacri sicli valorem dimidium dimidia adhuc ejusdem parte excessit, ut dicetur,

6. verum, licet nunquam fuisset ullus visus Regius Siclus (quod tamen quam veritati sit consonum tot subinde arguunt cusi, & æri incisi) nec tamen propterea res negari deberet, quia fere multa injuria temporis αὐτοψίαν nostram effugerunt, quæ propterea rejicere tam iniquum est, quam gratus eorum aspectus fuisset. Ad

7. quod si omnes antiquiores facerent, præsertim Rabbini Autores, quorum tamen confessiones subinde suffragantur duplicis sicli autoribus, sola sufficeret scriptura sacra, omnes omnino nullo excepto antiquitate superans, locupletissimus, simul atque sufficientissimus, uti in omnibus rebus sacris, sic hoc negotio testis, dum adeo expresse, & digito quasi intento utrumque demonstrat. Nec

8. Dubiæ Autorum locutiones ipsi rei derogant quicquam. Ecquænam enim res sunt, de quibus Pyrrhonius non dubitare possit? Ipsa veritatis lux hanc fati iniquitatem haud effugit.

9. Reclamat quotidiana experientia manibus palpabilis. Denique dicendum ad

10. Eadem facilitate rejici posse, qua se rejecisse unius Promachorum putant subsidium, si quod sperandum ex nomine διδράχμυ, siquidem id neutri parti quicquam nocet, & dici potest rotundo, & fortasse magis usitato vocabulo διδράχμυ pro σίκλῳ, (a qua tamen voce non abstinuerunt) LXX. exprimere sine ullo discrimine Siclum voluisse; vel ἅγιον, καὶ δημόσιον σίκλον fuisse, cum Ligtfooto (*ad l. cap. Matth.*) nec proinde esse, ut cum Cor-

Cornelio a Lapide aliisque ejus in hac militia sociis per tot ambages ad promerendum Epiphanii, aliorumque Autorum favorem vadatur, sed potius sibi suæque lectioni usitatæ ut relinquatur, præstare, quia invita ingenia male respondent semper, & potius in adversas duas defendentis partes succedat ambobus, ut dicitur, pedibus, modo liber incessus permittatur.

VI. His & similibus excipere contrarias opiniones non adeo difficile foret gemini sicli defensoribus, si lubido esset, quanquam nec istis quid reponant, & his iterum denuo quid respondeant fortasse deficeret, quæ prolixiori tractationi aliorum relinquo, addens saltem, quibus hi, alterum altero duplo majorem statuentes apud Hottingerum (*in Cippis pag.* 110. *seqq.*) uti dicuntur argumentis, quorum

1. *Differentia* sive character, quo sacer a profano distinguitur, (qui qualis & cujus momenti sit, paulo post subjicietur.)

2. *Translatio* LXX. Interpretum, quæ quia se geminat in voce שקל, dum modo σίκλον, modo δίδραχμον, ut sæpius dictum est, vocat, geminum quoque juxta ipsorum sententiam, & σίκλῳ quidem *Sanctuarii*; διδράχμῳ vero, utpote dimidia parte πετραδράχμυ, (quantum juxta Josephum alias *Antiquit. Judaicarum*, *lib.* 3. *cap.* 9. valet siclus, *Regium* siclum statuat, sed quam bene, ex dictis difficile judicatu non est.

3. *Consensus* Hesychii (*vocabulo* σίκλος. Siclum πετράδραχμον Ἀττικὸν νόμισμα appellantis.

4. *Consuetudo Hebræorum*. Schalschelet Hakkabal: וידענו בקבלה שהוא שקל הקדש משקל ש״כ גרעיניז של שעורה כסף צרוף: i. e. *Et scimus ex Kabbala, Siclum Sanctuarii pendere* 320. *grana hordei in puro argento*. Vid. & R. Gerundensis (*in fin. Expos. Pentateuch.*)

5. *Placuisse* etiam hanc opinionem, ajunt, tum veteribus, utpote Hieronymo; *in Comment. ad cap.* 4. *Ezech. & ad* 17. *Matth.* tum recentioribus Grespsio Polono, *de multiplici Sielo*, quem Antesignanum hujus sententiæ vocat Viilalpandus, *Apparatu Urbis ac Templ. Part.* 2. *de Ponder. lib.* 2. *disp.* 4. *c.* 28. *p.* 397. Antonio Augustino, *Dialogo* 2. *de Numism. Vet.* Wasero, *de antiquis Hebr. Num. pag.* 58. Kirchero, & innumeris aliis.

His omnibus mirum quod non addatur, προσδιοσισμος & toties repetita digitalis demonstratio, siclum de siclo quasi discriminatura, v. gr. & ubi præprimis conspicua est, in loco *Exod.* 30. *vers.* 13. מחצית שקל בשקל הקדש & porro עשרים גרה השקל quo vox שקל non modo repetita, sed & digito sive τῷ ה quasi ad discrimen judicandum, ab altero separata; haud secus atque *Regius* 2. *Reg.* 14. *vers.* 26. in pondere Cæsariei Absolonis (quæ ducentorum siclorum fuisse dicitur,) eodem indice, ה scilicet in Hebræo השקל המלך; & articulo τῷ apud Græcos vertentes, ἐν τῷ σίκλῳ τῷ βασιλικῷ, iterum a priore distinctus videtur. Quod, si unus tantum fuisset, dubio procul vix factum esse, quis dixerit?

VII. Quicquid sit hujus, parum abest, quin nomen inter hos posteriores profitear, ita tamen, ut in pretii & ponderis determinatione mihi ab iisdem paululum secedere liceat, ut & hos & priores habeam faciliores, utpote quibus Sicli sacri pretium, & pondus regii duplo majus, discrimine inter vocem διδράχμυ & πετραδράχμυ, vel σίκλυ persuaderi nunquam potuit. Quare *quidem duos*, *Sacrum*, inviolato suo æstimio; & *Regium*, sed illo nequaquam duplo *minorem*, sive *duarum drachmarum tantum*, verum *trium*, & proinde saltem *quadrante*, sive *quarta parte leviorem* sacro statuere velim, imo invitis siclis geminæ figuræ, talisque modi ponderis, quos videre & pendere mihi contigit apud Patronum, & Fautorem nunquam sine laude commemorandum, Reverendum plurimum, & Cl. Virum, Dominum M. Heinricum Majerum, qui

Dum, ne dicere singulos laborem,
Quotquot Romulidum duces fuere,
Quotquot Golzius exhibet legendos,
Quotquot utitur universus orbis
Nummorum Speciebus, & vel olim
Usus, unicus exhibet videndos,

In prædicata supellectile Siclorum genera possidet, *Regium & Sacrum*, quem volunt, vultum præseferentium, antiquitatis, ut apparent, indubitatæ, quos inter duo præ reliquis quantivis pretii esse videbantur, eorum alter altera ex parte videndam *Aaronis virgam*; sed altera *urceolum*, seu *calicem thuricremum*, vel thuribulum, ut nonnulli conjiciunt, fumigans, sacri indicia; pondere vero drachmas 4. seu ut nos loquimur: unum Lotonem exhibebat; in alterius autem prima planitie surgebat arx, quam vocant Sionis cum inscriptione:

ירושלם עיר הקדש

Secundam vero explebat sola hæc inscriptio hoc ordine:

דוד המלך
ובנו
שלמה המלך

Quæ regem, regiumque Siclum, ſed quadrante priore minorem, h. e. 3. ſaltem drachmarum, oder Quintlein/ prodidit. Utriuſque generis non infrequentes ſunt in manibus curioſorum, & infra oculis uſurpari poſſunt.

VIII. Ne vero qui eos mentitæ antiquitatis poſtulet, utpote propioris ævi ſoboles, quod novos, & non Samaritanos in fronte characteres, & imprimis extenſum, ſeu finale ך (cujuſmodi diſcrepantiam in remotiſſima a Davidis, Succeſſorumque ſecula referunt nonnulli *Vid. Schickard. Bechin. Happeruſch. pag.* 82. 83. *Eund. in Diſſert. de Num. Hebr. Kircherum Tom.*2. *d.* 2. Oedip. alioſque innumeros.) oſtendant, ex eodem Antiquitatum rariſſimo Theſauro unum conſpicuæ ſenectæ, ætatiſque grandæve depromere nunc poteſt laudatus promerendis antiquitatibus attentiſſimus Autor, qui literis Samaritanis ævo attritis ex Oriente patria ſua amici cujuſdam voce in Europam Helmſtadium migrare juſſus, primo apud Cornelium Martini, cui miſſus erat, delituit, deinde D. D. Frid. Ulric. Calixtum Patronum nactus, moxque ſæpius commemorato Fautori miſſus nunc rarioribus ejuſdem monetæ Cimeliis annumerari; & quaſi Luna inter minora ſidera nitere cœpit, tanto ſplendore, ut ſecus ſentientium oculos ad hoc jubar hebeſcere quis credat? is cœtera priori *Regio* diſpar, pondere tamen 3. Drachmarum conveniens, ut *ſuperiorem qui erat Drachmarum quatuor ſacrum*; Hos vero, qui habent Drachmas 3. *Regios* facerem, neutiquam tamen ut ulli quicquam præſcriberem, cauſa fuit.

IX. Et hæc ratione *uſus*, ſive *finis* dicta ſufficiant, quanquam enim quis addere velit etiam ratione finis nummos dari vel *Kabbaliſticos*, qualem ſe vidiſſe ait non una vice citatus Hottingerus Buxtorffii in Helvetia apud D. Hortinum nominibus Dei variegatum & publicare quoque promittit; vel *Magicos*, in quorum cenſum *Amuleta*, *Taliſmata*, vel μνημονευτικὰς, cujus generis Supellex ſupra deprædicata gloriari, & præ cæteris uno poteſt, infra producendo, omitto tamen impræſentiarum, utpote rem a propoſito noſtro, non quidem plane alienam, nec tamen ſatis ad id ſpectantem.

X. Quare *ratione materiæ* quomodo dirimant Siclum, opus eſt, ut videamus; Ravanellus *in Bibliotheca ſacr. p. m.* 615. vel in Chalybeum, ut 1. *Sam.* 17. *verſ.* 5. 2. *Sam.* 21. *verſ.* 16. vel ferreum, 1. *Sam.* 17. *verſ.* 17. vel aureum, *Geneſ.* 24. *verſ.* 21. 1. *Chron.* 21. *verſ.* 28. 2. *Chron.* 3. *verſ.* 9. *Judic. cap.* 8. *verſ.* 26. vel argenteum, cujus nuſpiam non eſt mentio. Verum ſi ita, prout res ad ſiclum appenſæ ſunt variæ, diſtinguere quis velit, oppido varios habebit ſiclos, de nummo ſiclo hic fere quæſtio eſt, qui *argenteus*, vel *aureus*, & quem nonnulli adjectum viderunt, *æneus* fuit. De aureo, cujus & Forſterus, *in Dictionario Hebræo*, & ex eo Flacius *in clave*, *voce Siclus*, meminerunt, ut & *argento* vix dubium apparet, æneum colligi poſſe videtur Clariſſimo D. Dan. Wulfero §. 7. *Diſp.* 7. *de Siclo*, ex 2. *Sam.* 21. *verſ.* 16. ubi verba Hebræa נחשת משקל inquit, Chaldæus vertit per סלעין דנחשא LXX. σίκλον ὁλκῆς χαλκοῦ, Videtur etiam tacite poſſe colligi, pergit ex illo, ſtante hypotheſi, duplum fuiſſe Regium, & ſacrum, quod additur in loco *Exod.* 30. Siclus, qui 20. gera continet, ac ſi hic ſenſus ſit, licet ſit alius Siclus hujus magnitudinis, non tamen alterius materiæ, & per conſequens minoris valoris, quippe quum æs valorem argenti pari magnitudine non attingat, hactenus ille. Num rem attigerit, non judico, mitto potius curioſiores ad eos, qui prolixioris eruditionis extiterunt, & tractationis quoque, quales ſunt Villalpand. *lib.* 2. *cap.* 30. *Part.* 2. *App. pag.* 401. Waſerus, *l. c. pag.* 65. Kircherus, *Oed. l. c.* Schlinderus, *Lexico Pentagl. pag.* 1933. Hotting. l. c. M. Loys Savot Gallicus Scriptor, *c.* 14. *de Metalles Antiques*, *p.* 335. Martinius, *Lexico Philolog. in voce Siclus*, præprimis Walton, *Suppl. cit.* addatur & R. Levi Gerſon, *Comm. ad* 8. *Jud. ſeqq.*

XI. Tandem hic, quod tamen ab initio hujus capitis decuiſſet, dici poſſit, quod ratione *Efficientis* alius Hebræorum, alius Perſarum, alius Ægyptiacus, alius cœterorum Orientalium fuerit, ſed quia & hos ſupra tetigimus, nunc miſſos facimus properantes ad

CAPUT IV.

De Sicli Forma, *ſeu* Figura.

I. *Sicli figura varia. Ubi videnda?* II. *In nonnullis Urna cum* א *&* *inſcrip.* שקל ישראל *& virga Aaronis. Quando cuſus hujus formæ?* III. א *diverſimode interpretantur, noſtra conjectura.* IV. *Alii ejuſdem figuræ, aliis tamen literis, & & inſcriptione mutata,* ה *&* ש *quid in his ſibi velint? Additur his quoad figu-*

figuram Regius nobis visus. V. *Adhuc alii, sed semisicli*. VI. *Siclus Schraderi & Hottingeri obesi cum porticu templi, & Literis* מ *&* ש *harum varia interpretatio. In altera horum Siclorum facie figura & inscriptio, disputata, dubia relicta*. VIII. *Alii cum literatura quadrata. Eorum possessores, figura, inscriptio in una; in altera facie qualis?* 9. *Discrimen inter hos posterioris sortis. Antiquitas horum disputata defensa*. X. *Regii Sicli facies, qualis utraque?* XI. *Alias cum ara fumigante*. XII. *Abrahami, Josuæ, Davidis, & Mardochæi sicli quomodo insigniti? Scherzerus laudatus. Moses cornutus in quibusdam. In quibusdam Salvator. J. B. Carpzovius laudatus*. XIII. *Sicli cum radicibus Balsami*. Μνημονευτικὸς *quidam productus, & explicatus*. XIV. *Consideratur seorsim Scriptura in iisdem, utpote res magni momenti, utra prior Samaritana, an Assyriaca? Utriusque defensores producuntur*.

I. Figura, quia in variis varia apparet, melius eandem proponere haud poterimus, quam si omnes, quos apud Autores, qua manibus, qua oculis usurpavimus Siclos, inque iisdem figuras, literasque juxta ac Autorum animi sensa atque cogitata de iisdem luci exponamus, quodque paucis nunc expedituri sumus, unum atque alterum ligno incisum, reliquos vero descriptos saltem, videndos vero in aliis fere multis Autoribus, Villalpando scilicet *pag.* 383. *l. supra cap.* & qui ex illo, Beza, & Morino plures colligit, Waltone, *in Introd. ad Ling. Orient. pag.* 31. *seqq. it. in Append. pecul. Suppl. ad Bibl. Polyglott.* Hottingero, *Cipp. pag.* 127. Wasero *pag.* 4. *de Nummis Hebræorum*, Seldeno, & VValeo *pag.* 188. *Comm. in N. T. cit. ad cap.* 17. *vers.* 24. *Matth.* ostendentes.

II. Dantur igitur nonnulli habentes altero latere *Urnam*, & super illam א Samaritanum, cum inscriptione itidem Literis Samaritanis: שקל ישראל (quod Schickard *Becchin. Happi pag.* 82. interpretatur *Siclus Siclorum*, legens fortasse שקל שקלים,) *ex altero vero virgam Aaronis Amygdalas proferentem*, addita hac πεϱιγϱαφῇ ירושלים הקדשה *Jerusalem sancta*. Talem exhibet VValton *l. c.* VVaserus, Joh. Morinus in Pentateuchum, *Exercit.* 2. *cap.* 40. talisque faciei Linguarum Orientalium peritissimus Walthon scribit, Benedictum Ariam Montanum ex dono Episcopi Listrigoniæ nactum esse, ex quo cum aliis, siclorum antiquitatem, quod scilicet ante secessionem X. Tribuum cusus sit, colligunt, *tunc enim*, inquiunt, *Israelis nomen populo toti convenisse, neque Samaritanos unquam Jerusalem possedisse, neeue illos nomen sanctæ huic tribuisse, sed potius abominatos fuisse acerrime*.

III. Per א Vasculo inclinans indicatam putat Arias Montanus *loc. cit pag.* 391. *sicli faciem priorem* Villapandus nomen ארני; Walton vel *urbem*, ab א incipientem, vel aliam a jerusalem communi Nomine אחרת notatam, ubi nimirum cusus, sit hic nummus: Rabbini quidem אחר seu Siclum unum, aut integrum, quod non adeo incongruum quis judicet, cum & hodie pretium nomismatis impressum videmus, & eo melius dimidio oppositus appareat pretio, quod familiare admodum inter eos propter tributum; vel *primum* interpretari posses, ad denotandam prærogativam, quam vel ætate, vel Autoritate, utpote præ altero Regio scil. qui alias Literas in poculo, sed eandem faciem, & figuras ostendit, habet. Est alia אגן *crater*, vel Phiala, qualis subjecta figura esse videtur, sed dubito, num per hanc exponendum illud א; malunt Laudati Autores Urceolum, seu urnam, in qua de mandato Dei asservata fuit Manna, eadem intelligi, a quibus tamen Philippus Melanchthon secedit, non vasculum, quo Manna asservatum, sed thus concrematum fuerit, intelligens in Elegia erudita, quam adscriptam videre licet in Wasero *Lib. de Nnm. Hebr. pag.* 64., fortasse quia fumum de Vasculo ascendentem viderit in iis, qui mox literis, ut vocant, quadratis insigniti sequentur, quare, & ad eos potius, quam hos trahendus est.

IV. Dicto nummo proxime Walton alios adjungit, eidem fere omnia similes, vultumque figuramque, nisi quod in literis super urnam positis, & in Inscriptione quædam mutatio appareat: nonnulli enim eorum inscriptionem augent literis י & ו vocalibus sive Lectionis apud Samaritanos Matribus, (*vid. VValton in Introd. ad Lection.*) & ה Paragogico, ut hac facie appareat ירושלים הקודשה Literis Samaritanis. Talismodi exsculptum videndum dedit Walæus *Comm. in N. T. cap.* 27. *vers.* 24. *Matth.*, ex Seldeno, qui ejusdem monetæ se quoque aliquem possidere ibidem profitetur. Alii easdem literas retinent, demto uno (ו) ejusque loco posito (ד) ita ut cum duplici, sed ceu reliquæ Samaritano (ד) legantur h. m. ירושלים הקדרושה talis speciei se habere commemorant Villalpandus, Joh. Morinus, Waserus, & unicum quoque se

ſe inter Judæos nactum dicit Poſtellus, cujus figuram de 12. linguis oſtendit. Hi jam commemorati pro א in urna habent alias duas literas, ד & ש nim. de quibus non minus, quam de א diſputatur, quid ſibi velint. Maſius pro iiſdem (fortaſſe ſc. in ſuis reperiit) legit מ & ש, quaſi indicarent שלמה מלך ejuſque tempore cuſi eſſent. Villalpandus, (ſed quam commode, lector judicabit,) legit שדי retinens priores, nomenque ſive attributum Dei ponens. Probabilius explicare videntur Morinus, & Kircherus *Oedip. Tom.* 2. *Claſſ.* 2. *pag.* 93., exponentes ד & ש per שקל דוד. De reliquis vero quid ſentiant Literis, videre eſt apud Walton. *loc. cit.* de diverſa vero ſcriptione vocis ירושלם quæ modo abſque modo cum (י) tum in Siclis, tum Pandectis ſacris occurrit, quid ſentiendum, & unde ſit, docet Sixt. Amama Antibarb. Biblico *pag.* 474. *ſeq.* His laudatis, & deſcriptis addo illum, quem ex celebri Celeberrimi Patroni Supellectile nuper produxi, Regiumque vocavi, quia iiſdem, (ut ex figura ſubjecta patet cum deſcri-



ptione collata) tam ſimilis, ut Ovum Ovo, ſolo pondere, ut jam dictum, diſcrepat, tres enim tantum drachmas pendet, ubi dicti (modo juſte appenſi) 4. habuiſſe dicuntur.

V. Nec nos noſtrum ſolum huic theſauro adjicimus, VValton enim affert adhuc alios, ſed ſemiſiclos, qui figura a prioribus nihil diſcrepant, inſcriptione parum: חצי ſcil. habet unus, quem Beza *in Matth.* 17. *cap.* ab Amico Ambroſio Blainero ſibi communicatum eſſe ait, & ex eo conſpiciendum exhibet Comm. VValæi *ad l. c. p.* 189.; & alius eorum, qui VVaſeri eſt, in urna, ſive Calice ב ad ſignificandam, (ut interpretantur,) dimidiam partem ſicli, (quia duo, quod ב ſignificat) unum efficiunt, hoc ipſo confirmatur, quod ſupra ad illos, qui א habent, dictum eſt, nim. quod *Unus* vel totus appoſito א indicetur, cum expreſſis vocibus חצי השקל ישראל (dimidium ſicli Iſraelis;) alius qui habetur apud Morinum, & Villalpandum, omittit vocem ישראל, retentis cœteris ſcilicet חצי השקל ſeu dimidium Sicli, oſtendit.

VI. Viſuntur præterea alii, una facie referentes, ut Clar. Schraderus (peculiari ſcripto de ejuſdem formæ ſiclo ad Illuſtriſſ. Ducem Luneburg.) & Hottingerus *in Cipp. pag.* 131. *ſeq.*, conjiciunt, porticum Templi, & Literas Samaritanas ex una parte מ & ש lectu faciles, ex altera vero exeſas, quas prioribus jungens Clariſſ. Schraderus שם טוב, ibi bonum; Villalpandus in ſimili fere Siclo numerice reſolvens, 300. & 40. Hottingerus vero nomen Simeonis, denotari vult; habuerunt enim uterque unum communicatum, Schraderus quidem ab Eruditiſſimo Germaniæ, ſuique ſeculi Principe, Duce Luneburgenſi, qui ipſius judicium de eodem expoſtulavit, Hottingerus, autem, ut ipſe refert, a Buxtorfio, Magno in his Literis Nomine, nec utrique magnæ differentiæ, niſi quod Schraderi ש & מ in dextra; hujus in ſiniſtra dicti lateris ſive faciei, & in altera facie ſive vaſculum, ſive virgas (variant enim in interpretatione) minores vel breviores habeat, cœterum pondere 4. drachmarum pares. Altera vero facie iidem, ut jam attigimus, figuram variis interpretamentis Autorum notatam Doctiſſimus Hottingerus *vaſculum*, ſeu *Urnam*; Schraderus magnæ quoque eruditionis Vir, eſſe 12. *Virgas*, quarum *media Aaronis*, germinibus, & floribus repentinis præ cæteris conſpicua, ejuſque rei, ſive conjecturæ ſuæ index ſit, floſculus, qui penes eas virgas viſitur deciduus, conjiciunt, quicquid demum ſit, una exhibet literis Samaritanis hanc inſcriptionem: ירושלם לחרות quaſi novo Eridis pomo inſertam, quod *Libertati* (ut interpretantur) *Hieroſelymitanæ* Hottingerus; Joſepho *Antiquit. lib.* 11. *cap.* 8. laudatæ; Schraderus vero *Scripturæ Jeruſalem*, ſive *Genealogiæ* Levitarum (cujus David erat reſtaurator, (*juxta* 1. *Paralip.* 23.) cum Villalpando, & Kirchero eaſdem literas, ſed in diverſæ figuræ ſiglis legentibus attribuunt quidem; verum Hottingerus obſtat poſterioribus, eorumque vota, ac ſententiam infringit, ut videre eſt in Cippis *pag.* 31. ut proinde cui aſſentiat aliquis, nondum liqueat. Certe vix omnes alterutram harum interpretationem calculo approbarent ſuo, ſi viderent, nec tamen interea tertia apparuit, cui tutius tribui liceret. Conſulantur ipſi Autores, & conferantur, Schraderus *loc. cit.*, Villalpandus *loc. cit.*, VValtonus *pag.* 36. *App.*, Kircherus *Oedip. Tom.* 2. *Claſſ.* 2. *pag.* 93., Hottingerus *Cipp. pag.* 128. 129. & 130., qui docebunt ulterius, quid de his, aliiſque ejuſdem monetæ Siclis hiſtoricis ſit ſentiendum.

VII.

VII. Nos interea properamus ad alios, quos Villalpandus, Morinus, & VValtonus exhibent, qualeſque ſe habere dicunt, Magnificus Calovius *in Critico ſacro*, unum vero Hottingerus *in Cippis*, & ipſi 3. Ejuſdem plane figuræ vidimus unum apud ſæpius laudatum Patronum M. Heinricum Mejerum, alterum apud M. Joh. Frenzelium, Eruditorum hodie Encomiaſtam non infelicem, cujus tamen Anteceſſorum nimia charitate, ſi non ingentem antiquitatis jacturam fecit, certe ſuſpicionem ingenuitatis fucatæ reliquit, dum inauratus fuit; & ultimum apud Amicum quendam M. S. V. Hi omnes ex uno latere oſtendunt *thuribulum*, ut Villalpandus vult, ut vero Flacius *in Clave pag. m.* 1135., Gregorius Gregori *in Lexico ſancto cap.* 427. *pag.* 402., Pagninus *in Voce* שקל, contra reliquos fere omnes autumant, *arcæ* imaginem; vel ut aliis, & ipſi, videtur, *Urnam* aut *Calicem*, *cum thure ex eodem fumante*, Appoſita inſcriptione literis, ut vocant, quadratis, ſeu hodiernis facta h. in m. שקל ישראל Siclus Iſraelis, ex altero vero *virgam Aaronis* cum foliis nondum fructus, aut flores protuberantem; vel ut aliis placet, *Olivæ Ramum*.

En figuram ipſam.



Vix enim probabile eſſe dicunt, ut abrogata ex una parte, *Urna*, Mannæ receptaculo, virgam Aaronis retinuerit; vel denique, ut Doctiſſimo Seldeno videtur, *palmam*, ſeu *palmæ ramum*, quam arborem, veluti Gentis Judaicæ Symbolum ſubinde in Cœſarum nummis, v. g. Auguſti, Veſpaſiani, Nervæ videre licet, (adi Comm. perpetuum Walt. *in Evangel. pag.* 188.) vidique non unum apud hujuſmodi, ſed meliorum & rariorum numiſmatum in Germania hodie nemini ſecundum Theſaurarium, modo dictum Dominum M. Heinricum Mejerum, vel ſola hac cura Patriæ ſuæ Gratum & Inſignæ Decus.

IX. Hujus figuræ, notæque præter jam dictos Siclos, ut varios extare teſtantur Autores paſſim hactenus allegati, ita diſcrimen inter eoſdem in Inſcriptione, tum alii a dextra verſus ſiniſtram alii, vice verſa eandem factam exhibent, extare obſervavit VValtonius *loc. cit.*, unde non eodem ſeculo, poſt Captivitatem Babylonicam omnes cuſos eſſe, & propterea cum iis, qui Samaritanis viſuntur literis, antiquitate comparari nunquam poſſe autumat idem, Villalpando in hoc liberior, qui, cum in nummo ſuo haud contemnenda antiquitatis veſtigia (qualia in aliis apparere ejuſdem ſcripturæ ſiclis patet,) cerneret, dubius, quid de eodem eo pronunciaret, hæſit, cuique liberum, quid vellet credere, relinquens, apertior in hoc Kircherus *Oedip. Tom.* II. qui poſteriores hos ſiclos prioribus (Samaritanis ſc. literis notatos puta,) antiquitate minime cedere aſſerit: imo hos demum veros Siclos fuiſſe pronunciat, cui pollicem premit Orientalis literaturæ Myſta, Schickardus tum Bechinat Happeruſch. (*pag.* 82.) tum diſſertatione de nummis Hebræorum teſtans, effodi Hieroſolymis æneos nummos antiquos cum Salomonis nomine, Regno adhuc integro percuſſos, & ſic ipſa Samaritanorum origine, Eſdramque multo antiquiores, qui una ex facile vultum Regis, ex altera templum, utrobique, quas vocant, cum literis vulgaribus oſtendant; inde referunt Leuſdenius loco mox citando, & Schick. loc. cit. quod Rabbi Aſarias Panſa apud Mantuanum civem Panſam viderit argenteum nummum, in cujus parte una fuiſſet figura Capitis humani, cum his vecibus Margini adſcriptis: שלמה המלך (*Salomo Rex*) in altera parte figura templi cum hac inſcriptione: היכל המלך (*Templum Regis*) utraque vero ſcripturæ Hebraicæ vulgaris. Vid. Polyhiſtorum Decus Kipping. *Exercit. de Script. S. pag.* 79. Et talem Fulvius Urſinus Romanus habuiſſe dicitur, quem tamen Villalpandus contra clariſſimam Inſcriptionem, tantum ne præconceptam opinionem ſuam perdat, recentiorem, & demum ab Herode Agrippa in honorem M. Antonii percuſſum eſſe dictita. (Vid. Leuſdenius *Philol. Hebræo pag.* 97., addatur VVandelinus Haffniæ, Splendidum Theologiæ Lumen (*Veſtibulo Philolog. in Eſdram* §. 25.). Quare tandem judicioſiſſimus Hottingerus *loc. cit. pag.* 396. addit: Quemadmodum, inquiens, igitur non omnes nummi characteribus Samaritanis

tanis conſpicui, ultimæ ſunt antiquitatis, & ævi Chriſto prioris; ita male ex Aſſyriaca Scriptura omnium nummorum nupera Origo concluditur. Et illuc refert nummos illos æneos Characteribus Samaritanis cuſos, quos Theſeus *introductione in Linguas Chald. Syr. Armen. & decem alias Linguas*, Julii ſecundi, & Leonis 10. Pontificum temporibus, Romæ ſe vidiſſe teſtatur. Quibus omnibus, & inter illos præprimis Salvatoris Imaginem referenti antiquitatis gloria derogat.

X. Hæc hactenus de Siclo cum *Virga & Calice*, quem ſupra Sanctuarii diximus, nunc ſubjungenda quædam de *Regio* ſunt, qui, ut monuimus, ex uno latere demonſtrat *arcem Sionis*, ut interpretantur illam ſtructuram, in quam 3. turres ſurgunt, cum Inſcriptione, h. m.

ירו שלם
עיר הקדש

Ex altero vero tantummodo has voces:

דוד המלך
ובנו
שלם המלך

ut videre eſt in ſubjecta figura, quos iſtos duos a me commemoratos, viſoſque ita ſe habere dixi. VVaſeri (ſi modo vere excuſus) ab illis diſcrepat, quia diviſam vocem המלך contra Hebræorum conſuetudinem habet, vid. figuram in ipſius Libro de Hebræorum Nummis.

Figuram vero a nobis viſam, en hic!



De antiquitate eorum quid ſentiendum ſit, quilibet ex antea dictis facile colliget, addantur & audiantur Schickardus, & Hottingerus *loci citati*. Mitto nunc illum, ſicuti & alterum Regium pondere huic 3. drachmarum; ſed ſcriptura Samaritana, & pictura paucis exceptis Eccleſiaſticis quibuſdam, ut jam monitum eſt, non diſparem.

XI. Cœterum præter hos & alius, quem exſculptum in Libro ejuſdem de re monetaria videre eſt, Budelius meminit, qui *aram fumigantem* ex altera parte, ex altera vero *virgam Aaronis* cum Inſcriptionibus Sanctuarii Siclo pro omnia ſimilibus exhibet, quo Forſterus *in Lexico pag.* 890. ſacerdotium, & regnum tanquam Symbolo Judæos ſignificare voluiſſe, judicat.

XII. Prætereo hic ſicco pede alios, de quibus Thalmudici Scriptores agunt, Abrahami ſcil. Joſuæ, Davidis, & Mardochai; & *Abrahami* quidem eſſe putatur, qui ejuſdem & Saræ, cum ſubſcriptis verbis: זקנה & זקן (ne figuram ſenis & Juvenis, quod non licebat expreſſam quis putet,) ex una, ex altera vero parte Iſaaci & Rebeccæ Nominum primas literas cum ſubſcriptione hac: בחולה & בחור Juvenis & Virgo referunt, de quo mox; *Joſuæ* vero *bove* una, & altera facie *Unicorni*; Davidis *ſcipione* & *pera* in una, in ſecunda *turri*; *Mardochai* denique *ſacco* & *cinere* in prima, aurea vero *corona* in *altera* inſignitos fuiſſe Siclos tradunt. Videatur *φιλοσοφίας, φιλολογέιας, ϗ θεοσοφίας ἀπάσης ἀφροδίτη, ϗ λύρα* in Athenis Lipſiacis Joh. Adam Scherzerus, Præceptor non ita pridem Oculiſſimus (*Miſcellaneorum Sacrorum lib.* 1. *cap.* 2.) His interſeri deberet Siclus *Samuelis* in cujus altera parte *manipulum ſpicarum* vario florum ac fructuum genere diſtinctum, inter duas urnas, vini, puta, & olei medium; altera vero facie *urnam* exhiberi ſimilem illi, in qua Manna cœlifluum aſſervabatur, addito Lemmate Negaltha letſum, ereptus es a jejunio! hiſque juxta Villalpandi interpretationem voluiſſe Samuelem perennem miræ ſuſtentationis in deſerto memoriam ſic Populo Dei conſervare, ut ſemper in manibus & oculis verſaretur &c. refert ſtupendæ Lectionis & Judicii Vir, *Joh. Heinric. Urſinus Theolog. Symbol. Symbolo* 20. *p. edit. noviſſ.* 30. *ſeq.* ubi & de Davidis & Mardochai ſiclis diſſerit, ac in ſcitiſſima ſymbola convertit. Sed eos leviter ſupra attigimus, quum & valde de iiſdem dubitandum eſſe videatur. Ejuſdem autoritatis quoque eſſe dicere illos, qui Imaginem Moſis ita novo incremento ad tempora aucti referunt, ut Baccho, aut Paſtorum Deo vel Actæoni nullus invideat; & qui omnium formoſiſſimi Mundi Salvatoris Jeſu Chriſti, vel alterius cujuſpiam, (non enim ſunt unius generis, atque inſcriptionis) faciem deoſculandam] exhibent, qua de cauſa nec iiſ-

iisdem hic immorabor, præsertim, quod vis Sicli cujus hic labor est,) nomine digni, utpote pondere, cœterisque notis discrepantes, & præterea barbari, adulteri & suppofititii sint, prout in Philologemate quodam erudite demonstravit egregie doctus Vir, Joh. Benedictus Carpzovius, suæ h. e. celeberrimæ Carpzovianorum Stirpis non degener Soboles, non ita pridem Amicus, nunc & P.P. in Academia Lipsiensi. Adde, (quod nomen *Jesus* ישו concernit) illud Salvatori blasphemandi ergo saltem a Judæis indi, observante Magno Buxtorffio aliisque, quos magno catalogo recenset & allegat, Juvenis supra ætatem in linguis Orientalibus Eruditus, *M. Aug. Pfeiffer.*; *Dissertat. Philol. 9. thes. 24. pag. 186. seq. & repetit. pag. 28. Tractat. Philol. ad Obadiam. pag.* 10. *seq.* in de Abbreviaturis libro.

XIII. Hic omitto illos historicos nummos, cum Radice Balsami, torque, &c. & curioso ad Villalpandum, Walton, & Hottingerum *locis citatis*, ablego, ubi invicem contrariantes opiniones invenient, quas recensere nimis prolixum foret; delibabo paucis adhuc, quem paulo ante gustavi, nummum μνημονευτικὸν, quem iterum beneficio Favitoris toties laudandi, quoties occurret, multum Reverendi M. Heinrici Mejeri, hac inscriptione notabilem ostendere possum:

in una facie:	*altera*:
א ש	ע ר
זקן זקנה	בחור בתולה
א ש	ע ר

Ubi in prima facie exponi potest א Abraham, intra scripta: *Senex*; ש vero, *Sara*, & vox adjecta, *vetula*. In secunda. ע *Isaac*; & vox addita, *Juvenis*; ר vero Rebecca, & vox subscripta, *Virgo*, ut geminum illud *Par* pro diversa ætate indicentur.

XIV. Hactenus *figuras*, & *Inscriptiones* conjunctas lustravimus, & sufficere possent hæc hactenus, sed adhuc oculum non reflectere, & quidem in inscriptiones, non possumus, licet fugitivum saltem, quia iisdem rem certe non levis momenti, Literarum sacrarum characterem, & ex eo antiquitatem dijudicari videmus. Sunt enim qui primitus Pandectas sacras Samaritanorum Literatura a Θεοπνεύστοις Viris exaratas, & quibus hodie leguntur, ab aliis, (a quibus? nondum conventum est), inventos fuisse characteres; alii e contrario hos primigenios, illos vero Samaritanorum nothos divinarum literarum characteres pronunciant, provocant utrique ad Siclos, illi tamen his audacius, sed parvo emolumento, cum neutrum horum, hisque diversis quadratis scil. ut vocant, & Samaritanis, (prioribus, si figuram inspicis, non minus quadratis) literis insignitorum Siclorum genus alteriquicquam concedere velle videatur, adeo grandævitate utrumque gloriantur, nec lynceos oculos litem hanc dirimere potuisse, ex eo apparet, quod neutri eorum defensores defuerint. Atlantes pene Orbis Literati, quorum de numero quosdam saltem sistam allegatos, quia arma h. e. rationes producere eorundem, queis inficem ad defendendam suam sententiam utuntur, nimis prolixum, & a nostro proposito alienum foret, ut ne plane transiliisse dicamur. Ponunt itaque, qui Samaritanæ Scripturæ primas, eamque autoritatem tribuunt, ut primitus tum a Spiritus S. Amanuensibus, tumque ipso Dei digito Verbum divinum literis Samaritanis consignatum dicant, in acie tanquam promachos Judæos, & Rabbinos, quibus veluti artificibus in suis artibus, (fortasse mendaciis) credendum esse pronunciatur, quales adducuntur præter Talmud Babylonicum, (*Tract. Sanhedr. sect. 2. citante Waltone prol. 3. §. 32.*) magno ordine &c. R. Josephus Albo, *Sepher Ikkarim fol. 81. col. 2.* Moses Gerundensis, *in fine exposit. Pentateuchi* (qui tamen dubie loquitur), R. Azarias Meor Enaim, *pag. 171. Cl. Hottingero citatus pag. 119. l.c.* Jophe, R. Jose, aliique, quos addunt. Inter Christianos familiam in hac classe ducit Magnus Literarum dictator Josephus Scaliger, *Epist. ad Tompf. & Ubertum it. in notis ad Euseb. Chr. anno* 1057. Drusius, *in Exod. cap. 33. pag. 223. seqq. notis ad Matth. cap. v. vers.* 18. Johan. Gerhard. Vossius, *de arte Gramm. lib. 1. cap. 9. loc. cit. cap.* 31. Grotius, *in libro de veritate Religionis Christianæ* Isaacus Casaubonus, *exercit. in Baron.* Sam. Bochard, *Geograph. sacr.* Ludovicus Capellus, *peculiari libello de hoc argumento, vel de Arcan. Punct. Revel. lib. 1. cap. 6.* VVaserus, *lib. 2. de Numism. Hebr. cap. 3. pag. 61.* Gilbertus Genebrardus, *lib. 2. Chrol. ad annum M. 3603.* Seldenus, *de Jure N. & Gent. juxta Hebr. disc. cap. 6. fol. 198. Vid. & cit. apud Walæum, cap. 6. fol. 189.* Edowardus Breerwodus, *lib. de Pont. & Pretiis Veterum numism. cap. 1. pag. 2.* qui citat etiam in sua sententia Abraham de Balmis. Bartholom. Meyerus, *part. 2. Philol. sacr. pag. 130. & Part. 1. pag. 46. seqq.* Schindlerus, *in Lexico in voce* שקל R.

Arias

Arias Montanus, *lib. de Menſ. & ponderibus* Villalpandus, *lib. ſæpe cit. inter alia*, *pag.* 392. Robertus Bellarmin. *Grammat. Hebraic. ſub fine Exc.* Morinus, *Exercitat. in Pent.* 2. *cap.* 3. & *cap.* 1. 2. Johan. D. Eſpeirs, *Tr. l. de Bibl. Hebr.* Sixtus Senenſis, Serrarius, & præprimis VValton, *tam Introduct. ad ling. Orient. lect. præfat. num.* 15. *pag.* 16. *tum App. ad Bibl. Polygl. Proleg.* 3. *num.* 29. & plurimi alii Viri, ingenii, & eruditionis fama pene immortales, Hieronymus, *in Proleg. Galeato ad* 1. *Reg. & in Ezech.* 9. *Com. id. in Præfat. in libros Sam.* & ut nonnulli allegant, Euſebius, *Chronic. Anno M.* 4740. *bis adde multæ Lectionis Virum Kipping. Exerc. de Script. Exerc.* 13. *pag.* 76. (quem quia affirmet, doctrinam ſacram Eſdram memoriter condidiſſe, & Literas Judaicas commutaſſe, reliqui ſecuti videntur). Sed quanti etiam ſint, non minoris tamen æſtimii ſunt, qui contrariam ſententiam amplectuntur, utpote Thaumaſiander ille Lutherus זלהה: *Præfat. in Eſai.* Magnus Gerhardus חנצבה *Exeg. Loc. de Script. Sacr. cap.* 6. *pag.* 128. *ſeqq.* Buxtorffius, Celeberrimus ille Chriſtianorum Rabbi זל (*pecul. Diſſert. de Liter. Hebræis*) Theologorum Orthodoxorum Phoſphorus Abrahamus Calovius, *Crit. ſacro tr.* 2. *pag.* 325. *ſeqq.* נרו: Guilielmus Schickard. *Jure Reg. Hebræorum*, *cap.* 2. *pag.* 39. *ſeqq. Vid. quoque diſſert. de Nummis Hebræorum* Chriſtoph. Crineſius, *Babel ſeu de confuſ. Ling. cap.* 2. *& pag.* 20. *ſeqq.* Multijugæ Eruditionis Theologus Thomas Bangius, *Cœlo Orientali Exerc.* 3. *pag.* 209. *ſeqq.* Nicolaus Fullerus, *Diſſert.* 11. *Philol. Hebr. pag. m.* 92. *ſeqq. Adde innumeros & inter eoſdem Johan. Wolphium in Prolegom. in Eſram apud Maccov. in LL. CC. pag.* 8. *ſeq.* Hebraiſmi Reſtaurator Cl. Matthias VVaſmuth *in Vindic. S. Hebr. Script.* & plurimi alii Viri ſummi, qui jamdudum fama Nominum ſuorum Clariſſimorum orbem terrarum impleverunt, & ex parte adhuc ſplendore, tanquam Soles quidam terreſtres irradiant, atque illuminant. En igitur quanti Heroes ex utraque parte! Eorum armamentaria quemlibet potius ingredi ac judicare malui impræſentiarum, quam ut judicium mihi de tantis Judicibus ſumere auderem, utra factio validioribus pugnet armis, quod non injuria quis de poſteriori diceret, ſi, quo robore prioris tela excepit ll. cc. inſpiceret, ita tamen, ut ſubditam Samaritanam ſimul juxta hodiernam, ſed tunc, ut nunc, principem Literaturam, extitiſſe non negaret, quo vergere ſæpius repetitum Hottingerum viderit, (*p.* 159. *it. pag.* 118. *l. c.*) & Wandelinum. Et non minus curioſo quam ſtudioſo ſcripto, quod Alphabetum naturæ vocat, F. M. B. ab Helmont. qui *pag.* 16. *ſeq.* Samaritanam priſcam illam Cananiticam, ut conjicit, Cananitis jam tempore Abrahæ, ejuſque Poſterorum apud eoſdem Exulum, & adhuc ex Ægypto adventantium, inter ipſos habitantium, mox cum ipſis mixtorum atque contrahentium, & demum ipſis Iſraelitis in deſcribendo ſacro Codice uſurpatam, & proinde aliquando utriuſque communem, vulgaremque, ac retentam ab illo ad novos Palæſtinæ incolas miſſo ſacerdote 2. *Reg.* 17. *verſ.* 27. pronunciat: noſtram vero in Bibliis noſtris conſpicuam, *antiquam*, ab Abrahamo e Chaldæa apportatam, ab ejus Poſteris, Moſe aliiſque frequentatam, Digito Dei & Sacrarum Legum Hiſtoriarumque monumentis honoratam, poſtea in Chaldæa iterum, durante captivitate utpote Origini ſuæ propiorem retentam, ab Eſdra denique inter reduces ſolenniter repetitam dicit laudatque. Videatur ipſe hæc prolixius & conjecturis non contemnendis deducens (*loc. cit. vid. quoque Philologiæ ſacratioris ſingulare Decus, Dilherrus Ecclog. Sac. pag.* 7.). Sed, ut jam declinavi, aliis relinquo, quos æquus Jupiter magis atque me amavit, hanc cenſuram, &, qui adhuc reſtat, pergo in

CAPUT V.

Ad Sicli utrius, Sacri nimirum & Regii valorem, ad modernum reductum.

I. *Valor Sanctuarii Sicli ante Legem ignoratur.* II. *Poſt latam legem pondus & pretium refertur ad* 20. *gera, dimidiam unam:* מעה *&* גרה *ejuſdem ponderis. Sicuti &* אגורה *&* גרה 4. זוזים *efficiunt Siclum, totidem quoque denarii. Denarius & drachma Attica partes.* III. *Cur per* διδραχμον *ſiclum* LXX. *interpretati ſint, repetitur. Talentum quodlibet* 6000. *drachm.* ςάτηρ *Siclus ejuſdem ponderis, quilibet valet unum Lotonem, ſeu* 4. Qventlein. *Hieronym. emendatus.* IV. *Sicli argentei valor in noſtra moneta, Semi-Joachimicus,* halber thaler / *ſive* 12. Groſchen. *apud alias Gentes Aureus quid?* V. *Regius quanti ponderis, & valoris, ſcil. juxta noſtram opinionem.* 3. Qvintlein / *ſive* 9. Groſchen. VI. *Excuſatio noſtra, & clauſula.*

I. QUod igitur *Valorem* Sicli, & primo quidem *Sacri*, ſeu Sanctuarii attinet, videndum eſſet quidem quid an-

ante Legem, deinde quid post Legem latam ponderaverit, ac quo valuerit pretio. Verum cum de priore in sacris Annalibus nihil consignatum extet, nec aliunde suppetat, quid statuendum sit, & impræsentiarum consultum erit, nihil amplius addere, quam probabile esse, Prius pondus & pretium postea non mutatum fuisse.

II. Post Legem latam ponderis & pretii valorem ostendunt tum sacræ Legis divinæ tabulæ, tum Rabbinorum effata; sacer Codex non una vice, expresse vero *Exod.* 30. *vers.* 13. pondus & pretium ad 20. Gerah refert, ita & Aben Esra: ומשקל כ׳ גרה של כסף הוא השקל: Idem Pondus addunt reliqui Rabbini Cl. Wasero citati, quales sunt ex Vetustioribus ac Probatioribus R. Salomon Jarchi Gallus, (licet in sequiorem sensum allegetur a Nicol. Lyra. *in cap.* 28. *Levit.* & R. Moses, Nachmanni Filius, Gerundensis; Et Idem: כל השקלים האמורים בנביאים מנים: Omnes siclos in prophetiis commemoratos Minas esse, dicat, quod uti ubivis non verum; sic nec falsum esse pronunciem, certe, referente Doctissimo Drusio, qui & modo dicta suppeditavit, *pag.* 186. Præterea Josephus *Gen.* 37. *vers.* 28. עשרים כסף viginti argenteos, per εἴκοσι μνῶν Viginti minas reddiderit, & Aben Melech apud eundem *Jerem.* 32. *vers.* 9. הכסף הוא סלעים argenteos esse siclos, sed השקלים הם מנים siclos esse Minas commentetur. Vid Drus. *l. c.* & Ludov. de Dieu Notis ad V. T. *pag.* 154. & qui loca congessit hæc, Waleus, in Notis ad Acta Apostol. *pagin.* 1220. *seq.* sive ad *cap.* 19. *vers.* 19. Ex recentioribus sunt R. Gedalias Jechai Filius, *libro Schalschelet. Hakkab. tractatu de Monetis* qui Siclum hunc, seu שקל חצי אונקיא של כסף נקי: dimidiam unciam argenti puri interpretatur, quæ alio loco per 320. grana explicatur: וידענו בקבלה שהוא שקל הקדש משקל ש״כ גרעינין של שעורה כסף צריף: Et colligi potest quoque ex illo, quando dicitur מעה: appendere 16. grana (vigesimam partem ex 320.) in loco ex Schalschelet Hakkab. *apud Hotting. pag.* 92. *Tractatu de Jelub. cap.* 5. Sunt autem מעה & גרה unum & idem, juxta illud (*libro Misnajot*) המעה היא הנקרא בימי מ״רעה גרה: *Mea* est, quæ vocatur diebus Mosis Magistri nostri *pag. m. Gera.* Hinc & Rambam eodem plane modo מעה שהיא בימי מ״רעה גרה היא י״ו: vocatur vero *Gera* alias & אגורה (1. *Samuel* 2. *vers.* 36.) quare R. Sal. אגורה ממשקלות עשרים גרה הוא: &c. Agora ejusdem ponderis est, cujus Gera, quorum viginti Siclum constituunt, & R. David asserit. אגורה הוא כמו גרה ut ita juxta hos Siclos valuerit 20. Gerah, seu Agora, quem valorem alii Rabb. ad 4. זהזים referunt, ut Kimchius, qui השקל ארבעה זוזים:, *Siclus*, ait, *continet quatuor Zuzim*, quorum unus idem valuit, atque Romanorum *Denarius*, uti constat ex Schalschel. Hackk. ubi (*p.* 88. legitur: דנר וזוז הכול אחד *Denarius & Zuz unum idemque* sunt. Consentit Rambam. *in Maas Haschbam* סלע (quo nomine Chaldæis siclum venire supra dictum est) continet 4. דנרין sive denarios. Hinc Syrus *Luc.* 15. *vers.* 8. 9. pro δραχμῇ habet זוזה:, ad quem Locum Drusius ita: זוז inquiens est 4. pars sicli, 1. *Sam.* 9. ubi רבע in fonte est, Thargum habet זוזא (drachmam unam). Et ita computat etiam Josephus, 4. scilicet drachmas, (puta in Siclum), quot drachmæ etiam ipsi adhuc tempore Hieronymi, *in Commentar. ad Ezechiel.* 4. *vers.* 17. & Hesychii, *in Vocab.* σικλὸς Siclum faciunt, testante Bree-Wod. *caput* 1. *pag.* 2. *lib.* 2. calculum adjiciunt Arias Montanus, *l. de Mens. sacr. & Tract. de Siclo* Masius, *ad cap.* 7. *Jos.* Anton. August. *Dialog.* 2. *de Nummis Antiquit.* Hottomannus, *de re numm. fol.* 359. Carolus Molinæus, & omnes fere.

III. Continuit igitur Siclus drachmas 4. Atticas. Nec obstat, quod sæpius illum LXX. per δίδραχμον reddiderint respectum enim habuisse dicuntur ad Locum, vel ubi viverent vertentes, qui Alexandria, vel unde venerant, qui Jerusalem, quibus locis drachma duplo major fuisse creditur, Attica, ut ante monuimus. Quod vero duplo major fuerit Alexandrina, seu Hebræa, Attica inde constare perhibent, quia Talentum Alexandrinum 12000. drachmas Atticas continebat, Autore Varrone, *lib.* 4. *de Latin. Ling.* omne autem Talentum continere 6000. drachmas ejus loci proprias, cujus Talentum esse dicitur, Pollux, *Pol. lib.* 9. *Onomast. cap. de Talento* & Suidas *in Dictione* τάλαντον prodiderunt. Sic δίδραχμον pondere Hebræo vel Alexandrino tetradrachmon erit Attico, Ut proinde *Siclus Judæorum* Atheniensium quoque *stateri* par extiterit; staterem enim esse tetradrachmum Cleopatras, *Snellio citatus* & Epiphanius, *lib. de pond.* Hieronymus, *ad cap.* 4. *Ezech.* Hesychius, tradunt; (*in voce* στατήρ) imo ex 17. *Matth. collato* 24. *vers.* cum 27. palam evadit, Videatur etiam Magnus Josephus Scaliger *lib. de Re Numm. pag. m.* 17. *seqq. it. p.* 2. verus Eruditorum Phœnix, *Sic vocatur a Snell. in præf. ad J. S. l. c.*


IV. Sive igitur Siclum *ad* 4. *drachmas Atticas*, sive 2. *Alexandrinas*, vel זוזים sive totidem *Denarios*, *Plin. lib.* 21. *cap. ult.* 5. 34. *Wilebord. Snell. lib. de re numm. pag. m.* 48. 52. *seqq.* (quam tamen vocem varie accipi observat Hottingerus, *apud Hebræos pag.* 95. & Lipsius *de Re Nummar. pagin. m.* 25. sive semunciam retuleris, nihil falsi commiseris. Quæ omnia vero si ad modernum pondus computaveris, habebis 4. Qventlein / vel unum *lotonem*, quorum duos uncia continet, ut proinde facile videas vel lapsum esse Hieronymum, vel mendum in librum ipsius irrepsisse, (quod probabilius, facile enim memoria scribæ vocabulum *sem* negligere potuit), quando in *Gen.* 24. scribit, siclum esse *unciam*. Contra enim se ipsum sic esset, tum alias siclum 4. drachmas valere dicit, ut ex *cap.* 4. *Ezech.* & ad *Matth.* 17. constat, jam vero quælibet uncia 8. continet drachmas, *Vid. Lips. de Re Num. pag. m.* 27. *ex Fannii versibus id colligentem*, *quos citat ibid. Wilebord. Snell. pag.* 47. *vid. apud illum cit. Aut.* & sic tantum Semuncia non *uncia* sit oportet. Hæc de pondere. Ad *valorem modernum* in *pretio* redacto præter propter *Semi-Joachimicum*, *Semi-Imperialem* vel ut Germanico vocabulo a Thal / Valle Joachimico scil. ubi cudi juxta nonnullos cœpisse dicuntur), Thaler vocant, *Semi-thalerum*; vel ut Belgæ computant, florenum & 2. Groschen / apud hos enim florenus efficit X. grossos nostrates præter propter, 2½ fl. Belg. constituunt thalerum. Ita etiam interpretantur, & computant Commentatores in Genesin, Magnus Gerhardus juxta judiciosissimum & Incomparabilem Hulsemannum (Dedicat. de Auxil. Gratiæ) immortalis gloriæ Vir זלה״ה, Paræus, Lorinus, *in Exod. l. c.* Cornelius a Lapide, *l. c.* & alii plurimi, qui vel per dictum pretium, vel per æquipollens, Cruciatos scilicet 28. sive bassos 7. 5. Reales Hispanicos 3½ seu totidem Julios Italicos, sive sestertios sexdecim, seu obulos Atticos 24. reddunt (*vid. & Waserus & Hottingerus l. crebro citatis*). Nec abludit Rivetus, *in Commentar. in Genesin* quanquam pluris Siclum fecisse vult Scaligerum, quod ego tamen in Scaligeri libro de Re Nummar. non observavi. Abit a pretio hoc Kircheimerus 25. Siclos 12½ florenos Rhenanos valere asserens. Quid Covarruvias sentiat de Sicli valore, ipse videre poteris apud ipsum (*Collat. Veter. Numism. cap.* 2.). Evolvi etiam poterit citatus Budelius, qui plures de hac re differentes congessit, & cum suo tractatu olim evulgavit. Tantum *argenteus*. Quid aureus valuerit, facile collectus erit, modo proportionem auri ad argentum, quæ pro tempore variat, prout scilicet aurum magis vel minus charum est, observes.

V. Nec minus computatu facile est, quid *civilis*, sive *Regius Siclus* valuerit, sive enim quis Gresephium, ejusque asseclas sequatur, sive nobiscum media via inter hos, & Villalpandum, ejusque sectatores incedere malit. Si cum illis dicti Sicli sacri dimidia pars, binæ scilicet drachmæ Atticæ, sive una Alexandrina, quod de hodierno est, 2. Qventlein / sive quadrans thaleri, vel ut vocamus, *6.* grossi Misnici viatici loco illi erunt (*Vide Wulferi Disp.* §. 3.). Sin vero nobiscum quis novum sternet iter, quarta tantum parte Sicli dicti Sanctuarii privatus, dimidio tamen alterius, quem isti Civilem nominant, istis auctior ibit, hoc est, valuisset dicet *Siclum Regium*, *tres drachmas Atticas*, obulos 18. Hebræos vero tantum 15. hodie pondere 3. Qventlein / pretio *9.* grossos Misnicos.

VI. In bivio es, imo in trivio, res tui arbitrii est, quodcunque elegeris, mea nihil interest, monere saltem volui, quæ mihi obtigerunt, novumque valorem Regii Sicli indicare, & quod vides σχεδίασμα quod ante Octennium sub Præsidio incomparabilis Præceptoris, supra Laudati Dn. Scherzeri, Incola adhuc Athenæi Lipsiaci, orbi erudito exponere quidem volebam, sed præpeditus non poteram ex ruderibus denuo compilare, magis *fato* quam *voto*, Amice Lector, tamen occasione invitatus fui.

Possem hic Summas quasdam nostro seu nummo, seu pondere expressas, sacri codicis referre, utpote pretium Salvatoris venditi nostri, thesauri incomparabilis vilissimum, typique ipsius, Josephi, tonsuram annuæ Cæsariei Absolonis, quarum ista ad thaleros 15. (*vide Disput. Cl. Wulfferi* §. 2. *&* 5. *Lucam qui cap.* 22. *vers.* 5. συνέθεντο *Marcum* ἐπηγγείλαντο *cap.* 14. *vers.* 10. *cum Matth. qui cap.* 26. *vers.* 15. ἔστησαν τριάκοντα ἀργύρια (*adde Theophylactum, qui* συνεφώνησαν) *habent*, *conciliantis Daniel. Clasen Exercitat. Sacr. ad Passionem Dom. lib.* 1. *c.* 5. §. 5. *pag. m.* 68. *seqq. qui plures alios adhuc Autores allegat.*), illa ad 10., hæc vero ad 4. Pf. 22. Loth. si nostram sententiam sequamur, excurrit, & alias, quas, quia brevis esse volo, & res facilis est, lubens mitto, manumque de tabula removeo, addita saltem illa Arabum consueta clausula: Deo largitori Intellectus Laus, Gloria & honor in secula seculorum.

JOH.



JOH. CONRADI KESSLERI
ORATIO
DE
DIMIDIO SICLO
Argenteo, Sancto, Lytro, Animarum, Israelis.

A*Terne Omnipotens Deus*, *Pater in Filio Tuo Clementissime*; arduum est, quod molimur opus; sed sine Filio Tuo non possumus quicquam, quod Ipse nobis dixit, & ipsi probe nos explorantes sentimus, agnoscimus & ingenue fatemur. Quod si nostra nobis imputatum ires peccata, atque, ut illa lueremus, flagitares, næ periremus probe, & miserrimi essemus perpetuo! Quæsumus Te, in Filio Tuo Unigenito nos cense! Absque Eo esset, in caligine densissima hæreremus æternum, tenebris ærumnarum æternis & nunquam finiendis immersi! Quod lucem speramus videre, id a Tua est luce. Supplices ergo ad thronum tuum, qui est *Gratiæ*, advolvimur, rogantes mente humillima, propitius nobis esto propter Filium dilectionis tuæ. Hunc atque hujus meritum pretiosissimum, manus & corda ad Te sursum elevantes, Tibi ostendimus; in Hoc, in Hujus sanguine a maximis nostris peccatis purgari unice desideramus, ut, ereptis ex regno diaboli, ad Te tuto nobis liceat accedere, atque æternum apud Te vivere. Propter Hunc, Hujusque meritum Spiritus Tui, quem Hic Filius Tuus nobis acquisivit, præsentiam, opem, & auxilium oramus, obsecramus. Sanctissime *Deus*, hunc hominem, servum Tuum, Spiritu Christi in-

due, ceu potentia ex alto! Da, ut Christi meritum, in quo Tua est gloria ad oculos demonstrata, ad conscientias rite demonstret; ut tanquam Tuus servus nomine Tuo obtestetur homines, fœdus Tecum feriant super sacrificio Christi, ni malint ætetnum perire! Effice, ut de lytro animarum, quod a Christo Tibi est repræsentatum, nobisque gratis donatum, dicat animo præsente. Hoc pro immensa Tua clementia largire, ut, quotquot juxta propositum sumus vocati & vocamur, vim hujus lytri sentiamus, uniamur arctius in Filio Tuo per Spiritum Sanctum Tibi totique electorum ecclesiæ, & apud Te simus perpetuo; aliosque ad eandem amicitiæ tecum contrahendæ viam ducamus & perducamus seculo. Audi Pater, Deus Amen, propter Filium tuum, qui est *Amen*.

Rite adorato, cui honos primus debebatur Deo, Vos compello

Perincluti, perquam Magnifici, Nobilissimi, Præcellentissimi, Amplissimi, plurimum Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Dexterrimi, Spectatissimi.

Reip. Præses & Consules, Scholarchæ, Syndice, Senatores, Theologi, Doctores, Pastores, Secretarii, & Seniores, Hospites & Auditores Suspiciendi.

Magnifice, Plur. Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Celeberrimi.

Rector, Divinæ & Humanæ item Sapientiæ Professores, Collegæ Honorandi.

Reverendi, Humanissimi, atque Doctissimi, Scholasticæ Juventutis Informatores.

Vosque Nobilissimi, Florentissimi, Ornatissimique Juvenes, Spes Patriæ, Spes Ecclesiæ, noster Amor!

Quantum inter Divinam atque humanas Resp. intersit discrimen, vel hinc liceat colligere: Politicum sed hujus mundi axioma est: Ne sit is alterius, qui suus esse potest. At in Divina, quam Deus administrat, republ. ferri illud nulla potest ratione. Hic nemini tam felici dicam, an infelici? in se contigit, ut ei concedatur, sui ut sit juris, suoque ut vivat arbitrio. Misera hic sors ejus est, qui suus esse cupiat. Nam ingratiis Dei erit Creatoris: hoc miserior, si eodem non utatur commodo placidoque Domino ac Servatore; sed addictus vivat Satanæ, quem carnificem pœnæque æternæ socium sit habiturus nunquam segregandum. Unum id restat verum solidumque solamen peccatori, si suus non sit; sed Dei Creatoris & Christi servatoris, cujus merito emtus imo Deo redemtus, ex potestate tenebrarum in lucem sit assertus. Istam felicissimam mortalium esse conditionem, populo Israelitico Deus demonstravit, cum civibus sanctæ illius Theocratiæ præcepit, ut exhibito *Dimidio Siclo*, jus in istam civitatem sibi acquirerent. Iturus nunc tandem sum in provinciam, quam mihi Divina Providentia, Vestraque, *Patres Conscripti, Perinclyte Illustris Hujus Reip. Senatus* benevolentia nuper adeo decrevit. Maturius capessere oblatam S. S. Theologiæ Professionem Ordinariam erat animus: quæ impedimenta objecta mihi fuerint, quid attinet dicere? Notissima res est; nolo memorando meum renovare dolorem. Dicendum mihi jam ex more antiquo est publice in splendidissimo hoc Maximorum & Eruditissimorum Virorum consessu, ut publicum aliquod edam specimen, unde existimetis, Patres Conscripti, & quem florentissimæ Gymnasii juventuti dederitis ductorem, & quid in posterum de mea opera Vobis liceat

liceat ſperare. Nam eam autumo fuiſſe originem Orationum, duas vocant, Inauguralium, atque hanc ob cauſam confluere ad illas audiendas, & illos, qui Scholæ recte conſtituendæ gerunt curam, & Doctos Viros alios. Cogitandum mihi ergo fuit de Nobiliſſimo aliquo Themate, in quo expediendo me exercerem. Quid autem tam teretibus auribus tamque eruditis Doctiſſimorum Virorum animis dignum præcipue mihi ſumerem, poſtquam diu anxius hæſiſſem, commode ſe *Dimidius Siclus Sanctus*, *Pretium Redemtionis Animarum Iſraelis* ultro atque aliud agenti offerebat. Placuit ille præcipuæ, & cum ab hiſtoriæ, tum a myſterii præſtantia ſe commendavit. At utinam mihi defœcato liquidoque licuiſſet eſſe animo, aut meo otio uti ex arbittio meo, cum ad ſcribendam hanc Orationem me darem; næ ſpondere auſim, futurum omnino fuiſſe, ut Vobis non diſpliceret, quem ego habui delectum. Aſt, ut nunc meæ res ſunt, ſinunt feruntque, neque ab elegantia dictionis, neque ab accuratione & lucerna commendare hanc auſim Orationem; pertractate facta eſt. Brevitas ipſiuſque materiæ dignitas ſolæ ſuperſunt, quibus confiſus in hanc horam aurium animorumque Veſtrorum operam ut benevole commodetis, ſumma ope contendam.

Poſtquam populum Iſraeliticum, in duodecim tribus diviſum, potente brachio manuque elata Jehova ex ſervitute Ægyptiaca vindicatum ſibi aſſeruiſſet, viſum fuit Illi ſolenne fœdus cum eodem populo ad montem Sinai ferire, atque leges Veteris Teſtamenti, quibus illum, donec Jeſus in carne manifeſtaretur, regeret, eidemque aut Meſſiam aut res ejus tempore futuras depingeret, publice promulgare. In illis legibus enituit ea, cujus cum hiſtoriam tum arcana delineanda hodie mihi ſumſi. Ipſam legem recitabo, quod Oratori nec indecorum nec ἀηδὲς puto; maxime cum principes artis dicendi huic rei habeam autores. In hunc ergo ſenſum Deus Moſen affatur: וידבר יהוה אל משה לאמר כי תשא את ראש בני ישראל לפקדיהם ונתנו איש כפר נפשו ליהוה בפקד אתם ולא יהיה בהם נגף בפקד אתם: זה יתנו כל העבר על הפקדים מחצית השקל בשקל הקדש עשרים גרה השקל מחצית השקל תרומה ליהוה: כל העבר על הפקדים מבן עשרים שנה ומעלה יתן תרומת יהוה: העשיר לא ירבה והדל לא ימעיט ממחצית השקל לתת את תרומת יהוה לכפר על נפשתיכם: ולקחת את כסף הכפרים מאת בני ישראל ונתת אתו על עבדת אהל מועד והיה לבני ישראל לזכרון לפני יהוה לכפר על נפשתיכם:

hoc eſt: *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Quando tuleris ſummas filiorum Iſrael, juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen: Dimidium Sicli juxta menſuram templi. Siclus viginti obulos habet. Media pars Sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero a viginti annis & ſupra dabit pretium. Dives non addet ad medium Sicli, & pauper nihil minuet. Suſceptamque pecuniam, quæ collata eſt a filiis Iſrael, trades in uſus tabernaculi teſtimonii, ut ſit monimentum eorum coram Domino: & propitietur animabus eorum.*

Legem præſtantiſſimam, etſi Rerump. quarundam fundatoribus incognitam æque ac neglectam! Cives in civitatem ſuam, auguſtiſſimam illam, Romanaque atque Attica longe præſtantiorem, nullos adſciſcit Jehova, niſi qui certa pecuniæ ſumma civitatis jus ſibi redemerint. Iniquitatis certe legem hanc æquiſſimam nunquam accuſaverint, nedum damnaverint, quicunque civitatum cultiſſimarum hodie & admiratores & cultores exiſtunt. An enim hodieque jura civitatum ſine pretio dari vulgo conſueverunt? Enimvero quæ civitates non pœnitendo bonorum cvium numero coluntur, non facile, certe non ſine pretio quodam jura ſua cum aliis communicare comperiuntur. *Vos Splendidiſſimi illuſtris hujus Reip. Patres*, rei hujus teſtes appello. Namque cum *Dei* & majorum virtute traditam vobis habeatis civibus ſatis frequentatam Rempub. non ſine præmio veteribus novos adſcribere conſueviſtis cives; & ſi cui, quæ Veſtra eſt benignitas, gratis jus civitatis concedatis, quod beneficium mihi etiam quarto abhinc anno a liberalitate Veſtra cum aliis conceſſum grata mente agnoſco, ingratiſſimus merito ſuo habeatur, cujus e pectore beneficii memoria labatur.

Non minus autem profecto Jehova, Rex populi Iſrael Majeſtatem ſuam liquido demonſtravit, atque ſolent humani Magiſtratus. Satis enim magno numero frequentatam Deus habebat civitatem. Non eos memorabo, qui ante Moſen introducti fuerant in gloriam: primogenitos cenſete ſolos, quos Deus peculiari quodam jure, ſuaque civitate donarat. Cum præter illos alii etiam in eandem eſſent legendi, ecquid juris fuerat Domino, certum quoddam præmium ab eis exigere, quo demum perſoluto, ſeſe pro civibus gerere illis fuerit integrum. Hinc omnibus Iſraelitis, cujuſcunque tribus, annos viginti natis tributum Deus imperat:

rat: sacerdotes non excipiendos diserte tradunt, renitentibus licet sacerdotibus, doctissimi Judæorum Magistri; quamvis, quod ad exactionem tributi attinet, longe clementius cum eisdem, quam cum cæterarum tribuum cive quoquam, sit actum. Attento porro animo considerandum, neque divites, neque pauperes hic immunes esse, nec censu censeri inæquali. Ita enim imperatur hoc tributum, ut ad illud addere divitiis etiam maximis affluenti non licuerit quicquam, census nomine; minus autem pendere, ne pauperrimo quidem Israelitæ, etiam ex eleemosyna viventi, fuerit concessum. Dives non addet, neque pauper diminuet; æquo ergo censu hic omnes censentur.

Omnium suorum civium numerum iniri voluit Jehova, eorumque nomina in tabulas referri publicas, ne quis clam & inscio Rege jura sanctissimæ civitatis usurparet. Civi enim vix major injuriæ nota potest inuri, quam si in alienam civitatem clanculum irrepsisse, & dolose se pro cive civitatis, inscio Magistratu, gessisse dicatur: Unde & actio adversus Archiam Poetam Nobilissimum, cujus causam egit M. T. Cicero, facundissimus ille causarum Orator, apud Romanos nata esse intelligitur. Quid vero indignius summo Reip. Principi dici poterat, quam illum civium suorum conditionem & numerum ignorare? Certe non bene ordinata civitas, sed colluvies quædam atque confusa multitudo inde oriatur necesse sit! Neutrum autem in felicissimum prudentissimi Dei Regnum potest cadere; in quo tanta est, tamque circumspecta Principis prudentia, ut nemo hominum Eum fallere queat, aut latere; ut numerum sciat non suorum tantum civium, sed & adversarii regni mancipiorum. Atque ut universis singulisque nota esset Principis sui sententia & scientia, omnium in civitatem cooptandorum numerum a Mose inire publice imperavit: A Singulis, quos memoravimus, futuris civibus, certum exigit nummum sibi pendendum, sub comminatione maximarum pœnarum, si, qui gessisset Magistratum, a populo exigere, aut populus illum persolvere, neglexisset; atque injicit spem privilegiorum maximorum, maximeque salutarium, quæ ad illos, qui præceptum hoc caste solliciteque essent observaturi, sint redundatura. Qui nummus, qualis sit, Mosi apertissimis traditur verbis. Neque enim Deus, qui omnem aversatur ἐθελοθρησκείαν, hominumque novit avaritiam & inscitiam, eos, quod se deceret, sibi oblaturos, poterat exspectare. Itaque Ipse pronunciat: *Hoc dabunt*. Interpretes hujus dictionis requiramus, oportet. Judæi atque etiam Doctissimi illorum inter Christianos male audiunt, ita, ut in hanc scenam producere ipsos vix ausim; sed quid metuam apud eos præsertim Auditores illos proferre, quorum animi ipsos etiam Gentiles audire non dedignantur, si quid hi etiam veri dixerint, non aspernantur, imo operam navasse illis gloriæ sibi ducunt? Cur dubitem illos citare, cum quod damnandum, mihi eidem dicere, de quo dubitandum, rationes expedire, quod probandum sine rei Christianæ detrimento asserere fuerit integrum?

Principio ergo illo ex Judæis, qui Cabbalistæ dicuntur, vocis זה literas considerarunt & potestatem, quam habent in designandis numeris, &, quia literæ duodenarium repræsentant, hic eandem conditionem *Duodecim tribubus imponi docuerunt*. Verum quis est, qui non videat, id jam actum esse a Deo superius? Quis autem, qui tam parum solido, ne dicam inepto, fundamento ausit confidere, eidemque inædificare? Ego, qua fide expositionem hanc retuli, eadem reprobare nullus dubito. Quid autem agemus? Istamne vocem sine ulla, quæ ei subjecta sit, notione admittemus? An cum quibusdam ita interpretabimur, ut deinde declarationis causa inseramus voculam *nempe*, *scilicet*? Non videtur placendum. Occurrit alia exponendi via, quam antiquissimos & recentiores eosque præstantissimos Judæorum Interpretes secutos video. Traditio est, Deum solio suo insidentem manu sua ex loco, throno Ejus subjecto, depromsisse *dimidium Siclum*, eumque igneum, atque cum illum Mosi ostendisset, dixisse, *hoc dabunt*.

Quid dicam, Auditores? Ridicula certe, nulloque fundamento nixa videtur traditio, nisi consensu Rabbinorum! Quodsi Christianos Theologos, suam ut libere dicant sententiam, eam rogatum, næ adversus Judæos illorum plerique ne dicant, nimis mihi metuo. Nam vulgo non tantum negliguntur, contemnuntur, sed & damnantur. Atque se jure id facere autumant, qui faciunt, ædilitiasque atque prætorias in illos exercent editiones: verpi sunt, recutiti, stolidi, bardi, fabularum mendaciorumque Patres & patroni, rerum omnium, &, quod miremini, suarum quoque ignarissimi, &, quod caput rei est, irregeniti, Christique hostes! Cum bona fortuna pugnare ille sit existimandus, qui horum hominum causa ultro sibi sumat orandam. Valeant, Valeant! Sed, etsi hic pro illis dicere non in-

instituerim, non possum tamen, quin libere hanc in rem aliquid proferam. Inprimis ergo animadvertendum: constare inter omnes Christianos & Judæos de *Dimidio Siclo* hic agi; porro monetam illam esse. Quis autem est, qui dubitet, argenti aerisque signandi potestatem penes Principem esse, saltem penes illum, penes quem sit Majestas. In Rep. sacra Israelitarum, hoc Dei privilegium fuisse ἐξόχας, manifestius est, quam ut nostra egeat demonstratione. Nam etsi Regem populi Mosen fuisse largiamur, Autocrator tamen factus est nunquam; sed perpetuo summo Principi Deo mansit subjectus. Unde & jus signandi aeris, maxime sacri, non Mosi, sed Deo attribuendum est. Negari etiam nequit, in eadem hac lege sicli sacri, totius & dimidii diserte fieri mentionem; unde planum est, Summum Principem ergo unquam & usquam pondus & signum sicli designasse. Nam putidum nimi est, quod quidam more non suo ad hunc locum dicit: siclos illos majorum ætatibus jam fuisse usitatos. Frustra est, qui lectori cuipiam peritiori hoc persuadere conatur. Cur enim eadem hac lege Deus siclum ita describit nostrum, nisi, ut novam rem esse, plane intelligas? At nusquam legas tamen, quod sciam, hucusque signum siclo imprimendum esse nominatum: unde concludunt, necessarium ergo esse, ut, quia Mosis arbitrio res hæc nequeat relinqui, Deus ipsi sacri nummi typum in monte exhibuerit. Quod eo asserunt confidentius, quia adhuc occupetur descriptione rerum iilarum, de quibus tam serio erat Mosi edictum; *Vide, ut facias omnia juxta typum, qui tibi in monte est ostensus*. Unde neque novum, ajas, neque insolens, ut alicujus rei exhibeatur imago, quare & de siclo, quia nullæ satis validæ opponi possint rationes, eo minus sit dubitandum, quin idem sit factum. Imo & hoc notandum est: signum quia potuit videre Moses, sola demonstratione contentus, id tuto celat: at pondus sicli, quia sine Dei diserto indicio sciri non potuit, amplius est indicatum. Audivistis, Auditores, quæ pro confirmanda traditione afferri posse videbantur, adductius propositas rationes. Certe, si illa admittatur, nihil inde roboris accedet Judaicis, Christianis decedet nihil, imo Christianos inde quoque adjutum iri mihi persuadeo. Quicquid sit, Deus porro tributum nomine suo describit, siclum nominat; materiam, ex qua conflatus sit, nobilem facit; sanctum vocat, dimidium dari imperat. Sicli Hebræam vocem quod attinet, pondus notat, quia certi ponderis erat pecunia, atque veterum mos erat, pecunias appendendo accipere & dare. Nummi ex quovis fere aere, non ex solo auro aut argento apud veteres fiebant. At noster hic Dimidius Siclus *ex argento solo* fieri expresse jubetur. Physicum si agerem, de argento prolixe multa haberem dicere. Sed Plinius, aliique rerum metallicarum scriptores otia nobis hic fecerunt. Ex illis hanc rem paucis expediam. Argentum ex terra effoditur; notum quippe est, terram intra se auri, argenti, reliquique æris divitias maximas continere; hinc effodiuntur opes: *Excavatur enim terra, persequunturque homines ejus fibras omnes, euntque in viscera ejus, quærente vita alibi divitiis aurum, argentum, electrum, æs: alibi deliciis gemmas & parietum digitorumque pigmenta: alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella cædesque. Argentum in puteis reperitur, & ubicunque una vena inventa est, non procul invenitur alia; unde metalla Græci videntur dixisse. Terra est alia rufa, alia cineracea. Excoqui non potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi. Et eodem opere ignium descendit pars in plumbum, argentum autem superne innatat, ut oleum aquis*. Hoc est, quod כסף vocat Deus; res candida & desiderabilis, etsi initio non tam grati coloris, quod ex Plinio modo audivimus, & hodienum testatur experientia. *Siclus* autem id est, nummus certi ponderis, viginti scilicet gerarum ex hoc argento erat cudendus. Antiquissimis temporibus argenteos inter Gentiles usitatos fuisse Siclos, Moses nos docuit, cum Abrahamum ab Ephrone quadringentis Siclis argenteis, inter mercatores receptis, agrum mercatum esse confirmat. Vulgaris autem siclus non erat λύτρον hac lege definitum, sed siclus sanctus. Duum ergo generum ab hoc tempore siclos in Repub. Hebræorum existere Viri Præstantissimi colligunt: communem alterum, binarum drachmarum, seu stylo scripturæ decem gerarum, quarum singulæ sunt duodena grana; alterum sanctum, quaternarum drachmarum. Apparet, sanctum siclum duos continuisse communes; communem autem totum dimidium sancti fuisse. Dimidius autem, non totus, sanctus exigitur, cum imperatur tributum. Mirum est, adeo stupidos exstitisse quosdam, ut crederent, integrum siclum ex præcepto Dei seu dentibus, seu ferro fuisse dissecandum: cujus sententiæ absurditatem, etiam me tacente, quivis intelligit. Rectius Hispanus Abarbenel, fuisse non siclos tantum, sed & nummos, quorum bi-


bini æquarent singulos siclos conjicit. Id autem sollicite prorsus animadvertendum, qui factum sit, ut Deus Dimidium sicli sacri flagitarit, non autem siclum communem, qui tamen ejusdem cum Dimidio sacro erat pretii & valoris. Cum in historia Sicli sacri explicanda versor, de signo siclorum ut aliquid addam, necesse duco. Etenim priscos mortales non signato aere usos, Romani historiarum scriptores suadere nobis satagunt. Postea Servius Tullius Rex ovium boumque effigie primus dicitur æs signasse. Negari non potest, Dei hic loquentis verba celare omne signum, quod Siclo sacro, seu toti, seu dimidio sit imprimendum. Ast propterea ἄσημον fuisse nummum, nobis quidem plane non sit vero simile. Neque quod de Servio Romani narrant scriptores, ut indubitatum sine examine recipimus. Nam fac utique, Italos ante Servium non signato usos fuisse ære, an propterea sequetur, ut signato caruerint etiam omnes aliæ gentes? Itane sine omni ratione adulabimur Romanis, ut omnes alias gentes, ipsam quoque Hebræam, præ hac contemnamus, dicamusque Hebræos artem signandi æris a Romanis accepisse? Absit sane, absit, tam abjecte sentiamus de gente omnium sapientissima, quæ sapientiam docuit eos etiam mortales, qui omnium suffragiis deinde omnium existimati sunt sapientissimi, Ægyptios dico; de populo, inquam illo, cujus Princeps erat Deus ὁ μόνος σοφός, quique sapientiam largiri poterat iis hominibus, qui per se rudes ineptique erant faciendis imperatis. Hominum enim opera Deus usurus in conficienda supellectile domus suæ, non eos tantum vocavit, qui a se idonei essent, sed idoneos Ipse effecit citissime. Ne de Prophetis dicam & Apostolis, Bezaleelem quæso considerate, cujus cor Deus sapientiæ spiritu ita repleverat, ut faceret tam præstans, tamque ornata instructum supellectile tabernaculum, ut hodie ei æquale nusquam terrarum sit reperire, tamque exiguo temporis spatio, ut miraculo res sit simillima. Sed errare mihi Romani isti scriptores videntur errorem manifestum. Quod enim eorum quidam Servio Tullio tribuunt, id ad Janum alii, alii referunt ad Saturnum, de quo diserte ista sunt Doctissimi cujusdam Viri verba: *Istum etiam usum signandi æris ac monetæ formam incutiendæ ostendisse traditur, in qua ab una parte caput ejus imprimeretur; altera navis, qua vectus illo erat. Unde hodieque aleatores posito nummo, opertoque optionem conclusoribus ponunt enuntiandi, quid putent subesse, caput aut navem: quod nunc vulgo corrumpentes NAVIANDI dicunt.* Manifestum est ex his, antiquiorem esse artem signandi æris, quam ut tempora Regis Servii eam sibi queant vindicare. At, ne id quidem doceri potest, Saturnum illam primum invenisse. Quid enim? Ille aliunde advena traditur usum signandi æris ostendisse? Indene sequeretur, ut primum invenisse dicamus? Non putem equidem! Anne propius erat existimare, ergo in istis, in quibus vixerat, terris rem illam fuisse cognitam? Hæc clara sunt. Sed tempora Abrahami, Jacobi atque Jobi si inspiciamus, facti signatique argenti atque auri non obscura detegemus vestigia. Quos Abrahamus Ephroni dedit siclos argenteos, prætereo sciens; Jacobus centenas Kesitas Emoro dedisse, Moses memorat & Josua: Jobum ab amicis accepisse singulis singulas legimus Kesitas. Quid rei dicamus esse Kesitam? Nummum fuisse Doctissimi consentiunt & Raschi adducta R. Akibæ authoritate confirmat. Sed & apud Arabas voces cognatæ superant, quæ eandem significationem retinuerunt. At eodem vox apud Chaldæos ovis agnive notionem sibi habet subjectam: Chaldæi paraphraste pro ea, ubi in textu Hebræo occurrit, alia utuntur, quæ agnum significat anniculum. Nempe nummus fuit, cui incussa fuit agni imago. Quod mirum esse potest nemini, qui novit in Frisiis etiam nummos fuisse, qui forte a forma Schaaf dicerentur. Quo vero signo siclus fuerit insignis, vix habeo dicere. Hoc extra omnem dubitationem est, signatum fuisse. Ut nihil nunc dicam de illis, qui hodienum visuntur, videtur & Magnus Servator noster J. C. ubi Herodianos, qui ipsum tentatum venerant, ἐπιστομίζει, idem non obscure innuere. Cum enim ea Cæsaris esse docet, quæ ejus erant signata imagine, ejusque habebant ἐπιγραφὴν, rursum non minus manifeste dicit, ergo illa, quæ, quia Dei sint, & Deo reddenda, habere etiam εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν, quæ a Deo sit. Signati ergo fuerint Sicli, Deo dandi, necesse est; quo signo primus, ignoro. Qui hodie ostenduntur aut Samaritano aut Hebræo notati sunt charactere. Quod ad signa attinet, conveniunt in eo plerique, quod altera pars exhibeat virgam frondentem, calicem altera, quem alii urceum, in quo Manna asservabatur, alii, & rectius quidem, thuribulum repræsentare autumant. Nam qui Davidis & Salomonis nomina charactere cum maxime Samaritano inscripti sunt, antiquitatem suam eruditis nondum probarunt, nedum ut pro sacris ha-


habeantur. Ast quare dubitem, an, quas recensui, formæ impressæ fuerint Siclo sacro, qua ratione concedam, quomodo conciliari posse putem, non est, ut nunc aperiam prolixius. Tantillum, solas duas argenti signati drachmas *Deus* ab Israelitis, cum fuerint censendi, dari sibi imperat. Ne quis autem ob exiguum pretium contemnat aut Deum imperantem, aut illud persolventem Israelitam, probe fecerit, si munusculum & privilegia ex illo nascentia inspexerit accuratius. Munus ipsum etsi tenue videatur, magni pretii est censendum; quia non homini, sed Deo, cujus est non aurum & argentum solum, sed & ipsum cœlum & terra, qui hoc sibi serio dari imperavit, est exhibendum. Unde & cum summa reverentia dimidius hic siclus est Domino Deo persolvendus: Ipse Deus hoc jussit, cum dicit, esse תרומה ליהוה, id est, donum elevatum Jehovæ: quo ipso Deus declarat, Israelitam, qui siclum esset oblaturus, cum manibus prehensum sursum agitare debuisse. Plane enim quemadmodum manus & corda, vel potius corda in manibus supplicantes Deo offerunt, ita etiam, qui Deo dimidium siclum offert, elevare illum, inque manibus suis Deo ostendere quasi jubetur. Sed longe augustius sentiemus, si modo, quorsum ille pertinuerit, quæ ex illo nata sint privilegia, recte perpenderimus. Id, quod datur, a Deo voce כפר cohonestatur, quam λύτρον dicunt Veteris Interpretes & N. Testamenti Scriptores plerumque. Vox hæc picem, qua naves illinuntur, notat, atque inde deductum verbum, pice vel alia quadam re illinere. Translatus est vocis usus ad expiationes sacrificiis faciendas, quia sanguine illorum illinebatur & tegebatur id, cui sanguis inspergebatur: inde ad quidvis, quod crimini alicui tegendo aut expiando adhibebatur. Ergo, quia כפר est hic siclus, Israelitarum crimina, typice saltem, potest celare. Verum non frustranea erat ista expiatio, sed eo facienda, ne esset נגף plaga in populo, imo manifesto fidem facit Deus, aversum iri plagam, si sancte hæc lex observaretur. Ridiculi sunt illi ex Judæis, qui populum in capitibus suis censeri credunt prohibitum, quia lividus oculus obsit numero fere innumero, plagamque accersat, atque inde factum existimant, ut introducta sit recensio ejusdem ex nummis, quia ex nummorum numero numerus populi subduceretur. Unde & Davidis tempore populum pœnæ subjectum memorant, quod, neglecto hoc præcepto, capita sua numerari passus sit. Plaga, cujus hic meminit Jehova, & externas corpori infligendas pœnas, & ipsam denique mortem dicit, ita, ut ex circumstantiis interitus æternus queat comprehendi. Erat hic populus in numero non tantum viventium, sed, si ad gentiles eundem comparaveris, viventium in Rep. Dei vitam excellentissimam; at, si contingat, ut lex hæc, aut a Reip. Magistratu, aut a civibus haberetur contemtim, minatur Deus, futurum, ut immissis iræ suæ exsecutoribus, aut hostibus, aut fame, aut pestilentia, magnam in populo ederet cladem; quam effugerent legem hac reverenter observata.

Magnam utique legis utilitatem! Sed non solet parca manu beneficia sua erogare Jehova, sed liberali, unde & hoc adjicit. *Transibunt ad numeratos*. Numerati isti sunt, qui jam cives erant facti istius civitatis, quique quasi apud Jehovam consistebant; ex adverso quasi constituti erant illi, qui nondum exhibuerant λύτρον, itaque neque iisdem cum illis gaudebant privilegiis: quæ demum erant sibi paraturi, si Mosi, imo Deo repræsentassent nummum imperatum: illico enim ipsis fiebat potestas transeundi ad primogenitos, quorum nomina in tabulas publicas erant relata, & in libro viventium scripta. Ita vero Deus lege hac instituerat, ut quoties census populi ageretur, toties Sicli hi Dimidii a singulis exigerentur civibus. Quamvis sancte lex hæc habita non fuerit semper. Neglexit enim illam David Rex cætera prudentissimus, cum populum, a Satana ad hoc incitatus, censeret, eosque pro civibus sanctissimæ habuit civitatis, a quibus non fuerat exactum tributum, quique λύτρον animarum suarum Jehovæ persolverant nullum. Quod quidem quid erat aliud, quam legis sanctissimæ neglectus & contemtus? quid si non hoc erat negare sanctitatem justitiamque sanctissimi atque justissimi Numinis, dicere ipso facto omnibus æquam esse etiam sine redemtionis pretio factam civitatis istius potestatem? Quæ memorare etiam est detestari. Irritatus certe hoc tam atroci facto summus Deus in populum expedivit iræ suæ arma funestissima, deletisque oppido plurimis, ostendit non ad omnes, quibus perperam atque non annuente summo Principe Deo civitatem largitus esset David, jura ejusdem pertinere. Agnoscens hoc David, se quod λύτρον non exegisset maxime peccasse, ultro caput suum pœnæ obtulit, a qua sola Dei clementia summaque misericordia liberatus, sacrificium, hoc est λύτρον Deo repræsentavit.

Quemadmodum autem a Davide neglectam scriptura tradit hujus legis observationem, ita scriptores Judæi illam summa cum Religione & severitate singulis annis tradunt esse observatam. Quæ obiter memorare non pœnitebit. Singulis annis tributum hoc a Judæis persolutum memorant Judæi & qui ex illis sua plurimum habet Ligtfootus, quem honoris causa nominamus. Huic rei certum præfixum erat tempus. Ante Novilunium enim mensis Nisan actum voluerunt censum, si modo licuisset per eos, qui extra terram sanctam rerum suarum sedem fixerant. Eo fine ipso primo mensis Adar die Synedrium publico edicto per universam terram sanctam singulos jubebat cives suum exhibere nummum: Quod ut fieret accuratius & commodius, decimo quinto ejusdem mensis Nummularii in universa terra erant constituti, eisdem nummis recipiendis ab illis, qui extra urbem sanctam in terra tamen sancta haberent: At a XXV. ejusdem mensis in templo, maxime in eorum gratiam, qui ex remotis regionibus ad festum solenniter celebrandam venissent. Hi sunt isti nummularii, atque hæc erat occasio eorundem in atrio templi collocandorum, quorum mensas Jesus Christus Servator noster paucos ante Pascha dies in templo evertisse ab Evangelistis narratur. Quippe non colligendis tantum nummis sacris hi invigilabant; sed quod ex temporum istorum conditione facile est colligere, non exiguo cuidam inhiabant lucello. Scilicet tunc temporis Sicli Hebrei etiam ipsi Dimidii Sancti rariores videntur fuisse, invectis maxime in terram Judaicam per Romani Imperatoris milites etiam nummis Romani Imperatoris effigie signatis; unde factum videtur, ut Judæi Sacerdotes existimarent cum sua tum templi maxime interesse, ut certum quoddam reciperent emolumentum ab eis, qui aliam pecuniam eamque profanam cum Dimidio Siclo Sacro essent commutaturi. Cum autem de hac mercatorum ejectione modo dixerimus, quid vetat veram illius causam ὡς ἐν παρόδῳ detegere? Certe gravissimam illam ex Prophetis & evangelio depromendam silere atque ad alia confugere, quæ nihil ad rem faciant, mihi quidem est religio. Cum Christus hæc ageret, proxime ille instabat dies, quo sanctissimo Patri suo verum erat repræsentaturus λύτρον non pro Judæis tantum, sed & pro ipsis Gentilibus, ut, qui Deus non Judæorum tantum sed & Gentilium nunc erat vocandus, ejus templum domus precationis appellaretur omnibus gentibus. Minime ergo omnium conveniebat, eam hic exerceri mercaturam, qua tam sanctum negotium aut umbris tegeretur, aut plane negaretur. Hoc tempore Siclis Dimidiis uti, quid aliud erat, quam iisdem pessime abuti? His rebus vacare & quidem cum turpi ista lucri cupiditate, quid aliud, quam mercaturam exercere? Qui aliter rem capiunt, nescio an Jesaiam & Christum & res sub hoc exstituras unquam serio expenderint. Tam autem serio exigebatur Dimidius hic Siclus, ut si quis justo eum tempore repræsentare contumaciter neglexisset, ab eo vel invito pignus sumerent exactores, & si nullum aliud occurreret, vel ipsam togam, quæ res ipsa etiam Christi verba illustrat egregie. Neque periit, quod Israelitæ Deo jubenti dederunt tributum; Sed perpetua, constansque illius erat gratia atque memoria, cum & ipsi nummi Deo in memoriam quasi revocarent, hos pro animabus suis redemtionis pretium persolvisse, adeo, ut Deus thesauros suos inspiciens, atque ex tabulis publicis nomina redemtorum suorum sibi recitans, neque illorum memoriam neque λύτρε deponere potuerit unquam.

Hæc sancta illla lex est, & historia illius. Quid vero illa faciemus? Nudamne historiam esse rei factæ, faciendæve dicemus, aut institutum mere Politicum & Forense? In illis, qui in interpretanda scriptura, & hac ipsa lege sic versari volunt, nomen ego meum nunquam sum professurus; sed illis accedam lubentissime, qui τὴν πολυποικίλην Θεῦ σοφίαν altius rimantur, ut illam σοφίαν, quæ est ἐν μυστηρίῳ magis admirentur. Plurima namque sunt, quæ flagitant, argumentisque & plurimis, & evidentissimis, in hanc ut eam sententiam, suadent, imo persuadent. Nuda & mera Resp. civilis non erat Resp. Judaica; Dominum & Fundatorem non habebat nudum hominem; cives ipsi non vulgares erant homines; tota Reip. administratio, quæque in illa contigerunt, historice tantum, nisi vim faciamus Spiritui Sancto, nequeunt explicari. E contrario Theocratia erat Resp. Dei Filius Conditor & Dominus ejus erat; cives, & quæ circa illos gesta sunt, sic considerare oportet, ut homines aliorum hominum gererent figuram, res gestæ typus essent rerum in antitypo exstiturarum. Lex ipsa, si rite inspiciatur, talis est, ut prodat statim, mysticarum rerum se esse involucrum. Moralis non est hæc lex, ex sanctitate Dei non fluit; sed arbitrio; neque ex conditione hominis ipsius, aut respectu, qui Deum inter & hominem existit: æternam


Tab. I.
Tab. II.


Tabula VIII.
E Thesauro Regio
E Thesauro Regio
E Museo D Henrion
E Thesauro Regio
E Thesauro Regio
Ex eiusdem
E Thesauro Regio
Ex eiusdem
E Thesauro Regio
Convenit cum tribus Nostris Tab.1.depictis.
Ex eiusdem

nam esse, cui sanum est sinciput, dixerit nemo. Quis enim tam demens esse censeatur, ut ea lege se omnesque omnino homines teneri dicat, at hoc morale est, quam ipse nec observet, nec observare cupiat? Quis, nisi sibi adversarius seque ipsum pœnæ, quam lex denunciat, subjiciens legibus his imperium hodieque in Christianos concesserit? Neque mere Politicam aut Forensem esse concedam. Sed forenses ipsæ etiam omnes aut morales sunt, aut typicæ futurarum sub Christo rerum umbræ, saltem pædagogiæ & jugi rationem habere sunt censendæ. Superest ergo, ut, quod sentio, dicam. Legem hanc umbram habuisse ejus rei, quæ est in Christo, est manifestum. Aben Esras, qui ab eruditione sua id inter populares suos est consecutus, ut Sapientis nomen ei sit tributum, ita loquitur pereleganter: *Quæcunque lex fuerit, cujus tu rationem perspicere nequeas, illa mysterium in se continet, etiamsi hucusque illud non intelligas.* Næ verissimam sententiam, quam homini Judæo invidendam multi ex Christianis mecum fatebuntur, sed utinam sincere! Ego non dubito, quin סוד, μυσήειον hic lateat. סוד Hebræis dicitur μυσήειον, cujus vocis vis hæc est. Notat rem calce illitam, a סוד unde סוד calx est. Sed quia calcis usus etiam est in jungendis lapidibus & parietibus, id repræsentabit, quod tectum est, respicit autem conjunctionem peccatoris per Christum Jesum, & Spiritum Sanctum cum Deo, tum hominum quorundam cum aliis hominibus. Sola sufficeret præter ea, quę dicta jam sunt, sacrę scripturę autoritas. Plurimi namque sunt Prophetę atque Apostoli, qui in scriptis suis ad hanc legem respexisse sunt dicendi. Quin & ipsorum prętantissimorum Patrum aliqui, aliique scripturę interpretes hoc agnoverunt. Sed ad sacram scripturam confugiamus tanquam sacram salutis anchoram, committamus inter se loca quędam. Hic diserte Deus Dimidium Siclum esse λύτρον animę affirmat, atque a Prętantissimis inde redundaturis eundem privilegiis commendat. At, audiamus Spiritum Sanctum in Psalmis: *Frater non redimendo redimet virum, non dabit Deo pretium ejus. Nam pretiosum est λύτρον animarum ipsorum, & deficiet in seculum.* Dimidium hunc Siclum verum λύτρον fuisse si putetis, an fieri posse negabimus, ut frater pro fratre redemtionis hoc pendat pretium? Christus ita dixisse legitur: *Quid proderit homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ jacturam faciat?* Aut, quod dabit homo ἀντάλλαγμα suę animę? Si proprie, atque, ut verba sonant, tantum hanc legem interpreteris, numquid in promtu Christo erat respondere: Dimidium siclum, quem nanciscetur facile, qui totum fuerit mundum lucratus. Agite ergo, attentis oculis, menteque sollicita ordine rem lustremus. Principio Deus serio mandat, ut omnes in populo ejus censeri volentes redemtionis pretium offerant. A se ergo nullum jus isti habent, sese pro civibus Regni Dei gerendi. Ecquid est apertius, quam omnes omnino peccasse, atque destitui gloria Dei. Per peccatum homo factus est civis, imo mancipium Satanæ; itaque a Deo, ejusque Regno ita segregatus, ut tantum absit, ut cum Eo, qui oculis est adeo puris pręditus, ut malum cernere nequeat, amice vivere possit, ut Ejus justitię flammis depascendus & delendus objiciatur. Ex hoc malorum Oceano ut eripietur peccator כפר נפשו exhibere ei est imperatum. Emtionis hæc quædam est species. Emtio & venditio arbitrii res sunt, non naturæ: hypotheticas easdem esse, quis dubitat? Atqui lubuit supremo Deo, non res tantum naturæ, quæ gratiæ serviunt, atque ex quibus æterna Dei potentia & decentia, qua valet modo sanctissimo portare, atque ad æternam introducere vitam peccatorem, si ad animum revocentur, perspiciuntur, adhibere ad res, quæ in fœdere gratiæ, & maxime in Novo Testamento existunt, depingendas; sed, quod miremini, ipsarum etiam illarum rerum aliquas, quæ industriæ humanæ debentur, adeo sapienter sua prudentia gubernat, imaginem rerum futurarum gerere aptæ natæ comperiantur. Insitionem arborum ab arte humana profectam quis neget? Paulus tamen ex eadem explicat & illustrat Gentium assumtionem in communionem populi Dei. Eandem emtionis & venditionis conditionem esse, si affirmavero, audax vocari non merebor. Jure enim ulla a Deo creata re utendi per peccatum excideramus, neque illud jus adipiscitur quisquam, nisi exhibito redemtionis pretio.

Maxime vero ut homini ex regno Satanæ exire, atque liceret illi esse civi Regni Dei, opus erat, ut redimeretur peccator, pretiumque redemtionis Deo repræsentaret. Deus Pater est, quem scelere suo homo offenderat: Idem Deus Pater hominem morti addixerat: neque patitur sanctitas, justitia, & veracitas ejus, ut hominem peccatorem imagine sua destitutum, qui mortem erat commeritus, quemque, si talis foret, ad æternas pœnas damnaverat, ad beatam vi-

vitam in Regno Suo degendam admitteret. Persolvendum erat ergo satisfactionis pretium, ut Deus Pater salva sua omni virtute illum vita æterna posset donare. Nam absque hoc foret, nunquam ex morte ad vitam miser iste emergeret. Tantum certe aberat, ut sine lytro ad se Deus peccatorem potuerit invitare, ut & gravissimas sine hoc in civitatem quemquam recipientibus, aut irrepentibus denuntiaverit pœnas. Davidis historia exemplo esto! In vanum nemo ferat nomen Jehovæ Dei sui! Jehova enim pro insonte non habuerit, qui Nomen Ejus tulerit in vanum. Atque utinam aliena pericula Socini discipulos fecissent cautos! Plagam minatur Deus! Si quis obrepserit, & si hic fallat homines, ille cum justis, vero redemtionis pretio justificatis, non scribetur, imo & ex eo vitæ libro, qui est in externa ecclesia, delebitur, vel apostasia, vel voce Domini olim dicturi: Non agnovi vos unquam! Recedite a me operantes iniquitati!

Lytrum quale fuerit jam porro videamus. Siclus est argenteus sanctus Dimidius. Deus dixerat: *Hoc dabunt*. Eant nunc sane, crepentque naturalis suæ scientiæ sufficientiam ejusdem patroni atque fautores! Certe, si Deus celasset consilium suum, quo definiverat rationem conciliandi sibi hominis, lateret adhuc homo in caligine perpetua, exsorsque veræ vitæ viveret, imo mori pergeret. Dei est statuere, qua ratione homini ad vitam pateat via; sed Ejusdem etiam est viam istam homini monstrare. Adeo enim hariolus est homo nullus, ut illam divinando queat assequi! Videant nunc adversarii, annon ad ipsum esse, ut ajunt, pertineat illa Dei voluntatis manifestatio! Ad Siclum ipsum accedamus. Argenteus est. Fateor Petrum Christianos docuisse, neque auro, neque argento (altero Mosis, Davidis tempore altero) nos esse redemtos; at inde non recte conficietur, ut argentum hoc cum merito Christi non sit comparandum. Habent hoc namque typi & antitypi, ut recte alterum de altero ajas, recte rursus sensu mutato neges: quod Sacrificia Veteris Testamenti cum Sacrificio Jesu Christi conferenti liquido demonstratur. Certum est argentum cum sanguine Christi recte posse contendi. Argentum ex terræ fibris venisque effossione proferri multisque laboribus atque ita, ut injuria afficiatur terra ex Plinio commode ostendimus. Ex venis hujus Adami labore multo, molestiis plurimis summaque cum ipsius Christi injuria ab hominibus terram amantibus effossus est sanguis Jesu Christi. Non grati adeo coloris est argentum, cum primum effoditur; sed deinceps satis evadit candidum. Jesu Christi sanguis ruber est, quique videatur parum idoneus Sanctis dealbandis; ita autem candidus est, ut perpurgare possit Sanctos, Spiritu sancto ad Jesum tractos, ut etiam eorum tunicas candidas efficiat, in quibus tanquam Candidati Regni cœlestis & Sacerdotes coram Deo læti compareant. Plumbo addito igne eodem separatur. Adde sacrificio Jesu Christi non tantum ceremonias Vet. Testamenti, sed maxime ignem toties in Veteri & Novo Testamento memoratum, deprehendes, fugere e conspectu umbras istas, reliquasque scorias, terrestrem materiam, superne autem conspiciendum sese exhibere argentum, hoc est, meritum Christi, cum quo ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν jam facta, sacrificia pro peccato, fiducia & cura ventris, gloria in carne & cura rerum terestrium stare non poterunt.

Ex hoc Argento faciendus erat Siclus certi ponderis. Sæpe miratus sum illos, qui sanguini Jesu Christi pretium attribuunt infinitum, ut rectius deinde illum sufficere ostendant universis & singulis hominibus redimendis, quod dogma tanto cum apparatu, tantaque virium urgent animorumque contentione. Contraria se loqui, hi homines non animadvertunt. Pretium enim infinitum esse nequit; nec infinitum pretium sibi justus quispiam pro merce ulla expendi patietur, cujus pretium antea fuerit definitum. Τιμὴν definitum notare pretium non ibit inficias, qui vel Græcæ linguæ, vel juris Divini & humani quadantenus fuerit peritus. Si pretium ei inest infinitum, qua fini Deus adeo sollicite definivit pondus & fines sicli, qui typus est meriti Jesu Christi, ut & geras numeraret?

Certe manifestum est, Deum isto facto declarare voluisse, pretium justum neque minus, quam sanctissima sua requireret justitia, inesse merito Christi; tantum scilicet, quanti vendi & emi poterant animæ in libertatem vindicandæ. Sanctus est Siclus. Sanctus est Jesu Christi Sanguis, ipse Christus sanctus est imo sanctissimus. Ejus sanguinem, quo sanctificatus est, qui κοινὸν existimaverit, summum in se admiserit scelus, quod æternis animæ & corporis luet tormentis. Vulgaris namque hominis, horreo dicere peccatoris, sanguis hic non fuit; sed sanguis agni immaculati & irreprehensibilis, agni, quem Deus dederat, qui tollebat peccata mundi, justi illius, Christi Filii Dei. Eundem hunc Siclum san-

sanctum signatum fuisse signis sanctis manifestum est. Principio agni imaginem pecuniæ fuisse impressam, deinde aliarum rerum sanctarum; donec ab humano ingenio, dicam, an fastu? & κακοζηλία etiam Diaboli hominum, dæmoniorumque fictitiis imaginibus corrumperetur, negari non potest. Certe, cum meritum Christi, quo animæ sanctorum redimuntur, sit sanguis agni illius, qui typice mactatus fuit jam ab ipsis mundi incunabulis, quid convenientius erat, quam, ut typus illius agno esset insignitus? Posterioribus ætatibus cusos ostendunt siclos, quorum pars altera Aaronis exhibet Sceptrum virens, florens atque fructibus onustum, altera thuribulum. Jesu Christi Sacrificium etsi Aaronicum non sit, nec ab Aaronici ordinis sacerdote oblatum, tale tamen est, quod recte cum illo conferatur. Contradixerunt huic sacerdotio & sacrificio Judæi rebelles, imprimis sacerdotium sibi asserentes, sed consimili miraculo illud Jesu Christo est vindicatum. Exaruisse jam verbum atque Spiritus Ejus, hoc est sceptrum dextræ illius videbatur, postquam totos quinquaginta dies a resurrectione sua Judæis se non ostenderet, neque verbo aut demonstratione Spiritus & miraculorum illis metum incuteret. At, ut subito enituit, ostensumque est Ejus sceptrum verbum & Spiritus Jesu, qui Christus & Dominus renunciatus est, ipso Pentecostes festo die! Ut floruit, ut fructus protulit uberrimos eodem Festo! Ut commata est universa civitas Hierosolymitana! Ut audiit accensum, quo perimendi sint rebelles, ignem, prædictum per Joelem, demonstratum per Petrum, impletum per Romanos, egressum a Deo ipso! Thuribulum hoc preces intercessionemque Christi Summi Sacerdotis depingit. Is solus Sacerdos, cujus sacerdotium a Deo institutum, tamque evidenter vindicatum est, vi meriti sui, cum ad dextram Dei est, orare potest pro Electis, hoc solo niti possunt Electi. Quicquid sit, certum est, Jesu Christi sacrificium, velut nummum imagine & inscriptione, sic characteribus evidentissimis a Deo in Mose & Prophetis esse signatum. Prolixior forem, si singula charagmata Vobis enarrarem. Ipse Divinus Sarvator quotiens dixit, scripturas impletum non iri, nisi, quæ de se prædicta essent, pateretur? Quoties Divini Evangelicæ historiæ scriptores, cum passiones ejus commemorant, diserta aut ex Mose aut ex Prophetis, aut ex Psalmis proferunt testimonia? Christus binis discipulis Emauntem euntibus asseruit, quæ de passione sua scripta sint in Lege Mosis, Prophetis & Psalmis, esse impleta: sic debuisse pati Christum & resurgere ex mortuis tertia die. Huic ergo testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum plenissimam consecuturum per Nomen Ejus omnem, qui in Eum crediderit. Næ frustra hæc quæras in Scholis Socini; hic nudi hominis effigiem impressit merito Christi. Misera est Anti-Christiana turba! Hæc docetur etiam merorum hominum merita Deo offerre; imo, ut apertissime dicam, illorum, qui vix homines dici possunt, certe non sancti: quorum meritum merito Jesu Christi comparatum nil, nisi plumbum est, meræque scoriæ per ignem olim abjiciendæ.

Sed Dimidius tantum Deo exhibendus Siclus quid sibi quærat, est anquirendum. Vidimus hactenus כפר sive mysterium hujus lytri sic, ut doceretur ratio, qua Deo, a quo segregati fueramus, rursus conciliaremur; at id restat, ut etiam monstremus hic ostendi, si pote, qua via homo homini. Hoc lytro Adam conciliatur Electis, filiis suis natura talibus, at gratia filiis Dei, quos ipse suo peccato perdiderat; filii ei conciliantur, qui cæteroquin, quod ipsos pessum dedisset, odissent eum merito suo: patribus in libertate credentibus rursus junguntur filii, qui sub ceremoniarum jugo ἀβαςάκτῳ gemuerant, hoc lytro in libertatem vindicati. Sed, quod præcipuum est, duo cum maxime quasi homines existimandi sunt populi illi, qui Christi ætate vixerunt, Judæi & Gentiles. Separati hi fuerant Mosis tempore, cum paries intergerinus erigebatur, qui duos hos populos divideret. Ut Israelitis liceret esse populo Dei, λύτρον erat persolvendum. Sed Dimidium tantum Siclum Deus imperavit. Quo ipso quid aliud significabatur, quam esse adhuc alium quendam populum pro quo altera hujus Sicli pars sit seposita? Qui populus isto lytro repræsentato, etiam ipse aditum sibi pararet ad civitatem Israelis, a qua hucusque erat segregatus, & jus sibi acquireret sese sub Novo Testamento pro filiis Dei gerendi. Integrum profecto lytrum persolvit Patri Suo Jesus Christus Servator noster & Caput electorum: sed hoc fine, ut demonstraret, Deum esse non Judæorum tantum Deum, sed & Gentilium; ut ipse esset non Judæorum solorum Servator: sed etiam lux Ethnicorum, eos eripiens ex regno tenebrarum, & in Regnum lucis introducens. Atque mirum est, quam amice hic omnia sacra conspirent oracula. Paulus si audiatur loquens Ephesiis suis, rem clare sistet

pio

pio Auditori: *Nunc autem*, inquit, *in Christo Jesu vos, qui olim eratis procul, facti estis prope in sanguine Christi: Ipse enim est Pax nostra, qui fecit* Utrunque unum, *& intergerinum parietem solvit, inimicitiam, quæ in carne Ejus erat; dum legem in placitis consistentem ad nihilum redegit: ut* Duos *illos crearet in Se, in* Unum *novum hominem, faciens pacem. Et reconciliaret* utrosque *in* uno *corpore Deo per crucem, interfecta inimicitia in Se. Et veniens annunciavit pacem vobis, qui procul eratis, & iis, qui prope erant. Quod per Ipsum habeamus accessum* Utrique *in* Uno *Spiritu ad Patrem. Ergo non amplius estis hospites & advenæ sed cives sanctorum, & domestici Dei; inædificati fundamento Apostolorum & Prophetarum*, ita *ut sit angularis summus lapis* Idem *Jesus Christus, in quo omnis structura coagmentata crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. Hilarii verba etiam audire ne sit molestum. *Sed*, inquit, *hic Filius lapis est ab ædificatoribus improbatis, & in fastigium angularis electus, & in oculis omnium mirabilis est, inter Legem atque Gentes lateris & ædificii* Utriusque *conjunctio*. Λύτρον hoc a Deo ipso ab æterno constitutum, in tempore a Filio procuratum est. Quemadmodum civis Reipublicam pecuniam, quæ in Republica sit usitata, adipisci non potest, nisi ea primum ab illo, qui jus signandi æris habuerit, ei tradatur; ita omnino hominum erat nemo, qui Deo redemtionem offerre potuerit, nisi ei Christus & justitia Ejus prius donaretur. Quem ut accepit, ita Patri repræsentare rursus potest. Cum Deus fidem largitur homini, quæ Christum Ejusque justitiam esurit, sitit & recipit, quaque se totum Patri in Filio portandum tradit, Deus λύτρον hoc tradere hominibus est censendus. Neque enim omnium est fides; Dei est donum: unde & χάριτι & δωρεὰν servamur justificati. Quotquot autem ordinati sunt ad vitam æternam, his donatur credere in Christum: hi Christum accipiunt, his potestas sese gerendi pro filiis Dei datur, credentibus in nomen Ejus.

Jam illis, qui hoc λύτρον exhibuerint, licet accedere ad numeratos. Equidem meis verbis privilegium hoc non describam: ex omnibus Prophetis & Apostolis evidentissime hanc rem proponentem audiamus Paulum: *Accessistis ad Sion montem & civitatem viventis Dei, Hierusalem cœlestem & myriades Angelorum, panegyrin & concionem primogenitorum, qui in cœlis conscripti sunt, & Judicem Deum omnium & Spiritus justorum consummatorum, & Testamenti Novi Mediatorem Jesus, & sanguinem aspersionis præstantiora loquentem præ Abel*. Omitto nunc demonstrare istos primogenitos, qui fuerint.

Quemadmodum sanguis meritumque Jesu Christi perpetuo viret vigetque; sic λύτρον hoc Israelitis coram Jehova erat in memoriale. Manet sanguinis pretium, manet Spiritus fidei, manet fides, a Spiritu hoc in cordibus electorum producta. Spiritus enim hic est σφραγὶς, est ἀῤῥαβὼν non ad paucos dies, sed ad tempus ἀπολυτρώσεως, seu singulorum suo ordine membrorum, seu propter communionem, quæ corpus inter & membra est, totius corporis, ita, ut duret ad destructionem Anti-Christi, conversionem Judæorum, imo resurrectionem corporum & vitam æternam!

Satis jam prolixe, opinor, Aud. Splendidissimi, Spectatissimi, id, quod susceperam, egi; ut hic tuto huic quidem Orationi finem imponere possim. Antequam autem illud faciam, Vos compello, *Perincluti Patriæ Patres*. Conceptis verbis gratias Vobis ago de amplissima Vestra erga me Benevolentia, summoque favore, quo immerentem me fovere non dedignamini. Quartus nunc annus est pœne elapsus, cum eodem ex loco Professioni Ordinarie Linguarum initiandus summa Vestra, plurimaque in me collata beneficia grata mente prædicarem, Vobisque me majorem in modum devinctum esse ad omnia obsequia publice testarer. Vixi ab illo tempore, & in Illustri Vestra Republ. & in Illustri Schola memor Vestrorum Beneficiorum: eo summa ope nisus sum, ne fidem datam frangerem. Quantam fidem, quantam diligentiam recte exornandæ spartæ adhibuerim, quam eram sortitus, quantos sustinuerim labores, meum non est prædicare. Non tamen ii fregerunt debile licet Hoc Corpus, aut obtusiorem hebetioremque animi fecerunt aciem; sed molestiæ tædiaque, quæ plurima mihi objecta devorandaque fuerunt. Nescio autem, verbis saltem enunciare non possum, quam blando gratoque perfusum me senserim gaudio, cum divinam Providentiam, Paternamque Ejus Clementiam toto hoc tempore summam & admirabilem quandam curam mei gerere perspexi. De ea re dubitare me non sinit gemina ista provincia, quæ ab illo tempore mihi est decreta. Prioribus omnibus beneficiis Vestris, *Perquam Magnifici, Nobilissimi, Amplissimique Patres*, cumulum addidistis, cum Professoris Ordi-

dinarii Theologiæ ſæpe quidem optatam, at vix amplius ſperatam Perſonam mihi impoſuiſtis. Ignoſcite, *Patres Patriæ Splendidiſſimi*, ſerio mihi de ampliſſima Veſtra liberalitate gratulanti. Quod, qui beneficia accipiunt, ſolent facere, id mihi etiam nunc quoque uſu venit: ab illis animus benefacientis notatur benevolus. Tanto mihi certe gratior eſt hæc Profeſſio, quanto certius ex illa mihi mandata colligere videor, Vobis non diſplicuiſſe omnino iſtam rationem, qua in Illuſtri Schola Veſtra ſum verſatus.

Novo modo me Vobis Omnibus devinctum ſentio, adeo, ut omni honore, reverentia, obſequio ſummum iſtum Veſtrum favorem demereri, ſi non valeam, at ſerio ſaltem me velle perpetuo intelligatis. Si Deus voluerit, atque vitam concesſerit, niſi novis tœdiis & moleſtiis, quas mihi parari ſentio, otium meum turbetur, & frangantur vires, id bono cum Deo operam ſedulo dabo, ut laboris parcus eſſe, aut otio ſtudioſus nunquam deprehendar. Vos modo unum, *Inclytiſſimi Patres*, humillima mente oratos obſecratoſque volo, ut Veſtram iſtam benevolentiam, quod feciſtis adhuc, mihi juſtiſſimæque cauſæ continuetis. Ita Deus Vos ſervet, protegat, beet, ut ſub ſapientiſſimo Veſtro Regimine æquiſſimoque bonis omnibus civibus mihique etiam vitam degere liceat piam & tranquillam in timore Domini! Ita Deus Vos cum Nobiliſſimis Veſtris Familiis omni corporis animique benedictione cumulet, ut hic ſanctam omnibuſque bonis auctam & ornatam, olim, propter λύτρον Jeſu Chriſti, æternum beatam vitam colatis!

Vobis *Plurimum Reverendi*, *Nobiliſſimi*, *Conſultiſſimi*, *Experientiſſimi*, *Spectatiſſimi*, Auditores omnium ordinum Digniſſimi, gratias habeo maximas, quod ſepoſitis majoribus Veſtris curis actum hunc Veſtra præſentia cohoneſtare non fueritis dedignati. Id Vobis apprecor ex animo, ut, quod Jeſus paravit λύτρον, id Vobis donetur, ut, quemadmodum hic in terris, ſic deinceps in cœlis Regni æterni ſitis cives. Veſtram iſtam benevolentiam, ſi qua re poſſim, ſtudebo compenſare.

Ad Vos accedo, *Magnifice*, *Plur. Reverendi*, *Conſultiſſimi*, *Experientiſſimi*, *Clariſſimi*; *Rector*, *Theologiæ*, *Juris*, *Medicinæ*, *Philoſophiæ atque linguarum Profeſſores*, *Collegæ ſuſpiciendi!* Imprimis mihi gratulor, *Magnifice Schumachere*, cum Tecum ſimul decreta eſt mihi Theologiæ Profeſſio: novos, quibus Te Splendidiſſimi Patriæ Patres ornarunt, ex animo grator honores! Ut illi Deo glorioſi, Reipubl. Scholæ, Eccleſiæ Tibique ſint ſalutares, ex animo voveo! Collegæ ſumus, atque idem omnes Profeſſores Theologiæ a Deo & Inclutiſſimo Senatu habemus mandatum, Theologiam ut doceamus. Fatemini procul dubio mecum, præcipue id nobis faciendum, ut eo perducamus Auditores noſtros, ut in quam infelici ſtatu a natura ſint homines omnes, qua ratione in Regnum cœlorum intrare, quomodo ſancte & olim beate in illo vivere debeant, poſſint, ipſi primum intelligant & experiantur, antequam alios doceant. Votorum meorum ſumma eſt, ut, conjunctis in Domino animis, conjunctiſque viribus, ſine invidia & diſcordia ſedulo id agamus! Amemus nos invicem in Domino atque Veritatem Ejus, Verbum Ejus Veritas eſt, antequam Auditores noſtros caſtum illum Dei & proximi doceamus amorem. Sic agamus, ut ad rationem vel Deo vel hominibus reddendam, hilari mente accedamus: neque minas ad hoc agendum vocantium, timere opus habeamus. Reformata eſt docenda a nobis Theologia: ſancto illam amo amore; Reformato, ergo pectore illam docere diligenter enitamur. Mutuis conſiliis invicem nos excitemus in Domino! Quod a Vobis mente affectuque ſincero flagito: quacunque re opera mea Vobis poterit eſſe utibilis, experimentum facite Ipſi, faxo fidem meam, adhibita fide, ne incuſetis unquam! Nullus equidem dubito, Exoptatiſſimi Collegæ, quin ſi omnes quod agendum eſt ſerio agamus, Scholæ noſtræ res a concordia diligentiaque noſtra incrementa habituræ ſint admiranda. Ego quod in me fuerit ſitum, in eo elaborabo ſedulo, ut honorem, reverentiam, atque amorem Singulis Vobis debitum & Omnibus negaſſe nunquam deprehendar.

Vos, *Ornatiſſimi Juvenes*, *Meus*, *Amor*, *Meum Delicium!* Vos, inquam, eſtis, qui facitis, ut præcipue mihi chara ſit hæc, quam nunc capeſſo, Profeſſio. Ipſi Vos noſtis, qua fide hucuſque in omnibus Vobis præiverim! Ipſi Vos mihi teſtes eſtis & conſcientiæ, quas appello, Veſtræ, quam procul abfuerim ab omni partium ſtudio: nunquam ego quenquam Veſtrum prehenſavi, aut rogavi, meis ut ſe adjungeret Auditoribus, nunquam ſeu minis ſeu pollicitationibus a Collegis meis Venerandis quenquam abſtinere laboravi. Conquiſitores ego mihi per ſubſellia ire nunquam juſſi; ſi quiſquam a meis abeſſet collegiis, illi negotium faceſſere animum meum nunquam induxi. Nunquam quicquam magis mihi curæ fuit, quam

ut

ut erga Deum & ſuperiores pietatem, ad ſedulo colenda ſtudia diligentiam, modeſtiam & ſobrietatem animis Veſtris inculcarem. Sed τί ἔπ δεῖ ἀπολογεῖσθαι? Sæpe animum meum ſollicitum habuerunt iſta Pauli: *Quæ audiviſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei futuri ſint, ut etiam alios doceant*. Ipſi Vos videtis, quales futuros Theologos, Theologiæ Studioſos Paulus requirat: Fideles vult, qui idonei ſint futuri aliis docendis. Id, quæſo, ergo tota agite mente, ut μυςήελον τῆς πίςεως habeatis ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. Quid enim, an alios iſtam docebitis calcare viam, quam, quæ qualiſve ſit, ipſi ignoretis? Fugienda dicetis, quæ ſectamini, ſectanda, quæ fugitis? Putatiſne Theologi munus eſſe ὑποκρίνεσθαι? Nihilminus. Ἡγούμενοι debent eſſe Theologi, præeuntes duces, quique ipſi ſuo exemplo alios queant erudire æque ac verbis. Turpius nihil eſt magiſque culpandum in Theologo, quam ſi eundem audias pie loquentem, videas vero male viventem. Exemplis Theologorum plus nocetur Eccleſię, quam doctrina hæreticorum. Si propitium Vobis Deum habueritis in Chriſto, Spiritumque Sanctum Vobis datum, nę ſentietis, quam fidus ille dux ſit in omnem veritatem. Multa Vobis ſunt luſtranda loca, ex quibus characteres merito Jeſu Chriſti impreſſos internoſcere diſcatis. Excutiendus eſt iſte ex oculis ſomnus, exigenda ex animo ſocordia, pectus rite pręparatum adferendum eſt, ut idonei ſitis Spiritus Sancti diſcipuli. Ne exſpectetis in Vobis fieri miracula, qualia in Apoſtolis aut aliis rudibus Prophetis a Deo ſunt patrata. Sic laboretis, ſic oretis, ut a Deo etiam aliquid habeatis, quod non *Furtiva Manu ab aliis ſurreptum* ad Eccleſię bonum adferatis. Makarius ſane ſcriptor pius iſtos hypocritas eleganter comparat ad pauperes, undique inſtructiſſima quęque vaſa mutua accipientes, deinceps pro ſuis illa jactantes atque oſtentantes, aſt, cum repetierint domini, rurſus, quod fuerant, pauperes.

Ignoſcite *Nobiliſſimi Studioſi*, acerbius monenti. Calcar Vobis addendum eſt, cujus Vos noſtis fodicationes, quales ſint. Habetis nunc, Deo atque Inclutiſſimo Senatui gratia, Profeſſorum Theologię numerum inſtructiſſimum. Qua in re ego Vos conſilio aut opera potero juvare, Vos tam promte non dixeritis, quam ego, ut efficiam, annitar.

Sancte Deus, conſerva univerſam Eccleſiam, eique hoc jube eſſe proprium, ut Verbum Tuum pie & caſte ſine omni καπηλείᾳ in ea doceatur. Conſerva fideles Magiſtratus Eccleſiæ nutritios. Tu tege hanc Urbem, ejuſque libertatem. Tu favore Tuo complectere illius Senatum. Fac porro floreat Gymnaſium. Da, ut Docentes & Diſcentes quęrant id, quod ſuum eſt, ſed quod maxime cedit ad Nominis Tui gloriam, Eccleſię ędificationem animarumque ſuarum Salutem.



DE

DANIELIS WULFFERI DISSERTATIO DE SICLO.

I. QUO infelici eventu, Judas Iſcariotes, Chriſtum Dei filium, mercede adductus, τῶν ἀρχιερῶν manibus ſceleſte tradiderit, Matthæus enarrat, Evangelicæ ſuæ hiſtoriæ *cap.* XXVI. v. XV. Ubi hæc ipſius verba ad ſacerdotes recenſet: τί θέλετέ μοι δοῦναι, κἀγὼ ὑμῖν παραδώσω αὐτόν; οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια. Quid ſint ἀργύρια, & quantum hoc ſit pecuniæ, videre lubet. In eo conſentiunt fere Interpp. quæ hoc loco ἀργύρια vocantur, fuiſſe certum monetæ genus, tum temporis commune, ac valde uſitatum; Uno verbo: Siclum. Quo nomine Hebræorum כסף Matthæum expreſſiſſe creditur. Id vero pro שקל uſurpant. Conſtat id inter alia, ex Gen. XXIII. *verſ.* XIII. quod Abraham dixerat כסף, paulo infra *v.* 16. nominat שקל. Unde LXX. כסף non tantum reddunt per ἀργύριον, Gen. XXIII. *verſ.* XIII. Gen. XLIII. *verſ.* 12. Sed etiam per σίκλον, & σίκλον ἀργυρίου. II. Reg. VI. *verſ.* 25. Marcus & Lucas pro ἀργύρια, habent ſingulare ἀργύριον. Beza in nota major. N. T. *rectius* fieri arbitratur, ſi ἀργυροῦς legamus, quod Joſephus *lib.* II. *Antiq.* ἀργυρῶν meminit, (quomodo & Septuag. Zach. XI. *verſ.* XII.) non ἀργυρίων, *ut aliquid ſubaudias*, ſcil. σίκλον. Joſephus enim, ait, appellatione ἀργυρῶν, ſiclos intelligit, ut ex *lib.* IX. *cap.* 2. patet, ubi ὀγδοήκοντα ἀργυρῶν νομίσματος (Nota in *verſ.* Septuag. eſt πεντήκοντα caput aſini æſtimatum ait, ſi conferatur cum II. Reg. VI. *verſ.* 25. Ubi Hebræus habet כסף, Chald. כסף LXX. σίκλος.

II. Quantum vero ſummæ id fuerit pecuniariæ? optime omnium conſtabit, ſi prius, quid ſiclus, cui ἀργύριον æquipollere diximus, enodemus. Ponderis genus eſt; & etiam, quæ communis magis eſt ſignificatio, monetæ; dictum Hebræis a שקל, quod *ponderare*, *librare*, ſignificat. Non inconcinne. A priſcis enim Hebræis, qui mos & Chaldæorum, & Syrorum erat,) non, ut apud nos, numerabatur pecunia diſcrete, ſed pondere potius examinabatur. Lucem id affert V. Inſtrumenti locis utplurimis: ita Gen. XXIII. *verſ.* 16. ubi Abraham, pro uxoris ſuæ Saræ ſepultura Ephrom 400 ſiclos dependiſſe dicitur. Quin etiam N. T. tempore, eandem adhuc duraſſe conſuetudinem, quidam ex allegato Matthæi loco colligunt, ubi de ſacerdotibus: ἔστησαν, inquit, τριάκοντα ἀργύρια: *appenderunt*. Ita Beza, & alii, moti eo, quod vox ἱστάναι, quando de pecuniis uſurpatur, ponderare ſignificet; unde σταθμός *trutina*, inquit Paſor in Lexico, Vulgatus, & Eraſmus, aliique reddunt per *conſtituerunt*. Neque vero hæc expoſitio nulla prorſus probabilitate nititur. Certe Lucas hic habet verbum συνέθεντο *cap.* XXII. *verſ.* 5. Marcus: ἐπηγγείλαντο *cap.* XIV. *verſ.* 10. Adde Theophilactum, per συνεφώνησαν explicantem. Quid? quod Hebræorum שקל, uſurpatum de pecunia, LXX. non ſemper per verbum ἱστάναι explicent, ſed Exod. XXII. *verſ.* 17. pro eo, quod in Hebræo eſt: כסף ישקל, in græco eſt: ἀργύριον ἀποτίσει. Et quod Eſa. LV. *v.* 2. eſt: חשקלו כסף, pro eo LXX. habent: τιμᾶσθαι ἀργυρίῳ. Heinſius tamen in Exercit. ſacris *pag.* 80. ut aliter ab hac poſteriore ſententia ſentiret, effeciſſe, ait, prophetiam, quæ huic loco reſpondet, Zachariæ nempe, *cap.* XI. *verſ.* 12. Apud quem, cum inveniſſent Helleniſtæ: וישקלו, voce ἔστησαν id expreſſerunt: καὶ ἔστησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργυροῦς, quemadmodum paſſim in Antiquo Fœdere, cum vocem exprimunt eandem. Vid. I. Reg. XX. *v.* 39. Ubi aliqua exemplaria τίσεις, aliqua στήσεις habent. Jer. XXXII. *verſ.* 9. 10. Unde ſi Waſero credimus, *lib.* II. *de Antiquis Hebr. nummis*, *cap.* 3. Symmachus, locum parallelum Zachariæ, reddidit: ἐστάθμισαν, pondere dederunt. Sed quid ſic fiat, quod bini teſtes, quibus itidem res cognita erat, ἔστησαν, quod Matthæus habet, per polliceri, ſeu promittere exponant? alii videant. Non neſcio, Marcum, de ipſa proditionis prima pactione, Matthæum vero, de pecuniæ pactæ ſecuta numeratione, quoſdam exponere. Ita Beza in h. l.

h. l. Quid? Si dicatur, appenſam fuiſſe iſtam pecuniam, præſente proditore, non, quod inde ſecum deportaret pretium abominandi ſceleris; neque enim veroſimile videri poſſet, ei, quem e diſcipulis Chriſti noſſent, principio ſtatim fidem habitam eſſe:) ſed quod hæc appenſa merces, illi promitteretur auferenda, tum, cum verbo ſuo fidem dederit; Propterea vero prius appenſam eſſe, ut conſpecta parata ſatis pecunia, proditionis mercede, citius in effectum daret, quod daturum ſe promittebat. Atque ſic in ſignificatione appendendi, Matthæus, Marcus vero & Lucas, conſtituendi, voce *ἔςησαν* uterentur.

III. Erat igitur, quod conſtat, ſiclus in uſu apud Hebræos, iſque uti putatur duplex: Sacer alter, Hebr. שקל הקרש LXX. *ἅγιος*, lege a Deo fuit inſtitutus ad res ſacras; videlicet ad tabernaculi vel templi ſtructuram & ornatum, ad S. Miniſterii apparatum & perfectionem, ad Numinis propitiationem, ſui cujuſque redemtionem &c. Waſer. *loc. cit.* in una facie habens imaginem urnulæ aureæ, (Flacius in clavi *pag. m.* 1135. Et Gregor. Gregori in Lex. Sancto *cap.* 427. *pag.* 402. Et Pagn. in Lex. voce שקל, contra fere omnes, arcæ imaginem fuiſſe ajunt) cum inſcriptione hac: שקל ישראל, non tamen hiſce Hebraicis literis, ſed characteribus in medio cavis, & diſſimilibus prorſus ab iſtis, quibus hodie utimur, &, ut quibuſdam placet, Samaritanis, quos videre licet ex tabula, qua depicta iſta numiſmata exhibuit Villalpandus, *Tom.* III. *lib.* II. *de pond. & nummis*, *diſp.* VI. *cap.* 21. In altera parte virgam Aaronis, cum hoc lemmate, characteribus iiſdem, quos paulo ſuperius diximus: ירושלים קרשה. Hunc conſtare ajunt, viginti geris ſcilicet obolis Hebraicis. Id quidem ex Joſepho, qui *lib.* III. *ἀρχαιολογ*: ſic ſcribit: *ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβραίων ὤν, ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας*. Hinc conſentiens citatur Heſychius, ſiclum ejuſmodi ſacrum appellans *τετράδραχμον ἀττικὸν νόμισμα*, & Rabbi Jechaias *lib.* quem inſcripſit שלשלת הקבלה *tract.* de monetis ſic ſcribens: *Cognovimus ex Cabbala, ſiclum ſacrum pendere 320. grana ordei in puro argenti.* Moneta Germanica ſemiſſem argentei uncialis, ſeu Taleri conſtituit, Saxonica hac noſtra præter propter zwölff Groſchen. Idem Hieronym. comment. in Ezech. *cap.* IV. S. Pagninus, in Lex. Maldonatus, Janſenius, & hodie plerique omnes.

IV. Alter vero ſiclus communis שקל של חול ſiclus profanus, ſive שקל המלך ſiclus regius, ad res duntaxat civiles & politicas adhibitus. Waſer. *loc. ſæpius cit. cap. V. Davidis*, ait, *tempore, & Salomonis filii ejus, ſicli hujus argentei communis ſignatura & inſcriptio in uſu fuiſſe creditur, ut in altera parte hoc conſpiceretur,* ירושלים עיר הקרש, *quin & arx expreſſa; in altera* דוד המלך ובנו שלמה המלך. Valore æquiparatur ſemiſiclo ſacro, moneta German. præter propter einem Viertelsthaler/ vel noſtra hac, 6 Groſchen/ teſtimonio itidem Heſychii ajentis: *δύναται δὲ σίκλος δύο δραχμὰς ἀττικάς*. Attica enim drachma quarta pars erat ſicli ſacri.

V. Summam igitur pretii, dati Judæ Iſcarioti, ex hoc duplici ſiclo plerique erunt. Nam cum *ἀργύρεον* & *σίκλον* unum & idem ſignificare volunt, perinde erit, ſive dicamus XXX. argenteis, ſive XXX. ſiclis Chriſtum veniſſe Judæis. In eo etiam conveniunt, quod ſit probabile, ſiclos fuiſſe ſacros datos Judæ, quod Waſer. quod *loc. cit.* clariſſime inde patere exiſtimat, *quod ii, quibus ſiclus ſacer peculiariter a Deo commendatus fuit, nempe primarii ſacerdotes dicantur cum Juda de pretio conveniſſe, & tranſegiſſe. Accedit & hoc quoque*, pergit, *quod hi argentei* XXX. *ſicli ſacri tetradrachmi, Atticas drachmas faciunt* CXX. *quæ mahne, h. e. minam Hebræis conſtituit. Ut hac ratione Salvator mina argenti, tanquam notabili ſumma pecuniaria, venditus eſſe intelligatur.* Secundum quem quidem computum, ſumma pretii dati Judæ, ad quindecim noſtræ monetæ Imperiales excurreret. Budæus, ut Janſenius habet *cap.* CXXVIII. *harm. Evang.* figuram hujus dati ſicli exprimit. Niſi fabula eſt, in æde Divi Johannis Lateranenſis, Pariſiis, Villalpandus, *lib.* II. *de pond. diſp.* IV. *cap.* XXX. ſimilem Romæ in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem, monſtrari teſtatur, oſtendi ait, argenteum unum, qui ex illis triginta eſſe dicitur, quos Judas in templum abjecit, habentem characterem diverſum a Romano denario. *Habet enim effigiem hominis non luſcam, eminente altera mala, ut Romana numiſmata viſuntur, ſed adverſam & integram, & a tergo floſculum, utrinque nullo indice, cujus pondus, quantum conjicere potuit*, dicit *fuiſſe didrachmum. Tales argentei, ſi fuerint* addit Janſenius *loc. cit. hi, quibus Dominus eſt venditus, ſumma triginta argenteorum, dimidio minor erit, quam dictum eſt*, dixerat vero quindecim florenos aureos) *nimirum ſeptem floreni argentei, & ſemis.*

Inde & Waſerus *loc. cit.* dubitat, ob id, quod in Græcia percuſſus ſit, & nominatim in Inſula Rhodo, quod vox græca: ΡΟΔΙΟΝ, ei inſculpta denotet.

Ta-

Talem vero nummum, vel unum, vel plures, vel omnes XXX. *Judæ proditori datos a* Judæis *fuisse, atque ita vel diversos, vel perégrinos nummos, qualis certe Rhodiensis iste fuit, credibile non videtur; quin potius per monetam gentis Judaicæ propriam, qualem Zacharias prædixit, Chrstum e Judæis natum, a Judæis, in Judæa fuisse venditum. Quod ipsum eo credibllius est, quod constat, Judæos id temporis quantumvis victos a Romanis & subjugatos, tamen licentia eorum ac permissione, nummos suos ac monetas proprias, vernaculo charactere, suis adhuc in commerciis; multo magis igitur in re Ecclesiastica, quam sub eis libere exercebant, habuisse, si non & cudisse*. Hæc Waserus.

VI. Cæterum in summa ista, quindecim Talerorum plerique acquiescunt. De eo tamen aliqui vehementer dubitant, an isti XXX. sicli fuerint sacri? propterea, quod ambigant, *rationibus non contemnendis*, ut Rivetus in *cap.* XXX. Exodi opinantur, an e scripturis duplex, publica autoritate constitutus siclus erui possit; alter, inserviendis sacris, XX. geris, alter, publicis & profanis usibus addictus, X. geris constans. Triplex ergo quæstio enascitur. I. An duplex fuerit siclus, sacer alter, alter profanus? II. An siclus sacer XX. geris constiterit, profanus X. III. An siclus sacer sacris tantum usibus fuerit addictus? Primam quæstionem quod attinet, pro ea *cap.* Exod. XXX. *vers.* 13. loqui existimant. Postquam mandaverat Summum Numen, numerandum esse populum omnem Israeliticum, addit: הפקדים כל-העבר על-, omnis qui in censu illo computabitur, puta a vigesimo anno, & supra, ut patet *v. seq.* 14. dabit מחצית שקל בשקל הקדש dimidium sicli secundum siclum sanctitatis. עשרים גרה השקל viginti gera est siclus. Luth. Es soll ein ieglicher der mit in der Zahl ist, ein halben Seckec geben nach den Seckel des Heiligthumbs. Ein Seckel gilt zwanzig Gerah. Inde patescit, quemvis numeratum, debuisse dare dimidium sicii. At cujus? Sanctuarii, scilicet, ut explicant, ejus, qui ad hoc peculiariter cudebatur, ut inserviret usibus sacris, proindeque siclus sacer dictus sive Ecclesiasticus. Quorsum iste προσδιορισμὸς בשקל, nisi ut innuatur diversitas alterius cujusdam sicli? Sane si dicam: me daturum alicui dimidium florenum v. g. Norimbergensem: aliud quidem monetæ genus significarem, quod itidem floreni nomine veniat, cujus tamen dimidium dare nolim. Nec aliud conciperet is, cui hæc dicerem: aut frustra adhiberi dicet eam determinationem, si unus & idem specie florenus, ubique oblineret. Sensus itaque verborum retinendus est, usque dum vel absurdum inde sequatur; vel alteri scripturæ loco evidenter contradicat. Alterum ergo siclum indicari volunt II. Reg. 14. *v.* 26. ubi similis προσδιορισμὸς additur ad siclum regium: nimirum Absoloni crines, ducentorum שקלים pondus explevisse dicitur: באבן המלך LXX. vocem אבן per σίκλον expressere, h. m. ἐν τῷ σίκλῳ τῷ βασιλικῷ. Chaldæus Paraphrastes habet במתקלה דמלכא ad verbum quidem: In pondere Regis. Optime nimirum ad mentem Vulgati, qui *pondere publico*, reddidit. Ita etiam Luther. Nach dem köuiglichen Gewicht, quomodo videretur generalius exprimere id, quod LXX specialius, nempe per σίκλον. Attamen משקל, vel מתקל, ש in ת mutato, (quæ literarum permutatio Chaldæis frequens) aliquando pro siclo sumi, ex II. Samuel. XXI. *vers.* 16. constat. Nam quod in Hebræo est נחשת משקל: Chaldæus vertit per סלעין דנחשא. LXX. σίκλον ὁλκῆς χαλκȣ̃. Ex quo ipso loco patet: fuisse aliquod siclorum genus, etiam ex ære cusum (Joh. Forsterus in dictionar. suo Hebræo, & ex eo Flacius in Clavi, voce siclus, etiam aurei cujusdam sicli meminerunt.) Judæis notum, procul dubio, diversum a siclo, cujus in Mose sæpius mentio fit. Unde hic, σίκλος ἀργυρίȣ dicicitur: ille, σίκλος χαλκȣ̃.

VII. De altero nec inter dissentientes satis convenit. Nicol. de Lyra in *cap.* XXVIII. Levit. *siclum communem majorem esse*, dicit, *siclo sacro*. Adducit in hanc rem ὁμόψηφον Rabbi Salomonem. Continere vero XX. obolos. Pagninus in Lexico suo: Siclum sanctuarii majorem, asserit, nempe XX. obolorum, cum communis, decem æstimetur. Cum Pagnino hodie fere omnes. Illud hic tantum difficultatis habere non videtur: Utrum alius fuerit siclus, a sacro diversus, alterius etiam valoris? Præterquam, enim, quod siclos æreos fuisse diximus, tanti, sine omni dubio, non valoris, quanti argentei sicli fuerunt: Id etiam ex sensu verborum quisquam fortassis hauriet, quæ eo inclinare videntur. Cum enim dicitur: Dabit quisque dimidinm sicli sanctuarii: Emphatice subjungitur: עשרים גרה השקל: Et porro: מחצית השקל תרומה ליהוה: Junius & Tremell. ה illud הידיעה exprimunt h. l. Ita enim: *Viginti obolorum est hic siclus*: Quam etiam emphasin secuti videntur LXX. κατ' τὸ δίδραχμον, τὸ ἅγιον. Εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον, τὸ δὲ ἥμισυ τȣ̃ διδράχμȣ, εἰσφορὰ κυρίῳ. Emphaticoterως alia exemplaria,

ad hæc verba: Dimidium ſicli, addunt: ὅ ἐςιν τὸ δίδραχμον, τὸ ἅγιον. Itaque verba potius in hunc modum vertenda veniunt: *Dabunt dimidium ſicli ſanctuarii, qui ſiclus continet* xx. *gera*. *Dimidium*, inquam, *hujus ſicli*, ſanctuarii, *Domino offeretur*. Atque ita clarior evadit verborum ſenſus, dualitatem ſicli, alteriuſque ab altero diſtinctum valorem inſinuans. Eſto exemplum: Imperator Romano-Germanicus, omnibus Imperii civibus hoc injungat: *Quiſque civium Imperii Romano-Germanici, dabit dimidium florenum, ſecundum florenum v. g. Noribergenſem, qui continet* xv. *paces*. *Hujus dimidium volo dari a quolibet*. Ad quid conferret iſte προσδιορισμὸς, & ſpecifica enumeratio valoris floreni Noribergenſis, ſi in tota Republica Romano-Germanica, idem valor eſſet omnium florenorum? Facilius enim longe & convenientius diceretur: *Quiſque civium Imperii dabit dimidium florenum*. Hæc igitur, ut diximus, quæſtio, adeo controverſa non eſt, quam illa: *An ſiclus alter, a ſacro diſtinctus*, x. *geris conſtiterit*? Utut enim obtinuerit quiſquam: Siclos variaſſe inter ſe, quantum ad valorem; Bina tamen hæc determinate ex loco Exodi dicto non conſtant: Primum, utrum ſiclus ſacer profanum quem ita appellant, an vero profanus ſive communis, ſiclum ſacrum valore ſuperaverit? II. Utrum ſiclus, profanus dictus, x. geris, atque adeo dimidio minor fuerit? Atque ut prioris etiam veritas manifeſta eſſet; ſive clarius, Ut conſtaret certo: ſiclum ſacrum majoris fuiſſe valoris, quod tamen, ut dixi, ex præſenti loco, non conſtat. Nec enim, ſi quidquam, plus innuitur, quam diverſitas valoris ſiclorum, addita expreſſione valoris ſicli ſacri; Inde autem id certo nondum ſequitur: Siclus ſacer continet xx. gera: ergo minor eſt ſiclus communis: ſ. clarius: E. ſiclus communis non continet xx. gera. Ut ut inquam, veritas prioris etiam manifeſta foret; De poſteriori tamen oriri dubitatio poſſet. Nam quemadmodum aliud eſt loqui: Titium eſſe Sempronio natu minorem; aliud: Titium eſſe natu minorem, duobus, aut tribus annis, quorum prius abſolute rem enunciat; poſterius determinatione addita; nec conſequens eſt, ut, qui priorem adſerat, qui, inquam, dicat: Titium eſſe natu minorem Sempronio; poſteriorem etiam velit: Titium eſſe natu minorem duobus annis Sempronio. Vapulabit enim a Logico, ita argumentaturus. Similiter aliud eſt; Siclum communem eſſe minorem Sacro; aliud: Siclum communem eſſe dimidio minorem Sacro; Neque quemadmodum ex affirmatione hujus, prior: Ita ex affirmatione prioris, poſterior ſequitur. Ponam autem priorem contineri loco Exodi dicto; de poſteriori fortaſſe dubitare licebit. Valentinus Schindlerus in Lex. ſuo Pentaglotto voce שקל, in communi uſu, populi Judaici, fuiſſe ſiclum aſſerit, quem Rabbinorum vocant, Sacro duplo minorem, ſed qui ad Sacras hiſtorias accommodari non poſſit. Adducit in hanc rem Baal-Aruch, in quo ita habetur: *Siclus Legis eſt* סלע, *& ſic Chaldaice redditur, continetque quatuor* דינרין *denarios*. רינר וזוז *denarius & drachma idem ſunt*. *Siclus* דרבנן *Rabbinorum noſtrorum, eſt dimidium* סלע, *& continet duos* דינרין *denarios*.

VIII. De Tertio: An ſiclus ſacer ſacris tantum uſibus fuerit addictus? Waſerus, *loc. cit.* adfirmativam ſuam facit. Nobis non videtur. Nec enim leviter in contrarium ducit *Ezechiel cap.* XLV., *verſ.* II. Monet ibi Juſtitia ipſa, ne principes populi ſui, eum prorſus deglubant, & rapinis iſtis, atque iniquiſſimo fœnore abſtineant, juſtis adhibitis ponderibus, & menſuris juſtis, nempe Epha, bato &c. & *verſ.* XII. pergit: השקל עשרים גרה ſubintellige quod ἀπὸ κοινȣ͂ repetendum: יהיה לחם. Siclus viginti gera apud vos valebit. Eo quippe deventum erat, quod poſt etiam *Amos* VIII. *cap.* dicitur: ut ſupponerent ſtateras doloſas, imminuerent menſuram, & augerent ſiclum, quod Cornel. a Lapide, & Franciſcus Ribera in h. l. fieri exiſtimabant, tum, *quando ſtateris doloſis uterentur, quarum videl. lanx altera, in qua appendendus erat ſiclus, ut videretur, an juſti eſſet ponderis, quem ementes pro merce empta ſolvebant, eſſet depreſſior & gravior, ita ut ſiclus, alioqui juſti ponderis, his doloſis ſtateris appenſus, juſto levior videretur; ac per conſequens, illi, drachmas aliquas argenti, ementes, adjicere deberent*. At vero de illo ſiclo loquitur, quem xx. geras continere vult, qui tum in uſu erat apud omnem plebem, quem pro ſua autoritate & arbitrio, iniqua divitum avaritia, augeret atque imminueret. Quomodo igitur ſiclus xx. geras continens, ſive, ſacer, ſacris tantum uſibus vindicari poterit, ſi coemendis, & vendendis rebus etiam aliis, adhiberetur? Deinde largitur Waſerus; ad reparationem Tabernaculi, ad S. Miniſterii apparatum &c. hunc ſiclum datum eſſe. Igitur, ſi opificum labor, illo ſiclo, remunerandus erat, & Architecti induſtria, partem ejuſdem, ſuis uſibus deportabat; quin etiam Sacerdotes, ſibi, ſuiſque, neceſſaria eodem comparabant, non videtur potuiſſe fie-

fieri, ut ſacris tantum uſibus inſerviret, nunquam in profanis & politicis contractibus, uſurparetur. Sed ſi ita eſt, inquis, cur ſiclus ſacer dicitur, & non communis? ſi, inquam, æque in communibus contractibus ejus uſus fuiſſet? Reſponſio ſuppeditatur ab ipſo Waſero: Nimirum ideo dicitur ſacer, vel quod ad ſacros etiam uſus traheretur, & pro redemtione ſua, ad reparationem tabernaculi, ad S. Miniſterii apparatum &c. pios ſcilicet, & a *Deo* ſpecialiter mandatos uſus, adhiberetur; Vel, quod S. Miniſterii autoritate, fuerit cuſus; Vel denique, quod in ſanctuario aſſervabatur; ut quamvis privatorum pondera, minima adjectione ſ. detractione, ſive ignoranter, ſive per induſtriam, immutarentur; norma tamen eſſet una certa, in ſanctuario ſacroſancta, ad quam pondera omnia, & menſuræ privatorum exigerentur. Quam denominationis rationem, dat Jacobus Bonfrerius, *comment.* in *Exod. cap.* XXX. Quod poſtremum, aliquam probabilitatem ſortitur, ex eo, quod antiquitus, menſuræ & pondera, in ſacratiſſima, unius cujuſque civitatis, Eccleſia cuſtodiebantur; Ita præcipit Juſtinianus in Auth. de Collatoribus, §. Eos autem. Et apud Romanos, amphoram Jovi Sacratam eſſe, ne a quoquam violaretur, autor eſt Fannius de ponderibus. Hinc & apud Julium Capitolinum, in Maximino Patre, legimus: Capitolinam Amphoram.

IX. Igitur in dictis Waſerum non ſequimur. Sed nec illud patet, quomodo, ſalva hypotheſi ejuſdem, ſacri Sicli fuerint, quos Judas Proditor accepit. Namque cum ſiclum ſacrum, ſacris tantum uſibus adhibendum fuiſſe, dicat; Qui factum. I. Quod Matthæus, redditos eos, a Juda proditore, ærario ſuo ſacro inferre, graventur? ita Evangeliſta: οἱ δὲ ἀρχιερεῖς, λαβόντες τὰ ἀργύρια, εἶπον, οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν. CXXVII. 6. Rationem reddunt hanc: ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι. Profanari nimirum exiſtimant ſuum κορβανᾶν, quod Luth. reddidit. den Gotteskaſten/ ſi illos ſiclos ei inferrent, eo quod pretium eſſet homicidii, ſive, quo coemta fuerit cædes hominis. Eos igitur religionis, & ceremoniarum ſuarum longe obſervantiſſimos, &, proculdubio, legis divinæ, ſi qua fuiſſet, de ſiclo ſacro, ſacris tantum uſibus deſtinando, non ignaros, communi totius Synagogæ conſilio, ſiclos illos daturos putabimus, cum eundem proditionis effectum, ſiclis communibus conſequi licuiſſet? non videtur. II. Deinde vero, quomodo ſacri fuerint ſicli? itidem dubitari poſſet ex eo, quod Judas *Sibi* pretium depoſcat. Τί θέλετέ μοι δοῦναι? inquit CXXVI. 15. Sive enim, quod quibuſdam placet, damnum, quod ex effuſione unguenti factum credebat, Magiſtri ſui pretio compenſare amabat; Sive ſuis aliis uſibus, & propriæ avaritiæ ſatisfacturus videretur: ex utroque patet, ſacris tantum uſibus inſervire non potuiſſe, illam proditionis mercedem; id quod ipſi Sacerdotes facile odorari potuiſſent eo, quod proprio auſu, excæcatus amore habendi, id criminis ſe perpetraturum, pollicebatur. III. Denique ipſos illos ſiclos, a Sacerdotibus ipſis, ad profanos & politicos uſus tractos eſſe; evidenter conſtat ex eo, quod agellum figuli coemmerint. Videatur *verſ.* VII. *cap.* XXVII. Συμβούλιον δὲ λαβόντες, ἠγόρασαν ἐξ αὐτῶν τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. Utut enim forte videatur id, per accidens, factum eſſe, quod politicis uſibus addixerint, nempe quia pretium ſanguinis erat; attamen I. conſtat, eoſdem ſtudio, iis ipſis ſiclis, cædem hominis, *Chriſti*, coemiſſe, atque ita ad hunc finem, ipſoſmet Sacerdotes uſurpaſſe. II. Idem metuendus fuiſſet abuſus ab ipſo Juda, ſi vel maxime eoſdem ſiclos, non reportaſſet ad Sacerdotes. Cui enim uſui fuiſſet iſta pecunia, Judæ, ſi in privatis commerciis non potuiſſet adhiberi? IV. Ratio vero a Waſero addita, infirma eſt, ut jam ex dictis pene conſtat. Nec enim conſequens eſt: Sacros ſiclos fuiſſe, quia a Sacerdotibus, quibus commendatus eſt ſacer ſiclus, dati fuerunt. Namque poſito: Sacrum ſiclum, peculiariter curæ ipſis fuiſſe: procul dubio, alios etiam ſiclos habuere, quos cœteris rebus ſuis comparandis, inſervire fecerunt; Quidni etiam hos dare potuiſſent? quod quomodo probabilius ſit, poſitis præſertim placitis Waſeri, ex dictis conſtat.

X. Altera vero Waſeri ratio, poſita ejus hypotheſi, æque dubia videtur. I. Nam ſtantibus iis, quæ dicta ſunt, notabilis iſta determinata ſumma pecuniæ, non conſtat, qua venditus ſit Chriſtus; nimirum XV. unciales; propterea, quod dubitari poſſe diximus, an ſicli fuerint ſacri? Quod ſi autem incertum eſt, ſacros fuiſſe; incertum etiam eſt, hanc ſummam noſtræ monetæ fuiſſe, quia Waſerus, ſacro ſiclo tantum adſcribit valorem dimidii uncialis. Ubi igitur pro certo non conſtat, fuiſſe XXX. dimidios unciales; pariter inevidens eſt, ſummam Judæ datam, (in unum computatione facta) ad XV. Imperiales excurriſſe. II. Quod de Mina argenti addit; adverte: Waſerum *lib.* II. *cap.* XVI. de *Antiquit. Hebræor. Nummis*, facere minam duplicem:

Com-

Communem alteram, alteram *sacram*; *Hanc, quæ duplo major sit communi, scil.* XXX. *Imperialium, cum illa communis sit tantum* XV. Atque hanc communem minam intelligit, quam dedisse Judæ Sacerdotes dicit. Enim vero, ubi certo constaret, apud Judæos, eo forte pretio accipi solitam utramque minam: Ita quidem Villalpandus *loc. cit. cap.* XXXII. se adduci, ait, in hanc sententiam, ut arbitretur, *servitutis tempore, diversarum gentium consuetudine, variis earum moribus, Hebræos imbutos fuisse, atque adeo diversa minarum genera suscepisse; minam videlicet drachmarum sexaginta, siclorum quindecim; alteram, drachmarum octoginta, siclorum viginti; tertiam, drachmarum centum, siclorum viginti quinque; quæ fuit maxime Athenis in usu, ac tandem apud ipsos Romanos*; Quomodo explicat locum *Ezech.* XLV. 12. dum dicit Propheta: *Viginti quinque sicli, viginti sicli, & quindecim sicli*, in unam summam collati, *mina erit vobis*, quasi dicat: *Sit aliis quindecim; aliis viginti; aliis vero viginti quinque siclorum mina; vobis, Domino etiam præcipiente, perpetua, eademque mina erit ex his omnibus collecta*. Attamen neutra ex dictis ab ipso apta, quæ exæquet pretium quindecim uncialium. Et plurimi adhuc sunt, qui duplicem fuisse minam, sacram alteram, alteram profanam, utramque ejus valoris, quem VVaserus reddit, nullo scripturæ testimonio ostendi, ajunt, quippe quæ alterius minæ argenteæ, quæ vel plus, vel minus, quam sexaginta siclos contineat, nuspiam meminerit. Cornelius a Lapide in *cap.* XLV. Ezech. *Alii*, inquit, *censent, unam, eandemque fuisse minam, sacram & profanam, sive templi & fori, vulgi & Sacerdotum*.





DE SICLO ARGENTEO

Brixiæ anno 1744. reperto in ea Civitatis parte quam ducentos ante annos Hebræi incolebant

JOH. HIERONYMI GRADONICI

CLERICI REGULARIS

AD BLASIUM UGOLINUM

Antiquitatum Hebraicarum collectorem atque illustratorem.

DISSERTATIO.

Miraberis fortasse, Vir. Cl., quod ego nullo cum sim eximio opere clarus, Te, nulla tibi prius necessitudine junctus, literis hisce meis appellem; sed mirari desine, tantos quippe animos mihi fecit divinum illud studium tuum, quo in Hebraicis ornandis rebus tam vehementer, ac diligentissime insudas. *Vera enim illa necessitudo est*, inquiebat ad Paulinum scribens S. Hieronymus, *& Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & divinarum Scripturarum studia conciliant*. Studia igitur hæc tua, quæ affinitatem cum meis habent, tuam mihi proculdubio necessitudinem conciliabunt. Illa statim utor, & observandam mitto εἰκόνα cujusdam signi Argentei recens Brixiæ detecti, ea in civitatis parte quam ducentis abhinc anni Hebræis incolebant, ad unguem expressam, adjecta mea quadam in illam elucubratione, ut Tu ingenue respondeas, quid de ipsa sentias. Onus hoc refugere non potes, utpote cui notum illud apprime sit *Deut*. 32. *vers*. 7. (שאל אביך ויגדך זקניו ויאמרו לך).

Id-

Idque eo libentius facio, quod mihi videor, hanc tibi mittens, quodammodo venire scitatum oracula Phœbi.



Hierusalaim Hakkidoscha Siacal Isirel
Jerusalem Sancta Siclus Israel

Hæc verba ut latine reddidi pondus etiam frusti attendendum esse putavi, quod aurificis libra pensum, mediam æquabat, minus duodecim scrupulos, unciam? Pharmacopolæ vero, vix unus ad mediam illam, quam Atticam Eruditi vocant, unciam scrupulus desiderabatur.

Alterum una Tibi a me venit munusculum a tuis pariter studiis non abhorrens: Tractatulus nempe Judaicam redarguens pervicaciam, qui si minus rationum novitate, vetustatis saltem illecebra tuum, ni fallor, animum oblectabit; millesimo enim Domini anno conscriptus dicitur, tercentesimum vero tricesimumquintum post annum ex arabico sermone latine redditus, regnante Summo Pontifice Benedicto XII., juxta quem annum corrigendus est annus numeris Romanis expressus in fine libelli. His præmissis, ad Siclum redeo, quem Hebraicum appellandum esse dicebam, de quo tres recensendæ essent sententiæ.

Prima affirmare posset, unum esse ex illis triginta denariis, quos Judas reportarat ex sui Magistri proditione, in cujus probationem nihil crederem afferri posse, nisi nonnihil convenientiæ nostrum inter Siclum, & illud ab Ant. Augustino Tarraconensi Episcopo relatum, (*Dial. de Numismatibus Tab.* I. *num.* 2.) quemque in Romano Cœnobio Sanctæ Crucis in Hierusalem maxima diligentia custodiri, & suismet se oculis inspexisse narrat ipse in altero ex suis circa νομίσματα dialogis. Hæc autem sententia nullos habere potest Sectatores; etsi enim concederetur, monetas Judæ traditas non ejusdem omnes fuisse rationis, in earum tamen album recenseri nullo modo posse eum nummum, vel ex eo post eundem Antonium Augustinum ostenderunt Viri docti, quod nec Jerosolymis, nec in Judea, nec in Syria sit cusus, sed in Insula Rhodo, propter vocem hanc grecam ΡΟΔΙΟΝ in ejus medio insculptam. Præterquamquod proditionis Judæ nummos istos ulla ratione ab aliis Judeorum Siclis distingui non posse, bene est ostensum ab Othone Sperlingio *Dissert. de Nummis non cusis c.* 20. *p.* 118. *Amstelodami* 1700. Unde fictitios eos habet, & quem Romæ in Æde S. Joh. Later. adservari affirmat Villalpandus *lib.* 2. *de Ponderibus dissertatione quarta, quam habes Tom.* III. *in Ezechielem pag.* 397. *Romæ* 1604., & qui Parisiis per vitrum ostenditur, & qui ab ipsomet possidebatur.

Altera sententia, etsi unum ex Judæ traditis nummis esse negaret, plurimi tamen illum faceret, utpote ab Hebræis sive ante captivitatem, sive ea soluta, Assamonæorum tempore conflatum, inque sui patrocinium adducere posset eximios illos triumphos, quos Arias Montanus Vir, si quisquam alius, Hebraicis in rebus peritissimus ediderat, nactus unum ex hujuscemodi siclis, quem aureis numismatibus posthabitis, dono acceperat pietatis causa, Tridenti agens, quum illic Concilium celebraretur, ab Episcopo Lestrigoniæ, idque adhuc *seu pretiosissimum* sunt hæc ejus verba, *& amici minus & certissimum veritatis antiquæ testem magni Thesauri loco servamus; cujus unius cognitione nobis in ponderum, & mensurarum ratione consolidanda veri disquirendi laborem ademit* (pag. 125. Tractatus de Mensuris qui extat ad calcem Antiquitarum Judaicarum ejusdem Montani Lugduni Batavorum anno 1593. Hunc postea nummum dono dedit Regiæ Hispaniarum Biblioth.). Opinionem hanc posset confirmare eximius locus, quem hi Sicli obtinent apud Hebræos, quandoquidem Gulielmus Postellus unum alioquin quincunciæ vix æstimandum, duobus nummis aureis se non potuisse ab illis redimere, affirmat (*in Alphabeto duodecim linguarum Parisiis edito*).

Tertia restat sententia, quæ non aliud hisce Siclis inesse tuetur pretium, nisi quod a statera pensante nanciscuntur, utpote qui confictos putet primis Christi seculis ab Hebræis, qui partim turpis causa lucri, partim Rempublicam restaurare, antiquamque nominis gloriam recuperare satagentes, plurima antiquitatem simulantia Opera fabrefecerint: hujuscemodi mercium magnam deinde copiam allatam fuisse a Christianis loca Sacra invisentibus, qui aliquid sive pietatem, sive antiquitatem exhibens, pro itineris memoria donum referre studebant; quam sententiam inter alios studiose est prosecutus Vagensellius, *Coment. ad Sota cap.* 4. *Misbne pag.* 578. *Altdorfdi Noricorum* 1674., qui addit, horum nummorum



rum effigiem perductam in Germaniam facile reperisse veneratores, qui alios ejusmodi cuderunt. Hinc ego puto ansam arripuisse doctos viros tot in veterem Judæorum monetam edendi commentaria, quos inter silentio prætereundus non est Otho Sperlingius, qui omnium vehementissime ita in Siclos istos eorumque inscriptiones invehitur (*lib. 1. pag. ibid.*) *nihil in re nummaria occurrere* illis *stolidius*. „ De eorum autem origine ita sentit -- *Hebraicarum*, *&* *Orientalium* linguarum studia in Occidente sunt admodum nobis nupera, nec ante Clement. V. in Concilio Viennensi Decreta Seculo XLV. frequentata. Ab illis temporibus, cum insudarent Christiani Hebraicis, Samaritanis, Syriacis, & Arabum literis perdiscendis hæc etiam nummorum mendicabula fascinarunt, quæ lucrum insigne Judæis pepererunt: nobisque imposuerunt facile credulis, ut in studiis admodum novis & inusitatis, quidvis arripientes, & Judæorum fidei semper sublestæ nimium tribuentes. Hinc tot nummi cusi, fusi, flati orbem impleverunt, ut cum nullos, aut paucissimos Orientalium aliorum videamus antiquos, Judaicæ antiquitatis fictæ tota plaustra supersint.

Quænam ex his tribus sententiis aut vera sit, aut vero proximior, tanti ego non sum, ut valeam judicare: *Res est incertæ plena alæ*, dicere solebat solertissimus veterum nummorum indagator Philippus a Turre Adriensis Episcopus (*Observationes in antiquum Lapidem tom. 28. pag. 135. Opusc. Calogera*) antiqua *monumenta refingere, & verba, sensus, mentemquæ Veterum Scrip. induere, eorumque ore velle loqui*. Quod monitum cum in aliis hujusmodi rebus, tum vero maxime in horum Siclorum investiganda ratione verum esse ipsi cognovimus. Unde eorum indagatoribus proclivis est lapsus, in alterutrum illud cæcitatis genus a Tertulliano in Apologetico notatum *ut quæ non vident quærant, & videre videantur, quæ non sunt*. Quamobrem prudentioris fortasse consilii fuisset sequi vestigia præclarissimi Equitis Ezechielis Spanhemii, qui in prima de usu, & præstantia numismatum dissert. (*tom. 1. pag. 12. Londini 1717.*) multiplicibus relatis de iisdem Hebræorum nummis opinionibus, maluit judicium cohibere, quædam contentus ad hanc materiam pertractandam opportuna dedisse monita. Nihilo tamen minus haud inutilem speramus futurum laborem hunc nostrum; quandoquidem verum esse arbitramur de hisce nummis, quod de omnibus generatim inspectis Spanhemius ipse confessus est, (*dissert. 2. pagin. 59.*) non aliunde certius, ac luculentius peti posse lucem præclaræ, aut reconditæ antiquitati, priscæ literaturæ tam Phœnicum, quam Græcorum, aut Romanorum, civili quoque, vel naturali scientiæ, tum vel maxime Historiæ, Chronologiæ Geographię antiquę Theologięque Gentilium. Quamobrem Cimelia hęc non solum pręstantiora ad sui considerationem, ac illustrationem traxere ingenia, sed etiam prę aliis, licet aureis probatęque antiquitatis numismatibus electa plerumque fuerunt atque comparata; quemadmodum fecisse olim Arias Montanus supra fuit a nobis commemoratum. Quocirca felices dici possent, si lętitię sensum haberent, hujuscemodi Sicli, qui adeo Principibus placuere adnotante Stephano Morino, *exercitatione de lingua primæva part. 2. cap. 9. pag. 273. Ultrajecti 1694.* ut in usum admissi fuerint, & exemplo deinceps dati Monetariis. Captum igitur, & me eorum voluptate ac utilitate, de Hebręorum Siclis expositam sub initium nactum occasionem, hęc pro virili disseruisse non pigebit.

Principio itaque cum Siclorum descriptione, quam Sacrę Paginę, Rabbinorumque commentaria tradidere, nostrum quoad fieri potuit, conferendum esse putavi: non enim alio modo Α'γνησιότητα sui Sicli compertam sibi esse ajebat laudatus Arias Montanus, quam comparatione facta cum Siclorum descriptione ab ipso lecta in Mose Gerundensi Hebręo Scriptore, qui ante annos nunc septingentos commentarium in Exodum elucubrarat.

Quatuor igitur expendenda, atque inspicienda mihi propono.

Primo Materies.
Secundo Signa.
Tertio Verba, eorumque significatio.
Quarto Pondus.

De Materia.

Siclum esse monetam, quas Scriptura commemorat, omnium vetustissimam, jam est a quamplurimis viris observatum; prima enim, quę monetarum in Scripturis occurrit, mentio illa est *Gen. 23. vers. 15.* ubi Abraham dicitur appendisse Hephron ארבע מאת שקל כסף *quadrigentos Siclos argenteos*. Porro hujusmodi Siclos non nisi argenteos fuisse omnium ferme Criticorum adversus Kircherium ita communis est ac trita sententia, ut Stephanus Morinus, *loc. cit. pag. 295.* argenteos & Siclos synonima esse haud sit veritus asserere, unde ado-

notatum scite fuerat a Briano Waltono *Tract. de antiquis Ponderibus pag. 39. Prolegomenon* Γόλυγλόττῃ *quod apud Hebræos quoties legitur argenteus sine adjuncto subintelligendus sit Siclus*. Hanc vero assertionem non ita intelligendam esse putarem, ut ex alio metallo sive aureo, sive ęneo apud Hebręos fuisse nummos neget, verum istos aliis nuncupatos fuisse nominibus, puta Gerha, Agoraha, Reschitah, Adarcon, Manee, vel Mina, dicerem cum Gaspare Vasero *Criticorum Sacrorum tom. 6. Amstelodami* 1698.

De Signis.

Rudine metallo cusa fuerit signisque distincta Moneta, pręcipue Gentis acta exprimentibus, statim ac illius usus apud Hebręos obtinuerat, nedum Arię Montani temporibus, quibus studia isthęc sua quodammodo habuere incunabula, sed adhuc etiam, licet in iis pręclara sese exercuerint ingenia, obscurum esse, atque incertum arbitror. *Si cette question*, inquit Augustinus Calmesius *Dissertation sur l' Antiquitè de la Monnoje Tom. 1. commentaire letteral sur la Genesi pag. 66. Paris* 1715. *Si cette question devoit se decider à la pluralitè de voix, le sentiment, qui veut, que dès le tems d' Abraham il y avoit de l' argent marquè & monnoyè l' emporteroit sans doute; mais dans une chose de fait comme celle-ci, on doit plutot peser les raisons, que compter les suffrages; il faut examiner le texte en sui-meme, & voir où les expressions de Moise nous conduisent naturellement. On ne remarque dans son texte que les noms des metaux d' or & d' argent; leur poids, leur puretè, & le cours qu' ils ont chez le marchands: mais tout cela ne dècide rien pour la marque de l' or ni de l' argent; on n' y voit jamay un mot qui prouve l' emprointe, la figure, ou la forme de cette monnoje. Les noms de Sicle, de Talent, de Gera, de Bèka sont des noms de poids, & non pas des noms de monnoje, le cours de l' argent chez les marchands n' est pas une preuve què l' argent fut marquè ou monnojè, puisqu' on connoit des peuples entiers encore aujourd' hui, qui trafiquent avec de l' or & de l' argent sans marquè: il faut donc conclure que les pàssages d' ecriture què nous avons touchè, ne prouvent pas que les Hèbreux du tems d' Abraham & des Patriarches ajent eu de l' argent frapè & monnoje*. Hanc eamdem sententiam eximia plane eruditionis copia Salomon Deilyngius propugnavit, istisque exposuit verbis *veteres Hebræi ante Assamonæos & ante captivitatem Babylonicam*, (observatione Sacrarum part. 3. pag. 224. Lypsiæ 1739.) *argento & auro signato non videntur usi*. Mihi vero & Calmeti & Deilyngii argumenta perpendenti, tanti non sunt, contrariam sententiam ut prorsus labefactent, atque evellant; non enim aliam mihi videntur habere vim, nisi quæ neganti argumento & conjecturis e remotissimo tempore petitis tribui solet, quæ vis quam sit exigua non est operæ pretium, ut a me dicatur. Conjecturis vero si esset pugnandum, suas educeret & quidem validas acutasque, affirmans opinio. Reliquis silentio præteritis illam duntaxat recenseo, qua in affirmantis propugnatione sententiæ Stephanus Morinus usus est (*l. cit. pag.* 271.). „ *Non* (*Hebræi*) ut cæteræ gentes rudi metallo initio usi „ sunt, sed statim signarunt, & ad memoriam rerum insignium primos suos „ nummos cuderunt, unde pecunia proprio nomine ipsis dicitur מטבע, hoc „ est impressum, sive res impressa, quod „ symbola semper impressa habuerit; „ Agnus v.g. ipsi potuit imprimi in memoriam Agni ad redemptionem Isaaci „ divinitus oblati; hinc *Estheris 9. v. 4.* „ moneta pro fama usurpatur in Paraphrast. Chald. scribitur enim in hebraico Textu de Mardocheo: magnus erat „ in domo Regis שמעו, & fama ejus „ pervadebat omnes provincias: atque in „ locum famæ Targum illud habet מטבעיה „ moneta ejus, nempe ad ejus famam „ propagandam cusa.

Multa conjecturæ huic, mea sententia, inest vis, ut pecuniæ, quam Græci νόμισμα vocant, signatæ usus probetur: certum enim est immensa quadam propagandi nominis, actionumque suarum insignium memoriam extendendi ad exteras gentes cupiditate flagrasse Judæos. Porro moneta signata ad hunc finem assequendum expeditissima est, atque opportuna, cum illatus per commercia nummus ut scite de Romanis eadem laudis gloria laborantibus observatum est ab Harduino (*dissertatione de moneta operum scelectarum pag. 186. Amstelodami 1709.*) posteros sui Autoris nomen doceat. Quamobrem moneta omnis ejusdem omnino si fuisset rationis, nullo distincta signo, quemadmodum Calmeto placuit, Deilyngio aliisque qui fieri potuisset, ut Josue fama esset per omnem Terram? Per *famam* enim intelligunt Rabbini monetam: (*Morinus loc. cit.*) ita illud *Estheris 9.* ubi de Mardochæo dicitur: *Magnus erat in domo Regis, & fama ejus pervadebat omnes provincias*, in locum שמעו *fama ejus* Targum habet מטבעיה quam vocem recte quis efferat, moneta ejus, unde in la-

latina ejusdem Targum versione redditur fama. Idcirco cum in Beresith Rabba *num.* 39. ubi illud *Josue* 6. 27., *& fuit Deus cum Josue, & fama ejus per omnem Terram, addatur, habuit monetam per orbem* plane videtur esse inferendum, nonnisi signatam fuisse Josue monetam; etsi enim illa Mardochæi dici posset sculpta in Urbe Regis Persarum, apud quem Mardochæum degisse vetus narrat historia; hoc certe effugium, ad Josue quod attinet, non habetur, utpote qui Judaicam Terram incoleret, quam sapientissimis suis consiliis, atque institutis moderabatur. Accedit etiam constantem fuisse Hebræorum traditionem, atque usum, decimas secundas non potuisse redimi, nisi per monetam signatam; etenim verba illa *Deut.* 14. *vers.* 25. וצרתה כסף vertuntur, significabis argentum; ita Rabbinorum plerisque locis in medium prolatis, affirmat Johan. Esgers in notis ad constitutiones Moisis Maymonidis *de Siclis cap.* 1. *pag.* 14. *Lugduni Batavorum* 1718.

Objici quidem posset silentium Scripturæ, atque ipsius Josephi, hominis Hebraicorum rituum enarratoris perindustrii & copiosi. Verum si quis e Rabbinorum penu contrarium ostenderet non contemnendam adhiberet responsionem. *Sic enim existimo*, liceat Danielis Huetii verba usurpare (*epistola ad Johan. Braunium in quæsitis, & respon. per Epist. Tom.* 2. *pag.* 207. *Florentiæ* 1738.) *vix satis Codicum Sacrorum sensus, Judæorumque priscos ritus, ac doctrinam percipi, & recentiorum quoque ineptias excuti posse, nisi Thalmudis recessus intimi explorentur*. Quod de Thalmude affirmatur ab Huetio, idem, & de aliis, probatis tamen, Hebræorum libris legere est in Præfatione quam Sotæ præmisit supralaudatus Vagenseilius, etsi cum ipsismet Rabbinis vehementissime pro Christiana Religione manus conseruerit; copiosius vero eadem res tractata est a clarissimo Blasio Ugolino Præfatione generali ad suum Thesaurum Antiquitatum Hebraicarum *Tom.* 1. *Venetiis* 1744. Enim vero in Bereschith Rabba, qui liber Judaicus 3. Christi Seculo fertur exaratus Paraścha 39. ita legitur apud citatum Morinum *pag.* 227. „ *Quatuor fuerunt*, qui emiserunt monetam „ per Orbem: Abraham prout dicitur: „ faciam te in gentem magnam *Genes.* „ 12. 2. habuit etiam monetam. Qualis „ autem fuit moneta ejus? Senex & vetula hic, juvenis vero & adolescentu- „ la illic erant. Josue, de quo legitur „ *Jos.* 6. 27. & fuit Deus cum Josua, „ & fama ejus per omnem Terram, habuit monetam per orbem. Qualis au- „ tem fuit? Taurus ab una parte erat, „ & in altera Unicornis, secundum *Deuteron.* 37. 17. Decor ejus ut primoge- „ niti Tauri, & cornua ejus, ut cornua „ Unicornis. David etiam: nomen ejus „ exiit in omnes terras 1. *Chron.* 14. „ 17. & habuit monetam in omnes Mundi regiones sparsam. Qualis autem fuit? „ Habuit in uno latere Virgam, & Peram, & in altero Turrim secundum „ *Cant.* 4. 14. Collum tuum, ut Turris David. Mardochæus, de quo *Esth.* „ 9. 4. Mardochæus autem magnus erat „ in domo Regis, & fama ejus volitavit per omnes Regiones, habuit etiam „ monetam. Qualis autem fuit? Saccus „ erat, & pulvis ab una facie, & ab altera corona aurea &c.

Ad hanc eamdem confirmandam sententiam adduci possent nummi sive Davidici ab Hottingero *de nummis Orientalium Tab.* 6. 2. 3., sive Abrahamitici a Wasero, sive Salomonis a Waltono, sive alii a peritis nummaria in re Scriptoribus recensiti. Ast ego arundineo innitere baculo, isti enim ab hodiernis ferme omnibus eruditis ad gertas germanas amandantur, cum putent, quemadmodum supra adnotabamus, non nisi post Christum natum, cum ad fallendam Christianorum devotionem, tum ad lucrum capiendum confictos fuisse ab Hebræis Loca Sacra habitantibus. Verum subdola isthæc industria non evincit, meo quidem judicio, penes Judæos non fuisse consuetudinem monetæ signandæ. Etenim aliud est affirmare, eorum monetas tanto temporis intervallo a temporum injuriis immunes custodiri non potuisse, & prorsus esse inverisimile talibus Symbolis, & characteribus fuisse distinctas: aliud probare, Hebræos signandæ Monetæ morem habuisse. Unum profecto stare posse mihi videtur sine alio. Quod in animum inducere sibi non posset aliquis, signa isthæc fuisse ab Abrahamo excogitata, facile ipsi ego assentirer, dummodo & hoc mihi concederet, vetustum esse apud Hebræos morem signandę monetæ; etenim quis mente concipiat, ut recte argumentatur Petrus Alixius *in epist. ad Ezechielem Spanhemium, quæ exstat operum Spanhemii Tom.* 1. *pag.* 74. artem nummos cudendi apud Judęos tam sero fuisse receptam, quorum Reges fuerunt potentissimi, & ditissimi, & qui maximis cum Regibus, quales fuerunt Ægyptii, Assyrii, Babylones florentissimisque cum Gentibus, maxime vero cum Tyriis commercia habuerunt, quod non nisi opera signatę monetę potest diu obtineri. Quamob-

obrem ſuppoſititia eſto ſint numiſmata iſthęc omnia quę nunc circumferuntur, adhuc tamen monetę ſignandę ab ejus origine fuiſſe apud Hebręos morem, adverſus Calmetum, Deilyngium alioſque non paucos, probabili ratione contendi poſſe exiſtimarem. Ita ſępe ex illis iiſdem nummis Alixius concludit. *Ex illis ſaltem patet* (loc. cit. pag. 75.) *a Judæis non creditum, artem cudendi nummos ſero apud Majores ſuos receptam*. Quibus conſtitutis, jam patet, noſtrum hunc Siclum non eſſe inter apocryphos amandandum, utpote qui probatę antiquitatis indiciis non deſtitutus. Tale enim eſt ſecundum monitum laudati Spanhemii *loc. cit. pag.* 12. Secundo inquit ipſe, *quod haud immerito pro nota Recutitorum indole, ac verſutia ſuſpecta eſſe omnino debeat nummorum id genus, qui ab iis prædicantur, aut proferuntur fides, ni accedant alia forte indicia, quæ vetuſtatem earumdem luculenter arguant*.

Plane vetuſtatis indicia huic Siclo non deeſſe, ex univerſa hac elucubratione apparebit.

De Verbis.

SI veteribus Hebræorum monetis inſculpta erant ſigna, verba non defuiſſe probabiliori affirmari poſſe ratione, opinio fuit Scipionis Maffei. (*Della Nazione Etruſca lib.* 2. *Tom.* 5. *delle oſſervazioni Letterarie Pag.* 259. *Verona* 1739.) *Sicli d'argento di pubblica, ed approvata moneta sborsò Abramo per una compra: è molto probabile non foſſero ſenza lettere. A tempo d'Esaù ſuo Nipote nelle monete era la figura d'un Agnello, come dal nome ben ſi raccoglie unito col luogo degl' Atti, ove ſi eſprime*, che fu prezzo d'argento (*Gen.* 33. 19.) *centum agnis, tanto più è da penſare, che ci ſaranno ſtate parole*, ita ipſe argumentabatur. Porro verba, quæ noſtro Siclo viſuntur formam exprimere characterum eorum, quibus hodie utuntur Hebræi, nullus dubito. Hinc tamen ejus de falſitate certiſſimum non pauci ſibi videbuntur capere hinc poſſe argumentum: Quippe quibus viſum eſt non aliis quam Samaritanis literis: (*Anglici Hiſtoriæ univerſalis Scriptores Tom.*2. *pag.* 579. *Hayæ* 1738.) olim Hebræos uſos fuiſſe: Atque ratione hac, ſuppoſititios duos illos habendos eſſe, quos ultimo loco Waltonus retulit in Prolegomenis a nobis ſub initium commemoratis, laudatus obſervationum Literar. autor hiſce verbis tanquam de Tripode pronunciat: *non laſceremo di avvertire che molti preteſi ſicli vanno per le mani con lettere non Samaritane, ma Ebraiche, o nè l'uno, nè l'altro, perchè ſon falſi, e però biſogna ſtare avvertiti di non laſciarſi gabbare. Son di queſto numero i due ultimi dal Walton addotti ne' prolegomeni alla Poliglotta, un de' quali è replicato dal Chiſhul nelle ſue antiquitates Aſiaticæ*. Conclamata igitur eſſe pro Hebraicis characteribus eximiorum virorum pugnantium opinio: conclamatum de noſtro, cęteriſque Hebraicos characteres pręſeferentibus ſiclis. At quæ pro Hebraicorum antiquitate characterum atque genuitate a peritiſſimis aliis diſputata ſunt viris, non ita flocci eſſe facienda arbitramur, ut extremæ inſaniæ, & imperitiæ ſit, putare, non alias fuiſſe apud Hebræos literas præter illas, quæ dicuntur Samaritanæ. Quamobrem & de noſtri exiſtimatione nondum eſſe deſperandum, ſpes affulget non exigua.

Porro de primitivæ linguæ immutatione in Babelicæ Turris everſione, deque literarum per Eſdram reſtauratione, de conſonantia & diſſimilitudine literarum Samaritanorum, Chaldæorum, Hebræorum, Cuthæorum literatorum opiniones utcumque ſe habeant, probabiliſſima eorum nobis videntur argumenta, qui docent, literas quibus modo utuntur Hebræi, ab iis quæ olim Aſſamonæorum ut minimum tempore in uſu erant parum aut nihil diſtare; quocirca ſub Machabæis qui diceret, noſtrum compactum fuiſſe Siclum, difficultas ex characterum forma depromta negotii ferme nihil ipſi faceſſeret; tueri quippe ſe poſſet autoritate libri primi Machabæorum *cap.* 15. *verſ.* 6. qua colligitur, Hebræis a Rege Antiocho Demetrii filio factam fuiſſe facultatem *ποίησας κόμμα ἴδιον νόμισμα*, quo eodem innixus loco Stephanus Morinus ita ſtatuit: (*loc. cit. Pag.* 285.) *nullus dubito, quin ad medium ævum Sicli plurimi.... Literis Judaicis inſcripti vel antiquiſſimi ſint, & antecedant captivitatem Babylonicam, vel recentiores ſint, & ad Machabæorum tempora plurimum referri debeant*. Quin imo laudatus obſervationum Literarum autor haud timuit ex hoc Antiochi loco inferre: *che quaſi tutti i Sicli ſon del ſuo tempo, e da queſto riluce quanto s'ingannino tanti grand' uomini in credere i Sicli, che abbino battuti avanti la cattivita Babilonica, e ſotto i primi Re, aſſerendo qui come s'intende della liberazione accennata nel libro de' Maccabei: ablatum eſt jugum Gentium ab Iſrael*. Maccab. 41. Quamquam licet horum de ſiclorum ætate liquido non conſtet, an ſtatim eorum inficiabimur γνησιότητα? an incerta fient quæcumque incertæ ſint ætatis? Jam ergo incerta erit mors Chriſti Domini. Ita acute Concilii Are-

Arelatensis genuitatem propugnabat in Epistola ad Jo: Baptistam Brullium laud. Huetius (*loc. cit. Pag.* 212.)

Porro qui in hujusce Sicli vindicatione sententiam hanc amplecteretur, non illam judicandus esset negare, quæ genuinos putat alios insculptos, sive essentialiter differant literæ ab Hebraicis, sive non, & quodemumcunque nomine eas appellare libeat, quas vocant Samaritanas Arias Montanus post Mosen Gerundensem seculi XIII. Scriptorem, Kircherius cum aliis non paucis, qui post tot sæculorum naufragia, ut scribit Villelbrodius Snellius (*de re nummaria lib. unico Tom. 9. Thesauri antiquitatum Græcarum Gronovii Pag.* 1584.) gloriamur istos Samaritanis literis distinctos omnium primos sub initium seculi XVI. fuisse detectos, quos inter principem locum dicitur obtinere semi-siclus æneus (fictitius certe) exhibitus a Jo: Villalpando (*loc. cit.*) quem percussum fuisse putat ejus editor tempore illo, quo totus circumcisus fuit populus, non primo quidem, sed secundo sub ingressum Palæstinæ; Non, inquam, judicandus esset hujuscemodi siclos explosurus, quos pro sinceris, & antiquis non potuit non agnoscere eques ille in cymeliis dignoscendis facile princeps Ezechiel Spanhemius (*loc. cit. Pag.* 66.) namque vel character uterque cum ab Hebræis, tum a Samaritanis ante horum a primis defectionem, quo tempore & Respublica, & Religio utriusque erat communis, promiscue usurpabatur: nullum enim hodie reliquum est dubium apud plurimas gentes varias non minus linguas, quam varia simul characterum genera obtinuisse, quo argumento insignis nummorum Samaritanorum probaretur antiquitas, utpote qui bis mille, & amplius abhinc annis cusi forent; vel obtenta ab Hebræis restaurandæ Jerusalem facultate, recuperataque, sub idem tempus proprio cuneo autoritate monetæ faciendæ, ipsis Hebræis placuit characteribus etiam Samaritanis Siclos aliquot insignire, ut veterum suarum rerum memoria revocaretur, captivitatis tempore quasi omnino abolita, utque posteris longævum relinquerent monumentum dominii illius, quovis ævo super Samaritanos ab ipsis exerciti, quæ Harduini fuit sententia (*loc. cit. Pag.* 601.) vel potuerunt Judæi cudere siclos illos aliqua in urbe Samariæ, quas Hebræi a Demetrio Rege obtinuerant, vel tandem aliqua de causa nobis hactenus occulta. *Je ne voudrois pas nier*, inquit Autor *cap.* XIV. *Tom.* 2. *Biblioteque Critique* Richardi Simonis (*Pag.* 404. *Parisiis* 1708.) *que les Juvifs sous les Princes Asmoneens, ou Macabeens ne se soient servis en quelques occasion des caracteres, que nous appellons Samaritains.*

Hac ratione acerrimas illas componi posse aliqua ex parte, quæ de varietate horum characterum sunt inter eruditos concertationes, existimarem: Neque obesse potest locus ex *cap.* 4. *vers.* 9. *Evang. Johannis*, ubi Samaritana Christo dare aquam refugiebat, quod Judæi non couterentur Samaritanis, quo ex loco maximam facit vim Deylingius, quibus ex verbis innui fortasse putavit Johannes Vatinianum illud odium quo adversus Samaritanos flagrasse dicuntur Judæi propter celeberrimam illam iniquo Jeroboami consilio X. Tribuum defectionem, propter quam a communi Sacrorum usu exclusi, dirisque devoti erant; namque duplex & expedita in promtu est responsio. Primum enim nihil vetat, quominus characteribus Samaritanis dicantur usi Hebræi, nulla licet eos inter fuisset consuetudo, nullum commercium, vehementissimisque invicem arderent odiis: eo ferme pacto, quo Indici Hieroglyphici a nobis usurpari possent, etiamsi nihil cum illis haberemus commercii, & etiamsi Vatiniano illos haberemus odio: Quandoquidem non est unquam, opinor, ut verbis utar Thomæ Katachesi in Dissert. de Stylo Novi Testamenti *pag.* 156. *ultrajecti ad Rhenum* 1698. *fando auditum, homines litteratos, rerumque cognoscendi avidos tantum gentis cujusquam odium occupasse & insedisse, ut ne in monumenta illius inquirere, si quid in usum suum esse posset; excerpere, atque in rem suam convertere ullo modo sustinerent:* deinde dici posset, constare quidem ex laudato Johannis loco, nullum Judæos inter, & Samaritanos commercium intercessisse tempore Christi, non vero Assamonæis florentibus.

Venio nunc ad sensum, quem verba illa præseferunt, nimirum ex parte urnæ *Siclus Israel*, ex parte autem Virgæ: *Jerusalem Sancta*. Hunc eumdem exhibere sensum multos ex Samaritanis, non desunt qui affirment; alii tamen alium sibi videntur videre. Non immorabor in variis istorum opinionibus recensendis, quandoquidem ad nostri Sicli sive illustrationem, sive genuitatem fere nihil conducunt; clara enim mihi videntur descripta in eo verba, quapropter haud exposita res difficultatibus illis, quas in legendis verbis suorum Siclorum sibi visi sunt vidisse Docti Villalpandus, Masius, Kircherius, aliique Viri. Illud mihi sat est, ut constet, perinde verba illa: *Siclus*

clus Iſrael: Jeruſalem Sancta, ac typum, Aaronis ſcilicet Virgam, & Mannæ urnam potuiſſe Judæos merito Siclis inſculpere. Certum enim eſt, Moſen Domini juſſu vas Manna plenum in Sancta Sanctorum intuliſſe, atque Hieruſalem quovis ævo Sanctam fuiſſe habitam a Judæis, Aaroniſque virgam amygdalinis florentem ab iiſdem repræſentari. Conſuetudinem fuiſſe laudabilem ſane apud Aſſyrios, Ægyptios, Medos, Græcos, Perſas, alioſque Populos celebriora eorum geſta ſive literis marmoreis, ſive ſignis, quæ longius in ævum perdurare ſolent, poſteritati conſignandi, res trita eſt, atque vulgata, ad quem finem obtinendum nihil eſt pecunia quemadmodum modo obſervabamus accommodatius. *Intellexere*, (inquit apposite Spanhemius *loc. cit. pag.* 23.) hoc *quod etiam hodie in publicis operibus, aut ſolennibus ſequior ætas eſt faciliter æmulata quicunque propagandi ad poſteros nominis, operiſque alicujus inſignis immenſa quadam cupiditate flagrarunt. Hinc vultus ſuos, aut res geſtas dignas ſæculorum memoria libris quidem, columnis, Saxis, Cippis, Tropheis, tabulis pictis, cereis, ſtamnis, gemmis, doreumatis, ſed tanquam iis non confiſi, aut velut intra certas quorundam locorum anguſtias coarctatis, nummis quoque conſignare voluerunt, aut certiori quodam ac ubique diffuſo, & parabili æternitatis pignore ſe ſuaque ab oblivione vindicarent*. Quapropter & eadem laboraſſe cupiditate Hebræos eſt paulo ante a nobis animadverſum; accuratiſſimos enim quacunque occaſione ſeſe oſtenderunt in conſignanda poſteris ſuarum actionum memoria. Porro nihil apud eam nationem, quam Vaſculum Mannæ Aaroniſque virga antiquius fuiſſe ex Sacro Codice clarum fit atque manifeſtum. Manna quippe e Cœlo divinitus miſſum etſi aliquando Judæis ſtomachum moverat, paſtis tamen illo copioſiſſime, typus fuit omnium bonorum cum ſpiritualium, tum temporalium, illudque præcipiente Deo, omni ævo duraturum juſſi ſunt in Arca Fœderis quam diligentiſſime, ac Sancte cuſtodire. Non me quidem præterit, nonnullis interpretationem hanc minus probari, unde ab Autore *de la Science de les Medailles pag.* 306. *Pariſ.* 1739. vocantur *dens gens moins inſtruits ſur ces materies*; ea enim plus ipſis arridet opinio, quæ putat repræſentari Thuribulum, quo thus in Sacrificiis adolebatur. Sed hac eadem in ſententia non minor apparet convenientia, quandoquidem ſymbolicum non minus, & myſterii plenum Thuribulum illud inveniemus. In memoriam. N. revocatur diligentiſſima illa prorſuſque ſingularis cura, quam Deus populo ſuo τῷ μαναείτῃ cultum ipſi imponendum præſcripſerat, nec non eximium ſtudium a populo in eo ſervando poſitum; per Virgam autem Aaronis probabile prorſus eſt innuere voluiſſe Hebræos non tantum florentem Sacerdotii Sacrique Miniſterii ſplendorem & dignitatem, quæ floruere ea in ditione Tribui Judæ celebri in diſtributione data, quæque ad adventum uſque Meſſiæ pedetentim imminuta ſunt, ſed etiam temporale longiſſimo extenſum intervallo dominium; Cum enim illa Sceptri loco conſignata fuerit Aaroni, utrumque; & temporale, & Spirituale Dominium deſignaſſe, a Petavio *Theologicorum Dogmaticorum lib.* 16. *cap.* 6. reclamante licet Huetio *Propoſitione* 9. *Demonſtrationis Evangelicæ*, probatum eſt; quandoquidem Moſem, cui שבט *Sceptrum* divinitus datum fuerat utramque adminiſtraſſe autoritatem, Sacra narrat Hiſtoria. Optimum igitur Judæorum fuit conſilium Aaronicæ Virgæ memoriam conſervare poſteritati; nam calumniantibus quibuſdam Sacerdotali Aaronis dignitati, viſa fuit Virga in Domo Levi germinans, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas efformati ſunt. *Num. cap.* 17. *verſ.* 8.

Quod ſi loco Virgæ Aaronis intelligamus Olivæ ramum, quam opinionem probabiliorem vocet Waltonus *loc. cit. pag.* 37. non minus aptam indicabimus arborem illam ad exprimendum quod in animo habebant Judæi, nimirum ramum fuiſſe lætitiæ ſignum, ac Numinis diluvii tempore placati; eoque ſigno uti etiam potuerunt ad deſignandam ſtatus reſtaurationem per Machabæos factam, ut putat Petrus Alixius *loc. cit. pag.* 74.

At enim verba illa *Siclus Iſrael* nulla ratione componi poſſunt cum Aſſamonæorum tempore, quo Siclum iſtum probabiliter fuiſſe compactum, ſuaderi poſſe hactenus creditum eſt. Namque Hebræi, captivitate ſoluta, non amplius Iſraelitæ dicti ſunt, ſed Judæi, nomine deſumto illa ex Tribu, quæ omnibus nominibus, excepto Sacerdotio, principem locum ſemper inter illos obtinuerat; quamobrem ſuos nummos rationi conſonum eſt putare, nummos Judæ, non vero Iſrael appellatos fuiſſe. Soli enim Iſraelitæ Samariam, vicinaſque regiones occupantes, potuerunt nuncupare ſuos Siclos *Iſraelis Siclos*; ex quibus conſequens eſt, Siclum hunc cuſum fuiſſe, vel ſtante adhuc utriuſque Populi ſocietate, vel Samaritanum eſſe dicendum, vel graviſſima laborare genuitatis fide. Primum & alterum

ab

ab iis, quæ hactenus a nobis disputata sunt, videntur abhorrere, restat ergo tertium, nimirum suppositititium esse.

Verum & ab hac difficultate, quæ viros cæteroquin doctissimos in contrariam traxit partem, expedire se quisque posset dicendo, æquam Judæis fuisse rationem vocandi hosce Siclos *Israelis Siclos*, sive quia, ut supra innuebamus, cura eos ceperat suarum præteritarum actionum memoriam seris nepotibus tradendi, sive quia Judæi præsertim Sacerdotes, Assamonæorum tempore non appellabant Regnum *Judæorum*, sed Regnum *Israel*; sive quia non sola Judæa parebat Summo Sacerdoti Simoni in civilibus, sed etiam urbes quædam Samariæ ejus ditioni adjectæ, sive quia in Spiritualibus universus Israel Summo Sacerdoti suberat; Hinc illa vox principum Sacerdotum cum Scribis, & Senioribus ad Christum *Matthæi 27. vers. 42. Si Rex Israel est descendat de Cruce*. Quæ tria a doctis Viris affirmata apta nobis videntur ad propositam opinionem ab hac difficultate vindicandam. Illud adnotasse juvabit corrosa fuisse temporum voracitate, & injuria numerica elementa, quibus consuevisse Judæos designare annum quo Siclus cudebatur: quam consuetudinem ad annum duntaxat quintum obtentæ per Asmonæos libertatis viguisse adnotatum est a Calmeto *loc. cit. pag.* 70. unde anni duntaxat 1234. aut quinque dumtaxat inveniuntur in Siclis.

De Pondere.

SED a difficilibus ad ea, quæ minus difficilia, & intricata videntur, gradus fiat. Cum quasi Semi-unciam argenti reddiderit Siclus noster, optime convenit cum veterum Siclorum pondere. Quatuor *n. Susis constasse Siclum testis est Rabbinus Kimchi: Susa autem inquit Georgius Sckvart* Tom. 2. Thesauri Sacrorum criticorum. *Valet Drachmam Atticam, seu denarium Romanum, qui efficit tres grossos misnicos*, & paulopost subdit in hanc conspirare sententiam omnes nummorum Hebraicorum Scripp. qui Siclum quatuor Drachmarum Atticarum faciunt, quibus dimidius Thalerus Imperialis æquatur, sive teste Aria Montano, due Veneti Mocenigi, sic dicti a Petro Mocenico Duce sub quo cusi sunt, teste Sansovino in ejus vita, solidisque Venetis (vulgo Marchetti) viginti singuli existimabantur.

Jam vero aliqui cum distinguant Siclum Sanctuarii a Siclo profano, qui teste supralaudato Johanne Esgers *loc. cit. pag.* 2. vocatur Siclus Provincialis & Regius, cujus pondus est quadrans Thaleri Imperialis, Sacer autem dicitur duplo major, quæri posset cujusnam rationis hic noster dicendus esset? Cui interrogationi, ista etiam omissa Siclorum distinctione, a qua vehementissime abhorrent Stephanus Morinus, & Sperlingius, quamque a Rabbinis inventam dicit Deilyngius, aliique Summi viri; tamen non nisi Sacrum appellandum esse responderem, cum certum sit, Siclo Judæorum non minus a Rabbinis, quam a Josepho, & Philone quatuor assignatas fuisse drachmas, ut videre est apud omnes de veteri moneta agentes; minuta vero illa, quæ in nostro desiderantur corrosa fuisse loci, temporisque, incommodis, vero est simile, sed olim statum coæquasse pondus, nullum relinquit dubitandi locum eximia religio, qua Hebræi Siclis utebantur, quandoquidem suam pecuniam cum ipsi non numerassent, sed ponderassent, ut vel ipsa vox שקל suadet, loco turpissimi criminis habita fuisset quæcumque pretii Siclorum fraus, aut imminutio. Accedit etiam quod Sacrilegii reus damnatus fuisset, quicumque talem intulisset diminutionem; nam omnes ut optime adnotatum video apud laudatum Ugolinum *Tom. 1. pag.* 34. ad codicem de die expiationum, dimidium Siclum afferre in Sanctuarium debebant, juxta illud, quod habetur in Cod. Sexalim cap. 1. ibidem relatum. *Ad dimidium Siclum quod attinet, lege cautum est dare dimidium monetæ tunc temporis in usu, licet illa moneta ponderosior sit Siclo Sanctuarii, non autem licet unquam solvere minus, quam dimidium Siclum, quo tempore Mosis Magistri nostri fuit in usu, cujusque pondus est 160. granorum bordeaceorum*.

Deinde ex charactere, quem noster præsefert Siclus haud leve desumitur in eamdem rem argumentum. Duplicem non fuisse apud Hebræos characterem, viri docti probarunt: unum Sacrum, quo libri Sancti conscribebantur; prophanum alterum; primum magis accessisse ad Chaldaicum, alterum ad Samaritanum, scribit Petrus Alixius in Epistola ad Spanhemium; *Introductionis ad Grammaticam Orientalem editam 1539.* jam vero potius Chaldaicum, quam Samaritanum dicendum esse hujus Sicli characterem, per se patet; hinc deducitur hac etiam ratione Sacrum dicendum esse Siclum, utpote charactere sacro signatum.

Hæc ego dicebam disputari posset de siclo Brixiæ detecto. Fictitius quidem esse potest, at quidni & genuinus? Quod si de tot aliorum Populorum, Machabæis ni-

nihil minus antiquorum νόμισμάτων recens detectorum veritatem nihil a majori Sapientum parte ambigitur, cur de Siclorum genuitate ambigemus? eo vel maxime quia annis triginta circiter supra centum ante humani generis reparationem extitere Assamonæi, sub quibus Siclos, qui nunc extant compactos fuisse, eruditissimorum, ut alias observavimus, fert opinio. Quod si expressum velis nostrum Siclum recentiori ævo, ad exemplum alterius vetustioris; hoc unum si concedatur, plurimi faciendum esse, non est qui ignorat. Divinas haud illas habemus paginas, quas ipsi conscripsere cum veteris, tum novi Testamenti Sacri Scriptores, ergo ne minus ipsis tribuendum est honoris & fidei? Quonam innixi fundamento affirmare possumus, quæ ipsi exaravere volumina Virgilius, Titus Livius, Ignatius Martyr, Policarpus, Iræneus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, aliique Autores ad nos pervenisse? nihilo tamen minus, quis hodie est Literatus vir, qui non irrideat contemnatque, illius opinionem, qui veterum monumentorum fidem imminuit?

Hæc, inquam, dicebam disputari posse de hoc nostro Siclo, qui locum obtinere merito potest eos inter ab Italis commemoratos, hoc enim genere elegantiarum, non minus, quam alii cymeliorum generibus Italia nostra abundat. Primus (*quod obiter scopo meo haud absonum adnotes velim*) ex Theseo Ambrosio *Introductionis ad Grammaticam Orientalem editam* 1539. mihi innotuit, flocci tamen faciendus, utpote unus ex illis, quorum supra meminimus. Inciderat alter in manus Laurentii Pignorii, qui in aliis licet antiquitatum monumentis haud mediocriter versatus, in istis tamen peregrinum se prorsus ostendit in Epistola Romam Paulo Gualdo missa, atque Patavii scripta die 4. Januarii 1608. hoc ipso anno Venetiis edita in Libro cui Titulus: „ *Lettere d'Uomini illustri, che fiorirono nel principio del Secolo non più stampate*: le mando un disegno di certa moneta Ebrea acciochè la consulti col Padre Villalpando, che stà costì nel Collegio Romano, e mi dica poi la sua opinione, cioè che moneta è, che dicono le Lettere, che figure sono il Rame, ed il Vase, e cose simili: " Cujusnam autem rationis fuerit Siclus ille Pignorianus, ne conjectura quidem assequi potui, illius enim memoriam nullam extare in Collegio Romano fidem mihi fuere Romani Patres S. J. Sed qui primas ex nostratibus obtinere videtur, laudandus est Marchio Maffejus, utpote qui loco modo recensito quatuor e suo Museo in lucem protulit Siclos, uberrimeque de iisdem disputavit.


Cum vero Siclus hic noster adeo similis sit illi, ut ovum ovo similius esse non possit, quem anno 1604. Romæ dederat laudatus Villalpandus *in apparatu Templi Jerosol. sub num.* VIII., placet mihi huic, qualis demumcunque sit, elucubrationi finem imponere illis verbis, quibus perbrevem sui Sicli interpretationem, & ipse concludit Villalpandus *loc. cit. pag.* 392. „ Etsi suppotitius nummus aliquibus videatur tamen quod ad ejus vel antiquitatem, vel veritatem spectat, liberum unicuique relinquitur, quod volet existimet, nonnullis tamen ducti rationibus illum prætermittendum non fuisse existimavimus. "

Ergo ut ad Te revertatur, unde exorsus est sermo hic meus, ne dedignere precor Cl. Ugoline, laborem hunc meum legere, atque retractare, Tua dignum eruditione non esse, ego ipse intelligo; quippe in eo neque mihi ipse placeo, neque in hoc exercitationum genere me debere versari, unquam existimabam, sed vere inquiebat Cl. Brixianus Benedictinus, & Episcopus Fulginates Isidorus Clarius *in Epist. ad Julium Mantuanum pag.* 4. *Epistolarum Mutinæ* 1705. *Multa aggredimur sæpenumuro, quæ si desit necessitas ne cogitare quidem audeamus*. Quandoquidem & rationi & tempori mihi fuit serviendum.

Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda Deo. Vale.

Datum Brixiæ Non. Septemb. MDCCXLIV.

SAN-



SANCTI EPIPHANII LIBER DE PONDERIBUS & MENSURIS.

Εἴ τις δὲ θέλει τὴν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς εἰδέναι τὰ πρὸς πολυπειρίαν μέρη, λέγω δὴ περὶ μέτρων, καὶ σταθμῶν, τούτῳ τῷ ὑπομνηστικῷ ἐντυχάνειν; μὴ κατοκνείτω. καὶ πρῶτον μὲν δεῖ εἰδέναι τὸν φιλολόγον, πόσα τυγχάνει ἐν ταῖς Προφητείαις μέρη. εἰς δέκα γὰρ διῄρυνται θεωρίας αἱ Προφητεῖαι, οὕτως περιέχουσαι· διδασκαλίας, θεωρίας; προτροπὰς, ἀπειλὰς, ὀλοφυρμοὺς, θρήνους, εὐχὰς, ἱστορίας, προῤῥήσεις. παράκεινται δὲ ταῖς αὐταῖς προφητείαις σημεῖα ταῦτα, (a) Y περὶ τῆς ἀποβολῆς λῆς τοῦ προτέρου λαοῦ. ∼ περὶ τῆς ἀποβολῆς τοῦ κατὰ σάρκα νόμου. V περὶ τῆς καινῆς διαθήκης. ∈ περὶ τὴν ἐθνῶν κλήσεως. + περὶ Χριστοῦ. § περὶ ἐπαγγελιῶν τοῦ προτέρου λαοῦ. ζ περὶ τῆς ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς ἀσαφείας. V περὶ μελλόντων προγνώσεως.

Ἐπειδὴ δέ τινες κατὰ προσῳδίαν ἔστιξαν τὰς γραφὰς καὶ περὶ τὴν προσῳδῶν τάδε· ὀξεῖα ´. δασεῖα ʽ. βαρεῖα `. περισπωμένη ῀. ἀπόστροφος ʼ. μακρὰ ——. ὑφὲν ‿. βραχεῖα ᴗ. ὑποδιαστολή, . ὡσαύτως καὶ περὶ τῶν λοιπῶν σημείων, περὶ ἀστερίσκου, ⋇. ὁ

(a) *In Regio est* ∇.

I. Si quis est forte, qui hoc intelligere velit, quod in Sacris literis usitatissimum est, mensurarum videlicet, ac ponderum rationem, hunc, quem aggredimur, Commentarium percurrere ne gravetur. Atque illud imprimis studiosus quisque cognoscere debet, quod sint in Prophetarum scriptis orationum genera. Nam in decem sententiarum species Prophetici Libri dividuntur; quæ sunt hujusmodi: Doctrina, contemplatio, cohortatio, minæ, commiseratio, lamentatio, preces, historica narratio, prædictio: ad easdem Prophetias adjuncta sunt hæc signa: Y prioris populi repudiationem significat: ∼ legis carnis abjectionem: V ad novum Testamentum pertinet, ∈ ad vocationem gentium, + ad Christum refertur, § priori populi promissis adhibetur, ζ quod in sacris literis obscurum ac difficile est exprimit, V futurorum præscientiam.

II. Sed cum nonnulli Sacras literas accentibus distinxerint; de iis sic habeto. Acutus est ejusmodi ´. Asper ʽ Gravis. ` Tenuis ʼ. Circunflexus ῀. Apostrophe ʼ, Longa ——, Hyphen. ‿ Brevis ᴗ. Hypodiastole. Atque ut de cæteris quoque generibus disputetur, primus occurrit Asteriscus, cujus hæc est for-

ἀστερίσκος οὗτος ἔνθα παράκειται, σημαίνει τὸ ἐμφερόμενον ῥῆμα ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κεῖσθαι, καὶ ἐμφέρεσθαι παρὰ Ἀκύλᾳ, καὶ Συμμάχῳ, σπανίως δὲ καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι. οἱ δὲ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ παρῆκαν, καὶ οὐχ ἑρμήνευσαν, ὡς δισσολογουμένων τῶν τοιούτων λογίων, καὶ ἐκ περισσοῦ ἀναγινωσκομένων. λεκτέον δὲ διὰ βραχείας λέξεως, εἰς τὸ ἀπὸ ταύτης περὶ τῶν λοιπῶν σε γνῶναι. κεῖται ἐν ἀρχῇ τῆς γενέσεως, οὐαεεεὶ Ἀδὰμ σαλωεὶμ, σαμηωθσανᾶ. ὃ ἑρμηνεύεται, ᾧ καὶ Ἀκύλας ἠκολούθησε, καὶ ἔζησεν Ἀδὰμ τριάκοντα ἔτος, καὶ ἐννακόσια ἔτος. ὅθεν οἱ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ ἐξ Ἑβραίων ὁρμώμενοι, καὶ ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων τήν τε τῶν Ἑβραίων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων ἀκριβῶς πεπαιδευμένοι φωνὴν, οὐ μόνον τὴν ἐκ τῆς Ἑβραΐδος εἰς Ἑλληνίδα ἡρμήνευσαν γραφὴν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐν τῇ Ἑβραΐδι διὰ δισσολογίας ἐκφωνουμένην διάλεκτον τῇ τρανότητι ἑρμηνεύοντες παρήγαγον. καὶ ἀντὶ τοῦ εἰς δύο τόπους * κεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ ἔτους ἑνὶ τόπῳ χρησάμενοι, τὴν δοκοῦσαν εἶναι βόμβησιν, εἰς λειότητα μετέβαλον, φήσαντες· ἔζησε δὲ Ἀδὰμ τριάκοντα, καὶ ἐννακόσια ἔτη. οὔτε ἐλλιπές τι ποιήσαντες τῷ λόγῳ, ἀλλὰ καὶ εἰς τρανότητα κατέστησαν τὴν ἀνάγνωσιν, ὅπερ ἐν τῇ Ἑβραΐδι οὐ δύναται διὰ τῆς συντομίας λέγεσθαι οὕτως, ὡς οἱ ἑβδομηκονταδύο λέγουσιν, ὅτι ἔζησεν Ἀδαμ τριάκοντα καὶ ἐννακόσια ἔτη· οὔτε τῇ Ἑλληνίδι, ὡς ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσεν ἐξ (a) ἐπιστολῆς, λέγων, ἔζησεν Ἀδὰμ ἐννακόσια ἔτος καὶ τριάκοντα ἔτος. ὁρᾷς γὰρ, ὦ φιλολόγε, ὡς ἀπρέπειαν παρέχει τῷ λόγῳ, οὐ τῇ τρανότητι τοῦ λόγου προσέχων, ἀλλὰ τῇ τῆς δευτερολογίας ἀκριβείᾳ. καὶ ἔδοξε τοῦτό τισι, παρὰ μὲν τοῖς ἑβδομηκονταδύο ἐλλιπῶς κεῖσθαι, παρὰ δὲ Ἀκύλᾳ, καὶ Συμμάχῳ, καὶ ἄλλοις ἐκθέτεσιν (b) ἐλλιπῶς ἡρμηνεῦσθαι· ὅπερ οὐδὲ παρὰ τοῦτο ἑβδομηκονταδύο ἐνέλιπεν. ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν περὶ Ἀκύλαν μετὰ καὶ τῆς κακοφωνίας περισσῶς κεῖται, ἐν δυσὶ τόποις ἀνθ᾽ ἑνὸς, τουτέστιν ἀντὶ τοῦ ἔτη, ἔτος, καὶ ἔτος. διὰ τοῦτο ἐν ἑνὶ τόπῳ τὸ τοῦ ἔτους ὄνομα οἱ ἑβδομηκονταδύο παρέλιπον. ἐλθόντων δὲ μετέπειτα τῶν περὶ Ἀκύλαν, καὶ τὰ ὑπὸ τῶν ἑβδομηκονταδύο παραλειφθέντα ἐκδεδωκότων, ἐδόκουν εἶναι περιττότερα. Ὠριγένης δὲ μετὰ ταῦτα ἐλθὼν ἀποκατέστησε τῷ ἑκάστῳ τὸν ἐλλείποντα λόγον. ταρέθετο δὲ αὐτῷ τὸ ἀστερίσκον. οὐχ ὡς χρείας οὔσης τοῦ πάντως ζητηθῆναι τὸν λόγον· περιττὸς γάρ ἐστιν, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ παραλείψῃ Ἰουδαίοις, καὶ Σαμαρείταις ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις Ἐκκλησίαις θείων γραφῶν, μηδενὸς ἐπιληψίμου πράγματος ὑπάρχοντος κατὰ τῆς πίστεως ἐν τοῖς ἀπεστερημένοις λόγοις. περιττοὶ γάρ εἰσι, καὶ δισσολογούμενοι, ὡς ἀπὸ τῆς ἀναγνώσεως ἐδιδάξαμεν, περὶ τοῦ Ἀδὰμ, καὶ τῆς αὐτοῦ ζωῆς·

(a) ἐξ ἐπιπολῆς. (b) ἐλλιπεῖς.

forma ⁜. Is ad quamcumque vocem apponitur, eam in Hebræo contineri, & ab Aquila, & Symmacho, expreſſam, raro etiam a Theodotione, ſignificat: eandem vero a LXXII. Interpretibus ſine interpretatione prætermiſſam; quod in illis ipſis locis eædem voces bis ac ſupervacue repetantur. Quod quidem paucis modo declarandum eſt, ut ex hoc uno cætera cognoſcas. Sub initium Geneſis Hebraice iſta leguntur: *Ouaeeei Adam Saloſim Sameothſana*. Quod ita, poſſumus interpretari, ut & Aquila reddidit: *Et vixit Adam triginta annis, & nongentis annis*. At LXX. Interpretes ab Hebræis oriundi, & a teneris unguiculis Hebraicis literis, imo & Græcis apprime perpoliti, non ſolum Hebraice conceptas ſacras literas Græco ſermone reddiderunt: verum etiam iis in vocibus, quæ in Hebræo repetitæ, ac geminatæ ſunt, perſpicuitatis rationem habendam putarunt. Quare cum bis annorum nomen inculcatum illo loco ſit, ſemel duntaxat adſcribentes, inconditum neſcio quem ſonum ſtridoremque mollierunt. Sic enim verterunt: *Vixit autem Adam triginta & nongentos annos*. Ita neque quicquam orationis integritati detraxerunt, & eam nihilominus apertiorem clarioremque reddiderunt. Quod in Hebræo tanta exprimi brevitate nequit, quam LXX. præſtiterunt. *Vixit Adam triginta, & nongentos annos*. Sed nec in Græco; quemadmodum Aquila ſuperficie tenus interpretatur: *Vixit Adam nongentos annos, & triginta annos*. Vides enim, opinor, quiſquis es ſtudioſus, quam inſulſam ac rudem orationem conceperit, dum ſuperſtitioſa diligentia idem repetere vocabulum maluit, quam lectionis perſpicuitati, ac facilitati conſulere. Atque iſtud ipſum apud LXXII. Interpretes deſiderari nonnulli ſentiunt; quod apud Aquilam, & Symmachum, ac cæteris editionibus ſuppletur: cum ne apud LXX. quidem deſit aliquid. Nam apud Aquilam non ſine vitio pronunciationis duobus eſt in locis otioſe poſita vox, cum in uno redditam eſſe ſufficeret: annos, inquam, & annos. Quæ ratio LXX. Interpretes adduxit, ut ſemel annorum vocem adſcriberent. Secundum hos Aquila, cæterique ad interpretandas Scripturas accedentes cum ea, quæ a LXX. prætermiſſa fuerant, edidiſſent, otioſa, ac ſupervacanea illa ſunt habita. Succeſſit his Origenes: qui unicuique loco quod deerat adjunxit, eique aſteriſci notam appinxit: non quod addita illa vocabula admodum neceſſaria ſint, cum ſupervacua videantur: ſed ne Judæis ac Samaritanis ullam calu-

ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ βραχυτάτου λόγου δυνατόν σε τοῖς λοιποῖς ἐπιστῆναι λόγοις, ἔνθα οἱ ἀστερίσκοι παράκεινται. ἵνα δὲ καὶ τοῦτο μάθῃς, διά τι ἀστερίσκους παρέθετο τοῖς λόγοις τούτοις, ἀφθόνως καὶ τοῦτο λέξομεν. ἐπίστασαι τοῦτο, ὦ ἀκροατὰ, ὅτι ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ οἱ ἀστέρες εἰσὶ, κἄν τε ὑπὸ νεφελῶν ἢ ἡλίου καλυφθῶσι· τούτῳ τῷ νοήματι ὁ τοῦτο ἀστερίσκους παραθεὶς ἐποίησεν, ἵνα σοι (a) δόξῃ, ὅτι οἱ λόγοι, οἷς παράκεινται οἱ ἀστερίσκοι, πεπήγασι μὲν ἐν ταῖς Ἑβραϊκαῖς λέξεσιν, ὥσπερ οἱ ἀστέρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ, ἐκαλύφθησαν δὲ ὑπὸ τῆς ἑβδομηκονταδύο (b) ἑρμηνείας οἱ ἀστέρες ὑπὸ τῶν νεφελῶν καλύπτονται. αὕτη ἡ ὑπόθεσις τοῦ ἀστερίσκου.

Τοῦ δὲ ὀβελοῦ τὸ διήγημα τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον· ὀβελὸς οὗτός ἐστιν ὁ παρακείμενος ——•, παραπλησίως γράφεται τῇ καλουμένῃ γραμμῇ· ὀβελὸς δὲ κέκληται κατὰ Ἀττικὴν χρῆσιν, ἄλλοις δὲ καλεῖται δόρυ, ὅ ἐστι λόγχη· παρετέθη δὲ ταῖς τῆς θείας γραφῆς λέξεσιν, ταῖς παρὰ τοῖς ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταῖς κειμέναις, παρὰ δὲ τοῖς περὶ Ἀκύλαν, καὶ Σύμμαχον μὴ ἐμφερομέναις· ἀφ' ἑαυτῶν γὰρ οἱ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ ταύτας τὰς λέξεις προσέθηκαν, οὐκ εἰς μάτην, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς ὠφέλειαν. ταῖς γὰρ ἐλλιπῶς ἐχούσαις λέξεσι προστεθεικότες εἰς σαφήνειαν, τὴν ἀνάγνωσιν παρήγαγον· ὥσθ' ὑπολαμβάνειν ἡμᾶς, καὶ ἀμοίρους αὐτοὺς γεγενῆσθαι Πνεύματος ἁγίου. ὧν γὰρ οὐκ ἦν χρεία, διοσολογεῖν παρῆκαν. ὅπου δὲ χωλὸν ἐδόκει τὸ ῥῆμα εἶναι, εἰς Ἑλληνικὴν διάλεκτον μεταφερόμενον, ἐκεῖ τὴν προσθήκην ἐποιήσαντο. θαυμάσαι δὲ ἐστιν ἐπὶ τούτῳ, καὶ μὴ τολμᾷν μέμψιν ἐπάγειν, ἀλλὰ μᾶλλον ἔπαινον ὡς ἐκ βουλῆς Θεοῦ γεγενημένον συνιέναι τὸν ἀλαβῆ.

Ἑβδομηκονταδύο γὰρ ὄντες τὸν ἀριθμὸν, καὶ ἐν τῇ Φαρίᾳ νήσῳ, καλουμένῃ δὲ ἄνω γῇ, ἀντικρὺ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐν λ καὶ ἓξ οἰκίσκοις, ζυγὴ ζυγὴ κατὰ οἰκίσκον, (c) ἀπὸ ἕωθεν ἕως ἑσπέρας συγκλειόμενοι, καὶ τὸ ἑσπέρας ἐν τριακονταὲξ σκαφιδίοις περαιούμενοι, εἰς τὸ τοῦ Πτολεμαίου Φιλαδέλφου παλάτιον, καὶ μετ' αὐτοῦ ἑστιώμενοι, καὶ κατὰ ζυγὴν ἐν κοιτῶσι τριακονταὲξ καθεύδοντες, εἰς τὸ μὴ συνδοιάσαι μετ' ἀλλήλων, ἀλλ' ἀνοθεύτως ἑρμηνεῦσαι, οὕτως διετέλουν. τοῦτο γὰρ προειρη-

(a) δόξῃ. (b) ἑρμηνειῶν, ὥσπερ οἱ ἀστε.
(c) Reg. ἀφ' ἕωθεν.

lumniandi Sacras literas quibus in Ecclesiis utimur, occasionem relinqueret: cum nihil in subtractis illis vocibus contra fidem esset, quod reprehendi merito posset. Bis enim, uti dixi, repetitæ sunt, ac superfluæ, ut ex illo loco, quem proposuimus de Adamo, ejusque vita, colligitur. Nam ex perexiguo illo specimine de reliquis conjectura capi potest, quæ asterisco notantur. Sed ut illud etiam intelligas, quibus de causis Asteriscos istiusmodi locis adhibuerit, libenter a me istud explicabitur. Non ignorat quisquis es Auditor, in cœlesti firmamento stellas esse, licet a sole vel nubibus obducantur. Ad eorum mentem Asteriscorum notæ illæ referendæ sunt: ut ea vocabula scias, quæ Asteriscis insignita sunt, in Hebraicis vocibus esse veluti defixa, non secus atque in firmamento, stellæ. Quæ quidem in LXXII. interpretum translatione dissimulata, & obtecta sunt, quemadmodum stellæ nubibus occultantur. Atque ea demum est Asterisci ratio.

III. Quod ad obelum vero pertinet sic habeto. Hujus imprimis hæc est figura: ——• quæ lineæ quam vocamus, haud dissimilis est. Porro obelus, hoc est *verutum* ab Atticis dicitur. Sunt qui hastam, sive lanceam, appellent. Et ad eas scripturæ voces adhibetur, quæ a LXXII. expressæ, Apud Aquilam, & Symmachum non extant. Nam LXXII. voces istas addiderunt ex sese, non frustra tamen, sed utiliter, ac cum fructu. Etenim sicubi manca ac defecta erat oratio, nonnullis adjectis, plurimum ei lucis attulerunt: ut illos non sine sancti Spiritus afflatu ad scribendum accessisse credibile sit. Siquidem quæ necessaria non erant iisdem verbis repetere noluerunt. Quoties vero in Græcum translata sententia claudicare videbatur, tum nonnihil adjecerunt. Qua in re admiratione potius, quam reprehensione digni sunt: adeoque collaudandi; cum illud omne Divino quodam consilio ab illis esse factum prudens quisque non dubitet.

Duo enim ac septuaginta viri in Pharo insula, quæ *Terra superior* dicitur, e regione urbis Alexandrinæ, in sex & triginta cellulis bini scilicet in singulis, a primo diluculo ad vesperam conclusi sunt. Sub vesperam porro triginta sex scaphis ad Ptolemæi Philadelphi palatium advecti, ad ejus epulas adhibebantur. Tum in triginta sex cubiculis, bini scilicet in unoquoque dormiebant, ne capita conferre possent: sed sincere ac fideliter interpretarentur. Ptolemæus enim ille triginta sex, quas dixi, cellulas in illa insula condidit, easdemque duplices; quibus sin-

μένους τριακονταὲξ οἰκίσκους ὁ ῥηθεὶς Πτολεμαῖος κατασκευάσας ἐν τῷ πέραν εἰς τὴν νῆσον, διπλοῦς τε αὐτοὺς ποιήσας, δύο δύο ἐνέκλεισεν, ὡς ἔφην, καὶ παῖδας δύο ὑπηρετεῖν αὐτοῖς ἅμα ἐνέκλειεν, ὀψοποιίας ἕνεκεν, καὶ ὑπηρεσίας, μετὰ καὶ ταχυγράφων. ἀλλ' οὔτε θυρίδας τοῖς οἰκίσκοις ἐκείνοις ἐκ τῶν τοίχων ἐποίησεν, ἀλλ' ἄνωθεν ἐκ τῶν δωμάτων τὰς καλουμένας ἀναφωτίδας ἀνέῳξεν. οἱ δὲ οὕτως διάγοντες ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ἑσπέρας ὑπὸ κλεῖδα συγκεκλεισμένοι οὕτως ἡρμήνευσαν. ἑκάστῃ δὲ ζυγῇ βίβλος μία ἐπεδίδοτο. ὡς εἰπεῖν, ἡ βίβλος τῆς τοῦ κόσμου Γενέσεως μιᾷ ζυγῇ, ἡ Ἔξοδος τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῇ ἄλλῃ ζυγῇ, Λευιτικὸν τῇ ἄλλῃ καὶ καθεξῆς ἄλλη βίβλος τῇ ἄλλῃ. καὶ οὕτως αἱ εἰκοσιεπτὰ βίβλοι αἱ ῥηταὶ καὶ ἐνδιάθετοι, εἴκοσι δὲ καὶ δύο κατὰ τῶν τοῦ ἀλφαβήτου παρ' Ἑβραίοις στοιχείων ἀριθμούμεναι, ἡρμηνεύθησαν.

Εἴκοσι γὰρ καὶ δύο ἔχουσι στοιχείων νοήματα. πέντε δέ εἰσιν ἐξ αὐτῶν διπλούμεναι. τὸ γὰρ κὰφ ἔστι διπλοῦν, καὶ τὸ μὲν, καὶ τὸ νοῦν, καὶ τὸ φὶ, καὶ τὸ (a) α. διὸ καὶ αἱ βίβλοι κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, εἰκοσιδύο μὲν ἀριθμοῦνται, εἰκοσιεπτὰ δὲ εὑρίσκονται, διὰ τὸ πέντε ἐξ αὐτῶν διπλοῦσθαι. συνάπτεται γὰρ ἡ Ῥοὺθ τοῖς Κριταῖς, τὸ ἀριθμεῖται παρ' Ἑβραίοις μία βίβλος. συνάπτεται ἡ πρώτη τῶν Παραλειπομένων τῇ δευτέρᾳ, καὶ λέγεται μία βίβλος. συνάπτεται ἡ πρώτη τῶν Βασιλειῶν τῇ δευτέρᾳ, καὶ λέγεταιμία βίβλος. συνάπτεται ἡ τρίτη τῇ τετάρτῃ, καὶ λέγεται μία βίβλος. οὕτως γοῦν σύγκεινται αἱ βίβλοι ἐν πεντατεύχοις τέτρασι, καὶ μένουσιν ἄλλαι δύο ὑστεροῦσαι· ὡς εἶναι τὰς ἐνδιαθέτους βίβλους οὕτως· πέντε μὲν νομικὰς, Γένεσιν, Ἔξοδον, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὺς, Δευτερονόμιον· αὕτη ἡ Πεντάτευχος καὶ ἡ νομοθεσία. πέντε γὰρ στιχήρεις, ἡ τοῦ Ἰὼβ βίβλος, εἶτα τὸ Ψαλτήριον, Παροιμίαι Σαλομῶντος, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ᾀσμάτων· εἶτα ἄλλη πεντάτευχος τὰ καλούμενα γραφεῖα, παρά τισι δὲ Ἁγιόγραφα λεγόμενα, ἅ τινά ἐστιν οὕτως· Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ βίβλος, Κριτῶν μετὰ τῆς Ῥοὺθ, Παραλειπομένων πρώτη μετὰ τῆς δευτέρας, Βασιλειῶν πρώτη μετὰ τῆς τετάρτης. αὕτη τρίτη πεντάτευχος. ἄλλη πεντάτευχος, τὸ δωδεκαπρόφητον, Ἡσαΐας, Ἰερεμίας, Ἰε-Ἰεζεκιὴλ, Δανιήλ. καὶ αὕτη ἡ Προφητικὴ πεντάτευχος. ἔμειναν δὲ ἄλλαι δύο, αἵτινές εἰσι τοῦ Ἔσδρα μία καὶ αὕτη λογιζομένη, καὶ ἄλλη βίβλος ἡ τῆς Ἐσθῆρ καλεῖται. ἐπληρώθησαν οὖν αἱ εἰκοσιδύο βίβλοι κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν εἰκοσιδύο στοιχείων παρ' Ἑβραίοις. αἱ γὰρ στιχήρεις δύο βίβλοι, ἥ τε τοῦ Σολομῶντος, ἡ Πανάρετος λεγομένη, καὶ ἡ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ Σιρὰχ, ἐκγόνου δὲ τοῦ Ἰησοῦ, τοῦ καὶ τὴν σοφίαν Ἑβραϊστὶ γράψαντος, ἣν ὁ ἔκγονος αὐτοῦ Ἰησοῦς ἑρμηνεύσας Ἑλληνιστὶ ἔγραψε. καὶ αὗται χρήσιμοι μέν εἰσι, καὶ ὠφέ-

(a) Leg. ἀλέφ.

gula paria conclusit cum duobus famulis; cibi parandi ac ministrandi gratia, una cum notariis. In his cellulis nullas parietibus fenestras impressit; sed e tecto superne illas aperuit, *quas anaphotidas* nominant. Hoc illi modo a primo diluculo ad vesperam obseratis foribus inclusi Sacras literas transtulerunt. Unicuique porro Interpretum pari liber attribuebatur unus. Exempli causa Geneseos volumen uni committebatur: Exodus alteri: Leviticus alii. Atque ita deinceps cæteri. Ita septem & viginti scripturæ ac veteris testamenti libri, qui ad duos ac viginti pro literarum Hebraicarum numero rediguntur, Græcum in sermonem conversi sunt.

IV. Habent enim *Hebræi* XXII. literas, e quibus quinque duplicantur Caph, Mem, Nun, Phi, & Aleph. Qua ratione cum XXII. libri numerentur, septem ac viginti reperiuntur, quod ex illis quinque geminentur: puta liber Ruth, cum Judicum libro conjungitur, & unus ab Hebræis censetur: primus Paralipomenon liber cum posteriore conjungitur, & unum librum efficit. Item primus Regnorum liber, cum secundo: tertius cum quarto unum librum constituunt. Ad eumque modum scripturæ libri quatuor voluminibus quinque partitis comprehensi sunt, ac duo libri extra ordinem numerantur. Quare veteris testamenti libri omnes hac serie percensentur. Quinque ad legem pertinent: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Hæc est Pentateuchus, qua tota lex exponitur. Sequuntur quinque alii libri, qui versibus constant; Job, Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. Deinde tertium librorum collegium, quæ γραφεῖα dicuntur, & Agiographa continet; cujusmodi sunt, liber Jesu filii Nave; Judicum liber, cum libro Ruth: Paralipomenon primus cum secundo. Regnorum priores duo: totidem posteriores in unum volumen redacti. Tertium illud collegium est: Quartum sequitur: in quod duodecim Prophetæ minores, Esaias, Jeremias, Ezechiel, ac Daniel conjecti sunt. Atque hoc volumen Prophetarum scripta continet. Reliqui sunt libri duo: hoc est Esdræ unus, qui separatim numeratur: alius Esther. Ita duo & viginti libri pro literarum Hebraicarum numero censentur. Quod enim ad duos illos attinet, qui versibus distincti sunt, Salomonis videlicet Sapientiam, quæ Panaretus inscribitur, & Jesu Filii Sirach librum, Jesu nepotis, qui sapientiæ librum Hebraice scripsit,

quem

λιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. διὸ δὲ ἐν τῷ (a) Ἀαρὼν ἀνετέθησαν, (b) τοῦ τε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ.

Ἀλλὰ καὶ ἔτι τοῦτό σε μὴ παρέλθοι, ὦ φιλόκαλε, ὅτι καὶ τὸ Ψαλτήριον διεῖλον εἰς πεντεβιβλία οἱ Ἑβραῖοι, ὥς τε εἶναι καὶ αὐτὸ ἄλλην πεντάτευχον. ἀπὸ γὰρ πρώτου Ψαλμοῦ ἄχρι τεσσαρακοστοῦ, μίαν ἐλογίσαντο βίβλον. ἀπὸ δὲ τεσσαρακοστοῦ πρώτου ἄχρι τοῦ ἑβδομηκοστοῦ πρώτου, δευτέραν ἡγήσαντο. ἀπὸ ἑβδομηκοστοῦ δευτέρου ἕως ὀγδοηκοστοῦ ὀγδόου, τρίτον βιβλίον ἐποιήσαντο. ἀπὸ δὲ ὀγδοηκοστοῦ ἐννάτου ἕως ἑκατοστοῦ πέμπτου, τετάρτην ἐποίησαν. ἀπὸ δὲ ἑκατοστοῦ ἕκτου ἕως τοῦ ἑκατοστοῦ πεντηκοστοῦ, τὴν πέμπτην συνέθηκαν. ἕκαστον γὰρ Ψαλμὸν ἔχοντα ἐν τῷ τέλει, εὐλογητὸς Κύριος, γένοιτο γένοιτο, τέλος εἶναι βιβλίου ἐδικαίωσαν. εὑρίσκεται δὲ τοῦτο ἔν τε τῷ τεσσαρακοστῷ, καὶ ἐν τῷ ἑβδομηκοστῷ πρώτῳ, καὶ ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ ὀγδόῳ, καὶ ἐν τῷ ἑκατοστῷ πέμπτῳ. ἐν δὲ τῷ τέλει τῆς πέμπτης βίβλου ἀντὶ τοῦ, εὐλογητὸς Κύριος, γένοιτο, γένοιτο, τέθειται τὸ, πᾶσα πνοὴ αἰνεσάτω τὸν Κύριον, ἀλληλούϊα. αὗται τοίνυν αἱ εἴκοσι καὶ ἑπτὰ βίβλοι, εἰκοσιδύο δὲ ἀριθμούμεναι μετὰ καὶ τοῦ Ψαλτηρίου, καὶ τῶν ὄντων ἐν τῷ Ἱερεμίᾳ· φημὶ δὲ καὶ τῶν θρήνων αὐτοῦ, καὶ τῶν ἐπιστολῶν Βαροὺχ, εἰ καὶ οὐ κεῖνται ἐπιστολαὶ παρ' Ἑβραίοις, ἢ μόνον ἡ τῶν θρήνων τῷ Ἱερεμίᾳ συναφθεῖσα, τὸν τρόπον ὃν εἴπομεν ἡρμηνεύθησαν κατὰ περίοδον ἑκάστῃ ζυγῇ ἑρμηνευτῶν ἐπιδιδόμεναι, καὶ ἀπὸ τῆς πρώτης ζυγῆς τῇ δευτέρᾳ, καὶ πάλιν ἀπὸ τῆς δευτέρας τῇ τρίτῃ, καὶ οὕτως παρῆλθον (c) κελεύουσαι ἑκάστῃ τριακονταεξάκις ἑρμηνευθεῖσαι, ὡς ᾄδεται λόγος, καὶ εἰκοσιδύο τῶν Ἀποκρύφων.

Ὅτε δὲ ἐπελειώθησαν, ἐκαθέσθη ὁ βασιλεὺς ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ, καὶ τριακονταὲξ ἀναγνῶσται ἔχοντες ἑκάστης βίβλου τὰ τριακονταὲξ ἰσότυπα, (d) ἐξ εἷς ἔχων τῆς βίβλου τῆς Ἑβραϊκῆς ἀντίγραφον. ἑνὸς δὲ ἀναγινώσκοντος ἀναγνώστου, καὶ τῶν ἄλλων ἐπεχόντων, εὑρέθη διαφωνία. ἀλλὰ Θεοῦ θαυμάσιον ἔργον εἰς τὸ γνωσθῆναι, ὅτι Πνεύματος ἁγίου ἔχοντες δωρεὰν ἐκεῖνοι οἱ ἄνδρες, ὁμοφώνησαν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ ὅπου προσετέθειτο λόγος, ὑπὸ πάντων εὑρέθη προστεθειμένος. ὅπου δὲ ἀφείλοντο, πάντες ἐπίσης, εὑρέθησαν ἀφελόμενοι. καὶ ὧν μὲν ἀφείλοντο οὐκ ἔστι χρεία, ὧν δὲ οὐκ ἀφείλοντο ἐστὶ χρεία. εἰς δὲ τὸ γενέσθαι σοι σαφὲς τὸ εἰρημένον· ὅτι θαυμαστῶς κατὰ Θεοῦ οἰκονομίαν, καὶ ἐκ συμφωνίας Πνεύματος ἁγίου συμφώνως ἡρμήνευσαν, καὶ πρὸς ἀλλήλους οὐ διηνέχθησαν παρέξω σοι δια (e) μακροῦ λόγου τὴν τούτων ἀπόδει-

(a) Leg. Ἀρὼν, & negatio forsitan deest.
(b) C. τουτέστι. (c) Corrupta dictio. (d) Reg. ἐξ ἧς for. ἐξ ὧν εἷς. Mox leg. οὐχ εὑρέθη διαφωνία.
(e) F. μικροῦ.

quem nepos ejus Jesus Græce reddidit; tametsi utiles ac fructuosi illi sint, in scripturarum numerum nequaquam referri solent. Unde nec in testamenti arca collocati sunt.

V. Nec illud latere te debet, honestarum rerum studiose! Psalterium ab Hebræis quinque in libros esse partitum; nova ut indidem pentateuchus oriatur. Primus liber a primo Psalmo ad quadragesimum continetur. Secundus a quadragesimo ad primum & septuagesimum: Tertius a septuagesimo secundo ad octuagesimum octavum: Quartus ab octogesimo nono ad centesimum quintum. Quintus a centesimo sexto ad centesimum & quinquagesimum perducitur. Nam quicunque Psalmus hoc versu concluditur: *Benedictus Dominus, fiat, fiat* librum eo terminandum putarunt. Ille porro versus quadragesimo, septuagesimo primo, octuagesimo octavo, & centesimo quinto psalmis adscriptus est. In fine quinti libri pro his; *Benedictus Dominus: fiat, fiat*, scriptum est: *Omnis spiritus laudet Dominum, Alleluja*. Igitur septem & viginti illi libri, qui viginti duo numerantur, cum Psalterio, ac cæteris, qui Hieremiæ accensentur, hoc est Lamentationibus, & Epistolis Baruchi; quamvis apud Hebræos Epistolæ istæ non reperiantur, sed Lamentationes duntaxat ad Hieremiæ prophetiam attextæ: eo, quem dixi, modo per orbem, in unumquodque par interpretum distributæ sunt: puta a primo pari ad secundum, ad hoc tertium pervenerunt, donec sexies ac trigesies singuli Græce conversi sunt, ut constanti fama percrebuit. Quibus viginti duo addendi sunt Apocryphi.

VI. Postremo absolutis omnibus, Rex in sublimi solio consedit: ad quem triginta sex lectores cum totidem exemplaribus adducti sunt, cum altero, qui Hebraicum archetypum tenebat. Cum igitur unus e lectoribus recitaret, cæteri diligenter attenderent, nihil varietatis est ac discriminis repertum. Ac singulare tum accidit divinæ potentiæ miraculum, quod narratione dignum est. Nam illi omnes interpretes Divini Spiritus afflatu præditi, sic inter se illa in solitudine consenserant, ut ubicumque nonnihil additum esset, id ad omnibus communiter esset adjunctum: ubi vero detractum, id ex æquo sustulissent omnes. Cæterum quicquid ab illis ademtum est, id inutile est, quicquid vero relictum, necessarium est. Quod ut perspicue cognoscas: Divina quadam & admirabili providentia, nec sine sancti Spiritus instinctu tam concorditer interpretatos esse, ut nihil a se

ξιν· ὡς ἂν ἐκ τούτου γνοὺς καὶ πεισθεὶς συναινέσῃς τῷ ἡμετέρῳ λόγῳ. ἐκ τῷ ἑκατοστῷ τεσσαρακοστῷ Ψαλμῷ ἔκειτο ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ οὕτως· Ἀδωναΐ, ἠλιχά, καριθί, ἰσμαήλ, ἰεββιτὰ ἀκώλ. ἅ ἐστιν ἑρμηνευόμενα, Κύριε ἐκέκραξα πρός σε, εἰσάκουσόν μου· πρόσχες τῇ φωνῇ. ὅρα οὖν πῶς χωλὸν εὑρίσκεται; οἱ δὲ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ προστεθεικότες τό, τῆς δεήσεώς, μου, (a) ἀχώλωτον ἐποίησαν τὸν στίχον, καὶ ἡρμήνευσαν· Κύριε ἐκέκραξα πρός σε· εἰσάκουσόν μου· πρόσχες τῇ φωνῇ τῆς δεήσεώς μου. καὶ ὅρα πῶς εὐδιόρθωτος ᾄδεται ὁ Ψαλμός. ἐπίστηθι τοίνυν ἀπὸ τοῦ βραχυτάτου λόγου τοῖς ὁμοίοις αὐτῷ κατὰ τὴν προσθήκην πανταχοῦ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἑρμηνευτῶν κειμένοις, ὅτι καλῶς οἱ λόγοι προσετέθησαν εἰς φράσιν, καὶ ὠφέλειαν τῶν μελλόντων ἐθνῶν εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ πίστιν ἄγεσθαι, καὶ τὴν ἐκ τῶν θείων λόγων τῆς παλαιᾶς, καὶ νέας διαθήκης, κτᾶσθαι ζωῆς κληρονομίαν.

Τῷ δὲ αὐτῷ τρόπῳ ὁ Ὠριγένης καλῶς ποιῶν ἐποίησεν οὕτως, καὶ περὶ τοῦ ὀβελοῦ τὴν σημείωσιν ἐποιήσατο. εἴθε οὖν καὶ τὰ ἄλλα οὕτω καλῶς ἐποίησε. τὰς γὰρ ἓξ ἑρμηνείας, καὶ τὴν Ἑβραϊκὴν γραφὴν Ἑβραϊκοῖς στοιχείοις, καὶ ῥήμασιν αὐτοῖς ἐν σελίδι μιᾷ συντεθεικώς, ἄλλην σελίδα ἀντιπαράθετον οἱ Ἑλληνικῶν μὲν γραμμάτων, Ἑβραϊκῶν δὲ λέξεων πρὸς κατάληψιν τῶν μὴ εἰδότων Ἑβραϊκὰ στοιχεῖα, εἰς τὸ διὰ τῶν Ἑλληνικῶν εἰδέναι τὴν Ἑβραϊκῶν λογίων τὴν δύναμιν. καὶ οὕτως τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ ἑξαπλοῖς ἢ ὀκταπλοῖς, τὰς μὲν δύο Ἑβραϊκὰς σελίδας, καὶ τὰς ἓξ τῶν ἑρμηνευτῶν ἐκ παραλλήλου ἀντιπαραθείς, μεγάλην ὠφέλειαν γνώσεως ἔδωκε τοῖς φιλοκάλοις. εἴθε δὲ καὶ ἐν τοῖς αὐτοῦ συντάγμασι μὴ παρέπεσε, καὶ ἑαυτὸν καὶ τὸν κόσμον ἠδίκησε, κακῶς δογματίσας τὰ περὶ πίστεως, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν γραφῶν κακῶς φράσας. ἀλλὰ περὶ τοῦ ὀβελοῦ αὖθις ἐπιλήψομαι τῆς διηγήσεως. ἔφαμεν ὅτι ὁ ὀβελὸς λόγχη λέγεται· ξίφος δὲ ἐστὶ τοῦτο ἀναιρετικόν. ἔνθα τοίνυν ἡ λέξις εὑρίσκεται παρὰ μὲν τοῖς ἑβδομηκονταδύο (b) κειμένους, ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ ἀναφερομένους, ἐκ τῆς τοῦ ὀβελοῦ σημειώσεως τοῦ τῇ λέξει παρακειμένου δηλοῦται, ὅτι ἀνήρηται ὁ λόγος ἀπὸ τοῦ γεννητικοῦ τόπου, ἤτοι τοῦ ἐδάφους τῆς γραφῆς, ὡς μὴ ὑπάρχων ἐν τῷ τόπῳ τῆς βίβλου. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τοῦ ἀστερίσκου, καὶ τοῦ ὀβελοῦ διηγησάμην.

Λοιπὸν καὶ περὶ τοῦ λημνίσκου, καὶ ὑπολημνίσκου διηγητέον. λημνίσκον γοῦν τὸν οὕτω γραφόμενον ὡς ἔχει τὸ προκείμενον —⁝— σημεῖον

(a) γρ. ἀχώλαντον. (b) F. κειμένη, & ἀναφερομένη.

se invicem differrent, in una, ac levissima voce periclitari libet: ut ex uno loco rem omnem intelligas, ac verum esse quod dico tibi persuadeas. In centesimo quadragesimo Psalmo, locus est qui sic Hebraice legitur. *Adonai, elica, carithi ismael, iebbita acoli*, hoc est, *Domine clamavi ad te: exaudi me: Intende voci*. Videsne ut manca sit, claudicansque sententia? Ergo LXXII. Interpretes additis hisce voculis, *orationis meæ*, integrum versum reddiderunt hoc modo vertentes. *Domine clamavi ad te, exaudi me: intende voci orationis meæ*. Animadverte quam apte restitutus decantetur hic Psalmus. Quamobrem ex hoc uno loco de similibus conjecturam capito, qui nonnullis additis ab illis Interpretibus proditi sunt: Disce, inquam, recte atque ex ordine accessionem illam esse factam cum ad phrasim ipsam, ac sententiam; tum ad utilitatem gentium, quæ ad Dei fidem essent aliquando perventuræ, atque ex Divinis veteris, ac novi Testamenti scripturis sempiternæ vitæ patrimonium adepturæ.

VII. Sic igitur præclare Origenes instituit, & obeli notam prudenter apposuit. Qui utinam in cæteris peræque laudari posset! cum enim ad editiones VI. Hebraicam, adjecisset, suis ac propriis vocibus, literisque constantem, & una pagina comprehensam, aliam insuper & oppositam addidit, quæ Hebraicas voces Græcis literis ac figuris exaratas contineret: ut qui Hebraice nescirent, Græcorum elementorum beneficio Hebraicarum sententiarum vim ac potestatem intelligerent. Itaque in Hexaplis, Octaplisve suis cum Hebraicas duas paginas VI. Interpretum editionibus opposuisset, plurimum studiosis hominibus ad eruditionis ac doctrinæ copiam utilitatis attulit. Atque utinam in aliis suis operibus non turpiter aberrasset, neque sibi, ac toti terrarum orbi insignem imposuisset injuriam, dum & de fide perperam sentit, & infinita Scripturæ loca prava interpretatione corrumpit. Sed ut ad institutam de obelo narrationem redeam, obelus, ut paulo ante dixi, a nonnullis lancea dicitur, quod gladii genus est ad cædem faciendam utilis. Quare ubicumque dictio quæpiam occurrit, quæ apud LXX. legitur, in Hebræo vero non item, obelus vocabulo huic adjunctus, in matrice, ac velut Scripturæ solo, & fundamento deesse significat, nec eo loco reperiri. Hactenus de asterisco & obelo.

VIII. Proximum est ut de Lemnisco, & Hypolemnisco dicendum videatur. Lemniscus hac forma depingitur —⁝— Estque longurius inter duo puncta:

ἐστι, γραμμὴ μία, μεσολαβουμένη ὑπὸ κεντημάτων δύο, ἤτουν στιγμῶν, μιᾶς μὲν ἐπάνω οὔσης, τῆς δὲ ἄλλης ὑποκάτω παρὰ ἰατροῖς φυσιολογικῶς εὑρᾶσθαι φασὶ καὶ ὠνομᾶσθαι, ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ σῶμα χειρουργίας, δύο μὲν ἁπλῶν τομῶν διαιρουμένων, ἤτουν τεμνομένων, μέσον δὲ τῶν (a) δύο αἱρέσεων τοῦ τμηθέντος τόπου (b) διαστὰς παρ' ἑκατέρας (c) ἁπλῶς δύο τομὰς, ὀβελοῦ σχῆμα τοῦ σώματος ἀποτελοῦντος δὲ, ὅ ἐστι λινοῦν ῥάκος, εἰς λεπτὸν, καὶ μακρὸν σχῆμα ἀποτμηθέντος ἐμβαλλομένου ἀπὸ τῆ μιᾶς διαιρέσεως, καὶ εἰς τὴν ἄλλην διαπερῶντος. λιμνίσκος ὑπ' αὐτῶν τῶν ἰατρῶν καλῶς ἐκλήθη, διὰ τὸ λιμνάζειν κλυζόμενον τὸν μοτὸν ἐν τοῖς τόπου ὑγροῖς. διὸ καὶ τοῦτο τὸ τοῦ σημείου σχῆμα τοῖς θείοις λόγοις παρέθετο, ἵν' ὅτε σπανίως που εὕροις ἐν τῇ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνείᾳ διαφωνοῦσαν λέξιν, οὐ μὴν παροῦσαν, οὐδὲ (d) προστεταγμένην ταῖς ὁμοίαις αὐτῇ λέξεσι, γνῷς ὅτι ὑπὸ μιᾶς ζυγῆς ἢ δύο αὕτη ἡρμηνεύθη ἡ λέξις, διὰ τὰ παρακείμενα δύο κεντήματα. καλεῖται δὲ ταῦτα τὰ συναμφότερα, ἢ ὅμοια. ἵνα δὲ τοῦτο λεῖόν σοι εἴη, καὶ ἀπερίδρακτον, καὶ περὶ (e) τοῦτο ἐρῶ. ὅταν εὕρῃς ὡς ἐν ἑβδομηκοστῷ Ψαλμῷ ἐμφέρεται, τὸ στόμα μου ἀναγγελεῖ τὴν δικαιοσύνην σου, ἀναγγελεῖ τὰς δικαιοσύνας σου. πάλιν δὲ ἐν τῷ ἑβδομηκοστῷ πρώτῳ ψαλμῷ, καὶ ἔντιμον τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτοῦ. δὲ τοῦτο πρόκειται, καὶ ἔντιμον τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν ὀφθαλμοῖς. καὶ οὕτως εἰς πολλοὺς τόπους εὕροις. οὐδὲν μὲν ἐλλιπὲς ὑπάρχον, οὔτε παρηλλαγμένον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ μὲν ὑπάρχον, διαφόρως τε ὀνομαζόμενον, ὡς εἶναι οὐ (f) παρὰ, ἀλλὰ συναμφοτέρως ἐκφωνοῦνται. ταῦτα διὰ τὸν λιμνίσκον ἐσημειώθη, ὡς παρὰ μιᾶς ζυγῆς ἢ δύο ἡρμηνευμένης τε, καὶ εὑρισκομένης λέξεως. οὕτως ταῦτα καὶ περὶ λιμνίσκου εἴπομεν. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ τοῦ ὑπολιμνίσκου δηλώσομεν. ὁ γοῦν ὑπολιμνίσκος τοιοῦτον ἐστὶ σημεῖον, —· ἁπλῆ δηλονότι γραμμὴ, ὀβελοῦ τὸ σχῆμα ἔχουσα, ὑποκειμένην δὲ ἔχουσα στιγμὴν, ἤγουν κέντημα. ἔνθα γοῦν εὕροις τοιοῦτον σημεῖον, ὑπολιμνίσκου αὐτὸ γίνωσκε εἶναι. δύναμιν δὲ ἔχει ταύτην. ὅπου γὰρ εὑρεθῇ λέξει τινὶ παρακείμενος, δηλοῦται ὑπὸ μιᾶς ζυγῆς ἑρμηνευτῶν ἐξενεχθεὶς ὁ λόγος, καθὸ ἡ μία στιγμὴ ὑποφαίνει. καὶ ἐπ' αὐτὸ συναμφότερον ἢ συναδελφον τῇ λέξει ᾗ ἐπίκειται. αὕτη ἐστὶν ἡ περὶ ἀστερὶ ἀστερίσκου, καὶ ὀβελοῦ, καὶ λιμνίσκου, καὶ ὑπολιμνίσκου φράσις, φιλοκαλώτατε.

Δεῖ δὲ καὶ ἡμᾶς καὶ αὐτῶν τῶν εἰρημένων τὴν ὑπόθεσιν δηλῶσαι. χρησιμεύσει γάρ σοι καὶ ἡ περὶ τούτων γνῶσις ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπιβολῆς τῆς περὶ αὐτὸν διηγήσεως. ὑποδεικνύουσα τὶς, πόθεν, καὶ πότε, γένους ποίου ἕκαστος αὐτῶν ὑπῆρξε, καὶ τοῦ ἑρμηνεῦσαι τὶς αὐτῷ γέγονεν ἡ αἰτία.

Καὶ πρῶτοι μὲν ἑρμηνευταὶ γεγόνασι τῆς

(a) F. διαιρέσεων. (b) Mox διὰ τὰς pro διαστὰς.
(c) Reg. ἁπλᾶς. (d) Reg. περιτεθημένην.
(e) F. τούτου. (f) γρ. πατέρα. Sed locus corruptus.

cta: quorum alterum supra, alterum infra collocatur, interjectus, id quod a medicis, ac chirurgica vulnerum curatione translatum putatur: cum simplici utrinque sectione ducta, intercepta corporis pars obeli figuram refert: tum conceptum linimentum in tenuem & oblongam formam productum per utramque sectionem trajicitur. Lemniscus enim istud a Medicis appellari solet a Græca voce λιμνάζειν; quod in humectum locum linimentum illud inditum humoris copia redundet. Quam ob caussam sacris codicibus eam notam adscripsit Origenes: ut quoties in LXX. Interpretum editione disseperantem aliquam vocem, quod raro usuvenit, repereris, quæ ad superiores non adhæreat, neque similibus conjuncta sit, ex duobus punctis intelligas unum alterumve par interpretum vocem illam in sua interpretatione posuisse. Quæ quidem ambo, vel similia nominantur. Sed ut res tota planior sit ac facilior, paucis de ea disputare non pigebit. Cum igitur in LXX. Psalmo legeris: *Os meum annuntiabit justitiam tuam; annunciabit justitias tuas*. Item in LXX. *Et bonorabile nomen illius coram ipso*, pro quo scriptum est: *Et bonorabile nomen ejus in oculis ipsius*: atque ita pluribus in locis. Ubi nihil aut mancum, aut discrepans invenies, sed unum idemque diversis vocabulis expressum, cum, alterutro sufficiente, duobus modis exprimitur. Ejusmodi loca Lemnisco notata sunt; ut appareat ab uno alterove Interpretum pari positum illud esse, repertumque vocabulum. Hæc habuimus quæ de Lemnisco diceremus. De Hypolemnisco modo disputandum nobis est. Est autem figura illius ejusmodi —· linea videlicet veruti in modum producta subjecto puncto. Hanc ubicumque repereris, scito Hypolemniscum vocari. Cujus ea vis est: Quemcumque ad locum appictus est, significat ab uno Interpretum pari sic editum, ac conceptum fuisse, id quod simplici puncto declaratur, & cum superioribus quibus adtexitur geminum ac germanum videri. Hæc est Asterisci, Obeli, Lemnisci, & Hypolemnisci ratio.

IX. Nunc eorum quæ commemorata sunt subjicienda narratio est. Neque enim infructuosa erit illa cognitio; cum ex historia ipsa didiceris, quis, & unde, quando, cujus generis Interpretum quilibet fuerit, quibusve de caussis sese ad interpretandum contulerit.

Primi omnium Sacras literas ex Hebræo in Græcum transferre LXXII. homines aggressi sunt, Ptolemæo Philadelpho in Ægypto regnante. Qui duodecim

αὐτῆς θείας γραφῆς, ἀπὸ Ἑβραϊκῆς διαλέκτου εἰς Ἑλληνίδα ἑβδομηκονταδύο ἄνδρες τὸν ἀριθμόν, * αὐτὴν πρώτην ἑρμηνείαν ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἑρμηνεύσαντες· οἵ τινες ἐξελέγησαν ἐκ τῶν δώδεκα φυλῶν τοῦ Ἰσραὴλ, ἓξ ἄνδρες κατὰ φυλὴν, ὡς ἐξέδωκεν Ἀρισαῖος ἐν τῷ (a) αὐτῷ συντάγματι. περὶ ὧν ἀνωτέρω διὰ τῶν ἀστερίσκων καὶ τῶν ὀβελῶν, καὶ περὶ τῶν ἄλλων, τουτέστιν Ἀκύλα, καὶ Συμμάχου, καὶ λοιπῶν ἀπὸ μέρους διηγησάμεθα. ἐνταῦθα δὲ καὶ τὰς αἰτίας σοὶ δηλώσομεν. ὁ γὰρ μετὰ τὸν Πτολεμαῖον δεύτερος βασιλεύσας Ἀλεξανδρείας Πτολεμαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς Φιλάδελφος, ὡς προείρηται, φιλόκαλός τις ἀνὴρ, καὶ φιλολόγος γεγένηται· ὅς τις βιβλιοθήκην κατασκευάσας ἐπὶ τῆς αὐτῆς Ἀλεξάνδρου πόλεως, ἐν τῷ Βρουχίῳ καλουμένῳ κλίματι. καὶ ἔστι τοῦτο τῆς αὐτῆς πόλεως ἔρημον τανῦν ὑπάρχον· ἐνεχείρησε Δημητρίῳ τινὶ τῷ Φαληρινῷ τὴν αὐτὴν βιβλιοθήκην, προστάξας συναγαγεῖν τὰς πανταχοῦ γῆς βίβλους, γράψας ἐπιστολὰς, καὶ προσλιπαρήσας ἕκαστον τῶν ἐπὶ γῆς βασιλέων τε, καὶ ἀρχὴν, μὴ κατοκνῆσαι ἀποστεῖλαι ποιητῶν τε λέγω καὶ λογογράφων, ῥητόρων τε, καὶ σοφιστῶν, καὶ ἰατρῶν, καὶ ἰατροσοφιστῶν, καὶ ἱστοριογράφων, καὶ λοιπῶν βίβλους. τοῦ δὲ ἔργου προκόπτοντος, καὶ τῶν βιβλίων πανταχόθεν συναγομένων, ἠρώτησεν ὁ βασιλεὺς τὸν τὴν βιβλιοθήκην πεπιστευμένον ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, ὅτι πόσαι δ' ἂν εἶεν βίβλοι εἰς τὴν βιβλιοθήκην συναχθεῖσαι. ὁ δὲ ἀπεκρίθη τῷ βασιλεῖ, λέγων, ὅτι ἤδη μὲν εἰσὶ μυριάδες πέντε βιβλίων, καὶ τετρακισχίλιαι ὀκτακόσιαι, πλεῖον ἢ ἔλασσον. ἀκούομεν δὲ ἔτι πολὺ πλῆθος ἐν τῷ κόσμῳ ὑπάρχειν, παρά τε Αἰθίοψι, καὶ Ἰνδοῖς, Πέρσαις τε, καὶ Ἐλαμίταις, καὶ Βαβυλωνίοις, Ἀσσυρίοις τε, καὶ Χαλδαίοις, παρὰ Ῥωμαίοις τε, καὶ Φοίνιξι, Σύροις τε καὶ τοῖς ἐν τῇ Ἑλλάδι, οὔπω Ῥωμαίοις καλουμένοις ἀκμὴν, ἀλλὰ Λατίνοις. ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς Ἱεροσολύμοις, καὶ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ὑπάρχουσι βίβλοι θεῖαι τῶν Προφητῶν, διηγούμεναι περὶ Θεοῦ, καὶ τῆς κοσμοποιίας, καὶ τῆς ἄλλης πάσης κοινωφελοῦς διδασκαλίας. εἰ οὖν δοκεῖ τῷ κράτει σου, βασιλεῦ, καὶ αὐτὰς μεταπέμψασθαι, γράψον τοῖς ἐν Ἱεροσολύμοις διδασκάλοις, καὶ ἀποστελοῦσί σοι, ὅπως καὶ τὰς αὐτὰς βίβλους κατατεθῶ ἐν τῇ αὐτῇ τῆς σῆς εὐσεβείας βιβλιοθήκῃ. τότε τοίνυν γράφει ὁ βασιλεὺς ἐπιστολὴν ἔχουσαν τάδε.

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος τοῖς ἐν Ἱεροσολύμοις τῶν Ἰουδαίων, πλεῖστα χαίρειν. βιβλιοθήκην κατασκευάσας, καὶ πλῆθος συναγαγὼν βιβλίων ἐξ ἑκάστου ἔθνους, ἐν αὐτῇ ἀπεθέμην. ἀκούσας δὲ ὡς παρ' ὑμῖν ἐμφέρονται βίβλοι Προφητῶν περὶ Θεοῦ τε, καὶ κοσμοποιίας δηλοῦσαι, καὶ ταύτας ταῖς ἄλλαις ἀφιερῶσαι ἐπιθυμῶ, γέγραφα ὅπως ταύτας ἡμῖν ἀποστείλητε. ὅτι γὰρ τιμῆς ἕνεκεν, καὶ οὐ περιεργίας χάριν, οὔτε κακονοίας, τῆς τοιαύτης αἰτίας εἰμὶ ἐπιζητητής, ἀλλὰ πίστεως ἕνεκα,

(a) F. αὐτοῦ.

cim ex Israeliticis Tribubus, sex e singulis, delecti sunt; ut autor est Aristæus in eo opere, quod de LXX. conscripsit. Quorum interpretum, cum de Asteriscis, & Obelis ageremus, ut & cæterorum, hoc est Aquilę, Symmachi, & aliorum historiam attigimus. Nunc caussas ipsam pertextam. Ptolemęus cognomento Philadelphus Alexandrię Rex ab altero Ptolemęo secundus, honestarum artium amore studioque flagrans, egregiam Alexandrię Bibliothecam instituit, in ea urbis regione, quam Bruchium vocant; quę deserta hoc tempore visitur. Ei Bibliothecę curandę Demetrium Phalereum pręposuit; cum mandatis, ut omnia librorum genera ubique terrarum conquireret. Qua de re literas ad unumquemque regem, ac principem dedit; quibus enixe rogabat, ut quicquid penes se poetarum, aut alterius generis scriptorum, oratorum, sophistarum medicorum, mediosophistarum, historicorum, ac cęterorum haberent, id ad sese mitterent. Procedente in dies negotio, ac contractis undique voluminibus, forte accidit; ut de Bibliothecę prętecto Rex aliquando sciscitaretur; quotnam hactenus in Bibliothecam volumina congessisset. Ad hęc ille, quinquaginta jam & quatuor librorum millia cum octingentis plus minus esse respondit. Audio tamen, inquit, longe plures esse toto orbe terrarum: ut apud Æthiopas, Indos, Persas, Elamitas, Babylonios, Assyrios, Chaldęos, Romanos, Phœnicas, Syros eosque, qui in Gręcia habitant (nondum ii Romani vocabantur, sed Latini,) Imo & Hierosolymis, & in Judęa Divini quidem extant Prophetarum libri, qui de Deo ac mundi procreatione disserunt: multaque communem ad utilitatem continent. Quocirca si Majestati tuę, Princeps, ita videtur; scribe ad Hierosolymitanos legis Doctores, ut suos ad te libros mittant, qui in Bibliotheca tua collocentur. His auditis, Ptolemęus literas hoc argumento dedit.

X. Ptolemæus Rex, Judæis qui Hierosolymis habitant, Salutem. De constituenda Bibliotheca cogitans, ingentem librorum vim ex omni regione conflatam in eam contuli. Quare cum apud vos Prophetarum quosdam libros extare compererim, qui de Deo, ac mundi fabricatione scripti sunt, hos ego cum aliis consecrare magnopere cupio. Quæ mihi ad vos scribendi causa fuit, ut illos ad me libros mittere velitis. Nam quod ego non curiositate ductus, neque malo animo, sed honoris illis habendi studio, ac

καὶ τῆς περὶ ὑμᾶς φιλίας τὴν τούτων αἴτησιν ποιοῦμαι, ἐκ τῆς ὑφ' ἡμῶν περὶ ὑμᾶς γενομένης εὐνοίας, ἀναμνησθέντες εἴσεσθε. μέμνησθέ που, ὡς αἰχμαλώτων πολλῶν ἐκ τῆς ὑμετέρας πατρίδος ληφθέντων, καὶ εἰς Αἴγυπτον τὴν ἡμετέραν πατρίδα ἀχθέντων, ἀνῆκα, καὶ μετ' ἐφοδίων πολλῶν, καὶ θεραπείας οὐ τῆς τυχούσης, ἐπιμελησάμενος αὐτῶν, ἐλευθέρους ἀπέπεμψα. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς πεπληγμένους ἰασάμενος ἀνῆκα, καὶ τοὺς γυμνοὺς ἐνέδυσα· καὶ νῦν δὲ τράπεζαν χρυσῆν μετὰ πολυτελεστάτης λιθίας κεκοσμημένην, ἐξ ὁλκῆς ταλάντων φ' ἀντὶ τῆς τραπέζης τῆς ληφθείσης ἀπὸ τοῦ ἁγίου τόπου Ἱεροσολύμων ἀπέστειλα, μετὰ καὶ δώρων, καὶ κειμηλίων τῷ ἱερῷ τόπῳ. τούτων τοίνυν τὴν διήγησιν ἐποιησάμην, ὅπως γνῶτε ὅτι ὑπὲρ εὐχῆς καὶ εὐσεβείας τὰς βίβλους αἰτῶ.

Καὶ ἡ μὲν ἐπιστολὴ ἀπεστάλη, καὶ τὰ ἀπεσταλμένα δῶρα. αὐτοὶ δὲ δεξάμενοι καὶ τὴν ἐπιστολὴν, καὶ τὰ δῶρα ἀσμένως, διὰ χαρᾶς ἔχον σφόδρα. καὶ (a) ἀμελητὶ χρυσέοις γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς τὰς βίβλους μεταγραψάμενοι τὰς ἤδη μοι προτεταγμένας, ἀπέστειλαν κβ' μὲν τὰς ἐνδιαθέτους, ἑβδομηκονταδύο δὲ τὰς ἀποκρύφους. ὁ δὲ βασιλεὺς κομισάμενος καὶ ἐντυχὼν, καὶ μὴ δυνάμενος ἀναγνῶναι, τῶν στοιχείων Ἑβραϊκῶν ὑπαρχόντων, καὶ διαλέκτῳ τῇ Ἑβραϊκῇ γεγραμμένων, δευτέραν ἐπιστολὴν ἀναγκάζεται αὐτοῖς γράψαι, καὶ αἰτῆσαι ἑρμηνευτὰς τοὺς δυναμένους αὐτῷ φράσαι τὰς βίβλους εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον διὰ τῆς Ἑβραΐδος. περιεῖχε δὲ ἡ ἐπιστολὴ τάδε·

Ὁ βασιλεὺς Πτολεμαῖος τοῖς τῆς εὐσεβείας διδασκάλοις, τοῖς ἐν Ἱεροσολύμοις, πλεῖστα χαίρειν.

Θησαυροῦ κεκρυμμένου, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; οὕτω καὶ ἡ παρ' ὑμῶν ἀπεσταλμένη ἡμῖν τῶν βιβλίων ὑπόθεσις. ἡμῶν γὰρ μὴ δυναμένων ἀναγνῶναι τὰ γράμματα τούτων, εἰς οὐδὲν ὄφελος ἡμῖν γενήσεται. ἀλλὰ καταξιώσατε ἑρμηνευτὰς ἡμῖν ἀποστεῖλαι τοὺς ἀκριβῶς ἐκπεπαιδευμένους τήν τε τῶν Ἑβραίων, καὶ τῶν Ἑλλήνων γλῶτταν. τότε τοὺς ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευτὰς ἐκλεξάμενοι, οἱ τῶν Ἑβραίων διδάσκαλοι ἀποστέλλουσι, κατὰ τὸν τύπον, ὃν ποτε ἐποίησε Μωϋσῆς, ἡνίκα ἀνῆλθεν εἰς τὸ ὄρος διὰ προστάγματος Κυρίου, ἀκούσας, ὅτι παράλαβε μετὰ σεαυτοῦ ἄνδρας ἑβδομήκοντα, καὶ ἀνάβηθι εἰς τὸ ὄρος. αὐτὸς δὲ διὰ τὴν πρὸς τὰς φυλὰς εἰρήνην, ἵνα μὴ ἐξ ἐνίων λάβῃ πέντε ἄνδρας, ἐξ ἄλλων ἕξ, (b) ποιήσῃ στάσιν ἐν ταῖς φυλαῖς, διενοήθη μᾶλλον ἑβδομηκονταδύο παραλαβεῖν, καὶ τῷ ἀριθμῷ προσθεῖναι. τῷ αὐτῷ δὴ τρόπῳ, ὡς ἔφην, καὶ τούτους ἀπέστειλαν, οἵτινες ἡρμήνευσαν τὰς βίβλους ἐν τῇ Φαρίᾳ καλουμένῃ νή-

(a) Leg. ἀμελλητὶ. (b) Deest καὶ.

pro mea erga vos fiducia & amicitia ad ea postulanda descenderim, ex mea in vos benevolentia si recordari volueritis, conjecturam facere potestis. Meministis enim opinor, cives vestros ac populares quamplurimos, qui bello capti, & in Ægyptum, hanc nostram patriam, deportati fuerant, non liberasse modo me, sed & viatico instructos ac perhumaniter habitos cum omni officiorum genere liberos dimisisse: adeo ut & qui ex iis saucii erant diligenter curarem, & nudis vestimenta dividerem. Nunc auream ad vos mensam pretiosis lapidibus ornatam, pondo quingentorum talentum, pro ea, quæ ex Hierosolymitano templo direpta fuerat, ad vos cum muneribus ac donariis mitto, quæ in templo vestro consecrari cupio. Hæc eo vobis exposui, ut me ex voti quadam religione, ac pietatis studio libros istos flagitasse sciretis.

His literis ac muneribus Hierosolyma perlatis, utrumque Judæi perjucunde ac libenter acceperunt. Mox sine ulla cunctatione libros illos, quos paulo ante commemoravi, Hebraicis literis aureis conscriptos ad Regem mittunt: hoc est veteris testamenti viginti duos, & Apocryphos septuaginta duos. Quibus acceptis Ptolemæus cum Hebraice scriptos codices legere non posset, secundo ad eos scribere coactus est, & interpretes petere, qui ex Hebræo libros istos in Græcum sermonem converterent. Summa Epistolæ hæc fuit.

XI. Ptolemæus Rex pietatis magistris, qui Hierosolymis habitant.

S. P. D.

Occulti Thesauri, & obsignati fontis quænam esse potest utilitas? Hoc ego de his libris, quos ad me misistis, usurpare jure posse videor. Nam cum scriptas in his literas legere nequeamus nulli esse nobis usui, & emolumento possunt. Quocirca etiam atque etiam a vobis peto, ut ad nos illorum interpretes mittere velitis, Hebraicæ, Græcæque linguæ peritissimos. Post hæc Hebræorum magistri delectu habito septuaginta duos interpretes allegant, Moysis exemplum secuti, qui cum de mandato Dei conscendisset in montem atque ita loquentem audisset: *Adhibe tecum septuaginta viros, & ascende in montem*; ut pacem ac concordiam inter Tribus retineret; ne si ex una quinque, ex alia sex caperet, turbas in Tribus, ac dissensiones jaceret, septuaginta duos adhibere maluit, & ad numerum adjicere. Eodem itaque modo septuaginta duos tum illi miserunt, qui in Pharo insula, ut paulo ante retulimus, sacros co-

σω, καθάπερ ἄνω προείπομεν. καὶ οὕτως αἱ βίβλοι εἰς Ἑλληνίδα ἐκτεθεῖσαι ἀπετέθησαν ἐν τῇ πρώτῃ Βιβλιοθήκῃ τῇ ἐν τῷ Βρουχίῳ οἰκοδομηθείσῃ. ἔτι δὲ ὕστερον καὶ ἑτέρα ἐγένετο βιβλιοθήκη ἐν τῷ Σεραπίῳ μικροτέρα τῆς πρώτης, ἥ τις καὶ θυγάτηρ ὠνομάσθη αὐτῆς· ἐν ᾗ ἀπετέθησαν αἱ τοῦ Ἀκύλα, καὶ Συμμάχου, καὶ Θεοδοτίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν ἑρμηνεῖαι, μετὰ διακοσιοστὸν καὶ πεντηκοστὸν ἔτος.

Μετὰ γὰρ τὸν πρῶτον.

Πτολεμαῖον τὸν υἱὸν Λάγου τὸν βασιλεύσαντα ἔτη τεσσαράκοντα.

Πτολεμαῖος οὗτος ὁ Φιλάδελφος, ἐφ' οὗ οἱ ἑβδομηκονταδύο ἡρμήνευσαν ἑρμηνευταὶ ἐκράτησεν ἔτη λή.

Μεθ' ὃν Πτολεμαῖος ὁ Εὐεργέτης ἔτη εἰκοσιτέσσαρα.

Μεθ' ὃν πάλιν Πτολεμαῖος ὁ Φιλοπάτωρ, ἔτη εἴκοσι καὶ ἕν.

Μεθ' ὃν Πτολεμαῖος Ἐπιφανὴς, ἔτη εἰκοσιδύο.

Εἶτα Πτολεμαῖος Φιλοπάτωρ ἄλλος τεσσαρακοντατέσσαρα.

Ζ' ἔπειτα Πτολεμαῖος ὁ φιλολόγος, καὶ Εὐεργέτης ἔτη εἰκοσιεννέα.

Πτολεμαῖος ὁ Σωτὴρ ἔτη ιε.

Πτολεμαῖος ὁ καὶ Ἀλεξᾶς, ἔτη δώδεκα.

Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀλεξάνδρου ἀδελφὸς, ὁ ὑπὸ τῆς μητρὸς ἐξωσθεὶς, ἔτη ὀκτώ.

Πτολεμαῖος ὁ Διόνυσος ἔτη τριάκοντα καὶ ἕν.

Κλεοπάτρα Πτολεμαίου θυγάτηρ ἔτη τριακονταδύο, ἥ τις Ἀντωνίῳ συνήφθη τῷ βασιλεῖ (a) Ὀκταβίῳ.

Ὁμοῦ ἀπὸ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου τοῦ υἱοῦ Λάγου, μέχρι Κλεοπάτρας, ἔτη τριακόσια ἕξ. ἀπὸ δὲ ἑβδόμου ἔτους Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου, ἐφ' οὗ τῷ αὐτῷ ἔτει οἱ ἑβδομηκονταδύο ἡρμήνευσαν, μέχρι Κλεοπάτρας, διακόσια τεσσαρακονταεννέα. καὶ ἐπαύσαντο οἱ Λαγίδαι βασιλεύειν, οἱ ἀπὸ τοῦ Λάγου δηλονότι καταγόμενοι Πτολεμαῖοι, ὃς ἱππικὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατασκευάσας, Λάιον ὀνόμασεν.

Εἶτα βασιλεῖς Ῥωμαίων.

Αὔγουστος ἔτη νς. [ἐξ] οὗ τινος ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ ἔτει ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς κατὰ σάρκα γεγένηται.

Τιβέριος ἔτη κγ, οὗ τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει ὁ Χριστὸς ἐσταύρωται.

Γάϊος ἔτη γ, μῆνας θ, ἡμέρας κθ.

Κλαύδιος ἔτη ιγ, μῆνας δύο, παρ' ἡμέρας δύο.

Νέρων ἔτη ιγ, μῆνας ζ, ἡμέρας κζ.

Γάλβας μῆνας ζ, ἡμέρας κς.

Ὄθων μῆνας γ, ἡμέρας ε.

Βιτέλλιος μῆνας ιη, ἡμέρας ιβ.

Οὐεσπασιανὸς ἔτη θ, μῆνας ζ, ἡμέρας ιβ.

Τίτος ἔτη δύο, μῆνας δύο, ἡμέρας δύο.

(a) Deest aliquid.

codices explicarunt. Quo facto libri illi in Græcum translati in priore Bibliotheca, quæ in Bruchio fundata est, repositi sunt. Posthæc alia rursus in Serapio Bibliotheca constituta est, longe illa minor, quæ hujus filia dicebatur, in quam Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliorum editiones congestæ sunt post anno CCL.

XII. Nam post primum

Ptolemæum filium Lagi, qui regnavit annos XL;

Ptolemæus hic Philadelphus; cujus tempore Septuaginta duo Interpretes interpretati sunt, regnavit annisXXXVIII.

Post hunc Ptolemæus Evergetes annos XXIV.

Inde Ptolomæus Philopator annos XXI.

Post hunc Ptolemæus Epiphanes annos XXII.

Deinde Ptolemæus Philopator alius annos XXXIV.

Postea Ptolemæus Philologus & Evergetes annos XXIX.

Ptolemæus Soter annos XV.

Ptolemæus qui & Alexas annos XII.

Ptolemæus Alexandri frater, qui a matre pulsus est, annos VIII.

Ptolemęus cognomento Bacchus annos XXXI.

Cleopatra Ptolemæi filia annos XXXII. quæ Antonio nupsit, & ab Octavio Imperatore debellata est.

Itaque a primo Ptolemęo filio Lagi usque ad Cleopatram, anni sunt CCCVI. A septimo vero anno Ptolemęi Philadelphi, cujus tempore eodem anno septuaginta duo sacras literas interpretati sunt, usque ad Cleopatram, anni sunt CCXLIX. Quibus evolutis desiere Lagidę Ptolemęi, a Lago deducti, qui equestre curriculum Alexandrię condidit, ac Lajon appellavit.

Secuti sunt Romanorum Imperatores.

Augustus anno LVI. Cujus anno quadragesimo secundo, Dominus noster Jesus Christus secundum carnem natus est.

Tiberius annos XXIII. Cujus anno decimo octavo Christus crucifixus est.

Cajus annos tres, menses novem, dies viginti novem.

Claudius annos XIII. menses duos, minus duobus diebus.

Nero annos XIII. menses septem, dies viginti septem.

Galba menses septem, dies viginti sex.

Otho menses tres, dies quinque.

Vitellius menses octodecim, dies duodecim.

Vespasianus annos novem, menses septem, dies duodecim.

Titus annos duos, menses duos, dies duos. Hoc tempore subversa sunt Hiero-

ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ γέγονεν ἡ ἐρήμωσις Ἱεροσολύμων, μετὰ ἑξηκοστὸν πέμπτον ἔτος τῆς Χριστοῦ σταυρώσεως, καὶ ἡμέρας τινάς.

Δομετιανὸς ἔτη ιε, μῆνας ε.

Νερούας ἔτος ἕν, μῆνας δ.

Τραϊανὸς ἔτη ιθ.

Ἀδριανὸς ἔτη κα, οὗ τινος τῷ δωδεκάτῳ ἔτει Ἀκύλας ἐγνωρίζετο.

Ἀπὸ οὖν Αὐγούστου ἕως Ἀδριανοῦ ἔτη ρπ, μῆνες δ, παρὰ ἡμέρας θ, ὡς εἶναι ἀπὸ χρόνου τῆς ἑρμηνείας τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευτῶν, ἕως Ἀκύλα τοῦ ἑρμηνευτοῦ, ἤγουν ἤγουν ἕως δωδεκάτου ἔτους Ἀδριανοῦ, ἔτη υλ, καὶ μῆνας δ.

Οὗτος δὲ ὁ Ἀδριανὸς λωβηθεὶς τὸ σῶμα, καὶ μεταστειλάμενος ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν ὑπὸ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἰατρῶν, ᾔτησε παρ᾽ αὐτῶν ἰατρείαν τοῦ σώματος αὐτοῦ. οἱ δὲ πολλὰ κεκμηκότες, καὶ μηδὲν ἀνύσαντες, ἐσκώφθησαν ὑπ᾽ αὐτοῦ, ὡς καὶ ἐπιστολὴν ὀνειδιστικὴν γράψαι κατ᾽ αὐτῶν, τὴν τέχνην αὐτῶν αἰτιωμένην, ὡς μηδὲν εἰδυῖαν τῆς περικειμένης αὐτῷ νόσου ἕνεκα. στέλλεται τὴν πορείαν ἐπὶ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γῆν. ἔδει δὲ αὐτὸν ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων ἐπὶ τὰς ἑξῆς προβαίνοντα πόλεις. ταύτας κατοπτεύειν. ἦν γὰρ ὁ ἀνὴρ φιλοΐστωρ. διέρχεται οὖν τὴν Ἀντιόχου πόλιν, ὑπερβαίνει τε τὴν Κοίλην, καὶ τὴν Φοινίκην, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν Παλαιστίνην, τὴν καὶ Ἰουδαίαν καλουμένην, μετὰ ἔτη μζ τῆς τῶν Ἱεροσολύμων ἐρημώσεως. καὶ ἄνεισιν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα τὴν περίπυστον πόλιν, καὶ ὀνομαστήν, ἣν κατέστρεψε Τίτος Οὐεσπασιανοῦ παῖς τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας. καὶ εὗρε τὴν πόλιν πᾶσαν ἠδαφισμένην, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Θεοῦ καταπεπατημένον, παρεκτὸς ὀλίγων οἰκημάτων, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας μικρᾶς οὔσης. ἔνθα ὑποστρέψαντες οἱ μαθηταὶ ὅτε ὁ Σωτὴρ ἀνελήφθη ἀπὸ τοῦ Ἐλαιῶνος, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον. ἐκεῖ γὰρ ᾠκοδόμητο· τουτέστιν ἐν τῷ μέρει Σιών, ἥ τις ἀπὸ τῆς ἐρημώσεως (a) παρελήφθη, καὶ μέρη οἰκήσεων περὶ αὐτὴν τὴν Σιών, καὶ ἑπτὰ Συναγωγαί, αἳ ἐν τῇ Σιὼν μόναι ἑστήκεσαν, ὡς καλύβαι, ἐξ ὧν μία (b) περιελήφθη, ἕως χρόνου Μαξιμωνᾶ τοῦ Ἐπισκόπου, καὶ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως, ὡς σκηνὴ ἐν ἀμπελῶνι, κατὰ τὸ γεγραμμένον. διανοεῖται οὖν ὁ Ἀδριανὸς τὴν πόλιν κτίσαι, οὐ μὴν τὸ ἱερόν. καὶ λαβὼν τὸν Ἀκύλαν τοῦτον τὸν προειρημένον ἑρμηνευτὴν, Ἕλληνα ὄντα, καὶ αὐτοῦ πενθερίδην ἀπὸ Σινώπης δὲ τῆς Πόντου ὁρμώμενον, καθίστησιν αὐτὸν ἐκεῖσε ἐπιτάττειν τοῖς ἔργοις τῶν τῆς πόλεως κτισμάτων, ἐπιτεθεικὼς τῇ πόλει τὸ ἴδιον ὄνομα, καὶ τοῦ βασιλικοῦ ὀνόματος τὸν χρηματισμόν. ὡς γὰρ ἐκεῖνος ὠνόμαστο Αἴλιος Ἀδριανός, οὕτως καὶ τὴν πόλιν ὠνόμασεν Αἰλίαν.

(a) C. παρελείφθη. (b) C. περιελείφθη.

rosolyma, sexagesimo quinto anno, & aliquot diebus elapsis post Christi passionem.

Domitianus annos XV. & menses quinque.

Nerva annum unum, menses quatuor.

Trajanus annos decem & novem.

Adrianus annos XXI. Cujus anno duodecimo Aquila floruit.

Ab Augusto igitur ad Adrianum anni colliguntur, centum octoginta, menses quatuor minus diebus novem. Ita ab eo tempore, quo septuaginta duo interpretes extiterunt usque ad Aquilam interpretes, sive ad duodecimum Adriani annum, anni CCCCXXX, menses quatuor.

XIV. Porro Adrianus iste corpore male affectus medicis omnibus, qui in toto Romano Imperio erant, arcessitis, ad medicinam suo corpori faciendam illos ullo fructu posuissent, ab imperatore risu ac ludibrio habiti sunt: usque adeo, ut mordaci in illos Epistola professionem ipsam artemque damnaret, ut quę nihil de ægritudine sua extricare potuisset. Itaque in Ægyptum profectus, cum Roma discedens urbes illas, quę in itinere positę sunt, obire ac perlustrare vellet, ut erat videndi, explorandique cupidus, inter cęteras Antiochiam, ac Cœlem Syriam, Phœnicem, & Palęstinam quę Judęa dicitur, anno quam eversa fuerat septimo & quadragesimo peragrans, Hierosolymam celeberrimam urbem ac nobilissimam contendit, quam Titus Vespasiani filius secundo Imperii sui anno subverterat. Hanc ille solo æquatam; templum ipsum destructum ac proculcatum reperit, paucis ædibus exceptis, ac parva quadam Christianorum Ecclesia, quæ in eo loco constituta fuerat, in quem discipuli, posteaquam Salvator in cœlum ex Oliveti monte subvectus est, sese recipientes cœnaculum conscenderunt. Erat illa quadam in Sionis parte constructa, quæ civitati superfuerat, cum Sioni propinquis aliquot ædificiis, ac septem Synagogis, quæ in eodem monte solæ velut tuguria perstiterant. Ex quibus una duntaxat ad Maximonæ præsulis, & Constantini Imperatoris tempora velut *umbraculum in vinea*, ut scripturæ verbis utar, relicta videbatur. Inter hæc Adrianus de urbe sola instauranda sine templo cogitans, Aquilam illum scripturæ, quem diximus, Interpretem Græcum hominem, socerumque suum Sinope, quod Ponti oppidum est, oriundum reficiendæ urbi præficit, quam de se ac de Imperatorio nomine appellari voluit, nimirum Æliam, cum Ælius Adrianus ipse vocaretur.

Ὁ τοίνυν Ἀκύλας διάγων ἐν τῇ Ἱερουσαλὴμ, ϗ ὁρῶν τοὺς μαθητὰς τῶν μαθητῶν Ἀποστόλων ἀνθοῦντας τῇ πίστει, ϗ σημεῖα μεγάλα ἐργαζομένους ἰάσεων, ϗ ἄλλων θαυμάτων. ἦσαν γὰρ ὑποστρέψαντες ἀπὸ Πέλλης τῆς πόλεως εἰς Ἱερουσαλὴμ, ϗ διδάσκοντες. ἡνίκα γὰρ ἔμελλεν ἡ πόλις ἁλίσκεσθαι ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, προεχρηματίσθησαν ὑπὸ Ἀγγέλου πάντες οἱ μαθηταὶ μεταστῆναι ἀπὸ τῆς πόλεως, μελλούσης ἄρδην ἀπόλλυσθαι. οἵτινες ϗ μετανάσται γενόμενοι ᾤκησαν ἐν Πέλλῃ τῇ προγεγραμμένῃ πόλει, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ἥ τις ἐκ Δεκαπόλεως λέγεται εἶναι. μετὰ δὲ τὴν ἐρήμωσιν Ἱερουσαλὴμ ἐπαναστρέψαντες, ὡς ἔφην, σημεῖα μεγάλα ἐπετέλουν. ὁ οὖν Ἀκύλας κατανυγεὶς τὴν διάνοιαν τῷ Χριστιανισμῷ ἐπίστευσεν. αἰτήσας δὲ μετὰ χρόνον τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα, ἐκομίσατο. ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης αὐτοῦ ἕξεως μὴ μεταθέμενος, τοῦ πιστεύειν δηλονότι τῇ ματαίᾳ ἀστρονομίᾳ, ἣν ἀκριβῶς ἐκπεπαίδευτο. ἀλλὰ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὸ θέμα τῆς αὐτοῦ γενέσεως σκεπτόμενος, ἐλεγχόμενός τε ὑπὸ τῶν διδασκάλων, ϗ ἐπιτιμώμενος ἕνεκα τούτου, μὴ διορθούμενος δὲ, ἀλλὰ ϗ φιλονείκως μᾶλλον ἀντιτιθέμενος, ϗ σπεύδων συνιστᾶν τὰ ἀσύστατα, τὴν εἱμαρμένην δηλονότι, ϗ τὰ περὶ αὐτῆς διηγήματα, ἐξεώσθη πάλιν τῆς Ἐκκλησίας, ὡς ἄχρηστος πρὸς σωτηρίαν. πικρανθεὶς δὲ τὴν διάνοιαν ὡς ἠτιμωμένος, εἰς ζηλουμάτιον αἴρεται: ϗ τὸν Χριστιανισμὸν ἀρνησάμενος, ϗ τὴν αὐτοῦ ζωὴν, προσηλυτεύει, ϗ περιτέμνεται Ἰουδαῖος, ϗ ἐπιπόνως φιλοτιμησάμενος ἐξέδωκεν ἑαυτὸν μαθεῖν Ἑβραίων διάλεκτον, ϗ τὰ αὐτῶν στοιχεῖα. ταύτην δὲ ἀκρότατα παιδευθεὶς, ἡρμήνευσεν, οὐκ ὀρθῷ λογισμῷ χρησάμενος, ἀλλ' ὅπως διαστρέψῃ τινὰ τῶν ῥητῶν, ἐνσκήψας τῇ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνείᾳ. ἵνα τὰ περὶ Χριστοῦ ἐν ταῖς γραφαῖς μεμαρτυρημένα, ἄλλως ἐκδώσει, δι' ἣν εἶχεν αἰδῶ, εἰς ἄλογον αὐτοῦ ἀπολογίαν.

XV. Aquila vero Hierosolymis degens, eorumque, qui Apostolorum auditores fuerant, discipulos fide, ac pietate florentes stupenda quædam prodigia curandis corporibus, ac cæteris id genus facientes animadvertens: Jam enim ex urbe Pella reduces docere cœperant. Nam cum urbis a Romanis instaret excidium, Discipuli omnes ab Angelo moniti sunt, ut ex ea urbe migrarent, quæ funditus evertenda paulo post foret. Hinc illi ex urbe digressi, Pellam sese recipiunt; quod oppidum ultra Jordanem in Decapoli numeratur. Inde post eversam urbem regressi ingentibus, uti dixi, claruere miraculis. Horum consuetudine vehementer animo commotus Aquila Christianam religionem amplectitur. Tum aliquanto tempore interjecto, Christianæ professionis sigillum uti petierat obtinet. Verum cum a priori usu, moribusque non discederet, & vanissimis Mathematicorum artibus, quas apprime callebat, nimium tribueret, adeoque genesin, atque horoscopum suum observaret indies, cum ob id a magistris objurgatus, ac reprehensus, emendare sese nollet: imo vero pervicaciter obluctans falsa quædam, minimeque cohærentia tueri, ac defendere vellet: ut puta fatum, & quæ cum eo connexa sunt, rursus ab Ecclesia, tanquam ad salutem minime idoneus, ejectus est. Qua ignominia vehementer exacerbatus, & stolido quodam mentis æstu percitus, Christianam professionem ejurat; & inter Judæorum proselytos adscriptus, ac circumcisus est. Inde totum se Hebraicis literis ediscendis vehementi cum animi contentione tradidit. Quam cum egregie, penitusque percepisset, ad interpretandum se contulit, non sincera animi inductione: sed ut quædam scripturæ loca depravaret, adversus septuaginta duos Interpretes impetum omnem conatumque dirigens: atque ut expressa sacris literis de Christo testimonia aliter ederet; quo nonnullum pudori ignominiæque suæ vel absurdum colorem, & excusationem quæreret.

Καὶ γίνεται οὕτω δευτέρα ἡ τούτου ἑρμηνεία, μετὰ ἀριθμὸν τοσούτων χρόνων, ὡς ἀνωτέρω γεγράφαμεν. ἐδυνάμεθα εἰπεῖν ϗ τὰς παραπεποιημένας αὐτῷ λέξεις, ἀγαπητέ, τὸν ἔλεγχον κατ' αὐτοῦ ἐχούσας ἐκ τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἡρμηνευμένων. ἀλλ' ἤδη περὶ τῆς τούτων διαφορᾶς ἄνω διηγησάμενοι, ἱκανῶς ἔχειν ἕως τῶν ὧδε ἐδικαιώσαμεν.

XVI. Hinc secunda scripturarum interpretatio ab illo origenem habuit, tanto post priorem intervallo, ut antea scripsimus. Possem hoc loco commemorare quæ ab eo corrupta depravataque sunt, ex quibus redargui ac confutari posset illius editio. Verum cum de illorum omnium translationum discrimine supra disseruerim, sufficere pauca illa quæ dicta sunt arbitror.

Μετὰ τοῦτον δὲ τὸν Ἀκύλαν, ϗ τὴν αὐτοῦ ἑρμηνείαν, διαδέχεται Ἀδριανὸν τὸν Βασιλέα.

Post Aquilam & illius interpretationem, succedit Adriano.

Ἀντωνῖνος ὁ ἐπικληθεὶς Πίος, ἑρμηνευόμενος εὐσεβὴς, ϗ βασιλεύει χρόνους κβ'.

Antonius Pius. Imperat annos viginti duos.

Hunc

Τοῦτον διαδέχεται Καράκαλλος, ὁ καὶ Γέτας, ὃς καὶ Μάρκος Αὐρήλιος (a) σευῆρ ἐλέγετο, καὶ βασιλεύει ἔτη ζ΄.

Ἐν τοῖς αὐτοῦ χρόνοις, καὶ Λούκιος Αὐρήλιος Κόμοδος βασιλεύει τὰ αὐτὰ ἑπτὰ ἔτη.

Περτίναξ μῆνας στ΄.

Σευῆρος ἔτη ιή.

Ἐν τοῖς τοῦ Σευήρου χρόνοις Συμμαχός τις Σαμαρείτης τῶν παρ᾽ αὐτοῖς σοφῶν μὴ ὑπὸ τοῦ οἰκείου ἔθνους, νοσήσας φιλαρχίαν, καὶ ἀγανακτήσας κατὰ τῆς ἰδίας φυλῆς, (b) προ- *** Ἰουδαίοις, καὶ προσηλυτεύει, καὶ (c) περιτέμνεται δευτέραν περιτομήν. καὶ μὴ θαύμαζε περὶ τούτου, ὦ ἀκροατά. γίγνεται γάρ. ὅσοι γὰρ ἀπὸ Ἰουδαίων Σαμαρείταις προσφεύγουσιν, ἀντιπεριτέμονται. ὡσαύτως καὶ οἱ ἀπὸ Σαμαρειτῶν πρὸς Ἰουδαίους ἐρχόμενοι. τὸ δὲ ἔτι τούτων χαλεπώτερον, ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκρόβυστοι γίνονται, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπασθισθέντες, ῥαφέντες τε, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες, ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτὴν ἀποτελοῦσιν· ἔχεις καὶ τὴν μαρτυρίαν παρὰ τῷ ἁγίῳ Ἀποστόλῳ, ὦ φιλοκαλώτατε, δι᾽ ὧν αὐτοῖς ῥήμασιν ὧδέ πως λέγει· περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω. ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ὑπάρχει, μὴ περιτεμνέσθω. ταύτην δὲ τὴν παράδοσιν τῆς κακοδαίμονος ἐννοίας φασὶ τὸν Ἠσαῦ τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακὼβ εὑρηκέναι πρὸς ἀπαρνησιθεΐαν, καὶ πρὸς ἀφανισμὸν τοῦ τῶν πατέρων αὐτοῦ χαρακτῆρος. διὸ φασὶ τὸν Θεὸν εἰρηκέναι, ἐμίσησα τὸν Ἠσαῦ, τὸν δὲ Ἰακὼβ ἠγάπησα. οὗτος τοίνυν ὁ Σύμμαχος πρὸς διαστροφὴν τῶν παρὰ Σαμαρείταις ἑρμηνειῶν ἑρμηνεύσας, τὴν, τρίτην ἐξέδωκεν ἑρμηνείαν.

Μετὰ τοῦτον δὲ κατὰ πόδας ἐν τῷ ἑξῆς χρόνῳ, τουτέστι περὶ τὴν τοῦ δευτέρου Κομόδου βασιλείαν τοῦ βασιλεύσαντος μετὰ τὸν προειρημένον Κόμοδον Λούκιον Αὐρήλιον ἔτη ιγ΄, Θεοδοτίων τις Ποντικὸς ἀπὸ τῆς διαδοχῆς Μαρκίωνος τοῦ Αἱρεσιάρχου τοῦ Σινωπίτου, μηνιῶν καὶ αὐτὸς τῇ αὐτοῦ αἱρέσει, καὶ εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἀποκλίνας, καὶ περιτμηθεὶς καὶ τὴν τῶν Ἑβραίων φωνὴν, καὶ τὰ αὐτῶν στοιχεῖα παιδευθεὶς, ἰδίως καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε. διὸ τὰ πλεῖστα τοῖς ἑβδομηκονταδύο συνᾳδόντως ἐξέδωκε. τριβὰς γὰρ εἶχεν οὗτος τὰς πλείστας ἀπὸ τῆς συνηθείας τῶν ἑβδομηκονταδύο. γένοιο τοίνυν κριτὴς, ὦ φιλοκαλώτατε, τῆς τοιαύτης ὑποθέσεως, παρὰ τίσι μᾶλλον εὑρεθήσεται ἡ ἀλήθεια, παρὰ τοῖς τρισὶ τούτοις, Ἀκύλᾳ λέγω, καὶ Συμμάχῳ, καὶ Θεοδοτίωνι, τοῖς μὴ ἐπιτοαυτὸ γενομένοις, ἀλλ᾽ ἰδίᾳ ἕκαστον καὶ ἐν καιρῷ καὶ τόποις ἀλλήλων διεστῶσι, καὶ οὐ πολλοῖς, ἀλλὰ τρισὶ μόνοις, καὶ μὴ (d) δυνηθεὶς ἄλλοις συμφωνῆσαι· ἢ πα-

(a) C. Θοῦρος. (b) F. προωχθεὶς.
(c) προσφεύγει. (d) C. συνηθῆσιν ἀλλήλοις.

Hunc excipit Caracalla, qui & Geta, & Marcus Aurelius Verus dicebatur, annos ſeptem.

Eodem tempore imperavit Lucius Aurelius commodus annis perinde ſeptem.

Tum Pertinax menſes ſex.

Severus annos octodecim:

Hujus porro Severi temporibus Symmachus quidam Samaritanus extitit, ex eorum numero, qui apud illos ſapientes habentur. Qui ambitione ac principatus cupiditate ductus, cum voti apud ſuos compos eſſe non poſſet, tribulibus iratus ſuis, ad Judæos transfugit, & inter proſelytos profeſſus iterato circunciditur. Quod ne forte mireris, ſcias velim iſtud ipſum in more eſſe poſitum, ut qui a Samaritanis ad Judæos tranſeunt, aut viciſſim qui ad Judæos a Samaritanis confugiunt, novam circuncisionem ſuſcipiant. Imo vero quod moleſtius eſt, poſt circunciſionem rurſus ad præputium redeunt. Etenim medica quadam arte, eoque quem ſpatiſtherem vocant, glandis cuticulam attrahentes conſuunt, ac glutino circum adſtringunt, atque ita præputium recuperant. Poteſt hoc quod dicimus Apoſtoli autoritate comprobari: cum his verbis utitur: *Circunciſus quiſpiam vocatus eſt: ne is præputium adducat. Cum præputio vocatur aliquis? ne circuncidatur.* Quod nefarium ac deteſtandum artificium ab Eſau Jacobi fratre repertum memorant, ut eo facilius ejurare Deum, & acceptam a majoribus notam abolere poſſet. Unde natam illam Dei vocem exiſtimant: *Eſau odio habui, Jacob autem dilexi.* Igitur Symmachus, ut Samaritanorum interpretationes everteret, tertiam eſt aggreſſus.

XVII. Poſt hunc brevi poſtea tempore, hoc eſt Commodo altero imperante, qui poſt Lucium Aurelium Commodum tredecim annis imperavit; Theodotio quidam genere Ponticus ex Marcionis Sinopenſis Hæreſiarchæ factione ſuis partibus offenſus ad Judæos defecit, & circumciſus eſt. De hinc Hebraica lingua, & eorum literis inſtitutus privatam editionem exorſus eſt. Qui quidem in pleriſque cum ſeptuaginta conſentit, quod in eorum lectione tritus, ac longa conſuetudine exercitatus fuerat. Tu vero quiſquis es erudite, ac ſtudioſe, de tota cauſa ſtatuito: apud quos veritas ipſa reperiri certius poſſit: utrumnam apud illos tres, Aquilam, Symmachum, & Theodotionem: qui nunquam inter ſe capita contulerunt; ſed privatim ſinguli ſuis quiſque temporibus, & locorum intervallo diſſiti in eam ſcriptionem incubuerunt: neque plures tribus extiterunt, ac denique ſecum ipſi con-

ρα τοῖς ἑβδομηκονταδύο τοῖς πρώτοις, ὑφ' ἕνα καιρὸν γεγονόσι, καὶ ἑρμηνεύσασι, καὶ εἰς τριακονταὲξ μέρη κατὰ πρόσταγμα βασιλέως διαιρεθεῖσι, καὶ ἀνὰ δύο πρὸς ἀλλήλους συνδοιάσαι· ἐκ Πνεύματος δὲ ἁγίου ὑπὸ μίαν συμφωνίαν τὴν πᾶσαν ἑρμηνείαν ἐκδεδώκασι, καὶ ὅπου προσθήκης γέγονε χρεία σαφηνείας ἕνεκα τοῦ λόγου προστεθεῖσι, καὶ συμφώνως ἀλλήλοις συμφωνήσασι, καὶ ἐκδοῦσι, καὶ ταῦτα ἀγνοοῦσι τί ἕκαστος καθ' ἑαυτὸν ἑρμηνεύει. ὅπου δὲ πάλιν ἐκβολῆς λόγων τινῶν χρεία, ἐπίσης ἐκβαλοῦσι, καὶ συνωδόντως ἑρμηνεύσασιν, ὥσπερ εἰ ἐν τῷ ἅμα πάντες ἐκάθηντο, καὶ συμβουλευτικῶς ἀλλήλοις ἡρμήνευον. εὔδηλον ὅτι ἐν τοῖς ἑβδομηκονταδύο εὑρεθήσεται ἡ ἀλήθεια. ὥστε γνωστὸν τοῦτο τοῖς φιλαλήθως ἐξετάζειν βουλομένοις, ὅτι οὐ μόνον ἑρμηνευταὶ ἐκεῖνοι γεγόνασιν. ἀλλὰ καὶ ἀπὸ μέρους Προφῆται. ὧν γὰρ οὐκ ἦν χρεία εἰς ἑρμηνείαν, παρῆκαν, ἅ τινα εἰς ὕστερον ἐν τοῖς φωνῶν αὐτῶν τόποις μετὰ ἀστερίσκων Ὠριγένης συνέθηκεν. ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ προστεθέντα οὐκ ἀφείλετο, εἰδὼς ὅτι αὐτῶν μάλλον ἐστι χρεία, ἀλλὰ μετὰ ὀβελῶν, ἔνθα ἕκαστον τῶν εἰρημένων (a) εὗρον εἴασε, μόνον σημειωσάμενος διὰ τοῦ ὀβελοῦ τὴν περὶ τὴν τοῦ τόπου ἀναγνώστεως εἴδησιν. διὰ δὲ τῶν λημνίσκων ὡσαύτως ἐδήλωσε τὴν παρά τισιν ἐκ τῶν ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευτῶν συναμφοτέρως εὑρεθεισῶν, ὡς ἐν σπάνει ὀλίγων λέξεων τὴν δήλωσιν οὐκ ἀνομοίων οὐσῶν, ἀλλ' ὁμοίων μὲν, καὶ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἐχουσῶν. ὡς ἂν εἴποι τις ἀντὶ τοῦ ἐλάλησεν, ἐφθέγξατο, ἢ ἀντὶ τοῦ ἦλθεν, ἐλήλυθε. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν τεσσάρων ἑρμηνειῶν συγγεγράφαμεν.

Περὶ δὲ τῆς πέμπτης καὶ ἕκτης ἐκδόσεως, οὐκ ἔχω εἰπεῖν τίνες, ἢ πόθεν οἱ ἑρμηνεύσαντες, ἢ μόνον ὅτι μετὰ τὸν διωγμὸν τοῦ βασιλέως Σευήρου εὑρέθη ἡ πέμπτη ἐν πίθοις, ἐν Ἱεριχῷ κεκρυμμένη, ἐν χρόνοις τοῦ υἱοῦ Σευήρου τοῦ ἐπικληθέντος Καρακάλλου τε, καὶ Γέτα. καθεξῆς γὰρ ὁ τῶν ἀπὸ Ἀντωνίνου τοῦ Πίου τοῦ εὐσεβοῦς ἐπικεκλημένου, καθ' (b) ἑρμηνείαν ὁ χρόνος τῶν βασιλευσάντων, ταύτην ἔχει τὴν διαδοχήν.

Μετὰ Ἀντωνῖνον τὸν Πίον βασιλεύει Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος, ὁ καὶ Οὐῆρος ἔτη ιθ.

Μετὰ τοῦτον Κόμοδος ἄλλος βασιλεύει ἔτη ιγ. περὶ οὗ χρόνον γνωρισθῆναι Θεοδοτίωνα εἴπομεν, τὸν τὴν τετάρτην ἑρμηνείαν ἑρμηνεύσαντα.

Κόμοδον τοῦτον διαδέχεται Περτίναξ ἄλλος, καὶ βασιλεύει μῆνας ἕξ.

Τοῦτον διαδέχεται Σευῆρος ἄλλος, σὺν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἀντωνίνῳ, καὶ βασιλεύουσιν ἔτη ιη.

Τελευτήσαντος δὲ Σευήρου διαδέχεται τὸ

(a) ἄριν. (b) For. εἰμιν.

concordes esse nequiverunt: an apud septuaginta duos illos priores, qui eodem tempore omnes vixerunt, & interpretati sunt, ac triginta sex domiciliis Regis imperio distributi nulla inter se communicatione habita, sancti Spiritus instinctu scripturarum interpretationem admirabili consensione sic ediderunt, ut ubicumque perspicuitatis gratia addendum aliquid esset, concorditer adjicerent, cum quæ alterius interpretatio foret penitus ignorarent: rursus vero sicubi dissimulari aliquid oporteret, ex æquo omnes rejicerent, & inter se congruerent. Perinde ac si eundem in locum convenientes, communicato invicem consilio de interpretandi ratione statuissent. Quis non statim LXXII. illis palmam veritatis adjudicet? Imo vero si quis veritatis ipsius amorem ad inquisitionem attulerit, non illos interpretes modo, verum etiam Prophetas quodammodo fuisse cognoscet. Nam illi quæcumque inutilia erant, ac supervacanea, interpretando prætereierunt. Quæ postmodum Origenes suis locis adscribens Asteriscis notavit. Similiter & quæ ab illis adjecta fuerant circumscribere noluit, quod necessaria crederet; sed obelos iis omnibus locis, ut illa repererat, appinxit, ut de eorum lectione constaret. At Lemniscis voces aliquot insigniit, quæ in nonnullis LXX. Interpretum exemplaribus repetitæ, & quidem rarius, occurrunt: quæ significatione nihil admodum discrepant; sed inter se similes sunt, & eadem potestate præditæ. Exempli caussa si quis pro *locutus est* scribat, *dixit*: vel pro *venerat*, *venit*. Ac de IV. Editionibus hactenus.

Quod ad Quintam, ac Sextam editionem attinet, quos autores aut cujus generis habeat certo affirmare nequeo. Illud unum constare video; post Imperatoris Severi persecutionem, Quintam Editionem in Hierichuntis oppido quibusdam in doliis, ubi latebat, inventam fuisse, imperantibus Caracalla, atque Geta Severi Filiis. Nam ab Antonino Pio Romanorum Imperatorum series ejusmodi fuit.

Antonio Pio successit Marcus Aurelius Antoninus, qui & Verus dictus est annos XIX.

Post hoc, commodus alius imperat, annos XIII. Cujus tempore Theodotionem, extitisse diximus, qui Quartæ Editionis autor est.

Commodo succedit Pertinax. Imperavit menses VI.

Hinc Severus cum Antonino filio annis XVIII.

Mortuo Severo, succedit Antoninus ejus Filius, qui & Geta & Caracalla nomi-

ἀρχὴν αὐτοῦ Ἀντωνῖνος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὁ ϗ Γέτας ἄλλος, ὁ ϗ Καρακάλλος ἐπικληθεὶς, ϗ ποιεῖ ἔτη ζ. ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ αὐτοῦ ἔτει εὑρέθησαν ϗ βίβλοι της πέμπτης ἐκδόσεως ἐν πίθοις, ἐν Ἱεριχῷ κεκρυμέναι, μετὰ ἄλλων βιβλίων Ἑβραϊκῶν ϗ Ἑλληνικῶν.

Τὸν δὲ Καρακάλλον διαδέχεται Ἀντωνῖνος ἕτερος, βασιλεύσας ἔτη δ.

Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσεν Ἀλέξανδρος ὁ Μαμαίας παῖς, ἔτη ιγ. ἐν μέσῳ τῶν χρόνων τούτων εὑρέθη ἕκτη ἔκδοσις, ϗ αὐτὴ ἐν πίθοις κεκρυμμένη ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ακτία.

Μετὰ τοῦτον βασιλεύει Μαξιμιανὸς ἔτη γ.

Τοῦτον διαδέχεται Γορδιανὸς, ϗ βασιλεύει ἔτη ἕξ.

Μετὰ τοῦτον βασιλεύει Φίλιππος ἐπὶ ἔτεσιν ζ'.

Τοῦτον διεδέξατο Δέκιος, ϗ ἐβασίλευσεν ἐνιαυτὸν ἕνα, ϗ μῆνας γ.

Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Δεκίου Ὠριγένης ἐγνωρίζετο, ἀπὸ χρόνων Δεκίου ἀκμάσας, ἕως (a) Γαλιήνου ϗ Οὐολουσιανοῦ, ϗ ἐπέκεινα.

Ἐπὶ δὲ τοῦ γεγονότος διωγμοῦ τοῦ Δεκίου, ἐμαρτύρησεν μὲν Βαβύλας ἐν Ἀντιοχείᾳ, Φλαβιανὸς δὲ ἐπὶ Ῥώμης, Ἀλέξανδρος Ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων ἐν Καισαρείᾳ.

Καὶ αὐτὸς δὲ Ὠριγένης πολλὰ πεπονθὼς, εἰς τέλος τοῦ μαρτυρίου οὐκ ἔφθασεν. ἐλθὼν δὲ εἰς Καισαρείαν τὴν Στράτωνος, ϗ διατρίψας εἰς Ἱεροσόλυμα χρόνον ὀλίγον, εἶτα ἐλθὼν εἰς Τύρον ἐπὶ ἔτη κη, ὡς ὁ λόγος ἔχει, τὴν μὲν πολιτείαν ἐνησκεῖτο, τὰς δὲ γραφὰς ἡρμήνευσεν· ὅτε ϗ τὰ ἑξαπλᾶ, ϗ τὰς δύο τῶν Ἑβραϊκῶν σελίδας ἄντικρυ ἐκ παραλλήλου μιᾶς ἑρμηνείας πρὸς τὴν ἑτέραν συνέθηκεν, ἑξαπλᾶς τὰς βίβλους ὀνομάσας, καθάπερ μοι ἄνω διὰ πλάτους εἴρηται.

Εὑρὼν δὲ τῆς πέμπτης, ϗ ἕκτης ἐκδόσεως τὰς βίβλους, καθ' ὃν εἴπομεν τρόπον, ϗ μὴ γνοὺς τίνες εἶεν οἱ ἑρμηνεύσαντες αὐτὰς, καθ' οὓς εὑρέθησαν χρόνους, ταῖς πρὸ αὐτῶν τέσσαρσιν ἀκολούθως τῇ παραθέσει συνυφήνας, τὴν μίαν πέμπτην ὠνόμασεν, ἐπιγράψας διὰ τοῦ πέμπτου στοιχείου τῆς πέμπτης τὸν ἀριθμὸν, ϗ δηλώσας τὸ ὄνομα· ὡσαύτως δὲ ϗ τὴν μετ' αὐτὴν τὸ ἐπίσημον ἐπιγράψας τὸ τῆς ἕκτης ἑρμηνείας ὄνομα ἐδήλωσεν. ἀλλὰ ϗ τεχνικῶς τοῦτο εἰργάσατο, ὅπερ τῶν φιλολόγων τινὰς λανθάνει. ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἑξαπλοῖς, ἢ ὀκταπλοῖς. τετραπλᾶ γάρ εἰσι τὰ Ἑλληνικὰ, ὅταν αἱ τοῦ Ἀκύλα, ϗ Συμμάχου, ϗ τῶν ἑβδομηκονταδύο, ϗ Θεοδοτίωνος ἑρμηνεῖαι συντεταγμέναι ὦσι. τῶν τεσσάρων δὲ τούτων σελίδων ταῖς δυσὶ ταῖς Ἑβραϊκαῖς συναφθεισῶν, ἑξαπλᾶ καλεῖται. ἐὰν δὲ ϗ πέμπτη, ϗ ἡ ἕκτη ἑρμηνεία συναφθῶσιν, ἀκολούθως τούτοις ὀκταπλᾶ καλεῖται. τινὲς τοίνυν, ὡς ἔφην, ταύταις ταῖς βίβλοις ἐντυγχάνοντες, ϗ εὑρίσ-

(a) C. Γάλλου.

minatur. Imperavit annos VII. Septimo vero anno Quintæ editionis libri Hierichunte in doliis reperti sunt, cum aliis libris Hebraicis ac Græcis.

Caracallæ ſuccedit Antoninus alius, qui Imperavit annos IV.

Secutus eſt Alexander filius Mameæ annis XIII. Per hæc tempora Editio VI. quæ & ipſa in doliis latebat, Nicopoli ad Actium eſt inventa.

Alexandrum Maximianus excepit A.III.

Huic Gordianus ſucceſſit, annis VI.

Poſt hunc Philippus, annos VII.

Tum Decius anno I. menſibus III.

Decii porro tempore illuſtris habitus eſt Origenes; floruitque ab imperante Decio uſque ad Gallum, & Voluſianum, & ultra.

Cæterum in perſecutione Decii martyrium ſubiit Babylas Antiochiæ; Fabianus, Romæ, Alexander Epiſcopus Hieroſolymorum, Cæſareæ.

Quin & Origenes ipſe quamvis multa ſit paſſus martyrii exitum minime eſt adeptus. Qui Cæſaream Stratonis primum, inde Hieroſolyma ſeſe conferens, paululum iſtic moratus, Tyrum poſtea conceſſit. Ubi annorum octo & viginti ſpatio degens, cum ſeveriſſimam, uti ferunt, vitæ diſciplinam inſtituit, tum ad Scripturarum enarrationem animum adjecit. Quo tempore Hexapla illa ſua compoſuit, Hebraicis duabus paginis, adjectis; atque unam editionem ex adverſo alterius oppoſuit, eoſque libros Hexaplos nominavit, uti ſupra copioſius explicavimus.

XIX. Porro cum editionis V. ac VI. libros eo, quo diximus, modo repeririſſet, nec de autoribus conſtaret, habita temporum, quibus inventæ ſunt, ratione, primum ad ſuperiores illas quatuor conſequenter unam attexuit quam appellari Quintam voluit, & inſcripta quinta litera, ordinem illius oſtendit. Idem in VI. ſecutus eſt, quam epiſemo præfixa, editionis ſextæ nomine vulgavit. Qua in re ſingulare quoddam ineſt artificium, quod eruditos pleroſque latere ſolet. Qui cum Hexapla, vel Octapla legunt. (Nam Tetrapla IV. Græcis editionibus conſtant; cum nimirum Aquilæ translatio priore loco poſita: tum Symmachi: deinde LXXII. ac poſtremo Theodotionis in unum corpus conflantur. Quibus ſi Hebraicæ duæ editiones acceſſerint, Hexapla vocantur. Quod ſi V. & VI. editionem adjunxeris, conſequens eſt ut Octapla nominentur.) Sed cum illos Libros quidam, ut diximus,

χοντες τὰς δύο Ἑβραϊκὰς (a) στρωτοῖς κειμένας, μετὰ ταύτας δὲ τοῦ Ἀκύλα τεταγμένην, μεθ' ἣν καὶ τὴν τοῦ Συμμάχου, ἔπειτα τὴν τῶν ἑβδομηκονταδύο, μεθ' ἃς ἡ τοῦ Θεοδοτίωνος συντέτακται, καὶ ἑξῆς ἡ πέμπτη τε, καὶ ἕκτη, δοκοῦσι πρώτους ἑρμηνεῦσαι τὸν Ἀκύλαν, καὶ τὸν Σύμμαχον, τῶν ἑβδομηκονταδύο κατὰ τὴν τάξιν τῆς θέσεως, ὅπερ οὐκ ἔστιν. ἀλλ' Ὠριγένης πυθόμενος τὴν τῶν ἑβδομηκονταδύο ἔκδοσιν ἀκριβῆ εἶναι, μέσην ταύτην συνέθηκεν, ὅπως τὰς ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν ἑρμηνείας διελέγχῃ. τοῦτο δὲ μόνον Ὠριγένης χρησίμως ἐποίησεν. ἵνα δὲ καὶ τῶν Ῥωμαίων βασιλέων τὴν ἀκολουθίαν, ἣν ἠρξάμεθα ποιεῖν, μὴ παραλείψωμεν, αὖθις τὰς τῶν ἄλλων βασιλέων διαδοχὰς, καθὼς ἕκαστος ἐβασίλευσεν, ὑποτάξωμεν.

Μετὰ (b) Γαλίηνον καὶ Οὐαλουσιανὸν τοὺς προγεγραμμένους βασιλεύσαντας ἐπὶ ἔτεσι δύο καὶ μησὶ τέσσαρσιν, ἐβασίλευσεν Οὐαλεριανὸς, καὶ Γαλίηνος ἐπὶ ἔτεσι δώδεκα. ἐν τῷ ἐνάτῳ οὖν ἔτει τῆς τούτων βασιλείας ἀνέβη Μάνης ἀπὸ τῆς Περσίδος. ὅτε καὶ πρὸς Ἀρχέλαον τὸν Ἐπίσκοπον Κασχάρων τῆς Μεσοποταμίας συζητήσας, καὶ τὸ ἧττον ἀπενεγκάμενος, λεληθότως ἀπέδρα, καὶ ἐλθὼν εἰς Διοδωρίδα κώμην τῆς Κασχάρων περιοικίδος, καὶ συζητήσας Τρύφωνι τῷ ἁγίῳ Πρεσβυτέρῳ, τελείως ὑπ' αὐτοῦ κατῃσχύνθη. διὸ καὶ ἔμελλε λίθοις ὑπὸ τῶν λαῶν θανατοῦσθαι· λυτρωθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου Ἀρχελάου, καὶ ἀνακάμψας εἰς τὴν Περσίδα, κελεύσει τοῦ Περσῶν βασιλέως, καλάμῳ ἐξεδάρη, καὶ οὕτως τὸ τέλος τοῦ βίου κατέστρεψε.

Μετὰ Οὐαλεριανὸν, καὶ Γαλίηνον βασιλεύει Κλαύδιος ἐνιαυτὸν ἕνα, καὶ μῆνας θ'.

Τοῦτον διαδέχεται Αὐρηλιανὸς, καὶ βασιλεύει ἔτη ε, καὶ μῆνας ἕξ.

Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Τάκιτος μῆνας ἕξ.

Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Πρόβος ἔτη ἕξ, καὶ μῆνας δ.

Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Κάρος, ἅμα τοῖς τοῖς παισὶ Κασίνῳ, καὶ Νουμεριανῷ ἔτη δύο.

Μετὰ τοῦτον Διοκλητιανὸς ἅμα Μαξιμιανῷ, καὶ Κωνσταντίῳ ἔτη ιγ. ἐφ' ὧν ὁ κραταιὸς διωγμὸς γεγένηται, διαρκέσας ὅλοις δώδεκα ἔτεσι. παυσαμένου δὲ τοῦ διωγμοῦ, βασιλεύει Διοκλητιανὸς ἄλλον ἕνα ἐνιαυτὸν, καὶ παύεται τῆς βασιλείας οὐετρανίσας. Μαξιμιανὸς δὲ κακῷ μόρῳ ὀφθαλμίᾳ τε, καὶ πάθει σωματικῷ περιπεσὼν, ἐξεβολβίσθη τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτομάτῳ νόσῳ, καθ' ὃν τρόπον διέθετο τοὺς μάρτυρας. καὶ οὕτως τὸν βίον κατέστρεψε, καταλείψας Λικίνιον, καὶ Κωνστάντιον βασιλεύοντας.

(a) F. ἐν πρώτοις. (b) Γάλλον.

mus, evolvunt, & priores esse duas editiones Hebraicas vident, ac deinceps Aquilæ, tum Symmachi, inde LXX. Seniorum: deinde Theodotionis, postremo V. atque VI. Aquilam & Symmachum, pro eo, quo dispositi sunt, ordine LXX. ipsos antecessisse falso suspicantur. Sed Origenes videlicet cum LXX. Interpretum editionem accuratissimam esse persuasum haberet, mediam omnium esse voluit, ut ad eam utrinque dispositæ cæteræ, tanquam ad amussim exigi, redarguique possent. Quod unum Origenis inventum longe utilissimum fuit. Sed ut inchoatam Romanorum Imperatorum seriem prosequamur cæterorum successiones & Imperii tempora subjicienda putavimus.

XX. Igitur post Gallum & Volusianum, quos supra commemoravimus; qui annis duobus ac mensibus quatuor imperarunt, successere Valerianus & Galienus annis duodecim. Quibus annum nonum imperantibus, Manes e Perside ad Romanorum Imperium accessit. Quo tempore cum Archelao Cascharorum in Mesopotamia Episcopo disputando superatus clanculum aufugit, & ad pagum quendam Cascharis, vicinum nomine Diodoridem profectus, Ibidemque cum Tryphone Presbytero congressus, convictus, atque extremo pudore perfusus est: ex quo lapidibus a populo esset obrutus; nisi eum Archelaus Episcopus eripuisset. Unde cum reversus esset in Persidem, Persarum regis jussu cutis illi acutissimo calamo detrahitur, itaque mortem obiit.

Post Valerianum & Galienum Claudius imperavit annum, menses IX.

Successit Aurelianus annos quinque menses VI.

Post hunc Tacitus menses VI.

Inde Probus annos VI. menses IV.

Post hunc Carus cum filiis, Carino, & Numeriano annos II.

Tum Diocletianus cum Maximiano & Constantio annos XIII. Quorum tempore magna illa persecutio contigit, quę duodecim annos tenuit. Post persecutionem imperavit Diocletianus alium unum annum: Moxque abdicato Imperio velut emeritus, ac veteranus privatæ vitæ se se tradidit. Maximianus vero infelici fato, oculorum præsertim, ac totius corporis ægritudine conflictatus, sponte evulsis radicitus oculis, miserrime periit, cum eadem esset expertus, sponte evulsus radicitus oculis, miserrime periit, cum eadem esset expertus, quæ martyribus inflixerat, relicto Licinio, ac Constantio Imperatoribus. Quibus vita defunctis.

Con-

Τούτους τελευτήσαντας διαδέχεται Κωνσταντῖνος ὁ μακαρίτης, βασιλεύσας ἔτη λβ.

Ὃς τελευτήσας τούτους ἰδίους παῖδας κατέλιπε βασιλεύειν, Κώνσταντα, καὶ Κωνστάντιον, καὶ Κωνσταντῖνον.

Μεθ' οὓς Ἰουλιανὸς, Ἰουβιανός τε, καὶ Οὐαλεντιανὸς ὁ μέγας, καὶ Οὐάλης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, καὶ Γρατιανὸς υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ, καὶ Οὐαλεντιανὸς νεώτερος, υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ, (a) τοῦ ἀδελφοῦ Γρατιανοῦ. καὶ Θεοδόσιος ὁ θεοφιλέστατος βασιλεὺς, καὶ Ἀρκάδιος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, καὶ Ὁνώριος ἐπιφανέστατος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ. ὧν τὰ ἔτη μέχρι τῆς Ἀρκαδίου ὑπατείας τὸ δεύτερον, καὶ Ῥουφίνου ἀριθμοῦνται νζ. ἐφ' ὧν, ἐτελεύτησεν ὁ Οὐαλεντινιανὸς ὁ νεότερος, υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ μεγάλου, εὑρεθεὶς ἄφνω ἐν τῷ Παλατίῳ πεπνιγμένος, ὡς λόγος, ἐν εἰδοῖς Μαΐαις, πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Πεντηκοστῆς, ἐν ἡμέρᾳ Σαββάτου. αὐτῇ δὲ τῇ ἡμέρᾳ τῆς Πεντηκοστῆς ἐξεκομίσθη. ἦν δὲ κατ' Αἰγυπτίους τότε μηνὸς Παχὼν, μία καὶ εἰκὰς κατὰ δὲ Ἕλληνας Ἀρτεμισίου τρίτη καὶ εἰκὰς, κατὰ Ῥωμαίοις δὲ πρὸ δεκαεπτὰ Καλάνδων Ἰουνίων.

Ἕως ἐνταῦθα φιλοκαλώτατε ἀρκεσθέντες τοῖς προειρημένοις, ἅπασι τὴν τῶν ἑρμηνευτῶν ὑπόθεσιν ἐδηλώσαμεν. εἶθ' ἑξῆς εἰς τὰ ἐπίλοιπα καθὼς (b) ὑπειχόμεθα, σαῖς εὐχαῖς, ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ, τὸν νοῦν ἐπιδῶμεν περὶ τῶν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς σταθμῶν τε καὶ μέτρων, καὶ ἀριθμῶν δηλώσοντες, πόθεν ἕκαστον ὠνόμασται, καὶ τίνος ἕνεκα οὕτως κέκληται, καὶ πόθεν τὴν πρόφασιν τῆς ὀνομασίας εἴληφε, καὶ τίς ἑκάστου τούτων ἡ ποιότης, καὶ ἡ ὁλκὴ, καὶ ἡ δύναμις.

Μέτρον οὖν ἐστι κόρος. κεῖται δὲ ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίῳ, ὅθεν ὁ Σωτὴρ ἐπαινεῖ τὸν φρόνιμον οἰκονόμον τοῖς χρεωφειλέταις. ἀντὶ κόρων τοσούτων ἐν τοῖς σφῶν αὐτῶν χειρογράφοις τοσούτων μεταγραψάμενον. ἀντὶ δὲ τοσούτων βάτων ἐλαίου, τοσαῦτα ποιήσαντα. ὀνόματα γάρ εἰσι μέτρων τάδε, λεθὲκ, γόμορ, βάτος, σάτον, μόδιος, κόμος, χοῖνιξ, ὕφη σεμιδάλεως, δρὰξ ἀλεύρου, ἀρτάβη τρία μέτρα σεμιδάλεως, τρία κανᾶ χονδριτῶν, νέβελ οἴνου, κόλλαθον, ἀλάβαστρον μύρου, καμψάκης ὕδατος, κοτύλη ἐλαίου, κύαθος μετρητὴς οἴνου, μετρητὴς ἐλαίου, τρυβλίον, ξέστης, ἀμφορεὺς, ἀπόρρυμα, σαβιθὰ, ἵν, χοῦς, στάμνος χρυσῆ, ἐν ᾗ ἀπέκειτο τὸ μάννα, μάρης, κύπρος, κογγιάριον. εἴληπται τοίνυν ὁ κόρος ἐκ τῆς Ἑβραϊκῆς διαλέκτου, ὃς καλεῖται χόρ. εἰσὶ δὲ μόδιοι λ. χὸρ δὲ λέγεται ἀπὸ τοῦ βουνοῦ ὑποθέσεως. χαρία γὰρ καλεῖται βουνός. βουνισθέντες δὲ καὶ οἱ τριάκοντα μόδιοι, ποιοῦσι φορτίον καμήλου. λεθὲκ δὲ, ὡς ἐν τῷ Ὠσηὲ τῷ Προφήτῃ εἴρηται, ὅτι ἐμισθωσάμην ἐμαυτῷ λεθὲκ κριθῶν, ἐν ἀντιγράφοις δὲ γόμορ κριθῶν, τὸ αὐτό ἐστι. δέκα γὰρ καὶ πέντε μόδιοι σημαίνονται οὗτοι· λεθὲκ δὲ κα-

(a) Leg. ἀδελφός. (b) For. ὑπεχόμεθα.

Constantinus beatæ memoriæ imperavit annis XXXII.

Qui mortuus successores habuit Imperii filios suos, Constantem, & Constantium, ac Constantinum.

Excepit hos Julianus: tum Jovinianus, Valentianus magnus, & Valens frater ejus, & Gratianus filius Valentiniani; deinde Valentinianus Junior, Valentiniani filius, frater Gratiani, & Theodosius religiosissimus Imperator. Demum Arcadius, Theodosii filius, & Honorius illustrissimus, frater ejus. Quorum anni usque ad Arcadium II. & Rufinum Coss. numerantur LVII. Quibus Coss. mortuus est Valentinianus Junior Valentiniani magni filius: qui subinde uti ferunt, præfocatus in Palatio repertus est, Idibus Maji, pridie Pentecostes, die Sabbati, ipso vero die Pentecostes elatus est. Erat tum apud Ægyptios mensis Pachon, dies vicesima prima: juxta Græcos Artemisi mensis tertia & vicesima: secundum Romanos decimo septimo Kalend. Junias.

XXI. Hactenus studiose lector paucis, quæ dicenda putavimus, contenti, totam Interpretum historiam exposuimus. Nunc deinceps ad cætera, quemadmodum te interpellante promisimus, o vir Dei! animum applicemus: deque ponderibus, & mensuris, ac numeris agemus, & unde uniuscujusque nomen ac cujus gratia deductum sit, quæque nominis occasio fuerit; tum quæ cujusque conditio, quod pondus sit ac potestas, aperiemus.

Corus itaque mensuræ genus est: de quo in Evangelio Lucæ fit mentio: quo in loco prudentem dispensatorem Dominus ipse collaudat, qui debitoribus pro tot coris qui in illorum chirographis continebantur, tot rescripsit, & acceptos tulit: nec non & pro tot olei batis, tot reposuit. Mensurarum porro hæc sunt nomina: lethec, gomor, batus, satum, modius, cabus, chœnix ephi similaginis, pugillus farinæ, artaba, tres mensuræ similaginis, tria canistra panum chondritarum ex alica: uter vini, collathon, alabastrum unguenti, campsaces aquæ, hemina olei, cyathus, metreta vini, metreta olei tryblion, sextarius, amphora aporryma, sabitha, in, chus, sive congius, urna aurea, in qua repositum erat manna, mares, cypros, congiarium. Corus itaque ex Hebraica lingua desumtus est, a quibus *chor* dicitur. In modios continet XXX. Nomen ei a clivo petitum. Nam Hebraice *charia* clivus appellatur, Triginta porro modii in acervum, ac veluti clivum collecti, cameli onus efficiunt. Lethec autem ab Osea Propheta nominatim exprimitur. *Mercede con-*

κατὰ τὴν τῶν Ἑβραίων φωνὴν κέκληται, ὅ ἐστιν ἔπαρμα, ἀπὸ τοῦ δύνασθαι τῷ νεανίᾳ ἐπαρθῆναι τοῦτο δεκαπέντε μοδίους, καὶ ἐπιτεθῆναι τῷ ὄνῳ. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ τὸ γόμορ καλεῖται. δύο δὲ εἰσὶ γόμορ, μέγα καὶ μικρόν. ὧν τὸ μέγα ἰσόμετρόν ἐστι τῷ λεθὲκ, δεκαπέντε καὶ αὐτὸ ὂν μοδίων. τὸ δὲ μικρὸν δώδεκα (a) βάθου. καὶ τοῦτο ἀπὸ τῆς Ἑβραϊκῆς διαλέκτου παρῆκται, συνωνύμως τῷ ἐλαιοτριβείῳ καλούμενον βὶθ. (b) βάδου γὰρ ἑρμηνεύεται ἐλαιοτριβεῖον, ἐστὶ δὲ ξέστων πεντήκοντα. τὸ δὲ μέτρον ἐστὶ τῆς τοῦ ἐλαιοτρίπτου ἐργασίας. μνασὶς, ἡ ἡ μέδιμνος, οἶμαι ἐκ τῆς Ῥωμαϊκῆς γλώσσης παρήχθησαν. τὸ γὰρ μεδιοὺμ, μέσον ἑρμηνεύεται ἐν αὐτῇ τῇ γλώσσῃ. μανασὴς τοίνυν παρὰ Κυπρίοις μετρεῖται καὶ παρ' ἄλλοις ἔθνεσιν. ἐστὶ δὲ καὶ μόδιοι σίτου, ἡ κριθῶν εἰς τὴν τῶν δέκα καὶ ἑπτὰ ξέστων, παρὰ Κυπρίοις μόδιον. μέδιμνος δὲ παρ' αὐτοῖς τοῖς Κυπρίοις διάφορος. τὸν γὰρ μέδιμνον Σαλαμίνιοι, εἴτουν Κωνστάντιοι ἐκ πέντε μοδίων ἔχουσι. Πάφιοι δὲ καὶ Σικελοὶ τεσσάρων ἥμισυ μοδίων αὐτὸν μετροῦσιν. σάτον καλεῖται, ἐξ αὐτῆς τῆς Ἑβραΐδος διαληφθὲν, θηλυκῶς δὲ ἐκφωνούμενον. ἐν δὲ τῇ Ἑλληνίδι οὐδετέρως. σάτον γὰρ λέγεται, καὶ οὐχὶ σάτος. ἔστι δὲ μόδιος ὑπέργομος, ὥστε πληροῦσθαι μὲν τὸν μόδιον, διὰ δὲ τοῦ ὑπεργίνεσθαι τὸ τέταρτον τοῦ μοδίου. κέκληται δὲ σάτα κατὰ τὴν αὐτὴν διάλεκτον ἐκφωνούμενον, λῆψις, ἡ ἄρσις, ἀπὸ τοῦ τὸν μετροῦντα ἔξει τινὶ τὸ μέτρον λαμβάνειν τε, καὶ κουφίζειν. τοῦ δὲ μοδίου τὸ ὄνομα διὰ πολλῆς ἀκριβείας ὑπὸ τῶν Ἑβραίων εὑρέθη εἰκοσιδύο ξέστον ὑπάρχον, οὐχ ἁπλῶς δὲ, οὐδ' ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ διὰ πολλὴν ἀκρίβειαν. ὁ γὰρ δίκαιος μόδιος, καθὼς εἴωθεν ὁ νόμος λέγειν, κατὰ τὸ μέτρον τὸ ἅγιον ἐμετρήθη. τὸ δὲ ἅγιον μέτρον οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ τὰ κβ ἔργα, ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις τῆς ἑβδομάδος.

Τῇ μὲν γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐποίησε τοῦτο ἀνωτέρους οὐρανοὺς, τὴν γῆν, τὰ ὕδατα. ἐξ ὧν στοιχείων, καὶ κρύσταλλος, καὶ χάλαζα, καὶ παγετοὶ, καὶ δρόσος, τὰ πνεύματα τὰ λειτουργοῦντα ἐνώπιον αὐτοῦ, ἅ τινά ἐστι τάδε, Ἄγγελοι προ προσώπου, καὶ Ἄγγελοι τῆς δόξης, καὶ Ἄγγελοι πνευμάτων πνεόντων, Ἄγγελοι νεφελῶν, καὶ γνόφων, χιόνος, καὶ χαλάζης, καὶ πάγου, Ἄγγελοι φωνῶν, βροντῶν, ἀστραπῶν, ψύχους, καύματος, χειμῶνος, φθινοπώρου, ἔαρος, καὶ θέρους, καὶ πάντων τῶν πνευμάτων τῶν κτισμάτων αὐτοῦ τῶν ἐν οὐρανοῖς, καὶ ἐν τῇ γῇ, τὰς ἀβύσσους, τήν τε ὑποκάτω τῆς, καὶ τοῦ χάως

(a) F. βάθων. (b) F. βάθον.

duxi mihi lethec ordei. In exemplaribus quibusdam *gomor ordei* legitur, quod idem est. Quindecim enim modii significantur. Lethec porro Hebræorum lingua elevationem sonat, ex eo quod adolescens modios XV. attollere, & imponere asino possit. Eadem mensura etiam Gomor vocatur. Sunt autem duo genera Gomor, magnum, & parvum. Magnum ejusdem mensuræ est cum lethec, ac quindecim modios etiam ipsum continet, parvum vero duodecim batos. Atque hoc ex Hebraica lingua deductum est, ejusdemque nominis est cum vase, quo oleum excipitur, appellaturque bith. Batos enim vas quoddam est, in quod oleum exprimitur, sextariorum quinquaginta, estque mensura officinæ oleariæ. Mnasis aut medimnus ex Romana, ut puto, lingua deductus est, a voce *medium*. Mnasis itaque apud Cyprios, & apud alias gentes mensuram habet propriam, decem videlicet frumenti, hordeique modios continens. Modius apud Cypros sextariorum est decem ac septem: medimnus apud eosdem diversus est: Medimnum enim Salaminii, sive Constantii quinque modiis definiunt: Paphii & Siculi quatuor cum dimidio. Satum Hebræorum dictio est, quam hi feminino genere usurpant, Græci neutro, a quibus satum non satus dicitur. Estque modius redundans ac superfluens: quod ad eum quadrantis fiat accessio. Hebraice porro Sata *sumtionem*, *sive elationem* significat; quod qui metitur mensuram capere, & attollere consueverit. At modii vocabulum subtili quadam apud Hebræos ratione duorum & viginti sextariorum esse reperitur, quod non temere, nec utcunque, sed subtilissima, uti diximus, observatione factum. Nam legitimus justusque modius, id quod in Lege sæpius inculcatur, ad sacram mensuram exigi solebat. Quæ mensura nihil aliud significat, quam XXII. illa opera, quæ sex hebdomadis diebus molitus est Deus.

XXII. Etenim primo die superiores illos orbes cœli, cum aquis, terraque fabricavit. Quibus ex elementis glacies, grando, gelu, roresque gignuntur. Tum administros Spiritus, qui coram illo apparitione funguntur; cujusmodi sunt; Angeli assistentes; Angeli gloriæ; Angeli spirituum flantium Angeli nubium, accaliginis, nivis, grandinis atque glaciei: Angeli fragorum, tonitruorum, fulgurum, frigoris, æstus, hiemis, autumni, veris, æstatis, omniumque spirituum, qui creatis rebus insunt omnibus, quas cœlum terraque complectitur. Ad hæc abyssos, ac voragines creavit, quæ infra terram sunt ac chaos, & te-

καὶ σκότος, ἑσπέρα καὶ νὺξ, τὸ φῶς ἡμέρας τε, καὶ ὄρθρου. ταῦτα τὰ ἑπτὰ μέγιστα ἔργα ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ.

Ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ τὸ στερέωμα τὸ ἐν μέσῳ τῶν ὑδάτων, καὶ τὴν διαμέρησιν τῶν ἐπάνω τοῦ στερεώματος ὑδάτων, καὶ τῶν ὑποκάτω τοῦ στερεώματος ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. τοῦτο μόνον ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ.

Τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ τὰς θαλάσσας, τουτὸ ποταμοὺς, τὰς πηγὰς, καὶ λίμνας, τὰ σπέρματα τοῦ σπόρου. τὰ βλαστήματα, τὰ ξύλα τὰ κάρπιμά τε, καὶ ἄκαρπα, τουτὸ δρυμούς. ταῦτα τὰ τέσσαρα ἔργα τὰ μέγιστα ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ.

Τῇ δὲ τετάρτῃ τὸν ἥλιον, τὴν σελήνην, τουτὸ ἀστέρας. ταῦτα τὰ τρία ἔργα τὰ μεγάλα ἐποίησε ὁ Θεὸς ἐν τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ.

Τῇ δὲ πέμπτῃ τὰ κήτη τὰ μεγάλα, τουτὸ ἰχθύας, καὶ τὰ ἄλλα ἑρπετὰ τὰ ἐν τοῖς ὕδασι, τὰ πετεινὰ, τὰ πτερωτά. ταῦτα τὰ τρία ἔργα τὰ μεγάλα ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ.

Τῇ δὲ ἕκτῃ ἡμέρᾳ τὰ θηρία, τὰ κτήνη, τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, τὸν ἄνθρωπον. ταῦτα τὰ τέσσαρα μεγάλα ἔργα ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ. καὶ ἐγένετο πάντα τὰ ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις παρὰ τοῦ Θεοῦ ποιηθέντα, ἔργα κβ. καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς πάντα ἐν τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ, ὅσα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ἐν τῇ γῇ, ἐν ταῖς θαλάσσαις, καὶ ἐν ταῖς ἀβύσσοις, ἐν τῷ φωτὶ, καὶ ἐν τῷ σκότει, καὶ ἐν πᾶσι.

Καὶ ἀνεπαύσατο ὁ Θεὸς ἐκ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ ἐν τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ, καὶ ηὐλόγησεν αὐτὴν, καὶ ἡγίασεν αὐτὴν, καὶ ἐδήλωσε δι' Ἀγγέλου τῷ Μωϋσῇ, ὅτι καὶ εἰκοσιδύο κεφάλαια ἀπὸ Ἀδὰμ ἄχρι τοῦ Ἰακὼβ. καὶ ἐκλέξομαι ἐμαυτῷ ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ λαὸν περιούσιον ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν. αἱ δὲ κεφαλαὶ περὶ ὧν εἶπεν ὁ κύριος, εἰσὶν αὗται. Ἀδὰμ, Σὴθ, Ἐνὼς, Ἐνὼχ, Ἀρφαξὰδ, Σάλα, Καϊνάν, Φαλὲκ, Μαλελεὴλ, Ἔβερ, Ραγαῦ, Ἰάρεδ, Σεροὺχ, Ναχὼρ, Μαθουσάλα, Θάρα, Λάμεχ, Νῶε, Ἀβραὰμ, Ἰσαὰκ, Ἰακὼβ, Σήμ. ὁμοῦ εἰκοσιδύο γενεαί. διὸ καὶ εἰκοσιδύο εἰσὶ τὰ παρὰ τοῖς Ἑβραίοις γράμματα, καὶ πρὸς αὐτὰ καὶ τὰς βίβλους αὐτῶν κβ' ἠρίθμησαν εἰκοσιεπτὰ οὔσας· ἀλλ' ἐπειδὴ διπλοῦνται πέντε παρ' αὐτοῖς στοιχεῖα, εἰκοσιεπτὰ καὶ αὐτὰ ὄντα, καὶ εἰς κβ' ἀποτελοῦνται, τούτου χάριν καὶ τὰς βίβλους κζ' οὔσας, κβ' πεποιήκασιν.

Ὧν πρώτη Βρησὴθ, ἣ καλεῖται Γένεσις κόσμου. ἐλησιμώθ, ἡ Ἔξοδος τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου. οὐδωϊεκρὰ, ἣ ἑρμηνεύεται Λευιτικόν. ἰουδδαβὴρ, ἥ ἐστιν Ἀριθμῶν. ἐλλεδεβαρεὶμ, τὸ Δευτερονόμιον. διησοῦ, ἡ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ. διώβ, ἡ τοῦ Ἰώβ. διασωφθεὶμ, ἡ τῶν Κριτῶν. διαρούθ, ἡ τῆς Ῥούθ. σφερτελεὶμ, τὸ

tenebras. Secuta est vespera, nox, diei lux, ac diluculi. Septem hæc primaria opera Deus primo die perficit.

Secundo vero die firmamentum, quod in medio aquarum est, condidit, & earundem aquarum, quæ supra firmamentum sunt ab iis quæ sub firmamento, atque in terræ superficie porriguntur, divortia constituit. Unum hoc opus secundo die confectum est.

Tertio die maria, flumina, fontes, lacus, semina, stirpes, fructiferas arbores ac steriles, silvas denique procreavit. Quatuor hæc præcipua Deus opera tertio die fabricavit.

Quarto die Solem, Lunam, ac stellas; tria videlicet insignia opera, Deus elaboravit.

Quinto die grandiora cete, pisces, ac cætera in aquis repentia, nec non & aves, ac volatilia. Quæ tria sunt præcipua quinti diei opera.

Sexto die feras, pecudes, terra proserpentes bestias, hominemque designavit. Quatuor hæc majora Deus opera sexto die perfecit. Colligitur operum omnium summa, quæ sex diebus edita sunt, duo & viginti. Nam sexto die absoluta sunt a Deo omnia, quæ cœlo, terra, mari, abyssis, luce, tenebris, cæterisque continentur.

Septimo deinde die cessavit ab omni prorsus opere Deus, eique diei benedixit, ac consecrari voluit, idque per Angelum Moysi significavit. Eodem pertinere potest, quod ab Adamo ad Jacobum duo & viginti capita numerantur: *Et Eligam*, inquit, *mihi ex ejus stirpe populum peculiarem*, *ex omnibus gentibus*. Capita porro illa, de quibus locutus est Dominus ista sunt: Adam, Seth, Enos, Enoch, Arphaxad, Sala, Cainam, Phalec, Malaleel, Heber, Ragau, Jared, Seruch, Nachor, Mathusala, Thare, Lamech, Noe, Abraam, Isaac, Jacob, Sem. Colliguntur generationes duæ & viginti. Unde & XXII. sunt apud Hebræos literæ: secundum quas perinde XXII. libros numerant, licet XXVII. proprie sint. Verum quoniam quinque apud illos literæ duplicantur, fiuntque quodammodo XXVII. quæ in XXII. contrahitur; ideo XXVII. quoque libros in XXII. conferunt.

XXIII. Primus est Beresith, quæ Genesis appellatur. Tum Ellesemoth; quæ est Exodus, hoc est egressio filiorum Israel ex Ægypto. Vajicra; qui est Leviticus. Vajeddaber, hoc est Numerorum liber. Elledebarim, Deuteronomium. Liber Jesu filii Nave. Job, Sophetim, id est, Judi-

Ψαλτήριον. δεβρίιαμείμ, ἡ πρώτη τῶν Παραλειπομένων. δεβρίιαμείμ, Παραλειπομένων δευτέρα. δεμουὲλ, Βασιλειῶν πρώτη. δαδουδεμουὴλ, Βασιλειῶν δευτέρα. δμαλαχεὶ, Βασιλειῶν τρίτη. δμαλαχεὶ, Βασιλειῶν τετάρτη. δμεαλὼθ, ἡ Παροιμιῶν. δεκωέλεθ, Ἐκκλησιαστής. σιρασιρεὶμ, τὸ Ἆσμα τῶν ᾀσμάτων. δαθαειασαραὶ, τὸ Δωδεκαπρόφητον. Δησαΐου, τοῦ Προφήτου Ἡσαΐου. διερεμίου, ἡ τοῦ Ἱερεμίου. διεζεκιὴλ, ἡ τοῦ Ἰεζεκιήλ. διδανιὴλ, ἡ τοῦ Δανιὴλ, διδέσδρα, ἡ τοῦ Ἔσδρα πρώτη. διδέσδρα, ἡ τοῦ Ἔσδρα δευτέρα. δεσθηρ, ἡ τῆς Ἐσθήρ. αὗται δὲ αἱ εἰκοσιεπτὰ βίβλοι κβʹ ἀριθμοῦνται κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν στοιχείων. ἐπειδήπερ καὶ πέντε στοιχεῖα διπλοῦνται, καθὼς ἄνω προείπωμεν. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη μικρὰ βίβλος, ἣ καλεῖται Κινὼθ, ἥ τις ἑρμηνεύεται θρῆνος Ἱερεμίου. αὕτη δὲ τῷ Ἱερεμίᾳ συνάπτεται, ἥ τις ἐστὶ περιοστὴ τοῦ ἀριθμοῦ, καὶ τῷ Ἱερεμίᾳ συναπτομένη. οὗτοι οἱ εἰκοσιδύο ἀριθμοὶ πανταχοῦ φερόμενοι, καὶ ἐν διαφόροις εἴδεσιν ἀριθμούμενοι, ἔν τε τοῖς εἰκοσιδύο ἔργοις, οἷς ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις τῆς κοσμοποιίας, καὶ ἐν εἰκοσιδύο γενεαῖς ἀπὸ Ἀδὰμ ἄχρι τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ἐν τοῖς εἰκοσιδύο στοιχείοις τῶν γραμμάτων ἀπὸ ἄλεφ ἄχρι τοῦ θαῦ, καὶ ἐν τοῖς κβʹ βίβλοις ἀπὸ τῆς Γενέσεως ἄχρι τῆς Ἐσθὴρ, μέτρον ἡμῖν (a) ἐγενήθησαν κβʹ ξέστων, ὃ καλεῖται παρ᾽ Ἑβραίοις μόδη, παρ᾽ Ἕλλησι δὲ μόδια, διὰ τὴν τρανότητα, παραπλησίως δὲ καὶ Αἰγύπτιοι μέν τοι τοῦτο καλοῦσιν, ὁμοίως δὲ καὶ Σύροι, καὶ Ἄρραβες μόδια λέγουσιν, ὃ ἑρμηνεύεται ὁμολογία. πληρωθεὶς γὰρ ὁ μόδιος, ὁμολογεῖ ὅτι πεπλήρωμαι. καλεῖται δὲ καὶ γνώμων.

Τῷ δὲ ἀριθμῷ τῶν κβʹ ἔργων τοῦ Θεοῦ τῶν ἀπαρχῆς, καὶ τῶν κβʹ γενεῶν ἕως τοῦ Ἰακὼβ, καὶ τῶν κβʹ βιβλίων ἕως τῆς Ἐσθὴρ, καὶ διὰ τῆς κβʹ γραμμάτων ὑποθέσεως, ἐξ ὧν ὁ νόμος τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πάρεστι, καὶ Θεοῦ διδασκαλία ἡμῖν προτετύπωται, τοῦτο δηλοῦται, ὅτι ἐκ τοῦ νόμου, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ μυστηρίων, ὁ Χριστὸς ἡμῖν ἐρχόμενος ἐμαρτυρήθη, καὶ ἀπεκαλύφθη· ὃς ἐλθὼν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἐπλήρωσεν ἡμῖν τὸ μέτρον τῆς ζωῆς διὰ τοῦ μοδίου, τουτέστι τῆς ὁμολογίας παντὶ τῷ εἰς αὐτὸν ὁμολογήσαντι, καὶ τὴν ζωὴν παρ᾽ αὐτοῦ κομισαμένῳ. διὸ τὸ μέτρον τὸ ἅγιον Ἑβραῖοι λέγουσιν, ὅ ἐστι κβʹ ξεστῶν, κατὰ τοῦτο προειρημένους· πολλοὶ γὰρ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, ἢ προσέθεντο, ἢ ἀφείλαντο ἀπὸ τοῦ μέτρου τούτου, τοῦ ἀκριβῶς παρ᾽ Ἑβραίοις ἀριθμηθέντος. ἀλλὰ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις συμβέβηκεν ὁμοιοκαταλήπτως μοδίου μέτρον καλεῖσθαι, ὥσπερ παρ᾽ Ἑβραίοις τὸ ἄλεφ τῷ παιδίῳ τὸ μανθάνειν παραινεῖ. καὶ παρ᾽ Ἕλλησι τὸ ἀλφεῖν, ζητεῖν συμβέβηκε καλεῖσθαι.

(a) deeſt aliquid.

dicum, Ruth, Sepher Tehillim, hoc eſt Pſalterium. Dibre haiiamim, ſive primus Paralipomenon liber: Dibre haijamim, ſecundus Paralipomenon liber. Samuelis primus, ſive regnorum primus. Samuelis, ſive regnorum ſecundus; Meachim, ſive regnorum tertius: Melachim ſive regnorum quartus. Miſchle, ſive Proverbiorum liber. Coheleth, hoc eſt Eccleſiaſtes. Sirhaſſirim, Cantica Canticorum. Dathariaſara, hoc eſt XII. Prophetæ. Eſaias Propheta: Hieremias, Ezechiel, Daniel. Liber primus Eſdræ. Liber ſecundus Eſdræ. Eſther. Hi ſunt ſeptem & viginti libri: qui cum numero literarum exæquantur, literis quinque geminatis, ut ſupra monuimus. Eſt & alius quidam exiguus liber, qui Cinoth inſcribitur, hoc eſt lamentationes Hieremiæ, qui extra numerum ad Hieremiam adjungitur. Cæterum viginti duorum iſte numerus ubique reperitur, ac diverſis in rebus cernitur; velut in viginti duobus operibus, quæ Deus ſex illis diebus, qui in mundi fabricationem inſumpti ſunt, elaboravit. Tum in viginti duabus generationibus, quæ ab Adamo ad Iſraelem, intercedunt. Item in viginti duabus literis ab Aleph, ad Thau. Poſtremo in duobus & viginti libris, qui ab Geneſi ad Eſther uſque cenſentur. Ita modius menſura nobis eſt ſextariorum duorum, & viginti. Quem Hebræi mode vocant. Græci expeditioris pronuntiationis gratia, modia. Idem & apud Ægyptios nomen eſt; ſed & Syri, & Arabes modia vocant, quod confeſſionem ſignificat. Nam impletus modius plenum ſe eſſe confitetur. Idem & Gnomon appellatur.

XXIV. Cæterum numerus ille duorum operum, & viginti, quæ Deus initio molitus eſt; tum generationum totidem, quæ ad Jacobum uſque propagatæ ſunt, & viginti duorum librorum ad Eſther uſque, ac literarum viginti duarum, quibus Dei lex conſignata nobis eſt, ac Dei primum informata doctrina, illud ipſum ſignificare videtur, venturum olim Chriſtum, legis ejuſque myſteriorum teſtimonio declaratum eſſe, atque patefactum. Qui in hunc mundum veniens vitæ nobis menſuram in Evangelio per modium implevit, hoc eſt confeſſionem, & iis omnibus, qui illius fidem profitentur, ac vitam ejus beneficio conſequuntur. Quam ob cauſam menſuræ genus ſanctum ab Hebræis dicitur, quod ex allatis rationibus duos & viginti ſextarios capit. Nam pleræque gentes ad eam menſuram addiderunt aliquid, vel ei detraxerunt, cum apud Hebræos numerus accuratiſſime ſibi conſtet. Quinetiam apud Romanos

ὅθεν δηλονότι καὶ τὸ ἄλφα ἐξ Ἑβραΐδος παρηνέχθη εἰς τὴν Ἑλληνίδα. τὸ γοῦν μόδιον, ὡς ἐκ τῆς Ἑβραΐδος εὑρέθη, ὁμολογεῖν λεχθὲν, ὡς πολλάκις εἶπον, διὰ τῆς χρήσεως ἑρμηνευόμενον. εἰ μὴ γὰρ αὐτὸν πληρεστάτως γεμίσειέ τις, οὐχ ὁμολογεῖ ὅτι πεπλήρωμαι. πλήσας δὲ τὸ μέτρον, καὶ ῥυτλιάσας, ὁμολογεῖ ὅτι πεπλήρωμαι.

Κάμος δὲ ἐξ αὐτῆς τῆς διαλέκτου διάφορον μέτρον ἐστὶν, ἤγουν τὸ τέταρτον μοδίου.

Χοῖνιξ δὲ καὶ ὑφὴ ἓν μὲν ἐστι, διττῷ δὲ ὀνόματι κέκληται, ἔστι δὲ δύο ξέστων καὶ ποσημορίου.

Δρὰξ ἀλεύρου· τοῦτο ἀπερίεργον ἐστι, καὶ πᾶσι δῆλον.

Ἀρτάβη, τοῦτο τὸ μέτρον παρ' Αἰγυπτίοις ἐκλήθη. ἔστι δὲ ἑβδομηκονταδύο ξέστων. ἐκ πολλῆς δὲ ἀκριβείας καὶ τοῦτο οὕτως συνήχθη· ἑβδομηκονταδύο ἄνδρες τότε τὸν πύργον ᾠκοδόμουν, ὅτε καὶ εἰς ἑβδομηκονταδύο γλώσσας ἐκ μιᾶς συνεχέθησαν· ὅθεν καὶ μέροπες ἐκλήθησαν εἰς τὴν μεμερισμένην φωνήν. τὸ δ' αὐτὸ (τὸ) μέτρον καὶ ὁ μετρητὴς ἔχει, κατὰ τὸ μέτρον τὸ ἅγιον.

Τρία μέτρα σεμιδάλεως, ἃ τοῖς Ἀγγέλοις Ἀβραὰμ τῇ Σάρρᾳ ἑτοιμάζειν προσέταττεν, ἐξ ὧν μέτρων (a) ἐγκρυφίαν ἄρτου γενέσθαι ἐνετείλατο. ταῦτα δὲ τὰ μέτρα ἕκαστον γόμον ἐχώρει.

Τὸ δὲ γόμον δέκατον ἦν τοῦ μεγάλου μέτρου, τουτέστι τῆς ἀρτάβης, ὃ γίνεται ἑπτὰ ξέστων καὶ πέμπτον.

Τρία κανᾶ χονδριτῶν, ἔνθα εἰώθασι τότε ἀποτίθεσθαι τοὺς χονδρίτας. ἔστι δὲ εἶδος ἄρτου εἰς δύο τεμνομένου.

Νέβελ οἴνου, ὅπερ ἐστὶ μέτρον ξέστων ρν.

Τὸ σάτον νϛʹ ξέστων ὑπάρχει.

Ἀλάβαστρον μύρου, βικίον μὲν ἐστιν ὑέλινον, χωροῦν λίτραν (b) ἔλαιον. τὸ δὲ μέτρον ἐστὶ ξέστου τὸ ἥμισυ. ἀλάβαστρον δὲ κέκληται διὰ τὸ εὔθρυπτον.

Καμψάκης ὕδατος, ιβʹ ξέστων ὕδατός ἐστι τὸ μέτρον. ὁ δὲ τῷ Ἠλίᾳ ἑτοιμασθεὶς καμψάκης, τεσσάρων ἐστὶ ξέστων.

Ἐστι τὸ μέτρον κοτύλη, ἥμισυ ξέστου ὑπάρχει. κέκληται δὲ κοτύλη ἀπὸ τοῦ τὸν ξέστην εἰς δύο κόπτεσθαι.

Κύαθός ἐστιν ἕκτον ξέστου. μεθεχὼθ δὲ λέγει τοῦτο κυάθους ἡ γραφή. τὰ δὲ μασμαρὼθ λέγει τοῦτο διϋλιστῆρας, οὓς καὶ ἡμεῖς καλοῦμεν. τῷ αὐτῷ δὲ ὀνόματι ἀμφότερα κέχρηνται, ἐπεὶ καὶ τὴν αὐτὴν ἐνέργειαν ἔχουσι.

(a) F. ἐγκρυφίας ἄρτους. (b) C. ἐλαίου.

nos æqualis mensura modius appellatur; quemadmodum apud Hebræos Aleph litera puerum ad discendum adhortatur; cui simile verbum apud Græcos ἀλφεῖν *investigare* significat. Ex quo manifestum est vocem hanc alpha in Græcam linguam ab Hebraicam esse translatam. Sic igitur modius ab Hebræis profluxit: apud quos idem est ac confiteri, eaque vocis notio ad usum ipsum pertinet. Nam nisi quis illum cumulatissime compleverit, plenum se esse non fatetur. Sed cum mensuram impleverit, & æquatus radio fuerit, tum se plenum confitetur.

Camus ab eodem Hebraicæ linguæ fonte quartam modii partem continet.

Chœnix, & Ephi unum & idem est duplici nomine comprehensum: duos sextarios & aliquid amplius complectitur.

Pugillus farinæ difficile nihil habet, estque omnibus plane cognitus.

Artaba Ægyptiorum propria vox est, & sextarios continet duos & septuaginta: qui numerus quoddam in se mysterium continet. Nam septuaginta duo viri turrim illam extruxerunt: quo tempore in duas & septuaginta linguas ex una divisi sunt. Unde & *meropes* ab vocis divisione nominati sunt. Idem modus est & metrete, si sacræ mensuræ rationem habeas.

Tres mensuræ farinæ sunt hæ, quas Abraamus ad Angelorum prandium Saræ præparare, & indidem subcineritios penes conficere jussit. Cujus mensuræ singulæ partes Gomor capiunt.

Est autem Gomor mensuræ majoris, sive Artabæ decima pars, quæ sextarios septem, & quintam unius partem continet.

Tria canistra chondritarum, sive panum alicariorum vasa sunt, quibus chondritæ illi reponuntur, quod est genus panis, qui bifariam dividitur.

Nebel vini sive uter sextarios capit centum quinquaginta.

Satum sextarios LVI.

Alabastrum unguenti, ampulla est vitrea, quæ libram olei capit; estque dimidii sextarii mensura. Alabastri porro nomen a fragilitate reperit.

Campsaces aquæ XII. habet sextarios: At ille campsaces, qui Eliæ præparatus est, sextariorum erat quatuor.

Cotyla dimidium sextarium continet, & a Græca voce κόπτεσθαι nomen sortitur, eo quod sextarius duas in partes secatur.

Cyathus sextarii pars est sexta. Porro scriptura cyathos medechoth appellat; uti masmaroth saccos, vel cola nominat; quo eodem nomine promiscue utuntur, cum eundem usum & potestatem habeant.

Ca-

Τρυβλίον, ὀψόβαφόν ἐστι τῷ πλάσει, ἤτοι παροψὶς, ἥμισυ δὲ ξέστου τὸ μέτρον ἔχει. ξέστης ὁ Ἀλεξανδρινὸς δύο λιτρῶν φέρει ὁλκὴν ἐν τῷ ἐλαίῳ.

Ἀπόῤῥυμα δὲ παρὰ μόνοις Θηβαίοις μετρεῖται. ἥμισυ γὰρ τοῦ Σαΐτου ἐστίν. ὁ δὲ ἀληθινὸς Σαΐτης ξέστων ἐστὶν κβ'.

Σαβιθὰ, τοῦτο Συριακόν ἐστι τὸ ὄνομα, ὃ ἑρμηνεύεται (a) ληνιαῖον ἄντλημα, παρὰ Ἀσκαλωνίταις ξέστων κβ'.

Ἴν, τὸ ἶν μέγα ξέστων ἐστὶ ιή, τὸ δὲ ἅγιον ἶν ξέστων θ'.

Χοῦς ἐστι ξέστων ή. τὸ δὲ καλούμενον ἅγιον. ξέστων στ', ὅ ἐστι δωδέκατον μετρητοῦ.

Τάλαντόν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον πᾶν σταθμώμενον μέτρον, κατὰ δὲ τὸν (b) λυειςμὸν ρκε λιτρῶν ὑπάρχει.

Ἑξ λεπτὰ ταλάντου, ἑπτὰ ἀσσάρια· τὰ δὲ ἑπτὰ λεπτὰ τῶν ἀσσαρίων ρ ὑπάρχει δηνάρια.

Ὁ ἀργυροῦς δὲ ἐτυπώθη ἀπ' ἀρχῆς τὸ νόμισμα, ἐκ δὲ τῶν ἀσσαρίων τοῦτο ἐτυπώθη. φασὶ δὲ τὸν Ἀβραὰμ εἰς τὴν Χαναναίαν τὸν τύπον ἐνηνοχέναι.

Τοῦ δὲ ταλάντου τῶν ρκε λίτρα μία. ἡ δὲ λίτρα δεκαδύο οὐγγίαι ὑπάρχει. ἡ δὲ οὐγγία ἔχει στατῆρας δύο.

Ὁ δὲ στατὴρ ἥμισυ μὲν οὐγγίας, ἔχων, δὲ δίδραχμα.

(Περὶ σίκλου) (c) σίκλος, ὃ λέγεται καὶ κοδράντης, τέταρτον μὲν ἐστι τῆς οὐγγίας, ἥμισυ δὲ τοῦ στατῆρος, δύο δραχμὰς ἔχον. τῆς γὰρ οὐγγίας ἦν ἡ δραχμή.

Ἐκαλεῖτο δὲ ὁλκὴ ἡ δραχμὴ τοῦ αὐτοῦ σταθμοῦ τῷ σίκλῳ τῷ σταθμίζοντι κατὰ καιρὸν τὴν κεῖχα τοῦ Ἀβεσαλὼμ, ὅτε ἐκουρεύετο, ὁλκὴν ἐχούσαν ρκε σίκλων, ὅ ἐστιν οὐγγία σίκλου ἑνὸς, γινομένη λίτραι δύο ἥμισυ.

Ὀβολὸς, καὶ αὐτὸς ἐν ἀργυρείοις τετύπωτο. μέτρον δὲ εἶχε καὶ οὗτος τῆς οὐγγίας, οὐκ ἐξ ἀργύρου πεποιημένος, ἀλλὰ ἀπὸ σιδήρου. ἦν δὲ καὶ ἕτερος ὀβολὸς ἐξ ἀργύρου τυπούμενος, νόμισμα ὤν, ὃ ἦν λεπτότατον, ὀγδοηκοστὸν τῆς οὐγγίας. λέγει γὰρ ἐν τῷ Λευιτικῷ, τὸ δὲ δίδραχμον εἴκοσι ὀβολοί. ὅτι δὲ τέταρτόν ἐστι τῆς οὐγγίας τὸ δίδραχμον, ἤδη ἐδιδάξαμεν.

Χαλκοί, τούτους οἱ Αἰγύπτιοι ἐφεύροντο. ἀργύρια δὲ ἐστι τετυπωμένα δύο, καὶ παρὰ Ἀλεξανδρεῦσι τὰ ἀργύρια καλοῦνται χάλκινα. ἔστι δὲ ὁ χαλκοῦς τῷ σταθμῷ ὄγδοον οὐγγίας, ὡς ἡ δραχμή.

Μνᾶς, ἥ τις τῇ Ἑβραΐδι μνήμη καλεῖται. ἡ δὲ Ἰταλικὴ μνᾶς τεσσαράκοντα στατήρων ἐστὶν, ὅπερ οὐγγιῶν κ, λίτρας μιᾶς καὶ διμοίρου.

(a) Reg. λημνιαῖον. (b) F. λιτεισμόν.
(c) Titulus esse videtur, & σίκλου legendum.

Catinus vas est ad eorum vasorum formam, quibus ad intinctus utimur, quæ & paropsis vocatur, continetque sextarii dimidium. Sextarius Alexandrinus Verus enim Saiticus duas olei libras capit.

Aporrhyma apud solos Thebanos in usu est, & Saitico dimidio minor est. Sextarios capit XXII.

Sabitha Syriaca vox est, quod capulum, hoc est vas ad deplenda torcularia interpretari possis, estque sextariorum apud Ascalonitas viginti duorum.

In majus sextarios capit octodecim: sacrum vero sextarios IX.

Congius sextarios habet octo. At qui sacer dicitur, sextario sex, quæ est duodecima metretæ pars.

Talentum mensurarum omnium, quibus pondera metimur, maximum est. Quod si ad libras redigatur, CXXV. complectitur.

Sex minuta talenti septem assibus valent. Septem vero assium minuta centum denariis.

Argenteus numus jam tum olim signatus est, & ex assibus cusus. Ferunt Abrahamum hujus figuram in Chananæam importasse.

Talenti centesima vicesima quinta pars est libra, quæ duodecim unciis constat. Uncia stateres habet duos.

Stater dimidia unciæ pars, duas drachmas continet.

Siclus, qui & quadrans appellatur, quarta pars est unciæ, stateris dimidia, duas drachmas habens. Nam uncia octo drachmas continet.

Holce eadem est cum drachma, ac præterea ejusdem cum Siclo ponderis, quo identidem Absalomi ponderari coma consueverat; cum detonsus esset, quæ pondo erat centum viginti quinque Siclorum, hoc est libras duas habebat cum dimidia.

Obolus inter nummos argenteos signari solebat, ac mensuram habebat unciæ: neque tamen argento, sed ferro cudebatur. Quanquam alius erat argenteus obolus minutissimus numus, & unciæ pars octuagesima. In Levitico porro legitur, *didrachmum viginti obolos habet*. Nam didrachmum quarta unciæ pars est, ut docuimus.

Chalci ab Ægyptii inventi sunt, suntque argentei signati duo; argenteos vero Alexandrini æreos nominant. Chalcus pondus habet octavæ partis unciæ ut & drachma.

Mna apud Hebræos Mane vocatur. Italica mina quadraginta staterum est: id est unciarum viginti, sive libræ unius & bessis.

Ar-

Ἀργυρείων δὲ πολλοὶ τύποι κατὰ καιροὺς γεγόνασι.

Τὸ δὲ νουμίον τετύπωται ἀπὸ τοῦ Νουμᾶ πίνος βασιλέως τῶν Ῥωμαίων. δίχρυσον δὲ ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἀργύρου.

Τὸ δὲ ἄργυρον, τοῦτό ἐστιν ὃ οἱ Ῥωμαῖοι Ῥωμαῖοι μιλιαρίσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα.

Τὸ δὲ δίχρυσον καὶ τοῦτο ἀργύρειον ἦν· ὅπερ ὕστερον κίβδηλον ἐκλήθη, ἐξ αἰτίας τοῦ ἀναιρεθῆναι τὸν κατὰ καιρὸν βασιλέα, καὶ ἐκβληθῆναι τὸν αὐτοῦ χαρακτῆρα ἐκ τοῦ διχρύσου, ὃς ἦν αὐτῷ ἐμφερόμενος. ἔκτοτε γὰρ ἔνθα ἂν εὑρέθη τὸν τοῦ ἀναιρεθέντος βασιλέως φέρων εἰκόνα, κίβδηλος ὠνομάζετο, ἤγουν ἀδόκιμος.

Φόλης, ὃ καὶ ταλάντιον καλεῖται. διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον, οἳ γίνονται ση δηνάρια. καὶ φόλης δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν.

Μάρης, μέτρον ἐστὶ παρὰ Ποντικοῖς, δύο ὑδριῶν. ἡ δὲ ὑδρία αὐτοῖς δέκα ξέστων ἐστὶν, ὥστε εἶναι τὸν κύπρον εἴκοσι ξέστων Ἀλεξανδρεινῶν.

Κύπρος παρὰ τοῖς αὐτοῖς Ποντικοῖς μέτρον ἐστὶ ξηρῶν γεννημάτων, μόδιοι δύο, ὃ λέγεται εἶναι παρ' αὐτοῖς χοινίκων πέντε. ὁ δὲ χοῖνιξ παρ' αὐτοῖς ξέστων ἐστὶ πέντε, ὥστε εἶναι τὸν κύπρον ξέστων κ. ὁ γὰρ μέγας παρ' αὐτοῖς μόδιος ξέστων κδ.

Κόλλαθον ἐστὶ παρὰ τοῖς Σύροις τὸ ἥμισυ τοῦ ὑγροῦ σάτου. ἔστι δὲ ξέστων κε.

Κογγιάριον δὲ μέτρον ἐστὶ ὑγροῦ, καὶ αὐτὸ παρ' Ἑβραίοις ἐκφωνούμενον· τοῦτο τὸ μέτρον ἐστὶ ἐν χρονογραφίαις Εὐσεβίου, καὶ τῶν ἄλλων χρονογράφων δηλούμενον, ὡς ἕκαστος τῶν τότε βασιλέων κατὰ φιλοτιμίαν τῷ δήμῳ Ῥωμαίων, πρὸς εὐφρασίαν ἐχαρίζοντο, ὃ ἑρμηνεύεται συνημμένον, ἢ συνεστραμμένον.

Argenteorum porro variæ figuræ diversis temporibus extiterunt.

Numum primus omnium Romanorum rex Numa signasse dicitur. At argentei, dimidium dichryson appellavere veteres.

Argenteus vero a Romanis miliarisium dicitur, quod militare donativum interpretari possis.

Est & Dichryson argenteus numus: qui postmodum adulterinus est vocatus, quod aliquando accidit, ut Imperatoris cujusdam, qui tum cæsus fuerat, effigies ex eo numo, cui erat impressa, deleretur. Quo ex tempore numus ille, qui occisi Imperatoris imagine percussus erat, adulterinus est habitus.

Follis sive Talentum parvum ex duobus argenteis constat, hoc est Denariis CCVIII. Item follis si ad denarios, non ad argenteos redigatur duo minuta continet.

Mares apud Ponticos mensura est hydriarum duarum. Hydria x. sextarios capit: adeo ut cyprus xx. sextarios Alexandrinos habeat.

Cyprus apud eosdem Ponticos aridorum est mensura, duos modios continens; vel, ut alii dicunt, chœnicas v. Nam chœnix iisdem Ponti accolis sextarios V. complectitur. Unde cyprus sextariorum est xx. Quippe major apud illos modius sextarios capit xxiv.

Collathum Syri vocant liquidorum mensuram, quæ dimidii sati capax est; sextariorum xxv.

Congiarium liquidorum est mensura, quam Hebræi etiam usurpant. Meminit hujus mensuræ & Eusebius in Chronicis, aliique Chronologi. Apud quos Imperatorum quilibet magnificentiæ suæ ostentandæ studio Congiarium Populo Romano ad epulandum largiri solebat. Quæ vox idem significat ac *conjunctum*, sive *coagmentatum*.

DIONYSII PETAVII
E SOCIETATE JESU
Animadverſiones ad Librum
DE PONDERIBUS ET MENSURIS.

CUM de menſuris, & ponderibus, quorum in ſacris literis uſus eſt, agendum ſibi hoc in libello propoſuerit, perpauca tamen de hoc argumento ſub illius finem attingit, majoremque partem in ea diſputatione collocat, qua ſacrorum Interpretum τὰ ἱστορούμενα, atque Origenis in concinnandis codicibus ſuis inſtitutum perſequitur. In Operis ipſius aditu notas explicat, quæ in ſacris literis uſurpabantur. De quibus agit Iſidorus *lib.* I. Orig. *cap.* XX. Sixtus Senenſis *lib.* III. *Bibliotb.* Nonnullas etiam, quibus olim uſus eſt Plato, Diogenes in ejus vita percenſet.

I. Παράκεινται δὲ ταῖς αὐταῖς.) Priores haſce notas, quibus orationis Propheticæ figuræ variæ, & conformationes diſcernuntur, Sixtus omiſit.

II. Ἐπειδὴ δέ τινες.) Nam plerique veterum majuſculis literis ſine accentu ullo, ac proſodia ſcribebant.

Ὁ ἀστερίσκος οὗτος ἔνθα παράκειται.) De Aſteriſcorum, ab obelorum uſu agit ſæpius Hieronymus, ut *Apol.* II. in *Ruff.* Iſidorus & alii.

Σπανίως δὲ καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι.) Nimirum quod priores illi duo Interpretes exprimere verbum de verbo ſtuduerint, ut ait Hieronymus; Theodotio LXX. ſeniores magis ſecutus ſit.

III. Ἑβδομήκοντα δύο γὰρ ὄντες.) Hanc hiſtoriam tam veteres plerique, quam recentiores copioſiſſime perſcripſerunt. Cui nonnulla tamen inſperſa ſunt, quæ ægre admodum fidem obtinent. Quale eſt illud de cellis; quas XXXVI. fuiſſe cenſet Epiphanius, ita ut bini in ſingulis habitarent. Juſtinus totidem numero, quot Interpretes, extitiſſe, in *Cobort.* ad *Gent.* Joſephus autem, eoque vetuſtior Philo, & Ariſteas de cellis nihil. Sed ea jampridem ab eruditis excuſſa, diſputataque ſunt.

IV. Διὸ δὲ τῷ Ἀαρών.) Ἀρών, Hebraice ארון arcam ſignificat. Quam vocem hic opinor alteri ſubſtituendam. Perſuaſum habuit Epiphanius, ſacros codices in Arca reconditos fuiſſe; ſi hæc ſunt Epiphanii: & non inepti cujuſpiam, qui has nugas ad oram adſcripſerat.

VIII. Λιμνίσκος γάρ ὑπ' αὐτῶν τῶν ἰατρῶν.) Λημνίσκον a medicis uſurpari pro linamento oblongo, quod vulneribus inditur, notiſſimum eſt. Sed, non, ut Epiphanius exiſtimat, per *jota*, ſed per *eta* ſcribendum eſt. Quare non probat Grammaticis originationem illam, ut παρὰ τὸ λημνάζεσθαι dicatur. Eſt enim Syracuſana vox, quæ τὰς στενὰς ταινίας, *oblongas faſciolas* ſignificat, ait Heſychius. Unde nota illa, quæ longurio cum duobus punctis appendicibus conſtabat, λημνίσκος appellatur.

IX. ΟΙ τινες ἐξελέγησαν.) Non ignorabat Joſephus, aliique veteres, qui hanc hiſtoriam ediderunt, X. Tribus jampridem deportatas fuiſſe: neque tamen propterea falſum, aut abſurdum putamus, ſenos e Tribubus ſingulis delectos eſſe. Nam nihilominus plerique ex decem illis ſuperſtites fuere.

Ἐν τῷ Βρουχίῳ καλουμένῳ.) Alexandrinæ urbis regio iſta fuit, quaſi πυρουχεῖον dicta; a quo detorta vox Βρουχεῖον. Ideo per diphthongum concipienda. Nomen huic regioni a frumento, ſive publicis horreis, ut merito ſuſpicari licet; ſive etiam forum ibidem frumentarium extitit. Quod enim non nemini placet, πυρουχεῖον dictum fuiſſe Muſarum πρυτανεῖον, quod in eo conditum eſſet frumentum ad doctorum hominum σίτησιν deſtinatum; adeoque πιρουχεῖον & πρυτανεῖον idem eſſe, hoc illi autoritate certa probanti, non affirmanti, crediderim. Erat quidem in illa urbis regione, hoc eſt πυρουχείῳ, vel Βρουχείῳ, Bibliotheca, & literatorum hominum contubernium: quod Ammianus Lib. XXII. *diuturnum præſtantium hominum domicilium* appellat; pluribuſque deſcribit, quænam illic artes excolerentur. Ubi & mendum eſt; quod obiter hic opportune repurgabitur. *Nam & diſciplinarum*, inquit, *magiſtri quodammodo ſpirant*, *& nudatur ibi Geometrico radio quicquid reconditum latet: nondumque apud eos penitus exaruit Muſica*, *nec harmonia conticuit*, *& recalet apud quoſdam adhuc licet atros conſideratio mundani mo-*

motus, *& siderum*, *&c.* Hæ duæ voculæ, *licet atros*, depravatæ sunt. Nec recte conjiciunt, Christianos, maxime Monachos intelligi, quos pullatos fuisse constat. Neque enim Monachi sese Mathematicis præsertim artibus addixerunt. Quare minima mutatione lego *literatos*, pro *licet atros*.

Ἐνεχείρησε Δημητρίῳ τινί.) Quod Demetrio Phalereo Bibliothecæ suæ curationem Ptolemæus Philadelphus commiserit, incredibili consensu Scriptorum omnium asseritur, ex fide Aristeæ. Quod non immerito Scaligero mirum videtur in Animad. ad annum MDCCXXXIV. Si quidem vera illa sunt, quæ ex Hermippo Diogenes refert, cum Ptolemæo Soteri Lagi F. autor fuisset, ut Eurydices filiis regnum relinqueret, præterito Berenices filio Ptolemęo Philadelpho; post illius mortem a Philadelpho relegatum, ac postea aspidis morsu necatum esse. Sed adversus tot Scriptorum testimonia reluctari equidem non ausim. Quare videndum ecquid conjecturæ nostræ locus esse possit. Ptolemæus Lagi F. adhuc superstes Ptolemæum Philadelphum filium in regni consortium adscivit. Testatur hoc Theocriti Scholiastes ad Idyl. XVII. ζῶν γὰρ, inquit, ἔτι ὁ Σωτὴρ ἐκοινοποίησε τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν: & Justinus Lib. XVI. Itaque cum Demetrius Ptolemæo Lagi F. carissimus esset, potuit Philadelphus patre superstite odium suum ad ulciscendi tempora reservare, atque eodem tempore Bibliothecam illam adornans, ejus curationem Demetrio Phalereo committere. Conjecturæ illius occasionem præbent Veterum non pauci, qui vel Ptolemæum Lagi F. Bibliothecæ, adeoque LXX. Interpretum editionis autorem faciunt; ut Irenæus: vel utri tribuenda ista sint addubitant: ut Clem. Alex. I. Strom. vel denique ab ambobus, patre simul ac filio, procuratum illud existimant. Apud Euseb. *Lib. VII. Histor. cap.* λβ': Anatolius de Aristobulo uno ex LXX. Senioribus loquens: ὃς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος τοῖς τὰς ἱερὰς, καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ, καὶ τῷ τούτου πατρί.

Ὁ δὲ ἀπεδείξη τῷ βασιλεῖ.) Multo liberalior est Aristeas apud Euseb. *Lib. VIII.* προπαρασκ. & Josephus *Lib. XII. Cap. II.* Qui respondisse Demetrium volunt, ducenta jam a se millia comparata, hoc est εἴκοσι μυριάδας; sperareque se propediem ad quingenta millia perventurum esse numerum.

Παρὰ Ῥωμαίοις τε, καὶ Χαλδαίοις.) Nondum, opinor, Romani per illa tempora Scriptorum copia & autoritate florebant, anno fere a condita urbe CDLXX. Olympiade scilicet CXXIV. Neque quicquam admodum præter XII. Tabularum leges, aut Pontificum Annales, atque id genus obscura quædam penes se habebant. Quare vox Ῥωμαίοις parum opportune hic intrusa præsertim alieno loco, inter Chaldæos, & Phœnicas.

Οὕτω Ῥωμαίοις καλουμένοις.) Hæc parenthesi claudenda censuimus, quæ non ex persona Demetrii Epiphanium puto scripsisse. Nimis enim absurda res esset: sed ipsum inculcasse, & ad Demetrii orationem adtexuisse. Quanquam non minus absurdum est, Græcos dicere prius Latinos appellatos esse; deinde Romanos. Nam Romani Græci quidem vocati sunt, post translatum in Orientem imperium. Unde ἡ Ῥωμαία, & Romanus orbis. Sed Latini nunquam appellati sunt, neque Græci ipsi, neque Itali Græciæ magnæ populi. Suspicor igitur hoc membrum sede sua luxatum esse, & post Ῥωμαίοις collocandum: aut illa potius, παρὰ Ῥωμαίοις τε, post, ἐν τῇ Ἑλλάδι, reponenda. Nam; uti dictum est, alieno loco inter Chaldæos, & Phœnices Romani positi videntur.

X. Βασιλεὺς Πτολεμαῖος.) Aliter epistolæ istę concipiuntur ab Aristea, & ex eodem apud Josephum & Eusebium quos tu consule. Nam apud istos non Judęis inscribuntur, sed Eleazaro Pontifici.

Αὐτοὶ δὲ δεξάμενοι καὶ τὴν ἐπιστολὴν.) Gratissimam accidisse Pontifici Judæisque Ptolemæi postulationem cum reliqui omnes, tum Philo & Josephus, Judæi ipsi, testantur. At Scaliger in *Animad.* & in *Isagog. Can.* falsum & commentitium istud esse putat, ac tantum abesse, ut ea sacrarum literarum interpretatio voluptati illis fuerit; ut propterea solenne jejunium decretum sit Tebeth VIII. ut ex Kalendario liquet. Fuit enim ex illo præcipue tempore perpetuum inter Hebræos, & Hellenistas Judæos dissidium. Sed hac in re, uti cæteris fere omnibus, judicium in Scaligero, ac prudentiam requiro, Quis enim Judæorum arcanos ritus, ac consilia melius novit, aut nosse potuit, quam Josephus, Hebraismi utique non imperitus, quod in Philone Scaliger excipit? Qui idem, quod Aristeas, prodidit. Eleazaro Pontifici jucundissimum illud fuisse; neque de Judæorum offensione mentionem facit ullam. Quis igitur non videt; hanc ipsam Græcæ translationis invidiam Josephi sæculo recentiorem extitisse. Cum enim Judæi Christianum nomen paulatim excitari cernerent, seque ab Christianis suis ipsis literis, quas Græce legerent omnes, convinci ac redargui; ægre primum communionem illam ferre cœperunt; tum easdem literas, ac LXX. Seniorum editionem cor-

rumpere, ac mutilare conati ſunt; quod Juſtinus Martyr Dialogo cum *Tryph.* aliique Patres illis exprobant. Ex illo tempore natæ ſunt angarię illæ, & תעניות, quas Kalendariis ſuis intexuerunt. Quare plumbeum eſt Scaligeri telum, quod ex fæce iſta Rabbinica protulit.

Εβδομηκονταδύο δὲ τὰς ἀποκρύφους.) Verum illud non puto, neque cuiquam facile perſuaſerit Epiphanius; LXXII. Apocryphos totidem ab Interpretibus ex Hebræo tranſlatos fuiſſe. Nam omnia iſta volumina Hebraicis conſcripta literis affirmat, ob idque legi minime potuiſſe.

Ἐν τῷ Σεραπίῳ.) De hoc templo meminit Ammianus *lib.* XXII.; ejuſque magnificentiam mirifice prędicat: in quo quidem a Ptolemęis regibus collocatam Bibliothecam illam aſſerit, in qua ſeptingenta voluminum millia numerabantur; quę bello Alexandrino ſub Dictatore Cęſare concremata eſt Tertullianus in Serapeo, ſacros codices Hebraicis literis conſcriptos ſuo tempore aſſervari prodidit in Apolog. *cap.* XVIII.

Μετὰ γὰρ τὸν πρῶτον.) Ptolemęorum hanc ſeriem ex Euſebii Chronico deſcripſit, a quo tamen in annorum numero identidem diſcedit. Hęc enim eſt apud Euſebium *lib.* II. Ptolemęorum ſucceſſio.

	PTOLEMÆORUM ÆGYPTI REGUM SERIES.	Anni regni
I.	Ptolemæus Lagi F.	XL.
II.	Ptolemæus Philadelphus.	XXXVIII.
III.	Ptolemæus Evergetes.	XXVI.
IV.	Ptolemæus Philopator.	XVII.
V.	Ptolemæus Epiphanes.	XXIV.
VI.	Ptolemæus Philometor.	XXXV.
VII.	Ptolemæus Evergetes.	XXIX.
VIII.	Ptolemæus Phyſcon.	XVII.
IX.	Ptolemæus Alexander.	X.
X.	Ptolemæus Cleopatræ F.	VIII.
XI.	Ptolemæus Dionyſius.	XXX.
XII.	Cleopatra.	XXII.
	Colliguntur anni CCXCVI.	

In priore Chronico paulo aliter numeri concepti ſunt; ita ut ad CCXCI. ſumma perveniat. Chronicon Alexandrinum Euſebianam rationem ſequitur. Cedrenus nonnihil variat.

Εἶτα Πτολεμαῖος Φιλοπάτωρ.) Imo Φιλομήτωρ. Sed Φιλοπάτωρ ſcripſit Epiphanius. Nam &, ἄλλος, appoſuit.

Πτολεμαῖος ὁ Σωτήρ.) Idem & cognomento PHYSCON, ab abdomine & prępingui aqualiculo. Chronicon Alexandrinum.

Πτολεμαῖος ὁ καὶ Ἀλεξᾶς.) Ita & Cedrenus. Alii *Alexandrum* nominant.

Πτολεμαῖος ὁ Διόνυσος.) Hic eſt Ptolemęus Auletes Cleopatrę pater. Qui in Euſebii Chronico *Dionyſius* ab Hieronymo nominatur. Sed Διόνυσος in Alexandrino Chronico, & apud Cedrenum. Unde cognomen ei, *Bacchus*, inditum videtur, Nam & Chronicon *pag.* 430. & 434. Πτολεμαῖον νέον Διόνυσον vocat; *novum* videlicet, *Bacchum*.

Ὁμοῦ ἀπὸ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου.) Epiphanii calculus in prioribus undecim regibus, licet in ſingulis nonnunquam cum Euſebiano diſcordet, tamen ὁμὰς annorum utrobique προσθαφαιρέσει conciliatur. Propter unam Cleopatram ſolido decennio major eſt Epiphanii numerus. Nam poſtremę illi reginę tribuit annos XXXII. adverſus reliquorum omnium conſenſum. Ita fiunt anni ab initio Ptolemęi Lagidę ad ultimum Cleopatrę CCCVI. cum apud Euſebium nonniſi CCXCVI. numerentur. Qui & ipſe tamen aliquot annis redundat. Lagidarum initium anno proximo poſt Alexandri mortem in Ægypto contigit, ut eſt in Euſebii Chronico. Hoc eſt *Olym.* CXIV. anno ſecundo, Periodi Julia-


Tab. IV.
Tab. II.
Tab. III.
Tab. V.
MCCCLXX.

lianę 4391. Nam ſuperiore mortuus eſt Alexander. Ab hoc igitur anno ad ultimum Cleopatrę, qui eſt Julię editionis decimus ſextus, Urbis ex Varroniana ratione DCCXXIV. Periodi Julianæ 4684. non plures ſunt, quam anni CCXCIV. Ideo verior eſt fortaſſe libri primi Euſebiani chronologia: Sed ut de Ptolemæorum æra, & initio certius aliquid accuratiuſque conſtituamus; tametſi Ptolemæus Lagi ſtatim poſt Alexandri M. necem Ægyptum, & Alexandriam obtinuerit, tamen regium nomen non uſurpavit ante annum fere poſt Alexandri mortem decimum ſeptimum; hoc eſt *Olimp.* CXVIII. ſecundum; quando Demetrius Poliorcetes Menelao Ptolemæi duce navali prælio ſuperato Rex eſt primum cum Antigono patre ſalutatus. Hujus enim exemplo Ptolemæus Lagi F. ac reliqui ſucceſſore Alexandri *Reges* appellari voluerunt: circa annum Periodi Julianæ 4407. Quod ex Diodoro conſtat. Nihilominus Ptolemæi primus annus ab eo ipſo, quo mortuus eſt Alexander, numerari videtur. Nam XL. annos regnaſſe dicitur; qui in annum periodi Julianæ 4429. deſinunt; a quo Ptolemæi Philadelphi cœpit imperium. Etenim Dionyſii cœleſtis æra, cujus meminit aliquot in locis Ptolemæus, ab initio Philadelphi iniiſſe fertur. Ea vero cœpit anno, quem diximus, periodi Julianæ 4429. Unde neceſſe eſt primum e quadragenis annis Ptolemæi Lagidæ convenire Per. *Jul.* anno 4390. qui eſt ille ipſe, quo mortuus eſt Alexander. Niſi illud occurat; quandoquidem, ut paulo ante docuimus, Ptolemæus Lagi F. vivus adhuc imperium in Philadelphum filium tranſtulit, privatumque ſe fecit, ut Juſtinus aſſerit; annum quidem Ptolemæi Philadelphi primum eſſe Julianæ periodi 4429. ſed eundem Lagidæ Ptolemæi duntaxat triceſimum nonum: adeo ut quadrageſimus, quo privatus ille vixit, quique Philadelphi ſecundus eſt, regno illius nihilominus imputatus fuerit. Ita proximus a morte Alexandri annus initium XL. Lagidæ annorum eſſe potuerit.

Α'πὸ δὲ ἑβδόμȣ ἔτȣς.) Irrepſit in Latinum contextum vox *decimo ſeptimo*; pro qua, *ſeptimo* reſcribendum. Quanquam & Coronarius aliter vertit: cui & proxima annorum collectio favet. Quos enim numerat annos CCXLIX., ii non a ſeptimo Philadelphi, ſed a decimo ſeptimo conſurgunt. Etenim Ptolemæus Lagi F. anni XL. regnavit. Adde XVII. fient LVII. Hos ſi deduxeris de CCCVI. annis, quot ad Cleopatræ mortem incurrunt ex Epiphanii calculo, reliqui ſunt CCXLIX. Atque ita fortaſſe ſcripſit Epiphanius; nimirum πεντήκοντα ἐννέα, pro τεσσαράκοντα. Etſi vereor, ne in ſuperiore Numero annorum hallucinatus, cum XXXII. Cleopatræ pro XXII. tribuiſſet; indeque CCCVI. pro CCXCVI. collegiſſet; ſubinde ad Euſebianos ψηφισμὸς imprudens delapſus ſit; & a ſeptimo Philadelphi ducentos illos & quadraginta novem putaverit. Nam ex CCXCVI. ſubductis XLVII., reſtant CCXLIX. Euſebius in Chronico, anno Philadelphi ſecundo Septuaginta ſeniores ad ſacrorum voluminum interpretationem aggreſſos eſſe ſcribit: quod eſt veroſimilius. Quod ſi certam annorum rationem inire velimus; annus Ptolemæi Philadelphi ſeptimus cadit in annum *Per. Jul.* 4435. A quo ad ultimum Cleopatræ, qui eſt *Per. Jul.* 4684., anni ſunt CCL. Itaque probabilis eſt de Epiphanii hallucinatione conjectura noſtra. Nam CCLIX. illos annos temporum ſeries ipſa repudiat. De Philadelphi æra loqui Siracidem in Præfatione divinat more ſuo Scaliger, cum ita ſcribit: ἐν γὰρ τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ Ἐυεργέτȣ βασιλέως παραγενηθεὶς εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐπ' ὀλίγον χρόνον συγχρονίσας. *Nam in octavo & trigeſimo anno temporis Ptolemæi Evergetis regis, poſtquam perveni in Ægyptum, & cum multum temporis ibi fuiſſem.* Ubi Græca e Latino caſtiganda ſunt; ut ita legamus, καὶ ȣ̓κ ὀλίγον χρόνον, vel καὶ συγχρονίσας, expunctis cæteris, quæ in aliis exemplaribus minime reperiuntur. Illos igitur octo & triginta annos ab æra Philadelphi Dionyſiana repetit Scaliger; & ſub extremum Philadelphi, atque initium Evergetis ſcripſiſſe iſta Gnomologum affirmat. Quæ mera eſt ariolatio: quemadmodum & quod indidem colligit; æram Dionyſii Mathematici etiam politicam extitiſſe. Etenim triceſimus octavus annus ab illo tempore numerari videtur, quo in Ægyptum profectus eſt: vel ab eo, quo avus ipſius Jeſus librum ediderat: non a Ptolemæi Philadelphi primordio; cujus mentionem profecto feciſſet, ſi a primo illius anno tempus putare vellet. Poſtremo ſingularis eſt loquendi ratio, quam aliquoties Epiphanius uſurpat, μέχει Κλεοπάτρας, ἕως Α'δριανȣ̃, pro eo quod eſt, uſque ad finem Cleopatræ, vel Adriani.

Ο'ς ἱππικὸν ἐν Α'λεξανδρείᾳ.) De hoc Hippodromo, an agone equeſtri, cui *Lajo* nomen inditum ſit, nihil hactenus occurrit. Crediderim *Lagium*, Λάγιον ab ejus conditore, vel authore potius generis Lago eſſe dictum. Sed mirum eſt quod Epiphanius ſcribit, a Lago conditum eſſe Alexandrinæ ἱππικὸν illud, & Lajum appellatum, aut Lagium. Neque enim ſcio an Alexandriam Lagus iſte viderit; quæ condita eſt Olympiadas CXII. anno II., ut author eſt Diodorus. Ejus porro filius ſtatim poſt obitum Alexandri in provinciarum diſtributione Alexandriam, & Ægyptum obtinuit. Quare aut ſuperſtite adhuc Alexandro ſuperſtes & ipſe Lagus Alexandriam ejuſmodi

aliquo opere nobilitavit: aut ejus filius Lagidarum monimentum in ejusdem operis appellatione constituit; quæ posterior conjectura probabilior est. De Lago & Ptolemæo ejus filio memorabile quiddam leges apud Suidam.

DE ROMANORUM IMPERATORUM CHRONOLOGIA.

EἾτα βασιλεῖς Ῥωμαίων.) Romanorum Imperatorum qui sequitur Indiculus altero illo castigatior est, quem in Ancorato, *num.* LX. proposuit: neque tamen ubique satis accuratus est. Quare operam navaturi videmur, si in singulos Imperatorum annos, qui quidem quæstionis aliquid habent, diligentius inquiramus. Id enim cum ad Epiphanium illustrandum, tum ad Romanam historiam stabiliendam necessarium videtur; quum præsertim in illis quamplurima sint, quæ majorem a Chronologis fidem studiumque mereantur.

Αὔγουστος ἔτη νϛ'.) De annis quibus imperavit Augustus, copiosissime dictum est ad *Hær.* LI. Hic sexaginta sex duntaxat enumeravit; præter quos Eusebius sex menses addit. Initium ab V. C. anno DCCXI. id est proximo a nece Julii. Nam Josephus, qui ab ipso Julianæ cædis anno deduxit, annos dat Augusto LVII. menses VI. dies II.

Οὗτινος ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ.) Anno Cæsaris Augusti XLII. Christum in lucem editum esse cum Eusebio censet Epiphanius, periodi Julianæ 4712., Juliano XLIV. biennio fere ante communem Christi natalem. Nam VI. Januarii natum existimat. De quo ad *Hær.* LI.

Τιβέριος ἔτη κγ'.) Tiberio XXIII. annos solidos imputat Eusebius, ex eoque Noster: non sine errore. Dicerem & hic, & in Augusto, rotundum numerum consectatos esse, nisi in aliis plerisque menses, ac dies adjecissent; quos proinde in Tiberio prætermitti non oportuit. Mortuus est Augustus duobus Sextis Coss. anno Dionysiano XIV. periodi Julianæ 4727. XIV. Kal. Sept. ut ait Svetonius. Tiberius vero moritur XVII. Kalend. Apr. Cn. Acerronio Proculo, & C. Pontio Coss. anno Dionysiano XXXVII. Per. Jul. 4750. Intervallum annorum XXII. dierum CCIX. hoc est mensium fere VII. Quod tempus est Tiberiani imperii. Nec recte Dio imperasse scribit præter annos XXII. menses VII. ac dies totidem. Nam dies CCIX. cum excurrentibus iisce mensibus ac diebus, neque in Juliana forma, neque in Lunari, aut Ægyptiaca adæquari possunt.

Γάϊος ἔτη γ'.) Eusebius annos tribuit tres, cum mensibus X. Dio annos III. menses IX. dies XXVIII. Svetonius menses X. dies VIII. Ab ante diem XVI. Kalend. Apr. quo imperium iniit, anno Dionysiano XXXVII. ad IX. Kal. Febr. anni XLI., quo interemptus est Cajus, anni sunt solidi III., cum diebus CCCXIV.: sive mensibus Julianis X. cum diebus VIII.

Κλαύδιος ἔτη ιγ'.) Atqui Eusebius præter annos XIII. menses imputat IX. dies XXVIII. Dio annos tribuit XIII. menses VIII. dies XX. Obiit Claudius, ut author est Svetonius, Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss. III. Id. Oct. Ab ante diem VIII. Kalend. Febr. anni XLI. Dionysiani, quo imperium auspicatus est Claudius, ad XIII. Octobris anni LIV. in quem Asinius Marcellus & Aviola Coss. incidunt, anni intercedunt solidi XIII., cum diebus CCLXII. sive mensibus Julianis VIII., diebus XX. quot recte colligit Dio.

Νέρων ἔτη ιγ'.) Eusebius annos attribuit Neroni XIII., menses VII. dies XXVIII. Dio annos XIII. menses VIII. Initium Neronis est XIV. Octobris anni Dionysiani LIV.; a quo putati anni tredecim, cum mensibus octo, desinunt in XIII. circiter Junii, anni Dionysiani LXVIII.

Γάλβας μῆνας ζ'.) In Ancorato tres e numero Imperatores expunxit, haud sane merito. Quorum primus Galba septimo imperii mense trucidatus est, ut refert Svetonius & Eusebius. Dio IX. ei menses, dies XIII. concedit. Otho XCV. imperii die mortuus est, authore Svetonio; vel, ut Dio, XC. Vitellius annum unum imperavit, decem diebus exceptis, ait Dio. Colliguntur ab obitu Neronis anni duo, dies quinque: qui desinunt in annum Christi LXX. Junii fere XVIII. Atqui jamdudum Vitellius obierat. Falsum est igitur tamdiu Galbam ac Vitellium imperasse. Svetonius Vitellium ait natum esse Druso, & Norbano Coss. Sept. VII. vel XXIV. Is est annus

Ju-

Julianæ formæ LX. Christi XV. Periisse vero anno ætatis LVII.; quod & Tacitus comprobat. Si hoc verum est, iniit annus ejus LVII., Juliano CXVI. Christi LXXI. Quod si post Kalend. Jan. obiit, contigit mors ejus Christi LXXII. Atqui Vespasiani initium incidit in Christi LXIX., Julianum CXIV., ut paulo post dicetur. Verior est itaque Dionis historia, qui Vitellium anno ætatis LIV. mortuum esse scribit. Hoc enim modo in annum Christi LXIX., Julianum LXIV., mors illius incurrerit. Sed trium illorum Imperatorum tam initia, quam exitus perobscuri sunt, de quibus alias enucleatius agetur.

Οὐεσπασιανὸς ἔτη θ.) Eusebius præter annos totidem, tribuit menses præterea XI. dies XXII.: nec longæ abest Dio, qui imperasse scribit annos X., minus diebus VI. Svetonius natum esse prodit Vespasianum XV. Kalend. Decemb. Q. Sulpitio Camerino, C. Poppeo Sabino Coss. quinquennio antequam Augustus excederet. Hic est annus Dionysianus IX. Addit vixisse annos LXIX. menses VII. ac dies VII. Qui a Novembris XVII. die anni noni computati, desinunt in ante diem IX. Kalend. Julias, sive XXIII. Junii, quo die extinctus ab eodem dicitur, anni Christi LXXIX. Juliani CXXIV. Igitur anno Christi LXXIX. mortuus est Vespasianus. Jam vero cum imperii primus dies ex A. D. Kalend. Jul. numerari cœptus sit, eodem authore Svetonio; ac decem, paucis exceptis diebus, annos impleverit; si anno Christi LXXIX. a Kalend. Juliis initurus fuerit annus XI., primus Vespasiani annus inchoatus est anno Christi LXIX. Juliano CXIV. post annum, & aliquot dies a Neronis obitu. Sed Vitellius post initium Vespasiani plures menses traduxit.

Τίτος ἔτη δύο.) Præter biennium duosque menses, imperavit viginti præterea dies. Nam mortuus est Id. Sept. hoc est XIII. die mensis; quibus additi septem residui de Junio anni LXXIX.: dies viginti conficiunt supra biennium, & menses duos. Obiit itaque anno Christi LXXXI., Juliano CXXVI. Unde initium Domitiani consurgit. Castigandus vero est Eutropius, qui menses octo, dies viginti supra biennium imputat.

Δομιτιανὸς ἔτη ιέ.) Mendose, ut & Eusebius, quod ad menses attinet, pro quibus scribe ἡμέρας έ. Nam imperavit annis quindecim, diebus quinque, ait Dio. Svetonius & Eutropius anno quintodecimo Imperii mortuum esse narrant. A XIV. die Septemb. postridie quam Titus excesserat, ad XIV. Kalend. Octobr. hoc est ad XVIII. Septemb. quo die interfectus est Domitianus, dies sunt sex, excluso mortis die. Totidem ultra solidos annos excurrere necesse est: non menses diesve plures. At Scaliger *lib.* V. *de Emend. Temp.* Domitianum, contra communem omnium sententiam, annos duntaxat imperasse putat quatuordecim, cum diebus quinque & qui aliter statuant, minus eos prudenter facere judicat. Imo vero parùm ille sane prudenter. Neque enim negari potest, quin Domitianus annos quindecim expleverit, ac de sexto decimo paucos dies libaverit: vel ipsomet authore Scaligero. Occisus enim est C. Valente, & Antistio Vetere Coss. Eutropio & Xiphilino testibus, ut & Scaliger in Eusebianis notis asserit. Horum vero Consulatus incurrit in annum Urbis ex Varroniana supputatione DCCCXLIX., Periodi Julianæ 4809., Christi XCVI., Julianum CXLI., Cyclo Lunæ II. Ab anno Christi LXXXI., & XIV. die Sept. ad XVIII. Sept. anni XCVI. anni sunt quindecim, dies quinque. Errat insuper Scaliger, dum 476., Josephum arguit; qui in fine τῆς Ἀρχαιολογίας natum se dixit anno primo Caji; atque opus suum absolvisse anno XIII. Domitiani, ætatis suæ LVI. Ipse autem uno anno minus dixisse Josephum existimat: & LVII. annos debuisse numerare. In quo frustra est. Cajus enim iniit anno Christi XXXVII., Januarii XXIV.; Domitiani vero decimus tertius cœpit anno Christi XCIII., e die XIV. Septembr. Fingamus natum esse Josephum anno ipso XXXVII. Christi, Decembri mense, vel anno XXXVIII. ineunte Januario, cum adhuc Caji primus laberetur, annus ipsius LVI. incipiet ab Decembri mense anni XCII., post initium anni XII. Domitiani. Quare ut scribendi finem fecerit Octobri mense anni XCIII., id acciderit anno vitæ suæ LVI., Domitiani vero XIII. Eat nunc cum illo suo epiphonemate Scaliger: *Ita quotidie periclitando fidem nostræ methodi, alienos errores deprehendimus.*

Ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ.) Valde ἰδιωτικῶς hoc dixit Epiphanius; Titi tempore Hierosolymorum excidium incidisse. Quod excusari aliquo modo potest, ut πλατυκῶς, *hoc tempore*, id est sub istis Imperatoribus, nempe sub Vespasiano, contigisse velit. Nam Vespasiani anno secundo a Tito vastata sunt Hierosolyma: ut inter cæteros diserte Josephus affirmat *lib.* VI. *cap.* XXVII. Alterum, quod sequitur, excusationem omnem excludit: nimirum accidisse cladem illam post annum a Passione Domini LXV. cum diebus aliquot. Atqui Eusebius in Chronico, a quinto decimo anno Tiberii, & ab exordio Evangelicæ prædicationis annos XLII. elapsos esse dicit. Libro vero III. *Hist.*

cap.

cap. VII. a Passione Domini annos solidos XL. Quem locum frustra in Animadversionibus Eusebianis interpolavit Scaliger: & postquam Eusebianum in contextum verba quædam intrusit, quæ falsam sententiam exprimerent, in Eusebium, quasi ejus authorem, stylum convertit. Etenim *lib.* illo III. de Hierosolymitana clade scribens, ταῦτα δὲ, inquit, ἂν εἴη δίκαιον ἐπιθεῖναι, ἃ γένοιτο ἂν παραστατικὰ φιλανθρωπίας τῆς παναγάθου προνοίας, τεσσαράκοντα ἐφ' ὅλοις ἔτεσι μετὰ τὴν Χριστοῦ τόλμαν τὸν κατ' αὐτῶν ὄλεθρον ὑπερτιθεμένης. *Hæc adjicienda merito sunt; ex quibus optimæ illius providentiæ benignitas appareat, quæ totis quadraginta annis post commissum in Christum facinus illorum exitium distulit.* Hic mendam esse suspicatur Scaliger, & quidem vetustissimam, quæ & agnoscitur a Rufino. Nam post ἐφ' ὅλοις, deesse vult δυσὶν, ut XLII. annos a Passione fluxisse scripserit Eusebius. Tum, *Oportet*, inquit, *valde in Hellenismo tironem esse, qui non videat numerum deesse in illa lacuna, quam reliquimus*. At ego valde κακοήθη oportere illum esse dico, qui Scriptoribus antiquis invitis ac reclamantibus suos errores affingat. Nam quid ista depravatione opus est? Annos totos XL. a Passione dilatam esse cladem illam affirmat. In quo sibi maxime consentaneus est. In Chronico, & in *lib.* I. *Hist. cap.* X. Christum anno XV. Tiberii baptizatum esse, passum vero XVIII. censet Eusebius. Ad XVIII. Tiberii annum adscriptus est Christi XXXII. At vero Hierosolymitanum excidium anno Vespasiani II. comparatur in Eusebiano Chronico cum anno Christi LXXI. Detractis de LXXI. annis XXXII. reliqui sunt XXXIX. Ergo anno XL. a Passione, ex Eusebii mente, diruta sunt Hierosolyma. Ideo Clemens Alexandrinus *lib.* I. *Strom.* qui anno XV. Tiberii Passionem assignat, annis XLII. mensibus tribus postea τὴν ἅλωσιν accidisse putat. Epiphanius ut ad Hær. LI. ostensum est, Passionem in eum annum contulit, quo Tiberius V. & Sejanus Coss. fuere: qui Dionysiano respondet XXXI. Cum igitur Urbs eversa sit anno Dionysiano LXX. annus Passionis ab excidio quadragesimus est. Corrigendus igitur Epiphanius, dum LXV. annos intercessisse dixit: quod neque a Nativitate, neque a Passione deducto numero, potest obtineri. Quod ad mensem, diemque, quo Templum, & urbs ipsa vastata sunt, attinet; Scaliger *lib.* V. de Emend. statuit, Augusti X. Templum incensum esse; Urbem vero Septembris VIII. ac præterea eodem illo anno, XIV. Nisan, sive Pascha in Aprilis XIV. incidisse; quod ob methodum suam accommodatum esse mirifice triumphat. Sed hæc omnia hallucinationum, & somniorum plena sunt. Nam quod de Nisan Josephum testem citat; non mediocriter aberrat. Is enim *lib.* V. τῆς ἁλώσεως *cap.* XI. ita scribit: λωφήσαντος δὲ πρὸς βραχὺ τοῦ θύραζε πολέμου, πάλιν ἔνδον ἡ στάσις ἐπηγείρετο, καὶ τῆς τῶν ἀζύμων ἐνστάσης ἡμέρας. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ξανθικοῦ μηνὸς, ἐν ᾗ δοκοῦσιν Ἰουδαῖοι τὸν πρῶτον ἀπαλλαγῆναι καιρὸν Αἰγυπτίων. Azymorum diem iniisse dicit XIV. Nisan, qua die liberati olim ab Ægyptiaca servitute fuerant. Ruffinus Josephi depravator *lib.* VI. *cap.* IV. *Aprilis* XIV. reddidit; idque Scaligero, Calvisio, & aliis imposuit. Sed nemo est hebes adeo, qui Josephum non videat de Lunari mense, non Juliano, ac fixo loqui; cum eodem die illud evenisse dicat, quo Judæi quondam ex Ægypto migraverant. Hoc vero, XIV. Nisan Lunaris, sive ἀκριβοῦς, seu civilis inciderat. Deinde quamvis Julianum mensem intellexisse Josephum existimemus, minime is tamen Aprilis erit, sed Martius. Etenim Macedonici menses aliter usurpantur a Josepho, quam a Græcis posterioribus, Syromacedonici. Est quidem utrorumque eadem appellatio. Sed Macedonici menses, cum fixi sunt, uno mense Syromacedonicos antecedunt; id quod pluribus ad Hær. LI. declaratum est. Xanthicus est usu Syromacedonum, & Græcorum Aprili respondet; Lous Augusto: Macedonicus vero Xanthicus Martio potius quam Aprili; Lous Julio. Itaque Nisan apud Josephum cum Xanthico, Lous cum Ab confertur: e quibus Nisan Lunaris majorem Martii partem, Lous Julii, sibi vendicat. Utrumnam vero Macedonicorum mensium appellationes ad fixos & Julianos transtulerit Josephus, alterius loci & instituti quæstio est. Nos utcunque se res habeat, negamus *Xanthicum* apud Josephum Aprilem esse Julianum. Sed Scaligero, & ante hunc Rufino Græcorum ac Syromacedonum usus fraudi fuit, qui aliter ac Macedones mensium ordinem instituerunt. Vide quæ ad illum locum Hær. LI. uberius exposuimus. Quamobrem cum Josephus ait *lib.* VI. *cap.* XXVI. decima die Loi mensis Templum deflagrasse, ad Julium potius, quam Augustum pertinere puto: quemadmodum & cum narrat *cap.* XLVII. Gorpiæi mensis VIII. urbem esse subversam, Augusto magis, quam Septembri convenire suspicor.

Hebræorum de anno desolationis Templi discrepantes sunt sententiæ, quas R. Issachar ben Mordekai in Computo percenset. Scribit enim se anno Judaico *5299.* in variis Synagogarum tabulis adnotatum reperisse, alibi Contractuum annum *1849.* a desolatione Templi *1469.* alibi Contractuum 1850. desolationis 1470. alibi Contractuum 1851. desolationis 1472. Author ipse annum Judaicum *5299.* esse putat a deso-

solatione 1470. Tum addit, a Tisri, qui Templi vastationem proxime sequitur, numerari annos Semitah, & Jubilæos: adeo ut annus ille, cujus Tisri desolationem excepit, fuerit noni Jubilæi decimus quintus. Annus Judaicus 5299. iniit anno periodi Julianæ 6251. Christi 1538. de quo detractis 1470. remanent 68. Quare ex illius sententia Tisri anni ejus, in quem Urbis excidium incidit, cœpit anno Christi 68. & sequenti 69. Templum eversum, anno Sabbatico. Nam caput æræ illius a desolatione, convenit Tisri anni Dionysiani 69. post Templum dirutum. Uno igitur aberrat anno. Verius sentiunt, quos author ille scribit annum Judaicum 5299. numerare a desolatione 1469. Detractis enim de 5299. annis 1469. restat annus 3830. cujus Tisri cœpit anno Christi 69. quo jam inclinante, Christi anno septuagesimo, vastata sunt Hierosolyma, anno primo Semitah.

Νερύας ἔτος ἕν). Pessime in Ancorato ἔτη δ'. Eusebius ita, ut hoc loco, annum unum menses quatuor assignat. Dio novem dies addit: Eutropius octo. A die XVIII. Sept. anni Christi XCVI. ad VI. vel V. Kalend. Febr. sive Januarii XXVII. anni XCVIII. Nervæ tempus illud intercedit. Obiit itaque anno Christi XCVIII. Periodi Julianæ 4311. Cyclo Lunæ IV. Fallitur enim Scaliger, qui cum in exordio Nervæ, atque obitu Domitiani consignando sit hallucinatus, eandem in Nervæ exitu, atque initio Trajani culpam commisit. Scribit enim *lib. v. de Emend. Temp.* Nervam obiisse Cyclo 3. anno Nabonassari 844. Neomenia Phamenoth. Est hic annus Per. Jul. 4810. Christi 97. Cyclo Lunæ 3. Atqui nos proxime demonstravimus, Domitianum Vetere & Valente Coss. interfectum esse anno Christi 96. Per. Jul. 4809. Cyclo Lunæ 2. Igitur cum Nerva non plus anno uno ac mensibus quatuor, & diebus novem imperarit, desierit hoc tempus necesse est in annum Christi 98. Cyclum Lunæ 4. Periodi Jul. 4711.

Absurdissima vero est ejusdem Scaligeri castigatio, qua Onufrianos Fastos redarguit, quod paria Consulum duo Nervæ imperio tribuant. *Unum enim*, inquit, *tantum par Coss. interjiciendum inter initium Nervæ, & eas Kal. Januarii, quibus decessit. At Fasti Siculi unum tantum par recte attribuunt. Corrigendi igitur Fasti*. At ipse corrigendus sane potius. Quandoquidem enim Nerva anno Christi XCVI. exeunte cœpit, & ineunte XCVIII. hoc est VI. Kal. Febr. obiit; duo paria Coss. ejusdem Imperio congruunt. Nimirum anno XCVII. quo apud Onufrium, & in Siculis Fastis Coss. memorantur Nerva III. & Virginius Rufus II. Item anno XCVIII. Nerva IV. & Trajanus II. quem annum libavit Nerva. Neque Siculi Fasti diffident, aut aliter atque Onufrius faciunt: nisi quod Trajanum solum Consulem hoc anno reddunt: Quod videlicet cum paucis diebus Consulatum Nerva gessisset; solus in eo relictus est Trajanus. Mira est igitur ἀλογιστία Scaligeri, qui tam crasso errore sese traduxit. Atenim Menelai observatio quædam est apud Ptolemæum *lib.* VII. *pag.* 170. qui anno primo Trajani Romæ Lunam cum spica conjunctam notavit, anno Nabonassari 845. Mechir 15. sequente 16. Congruit tempus anno Domini 98. Per. Jul. 4711. Jauuarii 10. sequente 11. Cum igitur Nerva nonnisi XXV. circiter Januarii decesserit; si anno Christi 98. mortuum esse dicamus, observationis illius tempore nondum primus Trajani annus inierat. Quare videtur anno Christi 97. cœpisse Trajanus: cujus anno primo exeunte, Januarii XI. diebus ante secundi initium XIV. Menelaus enim Lunæ conjunctionem observavit. Ita Scaliger. Quod ipsum est perleve. Menelaus enim primum Trajani annum a Kalendis Januariis antecedentibus Romano more auspicatus est, non ab epoca ipsa præcise.

Τραϊανὸς ἔτη ιθ). Addit Eusebius menses IX. Dio menses VI. dies XV. adstipulatur & Eutropius. Victor annos dat prope viginti. Itaque cum anno Christi XCVIII. ex A. D. VI. Kalend. Febr. cœperit; mortuus est anno CXVII. inchoato jam anno XX. cujus menses VI. dies XV. a VI. Kalend. Febr. ad IV. Eid. Aug. jam elapsi fuerant. Postridie enim Adrianus imperium iniit. Omnino igitur anno Christi CXVII. Periodi Jul. 4830. obiit Trajanus, sit tot annis, quot vulgo numerantur, imperavit; non 4829. ut putat Scaliger; apud quem perperam, & librarii ut opinor, vitio annus Christi CXVII. ponitur, pro CXVI. Hic enim Periodi Julianæ anno 4829. respondet.

Μετὰ Τραϊανὸν Ἀδριανὸς ἔτη κα'). Mirum valde est Chronologos annorum, atque exordii Adriani Imperatoris explicatione tam leviter esse defunctos. Atqui haud scio an ullius Imperatoris tempus majorem, ac difficiliorem quæstionem habeat. Quocirca necessario nos in id incumbemus; ut si minus controversiam tollamus omnem, certe eam, vel dissimulantibus vel non animadvertentibus plerisque, monstremus. Igitur Spartianus in Adriano annos ei tribuit XXI. menses XI. Eutropius annos XXI. menses X. dies XX. At Victor annos XX. menses XI. totidem Dio. Quod verius est, & a Casaubono creditur, in Notis ad Spartianum. Scaliger tam in *lib.* v. *de Emendat.*

Temp.

Temp. quam in Animadverſ. ad Euſebium, miſcet ac perturbat omnia. Cenſet enim Adrianum annos XXII. uno menſe minus imperaſſe, *libro* V. *de Emendat. Temp. pag.* 459. imperium ait iniiſſe anno Periodi Julianæ 4829. & imperaſſe annos XXI. menſes XI. Qui numerati ex A. D. IV. Id. Aug. anni 4829. deſinunt in A. D. VI. Id. Jul. anni 4850. Annus 4829. Chriſti Dionyſianus eſt CXVI. At 4850. eſt CXXXVII. Quare perſpicua eſt ἀπροσεξία. Nam ſi annos XXI. menſes XI. numeres ab XI. die Auguſti, anni Chriſti CXVI. deſinent in X. diem Julii anni CXXXVIII. ſive Periodi Julianæ 4851. In Euſebianis Animadverſionibus *pag.* 191. major eſt hallucinationum conflictus. Statuit Adrianum, ex Spartiano & Xiphilino, annos imperaſſe XXI. menſes XI. *Quare ſine errore*, inquit, *poſſumus illi imputare annos* XXII. De Xiphilino falſum eſt. Neque enim annos XXI. ſed XX. duntaxat attribuit. Porro Trajani obitum, & initium Adriani confert in annum Chriſti CXVII. Nigro & Aproniano Coſſ. Adriani vero mortem, & Antonini exordium in annum Chriſti CXXXVII. quod & *pag.* 200. repetit. In quo biennio toto Logiſtice illius aberrat. Etenim quo anno Juliano mortuus eſt Adrianus, eodem annum XXIII. poſt menſem, auſpicaturus erat: ſi quidem menſes XI. ſupra annos XXI. imperavit. Demus igitur anno Chriſti CXVII. Auguſti menſis XI. imperare cœpiſſe; annus vigeſimus ſecundus, expleto XXI. iniit anno Chriſti CXXXVIII. cujus XI. menſis deſiit anno CXXXIX. Julii X. quo moritur Adrianus, cum adhuc menſis unus ad XXII. annum explendum deeſſet; ut XXIII. Auguſti XI. hoc eſt III. Eid. inciperet. Perperam igitur Adriani exitus in annum CXXXVII. conjicitur. Sed majorem riſum ejuſmodi argumentatione tollit. *Annus*, ait, *Chriſti* CXXXVII. *eſt primus Antonini*, *&* CXXXVIII. *uſque ad menſem Auguſtum eſt idem currens Antonini*; *de quo ſi detraxerimus annos* XXII. *remanebit annus obitus Trajani* CXVII. *Chriſti*, *Nigro & Aproniano Coſſ.* Anno Chriſti CXXXVIII. cœpit Antonini ſecundus; Adrianus autem periit anno CXXXVII. & tamen ad inveſtigandum initium Adriani, de annis CXXXVIII. viginti duos detrahit; quod de CXXXVII. imo de CCCXXXVI. faciendum erat, quo cœpiſſe dicitur Adriani ultimus. Detrahe de annis CXXXVII. viginti tres (nam XXIII. Adriani inchoandus erat anno CXXXVII.) ſupererunt CXIV. Ergo CXV. Chriſti anno cœpit Adriani primus, triennio ante Trajani obitum, quem Scaliger ipſe confert in annum CXVII. Nigro & Aproniano Coſſ. Quo nihil eſt ineptius. Quocirca non poteſt Adrianus annos viginti tres, uno menſe minus attigiſſe: nec amplius quam XX. annos, menſes XI. imperavit, uti Dio atque Eutropius affirmant: ex quibus cæteri omnes corrigendi ſunt. Cæterum Trajanus Nigro & Aproniano Coſſ. anno Chriſti CXVII. exceſſit e vivis Auguſto menſe. Unde initium Adriani conſurgit ex ante diem III. Idus Auguſti: Quo ex die putati anni XX. menſes XI. deſinunt in VI. Id. Jul. anni CXXXVIII. Periodi Jul. 4851. Cyclo Lunæ VI. Quod ipſum & ex annis quibus vixit Adrianus deducitur. Natus eſt enim, authore Spartiano, Veſpaſiano VII. & Tito V. Coſſ. anno Urbis DCCCXXIX. Juliano CXXI. Chriſti LXXVI. Per. Jul. 4789. IX. Kal. Febr. Vixit autem annos LXII. menſes V. dies XIX. ut ait Xiphilinus. Emendandus enim eſt Spartianus, qui annos LXXII. numerat: cum Eutropius & Victor ſexagenario majorem obiiſſe memorent. Anni LXII. menſes V. dies XIX. ex a. d. IX. Kal. Febr. anni Chriſti LXXVI. putati incidunt in Julii XII. vel X. (nam dies duntaxat XVII. Spartianus arrogat) anni CXXXVIII. Quocirca communis eſt omnium fere ſententia, mortem Adriani convenire in annum Chriſti CXXXVIII. Urbis DCCCXCI. Camerino & Magno Coſſ. Sed huic imprimis Ptolemæus adverſatur: qui & illo tempore vixit, & aliquot obſervationes Adriani annis conſignatas reliquit: ex quibus aliter, ac vulgo fit, de illius exordio ſentiendum videtur. Etenim *lib.* IV. *cap.* IX. editionis Græcæ *pag.* 102. *primam* a ſe notatam Eclipſim Lunæ refert anno Adriani nono, (Ita in Latinis codicibus, neque aliter Mathematici, ac Chronologi hactenus fere, uti Buntingius, Scaliger, Calviſius: cum in Græco non nonus, ſed octavus Adriani ſit, τῷ η' ἔτει Ἀδριανοῦ, quod magnopere demiror) Pachon XVII. ſequente XVIII. hor. 8. 24. a meridie, anno Nabonaſſari 872. Congruit anno Per. Jul. 4838. Chriſti 125. Apr. 5. feria 4. Secundo apud eundem Ptolemæum *cap.* VI. *pag.* Græcæ edit. 98. obſervata eſt Eclipſis *altera* anno Adriani XVII. Payni menſis XX. ſequente XXI. horis XI. 15. a meridie Nabonaſſari 880. anno Chriſti 133. Per. Jul. 4846. Maii VI. feria 3. Tertio eadem *pag.* Eclipſis *alia* contigit Adriani XIX. Nabonaſſari 882. Choiac 2. horis II. a meridie. Convenit Per. Jul. anno 4847. Chriſti 134. Octobris 20. feria 3. *Quarta* Eclipſis incidit in annum Adriani XX. Nabon. 883. Pharmuthi 19. horis 16. poſt meridiem: anno Chriſti 136. Per. Jul. 4849. Martii 6. Sunt & aliæ apud eundem obſervationes. Velut *lib.* III. *pag.* 77. *Lat. ed. lib.* III. *cap.* VIII. anno Adriani XVII. anno Nabon. 880. Athyr VII. Æquinoctium Autumnale obſervatum a Ptolemæo: quod tempus congruit anno Chriſti 132. Sept. 25. Ad hæc *lib.* V. *cap.* III.

Græ-

Græcæ edit. *pag.* III. anno Antonini 2. Nabon. 886. XV. Phamenoth anomaliam Lunæ deprehendit; anno Chriſti 139. Per. Jul. 4852. Februarii 9. Item *lib.* X. *cap.* IV. *pag. Græc. edit.* 241. anno Antonini 2. Tybi 29. ſequente 30. obſervata Venus eſt; anno Chriſti 138. Decembris 16. Per. Jul. 4851. Præterea *lib.* III. *cap.* II. *pag.* 62. Græcæ edit. anno Antonini 3. Æquinoctium Autumnale deprehenſum Athyr 9. anno Chriſti 139. Per. Jul. 4852. Septembris 26. Denique *lib.* IX. *cap.* X. *pag. Gr. ed.* 236. anno Antonini 2. Nabon. 886. Epiphi 2. ſequente 3. periodicus Mercurii motus obſervatus eſt, anno Chriſti 139. Maii 17. Per. Jul. 4852. Reliquas prætermitto. Ex quibus omnibus evidens eſt, initium Adriani non in annum Chriſti CXVII. ſed CXVI. cadere, ſive epocham annorum Adriani ab Auguſti XI. Ptolemæus deduxerit, unde imperium exorſus eſt: ſive a Neomenia Thoth Ægyptiaci, quæ illo tempore in Julium incurrebat. Nam ſi annus Adriani XVII. cum anno Chriſti 132. Septembri menſe, & cum 133. Majo concurrit, neceſſe eſt annum primum iniiſſe Chriſti 116. Quod idem ex reliquorum Adriani annorum cum Chriſti annis concurſu ac complexione colligitur. Velut quod annus nonus & decimus Octobri menſe numeretur anni 134. viceſimus autem Martio menſe, anni 136. Hæc enim explicari aliter nequeunt, quam ut primum cœpiſſe dicamus anno 116. Idipſum & ex annis Antonini perſpicuum eſt. Quippe annus Antonini ſecundus Februario menſe cum anno Chriſti 139. comparatur. Hujus ergo anni primordium convenit anno 138. adeoque primus iniit anno 137. Quibus reliquæ obſervationes conſentaneæ ſunt. Quamobrem ſi annorum notæ bona fide a Ptolemæo, vel Librariis redditæ ſunt: de quo vix eſt ut prudenter addubitari poſſit; cum in tot obſervationibus ſibi ipſe conſtet, neceſſe eſt initium Adriani uno anno ſummoveri, & in annum Chriſti CXVI. conjici: ejuſdem vero mortem, & initium Antonini in annum CXXXVII. Hoc vero conſtituto, de annis Trajani, vel Domitiani excerpendus unus erit: ut vel iſte XIV. duntaxat annos: vel ille octodecim ſolidos cum excurrentibus menſibus expleverit. Adrianus vero XX. cum menſibus XI. Domitiano non eſt ut detrahendum aliquid exiſtimem, cum non modo de illius annis: verum & de Coſſ. quibus mortuus eſt, egregie omnes inter ſe conſentiant. Videndum porro, utrum Trajano XVIII. duntaxat cum menſibus novem adſcribi debeant: ſicque non Nigro & Aproniano Coſſ. anno Chriſti CXVII. ſed Æliano ac Vetere, anno CXVI. Trajanus exceſſerit. Unde & de annorum numero, quibus vixiſſe fertur Adrianus, deſecandus unus fuerit: aut certe non illo Coſſ. Veſpaſiano VII. ac Tito V. hoc eſt Chriſti LXXVI. ſed anno antecedente natus eſt: niſi quid in Conſulum ſerie, quod poſtremum eſt, perturbationis inciderit. De qua re ad eruditorum, & antiquitatis conſultorum hominum judicia provocamus.

Α'πὸ ȣ̃ν Α'υγȣ́ςȣ ἕως Α'δριανȣ̃). Si conceptos ab Epiphanio numeros ſubducas, annos ab Auguſto reperies CLXXX. cum menſibus VII. diebus XXI. ſi menſes tricenarios ſtatuas, uſque ad Adriani finem. Jam antea conſtituimus initium Auguſti ex Epiphanii mente in annum cadere Julianum tertium, Urbis ex Varroniana ratione DCCXI. alterum ab nece Julii. Is eſt in Periodo Juliana 4671 Adriani obitus vulgo conjicitur in annum Chriſti CXXXVIII. Periodi Jul. 4851. Ab anno igitur 4671. ad 4851. anni ſolidi putantur CLXXX. & menſes aliquot; ita ut centeſimus octuageſimus primus inierit anno ipſo 4851. Vellem indicaſſet Epiphanius, quanam ex die Auguſti primordium duceret: ut ſciremus, cur præter ſolidos annos CLXXX. menſes quatuor, minus diebus IX. imputaverit. Obiit Adrianus VI. Id. Jul. a quo die ſi retro numeres menſes tres, dies XXI. pervenies ad XXI. Martii; in quo Nicænum Concilium πολιτικῶς Æquinoctium defixit: eſtque hic dies Neomenia primi menſis Paſchalis, qui ex Paſchalibus terminis conſtat, ex mente Anatolii, aliorumque Veterum, ut ad Hær. LI. diximus. Itaque veriſimile eſt, Epiphanium epocham imperii Auguſti in eo die collocare, cum præter annos CLXXX. menſes IV. minus diebus IX. attribuit.

Ο῞ ἐιναι ἀπὸ χρόνȣ τῆς ἑρμηνείας.) A Ptolemæi Philadelphi anno ſeptimo ad ultimum Cleopatræ numerabat Epiphanius annos CCXLIX; cum revera ſint ſecundum illum CCLIX. Rurſus ab Auguſti primo ad XII. Adriani, anni ſunt CLXXI. menſes VII. dies XXI. Quos ſi cum CCLIX. conjunxeris, colligentur anni CCCCXXX. menſes VII. dies XXI. ſi quidem ex diebus excurrentibus tricenarios menſes feceris. Apparet igitur a ſeptimo Ptolemæi Philadelphi, ad exitum Cleopatræ, non CCXLIX, ſed CCLIX. annos imputari. Sed mirifica eſt, & valde ἰδιωτικὴ iſta putatio, ſi perinde atque Epiphanii calculus præ ſe fert accipere velimus. Nam duæ ſunt ὁμάδες, ex quibus CCCCXXX. annorum ſumma conflatur. Prima eſt a VII. Philadelphi ad ultimum Cleopatræ, annorum CCLIX. Altera ab initio Auguſti ad duodecimum Adriani, annorum fere CLXXI. Qua ratione neceſſe eſt primum annum Auguſti poſt ultimum Cleopatræ numerari. Atqui Cleopatræ ultimus con-

conguit anno Urbis DCCXXIV. Juliano decimo ſexto. Auguſti vero *Imper.* decimo quarto. Epiphaniana igitur hac ex parte *ratio*, ut Lucilius ait, *pervorſa*, *æra ſubducta improbe*. Quæ quidem ita reſtituenda ſunt: Annus Philadelphi ſeptimus, ut ſupra demonſtravimus, convenit anno periodi Julianæ 4435. Adriani vero duodecimus, Chriſti CXXVIII. periodi Julianæ eſt 4841. Colliguntur a ſeptimo Philadelphi ad duodecimum Adriani, anni CCCCVI. Annis itaque XXIV. ſolidis aberrat Epiphanii calculus.

Οὗτος δὲ ὁ Ἀδριανός.) Athanaſius de eodem Aquila; ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως τοῦ λεπτωθέντος. Pro quo Scaliger λεπρωθέντος abſurdiſſime corrigit. Cum λεπτωθεὶς parum licet terſe pro λεπτυνθεὶς dici potuerit. Nam tabe confectus, ut ait Victos, Adrianus periit. Vide Spartianum.

Οἱ δὲ πολλὰ κεκμηκότες.) Xiphilinus; ἐτελεύτησε λέγων καὶ βοῶν τὸ δημῶδες, ὅτι πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν.

Στέλλεται τὴν πορείαν.) Nimis hæc abrupte de peregrinatione ſubjecit, quaſi poſteaquam in morbum incidit Adrianus illam ſuſceperit. Addendum itaque ἐστέλλεται δέ. Multum ac diu peregrinatus eſt Adrianus, ut ex Spartiano, Xiphilino aliiſque conſtat, ac ſæpius Orientem, Syriamque peragravit. Hæc autem profectio, de qua hic Epiphanius loquitur, ſub illud tempus contigit, quo Hieroſolyma inſtauravit. Quod quandonam factum ſit, non facile eſt diſcernere. Non enim ſemel ab Adriano compreſſi, ac perdomiti ſunt Judæi. Primum anno Imperii ſecundo rebellantes illos attrivit, ut in Chronico ſcribit Euſebius. Alexandrinum Chronicon hoc ad annum III. refert: additque, tunc Adrianum Hieroſolymam veniſſe, & captis Judæis ad Terebinthum veniſſe, ibique mercatum illorum inſtituiſſe: poſtremo ſubverſo Templo Urbem inſtauraſſe, eamque de ſuo nomine *Æliam* appellaſſe. Quæ partim falſa ſunt, partim alieno tempore poſita. Falſum eſt, Adrianum Templum Judæorum, quod nuſquam tum erat, demolitum eſſe. Urbis autem inſtauratio diu poſtea contigit. Prima Judæorum clades ſub Adriano, ineunte illius Imperio accidit, ut recte Scaliger in *Animadverſ.* ad A. MMCXXIV. obſervat, quando ſeditionem concitarunt, quæ per Martium Turbonem repreſſa videtur. Poſterior motus, idemque diuturnior, & horribilior in XVI. Adriani confertur in Euſebiano Chronico. Cujus author Cochebas, ſive Barcochebas latro quidam extitit. Cauſſam belli Spartianus fuiſſe dicit, *quod vetabantur mutilare genitalia*, Xiphilinus e Dione, quod cum Hieroſolymam inſtauraſſet, *Æliamque* nominaſſet, Jovis templum in eodem loco condidit, ubi Templum olim ſteterat. Unde graviter commoti Judæi atrox bellum excitarunt, duce, uti dictum eſt, Barcocheba: quod Juſtinus in *Apolog.* teſtatur. Huic vero finem impoſitum ſcribit Euſebius anno Adriani XVIII. quod & *lib.* IV. *Hiſt. cap.* VI. ex Ariſtone Pellæo narrat. Atqui anno illo XVIII. *Imperat.* Adriani ἀκμάσαι τὸν πόλεμον Ariſto ſcripſerat. Ideo ſub Adriani finem deſiiſſe putat Scaliger, neque dum XVIII. anno terminari potuiſſe. Sed futilis eſt ac leviſſima ratio. Nam belli vis in ultimum annum incumbere potuit, cum Betherem obſedit Adrianus: qua in poteſtatem redacta, occiſis factionis ducibus, bellum eſt omne reſtinctum. Dixi Hieroſolymorum inſtaurationem nonnullorum ex ſententia Judaica iſta ſeditione poſteriorem fuiſſe: Dionem vero antea contigiſſe ſcriere. Si ante Judæos compreſſos, ac profligatos accidit, hoc eſt ſub annum Adriani XVI. cum ſit annus Chriſti CXIII. vel CXIII. ab Urbis excidio, quod anno Veſpaſiani ſecundo contigit, Chriſti LXX. anni ſunt ferme LXIII. Duobus vero, tribusve plures erunt, ſi finito bello urbem Adrianus excitarit. Quocirca non ſatis exactus eſt Epiphanii numerus, qui XLVII. annos ab illo excidio colligit. Quanquam non Veſpaſiani II. ſed Titi, expugnatam Urbem exiſtimat, a quo ad tempus illud, quo eandem denuo Adrianus erexit, vel ad locum ipſum pervenit, quod decimum ſextum aliquot annis antecedere potuit, anni plus minus XLVII. reperiri poſſunt.

Ἣν κατέστρεψε Τίτος,) Falſum, accidiſſe ſub Tito: Nam id Veſpaſiano imperante contigit.

Καὶ εὗρε τὴν πόλιν πᾶσαν.) Plerique veterum Patrum Hieroſolyma negant funditus a Tito ſubverſa: ſed mediam Urbis partem excidio ſuperfuiſſe dicunt, quam poſtea ſolo æquavit Adrianus. Ideo bis everſam illam aſſerunt. Ita Euſebius *lib.* VIII. de *Demonſtr. cap.* XVIII. Hieronymus, aliique quos citat, ac refellit Scaliger ad annum Euſebii MMCXL. Hanc vero ſecundam Urbis calamitatem iidem illi poſt Judaicam illam ſeditionem a Cocheba conflatam, eundemque necatum incidiſſe memorant, ac tum demum everſa penitus urbe, Æliam ex ejus ruinis excitatam.

Ego vero Dioni prorſus aſſentior, qui Æliam ante Judaicum illum motum ab Adriano conditam affirmat: cujus etiam occaſione rebellaſſe Judæos refert, cum in ea Jovis Capitolini Templum extruxiſſet. Nec illud approbare poſſum, mediam urbis partem prio-

priori illi cladi ſuperſtitem fuiſſe. Non tamen negandum eſt, quin parvæ quædam reliquiæ ad Adriani tempora perſtiterint: quod nimium præfracte facit Scaliger. Qui & Epiphanium redarguit, quod ædificia aliquot, & Synagogas cum Chriſtianorum templis reſtitiſſe dicat. Nam illud Chriſti Domini vaticinium opponit: *Non manebit lapis ſuper lapidem*. Verum Joſephus ipſe *lib.* VII. *cap.* XVIII. turres a Tito tres relictas cum Occidentali muri parte ſcribit, ut ea velut caſtra præſidiariis eſſent. Unde non tam rigide verba illa Chriſti accipienda videntur, nulla ut, etiam exigua, pars urbis remanſerit; ſed ut majori ex parte ſolo æquata, & complanata fuerit, aut illius certe Prophetiæ exitus Adriani quoque tempora complectitur. Quamobrem paulatim accidit, ut partim Judæi, partim Chriſtiani ſive in ſuperſtite illa urbis parte, ſive in propinquo aliquo loco domicilia collocarint. Quæ omnia una cum veteribus Hieroſolymorum reliquiis Adrianus demolitus eſt, ac novam a fundamentis urbem extruxit: non tamen iisdem in veſtigiis, quibus prior conſtiterat; ſed, ut in urbium inſtauratione ſæpius uſuvenit, haud procul a veteri ſede. Hinc eſt quod Hilarius in *Pſal.* CXXXI. & CXLVI. Athanaſius *lib.* de *Incarn.* Verbi, & alii quidam ajunt Hieroſolyma ſuo tempore non extitiſſe. Nam quod non eodem loco, ubi prior ſita fuerat, nova eſſet ab Adriano condita; negarunt ideo Hieroſolyma ſupereſſe. Hilarii verba diligenter attendenda ſunt: *Sed hodie eandem nullam eſſe rerum fides edocet*. Eandem, inquit, nullam eſſe, quod a veteri ſede eſſet aliquanto diſſita. Favet huic interpretationi Gregorius Magnus Homilia XXXIX. ubi hæc eadem Domini verba ſic exponit: *Hoc quoque quod additur*: Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, *etiam ipſa civitatis ejuſdem transmigratio teſtatur. Quia dum in eo loco nunc conſtructa eſt, ubi extra portam Dominus fuerat crucifixus, prior illa Hieruſalem, ut dicitur, funditus eſt everſa.*

Καὶ λαβὼν τὸν Ακύλαν τȣτον.) Hæc omnia fabuloſa, & ab otioſis Judæis conficta videntur. Maxime quod Aquilam ait Adriani πενθερίδην fuiſſe. Quæ vox cum alibi a me lecta non fuerit, vel πενθερὸν ſignificat, vel πενθερȣ filium, affinem certe. Nos *ſocerum* reddidimus, quaſi πενθερὸν legeretur, quomodo Alexandrini Chronici Scriptorem hic legiſſe ſuſpicor. Nam ex hoc Epiphanii loco hiſtoriam Aquilæ Pontifici referens, Ακύλας, inquit, αγονείζετο ὃς ἦν πενθερὸς Αδριανȣ τȣ βασιλέως. De Aquila paſſim meminit Hieronymus, præſertim adverſus *Ruff. Apol.* II. & alibi *Proſelytum contentioſum, atque etymologias nominum perſequentem*, alias *diligentem, & curioſum interpretem* vocat. Et in *cap.* VIII. Iſaiæ nonnullorum opinione diſcipulum hunc Akibæ fuiſſe ſcribit, non tamen Chriſti tempora anteceſſiſſe ſignificat, quod ex Hieronymi loco illo quidam aſſeverant.

Καὶ ἑπτὰ συναγωγαί.) De iis loqui videtur Optatus *Milevit. lib.* III. ubi de Sion agens: *In cujus*, inquit, *vertice eſt non magna planities; ubi fuerunt VII Synagogæ: ubi Judæorum populus conveniens legem per Moyſen datam diſcere potuiſſet.*

Αντωνῖνος ὁ ἐπεκληθεὶς Πίος.) Euſebius annos imputat XXII. menſes III. Victor XXII. totidem Eutropius: Caſſiodorus XXI. Onufrius XXIII. menſes VII. dies XXVI. Vixit autem ad annum Urbis DCCCCXIV. M. Aurelio Vero III. L. Vero II. Coſſ. ut ex inſcriptionibus, ac nummis veteribus colligit Onufrius. Hic eſt annus Chriſti CLXI. quo quidem nonis Martiis, ut idem probat, Antoninus Pius exceſſit. Si igitur initium Antonini ab anno CXXXVIII. uti vulgo fit; decimo vero Julii deduxeris ad annum quem diximus CLXI. Martii VII. anni ſunt abſoluti XXII. menſes VII. dies circiter XXVIII. Verum ex Ptolemæi obſervationibus neceſſario fatendum eſt, Antoninum cœpiſſe Chriſti anno CXXXVII. Siquidem anno Chriſti CXXXVIII. Decembr. XVI. Antonini ſecundum numerat, eundemque ad Maji XVII. anni CXXXIX. pertexuit. At Septembr. XXVI. anni CXXXIX. annum numerat Antonini tertium. Fieri itaque non poteſt, quin annus primus Chriſti CXXXVII. cœperit, contra Chronologorum omnium fidem. Conſentiunt & obſervationes cæteræ, quibus Adriani annos appoſuit, ut de Librariorum culpa, vel Ptolemæi ipſius hallucinatione juſta nemini poſſit eſſe ſuſpitio. Quem non moveat tanti viri, ac tam excellentis ſcriptoris authoritas (qui cum iſta proderet, quotus Adriani, vel Antonini eſſet annus ignorare minime potuit: præſertim recenti adhuc illius obitu, hujus autem initio, nimirum anno CXXXVIII. quem vulgo Antonini exordio præfiniunt, quo quidem, Decembr. XVI. Ptolemæus Antonini ſecundum computat. Ita Pius annos imperarit XXIII. menſes VII. dies XXVIII. Quod fortaſſe verum eſt. Nam & Xiphilinus annos aſſignat XXIV. Natus eſt Antoninus, ut ait Capitolinus, Domitiano XII. & Dolabella Coſſ. XIII. Kal. Oct. Annus hic eſt Chriſti LXXXVI. Sed quotnam vixerit, dubium facit ſcriptorum diſſenſio. Capitolinus LXX. Victor LXXII. uno amplius Eutropius attribuunt: Caſſiodorus LXXXVII. Ab anno Chriſti LXXXVI. ac XIII. Kal. Oct. ad Non. Martii anni CLXI. intercedunt anni LXXIV menſes dies XIX. Totidem vixit Antoninus Pius, ſi ut videtur, anno Chriſti CLXI.

decesserit. Si cum solis Antonini annis negotium nobis esset, conciliari utcunque Ptolemæi observationes cum communi opinione possent, ut annorum initium ab antecedente neomenia Thoth repeti ab illo diceremus. Quemadmodum enim Hebræi in Tractatu Ros hassana docent; cum rex aliquis postremo mense, adeoque ultimo die Adar imperium capessit, in neomenia Nisan sequentis secundum ejus Imperii annum putari; quo hæc illorum sententia pertinet, quam refert Aben Hezra ad *cap.* I. Dan. יום אחד בשנה חשוב שנה: *Dies pro anno computatur*: quoniam ab antecedente Nisan anni superioris exordium deducitur. Ita non absurde fortassis existimari posset; Ptolemæum annum exempli caussa secundum Antonini, adeoque primum, a neomenia Thoth, quæ epocham illius antegreditur, inchoasse. Orsus est Antoninus a VI. Id. Jul. sive Julii X. anno, ut vulgo putant, CXXXVIII. Neomenia Thoth eodem anno cœpit Julii XX.; diebus ab epocha Antonini XI. Dies illi XI. quia neomeniam Thoth præcedunt, anni solidi instar habent. Unde Julii XX. ineunte Thoth secundus Antonini putari incipiet. Quare mirum non esset, quod a Ptolemæo cum eo anno, qui est annus Christi CXXXVIII. Decembris XVI. secundus Antonini comparetur. Verum ut hæc conjectura ab Antonini annis nequaquam abhorreat, Adriani temporibus accommodari non potest. Hujus enim epocha neomenia Thoth posterior est, ex A. D. IV. Id. Aug. sive Agusti X. Anno CXVII. Dionysiano, quo primus Adriani cœpisse creditur, Neomenia Thoth congruit Julii XXIV., diebus ante Adriani primordium XVIII. Et tamen anno Christi CXXXII. Septembris XXVI. XVII. Adriani collocatur, continuaturque sequenti, ad Maji VI. Ergo primus, sive a neomenia Thoth, sive ab epocha ipsa proficiscatur, cœpit anno Christi CXVI.; corrigendæque Chronologiæ omnes, quæ hactenus in CXVII. contulerunt. Hoc ego non tam affirmandi gratia dixerim, quam ut studia eruditorum hominum excitem, ut si quid aptius occurrerit, candide ac benigne nobis impertiant. Scaliger in Animadvers. Euseb. ad Ann. MMCLIV. Antonini primum ex authoritate Censorini confert in eum annum, qui Coss. habuit Antoninum Pium II., & Bruttium Præsentem? quem ait esse Christi CXXXVIII.; *cujus pars*, inquit, *cum parte antecedentis explet annum primum Antonini*. Hinc Onufrium reprehendit, quod eum annum cum Christi CXL. componat, biennii metachronismo. Sed in paucis illis verbis multipliciter hallucinatur Scaliger. Primum Censorinus nusquam Antonini primum annum in Coss. illos dixit incurrere. Nam hæc illius verba sunt *pag.* 48. *Cum abhinc annos centum Imper. Antonino Pio* II. *& Bruttio Præsente Coss. Romæ iidem dies fuerint a. d.* XII. *Kal. Aug. &c.* Quibus significat centesimum annum ab eo, quo scribebat, nimirum qui est Christi CCXXXVIII. Urbis Conditæ DCCCCXCI. Ulpio & Pontiano Coss. habuisse Consules Antoninum, & Præsentem. Fuit autem hic annus Chisti CXXXIX. a quo centesimus est alter ille Censorini, Christi vero CCXXXVIII. Qui est Scaligeri secundus error. Nam Consulatus Antonini II. & Præsentis confertur in annum Urbis ex Varroniana ratione, quam expressit Onufrius, DCCCXCII.; ex Capitolinis Fastis DCCCXCI. Varronianam sequi se profitetur Scaliger, apud quem Palilia prima conjiciuntur in annum *Per. Jul.* 3961. Unde annus iste Urbis Periodi Julianæ est 4852., Cyclo Lunæ 7. Solis 8. Qui characteres non alteri, quam anno Christi CXXXIX. competunt. Est igitur annus ille CXXXIX., quo Coss. fuere Antoninus II. & Bruttius Præsens. Onufrius porro, qui in Christi annis imprudens Dionysianam æram uno antevertit anno (Natalem enim Christi Coss. Augusto XIII. & Silano Coss. attribuit) eundem illum numerat CXL., qui a Dionysiana epocha nonnisi CXXXIX. est. At in Annalibus, qui biennii προχρονισμῷ peccant, CXLI. Christi computatur. De qua annorum perturbatione satis multa ad Hæresin LI. diximus. De tertia Scaligeri hallucinatione supra monuimus, dum annos Adriano tribuit XXI. menses XI. & ejus tamen obitum confert in annum Christi CXXXVII. quo & Antonini conveniet anno Christi CXV. Quod est immane παρεγχείρημα.

Τοῦτον διαδέχεται Καράκαλλος.) Sunt hæc inquinatissima. Atque scio an hæc verba, Καράκαλλος, ὁ καὶ Γέτας, rejicienda sint: ut ita procedat oratio, τοῦτον διαδέχεται Μάρκος Αὐρήλιος, ὃ καὶ Οὐῆρος ἐλέγετο. *pag.* 174. paulo liquidior, ac sincerior Imperatorum successio proponitur: ubi & aliam de hoc loco conjecturam exponemus. Nam quod hic legitur, M. Aurelium septem annos imperasse, falsissimum est: & tamen ne in Librarium transferri culpa possit, subinde confirmatur error, cum dicitur Lucius Aurelius Commodus annis perinde septem imperasse.

Ἐν τοῖς αὐτοῦ χρόνοις καὶ Λούκιος.) Non Marci Aurelii filium Commodum intelligit, qui parenti successit, sed Lucium Cejonium Ælium Commodum Verum Antoninum, Lucii Ælii Veri F. qui ab Adriano adoptatus primus CÆSAR est dictus, & ante Adrianum mortuus. Hujus filius ab Adriano ad Imperii spem cum M. Aurelio pri-

mum

mum evectus, cum eodem post Antoninum imperavit annis XI. Hæc Capitolinus. Perperam igitur tam huic, quam M. Aurelio septem anni tribuuntur. Hinc est quod in reliquorum Imp. serie duo Commodi ponuntur. Quæ res, uti mox dicetur, Epiphanio erroris occasionem dedit.

Ἐν τοῖς τοῦ Σευήρου χρόνοις.) Cujus tandem Severi? Ejusne, quem proxime Pertinaci subjecit? Atqui Theodotio, quem posteriorem Symmacho putat, sub Commodo suam Editionem scripsit. Est autem Severo prior Commodus. Quomodo igitur Theodotionem Symmachus antecessit? Mirum hoc, & inextricabile plerisque merito visum est: neque nos tam Epiphanii errato patrocinium aut colorem quærere, quam illud ipsum eruere ac vestigare debemus. Nemo enim hactenus, ex tot scriptoribus, quos hic Epiphanii locus vehementer exercuit, cubile ipsum erroris attigit: quod, nisi fallimur, tandem odorati sumus. Constabat Epiphanio, Symmachum Theodotione superiorem extitisse: Itemque Theodotionem sub Severo, Symmachum sub Commodo scripsisse. Quæ quoniam ἀσύγκλωστα, & cum historia pugnantia sunt, animadvertit, duos primum fuisse Commodos, *alterum* M. Aurelii collegam, qui cum eo communiter imperavit; *alterum* filium, qui Aurelio patri successit. Ex iis Commodis, posteriorem illum esse scivit, sub quo Theodotionis editio prodierat. Quare non dubitavit, quin ante hunc Severus extitisset. Proinde Severos duos esse credidit. Atque ideo *Pag.* 174. μετὰ τοῦτον, inquit, hoc est, M. Aurelium, Κόμμοδος ἄλλος βασιλεύει. Tum de Severo: τοῦτον διαδέχεται Σεβῆρος ἄλλος. Et *num.* XVII. Theodotionem ait περὶ τὴν τοῦ δευτέρου Κομμόδου βασιλείαν edidisse, qui priori Commodo successit. Cum duo sint ex Epiphanii mente Commodi; totidemque Severi; horum prior posteriorem Commodum antecessit. Ergo aut est M. Aurelius verus, aut Lucius Commodus Verus. Non potest hic esse, quia Severus prior tam ab utroque Commodo, quam a posteriore Severo discernitur. Non alius est igitur, quam M. Aurelius Verus. Σεβῆρος, inquam, pro Οὐῆρος ab Epiphanio Philosophus iste nominatus est. Quod quidem paulo ante corruptæ lectionis vestigia demonstrant: ὃς καὶ Μάρκος Αὐρήλιος Σουῆρ ἐλέγετο. Pro quo Οὖρος ad oram legendum adscripsimus. Nunc Σεβῆρος malim: nec aliud Epiphanium voluisse, qui attente quæ dixi perpenderit, mecum existimabit. Neque solus hoc Epiphanius commisit, ut Severum pro Vero sumeret: sed & alii tam Græci, quam Latini: Græci quidem plerique. Ex Latinis vero Cassiodorus sub Consulatu Severi, & Herenniani, ista subjicit: *His Coss. Lucius Annius Antoninus Severus anno regni undecimo inter Concordiam, & Altinum apoplexi extinctus est.* Quandoquidem Severus prior, ex Epiphanii sententia, M. Aurelius est, non is, qui Pertinaci, ac Juliano successit; apparet Symmachum, qui sub priore illo Severo ab Epiphanio collocatur, nequaquam ad posterioris Severi tempora referri: quod omnes hactenus arbitrati sunt: qui & pugnantia loqui Epiphanium dixerunt, & posteriorem fuisse Theodotione Symmachum non aliam ob caussam putarunt, quam quod Epiphanius Theodotionem sub Commodo, Symmachum sub Severo interpretatos esse prodiderat. Ego vero aberrare quidem Epiphanium negare non possum, qui *Severum* pro *Vero* perperam usurpaverit: consentire autem secum ipsum, & in errore constantem esse defendo: uno tamen peccasse præterea, quod cum post Pertinacem, & Severum hæc subdidit: ἐν τοῖς τοῦ Σευήρου χρόνοις Σύμμαχός τις, &c. non satis expressit, de quonam Severo loqueretur, cum duos commemorasset, visusque est haud immerito posteriorem intellexisse, cui proxime ista subtexuit.

Ab hac Epiphanii hallucinatione revocemus animum ad communem de utriusque Interpretis ætate sententiam. Inveteravit enim jam apud recentiores omnes hæc opinio: Symmachum post Theodotionem extitisse. De quo sane diu est quod dubito. Nam nullum aliud προλήψεως istius argumentum video, quam Epiphanii testimonium illud, quo Symmachum sub Severo, Theodotionem sub Commodo scripsisse docuit. Hoc vero jam extorto, quo demum freti Theodotionem vetustiorem esse pugnabunt? At e contrario Symmachi priorem editionem esse, plura mihi persuadent. Imprimis ordo ille, quem in Codicibus Origenes instituit: in quibus post Aquilam perpetuo Symmachus ante Theodotionem ponitur. Quod, nisi antiquior esset ille, cur ita disponeret Origenes, caussam nullam habuisset. Nam de LXX. senioribus, quos omnium vetustissimos esse convenit, cur alienum in locum conjecti sint, ab Epiphanio ratio illa traditur; quod eorum interpretatio, utpote cæterarum regula, medium jure locum occuparit, ut aliæ cum ea comparari commodius possent. Cur igitur Theodotioni antepositus sit Symmachus, ne fingi quidem caussa altera potest, nisi quod ætate iste præcesserit. Quod enim quibusdam placet, ideo posteriorem Theodotioni tributam esse sedem, ut LXX. senioribus, quemadmodum interpretandi genere, sic ordine

dine propinquus esset, leve est, imo ridiculum. Cum enim principem LXX. Seniorum editionem ambo illi velut stipatores, ac laterones cinxerint, utram in partem Theodotionis editio conferretur, nihil ad propinquitatem interfuit. Idipsum veteres Patres animadvertisse videntur; qui in commemorandis illis interpretibus Theodotioni Symmachum anteponunt; raro Theodotionem Symmacho. Nec eo ordine duntaxat appellant, cum ex Origenis codicibus depromptis eorundem testimoniis utuntur; sed tum quoque quum singulorum τὰ ἱςορόμενα singillatim exponunt. Nam primo loco LXX. Interpretes constituunt, quibus Aquilam, Symmachum, Theodotionem subjiciunt. Sic Athanasius in Synopsi anteriorem fuisse Symmachum affirmat: cujus editionem LVI. post Aquilæ versionem annis extitisse narrat. Si, ut author est Epiphanius, XII. Adriani anno Aquilæ Interpretatio prodiit, qui est annus Christi CXXVIII. vel ab eo proximus, quinquagesimus ab illo & sextus annus incidit in annum circiter CLXXIV., Commodi quartum, vel quintum. Sed perperam idem Synopseos author sub Severo editam esse refert. Nam subinde Theodotionem subtexens, ἡρμήνευσε καὶ αὐτὸς, inquit, ἐπὶ Κομμόδου τοῦ βασιλέως ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ. *Eodem tempore & ipse sub Commodo interpretatus est*. Non igitur alter sub Severo. Ita propter exoticæ historiæ neglectum plerumque sanctissimi Patres inextricabilibus sese laqueis implicant: Epiphanius denique, ex quo contrariæ sententiæ unicum & singulare firmamentum Alexandrinum Chronicon, ac recentiores hauserunt, palam, ac sine ambage Symmachum Theodotione priorem extitisse confirmat, atque hunc sub Commodo; illum sub Vero, id est M. Aurelio scripsisse: quem frustra *Severum* appellat, idemque ut faceret Synopseos illius, vel appendicis Synopseos, quæ Athanasio tribuitur, authorem induxit. Est enim hæc lacinia nequaquam, ut opinor, Athanasii, sed scriptoris alterius, qui ex Epiphanio ista describens, perinde atque ille, pro Vero, Severum usurpavit. Quare quod Symmachum sub Severo Pertinacis successore edidisse vulgo ferunt, quatenus ex Epiphanio istud asserunt, mutent deinceps sententiam omnes, &, si hunc authorem sequi cupiunt, ad Marci Aurelii Veri tempora summoveant. Cedrenus Symmachum ex Eusebii fide Pertinacis tempore fuisse scribit. Quod ego apud Eusebium nondum reperi. Nam in *lib.* VI. *Hist. cap.* XII. & *lib.* VII. *de Demonstr. cap.* II. ubi quis Symmachus fuerit exponit, de illius ætate verbum nullum. Est tamen, ut ingenue fatear, nonnihil, quod in asserenda Sammachi vetustate scrupulum movet: nimirum quod Irenæus, qui Marci Aurelii, & Commodi tempore, ac Severi quoque initio floruit, *lib.* III. *cap.* XXIV. cum de illo Isaiæ loco *cap.* VII. 14. *Ecce virgo concipiet*, adversus Judæos disserit, Theodotionis, & Aquilæ, qui aliter interpretati fuerant, meminit, non item Symmachi. At non minus iste, quam ambo illi, pro *virgine* νεανίδα reddiderat, ut *lib.* VII. de *Demonstr.* testatur Eusebius. Itaque si tum illius extabat editio, usurpari ab Ebionæis, quorum e grege Symmachus fuit, & ab Irenæo refelli debuit. Cogitent eruditi. Nondum enim in communi sententia acquiescere possumus.

Ὅσοι γὰρ ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων.) Contrarium tradit *August. lib.* I. *còntra Crescon. cap.* XXXI. *Nunquid apud Samaritanos circuncisus, si fieri tunc vellet Judæus, posset iterum circuncidi? Nonne illius hominis error corrigeretur; signaculum autem fidei agnitum probaretur? Et nunc sunt quidam Hæretici, qui se* Nazarenos *vocant, a nonnullis autem* Simmachiani *appellantur, & circuncisionem habent Judæorum, & baptismum Christianorum; ac per hoc quemadmodum si quis eorum ad Judæos venerit, non potest iterum circuncidi, sic cum ad nos venerit, non debet iterum baptizari*. Symmachianorum meminit etiam Philastrius. Sed ab alio quam ab hoc Interprete nominatos existimo. Est illud vero observatione non indignum, quod ad circuncisionem attinet, solis illam Judæis veterum Imp. legibus fuisse permissam, cæteris interdictam, etiam Samaritanis. Qua de re insignis est Origenis locus, *lib.* II. contra Celsum *pag.* 69. Ἀλλὰ φήσει τις, ὅτι καὶ Σαμαρεῖς διὰ τὴν ἑαυτῶν θεοσέβειαν διώκονται. πρὸς ὃν τοιαῦτα ἐροῦμεν· οἱ Σικάριοι διὰ τὴν περιτομὴν, ὡς ἀκρωτηριάζοντες, παρὰ τοὺς καθεστῶτας νόμους, καὶ τὰ Ἰουδαίοις συγκεχωρημένα μόνοις, ἀναιροῦνται. *Dicat aliquis? Etiam Samaritani ob religionem suam persecutionem sustinent. Cui ita respondemus: Sicarii propter circuncisionem, tanquam mutilantes contra leges, ac licentiam solis Judæis concessam, pœna mortis afficiuntur*. Proinde Samaritani tanquam sicarii supplicio subjecti, ut & marium exsectores. Modestinus JC. *Circuncidere Judæis filios suos tantum rescripto Divi Pii permittitur: in non ejusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur*. Quod castrare ne medicis quidem fas esset, declarat Justinus Martyr *Apol.* II. exemplo Christiani: qui ut sparsam a Gentilibus adversus Christianos promiscui concubitus invidiam refelleret, libellum obtulit Felici Ægypti Præfecto, quo exsecandi sui potestas fieret: Ἀνὰ γὰρ τῆς

τοῦ

τȣ̃ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τȣτο πράττειν ἀπειρῆσθαι οἱ ἐκεῖ ἰατροὶ ἔλεγον. Quin & Judæi aliquando vetiti mutilare genitalia. Spart. Adriano: *Moverunt ea tempestate & Judæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia.*

Τὸ δὲ ἔτι τȣ́των χαλεπώτερον.) Vide Corn. Celsum *lib.* VII. *cap.* XXV. *lib.* I. *Maccab. cap.* I. Menelaus, & Tobias adduxerunt sibi præputia. Quod Hieron. in *cap.* LII. Isaiæ fieri posse non credidit.

Καὶ κολλητικοῖς περιοδεθέντες.) For. περιδεθέντες. Quanquam tolerari altera potest. De emplastris loquitur, quibus ea pars glutinatur. Vide Celsum.

Μετὰ τȣ̃τον δὲ κατὰ πόδας.) Imo ante ipsum extitit Theodotio, non Ponticus, sed Ephesius: uti ab Athanasio vocatur, & quod caput est, ab Irenæo *lib.* III. *cap.* XXIV.

Ἅπνα εἰς ὕστερον ἐν τοῖς φωνῶν.) Origenes LXX. Seniorum *editioni Theodotioni translationem miscuit, asterisco, & obelo opus omne distinguens, dum aut illucescere facit, quæ minus antea fuerant; aut superflua quæque jugulat & confodit.* Hæc Hieron. Præfat. in Pentat. Vide & Ep. LXXXIX. ad August.

Μετὰ Ἀντωνῖνον τὸν Πίον.) Hunc Severum pro Vero appellatum ab Epiphanio supra vidimus. Hinc M. Αὐρήλιος Σȣὴρ dicitur: Hoc est Σευῆρος, ut opinor. Quanquam sæpe Οὐῆρος recte ab Epiphanio nominatur. Huic præter XIX. annos, mensem I. Eusebius assignat: Eutropius & Victor annos XVIII. Natus est Anni Vero II. & Augure Coss. V. Kal. Mart. ut ait Capitolinus. Annus is est Christi CXXI. Vixit annos LVIII. Menses x. dies XX. ut ait Xiphilinus. Mortuus est enim XVI. Kal. Apr eodem Authore, Præsente & Gordiano Coss. anno Dionysiano CLXXX. Imperavit igitur annos solidos XIX. & dies præterea XI.

Μετὰ τȣ̃τον Κόμμοδος ἄλλος.) Ἄλλος dixit, ut a priori discerneret, qui M. Aurelii collega fuit; sub quo Theodotionem prodiisse perperam existimat. Xiphilinus Commodo dat annos XII. Menses IX. dies XIV. Victor & Eutropius Annos XII. Menses VIII. Occisus est Prid. Kal. Jan. Commodo VII. & Pertinace Coss. anno Dionysiano CXCII. Imperavit igitur anno XII. menses VIII. dies XIV.

Κόμμοδον τȣ̃τον διαδέχεται.) Falsum est menses imperasse VI. Neque enim tertium implevit. Eutropius dies LXXX., Dio LXXXVII. duobus minus Victor attribuit.

Τȣ̃τον διαδέχεται Σελῆρος ἄλλος.) Julianum præteriit. Cur autem Σελῆρον ἄλλον vocet, caussam exposuimus. Dio imperii tempus annis XVII. mensibus VIII. diebus III. definit. At Epiphanius hoc tempus cum Antonino Caracalla filio communicat. In quo fugit eum ratio. Nam Caracalla Saturnino & Gallo Coss. Augustus a Patre renunciatus est, anno Severi circiter VI. Mortuus est Severus Gentiano & Basso Coss. Christi CCXI.

Τελευτήσαντος δὲ Σελήρȣ.) Severus duos habuit filios; Antoninum Caracallam, & Getam. Horum priorem cum patre XVIII. annos explesse credit Epiphanius: alterum ambobus successisse. Quod est falsissimum. Nam neque Geta Caracallæ nomen habuit, & altero anno post Patris obitum a fratre necatus est. Caracalla vero, Dione teste, imperavit annos VI. menses II. cum diebus V. Obiit Præsente & Extricato Coss. anno Dionysiano CCXVII.

Ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ αὐτȣ̃.) Vide Eusebium *lib.* VI. Athanasii Interpres πίθοις proprium oppidi nomen esse credidit.

Τὸν δὲ Καράκαλλον διαδέχεται.) Macrinum, quem in Ancorato posuerat, hic omisit. Qui post Caracallam imperavit annum I. menses ferre II. Hunc Pseudoantoninus Alagabalus excepit. Cui annos IV. tribuit Eusebius. Eutropius annos II. menses VIII. Victor in Cæsaribus menses XXX. In Epitome totidem, quot Eutropius. Sed & Lampridius prope triennio illum imperasse scribit. Omnium largissime Herodianus VI. annos assignat.

Μετὰ τȣ̃τον ἐβασίλευσεν Ἀλέξανδρος.) Occisus est VI. Id. Mart. a militibus Alagabalus, ipso IV. & Alexandro Cæsare Coss. Nec de anno dubitari potest. Est enim insigni charactere nobilis. Nempe quod anno primo Alexandri, ut testatur Hippolytus in Canone Paschali, decima quarta Paschalis contigit Eid. Apr. Sabbato. Proinde Cyclo Solis VII. Lunæ XIV. anno Christi Dionysiano CCXXII. Lit. Dom. F. Onufrius hunc annum Christi facit CCXXIII. propter anticipatam uno anno Dionysianam epocham. Cæteri CCXXIV. Quorum metachronismus ex hoc charactere deprehensus castigationem meretur. Imperavit Alexander annos XIII. dies IX. ait Lampridius: adstipulatur & Eutropius; nec non Victor. Unus Herodianus annos XIV. assignat; quod scilicet XIV. jam numerari cœptus esset. Obiit igitur anno Christi CCXXXV. Severo & Quintiano Coss.

Ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίῳ.) Perperam apud Athan. τῇ πρὸς ἀρκτίοις. Unde Interpres *Nicopoli Septentrionali*. Leg. τῇ πρὸς Ἀκτίῳ vel Ἀκτίῳ.

Μετὰ τοῦτον βασιλεύει.) Maximinus triennium cum diebus aliquot imperavit, ut refert Eutropius. Quare moritur anno Christi CCXXXVIII. De annis tribus consentiunt & alii, ut Victor. At Onufrius in Chronico annos dat tantum duos cum aliquot mensibus, & diebus: & occisum facit Coss. Perpetuo & Corneliano, cui annum adscribit Urbis DCCCXC. Christi CCXXXVIII. qui revera est CCXXXVII. In Fastis vero anno Urbis DCCCCXCI. Maximinum interfectum esse narrat, qui est annus æræ Dionysianæ revera CCXXXVIII. Ulpio & Pontiano Coss. Quo anno librum suum Censorinus elucubravit; ut ejusdem illo loco constat, qui afferri vulgo solet, estque Chronologiæ munimentum, & ἔλεγχος τῆς διαστροφῆς τῶν χρόνων.

Τοῦτον διαδέχεται Γορδιανός.) Prætermisit Gordianos, & Maximum, ac Balbinum, qui vivo adhus Maximino creati fuerant. Gordianus autem Junior annos fere VI. imperium tenuit.

Μετὰ τοῦτον βασιλεύει Φίλιππος.) Eutropius annos dat V. totidemque Victor; Epiphanius Eusebium secutus est. Vide Baronianos Annales. Onufrius annos V. cum mensibus aliquot tribuit. Insignitum fuit Philpporum imperium Sæcularibus ludis, qui expleto jam millenario Urbis anno celebrati sunt, hoc est MI. ab Urbe condita, Philippo III. & Philippo filio II. Coss. non Æmiliano, & Aquilino Coss. ut scribit Cassiod. Annus ille est Christi CCXLVIII.; non CCXLIX.; ut est in Annalibus. Ubi dupliciter peccatur. Primo quod millesimo ipso labente Sæculares ludi commissi referantur; Philippo Patre II. & filio I. Coss. cum millesimo jam expleto, hoc est MI. ineunte peracti sint; Philippo patre III. & filio II. Coss. uti veteres nummi fidem faciunt, quos Onufrius, ipsique adeo, quod mirum est, Annales repræsentant. Deinde quod illum ipsum urbis millesimum cum anno Christi CCXLIX. concurrere putant. Etenim si de annis Christi Dionysianis sermo sit, ut est revera; usitato illo biennii metachronismo rationes conturbant. Quippe annus Urbis millesimus, ex Varroniana computatione, quam Annales sequuntur, convenit cum anno Christi Dionysiano CCXLVII. Quod ex iis, quæ sparsim in his Animadversionibus adnotata sunt, manifesto constat: atque inter alia ex egregio illo Censorini. Ubi annum illum, quo Ulpius & Pontanus Coss. extiterunt, quo ab Olympiade prima millesimus & quartusdecimus ex diebus æstivis inchoatus est, fuisse scribit ab Urbe Condita nongentesimum nonagesimum primum ex Parilibus; Julianum vero CCLXXXIII. Non potestis alius annus esse, quam CCXXXVIII. Dionysianus, Cyclo Lunæ XI. Solis XXIII. ut ex Olympiadum, Julianorum, Nabonassareorum, ac cæterorum annorum comparatione colligitur. Igitur cum annus Urbis DCCCCXCI. Cyclum habeat Lunæ XI. primus Urbis annus Varronianus, quem Censorinus amplectitur, in Cyclum Lunæ IX. incidit, Solis XIII. Proinde millesimus ab Urbe Condita Cyclos exigit; Lunæ quidem I. Solis IV. qui anno Christi CCXLVII. competunt. Ergo is est ex Varronis sententia ab Urbe Condita millesimus. Annus enim CCXLIX. Cyclos obtinet Lunæ III. Solis VI. His ita constitutis; qui annos Philippis attribuunt V. cum illorum initium consignetur Consulatu Peregrini & Æmiliani, qui est annus Christi Dionysianus CCXLIV. mortem eorundem attribuunt Coss. Æmiliano & Aquilino, qui est Urbis MII.; Christi CCXLIX. Ita Ouufrius: qui hunc ipsum numerat Christi CCL. propter institutam Christi annorum anticipationem, de qua sæpe diximus. At quibus septem annis placuit imperasse Philippos: ii mortuos illos putant Deciis ambobus Coss. ut est apud Cassiodorum; qui Decium filium appellat Etruscum. Estque is annus Urbis MIV., ut Orosius prodidit; Christi Dionysianus CCLI. At vetus Inscriptio, quæ anno Christi CCLIII. Philippos occisos asserit, quæque in Annalibus refertur, sine dubio vana ac supposititia est, ideoque merito ab Onufrio prætermissa; si modo eam vidit. Neque enim adeo vetusta est computandorum annorum ratio, quæ a Christi Natali deducitur. Ut omittam ab Dionysiana methodo biennio solido Inscriptionem illam abhorrere.

Τοῦτον διεδέξατο Δέκιος.) Eutropius Decio integros annos duos imputat: ut & Victor in Cæsaribus. At in Epitome menses XXX. imperasse dicit. Cassiodorus biennium & menses IV. Epiphanius Eusebii Chronicon secutus annum I. Menses III.

Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Δεκίου.) Gallo imperante moritur Origenes, annum agens LXIX. author Eusebius *lib.* VII. *cap.* I. Hieron. in Catal. Quare quod hunc ait Epiphanius floruisse a Decii tempore ad Gallum & Volusianum, nimium angustum est spatium. Siquidem isti non plus biennio, ac mensibus IV. imperarunt. Ideo pro Decio *Severum* dicere oportuit. Nam sub hoc Imperatore celebris est habitus Origenes. Vide Eu-

Euſeb. *lib.* VIII. *cap.* III. Sed quod ultra Galli & Voluſiani imperium ſuperſtitem Origenem fuiſſe ſcribit Epiphanius; reclamat Euſebius, qui Gallo Imper. ex hac vita migraſſe diſerte teſtatur. De qua re ad Hæreſ. LXIV. diximus.

Φαβιανὸς δὲ ἐπὶ Ῥώμης.) De Fabiano & Alexandro vide Euſebium *lib.* VI. *cap.* XXII.

Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Ὠριγένης.) Multa pro Chriſti nomine diverſis temporibus paſſus eſt Origenes. Primum ſub Severo; cum ſæpius ad necem quæſitus ægre latuit. De quo Euſeb. *lib.* VI. *cap.* III. Tum ſub Alexandro: ac deinde ſub Decio. Qua in perſecutione lapſum illius accidiſſe merito conjicimus. Tunc enim multo quam alias unquam atrociora, ac vehementiora perpeſſus eſt. De quibus Euſeb. *cap.* λθ'. Et nos ad Origenianorum Hæreſin quædam attigimus.

Εὑρὼν δὲ τῇ πέμπτης, καὶ ἕκτης.) Quænam fuerint Origenis Tetrapla, Hexapla, & Octapla, nemo accuratius Epiphanio tradidit. Quare ex ejus fonte omnes hauſerunt, qui illorum voluminum rationem explicarunt: & tamen plerique in tam aperto Epiphanii loco multum hallucinati ſunt. Omnium vero maxime Marianus Victorius, qui Hieronymum recenſuit. Qui in Scholiis ad *lib.* II. *Apol. in Ruff. Num.* 63. credit. Origenis ἑξαπλᾶ ex Græcis editionibus VI. fuiſſe contexta: nimirum LXX. Seniorum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Quinta & Sexta: & Eraſmum aliter ſentientem redarguit, ex Epiphanii, ut aſſerit, authoritate. Quod valde miror. Neque enim cujuſmodi editiones illæ fuerint Epiphanius obſcure ſignificat, cum hic, tum in Origen. Hæreſi, quæ eſt LXIV, *num.* III. ſed hic potiſſimum. Quo ex loco ſingularum editionum ordinem in triplici codicum genere ſequenti Diagrammate propoſuimus.

TETRAPLA ORIGENIS.

Aquila	Symmachus	Septuaginta	Theodotio

HEXAPLA.

Hebraica propriis elementis concepta.	Hebraica Græcis literis conſcripta.	Aquila	Symmachus	Septuaginta	Theodotio

OCTAPLA.

Hebraica propriis literis cōcepta.	Hebraica Græcis conceptaliteris.	Aquila	Symmachus	Septuaginta	Theodotio	V. Editio.	VI. Editio.

Hinc illorum error inſuper arguitur; qui in Tetraplis primam columnam LXX. Senioribus attribuunt, quos tertium in locum conjectos Epiphanius tam diſerte memorat. At Euſebius *lib.* VI. *cap.* ιζ'; in Pſalmorum Hexaplis, poſt inſignes ac tritas Editiones quatuor, inquit, οὐ μόνον πέμπτην, ἀλλὰ καὶ ἕκτην, καὶ ἑβδόμην παραθεὶς ἑρμηνείαν ἐπὶ μιᾶς αὖθις σεσημείωται, ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης ἐν πίθῳ κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ Σεβήρου.

Ita septem in Hexaplis Editiones fuerint: ut non Hexapla essent, sed Heptapla. Quænam vero ἑβδόμη illa fuit? Græcane, an Hebraica? Græca in Octaplis nulla præter sex fuit. Si Hebraicam intelligit, non ἑβδόμην modo; sed ὀγδόην etiam in Octaplis adjecit Origenes: nempe eandem Hebraicam Græcis literis exaratam, In Hexaplis vero non sex Græcas, sed quatuor duntaxat exhibuit. Quare mirus est Eusebii locus: &, nisi fallor mendosus. Expungenda igitur hæc arbitror, καὶ ἑβδόμην. Tametsi apud Nicephorum etiam in Græco Codice MS. Bibliothecæ Viennensis ex Eusebio translata reperio. Quinetiam vitiosa illa esse crediderim: ἐπὶ μιᾶς αὖθις. Pro quibus rescribo ἐπὶ μιᾶς πέμπτης. Quinta enim Editio Jerichunte in dolio est inventa: cui soli titulus erat ille præfixus. Illud porro consideratione dignum est, quod ab Eusebio post illa verba subtexitur, ταύτας δὲ ἁπάσας ἐπὶ ταὐτὸν συναγαγὼν ἀπάσας, διελών τε πρὸς κῶλον, καὶ ἀντιπαραθεὶς ἀλλήλαις μετὰ καὶ αὐτῆς τῆς Ἑβραίων σημειώσεως, τὰ τῶν λεγομένων ἡμῖν ἑξαπλῶν ἀντίγραφα καταλέλοιπεν. *Has omnes Editiones* (quas septem enumeraverat) *in unum omnes conjiciens, & per columnas dividens, ac sibi invicem opponens, cum Heqraica ipsa significatione, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit*. Quibus ex verbis conjicere licet, ἑβδόμην illam, si modo integra lectio est, Hebraicam esse suis literis conscriptam, ad quam ἡ σημείωσις, hoc est eadem Hebraica Græcis expressa literis accesserit. Atqui Octapla jam erant; non Hexapla. An Octaplis ipsis Hexaplorum nomen inditum est, quatenus sex Græcis Editionibus constabant? Sane hoc ipsum docere præter Eusebium videtur Epiphanius Hæres. LXIV. Origenianorum, *num.* III. Nam Hexapla dicit præter Græcas Editiones sex, Hebraicas habuisse duas, ὥστε εἶναι τὴν πᾶσαν παλαιὰν διαθήκην διʼ ἑξαπλῶν καλουμένων, καὶ διὰ τῶν δύο Ἑβραϊκῶν ῥημάτων. Lege attentius hunc locum. Nam Hexaplorum appellationem Octaplis etiam ipsis accommodare videtur; & quidem in toto vetere Testamento, quod de Psalterio solo testatur Eusebius.

Μετὰ Γάλλον, καὶ Οὐολουσιανόν.) Biennium cæteri fere illis attribuunt; Eutropius, Victor, &c. Eusebius menses præterea IV. in Chron. In historia vero ne integrum quidem biennium. At in Annal. A. CCLVI. *num.* XXXV. quatuor imputantur anni, ex antiquis numis: in quibus Tribun. Pot. IV. Trebon. Gallus legitur. Quæ Tribunitia potestas toties multiplicari solebat, quot ad Imperium accesserant anni; ut testatur Dio. Sed si Gallo, ac Volusiano præterea biennium arrogandum est, commune hoc istis esse cum Valeriano & Gallieno debet: quod mirum est ab Historicis esse dissimulatum. Nec illud nescio, quam fallax plerumque conjectura illa sit, quæ de Impp. annis ex Tribunitiæ potestatis numero capitur, qui in marmoribus aut numis exhibentur: ut in Tacito paulo post, & Caro monstrabitur. Extinctus est Decius anno Christi CCLII. ex quo Galli ac Volusiani initium consurgit.

Ἐβασίλευσεν Οὐαλεριανός.) Quindecim annos Eusebius in Chronico, & in Historia tribuit: in quo cæteros ferme suffragatores habet. Nam Valeriano VI. aut VII. Galieno soli VIII. vel IX. concedunt. Initium Valeriani & Galieni convenit anno Christi CCLIV. exitus, anno CCLXVIII. Nam XV. annum Galienus attigit. Tribus annis minus dicit Epiphanius.

Ἐν τῷ ἐνάτῳ οὖν ἔτει τούτου.) Manichæi grassationem variis annis consignant veteres Chronologi. Noster hic quidem Galieni nono collationem illam Archelai cum Manete contigisse scribit. At in Manichæorum Hæresi, anno Aureliani fere IV. Vulgo Coss. Probo ac Paulino: ut ibidem latius differuimus.

Μετὰ Οὐαλεριανὸν καὶ Γαλλίηνον.) Hæc ex Eusebio. Plerique annos duos: quos absolutos fuisse, ita ut tertium inierit, demonstrat Baronius. Nec multum repugnem. Cœpit Claudius anno Christi CCLXVIII. circa IX. Kal. Apr. ut indicat Trebellius. Desiit anno CCLXX.

Τοῦτον διαδέχεται Αὐρηλιανός.) Consentiunt in hunc annorum numerum præter Eusebium Eutropius, Victor, Cassiodorus, &c. Solus Annalium conditor annos VII. attribuit; quod in numo vetere septies Trib. Pot. affingitur. Sed nihilominus communis sententiæ nondum me pœnitet. Cœperit Aurelianus anno CCLXX. Februario mense, hoc est X. Kal. Mart. ut ex Vopisco refert Onufrius; periit anno CCLXXV. sub idem fere tempus. Nam post ejus obitum interregnum fuit sex mensium, authore Vopisco, ac Victore, ad VII. Kal. Oct. quo tempore subrogatus est a Senatu Tacitus. Ita sextum imperii annum leviter attigit. Veteres Inscriptiones non amplius quam V. Tribun. Pot. referunt.

Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Τάκιτος.) Sex illos menses iniit ex A. D. VII. Kal. Oct. anni CCLXXV. perduxitque ad Aprilem anni CCLXXVI. Atqui in Inscriptionibus Gruteri extat una, quæ Tacito Trib. Pot. II. arrogat. Non igitur ex Trib. Pot. numero Imperii tempus æstimandum. Et apparet; nisi Tribunitiam potestatem ante imperium nactus sit Tacitus, hanc illi geminatam esse ineunte Juliano anno, ac nono Consulatu;

tu; adeo ut prior Tribunitia poteſtas tres duntaxat menſes occuparit. Quod utrum in aliis factitatum, affirmare nondum audeo. Sane poteſtatis iſtius repetitio non perpetuo vertentibus Imperii annis reſpondere videtur. Quod eſt animadverſione dignum. Vide infra in Caro Imper.

Μετὰ τῦτον ἐβασίλευσε Πρόβος.) Probi Imper. anni paulo accuratius expendendi ſunt. In iis enim Chronologiæ Chriſtianæ velut cardo quidam vertitur; atque eo demum perducta in Annalium libris annorum ſeries ab errore in viam longo intervallo reducitur. Intellectum eſt hactenus ex iis præſertim, quæ de Natali Chriſti anno ad Hær. LI. propoſuimus; complures Annalium conditores in Chriſti annis cum Romana, vel Græca hiſtoria comparandis biennio lapſos eſſe; alios uno duntaxat anno. Quod iccirco illis accidit, quia Chriſtianam æram, quæ in annum IV. Olymp. CXCIV. Urbis vero DCCLIII. ex Varroniana putatione convenit, ad annum Olympiadis illius ſecundum, vel tertium; Urbis DCCLI. vel DCCLII. retrahendam putarunt. Hinc unius, vel duorum annorum metachroniſmus imprudentibus illis incidit; quod e cœleſtium obſervationum, ac Cyclorum methodo nullo negotio deprehenditur. Sed quoniam doctrinam iſtam partim ignorant; partim etiam contemnunt aliqui; & opportuniſſimam vel errori, vel inſcitiæ latebram præbent Conſulares illorum temporum *Faſti*, qui magnopere incerti depravatique ſunt, atque a ſe mutuo diſſentiunt, non prius agnitus eſt error, quam ad inſignem aliquam, & illuſtrem epocham perventum eſt, quæ certum ac definitum intervallum clauderet. Ejuſmodi eſt Diocletiani primordium, quod anno æræ Dionyſianæ CCLXXXIV. congruit. Tum Valentiniani; quem anno biſſextili, hoc eſt CCCLXIV. iniiſſe conſtat. Cum igitur ab initio illo, quod ſibi iſti præfixerant, nimirum ab anno II. Olymp. CXCIV. Cyclo Lunæ XVIII. Solis VII. ad initium Diocletiani, cui Cyclus Lunæ XIX. Solis XIII. competit, interjecti eſſe debeant anni CCLXXXVI. vel uno pauciores, ab anno III. Olymp. ejuſdem, Cyclo Lunæ XIX. Solis VIII. ut cum Dionyſiana æra Chronologiam ſuam conciliare poſſent, utique Diocletiani primus in annum æræ ſuæ Chriſtianæ CCLXXXIV. caderet; unum aut alterum annum, totidemque Conſulatuum paria ſuſtulerunt; quod, ut diximus, in illa fæce Romani imperii impune propter Annalium perturbationem facere licuit. Atque hanc annorum jacturam labemque Probus Imperator facile ſuſtinuit; de cujus imperii tempore nonnulla eſt inter primarios authores diſſenſio. Nam Vopiſcus annos illi V. duntaxat attribuit. Cæteri VI. aut VII. hoc eſt annos ſolidos VI & menſes IV. Ita Eutropius, Victor, Euſebius, & ex Euſebio noſter Julianus in Cæſaribus, Caſſiodorus, alii ferme omnes, præter unum Vopiſcum. Quamobrem qui ſuos Annales uno anno vel biennio hactenus anteverterant, detractis totidem ex imperio Probi, cum Dionyſiana æra deinceps paria fecerunt. Auguſtus Imperator obiit duobus Sextis Coſſ. ut author eſt Svetonius, & Dio. Horum vero Conſulatus, ut & mores Auguſti, congruit anno Juliano LIX. Dionyſianæ æræ XIV. quod Solis eclipſis indicat, quæ ſub ejus mortem accidit. Poſt hunc Conſulatum ducenteſimus ac ſeptuageſimus eſſe debet Conſulatus Carini II. & Numeriani II. quibus Coſſ. Diocletianus ad imperium evectus eſt. Totidem enim anni ſunt a XIV. Dionyſiano ad CCLXXXIV. Apud Onufrium vero ducenteſimus ſexageſimus duntaxat nonus eſt: In magnis Annalibus ducenteſimus ſexageſimus octavus. Ergo in iſtis, Conſulum paria duo: in illis, unum deſideratur. Similiter annus primus Alexandri Mammææ filii, ut ex Hippolyti Canone ſupra vidimus, iniit, anno Chriſti CCXXII. a quo ſexageſimus ſecundus annus eſt Chriſti CCLXXXIV. proinde LXII. Conſulum paria numerari debent. Verum in Onufrianis Faſtis nonniſi LXI. in aliis LX. ponuntur. Quare hic duo Coſſ. paria, illic unum eſt expunctum. Hoc ut certiſſime conſtat; ita quinam maxime Coſſ. præteriti ſint, in tanta Faſtorum diſcrepantia deſignare difficile eſt. Periclitandi tamen cauſſa aliquot Coſſ. ſeriem ex diverſis Faſtis excerpemus. Quorum initium ab iis Coſſ. ducemus, quibus, occiſo Gallieno ſucceſſit Claudius, ut Onufrio videtur; nempe Ovinio Paterno II. & Mariniano Coſſ. In prima & quarta columella Onufrianos, & Baronianos Coſſ. in mediis ambabus ex Caſſiodoro, & Siculis Faſtis exſcriptos ſubjiciemus.

LATERCULUM CONSULATUUM
ALIQUOT EX VARIIS FASTIS EXCERPTUM.

Anni Urbis	Anni Christi	Ex Onufrio. Coss.	Ex Cassiodoro. Coss.	Ex Fastis Siculis. Coss.	Anni Christi	Ex Baronianis Annalibus. Coss.
1021	269	Paternus II. Marinianus.	Paternus II. Marianus.	Paternus, Marianus.	269	Paternus II. Marianus.
1022	270	Claudius II. Paternus.	Claudius, Paternus.	Claudius, Paternus III.	270	Claudius II. Paternus.
1023	271	Antiochianus, Orphitus.	Antiochianus, Orphitus.	Antiochianus, Orphitus.	271	Antiochianus, Orfitus.
1024	272	Aurelianus, Bassus.	Valerianus, Bassus.	Aurelianus, Bassus.	272	Aurelianus, Bassus.
1025	273	Quietus, Valdumianus.	Quietus, Valdumianus.	Quietus, Bradumianus.	273	Quietus, Valdumianus.
1026	274	Tacitus, Placidianus.	Tacitus, Placidianus.	Tacitus, Placidianus.	274	Tacitus, Placidianius.
1027	275	Aurelianus II. Capitolinus.	Aurelianus Capitolinus.	Quietus II. Budumianus.	275	Aurelianus II. Capitolinus.
1028	276	Aurelianus III. Marcellinus.	Aurelianus II. Marcellus.	Aurelianus II. Capitolinus.	276	Aurelianus III. Marcellinus.
1029	277	Tacitus II. Æmilianus.	Probus, Paulinus.	Aurelianus III. Marcellus.	277	Probus, Paulinus.
1030	278	Probus II. Lupus.	Probus II. Paternus II.	Tacitus II. Æmilianus.	278	Paternus, Probus II.
1031	279	Probus III. Paternus.	Probus III. Paternus III.	Probus, Paulinus.	279	Tacitus, Æmilianus.
1032	280	Messala, Gratus.	Messala, Gratus.	Probus II. Lupus.	280	Messala, Gratus.
1033	281	Probus IV. Tiberianus.	Probus IV. Tiberianus.	Probus III. Paternus.	281	Probus IV. Tiberianus.
1034	282	Probus V. Victorinus.	Probus V. Victorinus.	Messala, Gratus.	282	Probus V. Victorinus.
1035	283	Carus II. Carinus.	Carus, Carinus.	Probus IV. Tiberianus.	283	Carus, Carinus.
1036	284	Carinus II. Numerianus.	Carinus II. Numerianus.	Probus V. Victorinus.	284	Carus II. Numerianus.
1037	285	Diocletianus II. Aristobulus.	Diocletianus, Aristobulus.	Carus, Carinus.	285	Diocletianus II. Aristobulus.
1038	286	Maximus II. Aquilinus.	Maximus, Aquilinus.	Diocletianus, Bassus.	286	Maximus, Aquilinus.

Ad eos Coss. qui adscripti sunt anni Christi, in Onufrianis, & Baronianis Annalibus iidem omnino sunt. Atqui Onufrii Fasti uno anno & Baronianis sunt tardiores. Ita quidem hactenus, ad annum usque Christi CCLII. quo Coss. in Fastis Onufrianis fuere Decii ambo, qui apud Baron. incidunt in annum CCLIII. Sed Consulatum unum eximit Onufrius. Nam anno CCLIV. apud Baron. Coss. sunt Decius III. Gratus II. quos omittens Onufrius biennio primum a Baronianis dissidet: tum Consulatus duos inculcat, quos Baronius præterit: nimirum anno CCLX. Æmilianum & Bassum: & CCLXI. Sæculurem & Donatum. Ita anno CCLXII. ac deinceps, iidem utrobique sunt Coss. nec a se amplius dissident: sed ab epocha Dionysiana pariter biennio recedunt, do-

donec ad Probum perventum eſt: ubi Coſſ. duobus exemtus paribus cum æra communi conſentiunt. Atque Onufrius quidem Probum & Paulinum Coſſ. ſuffectus credidit: Baronius Probum & Lupum. Utroſque vero partim Siculi, partim Caſſiodorus exhibent. Iterum par videtur eſſe Probi Imper. & Scorpiani: quem Conſulatum ab cæteris plerique diſtinguunt. Sed ubinam inferciendus ſit, minus anxie hoc loco diſquirendum non cenſeo. Hoc unum admonebo, nequaquam probari mihi, quod in Annalibus quibuſdam, Taciti II. & Æmiliani Conſulatum poſt duos Probi Imperatoris collocari video. Rectius, opinor, in Faſtis Siculis, & Onufrianis Probi Conſulatus omnes antecedit. Neque enim credibile eſt, bis ante Tacitum Imper. Conſulatum geſſiſſe Probum; qui a Tacito primum, ut apparet, Conſulatum obtinuit; quemadmodum Tacitus ipſemet apud Vopiſcum in quadam ad Probum Epiſtola ſignificat: quam ita concludit: *Te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata*. Ex quo minime antea Probus videtur Conſulatum adeptus. Quocirca poſt Tacitum & Æmilianum, ſubjiciendi ſunt Probus, Paulinus, ac deinceps cæteri. Conjecturam noſtram adjuvat Leonis ille locum, quem ad Manich. hæreſim attulimus: ubi Probum Aug. & Paulinum Coſſ. nominat. Redeo jam ad Probi Imperatoris initium. Quem cum annum inchoaſſe ſeptimum major pars veterum Scriptorum exiſtimet, nos cœpiſſe illum arbitramur anno Chriſti CCLXXVI. Tacito & Æmiliano Coſſ. menſe circiter Aprili, poſt Taciti mortem, qui iis Coſſ. obiit; cum ſex menſibus imperaſſet. Obiit vero Probus inchoato jam ſeptimo, Chriſti anno CCLXXXII. Primus ejus Conſulatus, ſi quinque ſolos geſſit; convenit anno CCLXXVII. quo Paulinum collegam habuit. Sin VI. Conſul fuit, ut aliis viſum eſt, primus ordinarius non fuerit; ſed ſuffectus eodem ipſo anno, quo Tacitus geſſit; in quo fortean Scorpianum collegam nactus eſt; qui eodem ipſo anno Conſul extitit. Nam Vopiſcus in Probo ſcribit, *Ælium Scorpianum Coſ. de Probi Imper. literis ad Senatum retuliſſe*. Sed ex eodem iſto Vopiſci loco gravis ac perdifficilis oritur quæſtio. Etenim Probus militaribus ſuffragiis imperium adeptus literas ad Senatum dedit; quarum hoc eſt exordium: *Recte, atque ordine, P. C. proximo ſuperiore anno factum eſt, ut veſtra clementia orbi terrarum principem daret*, &c. Tum SC. ſubjicitur: *Die III. nonas Februarias in æde Concordiæ, inter cætera, Ælius Scorpianus Coſ. dixit: Audiſtis P.C. literas Aurelii Valerii Probi: de his quid videtur?* Acta hæc oportet eſſe proximo anno ab eo, quo Tacitus a Senatu Imperator eſt factus: quod hæc verba demonſtrant; *proximo ſuperiore anno factum eſt*. Porro Tacitus VII. Kal. Oct. Imperator a Senatu renunciatus eſt, ut idem Vopiſcus refert. Imperavit VI. menſes, ſive, ut ait Victor, dies CC, qui ex a. d. VII. Kal. Oct. putati deſinunt in Prid. Id. Apr. ſive Aprilis XII. Atqui non ſtatim poſt Taciti mortem ſcriptæ ſunt a Probo literæ; ſed poſt necem Floriani, ut eadem Epiſtola declarat. Florianus vero menſes duos, ut ait Vopiſcus; ſive LX. dies, ut author eſt Victor, imperium tenuit, nempe ad III. Id. Julias. Adjice nunc dies aliquot, qui a Floriani obitu ad illum diem elapſi ſunt, quo acceptis SC. eſt factum. Quomodo III. nonas Febr. lectæ in Senatu Probi literæ dicuntur? Miror diligentes homines, qui hiſtoriam illam Commentariis ſuis illuſtrarunt, tam inſignem locum prætermiſiſſe. Mendum igitur eſt apud Vopiſcum; quod is ſuſtulerit, qui pro *Februarias*, *Auguſtas* ſubſtituerit. Neque enim veriſimile eſt, poſt VII. fere menſes, quam a militibus electus, eſt, imperium Probo ab Senatu eſſe confirmatum, anno CCLXXVII. Quia non longe poſt militare ſuffragium Senatus authoritas acceſſit: quod iis verbis Vopiſcus ſignificat. *Ita ei ſine ulla moleſtia totius orbis Imperium & militum, & Senatus judicio delatum eſt*. Tum illud argumento eſt, quod haud procul Italia, nempe in Illyrico, ut ait Victor, a militibus eſt creatus. Quare paucis diebus Senatui hoc ſignificari potuit.

Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Κᾶρος.) Recte annos duos tribus Imperatoribus, & hic Euſebius, atque Oroſius imputant: ab initio videlicet Cari ad initium Diocletiani. Non tamen ſolidi iſti ſunt, ſed aliquot menſibus ſecundus inchoatur. In Annalibus Eccleſiaſticis Probi Imperat. obitus notatur anno Chriſti CCLXXXIII. Caro & Carino Coſſ. eodemque anno Carus cum Carino, & Numeriano filiis exorſus eſt. Cari autem exitus confertur in annum Chriſti CCLXXXIV. Carino II. & Numeriano II. Coſſ. Quo etiam anno Numeriano cæſo, ſubrogatus eſt a militibus Diocletianus, Palilibus ipſis, ut ex Panegyrico probatur. Verum ex eo ſequitur, vix tribus quatuorve menſibus imperaſſe Carum; quod cum hiſtoria pugnat. Probus Imperator menſe Julio circiter, ut paulo ante declaratum eſt, imperium iniit; & quarto menſe ſupra ſextum annum obiit, menſe fere Novembri; unde exorſus eſt Carus, IV. Non. Novemb. ut author eſt Onufrius. Ex a. d. IV. Non. Novembr. anni CCLXXXIII. ad XI. Kal. Maji, ſive Palilia anni ſequentis, quo cœpit Diocletianus, menſes ſunt V. dies fere XX. Totidem

Ca-

Cari, ac Numeriani imperio eximendi sunt. Ita Carus paucissimis mensibus imperarit. Atqui vel Numerianus ipse post Cari necem aliquandiu cum Carino fratre imperium tenuit; ut paulo post ostendetur. Necesse est igitur initium Cari statuere anno Christi CCLXXII. Quo mortuo, incertum quo mense, anno quidem CCLXXXIII. ac fortasse jam inclinante, Numerianus & Carinus aliquot mensibus imperio præfuerunt. In Vet. Inscript. Tribunitia potestas bis Caro tribuitur, apud Gruterum. Nam tres priorem Trib. Pot. indicant. IMP. CÆS. AUG. CARO. PIO. FEL. INVICTO. PONT. MAX. TR. POT. P. P. PROCOS. Alia eidem TRIB. POT. II. arrogat. Quæ res & Annalium observationi præscribit, & conjecturam nostram affirmat, qua Tribun. Pot. Kal. Jan. repetitam interdum ostendimus. Neque enim Carus ante imperium illam est adeptus: cum prior Trib. Pot. ut ex lapidibus constat, jam Augusto & Imperatori contigerit. Et tamen vix est ut annum accesserit. Imo, si qua fides Annalibus, paucissimos menses imperavit. Superest alius nodus, quem implicat, non dissolvit Scaliger, Animadvers. Euseb. ad Annum MMCCXCIX. Etenim Numerianus paulo post parentis necem soceri insidiis occisus perhibetur. *Quomodo igitur*, inquit, *constabunt illa, quæ idem Vopiscus dicit in Carino; memorabile maxime, & Carini, & Numeriani hoc habuisse imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederint? Qui potuerunt ambo illos ludos edere; quum Numerianus Euphratensi provincia pedem post obitum patris non extulerit?* Igitur ab uno tantum Carino datos illos esse ludos existimat. *Ad hæc Olympius Nemesianus dicat Cynegetica sua Carino, jam patre Caro mortuo, ut ipsemet versibus suis indicat. Vivente autem Numeriano hæc eadem se scripsisse significat.* Hæc Scaliger. Ex quibus suspicor, Numerianum post Cari mortem aliquot mensibus superfuisse ad Aprilem anni CCLXXXIV. quo intervallo imperium cum fratre tenuerit; adeoque celeberrimi illi ludi utriusque nomine, absente licet altero, sunt exhibiti. Quanquam tametsi paucissimis diebus post Cari necem Numerianus vixisset, utrumque contingere potuit: ut & ludi in illos ipsos dies inciderent, & ab ambobus ederentur, ac Cynegetica sua Carino Nemesianus inscriberet. Quare quis demum admirationi tantæ locus fuerit, non video. Utrum malim, eligar lector: sive Carum alterum Imperii annum inchoasse, & a Novembri anni CCLXXXII. ad Januarium vel Februarium anni CCLXXXIV. imperium prorogasse: Ludos vero appetente vere, puta Martio, indictos esse: sive Carum anno CCLXXXIII. jam exeunte cæsum; Numerianum vero menses aliquot imperasse. Postremo Carinus post parentis, & fratris obitum annum unum, aut alterum superstes fuit; occisusque est a Diocletiano, ut Onufrio placet, Diocletiano II. & Aristobulo Coss. Alii sequenti anno Maximo & Aquilino Coss. id assignant.

Μετὰ τοῦτον Διοκλητιανός.) Nihil est illustrius, nihil insignius æra, sive initio Diocletiani, a quo Christiani veteres tempora sua computare solebant, priusquam Dionysiana æra illam excluderet. Et tamen incredibile dictu est, quantum in ea conflictatus sit Scaliger, quamque perplexe, ac confuse de ea scripserit: adeo ut ne ipse quidem videatur intellexisse quæ diceret. Nam tribus locis; hoc est *lib.* v. de Emendat. Temp. & in Eusebianis Animadversionibus, ac postremo *lib.* III. Isag. Can. tria diversa tempora designavit, eaque ad illam epocham illustrandam attulit; quæ incertiorem quam antea lectorem dimitterent.

Primum enim *lib.* de Emend. v. *pag.* 466. Diocletiani primordium conjicit in annum Christi CCLXXXVII. Sed alia quædam addit, quæ huic ipsi sententiæ contraria videntur. Orosius, inquit, scribit, anno ab V. C. MXLI. Diocletianum Imperatorem esse factum. Hoc est, annus Urbis MXLI. inibat ab illis Palilibus Varronianis, a quibus Diocletianus imperium exorsus est. Ergo ille annus Varronianus incidit in XXI. diem Aprilis, anni Christi CCLXXXVII. Periodi Julianæ 5000. & secundi Olympiadis CCLXVI. Cyclo Lunæ 3. Solis 16. Quare his Consentanea scribit Eusebius; e regione anni secundi ejusdem, Olym. 266. & Beda *lib.* I. Hist. Angl. *cap.* VI. Ubi anno Dominicæ Incarnationis CCLXXXVI. Diocletianum ab exercitu ait electum. Hæc fere Scaliger. Quæ non solum de initio Diocletiani falsa sunt, ut paulo post dicetur; verum etiam sibiipsis contraria. Etenim annus primus conditæ Urbis, ex Varronis & Scaligeri sententia, est Per. Jul. 3961. Cyclo Lunæ 9. annus vero Christi CCLXXXVII. est Per. Jul. 5000. Cyclo Lunæ 3. Ab anno 3961. ad 5000. non plures quam anni 1040. ita ut millesimus quadragesimus inierit a Palilibus anni Periodi Jul. 5000. Christi 287. Non igitur hic erat 1041. Præterea nec illud verum est; annum Urbis Varronianum 1041. cum anno secundo Olymp. CCLXVI. concurrere. Annus Urbis 1041. est Per. Jul. 5001. cœpitque anno Cristi 288. quo desiit annus tertius Olymp. 266. & quartus iniit. Quandoquidem ex Scaligeri sententia primus annus Iphiti incidit in annum Periodi Jul. 3938. Unde 1062. hoc est secundus Olymp. 266. cœpit anno Perio-

riodi Jul. 4999. Euſebius autem annum primum Diocletiani cum Olympiadis 266. anno primo non ſecundo, componit in editione ipſa Scaligeri, tam Latina, quam Græca. Hic igitur multa ſunt hominis errata. Nec pauciora, aut leviora ſunt, quæ in Euſebianis Animadverſionibus ad annum MMCCCI. commiſit. Nam cum Euſebius anno Abraami MMCCCI. Olympiadis CCLXVI. primo, Diocletiani primordium affixiſſet, metachroniſmum ille anni unius eſſe ſcribit, ſi a Kalend. Januar. & amplius, ſi æræ Diocletiani ratio habeatur, a XIX. Auguſti, numero MMCCC. *Inde enim eſt exordium anni τοῦ Πασχαλίου Ægyptiorum Chriſtianorum. Sed Eccleſiæ Græca, & Latina incipiebant annos Diocletiani a Martio numeri MMCCCI. Maximo II. & Aquilino Coſſ. At Ægyptii a XXIX. Auguſti numeri Euſebiani MMCCC. Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ.* Mox iſta ſubjicit: *Sane ſecundum Dionyſium & Eccleſiæ Latinæ inſtitutum, ab Incarnatione ad primum annum numeri aurei Diocletianei, ſunt anni* CCLXXXIV. *abſoluti; & annus* CCLXXXV *eſt primus Diocletiani a Martio*. Hæ ſunt perturbatiſſima. Euſebius primum annum Diocletiani confert in annum Abraami MMCCCI. *eſt autem*, inquit *metachroniſmus unius anni, ſi a Kalend. Januar. numeremus: & amplius, ſi a XXIX. Auguſti*. Igitur ſecundum Romanos, qui a Kal. Jan. ordiuntur, initium Diocletiani quadraret Euſebiano numero MMCCC. At ſecundum Ægyptios, qui a Toth, ſive XXIX. Auguſti ineunt, conveniet numero MCCXCIX. Non ergo Latinæ ac Græcæ Eccleſiæ a Martio numeri MMCCCI. incipiebant: alioqui metachroniſmum Euſebianum ſequerentur, quod non putat Scaliger; ſed e contrario hunc ipſum metachroniſmum ex Græcorum & Latinorum epocha caſtigat. Deinde ad numerum MMCCCI. apud Euſebium adſcribitur annus Chriſti CCLXXXVI. cum anno primo Olym. CCLXVI. & Coſſ. Maximo II. & Aquilino. Ubi in anno Olympiadis nullus eſt metachroniſmus: ſi quidem Euſebius anni caput a Niſan, & Paſchate repetat. Eſt autem annus Chriſti Euſebianus CCLXXXVI. Dionyſianæ æræ CCLXXXV. quandoquidem Euſebius Natalem Domini in annum confert Olymp. CXCIV. tertium, & uno anno Dionyſianam æram antevertit. Quarto initium Diocletiani recte tribuitur anno CCLXXXVI. hoc eſt CCLXXXV. communi: cujus ab Januario, vel Martio Latini Diocletiani initium auſpicantur: quod Ægyptii aliquot ante menſibus, hoc eſt XXIX. Auguſti, anni Dionyſiani CCLXXIV. Euſebiani CCLXXXV. inchoarunt. Quo eodem anno CCLXXXV. cœpit Olym. CCLXVI. primus. In Coſſ. aberratum eſt ab iis, qui Coſſ. adtexuerunt. (Nam conſules Hieronymi codices non exhibent.) Quippe Maximi II. & Aquilini Conſulatus convenit anno Dionyſiano CCLXXXVI. qui eſt Euſebianus CCLXXXVII. numero MMCCCII. non MMCCCI. At Diocletianus II. & Ariſtobulus Coſſ. competunt anno Chriſti Dionyſiano CCLXXXV. Euſebiano CCLXXXVI. proinde numero MMCCCI. Anno Denique Dionyſiano CCLXXXIV. numero MMCCC. adſcribendi ſunt Coſſ. Carinus II. & Numerianus: quo anno Diocletianus iniit, cyclo labente XIX. Ægyptii vero in neomenia Thoth, ſive XXIX. Aug. ſequente, quo numerum aureum I. inierunt, Diocletiani epocham fixerunt. Quamobrem manifeſte ſibi ipſi contraria docet Scaliger, cum & Latinos ait annos Diocletiani numerare a Martio numeri MMCCCI. Maximo & Aquilino Coſſ. & eoſdem paulo poſt aſſerit inire ab Martio Dionyſiani CCLXXXV. Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ. qui eſt numerus MMCCC. Quod poſterius verum eſt: illud autem falſum. Quemadmodum & illud, quod in eadem Animadverſione ſubtexuit; Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ. Indictionem IV. cœpiſſe menſe Septembri, eo anno, quo Novilunium incidit in neomeniam Thoth Diocletianei, XXIX. Auguſti. Annus hic eſſe debet æræ Dionyſianæ CCLXXXIV. Cyclo Romano XIX. quo anno Indictio iii. non IV. cœpit a Septembri. Caſtigandum vero eſt Chronicon Alexandr. in quo ſcriptum eſt a Coſſ. Diocletiano ii. & Ariſtobulo, Indict. IV. Diocletiani annos in Paſchali Cyclo digeſtos fuiſſe. Quod eſt ἀσύστατον. Nam ſecundum Ægyptios, qui ab Aug. XXIX. anni CCLXXXIV. incipiunt, contigit hoc Indict. III. ineunte. Secundum Latinos, a Martio anni CCLXXXV. Indict. perinde iii. Quarta vero nonniſi ab Sept. ſequente numerari cœpta. Ideo Chronicon Indictionem a Septembri ad antecedentem Martium retrahere videtur: aut uno anno tardius putare. Nam Diocletianus, & Ariſtobulus Conſulatum inierunt Indict. iii. anno Chriſti CCLXXXV. non CCLXXXVI. ut habet Chronicon. Redeo ad Scaligerum: Qui poſtremo in Iſag. docet aliud eſſe Diocletiani æram, aliud initium ejuſdem. Nam Diocletiani æra ad methodum cycli Paſchalis conſtituta eſt anno Dionyſiano CCLXXXIV. a Toth Ægyptiaco, vel ab ſequente Martio. Diocletianus autem imperium iniit anno Chriſti CCLXXXVIII. quatuor annis ſolidis poſt initium æræ Paſchalis Ægyptiacæ. Ita ſententiam mutat, quam *lib.* V. de Emend. propoſuerat, ubi Diocletianum cœpiſſe probat anno CCLXXXVII. Sed utrobique plurimum hallucinatur. Certiſſimum enim eſt, Diocletianum eodem anno imperium adeptum eſſe, a quo illius eſt æra poſtea deducta: nempe anno Chriſti CCLXXXIV. Etenim Ammianus initio *lib.* XXIII. refert *nul-*

lum

lum privatum hominem ulli Augusto collegam fuisse a Diocletiano Aug. II. & Aristobulo Coss. ad tempora Juliani Apostatæ. Igitur Imperator jam erat Diocletianus, quando Consul ii. cum Aristobulo fuit. Hunc Ammiani locum profert in Animadversionibus Scaliger: atque his Coss. Indictionem iv. iniisse dicit mense Septembris, ac Novilunium incidisse xxix. Augusti. Qui duo Characteres in eundem Julianum convenire nequeunt. Nam Indictio lv. a Septembri competit anno CCLXXIV. Novilunium vero xxix. Augusti, anno cclxxxiv. cyclo xix. ut paulo ante monuimus. Sed sive anno cclxxxiv. sive cclxxxv. Consulas illos defixerit; perspicuum est, quantopere falsus sit, cum postea in Can. Isag. Diocletianum iniisse voluit anno cclxxxviii. quarto, imo quinto anno, quam Imperator est factus. Quippe antequam Consulatum ordinarium cum Aristobulo gereret, ex Kal Jan. Imperator jam a militibus erat acclamatus, idque a Palilibus, ut ex Panegyrista colligit Scaliger Proinde anno cclxxxiv. Nam Diocletianus & Aristobulus incidunt in A. cclxxxv. Tum vero idem ex veteri Inscriptione confirmatur, quæ est apud Gruterum: in qua Diocletianus Coss. ii. & Trib. Pot. ii. legitur. Quare si Consulatum ii. iniit anno Christi cclxxxv. cum Aristobulo collega, Tribunitiam potestatem jam adeptus erat anno superiore. Sed in iisce Consulatibus digerendis turbant nonnihil vulgatam rationem Inscriptiones veteres. Quarum illa, quæ a Baronio producitur, Consulatum Diocletiani ii. cum Trib. Pot. ii. componit. Altera vero, quæ apud Gruterum P. cclxxx. legitur, ejusmodi est. MAXIM. AUG...... N. DIOCLETIANO. II. COSS. SUB FELICE PROC. AUG. N. THERM. ANTONIANARUM. Vulgo Consulatus ii. Diocletiani cum Aristobulo collega componitur, ut est in Fastis Siculis. At in lapide cum Maximiano Augusto. Siculi vero Diocletianum iii. Coss. & Maximianum comparant. Cassiodorus primum Diocletiani Consulatum eum numerat, quem cum Aristobulo gessit: secundum cum Maximiano. Sed utrumque privatus adhuc obtinuit ex mente Cassiodori. In Fastis Siculis primum Consulatum cum Basso privatus adhuc iniit. Ad hæc Maximianum imperii participem esse factum volunt Maximo & Aquilino Coss. anno Christi cclxxxvi. Quibus contraria sunt, quæ ex lapidibus colliguntur. Nam posterior Inscriptio persuadet Diocletianum in secundo Consulatu collegam habuisse Maximianum jam Augustum. Quoniam autem in Inscriptione altera Diocletianus Coss. ii. & Tribun. Pot. ii. fuisse dicitur, non aliter conciliari ista possunt, quam ut Diocletiani II. & Maximiani Consulatus ante Maximum, & Aquilinum Coss. ponatur anno Christi CCLXXXVI. quo Tribunitiæ potestatis perinde atque Imperii secundus annus decurrebat: atque ita Maximianus anno superiore, vel eodem ipso, quo Consul factus est, Imperium obtinuerit. Aut certe eodem anno, quo Maximus & Aquilinus Consulatum a Kal. Jan. auspicati sunt; cum Maximianum collegam Diocletianus adscivisset, suffectum pariter cum illo Consulatum iniit. Quin & illud considerandum est, quod Panegyricus Maximiano & Constantino Augustis dictus Maximianum asserit vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem Imperium abdicasse. *Te rursus*, inquit, *vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem ita ipsa amplexu quodam suo Roma voluit detinere*. Et subinde: *Non potuisti resistere sanctæ illius parentis imperio, & invitus licet paruisti, & te illis vigiliis, illisque curis, quas viginti annis expertus fueras, reddidisti*. Annus autem, quo Diocletianus & Maximianus Imperium deposuerunt, fuit Christi ccciv. ut indicat Zosimus, Coss. Diocletiano ix., & Maximiano viii., quod & Panegyristes significat; cum Diocletianus vicesimum vix implesset. Quæro igitur, cum tertio anno post Diocletianum Maximianus imperare cœperit, & eodem quo ille tempore desierit, qui fieri possit, ut xx. annos imperarit. Ferunt, Maximo & Aquilino Coss. hoc est anno Christi cclxxxvi. Maximianum a Diocletiano collegam adscitum. A quo ad annum ccciv. quo Aprili mense Imperium exuerunt, annus currebat Maximiani xviii. neque plures ipsi in Alexandrino Chronico tribuuntur. Sed si xx. annum inchoavit, proximo post Diocletianum anno cooptatus sit oportet, ut anticipatione quadam a Kal. Jan. anni ccciv., vicesimus illius ab Oratore numeretur. Quid autem tergiversamur? Ecce tibi Aurelius Victor a Schotto nostro publicatus, Diocletianum *celebrato regni vicesimo anno curam abjecisse Reip.* prodit, *& in sententiam Herculium ægre traduxisse: cui anno minus potentia fuerat*. Ergo xix. annos Maximianus explevit, uti Diocletianus xx. ideoque cœpit anno cclxxxv. At in Epitome annorum xx. Imperator dicitur. Videndum igitur etiam atque etiam utrum Diocletiano & Aristobulo Coss. anno ipso cclxxxv. Maximianus adscitus fuerit, & anno insequente cum Diocletiano Consulatum inierit. Ita enim verum esse potest, quod antiqui lapides suggerunt; ut primus Maximiani Consulatu cum secundo Diocletiani, & Tribunitia potestas ii. Maximiani cum eodem Consulatur congruat: ac denique Consulatus II. & II. perinde Tribunitia Diocletiani potestas consentient. Quippe ineunte anno

no Christi CCLXXXVI. currente Tribunitia potestate II. Diocletiani, lapidum alter inscribi potuit; alter vero post Palilia, cum jam secundum Imperii ac Tribunitiæ potestatis annum Maximianus esset ingressus, & uterque Consulatum gereret. Huic conjecturæ tamdiu nos inhærebimus, dum exploratius ac certius aliquid docti homines excogitaverint, quod in perturbatissimis illis temporibus ut est difficile, ita conjiciendi multo major, minus certe invidiosa libertas esse debet. Ex iis omnibus corrigendus est vitiosus Epiphanii numerus, qui Diocletiano & Maximiano tribuit annos XIII.; Quod minime Librarii culpæ potest adscribi. Nam distincte annos ita partitur, ut post XII. quibus grassata persecutio est, annum unum ante abdicationem imperarit. Atqui XX. annos solidos imperavit; nimirum a Palilibus anni CCLXXXIV. ad Palilia anni CCCIV. Eodem enim tempore, quo cœperat Diocletianus, imperium posuit; ut Onufrius tradit. Zosimus *lib.* II. scribit a Consulatu Chilonis, & Libonis, quo Severus sæculares ludos instauravit, ad Consulatum Diocletiani IX. Maximiani VIII. annos fluxisse CI. De quibus ludis Censorinus ita scribit: *Octavos Imperatores Septimius, & M. Aurelius Antonius Chilone & Libone Coss. anno DCCCLVII.* Corrige *DCCCCLVII.* Contigerunt enim anno Urbis nongentesimo septimo, Severi anno XII., ut ex Vet. Inscript. constat: adeoque Per. Jul. 4917., Dionysianæ æræ CCIV. Quare ad annum CCCIV. quo se Diocletianus, & Maximianus abdicarunt, anni sunt CI. Ex quo satis apparet, quod sæpe diximus, biennio Annales Ecclesiasticos esse decurtatos: qui non plures, quam XCIX. Consulatus interponunt. Unde & frustra Zosimus illic erroris arguitur. Indidem porro Scaligeri supra a nobis confutatus error validius refellitur: qui initium Diocletiani statuit anno Christi CCLXXXVII. vel CCLXXXVIII. Unde XX. ejus desinit anno CCCVII. vel CCCVIII. ad quem annum a XII. Severi, sive Christi CCIV. anni sunt CIV. vel CV. non, ut Zosimus, ipso approbante Scaligero, scripsit, CI.

Ἐφ' ὧν κραταιὸς διωγμός.) Large adversus historiæ fidem hic peccatum est. Etenim persecutio illa, quæ a Diocletiano & Maximiano cœpta est, quæ quidem κραταιὸς διωγμὸς dici mereatur, neque XII. annos tenuit, neque ab Imperatoribus ad exitum perducta est. Nam licet toto fere illorum Imperii tempore sævitum sit in Christianos, ut ex Actis variorum Martyrum colligit Baronius; fuit hæc tamen velitatio quædam, ac rudimentum crudelitatis, quæ per aliquot Martyrum necem atque ex militari præsertim ordine, ad totius Christiani nominis internecionem efferbuit. Atrocioris vero persecutionis initium anno Diocletiani XIX. ab Eusebio *lib.* VIII. *Hist. cap.* III. & in Chronico tribuitur, quando mense Martio edictum propositum est de subvertendis Ecclesiis. Tum aliud secutum est de Præsulibus comprehendendis, & ad Idolorum cultum omnibus machinis ac cruciatibus adigendis: atque ita paulatim in Christianos omnes vis illa fœdissimæ tempestatis incubuit. Horum omnium erat ex Eusebio, Scriptoribusque cæteris non tam impedita ratio, ut non eam vel mediocriter acuti homines pervidere possent. At Josephus Scaliger majorem in modum permiscuit, ac confudit omni, dum errores erroribus nectens ex absurdis principiis absurdiora colligit. Cum enim in Diocletiani epocha valde illum, ut vidimus, opinio fefellerit, ingens ex eo seges hallucinationum in reliqua, quæ cum illa conjuncta sunt; intervalla redundavit. Quod hoc loco facile a nobis lector intelliget.

In *lib.* v. de *emend. Temp. pag.* 467. *cap.* de Persecutione Diocletiani, hoc velut fundamentum disputationis posuit. Decimo nono Diocletiani, mense Martio, in diebus Paschæ Ecclesias Edicto Impp. esse subversas, Eusebio teste. Ex quo hunc in modum argumentatur: *Ut Pascha in Martium incideret, non potuit accidere, nisi Terminus Paschalis fuisset in Martio. Non potuit igitur contingere cyclo primo, neque tertio; contigit ergo Cyclo secundo. Terminus Paschalis XXV. Martii anno Christi CCCV. feria I. Cyclo Solis VI. Quare eodem die, & quartam decimam, & Pascha celebrarunt: quod non raro fiebat eo tempore, ante decretum. Est ergo locus illustris, quo probamus ante Canonem Nicenum* Πάσχα ἀναστάσιμον *concurisse cum Termino.* Tum errorem apud Eusebium esse dicit. *Non enim anno primo Olymp. CCLXXI. qui quidem cæpit a cyclo secundo, sed eodem anno Juliano hoc contigit, a cujus diebus æstivis cæpit annus primus Olymp. CCLXXI. Itaque nondum incœperat annus XIX. Diocletiani. Deerat enim mensis ad Palilia, unde initium Diocletiani.* In Animadversionibus vero ad annum MMCCCXIX. ex eo quod annus Antiochenus in Eusebii Chronico CCCLI. sit appositus ad XIX. Diocletiani, concludit annum esse Christi Dionysianum CCCIII. aureo numero XIX. Solis cyclo IV. Mox autem titubans, atque æstuans, quod mense Martio, & in Paschate id accidisse scribat Eusebius, in CCCIV. conferre videtur; imo vero etiam in CCCV. Sed hic, ut in plerisque aliis, Scaligero contigit, ut Eusebio falsa quædam affingens, sic tanquam larvam quandam fabricaret, qua cum ma-

num ſereret. Nam quod Euſebium dicere affirmat, Martio menſe ipſo Paſchatis ſolenni die publicatum illud Edictum; nuſquam hoc Euſebius ſcripſit. Hujus enim verba iſta ſunt *lib.* VIII. *cap.* III. ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας· Δύστρος μήν. λέγοιτο δ' ἂν οὗτος Μάρτιος κατὰ Ῥωμαίους· ἐν ᾧ τῆς τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτῆς ἐπελαυνούσης ἤπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα, &c. *Annus erat iſte Diocletiani XIX. menſis Dyſtrus, qui Romanorum Martio reſpondet. In quo ſalutiferæ Paſſionis appetente feſto ubique Imperatoria edicta propoſita fuerant.* Falſo itaque *lib.* v. de Emend. ſcripſiſſe refert Euſebium τῆς ἑορτῆν τοῦ Πάσχα ἐπελαυνούσης: quaſi Paſcha neceſſe ſit in Martium incidiſſe. Etenim de ſolennibus diebus paſſionis loquitur, ſive hebdomade *Paſcha* nonnunquam appellatur, ut ad fidei Profeſſionem, quæ in calce primi Tomi extat, adnotavimus. Unde licet Paſchatis nomen Euſebius exprimeret, non ideo feſtum ipſum Martio menſe contigiſſe neceſſario concludi poſſet; præſertim cum ἐπελαυνούσης, hoc eſt, *appetente*, *appropinquante*, ſcripſerit. In fragmentis, quæ in *lib.* VIII. ad calcem conjecta ſunt, *edit. Rob. Steph. fol.* 91. *pag.* 2. idem ille locus ita concipitur: ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆ Διοκλετιανοῦ βασιλείας, Ξανθικὸς μὴν ὃς λέγοιτ' ἂν κατὰ Ῥωμαίους. Hic Aprili menſe factum illud aſſerit. Nempe quod Hebdomadas ſancta utriuſque menſis partem aliquam decerpſit. Fuit hic annus Chriſti CCCII. cyclo Lunæ XVIII. Solis III. Lit. D. Novilunium Paſchale Nicænum, Martii XVI. Sed Diocletiani tempore adhuc fortaſſis hærebat in XVII. Igitur quartadecima Paſchalis Martii viceſimo nono, Dominica, vel triceſimo, feria II. Hinc τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτῆς, initium. Neque enim neceſſe eſt, quod jactat Scaliger, in termino ipſo celebratum fuiſſe Paſcha. Feſtum autem ipſum Aprilis V. convenit. Vides quam egregie omnia conſtent, atque extra Scaligerianas ſelebras conſiſtant. Nam Diocletiani initium anticipavit Euſebius, & a neomenia Niſan, vel Paſchalis menſis annum ejus XIX. antevertit: qui quidem cœpit a Palilibus annis CCCII. Quod ſi anno ipſo Diocletiani labente id accidiſſe velimus, poſſemus anno CCCIII. tribuere: in quo Cyclo Lunæ XIX. Solis IV. litera C, novilunium VI. Martii inciderit: decima quarta Luna, XIX. feria VI. Paſcha Martii XXI. ſi quidem Judaico more embolimæus annus iſte non fuerit, adeoque ante Æquinoctium, ut nonnunquam illis temporibus fiebat, Paſcha celebratum fuerit. Sed verius eſt, anno Chriſti CCCII. contigiſſe. Cæterum annum Diocletiani XIX. Euſebius cum anno quarto Olymp. CCLXX. conjunxit, non cum primo ducenteſimæ ſeptuageſimæ primæ, ut putat Scaliger, videlicet numero MMCCCXIX. Annus quartus Olymp. CCLXX. iniit anno Periodi Jul. 5017. Chriſti Dionyſiano CCCIV. Euſebiano CCCVI. ut eſt in vetuſtiſſimis editionibus, nec non & Pontaci. In Scaligeriana vero, CCCIV. Sed præter prochroniſmum anni unius, quo Dionyſianam æram Euſebiana præcedit; annus alter inculcatus eſt, ut hic annus eſſet CCCVI. qui CCV. eſſe debuit, Dionyſianus vero CCCIV. Et alioquin Euſebius Diocletiani epocham uno anno tardius repræſentat. Nam adſcribit annum illius primum ad Olymp. CCLXVI. annum primum, qui Per. Jul. 4998. cœpit, Chriſti Dionyſiano CCLXXXV.; cum ſuperiori competat, anno tertio Olymp. CCLXV. labente, tribus menſibus ante initium quarti. Unde Diocletiani annus XIX. cum anno tertio Olymp. CCLXX. comparatur, qui cum ſecundo potius copulari debuit. Cœpit enim hic anno Chriſti CCII. tribus menſibus exactis ab initio anni XIX. Diocletiani. Sed in annis Chriſti Euſebianis fruſtra conflictamur; quos a Librariis intextos, non ab Euſebio ipſo, viri docti merito perſuadent.

Supereſt annus Antiochenus, qui Scaligerum adeo conturbat. Æræ Antiochenæ primordium XLVIII. Solidis annis Dionyſianam æram antecedit. Incidit enim in annum Per. Jul. 4666.: ex poſteriore Scaligeri ſententia in Animadverſ. & Iſag. Can. Quare anno Per. Jul. 5015. Chriſti Dionyſiano 302. cœpit annus Antiochenorum CCCL. ab Octobri; CCCLI. vero anno Dionyſiano CCCIII. Iccirco manifeſta eſt Euſebii labes tam in æra Diocletiani, quam in Antiochena. Annus Diocletiani XIX. cœpit anno Antiocheno CCCXLIX. adhuc labente, ac poſt menſes fere VI. iniit annus Antiochenorum CCCL. Eſt igitur unius anni prochroniſmus apud Euſebium, qui cum anno XIX. Diocletiani connectit annum CCCLI.

Ad ſummam Diocletiani horribilis illa perſecutio cœpit anno ejuſdem XVIII. exeunte, vel ineunte XIX. a Kalend. Jan. aut Martiis, Chriſti Dionyſiano CCCII. Unde nonniſi biennium Diocletianus illam exercuit: tametſi a Galerio Maximiano, aliiſque Diocletiani, & Maximiani Herculii ſucceſſoribus propagata ſit ad annos plures, hoc eſt ad CCCXI. ut opinatur Baronius. Ex quo conſtat erraſſe noſtrum, qui imperante Diocletiano, anno totos XII. hoc eſt præter unum, omnes illius Imperii annos occupaſſe tradit.

Καὶ παύεται τῆς βασιλείας ἐξαιτρανίσας·) Anno Chriſti CCCIV. ipſo IX. & Maximiano VIII. Coſſ. Quanquam ambo iterum Conſules fuiſſe legantur anno CCCVIII. niſi men-

mendosi sint Fasti, quod quemadmodum acciderit, supervacaneum est quærere. Et variæ divinationes esse possunt, quas nihil moramur. Observanda porro vox est, qua Epiphanius utitur, ἐξαιτρανίτας: quod nihil aliud significat, quam veteranorum instar vocationem sibi sumere, ac secedere; quod vocabulum hactenus in Onomasticis mixobarbaris desideratur.

Μαξιμιανὸς δὲ κακῷ μόρῳ.) De Maximiano Herculio Diocletiani collega loqui se putavit, & vero debuit Epiphanius; sed quod hoc loco narrat, neutri Maximiano, sed Maximino contigit. Sæpenumero Græci scriptores Maximianos duos invicem, & cum Maximino confundunt. Quæ res etiam attentissimum lectorem frustrari possit. Diocletianus, & Maximianus Herculius Constantium Chlorum, & Galerium Maximianum Armentarium Cæsares creant: qui post illorum secessionem Augusti ex Cæsaribus facti. Galerius Maximianus duos Cæsares constituit sororum filios, C. Galerium Maximinum, quem Orienti præfecit, & M. Aurelium Severum, cui Occidentem permisit. Severus Cæsar a Galerio Maximiano contra Maxentium missus Ravennæ occiditur, ait Eusebius in Chronico: Victor in Cæsaribus, & alii: Maximianus Herculius resumpto Imperio cum insidias Constantino genere strueret, Massiliæ est occisus, non Tarsi, ut Zosimus scribit. Galerius Maximianus Christianos crudelissime persecutus, consumptis genitalibus defecit, ait Victor. Hujus funestissimam mortem, ac divinitus immissos cruciatus pluribus exequitur Eusebius *lib.* VIII. *cap.* XXVIII. & XXIX. Galerius Maximinus ab Licinio victus, ac dira tabe correptus Tarsi periit. Vide Eusebium *lib.* IX. *cap.* VIII. Ubi quod Epiphanius ait, ἐξεβολβίθη τοὺς ὀφθαλμοὺς, sic enarrat: προπηδῶσι μὲν αὐτῷ τὰ ὄμματα, καὶ τῆς ἰδίας λήξεως ἀποπεσόντα, πηρὸν αὐτὸν ἀφίησιν. Haud dubia igitur Epiphanii est hallucinatio, qui Maximiano Diocletiani collegæ, hoc est Herculio, tribuit, quæ Maximino Dazæ Galerii Armentarii sororis filio contigerunt. Hæc ex Victore, Zosimo, Eutropio, Eusebio, aliisque collegimus.

Καταλείψας Λικίνιον, καὶ Κωνστάντιον.) Atqui Constantium cum Diocletiano, & Maximiano XIII. annos imperasse dixerat. Quod ut minime verum est, ita falsum ambos illos ἐξαιτρανιτάντας successores reliquisse Licinium & Constantium. Nam Constantium Chlorum, & Galerium Maximianum sibi substituerunt: Licinius postea a Galerio Maximiano Cæsar factus cum Constantino imperium tenuit, cum eoque a moriente Maximino relictus est. Itaque Maximianum Herculium cum Maximino permiscuit.

Τούτους τελευτήσαντας διαδέχεται.) Constantino Chronicon Eusebii dat annos menses X. At idem Eusebius *lib.* IV. de vita Constantini, *cap.* LIII., ait imperasse annos XXXII., minus paucis mensibus: vixisse vero duplum tempus. Socrates & Sozomenus imperium annis XXXI. definiunt: vitam, LXV. Hieronymus in supplemento Imperii XXXI. vitæ LXVI. numerat, quod ex Eutropio transtulit. Mors ejus indubitato charactere notatur, anno Christi CCCXXXVII. undecimo Kalend. Junii, ipso die Pentecostes Cyclo Solis X. litera B. Feliciano, & Titiano Coss. Errat vero Scaliger, qui tricesimum explesse negat; sed annos solidos duntaxat imperasse XXIX. cum mensibus VII. diebus XXVIII. ex a. d. VIII. Kal. Oct. Ejus vero initium statuit in anno Christi CCCVII. Quo ex errore cæteri propagati sunt de Indictionum origine, deque Nicenæ Synodi tempore, quæ sunt apud illum depravatissima. Nam & Nicenum Concilium celebratum constat anno Christi CCCXXV. Paulino & Juliano Coss. & eodem anno, expleto vicesimo anno, Constantinum Viennalia celebrasse. Quod nequaquam accidisset, si anno demum Christi CCCVII. cœpisset. Socrates mortuum Constantinum esse dicit anno secundo CCLXXVIII. Olympiadis: Constantium vero Chlorum obiisse anno primo Olymp. CCLXXI. Julii XXV. Ut igitur ineunte Olympiade CCLXXI. Constantinus Imperium ceperit, cum exeunte anno secundo Olymp. CCLXXVIII. mortuus sit, nondum XXX. annos expleverat. Atqui XXXI. Socrates attribuit. Falso igitur Olympiadis CCLXXVIII. anno secundo obitum ejus consignat. Anno Christi CCCXXXVII. sive Per. Jul. 5050. iniit annus Iphiti 1113. sive Olymp. CCLXXIX. primus ante quem mortuus est Constantinus, exeunte quarto Olymp. CCLXXVIII. Jam vero si ex Eusebii sententia, quæ præferenda reliquis videtur, Constantinus XXXII. annos, paucis exceptis mensibus, impleverit, adeo ut vicesimus tertius ejus inchoandus fuerit anno illo CCCXXXVII. quo mortuus est, consequens est, annum ejus primum cadere in annum Christi CCCV. quo ex diebus æstivis cœpit annus primus Olympiadis CCLXXI. in quem Socrates Constantii Chlori mortem contulit Panegyricus Maximiano & Constantinum, cum in Britannia mortuo patre imperium esset adeptus, *Cæsaris* appellatione contentum, *Augusti*, & *Imperatoris* abstinuisse nomine, donec a Maximiano gener adscitus, una & *Augusti* nomen obtineret. *Cujus*, inquit, *tanta maturitas est, ut quum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione*

contentus expectare malueris, ut idem te, qui illum, declararet Augustum. Quod altero anno ab Constantii morte contigit. Ex quo duplex Constantini consurgit initium. Quamobrem verisimile est, Constantium Chlorum decessisse anno Christi CCCV. anno primo ineunte Olymp. CCLXXI. ut scribit Socrates; ac tum Constantinum a militibus Augustum, & Imperatorem acclamatum abstinuisse tamen summi imperii titulis, donec anno consequente a Maximiano consecutus est. Ex quo factum putamus, ut alii XXXI. alii XXXII. annos Constantino tribuerint. Ac profecto, si, ut Eusebius affirmat, annus imperii XXXIII. Christi trecentesimo tricesimo octavo inchoandus fuit, fieri non potest, quin anno CCCV. Constantinus inierit. Hinc nescio quæ de lustris Julianis ariolatur Scaliger; quæ Olympiadum nomine censeri cum ab aliis, tum a Socrate somniat. Quod suo loco refutabitur.

Κώνσταντα, καὶ Κωνστάντιον.) Constantini liberorum minimus natu fuit Constans; maximus Constantinus: medius Constantius.

Υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ.) Non dubia est conjectura nostra, quam ad oram adscripsimus, legendum ἀδελφὸς, pro τοῦ ἀδελφοῦ: Nisi forte pro Γρατιανοῦ substituendum sit, Οὐάλεντος. Fuit enim Valentinianus Junior Gratiani frater: Senior autem Valentis. Sed perobscurus quidam locus est apud Themistium, Oratione XI. quam habuit in laudem Valentiniani Junioris cum Consulatum iniisset, in quo collegam habuit Aurelium Victorem. Qua in Oratione, *pag.* 261. nonnulla injicit, quibus significare videtur, Valentinianum Juniorem Valentis esse filium, & Valentiniani patruelem. Vide quæ ad illum locum adnotavimus: qui profecto etiam atque etiam considerandus est.

Ὧν τὰ ἔτη μέχρι τὴν Ἀρκαδίου.) Annos intelligit eorum Imperatorum, qui a Constantino magno ad necem usque Valentiniani Junioris extiterunt. In quo uno anno saltem calculus aberrat. Non enim anni LVII. sed LVI. ab obitu Constantini numerantur. Etenim annus ille, quo Valentinianus ab Arbogaste necatus est, dubius esse non potest, cum tam insigni charactere notetur. Fuit enim in anno illo Dominica Pentecostes Maji XVI. Proinde litera Domin. C. Pascha vero quinquagesimo ante die, Martii XXVIII. Igitur Cyclus fuit Lunæ XIII. anno Christi CCCXCII. Cyclo Solis IX. Jam vero moritur Constantinus anno Christi CCCXXXVII. ut paulo ante declaratum est. Si ab annis CCCXCII. deducas CCCXXXVI. reliqui erunt LVI.

Κατὰ δὲ Ἕλληνας Ἀρτεμισίου.) Si Artemisii XXIII. dies est Maji Juliani XVI. cœpit Artemisius Aprilis XXIV. Ac tum nova & inaudita mensium dispositio nascetur. Nam Ἕλληνες sunt Syromacedones, & Antiocheni. Quorum menses mere Juliani sunt, Græcis nominibus appellati. Horum vero Artemisius idem est cum Majo. Quare XVI. Maji est Artemisii Græcorum, sive Syrorum XVI. Idque Epiphanio ipso suffragante, ut ex Hær. LI. Alogorum constat. Vide quæ ad illum locum disputata sunt. Hic igitur pro τρίτῃ, καὶ εἰκάδι, leg. ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ. De Valentiniani nece Baronianos Annales consule.

Μέτρον ὂν εἰκόρος.) De sequentibus mensuris tam Hebraicis, quam Græcorum propriis accurate agere hoc loco non decrevimus. Res est enim otii majoris atque operæ, quam ut nos commentandi labore jam fessi, atque aliis insuper rebus occupati, in eam incumbere possimus. Præsertim cum alii plerique jam argumentum ejusmodi doctissimis lucubrationibus occuparint, & inprimis Arias Montanus, ac Villalpandus noster in Apparatu ad Ezechielem. Quare nos quod superest pauca quædam, & ad Epiphanii intelligentiam, id enim præcipue profitemur, necessaria breviter adnotabimus.

Εἴληπται τοίνυν ὁ κόρος.) Corum Hebræi vocant כר: quæ mensura eadem est cum חמר, continetque decem Ephoth, quæ sunt XXX. sata, ait R. David Kimchius in Radic. Sed origo illa, quam affert Epiphanius, ut a χαεὶμ dicatur, quod idem est ac βουνὸς, sive *clivus*, aut *acervus*, a me, ut ingenue profitear, nondum capitur. Neque vox ejusmodi mihi in Hebraismo hactenus occurrit. Radix enim est כור, quæ vox *catinum*, & *fornacem* significat. Quanquam huic affine est כיור, quod idem est ac suggestum, *par.* II. *cap.* VI. 13. Sed de χαεὶμ quærant Hebraismi peritiores.

Λεθὲκ δὲ ὡς ἐν τῷ Ὡσηέ.) Non alibi quam in illo Oseæ loco vox ista legitur, cujus etymologia parum explorata. Nam ut ἔπαρμα significet, non persuadet Epiphanius. Est autem ea mensura dimidiatus corus aut חמר, Nam Corus triginta modios habet: Lethec quindecim. Mirum hoc eruditis Interpretibus visum est, quid in mentem venerit LXX. Senioribus, ut pro eo, quod in Hebræo est, לחק שערים hoc est *dimidio coro bordei*, verterint, καὶ νέβελ οἴνου. Quod Hieronymus adnotavit: Nam cæteri Interpretes ἡμίκορον transtulerunt. Ego vero mendosum fuisse LXX. Seniorum codicem illum arbitror, quo usus est Hieronymus; in eoque cum voces illas desideratas, quæ duabus illis Hebraicis responderent; utpura καὶ ἡμίκορον κριθῶν, vel ut Epiphanius legit, λεθὲκ κριθῶν, tum superfluas alias insertas, καὶ νέβελ οἴνου; quod pro Hebraica-

rum

rum ambarum interpretamento perperam est acceptum, cum aliæ jam essent extritæ. Conjecturæ hujus admonet non hic solum Epiphanii locus; sed etiam Ambrosius, qui *epist.* LII. quæ est ultima *lib.* II. sic illum Oseæ locum concipit: *Et conduxi eam gomor hordei, & semigomor hordei, & nevel vini*. Priorem autem versum ita legit: *Conduc tibi fornicariam quindecim denariis*. Ubi quindecim argenteos ab hordei mensuris sejunxit, quasi pretium illud hordei fuerit, non autem meretrici ad illas mensuras appensum. Ergo ἡμίγομορ, vel λεθὲκ κειθῶν fortean scripserant LXX. Nisi Ambrosii lectionem illam ex miscella ea, quam Origenes ex diversis concinnavit, manasse suspicemur.

Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ τὸ γόμορ.) Vox ista γόμορ apud Græcos ambigua est. Duo enim ac diversissima mensurarum genera significat, hoc est חמר, & עמר: quam utramque dictionem Græci per eandem efferunt, γόμορ. Etenim in illo Oseæ loco, ubi est חמר, id est *homer*, γόμορ apud illos legitur. At *Exodi* XVI. ubi est עמר, perinde etiam γόμορ LXX. scripserunt; ut & *Ezech.* XLV. 11. & 14. Sed vocabulum γόμορ rectius posteriori huic tribueris: quia densissima Hebræorum aspiratio *y* per γ' Græce reddi solet. Itaque D. Hieron. עמר Latine, *gomor*, חמר autem *corum* interpretatus est. Porro Gomor decima pars est Ephi. At Ephi decima pars cori, sive chomer. Igitur gomor centesima pars est chomer. Epiphanius, qui apud Oseam duo illa simul non legerat, γόμορ κειθῆς, & λεθὲκ κειθῆς, vel κειθῶν, sed alterum tantum; λεθὲκ κειθῶν, vel γόμορ κειθῶν; perperam arbitratus est, γόμορ κειθῶν idem esse, ac λεθὲκ κειθῶν, eamque variam diversorum codicum lectionem putavit, quæ unum idemque significaret; cum essent ejusdem loci duæ, & quidem necessariæ diversæque partes. Nam ita concipiendus ille locus fuit, ut ex Ambrosio supra monuimus, καὶ ἐμισθωσάμην αὐτὴν ἐμαυτῷ πενδεκαίδεκα ἀργυρίοις, καὶ γόμορ κειθῆς, καὶ λεθὲκ (vel ἡμίγομορ, vel ἡμικόρων) κειθῆς —— καὶ νεβὲλ οἴνου, cui nos obeliscum adjecimus, quod posteriora illa dispungenda videantur; utpote quæ absint ab Hebræo. Quod & in Miscella factum ab Origine hoc in loco conjicimus. Est igitur Epiphanii cavendus hic lapsus; qui Gomor, quod idem est ac Chomer, cum Lethec, hoc est totum cum dimidia parte, confudit, varia, & vitiosa Codicum lectione deceptus. Nam Gomor nusquam cum Lethec, aut ἡμικόρῳ idem esse legitur. Quo ex errore propagatus hic, qui sequitur, alius est; duplex esse Gomor, majus, ac minus: quorum illud idem sit cum Lethec, hoc est, modiorum XV. cujusmodi corus sive Chomer est triginta: alterum vero XII.

Τὸ δὲ μικρὸν δώδεκα βάθου.) Mendosissimus hic locus interpunctione sanandus est. Duplex est, inquit, Gomor; Majus modiorum XV. minus, modiorum XII. Legendum itaque τὸ δὲ μικρὸν δώδεκα (sub μοδίων) Βάθος καὶ τοῦτο &c. Est enim nova mensuræ alterius explicatio. Quem ad modum castiganda sunt Latina. Cæterum est quidem gomor apud Græcos duplex, sed minus non est modiorum XII. neque major XV. ut quarta parte alterum excedat. Quin ita potius; ut minus gomor, sive עמר, centesima sit majoris pars; quod paulo ante vidimus.

Βάθος καὶ τοῦτο ἀπὸ τῆν Ἑβραϊκῆς.) Bathus ab Hebræis בת nominatur. Cujus origo vocabuli parum explicata. Quomodo autem ὁμώνυμος sit ista dictio ἐλαιοτριβείῳ, hoc est trapeto, vel tudiculæ, quibus oleum exprimitur, sive vasi, in quo e prælo ac trapeto fluens excipitur, ignorare me fateor. Nam בת, aut בית nullum ejusmodi olearium instrumentum significat. Quamvis idem ex Epiphanio scripsit Isidor. *lib.* XVI. *cap.* XXV. *Batus*, inquit, *vocatur Hebraica lingua ab olearia mola, quæ bath apud eos, vel batha nominatur, capiens* L. *sextaria, quæ mensura una molæ vice proteritur*. Unicum restat subsidium, idque perleve. Nam בת Hebraicum βάδος a Græcis, ut Josepho, dicitur, mutatione τοῦ θ' in δ', ut & subinde Epiphanius expressit. Atqui בר Hebraice inter alia *vectem* significat. Hinc suspicari licet, Epiphanium Hebraicam vocem, perinde ut apud Græcos, per δ' concipi arbitrantem, ad olearios vectes respectum habuisse. Etenim tudiculis, hoc est vectibus oleum exprimi consueverat. Columella *lib.* XII. *cap.* L. *Est & organum erectæ tabulæ simile, quod tudicula vocatur, idque non incommode opus efficit, &c.* Utrum hoc in mente habuerit Epiphanius, divinare non possum. Certe nihil aliud occurrit modo, quod ad olei factionem attineat. Bathi porro mensura liquidarum rerum est: ut olei, vini, decima pars Chomer. *Ezech. XLV.* 11. & 14. Unde cum Chomer ab Epiphanio modiorum XXX. constituatur; modius XVII. Sextariorum Chomer sextarios explet DX. atque adeo Bathus erit sextariorum LI. non L.

Μνασὶς, ἢ μέδιμνος.) Non eadem est mensura Mnasis, & medimnus. Siquidem μνασίον Hesychio est μέτρον τι διμέδιμνον, duos medimnos continens. Sed utramque vocem ab Romana origine deflexit: nimirum a vocabulo *medium*. Quod mirum est utriusque linguæ perito excidere potuisse. Certe μνάσις nihil habet cum appellatione ista commune. De medimno vero Grammatica nulla concesserit, etsi aliqua similitudo vocis appareat.

Εἰσὶ

Εἰσὶ δὲ καὶ μόδιοι στπ.) Leg. δεκαμόδιοι: ut & Cornarius legit. Mnaſis duos medimnos continet: Medimnus Cyprius modios quinque: Igitur Mnaſis modios capit decem, At Romanis, Græciſque medimnus ſenos modios capiebat. Sed quæ ſubinde pertexit, ea corrupta ſunt & obſcura. Ex quibus illud tamen efficitur, Modium apud Cyprios XVII. ſextarios continere. Vulgo autem XVI. duntaxat imputantur. Sed in iſtis ἀκειβολογεῖν nolumus.

Σάτον καλεῖται.) Hebræi סאה vocant ſatum. Quæ menſura ſeſquimodium Italicum complectitur, Joſepho & Hieronymo teſtibus: adeoque ſextarios XXIV. At Epiphanius modium cum quarta inſuper parte ſato tribuit. Quare cum modio ſextarios XVII. aſſignet, capiet ſatum ſextarios $21\frac{1}{4}$. Hanc menſuram μόδιον ὑπέργομον appellat. Unde & Hieronymus fortaſſe vocem Hebraicam סאה hoc eſt *ſatum* per Latinam *modium*, expreſſit. Neque vero magis de Hebraici nominis origine conſtat, quam aliarum menſurarum. Proinde quod dicit, ſatum Hebraice idem eſſe ac λῆψιν, ſive ἄρσιν, ſuffragatorem habet nullum. Quod utcumque verum eſſet, ſi שאה non סאה ſcriberetur. Tametſi litera ש cum ſiniſtro puncto pro ס promiſcue nonnunquam uſurpatur.

Τὸ δὲ ἅγιον μέτρον.) Igitur alius fuit modius profanus, alius ſacer. Hic erit ſatum, quarta parte vulgari modio majus. Hæc Epiphanius, quæ nos hoc loco non diſcutimus.

Τῇ μὲν γὰρ πρώτῃ.) Sequens diſputatio prætermitti ab Epiphanio poterat. Neque enim ad rem admodum facit, neque quicquam continet, quod ſcire magis, quam ignorare noſtra referat. Quanquam ea quoque ab Iſidoro in *lib.* XVI. *cap.* XXV. Orig. eſt translata.

Αἱ δὲ κεφαλαὶ περὶ ὧν εἶπεν.) Perturbatus ac præpoſterus ordo nominum eſt. Qua in re quid inſit myſterii non video.

Διησοῦ, ἢ τοῦ Ἰησοῦ.) Depravata ſunt pleraque ſacrorum librorum vocabula. Sed nos nihil immutandum cenſuimus. Pleriſque litera ד præfixa: qui eſt Chaldaicus articulus.

Πληρωθεὶς γὰρ ὁ μόδιος.) Eadem ratione nullum non menſuræ genus modium appellare licet. Nam nullum eſt, quod non perinde, cum impletum ſit plenum ſe eſſe fateatur. Iſidorus aliam vocis etymologiam affert, ab eo, quod ſit ſuo modo perfectus.

Πλήσας δὲ τὸ μέτρον, καὶ ῥητλιάσας.) Barbara vox ac peregrina, quæque emendari varie poſſit. Sunt qui ῥηγλιάσας reſcribant a ῥήγλα, quæ eſt regula: quod idem eſt ac rutulus, ſive baculus rotundus. Unde apud Heſychium legi ſcribunt, ἀποῤῥηγλοῦν, pro eo, quod eſt, menſuram exæquare. Sed nihil ejuſmodi apud illum reperi. Hoc vero ſolum: ῥήγλαι· σίδηρα, ὡς ῥάβδοι: ut ſint baculi, aut virgæ ferreæ. Ergo apud Epiphanium ῥυτλίασας fortaſſe leg. vel ῥοτλιάσας, ut a rutulo derivetur, qui eſt vectis rotundus: quo nomine repagulum verſatile in Amphitheatro apud Calpurnium dici, obſervatum a Lipſio. Atque ita radium, ſeu vectem rotundum appellare licet, quo exaggeratum in modio frumentum abraditur, & menſura peræquatur: qui & ruplus nominatur in Gloſſario Vet. *Ruplus* στροφεὺς γαλεάγρας, καὶ ἀποψήκτιον. *Ruplus*, inquam, in Gloſſario, non *Rutulus*, ut quidam parum fideliter concipit, exponitur ἀποψήκτιον, hoc eſt *radius menſorius*. Unde & naſci altera apud Epiphanium lectio poteſt, ῥουπλιάσας: quod a Græco ῥόπαλον fortean deducitur. Ac videndum etiam atque etiam, an *replum* illud Vitruvianum, quod eruditos homines jamdudum torquet, eo ſit referendum. Scribit ille *lib.* IV. *cap.* VI. ubi de forium ſtructura diſſerit: *Item replum de impage dimidia, & ſexta parte.* Ubi *replum* vectis inſtar oblongum quiddam ac rotundum in foribus eſſe arbitror. Habet & Germanicum idioma vocem, rütteln, quæ proprie de menſuris dicitur.

Κάμος δὲ ἐξ αὐτῆς.) Leg. Κάβος. Cui ſextarios quatuor imputant: hoc eſt quartam modii partem.

Χοῖνιξ δὲ καὶ ὑφή.) Chœnix ſextarios continet quatuor, authore Fannio. Quare de alio Sextarii genere, vel Chœnicis loquitur Epiphanius: quemadmodum & cum de ὑφῇ loquitur: quod exiſtimari poſſit Hebraicum Ephi vel Epha. Sed hujus major eſt modus. Apud Heſych. lego, Οἶφιν, μέτρον τι τετραχοίνικον Αἰγύπτιον.

Ἀρτάβη τοῦτο τὸ μέτρον.) De Artaba pluribus Villalpandus.

Τρία μέτρα σεμιδάλεως.) Locus eſt *Gen.* XVIII. 6. Verum quod LXX. vertunt τρία μέτρα σεμιδάλεως, Hebraice legitur שלוש סאים *tria ſata*. Quare ſingulæ menſuræ non gomor ſunt, ſed ſatum. Impoſuit Epiphanio communis μέτρου dictio, quam de eo menſuræ genere accipiendam putavit, ad quod diurnum mannæ demenſum exigebatur. Sed Satum trigeſima pars eſt Cori, Gomor centeſima.

Τὸ δὲ γόμον δέκατον ἦν.) Perperam etiam in Regio γόμον, ut & in Baſileenſi: Quare nihil immutare voluimus. Verum γόμορ fortaſſe reſtituendum. Eſt enim in Veteribus codicibus literarum ρ & ν pictura non abſimilis. Quæ res ex ſcriptoribus fraudi fuit.

fuit. De Gomor, & authoris hallucinatione ſuperius egimus: Ubi duplex Gomor conſtituit, majus, & minus: neutrum recte. Nos aliud diſcrimen apud Græcos duntaxat obſervavimus; qui promiſcue Chomer, & Omer *γόμορ* appellant. Unde alius eſt *γόμορ* magnus, qui idem eſt ac Corus, ſive Chomer: alius minor, qui eſt עמר, centeſima pars majoris. Quare quod Villalpandus noſter *lib.* III. *cap.* IX. ſcribit, Epiphanium eandem coro notionem tribuere, quam chomor, ad idque ſuperiorem locum, ubi de coro egit, accommodat, ſane non intelligo. Neque enim Epiphanius uſquam τῦ Χόμορ mentionem facit: Sed eam menſuram, quæ reipſa eadem eſt cum coro, *γόμορ* appellat, ex Græcorum conſuetudine. Quam is tamen non integrum, ſed dimidium corum eſſe putat, & cum Lethec, atque *ἡμικόρῳ* confundit. De quo errore ſatis antea diſputavimus. Hoc vero tandem in loco poſteriorem τῦ *γόμορ* ſpeciem, quæ revera unica eſt, ac propria, nempe עמר, declarat. Etſi dubitari poteſt, utrum *γόμορ*, an, ut cuſi & ſcripti codices exhibent, *γόμον* legerit Epiphanius. Nam ſi poſtremum hoc menſuræ genus *γόμορ* appellari credidiſſet, non duplicem antea *γόμορ*, ſed triplicem eſſe dixiſſet. Hic enim tertius eſt, a duobus illis plane diſtinctus. Sed utcumque Epiphanius ſcripſerit, *γόμον* iſtud non aliud eſſe poteſt quam *γόμορ*, hoc eſt עמר: Fuit enim Omer, ſive Gomor ſextariorum $7\frac{1}{5}$ Quod cum vere ab illo definitum fuerit, ab iis, quæ paulo ante conſtanter aſſeverat, magnopere diſſentit. Nam Corum, qui eſt Chomer, modiorum eſſe docuerat XXX. Modio vero ſextarios imputaverat XVII. Ita Corus ſextariis conſtabit 510. Jam vero Bathus, qui Ephi aridorum menſuræ reſpondet, decima pars eſt Cori: Gomor decima pars Bathi. Igitur ex Epiphanii ſententia Bathus ſextarios colligit LI. (cui quidem nonniſi L. tribuit) Gomor ſextarios $5\frac{1}{10}$. Hic autem τὸ *γόμον*, ſive *γόμορ* habere putat ſextarios $7\frac{1}{5}$. Quæ ſi centies multiplices, fient ſextarii 720. quot reipſa corus continet. Etenim corus modios capit non XXX. ſed XLV. ut Villalpandus docet, Modius porro ſextarios XVI. qui in XLV. ducti ſextarios conficient 720. Ea ſumma in centum diviſa dat ſextarios unicuique gomor $7\frac{1}{5}$. Quæ opinionum varietas; ſi non ex hallucinatione nata, ex eo certe profecta videtur, quod cum aliæ apud alias nationes menſuræ iiſdem appellationibus cenſerentur, ac minores majoreſve eſſent, hæc ipſa diverſis ex Authoribus tumultuarie in Adverſariis notata in hunc Commentarium redegerit, neque accurate ac diſtincte propoſuerit.

Τὸ *σάτον νϛ' ξέςων*.) Neque iſtud ſuperioribus conſentaneum eſt: Ubi Satum docuerat eſſe *μόδιν· ὑπέργομον*, hoc eſt modium unum, cum ejuſdem quarta parte. Quare cum modio XVII. ſextarios attribuat, erunt in Sato ſextarii $21\frac{2}{4}$. ut antea diximus. At ſecundum communem uſum, qui modio ſextarios aſſignat XVI. erunt in ſato ſextarii XXIV.

Ἀ'*λάβαςρον μύρϛ*.) Alabaſtrum ex ſui generis lapide, non ex vitro fit: *Βικίον* item alias fictile vas, alias vitreum. De hoc Euſtathius, & alii Grammatici.

Ο' *δὲ Ἡ'λίᾳ ἑτοιμασθεὶς*.) Locus eſt III. *Reg.* XIX. *6.* ubi Hebraice eſt צפחת LXX. *καμψάκης*. Sed quoniam argumento quatuor fuiſſe ſextariorum colligat, nullus video.

Κύαθός ἐςιν ἕκτον ξέςϛ.) Vulgo tamen Sextario XII. cyathi tribuuntur. De quo Gregorius Agricola *lib.* I.

Μεδεκὼθ δὲ λέγει.) Idem locus extat Hær. LXXV. *num.* VI. Forte pro *μεδεκωθ*, *μενακὼθ* reſcribendum. Vide quæ illic obſervamus.

Ἴ*ν, τὸ ἶν μέγα*.) Hin ſextarios capit XII. hoc eſt Logos totidem.

Χϛ *ἐστι ξέστον ή*.) Chus Atticus, & Romanus congius ſextarios habet non amplius VI. quæ eſt duodecima pars Metretæ. Continet enim metreta ſextarios LXXII.

Ταλαντόν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον.) De Talento, ejuſque multiplici varietate infiniti ſunt doctorum hominum commentarii, quibus ea diligenter explicantur, ut otioſis hac in parte nobis eſſe liceat. Talentum hic Judaicum, ſacrumque definitur, quod minas habuit CXX. hoc eſt libras Romanas CXXV. Nam Libra drachmas habuit XCVI. mina vero centum. In centum viginti minis, drachmæ ſunt 12000. quæ per *96.* diviſæ dant libras Romanas 125.

Ἑ'*ξ λεπτὰ ταλάντϛ*.) Quæ ſint Talenti *λεπτὰ* quorum ſex, ſeptem aſſibus valeant, quæve ſeptem aſſium *λεπτὰ*, centum æſtimata denariis, qui docuerit, magnam a me gratiam inibit. De *λεπτοῖς ταλάντϛ*, neſcio quid Heſychius adſperſit in voce *Κοδράντης*. Ibi enim *τὸ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν* eſſe Talenti docuit, biſque iſtud repetiit. Quinetiam alibi, *ἀσσάριον* eſſe dicit idem ac *λεπτόν*. Unde in Talentum ſex aſſium millia competerent,

tent, quot & λεπτῶν. Eſt & de λεπτοῖς inſignis locus, ex Budenſi Codice productus a Camerario in *cap.* XXI. *Matth.* Ubi cum Staterem dimidiam unciæ partem eſſe dixiſſet, ſubjicit: πάλιν δὲ τὸ Σίκλον, ὅ ἐστιν ἥμισυ τȣ̃ στατῆρος, τέταρτον τῆς ȣ̓γγίας, ἔχει λεπτὰ κ. τὸ λεπτὸν ὁλκῆς μιᾶς ἐστι δέκατον, ὄγδοον τῆς ȣ̓γγίας· παρά τισι δὲ κ̀ ὀβολὸς καλεῖται. Mox ait νόμισμα, μέγα μὲν εἶναι τῷ χαράγματι, κ̀ τῇ ὁλκῇ, ὃ ἐκλήθη ἀργυροῦς· ὥστε ἔχειν αὐτὸν δηνάρια ρ΄, ἕκαστον δὲ δηνάριον ἔχειν ἀσσάρια ζ΄. (al. ξ΄.) Siclum, ſive dimidium ſtateris decem λεπτοῖς conſtare ſcribit; ἀργυροῦν vero, hoc eſt Staterem tetradrachmum, quem μέγα νόμισμα vocat, denariis centum. Porro denarium VII. aſſibus, aut, ut alia lectio exhibet, LX. Si in drachma decem λεπτὰ ſunt: ergo λεπτὸν idem erit, quod vetus Romanorum aſſis, decima pars denarii. Atque ut denario ſeptem imputemus aſſes, erunt in drachma 175. λεπτὰ vero aſſibus conſtabunt $17\frac{2}{1}$ Tetradrachmus aſſibus 700. Nam denarios habet centum. Quare λεπτὸν denarios habet $2\frac{1}{2}$, quoniam in quatuor drachmis, quadraginta numerantur. At vero ſi lectionem aliam amplectimur, ut in denario ſint aſſes ſexaginta: tetradrachmus colliget aſſium ſex millia. Nam denarios centum ſi per ſexaginta multiplices, totidem confient: λεπτὸν vero 150. comprehendet aſſes, drachma 1500. Quid ex iſtis Scholiis, vel ſuperiore Heſychii gloſſemate ad Epiphanium enarrandum profici poſſit, judicent alii.

Mihi ſine ingenti aliqua ſectione, huic ulceri, quod ὕπȣλον ſubeſt, ſubnoveri non poſſe videtur. Sed illud præterea, & vero cumprimis animadvertendum, de quo Talenti genere loquatur tam Epiphanius, quam Heſychius. Neque enim vulgare illud & magnum intellexiſſe puto; ſed Epiphanium maxime ſtaterem, vel tetradrachmum argenteum. Qua de re accuratius in diatriba de folle, & milliarenſi paulo poſt inquiretur. Ergo in Talento hujuſmodi XL. λεπτὰ ex Matthæi Scholio cenſentur, quæ centum denariis valent; denarii aſſibus ſeptem. Hæc Epiphaniani loci veſtigia premunt. Nam & centum denariorum, & ſeptem aſſium in illo mentio eſt. Quomodo vero reformanda ſint Epiphanii verba, tentabunt, uti diximus alii. Nos quæ potuimus in eam rem adjumenta congeſſimus.

Ἐκ δὲ τ̃ ἀσσαρίων.) Scrib. ἐκ δέκα δὲ τ̃ ἀσσαρίων, aut ἑκκαίδεκα δὲ τ̃ ἀσσ. Sed in priorem emendationem proclivior ſum; quod denarius initio denis aſſibus valuit.

Ἡ δὲ ȣ̓γγία ἔχει στατῆρας δύο.) In libra unciæ ſunt XII. ſtateres XXIV. Quare cum libra XCVI. drachmas capiat, ſtater argenteus quaternas continet. Eſt enim τετράδραχμος. Atqui ſubinde didrachmum facere videtur, ἔχων δὲ, inquit, δίδραγμα. Sed emendabis authore me, δ΄ δραχμάς. Id enim ſequentia demonſtrant. Nam ſcribit ſiclum dimidiatum eſſe ſtaterem, & drachmas habere duas. Igitur in ſtatere ſunt quatuor. Scripſerat Epiphanius δ΄ δραχμάς. Librarius longurium, qui numerali notæ adſcriptus erat, ἰῶτα ratus, δίδραγμα ſcripſit. Sed δίδραγμα, pro δίδραγμα, ἰδιωτικὸν eſt: neque tamen mutandum. Poteſt & δύο δίδραχμα ſubſtitui.

Σικλος, ὃ λέγεται κ̀ Κοδράντης.) Confer cum iis Iſidori verba *lib.* XVI. Orig. *cap.* XXIV. *Sicel, qui Latino ſermone ſiclus corrupte appellatur; Hebræum nomen eſt, habens apud eos unciæ pondus: apud Latinos autem, & Græcos quarta pars unciæ eſt, & ſtateris medietas, dragmas appendens duas. Unde cum in Divinis literis legitur ſiclus, uncia eſt; cum vero in Gentilium libris, quarta pars unciæ eſt.* Tam hæc Iſidori verba, quam illa Epiphanii Villalpandus noſter in ſicli voce depravata credens, *ſicilicum* reſcribit; & pro *uncia*, apud Iſidorum, *ſemunciam*. Qui me ſubſcriptorem non habet. Licet enim ſiclus reipſa quatuor drachmas habuerit; idque ex Joſepho, Hieronymo, cæteriſque perſpicuum ſit; nihilominus Græci, ac qui Græcos ſecuti ſunt, ſiclum paſſim didrachmum conſtituunt. Cur ita ſentiret, LXX. Interpretes fecerunt: qui Hebraicum nomen שקל, *ſiclum*, δίδραχμον conſtanter interpretati ſunt. Ideo duplex a nonnullis Siclus excogitatus eſt; unus duarum, alter quatuor drachmarum. Quod ego ex errore profectum arbitror. Nam revera ſiclus quatuor drachmas habuit. Sed quia Græci interpretes δίδραχμον pro Siclo reddiderunt, hinc qui Græce Scripturam legebant, non plures duabus drachmis attribuere Siclo. Et tamen cum apud accuratiſſimo authores inveniſſent, eundem Siclum eſſe tetradrachmum, eo delapſi ſunt, duplex ut ſicli genus ſtatuerent. Nam quod reipſa, quemadmodum dixi, duabus ex drachmis componi Siclum arbitrati ſint, non unus Epiphanius, aut Iſidorus fidem fecerint: Sed & alii permulti. Inter cæteros Scholiaſtes ille; cujus verba ex Budenſi codice Camerarius exſcripſit. τὸ ἥμισυ της ȣ̓γγιας (inquit) στατῆρα ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἐξαμφοτέρως τȣ̃ ζυγȣ̃ τȣ̀ς πλάστιγγας ἰσοῤῥοπεῖν, τȣ̃ ἡμίσεως τὴν ȣ̓γγίας ἐν ἑκατέροις τοῖς μέρεσιν ἐπιτιθεμένȣ. ὅθεν τῆς ἰσοῤῥοπίᾳ τȣ̃ κανόνος κατὰ τὴς τȣ̃ ζυγȣ̃ ἰσότητα, στατὴρ ἐκλήθη. ἔχει δὲ ὁ στατὴρ ἥμισυ τὴν ȣ̓γγίας, σίκλȣς δύο. πάλιν δὲ Σίκλον, ὅ ἐστιν ἥμισυ τȣ̃ στατῆρος, τέταρτον τὴν ȣ̓γγίας ἔχει λεπτὰ κ΄. &c. Abſurdum

dum est autem cum in isto; tum in aliis sexcentis Veterum locis, *Sicilicum* pro *Siclo* reponere. Fuit enim Siclus usitatum apud Hebræos nummi genus, non Sicilicus. Atque iccirco κοδράντην etiam appellari Siclum testis est Epiphanius: quod nimirum a Græcis passim didrachmus, adeoque quadrans unciæ constitui soleret. Qua in re non a LXX. Senioribus, sed a Græcis posterioribus qui illos secuti sunt, error admissus est. Non enim animadverterunt, interpretes illos vel Alexandrinos fuisse, vel Alexandriæ certe scripsisse; atque eorum proinde, apud quos, & quorum in gratiam scriberent, usui consuetudinique serviisse. Atqui cum Alexandrinorum talentum duplum esset Attici, eandem quoque proportionem Alexandrinæ drachmæ ad Atticas habuere, ut δίδραχμοι essent. Etenim Talentum omne, ut ex Herone constat, minis constabat sui generis LX. Mina vero sui perinde generis stateres habuit XXV. drachmas centum. Unde cum Talentum unum altero duplo majus esset, non plures quidem in majori minæ vel drachmæ numeratæ sunt, sed æedem pondere, ac valore præstiterunt. Unde aliæ λεπταὶ, aliæ παχεῖαι vocatæ sunt, ut ait Hesych. Quod & Pollux *lib.* IX. *cap.* VI. confirmat. Sic igitur Alexandrinum talentum; quod, authore, Festo, duodecim denariorum millibus valebat, cum totidem Atticarum drachmarum millibus æstimaretur, non plura sui generis, hoc est Alexandrinarum drachmarum numerabat, quam sex millia. Quare singulæ drachmæ, ad Atticas, & vulgatas comparatæ, δίδραχμοι censebatur. Quam ob caussam LXX. Interpretes δίδραχμον, hoc est duarum Alexandrinarum drachmarum pondere ac valore præditum Siclum esse dixerunt, cum interim Atticas drachmas haberet quatuor. Quod cum reliqui minus animadvertissent, & ad vulgares, Atticasque respicerent, duplo minorem, quam erat revera, Siclum esse crediderunt. Non melior afferri caussa potest hallucinationis istius, quæ tantas hactenus turbas, & opinionum varietates conscivit. Observatio illa Isidori de unciali Siclo nimium a vero distat. Certe enim nonnisi semuncialis constitui debebat; si quidem duplex esset, nempe δίδραχμος. & τετράδραχμος.

Τῆς γὰρ οὐγγίας.) Deest numerus, qui quota pars unciæ drachma sit exprimat. Scribo: τῆς γὰρ οὐγγίας η ἦν ἡ δραχμή.

Ἐκαλεῖτο δὲ ὁλκή.) Mire hæc perturbata sunt, & implicita. Utrum ὁλκὴν idem ac δραχμὴν esse dicat: an potius δραχμὴν, ὁλκὴν id est pondus idem cum siclo esse statuat, dubitari potest. Sed prior interpretatio præferenda, quam & Cornarius expressit, & nos secuti fuimus. Nam & ὁλκὴ pro drachma sæpius accipitur. Sed quod ejusdem cum Siclo ponderis fuisse refert, superioribus repugnat: ubi didrachmus Siclus constitutus est; quamvis revera tetradrachmus fuerit. Jam exemplum illud de Absalomi capillorum pondere nihil ad rem pertinet. *lib.* II. Reg. *cap.* XVI. 26. *Ponderabat*, inquit, *capillos capitis sui, ducentis siclos pondere pubblico*: מאתים שקלים LXX. καὶ ἦν ἑκατὸν σίκλων ἐν τῷ σταθμῷ τῷ βασιλικῷ Nulla hic drachmarum mentio; sed Siclorum; quos Hebraici, Latinique codices ducentos; Græci centum numerant: Sixtiani tamen διακοσίοις σίκλοις recte concipiunt. At vero Epiphanius comam illam scribit ὁλκὴν habuisse CXXV. Siclorum: quæ est, inquit, uncia sicli unius, & librarum duarum cum semisse. Hæc ego nullus capio. Sicli CXXV. si quatuor drachmæ singulis, ut par est, arrogentur, drachmas colligunt quingentas. Eæ per 96. divisæ libras Romanas efficiunt V. cum XX. drachmis. Sin didrachmos Siclos esse malis, drachmæ consurgent 250. ex quibus libræ confient duæ, cum drachmis 58. qui modus selibram excedit drachmis decem. Est enim selibra drachmarum 48. Sane, ut Epiphanii verba præferunt, illud significare videntur: Siclum aliquem fuisse, cujus uncia, sive duodecima pars, siclos communes habuit CXXV. quæ sint duæ libræ cum dimidia. Ita Siclus iste libris constabat XXX. drachmis 2880. Erit cum per otium ista retractabimus. Interim hic hæreo, & a peritioribus doceri me vehementer cupio.

Ὀβολὸς καὶ αὐτὸς ἀργυρείοις.) Obolus drachmæ pars est sexta, unciæ quadragesima octava. Fuit & æreus numus. Quem duplicem Epiphanius statuit: alterum æreum, qui μέτρον εἶχε τῆς οὐγγίας. Ubi μέτρον pro pondere sumere videtur. Nam majus istius, quam sequentis pondus esse debuit, quod octogesimam partem unciæ facit. Quod si minus placeat obolos æreos tam grandes extitisse, μέτρον εἶχε, sic accipiendum erit, ut sit, *erat pars dimetiens*, vel potius, *valorem habebat unciæ æreæ*. Manifestum est autem hoc in loco ἀργύρειον pro nummo quolibet, etiam æreo καταχρηστικῶς sumi. Nam obolum æreum ἐν ἀργυρείοις τετυπῶσθαι vult. Sic paulo post χαλκοῦς ἀργύρεια vocat.

Ἦν δὲ καὶ ἕτερος.) Si obolus argenteus octogesima pars est unciæ, drachmæ autem octava, denis obolis singulæ drachmæ constabunt, non senis.

Λέγει ἐν τῷ Λευιτικῷ.) Moysis verba sunt עשרים גרה יהיה השקל: *Viginti geræ siclum facient*. Hieron. vertit *obolos*. Non quod *gera* proprie sit *obolus*, (major est enim quinta fere parte: nam quinque geræ sex obolos faciunt) Sed quod nullum apud Græcos

aut

aut Latinos genus menſuræ vel nummi propinquius occurreret: quemadmodum denarius promiſcue uſurpari pro drachma conſuevit. Habet igitur ſiclus, hoc eſt tetradrachmum xx. geras: proinde drachma quinque geris conſtat. LXX. εἰκοσιόβολοῖς ἔςαι τὸ δίδραχμον. Didrachmum pro Siclo reddiderunt, cui xx. oboli non competunt: ſed tetradrachmo. Quæ res Epiphanium decepit. Qui ex eo fruſtra deduxit, unciam obolos LXXX. continere, quia xx. duabus drachmis, quæ quarta pars eſt unciæ, conveniunt. Sed didrachmum pro ſiclo, hoc eſt, pro tetradrachmo, Græci videlicet uſurparunt.

Ο᾿τι δὲ τέτραρτὸν ἐστι τὴν ὀγγίας.) Dixit hoc non alibi, quam ſupra iis in verbis: ὁ δὲ στατὴρ ἥμισυ μὲν ὀγγίας, ἔχων δὲ δίδραγμα. Quare ἀστόχως conjecimus ſcripſiſſe Epiphanium δ' δραχμάς.

Χαλκοῖ, τούτους οἱ Α᾿ιγύπτιοι.) Chalcus octava pars oboli fuit. Pollux *lib.* x. *cap.* VI. ὁ μέν τοι ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε. Mox: οἱ δὲ τέσσαρες χαλκοῖ ἡμιωβόλιον. At Suidas in τάλαντον, ἡ δραχμὴ ὀβολῶν ἕξ, ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκῶς ς'. Sex obolos chalcos tribuit. Quod poſterius Agricola ſequitur, *lib.* v. Chalcus alias nummi genus, alias ponderis fuit. Numus item æreus, vel argenteus, abuſione vocis; ut pleriſque paſſim: niſi ἀργύρειον hic latius uſurpetur. Pollux: οἱ μὲν οὖν χαλκοῖ, νομισμάτιον ἦν λεπτόν. ἡ δὲ τῶν Πολλῶν, καὶ ἰδιωτῶν χρῆσις τὸν χαλκὸν ἀργύρειον λέγει. Heſychius, χαλκοῦς τοῦτο ἐπὶ τοῦ χρυσοῦ, καὶ τοῦ ἀργύρου ἔλεγον. Ubi *Latitii æris* nomine pecuniæ genus omne complexi. *Chalci* vero, de quibus Epiphanius loquitur, diverſum quiddam a vulgaribus videntur. Nam & ab Ægyptiis inventos aſſerit, & eſſe ἀργύρεια τετυπωμένα δύο. Tum octavam ait eſſe partem unciæ, hoc eſt eandem cum drachma.

Μνᾶς, ἡ τῆς τῇ Ε᾿βραΐδι.) Mina Hebræis מנה μανή, & ita ſcribendum hoc loco. Italicam minam Epiphanius ſtateras habere dicit XL. quæ ſint unciæ xx. ſive libra cum beſſe. Hac ratione ſtater erit ſemuncia, ac drachmas continebit quatuor: quod & antea ſcripſit. Libra Romana uncias habet XII. cujus bes octo ſunt unciæ. Ambo hæc, id eſt unciæ xx. minam Italicam faciunt, quę drachmas colliget CLX. Aliud erit igitur libra Italica; aliud mina Hero Atticam minam ἰσοδύναμον, καὶ ἰσοστάσιον eſſe dicit τῇ Ι᾿ταλικῇ μνᾷ στατήρων γὰρ ἐστι κε': ἡ δὲ Ι᾿ταλικὴ λίτρα στατήρων κδ'. Italicam libram ecce a mina ſeparat, & illi ſtateras XXIV. huic XXV. imputat. Interpres Nicandri: ἡ δὲ Ι᾿ταλικὴ μνᾶ λίτραν μίαν ἥμισυ. Quod ita Scaliger explicat: ut Libra Italica ſit drachmarum LXIV. id eſt unius librę, & dimidię, hoc eſt drachmarum XXXII. quę XCVI. drachmas in Italicam minam conſtituunt. Atqui hoc modo uncię ſingulę drachmas ſibi vendicabant $5\frac{1}{3}$ Quod cum Epiphanio conciliari non poteſt. Major eſt enim Italicę apud illum librę modus, & uncię.

Τὸ δὲ νουμίον τετύπωται.) Cedrenus. καὶ ἀσσάρια δὲ ἀπὸ ἀσημίου, καὶ χαλκοῦ πεποιημένα πρῶτος Ρωμαίοις ἐχαρίσατο, πρὶν διὰ σκυτίνων, καὶ ξυλίνων, καὶ οστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμία ἐκάλεσε. *Aſſes, inquit, ex argento & ære cuſos primus Romanis largitus eſt; cum antea ſcortis, & ligneis, & teſtaceis uterentur; quos de ſuo nomine numos appellavit.* ἀστήμου, pro ἀσημίου legendum eſſe perſpicuum eſt: quę vox *argentum* ſonat, ne A ſignum cum interprete ſomniemus. Sed commentum illud de appellationis origine, quod & Iſidorus *lib.* XVI. *cap.* XVII. ſecutus eſt, refellit Pollux, qui νοῦμμον Grecum nomen eſſe cenſet; *lib.* IX. *cap.* VI. ὁ δὲ νοῦμμος δοκεῖ μὲν εἶναι Ρωμαίων τοὔνομα τοῦ νομίσματος. ἐστι δὲ Ε᾿λληνικὸν τῶν ἐν Ι᾿ταλίᾳ, καὶ Σικελίᾳ Δωριέων.

Δίχρυσον δὲ ἐκάλουν.) Δίχρυσος ex nominis ratione numum ſignificat, qui binos aureos valet. Verum Epiphanio teſte argenteus numus eſt, τοῦ ἀργύρου, hoc eſt argentei, dimidium.

Τὸ δὲ ἄργυρον, τοῦτό ἐστιν.) Cedrenus Μιλιαρέσια δὲ ἀπὸ τῆς μιλιτίας, ἤγουν στρατείας. Subjungit fabulam de Scipione, qui primus militibus τὰ μιλιαρέσια cudit. Sed vana eſt hęc originatio. De *miliarenſi* multa haud vulgaria dicenda ſunt, quę quoniam cum *folle* implicatam diſputationem continent; de utroque Diatribam paulo longiorem inſtituemus. Neque enim paucioribus, aut explicari omnia potuerunt, aut hic ipſe Epiphanii, ac ſequens de folle locus enarrari.

DE FOLLE MILIARENSI

AC NUMMORUM MINUTIIS

DIATRIBA.

ΦΟΛΗΣ, ὃ καὶ ταλάντον. Non est ullus apud Epiphanium locus, quem vehementius eruditi homines vaxaverint, quique vicissim illos acrius exercuerit. Ita variis modis interpolatus, atque explicatus est. Quam opinionum varietatem, non ipsa solum Epiphanii verborum obscuritas peperit, sed etiam rei per sese difficultas; quod de folle diversa admodum in antiquorum monimentis expressa legantur. Ac mihi vulgo vocabuli istius proprietas haud satis explorata videtur: & cum in eam investigandam paulo accuratius incubuissem; nonnulla reperi secus ab doctis & studiosis hominibus explicata, quam veritas ipsa, & authorum veterum testimonia paterentur. Quocirca ut non huic tantum illustrando Scriptori opera nostra serviat; sed ad communem utilitatem sese latis effundat; visum est non abs re fore, si quæ de *folle* lucubrationibus aliquot commentatus essem, ea opportunitate loci hujus inductus copiosius ac diligentius exponerem. Non enim pueriliter arcessita, neque emblematis instar ad pompam illigata erit ista disputatio. Sed ejusmodi, quæ proponentur, erunt omnia; ut qui ea cum Epiphanii verbis conferre voluerit, breviores esse nos minime oportuisse concedat. Nobis vero in ipso operis exitu eo alacrius postremus hic superandus labor; quo jam velut longa navigatione perfuncti, propius jam terram ipsam, portumque contuemur.

Quicquid igitur de Folle ab Antiquis proditum, & ab recentioribus adnotatum est, id ad duo ferme capita revocatur. Nam aut ποσότητα, sive ὁλκὴν; & ἄθροισμα, hoc est summam pecuniæ, vel pondus, aut certum aliquem nummum significat. Utrumque nos genus hac Dissertatiuncula prosequemur.

DE FOLLE UT EST PECUNIÆ

COLLECTIO QUÆDAM AC SUMMA.

NE vulgata duntaxat, ac trita de Follis prima ista notione complectar; insignem hanc disputationem luculentissima quadam accessione faciam: hoc est ejusdem in eas interpretamento, cujusmodi in vetere Basilicorum Glossario reperi, quod est penes R. P. Jacobum Sirmondum. Ex quo ad Epiphanii locum enarrandum operæ pretium aliquod futurum confido. Ita ergo de Folle Glossæ istæ prodiderunt. Φόλλις· ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ νέου φόρος ἡμιόνων εἰσήχθη, τοῖς Κωνσαντίνου πολίταις, δεῖσθαι τῶν τοιούτων ὑποζυγίων τὴν ἐν τῷ πολέμῳ χρείαν προϊσχομένου. ἕτερος δὲ ὁ κληθεὶς φόλλις τὰς τῶν ἀξιολογωτέρων κατὰ πόλεις οἰκίας κατέλαβεν, ὅπ τὴν αὐτοῖς τὸ γένος ἄνω τὴν ἀξιώσεως τετυχηός. καὶ τὴν ἀτύχημα τὸ κρεῖττον ἐν τοῖς γένεσι πρὸς τὸ μέγεθος τῆς ἀξιώσεως διακεινόμενον τῷ ποσῷ. τοῖς μὲν τοῦ πρωτίσου τέλους ὀκτὼ χρυσίου λίτραι. τοῖς δὲ τοῦ δευτέρου, τέσσαρες· καὶ δύο τοῖς τείτοις. ὡς φησὶν Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούσειος ὁ φιλοσοφίας τὴν Μιλησίας, ἐν τῷ ἑκτῳχρονικῷ διασήματι τὴν ἱσοείας. ΦΟΛΛιΣ· σαθμός ἐσι, λεγόμενος καὶ βαλάντιον. ἕλκει δὲ ″ δηνάεια διακόσια, πεντήκοντα. τουτέστι λίτρας τιβ', καὶ οὐγγίας ἕξ. ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναείου λίτραν ά, καὶ οὐγγίας γ'. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρίων λεπτῶν τῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων, καὶ διὰ τοῦτο μιλιαεισίων καλουμένων. ἔχει δὲ ἕκαστο τῶν τοιούτων λεπτῶν ἀργυρείων κεράτιον ἕν, ἥμισυ, τέταρτον. ὁ δὲ φόλλις ἀργύρεια τοιαῦταρκέ, ἃ ποιοῦσι κεράτια σιή, καὶ νούμμους θ'. γινόμενα ἐν χαράγμασι νομίσματα θ', μιλλιαρήσιον ἕν, νοῦμμοι θ'. γινόμενα ἐν χαράγμασι νομίσματα θ', μιλλιαρήσιον ἕν, νοῦμμοι θ'. τὰ τοίνυν ρκ' καὶ πέντε ἀργεια συνήγετο εἰς ἀπόδεσμον ἕνα· καὶ οὗτος ἐκαλεῖτο φόλλις. ἔσι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις διαφόρους φόλλις διαφόρους ἔχων ποσότητας. ἀπὸ γὰρ δύο χρυσίου λιτρῶν ἀρχόμενος, εἰς ὀκτὼ προήει κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν εὐποείαν τῶν ἀπαιτουμένων. τοῦ μέμνηται μὲν καὶ Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούσειος ἐν τῷ

χρονικῷ διαστήματι τῆς ἰσοεμίας. μέμνηται δὲ κ̀ Θαλέλαιος ἐν τῇ β' διατάξει τȣ̃ β' τίτλȣ, τȣ̃ ιβ' βιβλίȣ τῶν Κωκ. τȣ̃ τίτλȣ, ἡ μὲν α' διάταξις ἐξελήφθη ἐν βίβλῳ τῶν Βασιλικῶν ς', τίτλῳ ζ' κεφαλ. δ'. ἡ δὲ β' παρελήφθη, ὡς πάλαι ἀναιρεθεῖσα παρὰ τȣ̃ θείȣ Μαρκιανȣ̃.

Hactenus Glossæ. Quas Alciatus laudat: ex eoque Ludovicus Vives in *Comment. ad lib.* XXII. *de Civit. Dei cap.* III. Sed illic Latine quædam parum expressa sincere, ut in mendosis exemplaribus accidit, quæ ex Græcis nostris emendare liceat. Triplex vero indidem Follis notio deducitur. Nam est primo tributi, & pensitationis genus, idque duplex; alterum mulare (perperam apud Vivem *multorum*, pro *mulorum*, extat) alterum nobilioribus familiis indictum, cujus author est Hesychius Illustrius *lib.* VI. Quod posterius institutum a Constantino M. scribit Zosimus *lib.* II. ἀπεγράψατο δὲ τὰς τῶν λαμπροτάτων ȣ̉σίας τέλος ἐπιθεὶς, ᾧτινι φόλλιν αὐτὸς ἐπέθηκεν ὄνομα. Ejusmodi follem, sive præstationem Senatoriam gradatim per triplex discrimen processisse, Glossæ demonstrant: ita ut primus gradus follibus duobus esset obnoxius; secundus, quatuor, tertius, octo. De iis Follibus mentio est *lib.* XXI. *Tit.* II. *Cod. Theod. de Præt.* cum Senatorium ordinem trifariam distribuens, alios in professionem habere folles ait duos; alios quatuor; alios amplius. Glossæ singulis follibus unam auri libram imputant. Sed in tenujorum gratiam postea de canone detractum, & ad septenos solidos minima Senatorum redacta pensitatio; quæ proinde a folle distinguitur. Etenim *lib.* VI. *Cod. Theod. Tit.* I. *Lege* I. cum Gratianus, Valentin. & Theod. sic edixissent: *Duorum vero follium maneat cunctos indiscreta professio, etiamsi possessionem forte non habeant;* postea a Valentin. Theod. & Arcad. imminuta præstatio est; & amplissimorum virorum consilio definitum dicitur; ut septenos quotannis *solidos pro sua portione conferret, qui præbitiones implere follium non valeret.* Ubi septem solidorum functio a folle perspicue separatur: quamvis Hotomanus *lib. de re Num. Pag.* 370. confundere ambo ista videatur. Atque ea pensitatio aliquandiu perseveravit. Lege XII. Tit. ejusdem, septem solidorum præstatio tenuissimos Senatorum obligare dicitur. Sublatum vero postea est onus illud; ut ex *lib.* XII. *Cod. Justin.* patet. Nam *Tit.* II. *Valentin. & Martian.* ita rescribunt: *Glebam, vel follem, sive septem solidorum functionem; sive quamlibet hujusmodi collationem, tam circa personas, quam res, & prædia, funditus jubemus aboleri: ut omnis hujusmodi sopita perpetuo conquiescat exactio.* Ante hanc constitutionem durissima fuit ordinis Senatorii conditio, ac pœnæ loco nonnullis imposita: aliis pro ingenti beneficio est adempta; ut ex *Epist.* XXXVIII. Synesii constat: nec non Ammiano *lib.* XXII. Juliano *Epist.* XXV. Quod & Glossa superior ostendit. Secunda follis significatio est, qua pro pondere sumitur librarum CCCXII. & unciarum sex. Quæ sunt denarii CCL. quorum singuli libram unam habent, uncias tres; *Donos* Alciatus vertit. Quid autem sint, libenter doceri me cupiam. Nam Codex manuscriptus δονάρια repræsentare videtur. Tertio Follis ἄθροισμα, summamque pecuniæ significat, ex nummis argenteis minutis conflatam, nempe ex miliarensibus numero CXXV. quorum singuli ceratium pendebant cum semisse, & quadrante. Ita follis iste ceratia colligit CCVIII. nummos novem. Alciati codex hoc in loco depravatus erat. Sic enim vertit: *Est & alius follis coactus ex argenteis leptis, qui militibus, quos miliarios vocabant, dabatur. Lepti autem ceratium unum cum dimidio continent. Ita follis iste argenti ceratia CCVIII. habet, & nummos IX.* Ergo argentei omnes illi in sacculum unum conjecti. Unde & follis appellatio deducta. Atque ex argenteis illis CXXV. sive miliarensibus, confiunt nummi, sive solidi aurei novem. Etenim ceratia CCXVIII. si per novem partiare, singulis XXIV. competent; quantum solidi pondus erat. Isidorus *lib.* XVI. *cap.* XXIV. *Siliqua vicesima quarta pars solidi est, ab arboris semine vocabulum tenens.* Tametsi siliquam inter, & κεράτιον interesse videtur. Sequitur enim apud Isidorum: *Cerates oboli pars media est, siliquam habens unam, & semis. Hunc Latini semiobolum vocant. Cerates autem Græce, Latine siliqua cornuum interpretatur. Obolus siliquis tribus appenditur, habens cerates duos, chalcos quatuor.* Continet ergo κεράτιον sesquisilicam. Unde in drachma XVIII. siliquæ sunt, ceratia XII. In didrachmo siliquæ XXXVI. ceratia XXVI. Quoniam itaque stater, sive aureus primis temporibus pondus habebat drachmarum duarum; ita ut quaterni duntaxat cuderentur in unciam; ideo tum κεράτια XXIV. siliquas XXXVI. pendebat. Postea de pondere tertia pars est deducta; ita ut seni in unciam solidi percussi sint: ac tum sextula nuncupata. Isidorus: *Solidus apud Latinos alios nomine Sextula dicitur; quod de iis sex uncia compleatur.* Tum ergo solidus ad XXIV. siliquas, κεράτια XVIII. redactus est. Verum κεράτια cum siliquis deinceps confusa sunt; adeoque XXIV. κεράτια, perinde ac siliquæ, XXIV. solido tributa sunt. *Drachma* (inquit Isidorus) *tribus constat scrupulis; id est XVIII. siliquis.* Ergo in uncia siliquæ sunt CXLIV. Quæ si per quatuor dividantur, dant unicuique solido veteri siliquas XXXVI. Si per sex, dabunt sextulæ,

læ, ſive ſolido ſiliquas XXIV. quæ & κεράτια vocarunt. Apparet ergo CCCVIII. κεράτια recte novem nummis, ſive ſolidis imputari; quos eſſe Gloſſa dicit miliarenſes λεπτοὺς CXXV. Ii in unum ſacculum injecti follem conficiebant. Iidem ex ſacculis ſtipendium militare, vel donativum in ejuſmodi miliarenſium ſpecie perſolvebatur. Unde miliarenſibus nomen inditum Græci paſſim autumant. Apud eaſdem illas Gloſſas, μιλιαρίσιον στρατιωτικὸν δῶρον. Et alibi paſſim. Nec aliam ab ullo proditam vocabuli iſtius originem extare memini. Quæ a noſtris tamen merito rejicitur. Nam a *militia* aut *milite* non *miliarenſis*, ſed *militarenſis* fieri debuit. Quare ſi mihi in obſcura re conjectura licet uti; quod cur minime concedatur, non video; libentius miliarenſem a millenario numero detortum exiſtimem: quod videlicet mille iſtiuſmodi nummis auri libra æſtimata fuerit. Etenim ſolidorum, ſive aureorum in libram numerus cum diverſus aliquando fuerit, tandem ad LXXII. pervenit. Sex enim, uti dictum eſt, in unciam percuſſi. Ideo *ſextula* vocata: quod ſextam unciæ partem penderet. Zonaras de Nicephoro Phoca: ἦν δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων, ὡς ἔοικε. μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἑξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος, ἐκεῖνος τὸ τεταρτηρὸν ἐπενόησε, κολοβώσας αὐτὸ κατὰ τὸν σταθμόν.

Si igitur miliarenſes CXXV. novem ſolidos exæquant, & CCL. ſolidos octodecim; ergo quater ducenti quinquaginta milliarenſes, hoc eſt mille, ſolidos explebunt LXXII. quæ eſt auri libra. Vera igitur, quantum apparet, miliarenſis notatio ex optimis illis Gloſſis eruta eſt, quæ hactenus latuerat, & a Græculis, ut aſſolet, depravata, ac diſſimulata fuerat. Sed de miliarenſibus iſtis amplius agetur, cum ad follem argenteum ventum erit: ad quem priuſquam orationem convertimus, de aureis, ſi qui fuerint, diſputandum. Hactenus enim prima Follis eſt explicata notio, quatenus ὁλκὴν, & ἄθροισμα nummorum ſignificat.

DE FOLLE
UT INTER NUMMOS CENSETUR
Ac primum, aureum fuiſſe nullum oſtenditur.

F*Ollis aurei nummi genus eſt*, inquit Cujacius ad Leg. XII. Cod. Juſtiniani, Tit. II. Leg. II. Idque ex legum aliquot Theodoſiani Codicis authoritate confirmat: Veluti Leg. II. & III. Quor. Ap. non rec. Item Lege III. de Suariis. Lege V. & XXI. de Prætoribus. Quod & aliis perſuaſit. Itaque vir doctus Alexandrini Chronici locum illum ἐπὶ τούτων τῶν αὐτῶν ὑπάτων λεῖψις γέγονεν τοῦ ἄρτου, ὥστε πραθῆναι τὸν ἕνα ἄρτον φόλεων τεσσάρων, ad folles, ſive nummos aureos retulit. Verum ex allatis a magno Juriſconſulto legibus adeo nihil de aureo aliquo numiſmate colligitur, ut contrarium potius ex pleriſque manifeſtiſſime concludi poſſit. Lex eſt prima, quæ temerariæ appellationi multam indicit follium XXX.; cujuſmodi vel argentei nummi commode poſſunt intelligi, vel nummorum certa collectio, ſive ſacculus. Reliquis in legibus mirum quantopere illum ratio fugerit. Lege III. de Suariis, libra ſuillæ carnis ſenis follibus taxatur. Quis aureis nummis ſex valuiſſe porcinam arbitretur? Ergo ne argenteis quidem totidem puto: Et folles hic æreos, ac minutos interpretor.

Sequitur Lex. V. de Prætoribus: quæ erogationis modum in Præturis definit. Primæ Præturæ, quæ Flavialis dicitur, erogationem præſcribit viginti & quinque millium follium, ac triginta librarum argenti: Secundæ Conſtantinianæ dictæ, viginti millia follium, & quadraginta libras argenti. Tertia Triumphali, quindecim millia follium, ac triginta libras argenti. Hos vero folles aureos eſſe nummos, quis tandem perſuadeat? Neque enim veriſimile eſt tanto majorem auri quantitatem in editiones, quam argenti vel inſumptam, vel conceſſam fuiſſe. At XXV. follium, ſi aurei nummi ſunt, millia, utcumque ad libras redigantur, immane quantum argentearum numerum excedant. Ergo folles iſtic ærei nummi, ſive follærales videntur, quos Lamprid. in Alagabalo folles æris appellat. Cujuſmodi minutæ ſpecies, & æreæ cum argenteis, & aureis conjunctim in ſalarium Ducibus nominatim taxatæ leguntur apud Au-

Augustæ Historiæ scriptores. Ita centum ærei diurni apud Vopiscum in Aureliano: æreorum Philippeorum annua decem millia apud eundem in Probo. Æris HS decies in Bonoso.

Postremo Lege XXI. de Præt. follium plane diversa & abhorrens ab omni nummorum genere significatio est. Ibi enim triplicem Senatorii ordinis gradum discernit, pro diversa professione, in quam alii duos folles, alii quatuor, alii amplius habebant. Follis vero non pro nummo; sed pro canone tributi, ac præstationis sumitur, qui a Senatoribus pro cujusque facultate ac dignitate solebat exigi; κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ἀπορίαν, ut Glossæ loquuntur. Quocirca nihil hactenus allatum video, quod aurei nummi genus fuisse follem argumento esse possit; Sed vel auri, argentique summam, vel argenteum certe nummum, aut æreum.

DE MILIARENSI ARGENTEO

QUÆ PARS FOLLIS VIDETUR.

Antequam de Folle argenteo certi aliquid eruatur, necesse est de miliarensi, quod ἄργυρον Epiphanius nominat, pauca quædam præmittere: quoniam ex eo nummorum genere componi follem idem ille affirmare videtur. Miliarensem argenteum fuisse nummum non aureum, declarat Novella Justiniani CV. in qua Magistratibus, præsertim Coss. profusionis modum præscribit: vetatque nummos aureos spargere; argenteos permittit. οὐ μὴν χρυσίον ῥίπτειν ἐφίεμεν, οὐ μικροτέρου τινὸς, ἢ μείζοντος ὅλως, ἢ μέσου χαράγματος, ἢ σταθμοῦ, ἀλλ' ἀργύρου (καθάπερ εἰπόντες ἔφθημεν) μόνον. τὸ μὲν γὰρ χρυσίον διαῤῥίπτειν ἀνείσθω τῇ βασιλείᾳ, ἧπερ μόνῃ καὶ χρυσίου περιφρονεῖν ὁ τῆς τύχης δίδωσιν ὄγκος. ἄργυρος δὲ ὁ μετὰ χρυσὸν εὐθὺς τιμιώτατος γένοιτο ἂν καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάτοις φιλοτιμία πρέπουσα. τοῦτον ἐφίεμεν αὐτοῖς ῥίπτειν ἔν τε τοῖς καλουμένοις μιλιαρησίοις, καὶ μήλοις, καὶ καυκίοις, καὶ τετραγωνίοις, καὶ τοῖς τοιούτοις. Miliarensem duodecimam solidi partem fuisse; hoc est solidum aureum duodenis miliarensibus valuisse, viri docti pridem observarunt: proindeque duas siliquas auri unius miliarensis æstimatione taxatas. Quippe solidus XXIV. siliquis constabat. Atque idcirco miliarensem διχέρατον Cedrenus nominat. Verum istud perpetuum esse minime potuit. Docent enim Glossæ νομικαὶ novem circiter solidos miliarenses habuisse CXXV.; quibus competunt κεράτια CCXVIII. Proinde singulis miliarensibus attribuenda sunt κεράτια singula cum dodrante, hoc est cum semisse, & quadrante. Solidus vero miliarensi æstimatur $1\frac{8}{9}$ ut supra dictum est.

Scaliger Libro de re Numaria, Miliarensem ait esse δωδέκατον τοῦ νομίσματος, & Suidam corrigit, qui δέκατον esse docuerat. Eundemque & duabus auri siliquis valuisse, & fuisse didrachmum, ob eam, quam dixi, rationem, quod διχέρατον foret, & duarum siliquarum æstimationem haberet, quarum singulæ drachma argentea valerent. Quod si quis diligenter excutere velit, falsum & absurdum esse reperiet. Falsum est, inquam, & siliquas auri singulis valuisse drachmis argenteis, & solidum XXIV. drachmis æstimatum fuisse. Quæ ambo simul esse vera non possunt.

Etenim triplex, quod ad præsens institutum attinet, aurei Romani, qui postea solidus appellatus est, modus ab doctissimis Jurisconsultis ad Justiniani saltem tempora definitur. Primus antiquior, in quo quaterni in unciam auri cudebantur, in libram XLVIII. Alter circa Constantini ætatem; septeni in unciam solidi percussi sunt; in libram LXXXIV. ut ex *lib.* 1. Cod. Theod. de Ponderat. patet. Tertius a Valentiniano constitutus, in quo seni ex uncia cusi; e libra LXXII. qui & deinceps observatus videtur. Atqui in triplici illa solidi ratione duo illa Scaligeri firmamenta consistere nequeunt. Quod ut manifestum fiat, illud imprimis animo repetendum; drachmam sex obolos continere; obolum siliquas tres. Ita fiunt in drachmam siliquæ XVIII; in unciam CXLIV. quæ drachmas octo complectitur. Libras siliquas continet 1728.

Jam quo tempore aurei in unciam quaterni percutiebantur, e libra XLVIII. singuli quidem aurei XXIV. drachmis, sive denariis æstimati sunt; quanquam scio XXV. & a Dione, & ab aliis imputari. Sed ut μικρολογία circumscripta, rotundum maxime numerum consectemur; XXIV. denariorum aureus fuit: eratque tum duodecupla auri ad argentum proportio: cum duorum denariorum legitimum aurei pondus esset. Quamobrem auri libra drachmis valebat 1152. didrachmis, sive miliarensibus 576. Per quos

si 1728.

si 1728. siliquas, quot in libra numerantur, dividas, competent uni didrachmo siliquę tres, non duæ. Postea, cum LXXXIV. in libram percussi sunt solidi si singulos nihilominus, paris cum veteribus, longeque gravioribus, pretii quis dixerit, absurdum quiddam ex eo consequetur. Nam ut LXXXIV. per XXIV. multiplices, invenies libræ auri pretium drachmarum esse 2016. didrachmorum, seu miliarensium Scaligerianorum 1008. Unde illud consequens est, quoniam drachmæ in Romana libra sunt XCVI. (in unciam enim octonæ conveniunt) Librę autem XXI. drachmas totidem, hoc est 2016. sibi vindicant, eandem Constantini sęculo proportionem auri fuisse, quę est 21. ad 1. Quod immane & prodigii simile est. Nam ad summum quatuordecim duntaxat, & eo amplius argenti selibra, auri libram taxatam esse, fidem facit Hotomanus, idque Arcadii, & Honorii tempore. Tum illud concedamus, totidem didrachmis, hoc est 1008. auri libram æstimatam fuisse, falsum aliud erit, auri siliquas duas didrachmi pretio taxatas esse. Nam si siliquas 1728. per miliarenses 1008. distribuas, singuli siliquam $1\frac{5}{7}$ duntaxat auferent.

Superest tertium illud tempus, ad quod Scaliger potissimum respexisse videtur. Nam de solido loquitur, cujusmodi seni in unciam quadrant, unde & sextula nominatur. Atque hac postrema ratione solidus sextulas aufert XXIV. Siquidem in priori, siliquis constabat XXXVI. in secunda siliquis $20\frac{4}{7}$. Postrema igitur solido siliquas attribuit XXIV. Verum neque tum siliquæ duę didrachmi pretio censeri possunt; neque miliarensis, sive duodecima pars solidi didrachmo valet. Nam si LXXII. per XXIV. multiplicentur, drachmæ confient in auri libram, 1728. miliarenses 864. quot sunt δικέρατα. Nam siliquas in libra esse scimus 1728. Drachmæ vero totidem libros conficiunt XVIII. Ita auri libra octodecim argenteis valebit, quod est inauditum. Ob eas caussa vana est illa Scaligeri definitio, miliarensem didrachmum fuisse, & simul duabus auri siliquis valuisse. Accedit & Glossarum, quas supra commemoravimus, luculentissimum illud testimonium, quo miliarensibus siliqua duntaxat una cum dodrante, vel tribus quadrantibus imputatur, nummis vero solidis fere novem, miliarenses CXXV. quibus κεράτια congruunt CCXVIII. non CCL. ut Scaligeriana conjectura postulabat.

Roget aliquis; ecquod demum miliarensis argentei pondus, ac pretium, quæve ad aureum solidum, ac solidi partes proportio fuerit? Equidem nihil certo ea de re neque affirmare ipse possum, neque ab ullo affirmari posse judico. Pendet enim ea res ex solidi primum æstimatione; tum ex auri ad argentum ratione; quod utrumque diversum, ac pene arbitrarium fuit. Veruntamen ut in obscurissima re, atque ambigua conjecturæ probabili locus esse potest. Quæ cujusmodi mihi in mentem venerit, paucis aperiam. Ego vero miliarenses arbitror ab argenteis didrachmis paulatim ortum accepisse. Etenim initio cum aurei quaterni in unciam percuterentur, ac singuli XXIV. drachmis, sive XII. didrachmis valerent, tres auri siliquæ, quæ sunt κεράτια ex Isidori authoritate duo, didrachmi pretio censebantur. Erant enim, uti superius ostendimus, siliquæ in aureo XXXVI. ceratia XXIV. Quare tum δικέρατος erat argenteus didrachmus. Postea de solidi, sive aurei pondere, ac proinde nonnihil etiam de valore sive æstimatione detractum. Quamvis enim aureorum pondus in eum finem plerumque minuatur, ac plures in libram cudantur, ut in fiscum ex ea re lucri aliquid redundet; non tamen eadem solidi levioris, quæ gravioris taxatio esse potest. Alioqui nimium iniqua lex esset; & immanis auri ad argentum proportio; ut paulo ante demonstravimus. Neque tamen pari decremento solidi pondus ac pretium est imminutum: Ut cum exempli caussa solidus duas argenteas drachmas penderet, ac XXIV. drachmis valeret, postquam ad scrupulorum quatuor pondus est redactus, ac tertia parte decurtatus, non eadem, ut opinor, proportione solidi pretium a XXIV. ad XVI. drachmas descendit. Alioqui nullum omnino compendium ex eo Princeps faceret. Verum justa aliqua & moderata æstimatione taxatus est aureus; ut esset nihilominus major quam antea auri ad argentum proportio. Diximus Constantini fere sæculo aureorum numerum in libram vehementer auctum fuisse, ut ad LXXXIV. perveniret, atque ita quarta fere parte pondus aureorum imminueretur. Postea sub Valentiniano sex in unciam taxati sunt, in libram LXXII. Hoc igitur tempore, cum XXIV. siliquas solidus penderet, quot κεράτια ex Isidori definitione vetus auferebat, suspicor duabus auri siliquis argentei unius pretium indictum: qui quidem minime didrachmus esset, sed in didrachmi locum successisset, ac proinde bisiliquus foret: uti apud veteres aureus didrachmus δικέρατος fuit, quatenus κεράτιον a siliqua discernitur. Cum autem subinde κεράτια pro siliquis promiscue usurpari cœpta sunt, etiam argenteus ille δικέρατος est habitus, quod siliquas duas, sive κεράτια valeret. Hujusmodi in libram erant 864. Sunt enim siliquæ in libra 1728.

Quod-

Quodnam autem ſinguli pondus habuerint, non aliunde quam ex auri ad argentum proportione definiri poteſt. Fingamus eodem illo tempore duodecuplam extitiſſe. Cum ergo auri libra 864. argenteis æſtimetur, quæ ſunt argenti libræ XII. ſi per 12. numerum illum dividas, confient in ſingulas argenti libras argentei LXXII. quot aurei in libram incurrunt: ac tum XII. argentei, ſolidi pretium exæquant. Singulorum vero pondus ex libræ argenteæ comparatione colligitur. Habet enim libra ponderalis drachmas XCVI. Quare cum argentei LXXII. totidem drachmas exhauriant, habebunt ſinguli drachmam unam, & unam fere tertiam, hoc eſt obolos propemodum octo, ſive ſiliquas argenteas XXIV. Quod ſiliquarum auri duarum pretium eſſe debuit. Sed ſi auri ad argentum ratio iſta fuiſſet, nihil ex ſolidorum aucto in libram numero fiſcus lucraretur. Ob ad majus argenteorum ſingulorum fuiſſe pondus arbitror.

Hotomannus *lib. de re Numaria* Impp. Arcadii & Honorii temporibus animadvertit libram auri quatuordecim argenti libris, ac fere ſelibra æſtimatam fuiſſe, ex L. I. C. de arg. pret. Nam libra argenti quinis aureis ſolidis taxatur, libra autem auri duobus & ſeptuaginta ſolidis aureis. Gloſſæ vero ſupra citatæ proportionem illam exactius retinere videntur, quæ eſt unius ad quatuordecim. Nam auri ſolido milliarenſes permutantur fere quatuordecim: cum CXXV. miliarenſes ſolidis novem valeant. Eſto igitur auri argentum ratio ut unius ad quatuordecim. Tum 864. ſiliquæ, quot in libra auri ſunt διxέρατα per 14. dividantur, conſurgent in unamquamque libram argentei $61\frac{5}{7}$ Fingamus eſſe 62. Ii ſi ad drachmarum legitimum in libra numerum exigantur, ſinguli pondus habebunt drachmæ unius, obolorum trium, & $\frac{2}{31}$ unius oboli: ſive drachmæ unins, ſiliquarum 10, quæ ſunt ſiliquæ 28. Hic modus, atque ejuſmodi pondus eſſe potuit argenteorum circa Valentiniani, & Arcadii tempora, quibus ad 72. ſolidorum numerum deductam auri libram antea diximus: tum ſcilicet, cum duabus auri ſiliquis argentei ſinguli valerent, ac ſolidus ſiliquas penderet quatuor & viginti. Neque tamen in eo pondus argenteorum conſtitit. Sed rurſum ſexta fere parte diminuti ſunt, ut in auri libram non jam 864. argentei, ſed mille deinceps imputarentur. Quod utrumque certa aliqua authoritate firmandum. Scribunt Gloſſæ Baſilicorum apud Meurſium miliarenſes duodecim aureum ſolidum, hoc eſt ceratia XXIV. valere, Ecl. XXIII. Χρὴ γινώσκειν, ὅτι τὸ ἓν κεράτιον φόλλεις εἰσὶ δώδεκα, ἤτοι μιλιαρεσίου τὸ ἥμισυ· τὰ δὲ ιβ' κεράτια, εἰσὶ νομίσματος ἥμισυ· τὸ γὰρ ἀκέραιον νόμισμα ἔχει μιλιαρήσια ιβ', ἤτοι κεράτια ιβ'. Item κατὰ νόμισμα λαγχάνει μιλιαρῆσια ιβ'. Tum idem & Cedrenus confirmat, qui διxέρατον pro miliarenſi accipit. Quapropter cum ſiliquæ ſint in libra 1728. neceſſe eſt διxεράτους argenteos in auri libram incurrere 864. quorum ſinguli pondus habent argenteæ drachmæ unius, & obolorum trium, & unius ſiliquæ, ſive 28. ſiliquarum. Unde quoniam auri ſiliquæ duæ argenti ſiliquis valent 28. auri ſiliquæ 24. argenti valebunt 336. Quæ per 28. diviſæ dant 12. Duodecim igitur argentei eo, quo dixi, pondere cuſi, 24. auri ſiliquas valebant, ſive ſolidum aureum, & διxέρατοι proprie vocabantur, didrachmis minores octo ſiliquis. Jam vero ex Gloſſario R. P. Sirmondi, quod ſuperius adduximus, patet, CXXV. miliarenſes argenteos, novem propemodum ſolidis valere. Qua ratione LXXII. ſolidi millenos exigunt miliarenſes. Detractum eſt igitur de argenteorum pondere, indeque miliarenſes appellari cœpti, poſteaquam mille in auream libram imputati ſunt. Horum vero ad argenti libram rationem, ac pondus eadem via, quam ſuperius invitimus, licet inquirere. Miliarenſes in argenti libras quatuordecim ſive drachmas 1344. percutiuntur mille. Habent ergo ſinguli drachmam unam, & præterea obolos duos, & $\frac{1}{5}$ ſiliquæ; hoc eſt ſiliquas 24. $\frac{1}{5}$ Sed 24. ſiliquæ ſumantur. Iidem argentei ſuperioribus διxεράτοις minores ſunt ſexta rere ſui parte, majorum vero ſeptima. Proinde ſi 28. ſiliquæ auri ſiliquis duabus æſtimantur, in quartadecupla auri ad argentum proportione, 24. argenti ſiliquæ, auri ſiliqua valebunt $1\frac{5}{7}$ Atque eadem proportio in argenteis ſingulis inter ſeſe comparatis cernitur: quæ eſt ſummarum ipſarum, quæ utrobique in argenti libras quatuordecim conveniunt. Ut enim millenarius numerus ſeptima fere ſui parte, hoc eſt 136. major eſt quam 864. cujus ſexta fere pars ſunt 136. Ita 28. ſiliquæ ſuperant 24. ſeptima ſui parte, nempe 4. quæ eſt ſexta pars 24. Quamobrem cum duarum ſiliquarum auri pretium argentei ſinguli non exæquent, ſed duabus ſeptimis unius ſiliquæ minus habeant, non jam XII. argenteis ſolidus æſtimabitur, ſed quatuordecim fere. Verum Gloſſarii ille locus accnratius expendendus, atque illuſtrandus videtur. Eſt enim ſcru-

ſcrupuloſa & anxia minutiarum illic fractio. Follem igitur affirmant ſummam eſſe argenteorum miliarenſium CXXV. quorum quilibet ſiliquam unam habet cum dodrante, hoc eſt unam dimidiam, & unam præterea quartum. ὁ δὲ φόλλις ἀργύρεια τοιαῦτα κρέ-ἀποῦσι κεράτια σιή, καὶ νούμμους θ'. ἤτοι πρὸς τὸ νῦν κρατοῦν μιλιαρέσια ρθ', καὶ νούμμους θ', γι-νόμενα ἐν χαράγμασι νομίσματα θ' μιλιαρέσιον ἕν, νοῦμμοι θ'. Hic νοῦμμος non uſitata ſignificatione ἀντὶ τοῦ νομίσματος, pro ſolido videlicet & aureo ſumpſit, quemadmodum eædem Gloſſæ νούμμους τὰ νομίσματα interpretantur. Sed pro minutiis ſive ponderum, ſive nummulorum, quæ duodenæ in ſiliquam incurrunt, uti ſtatim planum efficiam: νόμισμα vero proprie ſolidum appellant, quæ fuit uſitata illius acceptio. Gloſſarium Henrici Stephani, νόμισμα, *Solidus*; &, *Solidus*, νόμισμα. Idem & χάραγμα nominatur, quæ eſt proprie forma & effigies, quam etiam τοῦ νομίσματος vox exprimit, authore Suida. CXXV. argentei milliarenſes ceraria colligunt CCXVIII. & nummos IX. qui ſunt ſecundum hodiernum, inquit, uſum, miliarenſes CIX. & nummi ſolidi IX. cum miliarenſi uno, & nummis tribus. Quod ego ſic interpretor. Miliarenſes ſinguli pretium habent aureæ ſiliquæ unius & quadrantium trium. Ideo CXXV. miliarenſes ſiliquas aureas valent CCXVIII. cum tribus quadrantibus. Hos quadrantes nummis novem definit. Proinde ſiliqua duodecim nummos habet, quorum dodrans ſive tres quadrantes ſunt novem. Suntque nummi, vel ponderales, uti dixi, minntiæ, quomodo & denarius antea libræ unius & unciarum trium pondus erat: vel tenuiſſimi nummi, cujuſmodi in ſiliquam XII. in δικέρατον argenteum, XXIV. taxati ſunt. Cumque χάραγμα νόμισμα, vel ſolidus, ſiliquis conſtet XXIV. novem vero ſolidi ſiliquis conſtet XXIV. novem vero ſolidi ſiliquis CCXVI. miliarenſes CXXV. paulo plus ſolidis novem æſtimantur, nempe duabus amplius ſiliquis, & dodrante. Ex quo ſequitur miliarenſes argenteos mille, ſiliquis auri valere 1750. qui ſunt ſolidi 72. & ſiliquæ 22. quo ſiliquarum numero libram auream excedunt. Nam ſi ſolidum XXIV. ſiliquis definias, 72. ſolidi, quot in libram cuſi ſunt, ſiliquas auferunt 1728. quibus accedunt duæ & viginti ſuperfluæ, quæ argenteorum millenarium perficiunt. Nam ſiliquæ 1728. miliarenſes duntaxat 987. & $\frac{3}{7}$ exigunt, ſiquidem ſiliquæ 1750. miliarenſes $12\frac{4}{7}$ requirunt: ut unuſquiſque ſiliquas duas uno quadrante minus habeat, ſeu ſiliquam & $\frac{3}{4}$. Atque hoc pacto, ſi conſtituta illis temporibus auri ad argentum proportio quartadecupla retineatur, diviſi 987. miliarenſes per 14. dabunt in libras ſingulas miliarenſes fere $70\frac{1}{2}$. Qui ex drachmis 96. deducti pondus unicuique miliarenſi relinquunt drachmæ unius, & ſiliquarum ſex fere, hoc eſt ſiliquarum 24. Atqui tunc miliarenſi relinquunt drachmæ unius, & ſiliquarum ſex fere, hoc eſt ſiliquarum 24. Atqui tunc miliarenſes mille paulo plus auri libro conficient. Quocirca videndum an per illud tempus ſolidus paulo plus XXIV. ſiliquis penderet, hoc eſt præterea $\frac{22}{72}$ ſive $\frac{11}{36}$ unius ſiliquę. Aut certe ex auri libra pręter 72. ſolidos, ſeptuageſimus tertius levior, ac ſiliquarum tantummodo 22. percutiebatur. Ut cum milliarenſibus millenis auri libra penitus adęquaretur. Pergit Gloſſarium & milliarenſes iſtos CXXV. ſi ad novorum canonem exigantur, eſſe dicit CIX. ac nummos pręterea novem; Unde fiunt ſolidi, ſive νομίσματα novem, cum uno miliarenſi, & nummis illis reliquis novem. Quę verba ſatis indicant reditum poſtea ad miliarenſes illos δικεράτους fuiſſe. Na mceratia 218. ſi in 109. partiare, dant unicuique milliarenſi ſiliquas auri duas: cujuſmodi μιλιαρέσιον τὸ νῦν κρατοῦν, inquit, hoc eſt ejus, quo ſcribebat, temporis proprium, majus erat priore, paulo plus ſeptima parte. Quare ſi CIX. ejuſmodi novem ſolidos exhibent, LXXII. ſolidi, ſive libri auri, 872. milliarenſes efficiet.

Has nummorum tricas, ac minutias non ſine aliquo fortaſſe lectorum tædio, ſcrupuloſius excuſſimus. Verum tanti fuit, miliarenſis, ac follis, de quibus agit hic Epiphanius, vim, originem, proprietatemque cognoſcere: tum inveteratum illum, & a Scaligero probatum errorem, de didrachmo milliarenſi, ac tetradrachmo folle convincere. Quod de folle poſt paulo docebitur. Ad milliarenſem vero quod attinet, eorum, quæ hactenus ſunt diſputata, ſumma ſit: Milliarenſem argenteum fuiſſe nummum, non didrachmum, ſed aliquanto minorem, qui alias duabus auri ſiliquis, alias paulo minore pretio permutatus eſt, itidemque levior alias, alias gravior extitit. Ac tum cum levior fuit, milleſima pars fuit aureæ libræ, unde & μιλιαρέσιον a Græcis, a Latinis milliarenſis appellari cœpit. Quam etiam ob cauſſam λεπτὸν ἀργύρεον vocatum eſt, ut a didrachmo, vel gravioris ponderis argenteo diſcreparet. Cæterum ejuſ-

 mo-

modi milliarenſium ſpecies militaris fuiſſe videtur, quod donativum ac ſtipendium in eo genere perſolveretur, nec non ſparſiones, & erogationes in populum eodem illo fierent; ut ex Novella Juſtiniani, quam ſupra produximus, apparet. Hinc ϛρατιωτικὸν δόμα, vel δῶρον Epiphanius interpretatur, & Gloſſæ cum eo fere omnes. Gloſſarium P. Sirmondi Στιπένδιυμ, ἢ τελϐϛτον, τὸ ἀπὸ λεπτῶν ἀργυρείων συναγόμενον. Item: Στιπένδια λέγεται τὰ δημόσια, διὰ τὸ ἀπὸ λεπτῶν συνάγεσθαι ἀργυρείων. τὰ αὐτὰ δὲ καὶ τελϐϛτα λέγεται. ἀπὸ τοῦ ἐπικλᾶσθαι τοῖς καταβάλλουσιν, ἢ ἐπιμερίζεσθαι τοῖς ϛρατιώταις. Ergo ſtipendium a ſtipe, hoc eſt minutulis nummis, quæ λεπτὰ ἀργύρεια vocantur. Tametſi miliarenſium modus ſatis magnus videtur. Sed nihilominus & inter λεπτὰ numeratus eſt. De λεπτοῖς ſequenti capite, ubi de folle diſſerimus, amplius agetur. Hæc nos partim conjectura freti; partim certiſſima Gloſſarium veterum authoritate nixi, de miliarenſi protulimus. Erunt qui certiora fortaſſe conferent. Quibus non modo non invidebimus; ſed illud citra convicium & obtrectationem ſi fecerint, quod ægre a pleriſque impetrare poſſis, libentiſſime id nos accepturos; ſin utcumque meliora docuerint, aſſenſuros eſſe pollicemur.

EPIPHANII DE FOLLE LOCUS

EXPENDITUR AC DECLARATUR.

FOllis, inquit Epiphanius, ταλάντιον καλεῖται; eſtque duplex, nimirum duobus ex argenteis conflatus, qui ſunt CCVIII. denarii. Paulo ante dixerat, τὸ ἄργυρον, eum eſſe nummum, qui a Romanis, hoc eſt Conſtantinopolitanis, miliarenſis appellatur. Nunc ex duobus argenteis iſtis conſtare follem aſſeverat. Hoc ipſum Epiphanii verba præ ſe ferunt, niſi aliter caſtiganda videantur. Quod varie a pleriſque tentatum. Scaliger in poſtumo libello *de re Numaria*. Epiphanium ſic emendat, ut pro ταλάντιον, βαλάντιον reponat: tum pro σή δηνάρια, hoc eſt CCVIII. σπή CCLXXXVIII. Follem itaque duplum eſſe τοῦ μιλιαρησίου, ac tetradrachmum exiſtimat, quoniam miliarenſes, ut vidimus, didrachmos conſtituit: habere vero denarios, hoc eſt minutulos nummos CCLXXXVIII. Sed in ea Scaligeri conjectura primum illud eſt a nobis ſuperiori capite validiſſime refutatum, quod miliarenſes didrachmos fuiſſe defendit. Alterum, quod pro ταλάντιον, βαλάντιον legit, vereor ut obtinere poſſit. Etenim quamvis follis idem ſit, quod Græce βαλάντιον, nihilominus a Græcis βαλαντίου vox non folli, ut ſingularis eſt nummus, imponitur, ſed ut eſt pecuniæ ſumma, & nummorum ἄθροισμα, vel σταθμός, ut Gloſſæ ſignificant. De folle argenteo nummo neque mentionem illæ faciunt, neque βαλάντιον appellatum eſſe puto, tametſi ut id analogia quadam uſurpatum fuerit, non valde repugnem. Cum enim proprie follis certa illa nummorum ὁλκή, ac ſumma diceretur, ex certo, ut apparet, nummorum genere collecta, & in unum incluſa follem; uſu poſtea factum eſt, ut folles etiam ſingulæ τοῦ ἀθροίσματος partes, ac nummi ipſi vocarentur. Denique quod ad Epiphanii ſummam octoginta denarios addidit, cauſſam nullam aut habuit, aut quam haberet, oſtendit. Hotomanus *lib. de re Num.* hunc ipſum Epiphanii locum non capere ſeſe ſine ambage profitetur. Alii quid de illo ſentiant dicturos ſe aliquando promittunt. Ego nihil in Epiphanii verbis animadverto, quod tam impeditum & inextricabile videri poſſit, ut vadimonium propterea deſeratur. Hoc enim ſimpliciter, ac citra ullam emendationem & interpolationem colligi ex illis poteſt: Follem argenteum eſſe nummum, quod *Talentum parvum* dictum fuerit, ex argenteis duobus conflatum, in quo denarii minutuli numerantur CCVIII. hoc eſt in ſingulis argenteis CIV. Cur *Talentum* ejuſmodi nummus appellatus fuerit, vel neſcire me dico, quando id Epiphanius tacuit, vel cauſſam aliquam reperio, quam non probare magis quiſpiam poſſit, quam ratione certa refellere. Idem & de denariis illis aſſeram, quorum varius apud diverſas nationes uſus, æſtimatioque fuit. Cum tam facile defungi loci illius interpretatione liceat, tamen ne fruſtra tot eruditi homines in eo laboraſſe, atque hæſitaſſe videantur, nos ipſi quoque ſimplici illa declaratione, & obvia minime contenti, alias excogitavimus, quas ſingillatim percenſere omnes, atque exponere, plus tædii, quam utilitatis lectoribus afferet. Unam igitur proponam aut alteram; ſi illud imprimis admonuero: in manuſcripto cod. Biblioth. Regiæ paulo aliter locum illum concipi. Ita enim ſcriptum reperi. φολλης ὅσα τάντιον καλεῖται. διπλοῦν δέ ἐϛι, ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον· οἵγινονταί σοι

κ' δη.

κ' δηνάρια. Non σή, hoc eſt CCVIII. denarii, ſed XX. folli huic arrogantur. Quæ lectio mihi non contemnenda videtur. Quocirca follis apud Epiphanium nummus eſt ex duobus argenteis compoſitus: quos miliarenſes intelligimus, quorum ſinguli denarios decem continent. Denarios vero non veteres illos, & Romanos, ſed minores aliquos nummos; qui & ideo *denarii* nuncupati videntur, quod totidem in argenteum nummum competerent. Cur autem talenti parvi nomen ei nummo ſit impoſitum, cauſſæ complures divinari poſſunt. Veluti quod denarii iſti in ſex iterum chalcos diviſi fuerint: ita ut in milliarenſem CXX. convenirent; quot in Talentum Epiphanii, quod CXXV. librarum eſt, Atticæ minæ congruunt. Aut hæc igitur, aut alia quæpiam ejuſmodi ratio fuerit, cur *talenti* nomen in argenteo folle reſederit. Sane cum Epiphanius follem aſſerit duos argenteos complecti, licet argenteos non milliarenſes intelligere, hoc eſt minores, ac non legitimos illos, ſed didrachmos, qui in uſu nihilominus eſſent. Plura enim τῶν ἀργύρων genera fuerunt, quorum uni miliarenſis vocabulum inditum; non tamen argentei omnes milliarenſes appellati. Ideo follis tetradrachmus eſſe potuit, ex duobus didrachmis compoſitus, quod & Scaligero viſum eſt: Sed falſa ratione; quoniam ſolidi pretium XXIV. drachmas eſſe credidit, & duarum auri ſiliquarum drachmas duas, ſive milliarenſem unum. Atqui ſiliquæ in ſolido erant XXIV. in didrachmo XXXVI. Proinde auri proportio ad argenteum fuerit, ut XVIII. ad I. quod abunde in ſuperiori capite refutatum eſt. Quod ſi ex duobus ejuſmodi argenteis didrachmis conſtabat follis, obolos capiebat XXIV. quot ſcilicet in ſolido ſunt ſiliquæ. Quare cum ſolidus talenti nomine ſit affectus, uti poſtea dicetur, potuit & idem folli nomen attribui, quoniam totidem in eo cenſerentur oboli, quot in ſolido ſiliquæ. Atque haud ſcio an non idipſum vetera illa Matthæi Scholia, quæ ex Budenſi codice antea laudavimus, perſuadere poſſint, quæ ſtaterem argenteum tetradrachmum ϛατῆρος nomen ideo ſortitum eſſe dicunt, quod bifariam diviſa uncia, & in duas lances impoſita, æquilibrium faciat: ὅθεν τῇ ἰσοῤῥοπίᾳ τȣ̃ κανόνος, κατὰ τὴν τȣ̃ ζυγȣ̃ ἰσότητα. ϛατὴρ ἐπεκλήθη. Nam & ad ταλάντȣ vocem ac notionem iſtud alludit; & τάλαντον, perinde ac ϛατῆρα, trutinam eſſe ſcimus. Ob id ergo ταλάντιον follis, ſi quidem tetradrachmus erat, appellari potuit. Suidas quoque, tametſi corrupta illius verba ſunt, nonnulla eodem ſpectantia ſcribit in voce ὀβολός. τὸ δὲ τάλαντον τȣ̃ ἀργυρέȣ τῶν νῦν, τέσσαρα, καὶ νομίσματος ή. καὶ ϛ'. Sed lubrica eſt plerumque Suidæ fides; quod interdum tacito nomine, Authorum nuda verba deſcribit. Sane idem ille Scholiaſtes, ut antea docuimus ſtaterem argenteum ſignificat centum denarios colligere; quorum ſinguli LX. continent aſſes, prout altera lectio concipit. Hoc modo ſex in ſtatere ſunt aſſium, millia quot in Talento drachmæ. Scimus autem talenti nomen non ſolum exiguis ſummis, verum etiam minoribus nummis ex uſu quorumdam populorum inditum fuiſſe. Feſtus Neapolitanum talentum ſex denarium facit: Syracuſanum trium denarium: Rheginum, Victoriati. Pollux *lib.* IX. *cap.* VI. τὸ μέντοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε. τὸ μὲν ἀρχαῖον, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, τέσσαρας καὶ εἴκοσι νȣ́μμȣς· τὸ δὲ ὕστερον δυοκαίδεκα. Talentum ecce XXIV. nummorum extitit; qui ſinguli velut minæ talenti minoris eſſent. Scribit enim Suidas apud eoſdem Siculos, τὸ μὲν ἀρχαῖον fuiſſe μνῶν κδ', νυνὶ δὲ ιβ'. Quanquam pro μνῶν, Scaliger νȣ́μμων reſcribit. At totidem oboli in tetradrachmo fuerunt. Pari ergo jure ταλάντιον, alicujus populi, ac fortaſſe Cypriorum conſuetudine, follis tetradrachmus nuncupari potuit. Poſtremo quandoquidem ex Gloſſario Nomico illud habemus, Follem eſſe ὁλκὴν ἀργυρέων CXXV. quæ κεράτια, ſive ſiliquas auri valent CCXVIII. cogitandum ecquid Epiphanii verba ad eam Gloſſarum authoritatem exigenda ſint; ut primum pro δύο ἀργυρέων legamus ρκέ Tum pro σή δηνάρια, σὴ κεράτια: niſi forte κεράτια etiam δηνάρια nominentur. Tum enim Follis Talentum parvum dicetur, quod CXXV. argenteos minutos continet, quot libræ majori, ac ponderali talento tribuuntur. Sed in iis omnibus nihilo plus nobis, quam meram conjecturam, ac divinationem permittimus: ne quis hæc a nobis bona fide, ac ſerio pro veris & compertis allata ſuſpicetur.

Ex iis vero maxime illud amplector, hic hæreo: Follem Epiphanii argenteum eſſe nummum duorum argenteorum λεπτῶν, qui & milliarenſes eſſe poſſunt, æſtimatione, ac pondere, quorum ſinguli decem denarios habent: ita ut follis κ' δηνάρια colligat, quæ eſt Manuſcripti Codicis regii lectio. Aut ſi vulgatus numerus retinendus videatur, quilibet milliarenſis CIV. denarios colliget, follis CCVIII. Sed regii codicis authoritas præferenda. Ita ſine ullo fuco, & ambagibus, ſuus eſt obſcuriſſimo, ut vulgo habetur, Epiphanii loco reſtitutus nitor. Hoc igitur contenti ſimus, dum aliud nos doceant, qui omnia ſe ſcire dicunt, & mira pollicentur.

DE FOLLE ÆREO, MINUTIS,

AC RELIQUIS NUMMULIS.

DUplex apud Epiphanium follis genus eſt, ut ex ejus verbis apparet. Nam aut κατὰ τὸν ἀργυρισμὸν uſurpatur; aut κατὰ τὸν δηναρισμόν. Hoc eſt, ut ego interpretor, vel pro argenteo nummo ſumitur; vel pro æreo. Eſt enim δηνάριον recentioribus Græcis levioris nummi ſpecies, de qua poſt paulo dicam. Ideo δηναρισμὸς ſectio eſt nummi alicujus in æreas ſpecies: ἀργυρισμὸς in argenteas. Sed δηναρισμὸς duplicem capit ſenſum. Nam aut æreus nummus in ſui generis nummos, hoc eſt æreos dividitur: aut argenteus atque aureus in æreos. Poſſunt enim bifariam illi diſtribui. Imo aureus trifariam: nimirum in aureas minores ſpecies, argenteas, & æreas. Ut ſi quis ſolidum in tremiſſes, vel denarios aureos, aut alios ejuſmodi leviores partiri velit. Tum in miliarenſes aut drachmas argenteas: ac poſtremo in æra, vel chalcos. At hoc loco cum ab Epiphanio follis κατὰ δηναρισμὸν, vel ἀργυρισμὸν tribuitur: non idem eſt follis genus, ſed prior, qui κατ' ἀργυρισμὸν ſecatur, argenteus eſt follis duos argenteos continens: Poſterior æreus eſt nummus, qui in duos λεπτοὺς dividitur. Nam ſi follis argenteus κατὰ δηναρισμὸν divideretur, plures quam duos λεπτοὺς contineret. De hoc igitur poſteriori folle, qui & æreus eſt, hoc in capite diſputandum. Qui quidem varie ab authoribus circunſcribi ſolet. Suidas, & Moſchopulus φόλλεις ὀβολοὺς interpretantur. Idem Suidas: ἀσσάρια ὀβολοί. Quod ex Plutarcho *in Publicola* ſumptum videtur. Erunt ergo φόλλεις ἀσσάρια. Euſtathius in *lib.* I. *Iliad. pag.* 136. cum obolos dixiſſet in drachmam imputari ſex; ſubjicit: οἱ δὲ τοιοῦτοι, ὡς εἰκὸς, ὀβολοὶ χρόνῳ τοῦ ὕψους ὑποσπώμενοι, καὶ κατὰ μικρὸν ὑποκαταβαίνοντες, τοῦτο ὕστερον ταπεινοὺς, καὶ πεταλώδεις, καὶ ὡς ἄν τις ἐρεῖ, ἐπιπέδους ἐποίησαν ὀβολοὺς τοὺς λεγομένους φόλλεις. Ita Gloſſæ ſupra citatæ milliarenſem unum, qui κεράτια duo valet, follibus conſtare XXIV. docent, unum vero κεράτιον, follibus valere XII. Sed non quilibet oboli folles habendi ſunt; ſed minutiſſimi. Nam obolus proprie ſi ſumatur, drachmæ pars eſt ſexta, ſiliquas habens tres. Proinde cum aurea ſiliqua, ſecundum duodecuplam proportionem, duodecim ſiliquis argenteis valeat, continebit argenteos obolos quatuor. Valet autem, ut Gloſſæ ſcribunt, folles XII. Ergo obolus argenteus tres folles continebit: adeoque follis argentea erit ſiliqua. Sed leviorum nummorum appellationes confundi invicem, & uſurpari promiſcue ſolent: Veluti denarii, oboli, chalci, λεπτοὶ, ſive λεπτὰ, minuti & minuta, quadrantes, æra, folles, ærei, follærales, & id genus alii, quibus non magno ſane diſcrimine, neque certa ac conſtanti ratione, ſcriptores abutuntur. Quamobrem nihil abſurdius, fallacius nihil eſt, quam ex vetere, ac prioribus uſitata ſæculis nummulorum ad drachmam, unciamve proportione, eorumdem, cujuſmodi poſteriorum uſu ſcriptorum fuerit, pondus & æſtimationem concipere. Ut ſi quis obolum, quia ſexta pars drachmæ fuit, eadem ad argenteam drachmam ratione perpetuo definiendum exiſtimet: cum Plutarchus & Suidas aſſem obolum eſſe dicunt; aſſis porro decima quondam, poſtea decima ſexta pars denarii, ſive drachmæ fuerit. Ita chalci octo in obolo ſunt, in chalco λεπτὰ, ſive minuta ſeptem. Et tamen apud Iſidorum ultra chalcos non proceditur. Quadrans denarii quarta pars, unciarum trium olim extitit. Heſychio quarta pars eſt follis, aut etiam λεπτόν. Epiphanius ſiclum quadrantem nominat: Iſidorus unciæ quartam partem appendere ſcribit, hoc eſt drachmas duas. Heſychius, & ex eo Suidas, κοδράντην ait eſſe τὸ πᾶν, ἢ λεπτὰ δύο, Idem Heſychius ἀσσάριον & λεπτὸν unum idemque eſſe docet, & talenti ſex milleſimam partem. Vides quam horum omnium nummulorum ratio ſit incerta, utque nihil ex iiſce tricis, ac minutiis, niſi temere pronunciari poſſit. Ut non interim illud omittam; quod ad rem magnopere facit, eaſdem diverſos apud populos nummorum, menſurarum, ac ponderum appellationes non eaſdem notiones, ac poteſtates habuiſſe, ſed alibi majori æſtimatione, alibi minore fuiſſe præditas. Cujus rei infinita ſunt exempla, in quibus immorari otioſum eſt, ac putidum. Nam quod ad λεπτοὺς, quorum hic mentio eſt, ſpeciatim pertinet, quis de eo genere certi aliquid aſſeveret? Epiphanius folles κατὰ δηναρισμὸν, duos eſſe λεπτοὺς ait. Si iidem λεπτοὶ ſint ac λεπτὰ, ſeptem erunt in chalco, in obolo, qui chalcos habet octo, λεπτοὶ LVI. in drachma CCCXXXVI. Fiunt in drachma folles Epiphanii CLXVIII. in obolo XXVIII. Sed λεπτὰ apud eundem diverſa ſunt. Nam λεπτὰ ταλάντου ſupra memoravit, alia τῶν ἀσσαρίων. Scholia in Matth. ex Budenſi codice λεπτοὺς in denario, quæ eſt ſtateris tetradrachmi centeſima

ma pars, drachmæ XXV. ait eſſe decem. Ad hæc Marci XII. 42. vidua illa πτωχὴ, id eſt *mendica*, in gazophylacium injecit λεπτὰ δύο, ὅ ἐςι κοδράντης. Ergo follis idem erit cum quadrante. Hilarius in *Pſalm.* CXXVIII. minuta iſta viduæ denarios duos interpretatur, eadem voce, qua & nummi illi cenſentur, quos Samaritanus apud *Lucam cap.* X. ſtabulario in ægroti ac ſaucii ſumptus erogavit, quæ δηνάρια δύο Lucas appellat. Sed non idem nummi genus utrobique denarii voce ſignificatur. Multo enim minus eſt, quod mendica fœmina de ſua paupertate in arcam immiſit, quam quod pius ille Samaritanus in ægroti alimoniam, ac curationem contulit. Sed neque Bedæ poſſum aſſentiri, qui ad illum Marci locum viduæ minuta duo quadrantem eſſe ſicli putat, hoc eſt obolos quinque. Imo vero obolos ſex. Nam ſiclus obolos colligit XXIV. ſive drachmas IV. quarum ſingulæ ſunt ἑξώβολοι.

Sed eſt abſurdius multo, quod non nemini placuiſſe nuper didici; λεπτὰ illa duo viduæ, quos Hilarius denarios vocat, eſſe denarios illos veteres, unciæ partem octavam; quorum duo quadrantem ſemunciæ reddunt. Sic enim ratiocinatur: Quadrans, qui duos minutos habere dicitur in Evangelio, definitur unciæ pars quarta, duo minuti ſunt in quadrante, ſic minutus octava pars unciæ, ut duo minuti, quarta. Octo igitur minuti in unciam incurrunt, ut octo drachmæ; & ſic minutus, & drachma, vel denarius ſunt ἰσοδύναμα. Hæc ſi vera eſſent; ſi λεπτὸν, cujuſmodi duo vidua projecit, idem eſſet cum argenteo denario, vel drachma, non pœnitenda ſane largitio illa foret; nec eam mulierculæ ſolum mendicitas; ſed & ſuum quoque pretium commendaret: nimirum, ſi quod proxime ante dictum eſt, tantum mendica mulier erogaſſet, quantum in ægroti alimoniam ac curationem a benigno illo Samaritano eſt impenſum. Quocirca non dubia eſt ἀλογιςία; quæ ex eo nata, quod λεπτὸς, vel λεπτὰ ubique pro *denariis* ſive *drachmis* uſurpari falſo credit, ejuſque ſibi commenti, quod doctiſſimos etiam ignoraſſe dicit, authoritatem vendicat. Hoc vero & ignoratum eſſe hactenus fateor, & ignorari multo magis communium literarum intereſt, quam in lucem efferri. Eſt enim falſiſſimum. Quis duo illa viduæ minuta aliter accipiat, quam pro duobus æreolis, minimique pretii nummulis, hoc eſt chalcis, quales octo in obolo numerantur? Certe tenuiſſimum nummi genus fuiſſe ratio ipſa perſuadet. Cyrillus minuta illa obolos appellat. Ergone denarii argentei ſunt oboli, quod eandem τῶν λεπτῶν vocem Hilarius denarios interpretatur? Nugæ meræ ſunt. Denarios enim Hilarius pro æreolis uſurpavit; ut & Epiphanius, dum κατὰ δηναρισμὸν opponit ei, quod eſt κατὰ τὸν ἀργυρισμόν: idque etiam ſibi idiotiſmus noſter aſcivit. Quod vero quadrantem duo illa λεπτὰ Marcus nominat; cur unciæ potius, quam oboli, imo etiam chalci quadrantem arbitremur? Octo in drachma chalci ſunt; totidem a nonnullis in chalco minuta ſtatuuntur. Tam igitur chalci duo, oboli, & λεπτὰ duo, chalci quadrantem faciunt, quam unciæ, quadrantem denarii duo, vel drachmæ. Itaque chalcos ajo duos eſſe, hoc eſt oboli quadrantem, λεπτὸς illos viduæ. Quod & Latinus interpres agnovit, qui *Lucæ* XXI. ubi eadem hiſtoria narratur, λεπτὰ vertit, *æra minuta duo*, nempe χαλκία. Unde & χαλκολόγοι, *æruſcatores*. Nam χαλκὸς pro omni nummulorum genere paſſim accipitur.

Sed clare, inquit, hoc Epiphanius; dum ita ſcribit: Siclum, qui & quadrans vocatur, unciæ quartam eſſe partem; ſtateris ſemiſſem, ac drachmas continere duas. Duas, inquit, drachmas dixit author ille, quæ alii minuta. Hoc vero nunquam Epiphanius dixit, drachmas duas ejuſdem eſſe generis cum λεπτοῖς illis mendicæ mulierculæ: quod eſt ἄτοπον, & inauditum. Scimus quartam unciæ partem drachmas eſſe duas: quas cur Epiphanius cum Siclo confundat, cauſſam ſuo loco reddidimus. Sed has duas drachmas minuta eſſe duo, cujuſmodi vidua in gazophylacium intulit, neque probatum illic eſt, neque argumentatione ulla poteſt effici.

At ecce author eſt Heſychius, λεπτὸν eſſe ἑξακιχιλιοςὸν ταλάντε. Ergo ſex millia τῶν λεπτῶν in Talento continentur. Sunt autem in talento totidem denariorum ac drachmarum millia. Quare idem eſt minutum cum drachma. Hoc eſt probationis caput; atque ipſum tamen leviſſimum. Nam Talentum apud Heſychium non ingentem illam pecuniæ ſummam, quæ ſex denariorum millia complectitur; ſed ſolidum aureum ſignificat; ut in Libro de re Numaria Scaliger animadvertit. Sed Heſychii verba neceſſario huc adſcribenda ſunt. Κοδράντης, inquit, τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τῆς φόλεως. ἢ λεπτόν. τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακιχιλιοςὸν ταλάντε· ὅ ἐςι νόμισμα ἕν, ἢ κόκκοι τρεῖς. τὸ δὲ τάλαντον λίτραι ἑκατὸν εἴκοσι πέντε. ὁ δὲ κοδράντης νομίσματα τρία. ὁ δὲ ἔσχατος κοδράντης τὸ τέταρτον τῆς φόλεως. Mox Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ λεπτὰ δύο. τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακιχιλιοςῶν ταλάντων. Quam hæc perplexa, quamque ad authoritatem novi commenti ſint inania, nemo non videt. Quadrantem follis eſſe quartam partem aſſerit, aut minutum. Poſtea quadrantem duo λεπτὰ continere. Secundum priorem rationem quadrans ſexies milleſima pars erit

ta-

talenti: posteriori, ter millesima, quia λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου dicitur. Deinde quod erit νόμισμα illud ἕν? Idemne cum quadrante? An potius cum λεπτῷ? At subinde νομίσματα tria quadrantem esse definit. Ergo quadrans sunt νομίσματα tria, & nomisma unum. Idem quadrans, unum erit minutum, & duo minuta. Quæ omnia mendosa, inextricabilia, ac tumultuarie congesta sunt; neque ad novi figmenti testimonium valere possunt. Etenim si pro eo, quod Hesychius docet, λεπτὸν esse partem talenti sexies millesimam, ideo verum est, λεπτὸν idem esse cum drachma, quia talentum Atticum sex drachmarum millia continet: cum idem Hesychius talentum definiat libris CXXV. hoc est minis Atticis CXX. sitque duplum ad Atticum, ideoque duodecim millia drachmarum Atticarum colligat; quale fuisse supra diximus Alexandrinum talentum; cur non eodem jure concludimus λεπτὸν esse didrachmum; quoniam sex didrachmorum millia talentum illud continet, de quo Hesychius loquitur? Quanam vero fiducia id ex illa authoritate seligit, quod in rem suam facere putat: id respuit, quod ei potissimum adversetur? Cur enim de talento Attico Hesychium loqui potius affirmet, cum λεπτὸν ait ἑξακισχιλιοστὸν esse ταλάντου, quam eidem diserte loquenti testantique fidem habeat, se talentum illud intelligere, quod duplum sit Attici, & duodecim drachmarum millibus constet? Redeo igitur ad id, quod paulo ante proposueram, & talentum istic esse dico solidum aureum, sive νόμισμα. Quippe nomismatis vox recentiore sæculo ad aureum solidum plerumque restringitur. Hujus, si κατὰ δηναρισμὸν secetur, sexies millesima pars est quadrans, qui & denarius, & minutum, & aliis promiscue vocibus exprimitur. Solent enim, ut antea significavimus, permisceri invicem, & confundi appellationes illæ nummorum vilium, neque singularum proprietas ubique retinetur. Itaque quadrans alias λεπτὰ δύο complectitur, alias pro λεπτῷ sumitur. Quanquam verisimilius est in priore loco scribendum esset, ut in posteriore, ἢ δύο λεπτά, pro ἢ λεπτόν. Nam ad Marci verba respexisse videtur. Ac tum follis Epiphanii quadrans erit Hesychii: licet hujus follis, quam illius, sit major: quia follis apud Hesychium λεπτὰ continebit octo, & idem erit fortasse cum obolo. Verum cujusmodi sint utrobique folles, aut λεπτὰ, tam difficile est assequi, quam inutile scire, pronunciare vero temerarium, ac ridiculum. Sed talentum apud Hesychium esse solidum non solum ideo probabile est, quia idipsum ait esse νόμισμα ἕν: verum etiam, quod ex Cassiodoro idem potest colligi. Cujus in *lib.* I. *epist.* X. hæc verba sunt. *Sex millia denariorum solidum esse voluerunt.* Ubi Hotomanus frustra, *sex milliarisiorum*, pro *millia denariorum*, legendum conjicit. Nam duodenis milliarisis, non sex, vulgo solidus æstimatur. Retinenda proinde vulgata lectio. Ex qua sex millia denariolorum in solidum imputata discimus, quæ ab Hesychio λεπτὰ vocantur. Hoc modo si duodecim solido milliarenses attribuantur, singuli quingenta minuta, vel δηνάρια colligent. Quod cur mirum Hotomano videretur, caussæ nihil erat: cum in nostratem aureum, qui Romano duplo fere minor fuit, plures etiam minutiæ possint incurrere, si ad infimas nummorum sordes κατὰ δηναρισμὸν redigantur, quas vulgo maculas, obolos, pitas, aut aliis id genus vocabulis, appellant. Ex eo vero ratio insuper evidens est, ob quam talenti nomen solido sit impositum. Nempe, quod totidem minutiarum ac de nariolorum millia comprehenderet, quot drachmarum Atticum, ac vulgare talentum. Reliqua, quæ apud Hesychium sequuntur, peregrina sunt, & accumulata temere, ut in Glossariis assolet, in quæ variæ, ac contrariæ plerumque vocum earumdem notiones ex diversis Authoribus collectæ sub uno lemmate passim inculcantur.

Nihilo itaque ratiocinatio ista doctiores viros doctissimos efficit; ut λεπτὰ argenteos denarios esse, sive drachmas, quod hactenus ignorabant, deinceps intelligant. Non illud quidem inficiamur, ἀργύρεια λεπτὰ pro argenteis nummis accipi: Ut in Glossis illis Basilicorum, quæ solidis novem ἀργύρεια λεπτὰ tribuunt CXXV. Sed eodem modo λεπτὰ dicuntur: quo drachmas alias esse λεπτὰς, alias παχείας author est Hesychius, in voce Λεπταλέον. τὰς δραχμὰς, λεπτὰς μὲν τὰς ἐξωβόλους, παχείας δὲ τὰς πλέον ἐχούσας. Sed non statim consequens est, λεπτὰ pro drachmis simpliciter, ac sine adjectione sumi. Quemadmodum propterea quod Talentum aliud erat commodum, cui nihil deerat; aliud magnum, cui supererat: non ideo voces illæ *magnum*, vel *commodum*, simpliciter usurpatæ talentum significant. Ad eundem modum ἀργύρεια λεπτὰ Glossæ nominant minores argenteos, ut a majoribus discernantur, quales erant didrachmi, vel argentei majores; a quibus millenarii nummi, sive milliarisii ὑποσπώμενοι, & ὑποκαταβαίνοντες, ut cum Eustathio loquar, propagati fuerunt. Δικέρατοι nummi argentei priores duodecim solidum faciebant. Igitur novem solidis respondebant argentei CVIII. Totidem solidi ἀργύρεια λεπτὰ, sive milliarenses continent CXXV. Quare argenteus prior ille, qui φερωνύμως est appellatus δικέρατος, miliarensem, sive ἀργύρειον λεπτὸν continet unum,

unum, & insuper ejusdem $1\frac{17}{108}$ Ideo λεπτὸν hoc posterius vocatur. Sic argentei Philippei minutuli apud Vopiscum. Quod autem τὸ λεπτὸν, vel ὁ λεπτὸς solitarie sumpta argenteum nummum apud authorem illum significent, ac citra substantivi nominis adjectionem, non temere inficiari audeam. Illud scio, ex iis omnibus quæ ad id ostendendum allata sunt, nihil ejusmodi persuaderi posse: imo vero contraria omnia colligi. Nisi forte in illo ipso, quo de agitur, Epiphanii loco λεπτοὺς argenteos esse denarios somniare licet. Quod ex nova illa doctrina, iisdemque principiis affirmare necesse est. Non enim τὰ λεπτὰ, vel τοῦτο λεπτοὺς aliquando pro argenteis usurpari tantummodo suadet; quod ipsum tamen authoritate aliqua fulciendum erat. Sed æreos fuisse nummos omnino negat, quod est falsissimum. Nam vel hic ipse locus Epiphanii τοὺς λεπτοὺς æreos esse nummos evidenter arguit. Siquidem aliud est κατὰ ἀργυρισμὸν dividi, aliud κατὰ δηναρισμὸν: & hoc posterius idem est atque adærari, sive in æreas species distribui. Cum igitur follem dicit κατ' ἀργυρισμὸν in argenteos, κατὰ δηναρισμὸν in λεπτοὺς dividi, profecto, si quid sapimus, λεπτοὺς, negat argenteos esse nummos, æreos fatetur.

Sed ut ad follem revertar, cujus partes sunt οἱ λεπτοὶ; ne illud quidem superior illa doctrina probat, quod magnopere videri cupit, idem esse follem, ac sestertium æreum, quatenus sestertius uncialis fuit, idque Constantini, & Epiphanii sæculo. Nam ratio, qua istud evinci putat, inani est ac frivola. Hesychius, ait, quadrantem esse scribit τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως: quadrans illi dicitur de duabus drachmis: octo drachmæ in uncia. Sic duæ drachmæ quarta pars unciæ, vel follis, vel sestertii. Verum quis hoc illi concedit, Hesychium de quadrante unciæ loqui potius quam oboli, vel alterius? Quinetiam cum λεπτὸν esse dicatur idem atque drachma, quadrans vero λεπτὰ duo contineat; follis quadrantes duos, nonne iisdem ex principiis, atque ex eadem Hesychii authoritate, convincitur, follem octo drachmis constare, sive denariis? Non igitur jam æreus nummus erit, sed argenteus, sane vegrandis, in quo sestertii erunt XXXII.; nedum follis idem erit ac sestertius æreus. Quod utrum per sese verum necne sit, nihil hic affirmo. Hoc pugno, quæ ad id ostendendum allata sunt, ea cassa & inania esse maxime, & alia omnia, quam quorum caussa producta sunt, efficere.

Concludamus igitur, follem æreum ex Epiphanii mente tenuissimum extitisse nummum, qui duos λεπτοὺς, sive minuta duo contineret: ut idem & quadrans Marci Evangelistæ possit videri, λεπτοὺς porro æreolos esse, sive chalcos, cujusmodi in obolum octo numerant: ut propterea duo λεπτοὶ, κοδράντης & a Marco, & ab Hesychio nuncupentur.

DE FOLLIS OMΩNYMIA
ET AMBIGUITATE.

CUM tam diversa sit follis significatio, ut & ἄθροισμα nummorum, & argenteos, & æreos nummos exprimat, fit nonnunquam, ut ea voce sic Authores abutantur, ut quo de genere potissimum intelligendi sunt, conjectura assequi difficile sit. Interdum vero ex rei ipsius, de qua agitur, si quis paululum adhibeat judicii, nullo negotio discernitur. Hujus rei exempla non pauca suppetunt. Sed insignia maxime sunt, quæ ex Theodosiano Codice adversus Jurisconsultorum principem in superioribus adduximus. In quibus cum cætera satis explicatam rationem habeant, primus ille locus de Appellationibus temerariis, quibus XXX. *follium multa* dicitur, ambiguus esse potest. Qui tamen ex Jurisconsultorum usu, & caussæ ipsius merito dijudicandus est. Ut vel XXX. sint argentei nummi, vel totidem, uti diximus, nummorum ἀθροίσματα. Apud Alexandrinum vero Chronicon, ubi in summa annonæ caritate, panis follibus væniſſe tribus dicitur, folles non aureos, qui nulli in rerum natura fuerunt, sed argenteos interpretor, hoc est senos milliarenses.

Eusebius *lib.* X. *Hist. cap.* VI. Constantinum refert Cæciliano Carthaginensi Episcopo tria follium millia in Africanarum provinciarum Ecclesias eroganda misisse. Ibi τρισχίλιοι φόλλεις totidem sacculi sunt, nummorumque. Neque enim eruditissimo viro

ad-

adſtipulator accedam: qui de folle agens, exemplum illud inter ea promiſcue collocat, in quibus follis obolus, vel æreus eſſe dicitur: ut eſt apud Moſchopulum, ac Suidam. Tales, hoc eſt ærei, fuerunt illi, quorum meminit Auguſtinus *Lib.* XXII. *de Civit. cap.* VIII. Quo in loco miraculum quoddam recenſet, atque hiſtoriam Florentii ſartoris, hominis egentiſſimi, qui ad XX. Martyrum memoriam orans, pecuniam ad veſtes emendas ab illis poſtulavit: *eumque diſcentem*, inquit, *adoleſcentes, qui aderant, exagitantes proſequebantur, quaſi a Martyribus quinquagenos folles, unde veſtimentum emeret, petiviſſet*. Mox ille diſcedens ejectum in litore piſcem ingentem reperit, quem cuidam coquo trecentis follibut vendidit. Hæc Auguſtinus. Sane folles iſti non argentei ſunt, ut opinor; (neque enim tanti piſcis unus a coquo redimeretur, nempe ſexcentis milliarenſibus, aut majoribus etiam argenteis, qui ſi didrachmi fuerint, mille ac ducentos denarios argenteos reddunt) verum ærei nummi fuiſſe videntur, alterius plane ſpeciei, quam Conſtantiniani illi, quorum tria millia per univerſas Africæ, Numidiæ, ac Mauritaniæ Eccleſias imperator ille diſtribuit. Quare ambo illa exempla minime confundenda fuerunt. Quod idem & de follibus illis quadringentis æſtimare licet, quos Lucilla clariſſima fœmina pro Majorini ordinatione dedit; quorum in cauſſa Donatiſtarum frequens occurrit mentio; ut apud *Aug. lib.* III. contra *Creſcent.* Ridicule enim folles iſtos ejuſdem generis cum trecentis illis eſſe dixeris, quibus piſcem ſartor ille permutavit. Quare ad argenteos folles pertinere puto. Eadem in cæteris exemplis, quæ paſſim occurrunt, adhibenda cautio eſt, ut pro argumenti ratione, & ex orationis ἀκολουθίᾳ divinandum ſit, de quo follis genere ſermo ab Authoribus inſtituatur.

Κατὰ δηναρισμὸν, καὶ οὐ κατ᾽ ἀργυρισμόν.) Jam hæc a nobis explicata ſunt. Oſtendimus δηνάριον æreolum nummum poſterioribus temporibus appellatum fuiſſe. Unde δηναρισμὸς, ἀργυρισμῷ cœptus eſt opponi. Sic accipiendus eſt haud dubie denarius apud Macrobium *lib.* I. *cap.* VII. cum de vetere figura nummis impreſſa ita loquitur: *Æs ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu; cum pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut navim, luſu teſte vetuſtatis, exclamant*: Sic & apud Vopiſcum in Aureliano *æris denarii centum*, minuti nummi ſunt, non decuſſes ærei. Fruſtra igitur Hotomanus ex iis locis concludit Denarium æreum fuiſſe nummum pretii ac ponderis decem aſſium. Nam denarii ſunt illic minutiſſimi nummi, hoc eſt chalci, & æreoli, vel alii paulo majores, minoreſve. Imo & pro aſſibus veteribus accipi videntur. Ut cum Scholia Budenſis Cod. denarios drachmæ tribuunt decem. Sed & alia veterum teſtimonia, quibus fretus Hotomanus contra Budæum contendit, denarium fuiſſe non argenteum ſolum, ſed etiam æreum denis aſſibus æſtimatum; nihil prorſus efficiunt. Hoc enim perſuadent, unum denarium, qui argenteus nummus eſſet, denis aſſibus valuiſſe. Ita Vero *lib.* IV. *de* L. L. *Quod primum eſt*, inquit, *ab decem aſſibus, decuſſis; ſecundum ab duobus, decuſſis*. Tum Feſtus his verbis, *Grave æs dictum a pondere, quia deni aſſes ſinguli pondo libræ efficiebant denarium, ab hoc ipſo dictum denarium*. Quis ex hoc loco merito colligat, denarium, ſive decuſſum æreum fuiſſe? Non magis opinor, quam ex altero Plutarchi, quem ex Camillo citat: Ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον καὶ τὸ δεκάχαλκον οὕτως ἐκαλεῖτο δηνάριον. Aut ille Vitruvii *lib.* III. *cap.* I. *Noſtri primo decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos aſſes conſtituerunt, & ea re compoſitio numeri hodiernum diem Denarii nomen retinet*. Cum, *primo*, dixit Vitruvius, Hotomanus oſtendi putat, ante argenteum ſignatum, æreum fuiſſe denarium. Verum illud ſolum Vitruvius indicat; denarium argenteum principio denis aſſibus æſtimatum; poſtea vero ſedecim, ut ex Plinio, Tacito, aliiſque notiſſimum eſt. Nullus igitur, quod quidem ex allatis ab Hotomano teſtimoniis conſtet, denarius, ſive decuſſis æreus fuit; uti nec centuſſis, quandiu quidem librales aſſes extiterunt. Neque enim tam graves nummi ærei cuſi videntur. Sed decuſſis æreus ἄθροισμα fuit aſſium æreorum decem: centuſſis, centum. Denarius vero, argenteus nummus decem aſſium æreorum olim pretio, non pondere, taxatus.

Μάρης μέτρον ἐστί. Meminit hujus menſuræ Ariſtoteles *lib.* III. *de Hiſt. Anim. cap.* IX. ἔστι δὲ ὁ μάρις ἕξ κοτύλαι. Cotylæ ſive heminæ in ſextario duæ ſunt. Igitur Maris, vel Mares ſextarios duos capit. Porro hydria idem atque urna videtur. Quæ congios quatuor continet. Congius ſextarios ſex. Mares ergo Ponticus Macedonico, & Ariſtoteleo multo major eſt. Nam hydrias Ponticus duas complectitur; hydria decem ſextarios. At Polyænus *lib.* IV. Marin habere ſcribit congios decem Atticos, adeoque ſextarios ſexaginta. Vides quam varium, & incertum ſit menſurarum iſtiuſmodi negotium.

Ὥστε εἶναι τὸν χύτρον.) Imo ὥστε εἶναι τὸν μάρην. Nam id ratiocinatio poſtulat. Si Mares hydrias capit duas, hydria ſextarios decem, neceſſario Mares ſextarios decem continet.

Κύ-

Κύπρος παρὰ τοῖς αὐτοῖς Ποντικοῖς.) Κύπρȣ, & ἡμικύπρȣ mentio eſt apud Pollucem *lib.* IV. *cap.* XXIV. Heſychius Κύπρος μέτρον σιτήριον, ἢ κεφάλαιον ἀριθμȣ̃. Æram ergo ſignificat præterea. Sed Epiphaniani calculi perverſa ſubductio eſt. Scribit enim Cyprum Ponticum ex modiis duobus confici, quod ipſum chœnicibus quinque circunſcribitur. Amboſne modios, an ſingulos Ponticos totidem conſtare chœnicibus ſtatuat, non ſatis declarat. Sed utcumque cenſeat, ratio minime cohæret. Sunto modii duo quinorum chœnicum. Cum igitur chœnix apud Ponticos ſextarios capiat quinque, erunt in Cypro ſextarii quinque & viginti: non viginti. Quare, uti numerus conſtet, chœnix ſextariorum quatuor conſtituendus erat, quot etiam Fannius aſſignat. Etſi diverſa de chœnicis modo Scriptores alii ſentiant. Lego itaque χοῖνιξ παρ' αὐτοῖς ξεςῶν ἐςι τεοσάρων.

Κόλλαθόν ἐςι παρὰ τοῖς Σύροις.) Satum aridorum menſuram eſſe conſentiunt omnes. Quare notandus hic locus, qui ὑγρὸν etiam ſatum commemorat.

Κογγιάριον δὲ μέτρον.) Hebræos intelligit recentiores. Nam in puro Hebraiſmo vox eſt inaudita. Cujus origo Grammaticis haud ignota. Hanc a *congerendo*, niſi fallor, Epiphanius deducit. Quod aliud agenti, ut fit, excidit.

JOHANNIS BUXTORFII
DISSERTATIO
DE
LITERARUM HEBRAICARUM
GENUINA ANTIQUITATE.

THESIS PRIMA.

NObilis eſt & antiqua, *de Literis Hebræorum*, controverſia; *Quibuſdam*, Literas Samaritanorum pro veris, germanis, & primigeniis Hebræorum literis venditantibus; eas autem, quibus hodie Judæi in deſcribendis Sacris Voluminibus utuntur, Aſſyriorum olim proprias, & ab Eſra Sacerdote demum, poſt captivitatem Babylonicam, prioribus abrogatis, & Samaritis relictis, in illarum locum ſubſtitutas, & Judæis inpoſterum uſurpandas, traditas fuiſſe, ſtatuentibus: *Aliis* contra firmiter aſſerentibus & aſſeverantibus, Literas iſtas Hebraicas quadratas, quibus Hebraica Biblia exarata paſſim extant, veras & genuinas eſſe & fuiſſe Hebræorum literas, atque adeo adhuc eaſdem plane, quibus Lex a Deo Tabulis inſculpta fuerit.

II. Utraque ſententia, & olim & etiamnum hodie, tam inter Hebræos, quam inter Chriſtianos, ſuos habuit & habet propugnatores ac patronos. Quamvis eo fere inter noſtros res devenerit, ut prior ſententia longe plures, eoſque nec vulgaris nec infimæ notæ, aſſeclas nacta fuerit, qui prætoriam plane in hac quæſtione ſententiam ferentes, diſſentientes nec ferendos nec audiendos judicant. Divus Hieronymus dicit indubitanter; *Certum eſt, Eſdram alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur, &c.* Bellarminus de Verbo Dei *lib.* 2. *cap.* 1. ex Hieronymi dictis concludit, *ſine dubio nos novas literas habere*. Magnus ille Joſephus Scaliger, in Animadverſionibus ad Chronol. Euſebii, ſevere pronuntiat; *Putare veterum Hebræorum alias fuiſſe literas, quam quæ in illis ſiclis* (Samaritanis literis notatis) *viſuntur, & quæ ſub Regibus Juda in commerciis Judæorum erant, extremæ & inſaniæ eſt & imperitæ*. Et iterum: *Eæ literæ, quibus hodie Judæi ſacros libros, & omnia acta ſua conſcribunt, nuperæ ac novitiæ ſunt, ex Syriacis depravatæ, illæ autem ex Samaritanis, quod cum luce clarius ſit, tamen quidam ſemidocti, ſemitheologi, &, ut ſignantius loquar, ſemihomines, non ſolum Judaicas literas vere Hebraicas eſſe priſcas audent dejerare, ſed etiam impios putant, atque adeo palam vocant, qui aliter ſentiunt. Miſeram vero doctorum & piorum hominum conditionem, ſi doctrinæ & pietatis ſuæ non alios teſtes ha-*

haberent, *quam asinos*. Isaacus Casaubonus in Exercit. contra Baron. fol. m. 445. 1. *Certum est*, *literarum Hebraicarum figura bodiernas*, *post Ezechielem*, *& captivitatem*, *fuisse inventas*. Et mox: *Nam priores characteres Hebræorum*, *consensu omnium eruditorum*, *apud Samaritanos remanserunt*, *& inde quoque illis usurpantur*. Doctissimus Johannes Drusius, ad difficiliora loca Exodi, cap. 56. arbitratur, rem hanc tam esse claram, *ut nemo amplius*, *nisi forte alter Carneades*, *qui de rebus omnibus dubitare solebat*, *eam in dubium vocare ausit*. Summorum horum virorum de Novitate literarum Hebraicarum judicia, ambabus manibus amplectuntur Punctorum Novitatis patroni, tamquam in rem suam apprime facientia, iis insuper Hebræorum consensum & assensum adjungentes. Eruditus *Arcani punctationis revelati* author lib. 1. cap. 6. scribit: *Agnoscunt Judæi*, *& vero ultro fatentur*, *literas*, *quibus jam ab Esdræ tempore descripta sunt*, *& etiamnum hodie describuntur atque excuduntur Sacra Biblia*, *non esse antiquas Hebræorum literas*, *quibus Moses*, *cæterique Veteris Testamenti ad Esdram usque scriptores*, *sacros libros descripserunt*, *sed esse Chaldaicas literas*, *quibus Esdras post reditum a captivitate Babylonica totum Vet. Test. Canonem descripsit*, *posterisque reliquit*. Sic scribit audacter Johannes Morinus in Exercitationibus Ecclesiasticis in utrumque Samaritanorum Pentateuchum, Exercitat. 2. cap. 1. *Judæi fere omnes*, *quorum id totum interest*, *nobis præ cæteris assentiuntur*, (in hoc sc. quod character, quo Lex primum scripta est, sit Samaritanus). Et cap. 2. *Judæorum de primigeniis literis suis tripliciter dividuntur sententiæ*. *Omnes tamen Samaritanas Hebræas esse fatentur*. Item: *Sed antiquissimorum atque recentiorum major & sanior pars*, *Legem in monte Sinai*, *Mosi a Deo characteribus Samaritanis datam esse*, *ultro concedit*.

III. Hæc & alia ejus generis, apud hos & alios viros eruditos, passim leguntur, quorum fulgor, & vel sola, de summa literaturæ Hebraicæ exquisita cognitione, egregia fama, alios ejusdem minus peritos, non difficulter in eandem sententiam pertraxit.

IV. Equidem cum nemine super hac re acrius contendere aut disceptare mihi est propositum. Quia tamen altera sententia, de Literarum Hebraicarum antiquitate, nimis frigide hactenus mihi videtur expensa, & indicta causa condemnata, nec ullus ex omnibus nostris, qui hanc quæstionem hactenus tetigerunt verius quam tractarunt, visus, qui altius in Hebræorum sententiam inquisiverit, eamque ex confusis Historiæ Hebraicæ ruderibus paulo accuratius eruerit, nec ingratam, nec inutilem Lectori rem me facturum existimavi, si post Linguæ Hebrææ Historiam explicatam, operam etiam aliquam in obscuram & intricatam istam Controversiam conferrem, eamque, quoad pro ingenii mei tenuitate fieri potest, aliquanto planius & plenius expedirem. Asserta enim Literarum Hebraicarum genuina Antiquitate, simul & Linguæ Hebrææ sua dignitas, & Textui Hebræo sua Authoritas & Majestas, tanto magis & validius asseritur & vindicatur.

V. Quamvis autem haudquaquam sperare ausim, me hoc assequuturum, ut omnibus satisfaciam, ultimamque Literarum Hebraicarum antiquitatem *ἀναμφισβητήτως* probem ac persuadeam; id tamen me effecturum confido, ut ostendam, nequaquam ita ab omnibus præsidiis & rationibus imparatam ac desertam esse eam sententiam, ut, qui eam sequuntur ac tuentur, *vel ex doctorum*, *aut Theologorum*, *aut hominum prorsus censu*, *tanquam ἄλογοι sint excludendi*, *vel insaniæ & imperitiæ*, *ut* ריקי שוח *vacui cerebro*, *accusandi*, *vel Carneadi*, *tamquam puri Sceptici*, *accensendi*. Quin imo gravissimis testimoniis solide evincam, tantum abesse, *ut vel Antiquissimorum vel Recentiorum Hebræorum*, *seu major*, *seu melior pars*, *Legem a Deo Mosi*, *in monte Sinai*, *literis Samaritanis datam esse*, *ultro fateatur & concedat*; ut potius utrorumque pars utraque, utroque pollice alteram sententiam laudent, plenisque linguis & animis ei faveant.

VI. Ut vero & methodice & perspicue nostra Dissertatio procedat, *primo* omnium Statum Quæstionis formabimus & proponemus, ut recte, quid id sit de quo quæritur, constet: *deinde*, utriusque partis argumenta & fundamenta considerabimus & expendemus.

VII. *Statum Quæstionis* quod attinet, quomodo ille ad præsentem nostrum scopum sit formandus, ex Thesi prima jam animadverti potest. Quærit enim;

Utrum

Utrum Figura ea Literarum Hebraicarum, quæ hodie vulgo Sacra Biblia Hebraica descripta & impressa videmus, eadem sit, quam Moses in Tabulis a Deo accepit, & inde ab eo tempore inter Judæos extiteris?

VIII. Ad recte intelligendam Quæstionem hanc, uti etiam ea, quæ in sequentibus dicentur, maxime in testimoniis Hebræorum, quæ adducturi sumus, præmittenda sunt quædam, pertinentia ad explicationem tum *Subjecti*, tum *Prædicati*. Circa *Subjectum* sciendum, nos hic quærere de illa Scriptura, qua Hebræi utuntur, non in suis Commentariis, sed in Libris Biblicis. Eam Scripturam ipsi communiter appellant כתב מרובע *Scripturam quadratam*. Talmudici, & ad illorum imitationem posteriores quoque Hebræi, sæpe eam appellant אשורי h. e. *Assyriam*, ut quidam interpretantur. De hujus appellationis ratione plura in sequentibus *Th.* 68. dicentur. Hic duntaxat monemus Lectorem, cum vel in transferendis quibusdam Rabbinorum dictis & Testimoniis, vel in iis explicandis, כתב אשורי *Scripturæ Assyriacæ* mentionem faciemus, nos eam ipsam Scripturam, de qua est quæstio, Hebraicam videlicet hodiernam, intelligere, & συγχωρητικῶς hanc vocem usurpare. Ita sæpe כתב עברי *Scriptura Hebræa vel Transfluvialis*, eodem modo sumetur pro Scriptura Samaritana, de quo ulterius infra agitur Th. 50. Circa *Prædicatum*, sciendum, *primo*; Nos hoc præcipue quærere de hac Scriptura; Utrum sit adhuc eadem, quam Moses a Deo in monte Sinai accepit? *secundo*. Utrum ab eo Tempore semper alicubi, sive publice, sive privatim, inter Judæos extiterit?

IX. His sic præmissis, ad Quæstionis Tractationem ipsam accedemus. Sunt, ut supra vidimus, qui ejus tenent Affirmativam, sunt qui Negativam, unde duplex exurgit nostra Tractatio. I. Κατασκευαστικὴ, sententiæ Affirmativæ. II. Ἀνασκευαστικὴ, sententiæ Negativæ. Videamus ergo primo Κατασκευαστικήν.

I.
ΚΑΤΑΣΚΕΤΗ,
Sententiæ Affirmativæ.

X. Hanc quod attinet, asseritur ea, *Figuram Literarum Biblicarum Hebraicarum hodiernam, eandem esse, qua olim Deus, Digito suo, Legem, duabus Tabulis, Mosi in monte Sinai traditis, inscripsit*; ac proinde negatur; *Illam ab Esdra demum, post captivitatem Babylonicam, vel ab Assyriis mutuatam, & Judæis usurpandam traditam, vel de novo confictam & inventam esse*.

XI. Ad assertionis hujus confirmationem adhibentur *Argumenta* tum *Inartificialia*, tum *Artificialia*; sive, *Testimonia*, & *Ratienes*.

XII. *Inartificialia*, h. e. Testimonia, sunt duplicia, vel *Personarum*, vel *Rerum*. Et Testimonia *Personarum* iterum vel *Hebræorum*, vel *Christianorum*.

XIII. *Testimonia* itaque *Personarum* quod attinet, cum de Hebræorum Literis agatur, rite & ordine, ni fallor, procedemus, si ab Hebræorum testimoniis exordium ducamus, & illos primo omnium audiamus. Sunt autem illa vel *Veterum*, vel *Recentiorum*.

XIV. Ex *Veteribus Hebræis*. Primum locum sibi vendicant באים *Tannaim* h. e. *Deuterotæ*, *Doctores Mischnici*, *Authores Mischnæ seu Textus Talmudici*, tamquam apud ipsos antiquissimi. Illi enim originem suam, per continuam successionem acceptionis Legis oralis, deducunt inde a Mose, & terminant in R. Jehudah hakkadosch, qui floruit sub Imperatore Antonino, Anno Christi 150. Ex illis huic sententiæ favet *R. Jehudah*, a pietate, eruditione, & præstantia, cognomento *Hakkadosch Sanctus*, & *Hannasi Princeps*, sæpius etiam κατ' ἐξοχὴν *Rabbi*, vocitatus, quique ideo ut plurimum meruit, ut, inter varias Doctorum opiniones, secundum ipsius sententiam decisio fiat. Hic ergo quid de hac Quæstione senserit, refertur in Gemara Talmud Babylonici, Tractatu Sanhedrin *cap.* 2. *fol.* 21. 2. & *fol.* 22. 1. his verbis; תניא ר' אומר בתחילה בכתב זה נתנה תורה לישראל כיון שחטאו נהפך להן לרועץ: כיון שחזרו בהן החזירו להם שנא' שובו לביצרון אסירי התקוה גם היום מגיד משנה אשיב לך למה נקרא אשורית שמאושרת בכתב: hoc est, *Traditio*: Rabbi (id est *Rabbi Jehudah hakkadosch*) *dicit*; *Ab initio in Scriptura ista data est Lex Israeli*: *Posteaquam autem peccaverunt, conversa est ipsis in fra-*

ram: Cum vero redirent (ad Deum per pœnitentiam) *reſtituit eam ipſis*, *ſecundum illud*, Convertimini ad munitionem, o vincti ſpei: etiam hodie annuntio vobis, me reſtituturum vobis duplum, Zach. 9. 12. *Quare vocatur* Aſchurith? *quia eſt* Meuſcheres *beatificata per Scripturam*, *vel in Scriptura*.

Ad intelligendum ſenſum & vim verborum horum, ſciendum I. Traditionem hanc eſſe *Barajetham*, hoc eſt, Extraneam, a R. Jehudah in Academiis Babyloniæ traditam & deciſam: hic vero a Compilatoribus Gemaræ referri, prout infinitæ tales traditiones in Gemara extant, quibus præfigitur תניא, vel מתניתא *Traditio*, Δευτέρωσις. II. Sententiam ejus eſſe, Legem primitus datam eſſe ea literarum figura, quæ *Aſchurith* vocatur. III. *Aſchurith* hic non ſumi *proprie* pro *Aſſyriaca* ſcriptura, ſed *appellative*, a verbo אשר *Iſcher* vel *Aſchar*, quod ſignificat *Beatum reddere vel facere*, ac proinde ſignificare *Scripturam Beatam*, quod Nomen huic Scripturæ ideo competat, quod ea, per datam & ſcriptam in ea Legem a Deo, facta ſit Scriptura omnium Beatiſſima; vel quod ſit omnium ornatiſſima ac decentiſſima. IV. Poſtea, peccatorum ipſorum cauſa, in oblivionem deveniſſe inter Iſraelitas, non quidem in univerſum, & apud omnes, ſed in communi uſu, & inter pleroſque, plebem maxime; ac in Scripturam aliam, Samaritanam ſcil. hodie dictam, mutatam. Indicat hoc iis verbis, quando ait, נהפך להם לרועץ *Converſa eſt ipſis in fracturam;* de quorum verborum ſenſu varie diſputant Hebræi, ut videre eſt apud R. Aſariam in Meor Enajim *cap.* 56. omnes tamen in hoc conveniunt, ſignificari hac phraſi, vel Oblivionem, vel Mutationem Scripturæ iſtius priſcæ, in qua Lex data fuit. Tempus mutationis non definit. V. Tempore Eſdræ poſtliminio reſtitutam ac redditam ipſis fuiſſe Scripturam, quam primitus habuerant. Probat hoc ex *Zach. cap. 9. verſ.* 12. quæ verba ita ſuo propoſito accommodat; *Convertimini ad munitionem;* urbem munitam Jeruſalem, tempore Templi ſecundi; *Et annuntio vobis*, *me reſtituturum vobis duplum*, h. e. Pro eo quod oblitus fueras Scripturam dupli ſive exemplaris Legis hujus, reſtituam tibi id cujus oblitus fueras: *Vel hoc ſenſu*; Et reſtituam tibi mutatam Scripturam Legis. Nomen enim משנה Miſchne, *Duplum*, *Exemplar*, derivatur a radice שנה Schanah, *Mutare*: *Iterare*; unde volunt, Legem hic a Propheta, & a Moſe *Deut.* 17. 18. משנה Miſchne, *Duplam* vel *Secundanam* vocatam fuiſſe, quod ejus Scriptura *Mutari*, vel *Iterari* & *ſecunda vice dari*, debuerit. Hæc eſt mens & ſententia R. Jehudæ Sancti, quæ etiam legitur in Talmud Hieroſolymitano, Tractatu Megilla, ſed verbis paulo diſertioribus, quam in Babylonico, unde & illa hic adſcribemus: ר' אומר אשורית ניתנה תורה וכשחטאו נהפך להם לרועץ וכשזכו בימי עזרא נהפך להן אשורית שנ' גם היום מגיד משנה אשיב לך: וכתב לו את משנה התורה הזאת על ספר כתב שהוא עשוי להשתנות: *Rabbi* (Jehudah) *dicit*; *Scriptura* Aſchurith (ut antea) *data fuit Lex: cum vero peccaſſent*, *converſa eſt ipſis in fracturam. At cum pœnitentiam agerent in diebus Eſdræ*, *reddita eſt ipſis* Aſchurith *beatificata iſta Scriptura*, *ſecundum illud;* Etiam hodie annuntio vobis, me reſtituturum vobis duplum, *Zachar. 9. verſ.* 12. *Item*; Et ſcribet ſibi (Rex) משנה Miſchne, Duplum Legis hujus in libro; *Scriptura ſcil. quæ duplicanda*, *h. e. iteranda*, *iterato danda*, *vel mutanda eſt*.

Poſt R. Jehudam Sanctum ſequuntur ibidem, *R. Schimeon*, *&* *duo Eleaſari*, qui idem, imo paulo amplius, teſtantur. Verba ſunt: ר"ש בן אלעזר אומר משום ר' אלעזר בן פרטא שאמר משום ר' אלעזר המודעי כתב זה לא נשתנה כל עיקר שנ' ווי העמודים: מה עמודים: ואומר אל"י היהודים ככתבם וכלשונם מה לשונם לא נשתנה אף כתבם לא נשתנם: h. e. *Scriptura iſta nunquam prorſus fuit mutata*, *ſicut liquet primo ex eo quod dicitur*, ווי עמורים Vav ſive Uncini columnarum, *Exod. 27. verſ.* 10. 11. &c. *Quæ eſt enim ratio columnarum? non mutantur. Sic etiam Vav non mutantur vel mutata ſunt: deinde ex eo*, *quod ſcriptum eſt;* Et ad Judæos ſecundum ſcripturam ipſorum, & ſecundum linguam ipſorum, Eſth. 8. 9. *Quæ eſt ratio linguæ ipſorum? Illa nunquam mutata eſt*: (in Bibliis ſc.) *ſic & Scriptura illorum nunquam mutata eſt*: in Talmud Hieroſolymitano Megilla *cap.* 1. idem his verbis legitur: כתב אשורי ניתנה תורה מה טעמא ווי העמודים ווים של תורה רומים לעמודים: *Quod in ſcriptura Aſſyriaca data ſit Lex*, *quænam eſt ejus rei ratio?* Id quod dicitur; Vav columnarum, *Exod.* 27. 10. *Inde enim concludimus*, *literas Vav in Lege ſimiles fuiſſe Uncinis*. Horum Rabbinorum ſententia eſt paulo alia, quam R. Jehudæ; videlicet, quod nulla unquam mutatio contigerit Scripturę iſtius, ſed eadem ſemper fuerit. Hęc vero differentia huic ſententię nihil obſtat; quia in hoc conſentiunt, Literas illas, quas hodie habemus, eas eſſe, quibus lex olim Moſi a Deo data fuit. Probant id duplici argumento;

to; *Primo* ex eo, quod *Uncinii* in Lege Mosis, seu, in lingua Hebræa, a Mose vocentur ווין *Vavin*, *Vav*, a figura scil. literæ *Vav*. Unde concludunt, tempore Mosis jam literam *Vav* pictam fuisse instar *Uncini*, sicuti hodie, & per consequens non mutatam esse. Quæ autem ratio est literæ unius, eadem procul dubio etiam reliquarum. *Deinde* ex eo, quod *Esth.* 8. *vers.* 9. *Lingua & Scriptura Judæorum* conjungantur. Unde concludunt, Judæos, sicut Linguam immutatam in Sacris retinuerunt, ita & Scripturam.

Quam bene & apposite argumententur isti omnes, jam non attingo; Utrum videlicet Uncini a figura literæ Vav sint vocati, vel, An figura Literæ a Re sit nuncupata? Tantum authoritatibus nunc agimus, & veterum Rabbinorum testimonia quærimus, qui sentiunt, Literas illas Hebraicas, quas hodie habemus, esse adhuc easdem, quæ olim tempore Mosis fuerunt, & quibus Lex est data.

XV. Ad Mischnicos Doctores referendus quoque est *Rabbi Eliesar Hakkalir*, Tanna antiquissimus, e terra Israelis, uti videre est in Tzemach David *part.* 1. *fol.* 40. *col.* 1. & in Juchasin *fol.* 34. *col.* 2. Hujus pro hac sententia testimonium legere est in מחזור *Machsor*, qui est liber Precum Judaicarum, quo in Festis majoribus maxime utuntur. In eo enim extat Precatio rhythmica sub ejus nomine, sub literis initialibus rhythmorum latente, in Die primo חג שבועות *Festi septimanarum* seu Pentecostes, quæ incipit: אז בכתב אשורית ובלשון עברית, ובדבור מצרית, הנחלת לבת עברית: h. e. *Tunc* (sc. in datione legis) *Scriptura Assyriaca, & Lingua Hebraica, & Pronunciatione Ægyptiaca, hæreditare fecisti filiam Hebraicam* (i. e. Ecclesiam Hebraicam seu Judaicam). Hic expresse quoque dicit, quod Lex data sit Scriptura Assyriaca, h. e. Scriptura hodierna, quæ sic vocatur, ac proinde nequaquam sensit, quod Esræ demum tempore vel de novo excogitata, vel ab Assyriis mutuata fuerit. In Machsor Germanico verba illa sic a Judæis redduntur: Denn da du hast geben die Torah zu Israel, hast du geben sie im besten Ksaf (Schrifft) das da heißt Ksaf Asschuris, und in Laschon hakkodesch, &c.

Huc referendum quoque sequens, quod legitur in Talmud Sevachim *cap.* 6. *fol.* 62. *col.* 1. his verbis; א״ר יוחנן שלשה נביאים עלו עמהם מן הגולה אחד שהעיד עליהם על המזבח ואחד שהעיד עליהם על מקום המזבח ואחד שהעיד להם שמקריבין אע״פ שאין בית במתניתא תנא ר׳ אלעזר בן יעקב אומר שלשה נביאים עלו עמהם מן הגולת אחד שהעיד להם על המזבח ועל מקום המזבח ואחד שהעיד להם שמקריבין אע״פ שאין בית ואחד שהעיד להם על התורה שתכתב אשורית: h. e. *Dixit R. Jochanan; Tres Prophetæ ascenderunt cum Israelitis ex captivitate; Unus, qui testatus est ipsis de Altari* (h. e. forma altaris, &c. qualis fuerit): *Unus, qui testatus fuit ipsis de Loco altaris* (ubi scil. fuerit) *Unus denique qui testatus fuit ipsis, quod oblationes fiant, etiamsi nulla fuerit domus* (nullum templum adhuc) *In Mathneta traditum est: R. Eliesar filius Jacob dixit; Tres Prophetæ ascenderunt cum ipsis ex Captivitate: Unus, qui testatus fuit ipsis de Altari, & de Loco altaris: Alter qui testatus fuit ipsis, quod oblationes fiant etiam absque templo. Tertius, qui testatus fuit ipsis, quod Lex scribenda sit Assyriace* (h. e. quod Legem non amplius Literis transfluvialibus debeant scribere, ut hactenus vulgo solebant; sed Assyriacis in universum, etiam in vulgaribus exemplaribus): vel potius; *quod Lex* (ab initio scil.) *scripta fuerit Assyriace*, seu *Assyriacis Literis*. Nam in Jalkut, in libro Chronicorum *fol.* 161. *col.* 2. ubi hic locus ex Talmud adducitur, pro שתכתב אשורית: *Quod Lex scribenda sit Assyriace*; legitur in præterito tempore; שנכתב אשורית: *Quod scripta fuerit Assyriace*. Quæ lectio non repudianda videtur: quia reliqua etiam, de quibus cæteri duo Prophetæ testati esse dicuntur, fuerunt de rebus præteritis & antea usitatis, non de rebus futuris. Et verbum *Testandi* id evincit: Testimonium enim non editur de eo quod futurum vel faciendum est, sed de eo quod fuit vel factum est. Quod si quis vero priorem lectionem & interpretationem urgeat, exponendum id est eo sensu, quo alia similia testimonia, de quibus *Thes.* 42. & 43. Et Tres illi Prophetæ dicuntur in Glossa fuisse, Haggæus, Zacharias & Malachias.

Et hæc sunt testimonia *Tannaim*, seu *Mischnicorum*.

XVI. *Secundum* locum sibi vendicant אמוראים *Amoraim*, Scaligero Γνωμολόγοι dicti, h. e. *Gemarici*, *Authores Gemaræ*, *seu Complementi Talmudici*. Ex his est primo רב חסרא *Raf Chasda*, in Talmud Babylonico, Tractatu Megillah *cap.* 1. & de Sabbatho, *folio* 104. *col.* 1. dum ait; מ״ם וסמ״ך שבלוחות בנם היו עומדין *Mem & Samech, quæ in Tabulis erant, miraculose stabant*. Hujus dicti hic est sensus; Volunt Hebræorum quidam, Sculpturam literarum Decalogi in Tabulis fuisse perforatam, transeuntem, ita ut figura literarum ab utraque parte conspicua fuerit. Jam vero, cum Mem finale

&

& Samech ex omni parte ſint clauſa, inſtar alicujus circuli, vel O apud Latinos, per ejuſmodi ſculpturam tranſeuntem in alterum latus, pars media ſolida in illis literis, nullibi amplius adhæſit, nullamque ſubſiſtentiam, ut in aliis literis habuit, ſed naturaliter excidere debuiſſet, qua ratione neceſſario figura literæ deſtructa & corrupta fuiſſet. Quod ergo non excidit, atque ita figura illarum literarum incorrupta manſit, id miraculo adſcribit hic Rabbi Chaſda; unde dicit, *Duas illas literas miraculoſe ſubſtitiſſe*. Quam recte hoc dicatur, jam dictum a nobis in Diſſertatione de Decalogo, Th. 30. Hic vero nihil intereſt, recte an ſecus dicatur. Eo duntaxat hic adfertur, ut appareat, hunc Raf Chaſdam ſtatuiſſe, His literis Hebraicis, quas nos habemus, Legem in Tabulis fuiſſe exaratam; non vero charactere Samaritano. Nam in lingua Samaritana iſtæ duæ literæ eam figuram non habent, ut miraculoſe illas ſtare vel ſubſiſtere neceſſe fuerit. Mentionem hujus facit quoque Guilelmus Poſtellus in libello de Originibus, ſeu, De varia & potiſſimum orbi Latino ad hanc diem incognita, aut inconſiderata hiſtoria, Baſileæ apud Joh. Oporinum edito, Ann. 1553. ſcribens; *Alio etiam argumento certificamur, quod literæ Hebraicæ proſtantes ſint Moſis, & per conſequens Adami. Viſu enim ipſo totus Iſrael eſt certificatus, ut continua memoria per Miſchnajoth ſeu Deuteroſes, & per utrumque Talmud conſtat, quod Mem finale & Samech ſtabant miraculoſe in Tabulis: unde fractis illis remanſerunt illæ ſolæ literæ in ſuo medio ſolidæ, ſicut remaneret O. Atqui in nulla alia lingua mundi poteſt verificari, ut Samech & Mem finale ſint ſimiles, & omnino clauſæ, niſi in ea quæ nunc eſt Hebraica*. Præter hoc miraculum aliud quoque argumentum latet in hoc teſtimonio, videlicet; *Quod in Tabulis Mem finale fuerit*. Atqui ut mox videbimus, lingua Samaritana literas illas finales non habet.

Iterum in Talmud Babylonico, Tractatu Megillah, *cap.* 1. dicit *Rabbi Jeremias*, vel ut alii volunt, *Rabbi Chijah bar Abba*, מנצפך צופים אמרום h. e. *Literas* מניצפך, *id eſt, Quinque literas duplices, Mem, Nun, Tzade, Pe & Caph, Videntes vel Prophetæ dixerunt eas*. Hoc ita deinde ibi explicant, quod Prophetæ non primi has literas invenerint vel excogitarint, aut ordinarint; ſed quod, poſteaquam ſeu in oblivionem, ſeu in deſuetudinem venerint & obſoleverint, ipſi eas reſtituerint, & in uſum revocarint; primam vero ſuam originem a Moſe habuerint. Sequitur enim; ותיסברא צופים ולא משה והכתיב אלה המצוות שאין נביא רשאי לחדש דבר מעתה: h. e. *Rectene vero ſtatuitur, quod Prophetæ illas ordinarint, & non Moſes ipſe? Reſp. Numquid ſcriptum eſt*; Iſta ſunt præcepta, quæ præcepit Deus Moſi ad filios Iſrael, in monte Sinai. *Levit.* 27. *verſ.* ult. *unde concluditur; Quod nulli unquam Prophetæ permiſſum fuerit quicquam innovare ab illo tempore* (quo ſcil. Moſes id ſcripſit). Et mox: אלא שכחום וחזרו צופים ויסדום *Proinde in oblivionem devenerunt, & venerunt Prophetæ, ac iterum de novo fundarunt eas*. Eadem hæc Traditio extat in Talmud Hieroſolymitano, ſed verbis magis diſertis & apertis, & ſub alterius nomine, unde & illa ſubjiciemus: משם מתיה בן חרש אמרו מנצפך הלכה למשה מסיני: h. e. *Nomine Matthiæ, Ben Charaſch, ſeu filii Fabri, dicunt; Literæ Menazpach ſunt traditio Moſis de monte Sinai*. An hæc omnia recte dicantur, non eſt hic locus ventilandi. Sufficit, quod inde liqueat, & R. Jeremiam in Talmud Babylonico, & R. Matthiam in Talmud Hieroſolymitano, ſtatuiſſe, Literas quinque duplices eſſe a Prophetis, imo a Moſe ipſo; ac proinde, Legem a Moſe & Prophetis ſcriptam eſſe literis Hebraicis hodiernis. Nam in illis ſolum iſtæ literæ duplices ſeu finales locum habent: in Samaritano charactere nequaquam. De hoc aliquid ulterius dicetur adhuc infra. Sed in hoc teſtimonio iſtud quoque notandum, quod, dum ex illo dicto *Levit.* 27. *verſ. ult. Iſta ſunt præcepta*; concludunt, Prophetis non licitum fuiſſe ſaltem quinque literas novas effingere & excogitare, Legique inſerere; quia ſcil. ſcriptum eſt; *Iſta ſunt præcepta, quæ præcepit Dominus Moſi ad filios Iſrael in monte Sinai*; nempe, *Iſta præcepta*, iiſdem *& non aliis literis ſcripta*; quanto minus ipſorum judicio licitum fuiſſet Eſdræ Totam Legem, & omnia Prophetarum ſcript, novis, imo profanis literis, ſcribere? Itaque hinc apparet, quam liberale hic teſtimonium pro hodiernarum literarum antiquitate habeatur, & contineatur. Argumentum hoc urget quoque R. Abraham in libro שלטי הגבורים *fol.* 171. *col.* 2. ubi inter cætera; *Quomodo non animadvertitis, ſtultiſſimi mortalium, quod ſi, ne Prophetæ quidem alicui licitum fuerit vel minimum mutare in Lege, multo minus permiſſum fuiſſet Eſræ vel toti Iſraeli, Scripturam Aſſyriacam ipſis obtrudere, & Hebraicam (h. e. Sanctam) totam abrogare, in qua Tabulæ, & Liber Legis, ſcripta fuere? Audite quid Rabbini noſtri dicant in Maſſeches Megilla*; Dixit

xit R. Jeremias, Quinque literas duplices &c.

Præterea extat in Talmud Hieroſolymitano, Tractatu Megilla, *cap.* 1. dictum cujuſdam *R. Levi* huic ſententiæ favens; אמר ר' לוי תורתן של ראשונים לא היה לא הא ולא מ״ס שלהם סתום הא ססך סתום: *Dicit R. Levi, In Lege priſcorum, neque He neque Mem ipſorum fuit clauſum: ſed Samech fuit clauſum* (in Lege ſc. priſcorum.) R. Aſarias in libro Meor enajim *cap.* 58. putat, hunc R. Levi (niſi error aliquis hic ſubrepſerit) in ipſo dicto reſpexiſſe tum ad literas Hebraicas hodiernas, tum ad literas Syriacas hodiernas, quæ tempore hujus R. Levi, cum lingua Syro-Hieroſolymitana Judæis eſſet vernacula, in uſu erant, & voluiſſe dicere; In Scriptura ſive charactere priſcorum Iſraelitarum, figuras duarum iſtarum literarum *He* & *Mem* non fuiſſe clauſas; ac proinde docere velle, non uſos eſſe illa figura literarum Syriacarum, qua ſuo tempore uſi ſint in Syria: ſed Samech fuiſſe clauſum; quaſi innuere voluiſſet, Illos uſos eſſe Scriptura Aſſyriaca ſeu Hebræa hodierna quadrata, ex mente Raf Chaſdæ. Quod vero dicit, non fuiſſe Mem clauſum; reſpicit ad Mem apertum, ab initio & in medio dictionis uſitatum. Notum enim eſt, in ea Scriptura duplex eſſe Mem; Apertum unum, ab initio, & in medio; Clauſum alterum, in fine dictionis. Et hic ergo docet, literas hodiernas eſſe adhuc antiquas Hebræorum literas. Hic in tranſitu obſervet Lector elegantem floſculum Johannis Morini circa interpretationem ſuperioris Traditionis Rabbi Jeremiæ verborum; מנצ״פך הצופים אמרום: *Literas Menazpach Prophetæ dixerunt*. Is enim ea in Exercitationibus ſuis, *Exerc.* 2. ex Moſe Botrel, Commentatore libri Jezirah, adducens, ſic exponit, ac ſi ſenſus eſſet; *Menazpach ab antiquis Effluentes dictas eſſe*; de ſuo addens; *Verum illas ſibi effluere Poſteriores non ſunt paſſi*. Ridicule mehercle. Erravit nempe in voce הצופים, quam deduxit a צוף, quod *Effluere* ſignificat: cum צופים ſit legendum, a צפה. Sed hoc nihil novi eſt illi. Plura ejus generis in illis Exercitationibus occurrunt, quorum quædam nobis etiam adhuc notanda erunt. Hi nempe ſunt illi *fructus & flores*, quorum decerpendorum gratia nonnunquam digredi, *Rabbinicæque ſcientiæ ἀπόῤῥητα*, quæ prodere ſe velle pollicetur, ut in Præfatione ad Lectorem ſcribit. Sed progrediamur, & plura Talmudicorum teſtimonia, ad antiquitatem Hebraicarum literarum adſtruendam, videamus.

Huc etiam non impertinenter ſequens obſervatio referri poteſt. Septem ſunt literæ Alphabeti שעטנז ג״ץ quæ in Lege Judæorum manuſcripta, ut & in Tephillin & Meſuſoth, tribus apicibus ſuperne, quaſi Coronulis, notantur. Apices ſive Coronulæ illæ Hebraice vocantur זיינין quod d. *Armaturas*, vel *Galeros*. Item כתרים, תגין *Coronæ*: Item קוצין *Spinæ*. De illis Traditio extat in Talmud Tractatu Menachoth *fol.* 29. 2. שבעה אותיות צריכות שלשה זיינין ואילו הן שעטנז ג״ץ: i. e. *Septem literæ ſunt, quæ opus habent tribus apicibus, & ſunt ſeptem iſtæ, Schin, Ajin, Teth, Nun, Sajin, Gimel & Tzade, &c.* Et mox: אמר רב יהודה אמר רב בשעה שעלה משה למרום מצאו להקב״ה שיושב וקושר כתרים לאותיות: אמר לפניו רבונו של עולם מי מעכב על ידך. אמר לו אדם אחד יש שעתיד להיות בסוף כמה דורות ועקיבה בן יוסף שמו שעתיד לדרוש על כל קוץ וקוץ תילין תילין של הלכות: h. e. *Dixit Raf Jehudah, Raf dixiſſe; Ea hora, qua aſcendit Moſes ad Deum* (in montem Sinai) *invenit Deum ſedentem, & coronulas literis alligantem. Dixit* (Moſes) *coram eo; Domine mundi; Quis detinet apud te* (id quod ſcripſiſti, quod literis jam ſculptis addas coronas)? *Reſpondit Deus; Homo quidam venturus eſt poſt multa ſæcula, qui commentaturus eſt ſuper unumquemque apicem talem multos cumulos ſententiarum vel Traditionum*. Hæc ibi. Quam recte & pie hæc ſcripta ſint & dicta, non jam diſputo. Patet, hæc dicta eſſe ad amplificandam ſummam dignitatem Rabbi Akivæ, & eſſe allegorica, prout in ipſo Talmud ad marginem annotatur. Interim vero hoc inde concludi poteſt, quod iſte *Raf Jehudah* vel *Raf* (alias *Abba* dictus) ſenſerit, Literas iſtas, quas nos habemus, jam in monte Sinai fuiſſe, illiſque, & non aliis, Legem a Deo ſcriptam, & Moſi traditam eſſe. Nam iſti Apices locum duntaxat habent in hodierno Alphabeto Hebræo, non in Samaritano. Si autem iſtæ literæ ſeptem tum jam fuerunt, procul dubio quoque cæteræ. Hinc eſt, quod vetitum ſit Tephillin & Meſuſoth aliis literis ſcribere, quam Aſſyriacis dictis, ut videre eſt apud Majem. in הלכות תפלין *cap.* 1. & in Talmud Megillah *cap.* 1. in Miſchna; quia ſcil. de horum quoque ſcriptione volunt Deum Moſi in monte Sinai præcepta dediſſe. Porro de illis Apiculis vel Coronulis literarum ſcribit quoque Ephodæus in Præfatione, Operi ipſius Grammatico, hactenus nondum edito, præfixa; *Inprimis ſolliciti fuerunt priſci de forma ſcriptionis Legis ob ejus dignitatem & præſtantiam, ita ut etiam*

בכתרי

:בכתרי האותיות *de Coronamentis literarum quæ* תאנין Tagin *vocarunt, anxii fuerint. Et ſcriptum eſt in Libro Tagin*; הרין ספר תאני דאסיק עלי הכהן משתים עשרה אבנים שהקים יהושע בגלגל ומסרו לשמואל ושמואל לפלטי בן ליש וכו׳ עד עזרא וממנו עד ר׳ נחים הלבלר שמסרו לרבינו הקדוש: *Hic eſt Liber Tagin ſeu Coronamentorum, quem Eli ſacerdos detulit ſecum ex duodecim lapidibus, quas Jehoſua erexit in Galgal: Is tradidit eum Samueli, Samuel Palti filio Lajiſch, &c. & ſic continua ſucceſſione uſque ad Eſram, & ab Eſra uſque ad R. Nahum ſcribam, qui tradidit eum Rabbi Jehudæ ſancto. Et de his dicunt, quod, cum Moſes aſcenderet ad Deum, invenerit Deum coronis his literas coronantem. Unde priſci curioſiſſimi circa hanc rem fuerunt. Voluerunt enim, ut iſti libri eſſent eo per omnia modo, uti dicti & ſcripti fuerunt per Prophetiam, ſine ulla mutatione; metuentes, ne mutata forma illorum, quoque tollatur vel debilitetur proprietas illis adhærens, quæ formam ſequitur, &c.* Hactenus Ephodæus. Itaque, præter traditionem Talmudicam, hic quoque ex iſto libro *Tagin* habetur, quod iſtæ literæ ante Eſdram fuerint; imo Eſdras eas per manum a majoribus ſuis acceperit. Unde iterum apparet, cujus antiquitatis priſci judicarint eſſe Apices illos, & per conſequens Literas ipſas. Et hæc ſunt teſtimonia *Amoræorum*, ſeu Γνωμολόγων Talmudicorum.

XVII. *Tertio* loco ſuccedant his, ob argumenti affinitatem, *Baaletoſephos*, h. e. *Authores Additionum Talmudicarum*. Horum nomine Teſtimonium huic ſententiæ luculentum perhibet *Rabbi Jom Tof bar Abraham*, abbreviate ריטב״א *Ritfa* dictus, prolixe hanc ſententiam confirmans in Additione, quæ legitur in En Jiſrael *cap.* 1. mihi *fol.* 141. *col.* 2. & 142. *col.* 1. ubi inter cætera ait; אבל ודאי אין ספק שזה הכתב הנקרא אשורי הוא כתב הקדש שבלוחות ועל כן נקרא קדש וכן לשון הקדש: h. e. *Sed revera non eſt dubium, quin iſta Scriptura, quæ vocatur Aſſyriaca, ſit Scriptura illa ſancta, quæ fuit in Tabulis. Et hujus quoque rei cauſa vocatur Sancta, ut & Lingua Sancta.* Cætera quæ illic habet, alio forte commodiore loco in hac Diſſertatione proponentur. Hic ſufficiat ejus teſtimonium habere.

XVIII. *Quarto* itaque loco excipiant hos, illi Hebræorum Doctores, quos גאונים *Geonim* vocant, h. e. *Excellentes* vel *Magnificos*, quod ſingulari doctrina præ cæteris excellerent. Hi poſt Amoraim & Sebhuraim proxime ſunt ſubſecuti, ut videre eſt in הליכות עולם *Halichoth olam* Porta 1. *cap.* 2. De horum ſententia ſcribit R. Aſarias in Meor enajim *cap.* 58. וכן בתשובות ר׳ משה אלאשקר סימן ע״ז תמצא דברי הגאונים רב שרירא ורב האי אשר הוכיחו בארוכה שבכתב אשורי נתנה: h. e. *Sic in Reſponſionibus R. Moſis Alaſchkaris capite 47. invenies verba Geonæorum, Raf Scherirae & Raf Hai, qui prolixe arguunt, quod Scriptura Aſſyriaca data ſit Lex.* Mihi illæ Alaſchkaris Quæſtiones & Reſponſiones non ſunt præ manibus, ut inde propria ipſorum verba excerpere queam.

XIX. *Quinto*, non ſunt prætereundi nobis *Cabaliſtæ*, qui ſuarum plerarumque Traditionum originem non ad Eſram, ſed ad Moſen, referunt; quamvis peritum hujus Eſdram fuiſſe, & multa Cabaliſticæ ſcientiæ arcana in libros retuliſſe ferant, de quo etiam aliquid ſimile legitur in *lib.* 4. Eſdræ *cap.* 14. 45. 46. 47. Hos vero in hac quæſtione non ſenſiſſe aliud, multis argumentis evinci poteſt. Quæ enim *de Myſteriis arcanis, ſub figuris Hebraicarum literarum latentibus*, ſcribunt, manifeſtum eſt, illos intellexiſſe de figura literarum Hebraicarum hodierna; neque volunt, illa a ſe eſſe conficta, ſed a Patribus accepta. Unde communiter de illis dicunt, quod ſint הלכה למשה מסיני: *Traditio Moſis de monte Sinai*. An probabile eſt, ſi iſtas Literas non pro literis Sacris, quibus Moſes & Prophetæ ſcripſerunt, habuiſſent, illos tanta myſteria ſub illis quæſituros fuiſſe? An credibile, illos tam divinam vim & efficaciam tributuros fuiſſe illius linguæ literis, de qua dicunt & ſcribunt, *quod Angeli eam ob ſummam ejus barbariem non intelligant*? in qua preces fieri & concipi vetant, כי כל השואל צרכיו בלשון ארמי אין מלאכי השרת נזקקין אליו: *eo quod Angeli ſancti ſe ei non aſſocient, qui neceſſitates ſuas petit lingua illa*; Aſſyria dico, in Talm. de Sabbatho *cap.* 1. *fol.* 12. 2. Si Eſdras harum literarum author eſſet, & priores periiſſent, utique myſteria illa Eſdras demum illic recondidiſſet, eique, non authoribus ipſis, adſcribenda fuiſſent. Videamus quædam. *R. Jehuda Hallevi* in lib. Coſri parte 4. ubi de præſtantia linguæ Hebrææ ſuper cæteras diſſerit; Numero 25. ſcribit: ועל זה נאמר במכתב כי צורות אותיותיו אינם בלא כוונה ובמקרה אבל לענין נאות עם המכוון מכל אות ואות: h. e. *Et propterea dictum eſt* (a Cabaliſtis) *de Scriptura* (Hebraica) *quod figuræ literarum ejus non ſint abſque intentione tales vel per accidens, ſed propter ſignificationem convenientem cum eo quod unaquaque, litera intenditur. R. Schemuel Arcuvolti* ſcribit in libro ערוגת הבשם *Aru-*

habboſen fol. 4. col. 2. ובכלל קבלנו מהעומדים בסוד ה׳ שהאותיות הקדושות יש בתמונתן ובשמות יהן רוחניות נעלם, ואור נכבד נאצל מעצם העליונים ומשתלשל, ומתלבש בהן ומי שיזכה יבחין: h. e. *In genere accepimus a ſtantibus in Secreto Domini* (Cabaliſtis) *quod in Literis his ſanctis, tum in figura, tum in nominibus illarum, ſit ſpiritualitas & vita quædam occulta: & quod lux pretioſa, derivata a ſuperis, ab eis dependeat, &c.* Et idem iterum: אמנם שמצורתם קדושתן נודעת צא ולמד מצורת א הרומזת על ייחוד שמו ב״ה יוי במספר שם ההויה ויוד למעלה כסדרה ויוד למטה הפוכה המתיחדים באחד והוא פלא: h. e. *Quod vero ex figura illarum* (Literarum) *ſanctitas illarum perſpiciatur, ito & diſcito ex figura literæ* א, *quæ indicium eſt de unitate Nominis Dei benedicti, conſtans ex Jod, Vau & Jod* (יוי) *quæ literæ conficiunt numerum Nominis Tetragrammati* יהוה (videlicet 26.) *& Jod ſuperius rectum; & Jod inferius inverſum, indicium eſt Lucis rectæ & redeuntis vel reflexæ quæ adunantur in uno, quod eſt miraculum magnum, &c.* Sic dicere quoque ſolent: אין האותיות העבריות כאותיות שאר הלשונות כי חיות הנה: *Non ſunt literæ Hebraicæ, ſicut literæ aliarum linguarum: nam vivaces ſunt* (ad imitationem *Exod.* 1. *verſ.* 19.) Hinc ſcribitur in ſæpius jam a nobis laudato libro *Meor enajim cap.* 58. ובעלי התוספות השם הריטב״א פק דמגילה וסנהדרין פרק ב׳ מכח כמה דברים של חכמי האמת שהם מיחסים סודות עליונים לצורות האותיות ויתר הראיות הנמצאות לחם שם אינם בשום אופן אובים לשמוע הנתן התורה מסיני רק בכתב אשורי: ואתה הקורא אל יכבר עליך לשאוב מים בששון ממעינותם כי מתוקים מדבש וקדושים המה: h. e. *Et authores additionum Talmudicarum nomine Ritbæ, in Megillah cap.* 1. *& Sanhedrin* cap. 2. *vi plurimorum verborum Sapientum veritatis* (h. e. Cabaliſtarum, quos ſic vocitare ſolent) *qui arcana ſublimia attribuunt figuris literarum, & vi aliarum rationum, quas illic adferunt, nullo modo audire volunt, ac ſi Lex alia, quam Scriptura Aſſyriaca, data eſſet de monte Sinai. Neque pigeat te, Lector benevole, haurire aquas cum gaudio ex fontibus illorum: nam dulces ſunt ſicut mel, & ſanctæ.* Hæc ibi. Hæc, & alia ejus generis, ſufficienter arguunt, Cabaliſtas omnes ſemper, harum Literarum præſentium figuram pro Divinis & authenticis habuiſſe, quibus & Deus Legem in Tabulis, & Moſes in libro, reliquique authores Sacri libros ſuos, conſcripſerunt. Quid enim? Utut vaniſſimi ſint Judæi in frivolis minutiis & argutiis inveniendis & excogitandis, vix tamen credibile eſt, illos tanta myſteria in Literis, ſua opinione humanis, gentium præſertim prophanarum & ſibi inimicarum, quæſituros fuiſſe. Proinde & hi pro Antiquitate Literarum Hebraicarum militant. Nam ſi hæc literarum mutatio per Eſdram admittatur, magna pars Theologiæ Cabaliſticæ concidet. Nos vero eo tantum fine eos adducimus, ut conſenſum eorum in hac Quæſtione oſtendamus. Qui plura volet, & horum curioſus eſt, conſulat libellum אותיות ר׳ עקיבה Oſios R. Akivah *Literæ R. Akivæ* dictum, in quo, ni fallor, oſtendit, quomodo ſingulæ Literæ ex *Jod* & *Vau* ſint compoſitæ, & hæ duæ literarum omnium ſint fundamentum. Et inde, vel ex alio ſimili authore Cabaliſtico, hauſit Guilelmus Poſtellus, quod in Tabulis Linguarum docet, qua ratione ex ſola litera Jod (י) tamquam Univerſi myſterio, omnia viginti duo elementa ſacra exurgant. Sic ſcribit Johannes Quinquarboreus, in Opere de re Grammatica Hebræorum pag. 9. *Volunt Cabaliſtæ, hoc eſt, Hebræi, qui confingunt & comminiſcuntur ſæpenumero arcana, ſive myſtica ſacra ex literis Hebraicis, literam Jod eſſe literarum omnium principium & finem, quod veluti punctum protrahi poſſit illa in quælibet literarum lineamenta & figuras quaſlibet, &c.*

Et hæc ſunto teſtimonia Veterum Hebræorum.

XX. Recentiores quod attinet, ampliſſimum illi magno conſenſu in hac cauſa teſtimonium ferunt, neque hactenus mihi, niſi unus Joſephus Albo viſus, (de quo in ſeqq.) qui diſerte aliter ſenſerit. Videamus quoſdam ex ſelectoribus.

Aben Eſra, qui vixit circa annum Chriſti 1140. vel circiter, quique apud Hebræos חחכם *Sapientis*, & apud multos e noſtris, *Docti* nomen meruit, in libro צחות *Tzachuth* in שער אותיות *Porta literarum*, ſic ſcribit: יש מחלוקת בין הקדמונים אם זה המכתב שהוא בידינו אם הוא כתב עברי כי מלה אשורית יש מי שהוציאה מגזרת אשור ויש שאומרים שהוא מאושר באותיותיו, ועל זה אכמוך: h. e. *Controverſia eſt inter antiquos; An Scriptura iſta, quæ hodie eſt in manibus noſtris, ſit Scriptura Hebraica? nam vocem* אשורית (qua vocari ſolet) *quidam derivant ab Aſſur*, (quaſi Scriptura Aſſyriaca:) *alii dicunt, ſignificare Scripturam* מאושר Meuſchar, *beatificatam in literis ſuis. Et huic innitor ego, hanc ſententiam amplector ego.* Et in Commentariis ſuis Biblicis, *Exod.* 1. 16. ſcribit ad vocem וחיה: *Et vox* וחיה Vachajah *difficilis vel irregularis valde eſt in Grammatica. Di-*

cendum enim eſſet ἀναλόγως וחיתה Vachajeta : *quia He radicale in verbo* חיה *mutari ſolet in Thau , ſecundum conſuetudinem conſtructorum ;* ut, ולכל חית הארץ , Gen. 1. 30. *Sic autem fit , quia literæ He & Thau affines ſunt in Scriptura , hoc eſt , figuras habent affines & conſimiles , nec niſi exigui puncti eſt differentia in litera He , ubi eſt aperta ; ſed pronuntiatione multum differunt . Et differunt nominibus : primo enim* ה *vocatur He , ſed cum protrahitur punctum , vocatur Thau :* וזה לאות כי הכתב שבידינו הוא כתב עברי *Et hoc eſt ſignum , quod ſcriptura ea , quæ eſt in manibus noſtris , ſit Hebræa .*

Rabbi Salomonem, qui ejus fuit coætaneus , in eadem fuiſſe ſententia, arguitur ex aliquot ejus dictis. Inter alia, legitur *Eſtheræ 9. verſ. 27. Statuerunt ac receperunt Judæi ſuper ſe, &c. ſe celebraturos duos dies illo* ככתבם *Juxta ſcripturam eorum*. Ad hanc vocem ſcribit Rabbi Salom. שתהא המגלה כתובה כתב אשורית *Ut ſit volumen* (Eſtheræ) *ſcriptum Scriptura Aſſyriaca* , h. e. Ut libellus ille quotannis legatur in ſcriptura Aſſyriaca, ut Targum etiam exponit. Ergo ſtatuit, Scripturam illam tum fuiſſe Judæorum propriam, quæ Aſſyriaca dicitur. Eſtheræ autem hiſtoria contigit ante tempora Eſræ . Vide Aben Eſram .

Rabbi Moſes ben Majemon , Rambam abbreviate dictus, qui circa idem tempus vixit, in Commentario ſuper librum משניות *Miſchnajoth* , Tractat. *Jadajim* , cap. ult. ad §. 5. והכתב הזה אשר נכתב בו אנחנו התורה הוא כתב אשורי והכתב אשר בה כתב יתב׳ התורה נקראת אשורי מן הגדולה והתפארת כמו באשרי כי אשרוני בנות והוא אמרם אשורי שהוא מאושר שבכתב: h. e. *Scriptura autem iſta , qua nos hodie ſcribimus Legem , eſt Scriptura* אשורי Aſchuri *dicta. Scriptura autem , qua Deus Legem ſcripſit , vocatur* אשורי Aſchuri *propter magnificentiam & decorem , ex ſignificatione illa verbi* Aſchar, *qua legimus* באשרי Beoſchri *Beatam me! quia* Iſcheruni אשרוני *Beatam dicent me filiæ* , Gen. 30. 13. *Et hoc eſt quod Rabbini noſtri dicunt :* Aſchuri *dicitur', quia eſt Scriptura omniam beatiſſima .*

Rabbi Obadias de Bartenora , ſcribit eodem loco, in eundem ſenſum : אבל שהיה אשר אנו כותבין בו ספרים היום כתב אשורי הוא נקרא והוא הכתב שהיה בלוחות ונקרא אשורי וכו׳: *Verum Scriptura illa , qua nos hodie ſcribimus libros ſacros , eſt Scriptura* Aſchuri *dicta , & eſt illa ipſa ſcriptura , quæ fuit in Tabulis . Vocatur autem* Aſchuri, *quia eſt beata , &c.*

Rabbi Propheto Durante , vulgo אפודי *Ephodeus* , a titulo libri ſui, quem מעשה אפוד *Maaſe Ephod* inſcripſit, dictus, quique vixit circa annum Chriſti 1390. in Præfatione illius libri , ubi, inter alia , quindecim tradit regulas de utili & fructuoſa Sacræ Scripturæ lectione , Regula nona ſcribit : הדרך התשיעי שיהיה העיון במקרא בספר כתוב בכתב אשורי המאושר באותיותיו והוא אשר בו נתנה התורה האלהים על דעת רבינו הקדוש, והוא האמת וכמו שהביא על זה ראירת הא״ע בספר חות ובבי׳ התורה פרשת ואלה שמות הזה אשר יקראו אותו ההמון כתיבה סרובעת וכו׳: h. e. *Via ſeu Regula nona eſt , ut inſtituatur lectio Scripturæ in libro ſcripto ſcriptura* Aſchuri , *tamquam beatiſſima & ornatiſſima in literis ſuis . Eſt enim ea ſcriptura , in qua Lex Divina data eſt , ex ſententia Rabbenu hakkadoſch , & quidem veriſſime ; & ex ſententia Rabbi Aben Eſræ in libro Tzachuth , & Commentario in Exodum . Et hæc ſcriptura eſt illa , quam vulgo vocant Scripturam quadratam .* Et paucis interjectis : וכבר יחד אותו הבורא בנתינת תורתו: *Et peculiari honore dignatus eſt eam Deus in Datione Legis ſuæ , &c.* Eandem ſententiam repetit in ipſo libro , *cap.* 7. Morinus , hujus authoris ex R. Aſaria mentionem faciens, ſic adducit; *Quibus addere poſſumus Ephodæum in libro quindecim modorum , quibus utiliter juvatur memoria legem diſcentium , præfatione in modum nonum .* Non eſt peculiaris liber, qui ſic vocatur , neque ulla Præfatio extat in modum nonum , ſed eſt modus vel regula nona ipſa . Nempe non aſſecutus eſt verba Aſariæ ſcribentis: והחכם אפודי בהקדמתו בתשיעית מטו׳ דרכיו וכו׳: h. e. *Et ſapiens Ephodæus in præfatione ſua* (libri ſc. מעשה אפור) *in via nona , ſeu modo nono , illorum* 15. *quibus &c. ſcribit :* Non vero; *In præfatione in modum nonum .*

R. Jacob bar Schelomoh ben Chavif in libro עין ישראל *En Jiſrael* , Tractatu Megilla, *cap.* 1. fuſus eſt in aſſerenda hac ſententia; שזה הכתב אשר אנחנו כותבין בו היום ספר תורה וכל דבר שבקדושה הנקרא כתב אשורי הוא עצמו היה הכתב שבלוחות העדות וס״ת המונח מצד ארון ברית ה׳: *quod iſta ſcriptura , qua nos hodie ſcribimus librum Legis , & omnia Sacra , Scriptura* Aſchuri *dicta , ſit illa ipſa Scriptura , quæ fuit in Tabulis teſtimonii , & in Libro Legis , repoſito ad latus Arcæ fœderis Domini ;* Hæc verba ſunt ipſius . Contrariam quoque ſententiam multis refellit , uti in ſequentibus pluribus videbimus.

Abraham de Balmis in *cap.* 1. Grammaticæ ſuæ : יש לדעת שמכתב האותיות אצל העברים הוא על פנים שונים לפי חלוף המדינות אף צמנם המשותף לכל הוא צורת האותיות שקוראים אשורית שהוא מיושרת באותיותיה ויצאה עמנו מאשור: ולכן נדבר בה

כה בפרט וראשונה: ונאמר כי בזאת הכתיבה שהיא הכתיבה שבה וכתבה התורה והיא כתיבת הקדש בסאת וכו': h. e. *Sciendum est, scripturam literarum apud Hebræos fieri diversis modis, secundum varietatem regionum. Veruntamen communis omnibus est figura Literarum, quam vocant* Aschurith, *quæ est rectissima vel beatissima in literis suis, & exivit nobiscum ex Assyria. Itaque de ea loquemur particulariter & primo. Dicimus ergo, quod in hac Scriptura quæ est Scriptura illa ipsa, in qua Lex scripta est, & quæ revera est Scriptura Sancta, figura literæ Aleph sit talis, &c.*

R. Samuel Arcuvolti ejusdem est sententiæ in ערוגת הבשם Arugas habbosem, ab initio.

R. Asarias in Meor enajim *cap.* 58. post multa de hac materia concludit: זה ובדומה אשר מצורף ליתר הדברים הנאותים בדרוש הזה שזכרנו ושלא זכרנו יביא אותנו להכריע באמת ובתמים שהלוחות והתורה לא בכתב אחר כי אם באשורי נתנו: id est, *Hæc & alia, ad quæstionem hanc pertinentia, quæ attulimus, & quæ non attulimus, inducunt nos, ut concludamus in veritate & integritate, quod Tabulæ & Lex non alio, quam Assyriaco charactere, datæ sint.*

Abraham Harophe in שלטי הגבורים, sub ejus finem: *Linguam & Scripturam suam nunquam mutarunt in aliam, filii Abraham servi ejus, quamvis alias etiam Linguas callerent, quibus in familiari sermone loquebantur cum mulieribus & parvulis: Quamvis etiam, per duritiem & gravitatem exiliorum, vulgus & communis plebs obliviscerentur aliquando Scripturæ & Linguæ Sanctæ; tamen quidam semper eam accurate & perfecte retinuerunt, veluti Esras, Daniel ejusque Socii, Mardochæus, Bilschan, David, Esther, Nehemias, Tirschata, & alii similes; Imo etiam venientes e Caspia (qui sunt reliquiæ quædam singulares, quos, ad honorem & gloriam Dei, Esras evocavit, quando ascendebat e Babylonia, agentes illic in Caspia sub umbra Addonis capitis sui, e quibus fuerunt viri prudentes, Scheresiah, Chuschubiah, & socii eorum;* (vide Esræ 8. *vers.* 17. 18. 19. *Hi inquam, reduxerunt secum hæc duo,* Scripturam & Linguam sanctam, secum latentem, & reliquos e captivitate superstites sub templo secundo, cum venerunt ad colendum illic Deum; ita ut revera ad nos, & perfectissime redierint e Caspia, in pristino suo nitore & decore, tum Scriptura, tum Lingua nostra Sancta, neque illic literæ ejus mutatæ sint in figuras Scripturæ Assyriacæ, ut quidam arbitrantur. Neque mirandum est, si Caspienses, & cęteri in Assyria captivi, (qui diu ante abducti fuerunt, quam Juda & Benjamin) semper memores fuerint Scripturæ, & Linguæ Sanctæ; filii autem captivitatis Babylonicæ ejus obliti fuerint. Nam Juda & Benjamin longe graviorem experti sunt captivitatem per Regem Babyloniæ, & impium Nebucadnezarem, subitoque ac derepente cum gentibus commixti fuerunt, qui eis sunt dominati, & tyrannide sua amaram reddiderunt vitam ipsorum: Decem vero tribubus, quæ per Salmanassarem abductę fuerunt, solis, sine commixtione alterius populi eum ipsis dedit *Rex iste, Caspiam, Calach, Chabur, & alia loca peculiaria, quæ commemorantur* 2. Reg. 17. *Hæc enim perpetua fuit consuetudo Regum Assyriæ, ex quo dominium acceperunt super regna gentium, uti videmus, Sennacheribum Regum Assyriæ tale quid promisisse per Rabsacca filiis Jehudæ & Hierusalem, quando dixit;* Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite unusquisque de vite sua, & unusquisque de ficu sua, & bibite unusquisque aquam cisternę suę, donec veniam, & transferam vos ad terram similem terrę vestrę, terram frumenti & vini &c. 2. *Reg.* 18. 31. 32. *Et hac de causa non mutaruut illi saporem & odorem suum* (h. e. Linguam suam) *ut captivi in Babylonia.* Hactenus ille.

R. Gedaliah in שלשלת הקבלה *Schalschelesh hakkabala* seu *Catena Historica* fol. 89. 1. אבל התורה נתנה כתיבות שאנו כותבין היום בס״ת שנקרא אשורית: i. e. *Sed Lex data est in Scriptura, qua nos hodie scribimus librum Legis, quæ vocatur Assyriaca, &c.*

Eliam quoque, celebrem illum Grammaticum, in hac sententia fuisse, patet ex eo quod in libro Masoreth Hammasoreth in Præf. prima Rhythmica scribit: *Tunc ascendens Esra, (qui fuit Malachias,) Similis Angelo ministratorio Sacerdos & Doctor & Scribarum pater, Mater Bibliorum atque Masoreth, Fecit Babyloniam tanquam voraginem, In qua nullus amplius piscis relictus, Ille autem apposuit intellectum, habuitque intelligentiam Bibliorum* בכתיבה זו המאושרת *In Scriptura hac beatificata.* Et in Præf. ubi exponit, quidnam Esras circa restitutionem Legis Dei præstiterit, mutationis scripturæ & literarum nullam mentionem facit.

Denique videtur etiam comprehendi hæc sententia sub *Octavo Articulo fidei Judæorum*, qua unusquisque Judæus profitetur, שהתורה שבידינו היום היאה נתונה למשה בהר סיני מבלי חלוף ושנוי כלל: *Credo, quod Lex, quæ hodie est in manibus nostris, sit ea ipsa, quæ Mosi in monte Sinai data est, sine ulla prorsus mutatione,*

ne, ut Abarbenel eum tradit Præfatione in Jeremiam. Nam si literæ mutatæ essent, utique istud non posset ipsis credendum injungi. Vide eundem in Rosch amanah *c.* 13. *fol.*18. *col.* 2. Hoc vero testimonium potius ad præcedentem classem, veterem videlicet authorum, referri posset.

Plura in hunc sensum afferri possent, si omnes libros evolvendi vel facultas esset, vel libentia. Communis enim hæc est Hebræorum sententia. Nam כולי עלמא הודו שהלוחות וסת״ שבארון נכתבו באותו כתב אשורי: *Totus mundus fatetur, Tabulas & Librum Legis, qui in arca fuit, fuisse Scriptura Assyriaca*, Scribit R. Jacob, in libro En Jisrael, in Megilla *cap.* 1.

21. Huc quoque respexisse videtur Philo Judæus Alexandrinus, lib. 2. de Vita Mosis, scribens: *Sola nostra Lex, firma, inconcussa, tanquam obsignata natura signaculis, manet, ex quo scripta est, in hodiernum diem usque & spes est mansuram per omnia sæcula immortalem, donec Sol, Luna, Cælum, totusque mundus manebit &c.*

XXII. Et hæc quoque sufficiant de Recentiorum, atque adeo Hebræorum in universum testimoniis, pro Antiquitate literarum nostrarum Hebraicarum. Videamus nunc etiam quorundam, ex Christianis scriptoribus, suffragia.

XXIII. Christianorum testimonia quod attinet, nemini mirum videri debet, ex Patribus antiquis nulla expressa extare, cum pauci inter eos Linguæ Hebrææ, & rerum Hebraicarum periti fuerint. De Hieronymo & Eusebio dissentientibus postea in specie videbimus. Videamus ergo quædam, prout illa se nobis offerunt.

Johannes Picus, Mirandulæ Comes, in Epistola ad Ignotum, quæ, *Quisquis es*, incipit: *Et ut ad ea veniam, quæ de Chaldæorum Hebræorumque literis desideras, percunctatus ego sum sæpe in Mithridatem* (Præceptor erat Pici, Judæus) *& multos Hebræos, de his quæ apud Hieronymum in Galeato Prologo leguntur, ubi ille scribit*; Eosdem fuisse olim Samaritanorum & Hebræorum characteres: Esdram autem, post instaurationem Templi, sub Zorobabel alias adinvenisse literas, quæ nunc sunt in usu; *nescio se hujus mutationis omnes prædicant, & (quod est majus) pro comperto habent, iisdem, quibus nunc utimur in Hebraica literatura, apicibus usos esse Mosen, & Patriarchas antiquos omnes. Cui sententiæ, ut nunc mihi subvenit, fidem maximam facit scientia Cabalæ, cujus scriptores, qui cum Esdra in synodo fuerunt, sub ipsis literarum characteribus & figuris, quibus nunc Legem descriptam habemus, dissimulasse Mosen Divina mysteria, & volunt & probant, quod esse nullo modo posset, si aliis Moses, ab his quibus nunc utimur, characteribus usus fuisset, &c.*

Guillelmus Postellus in libro de Originibus *cap.* 5. duobus probant argumentis, *quod literæ Hebraicæ prostantes sint Mosis & Adami*: idemque alibi sæpius repetit & tradit, quem tamen Josephus Scaliger in lib. de Emendat. Temporum, & alii, in alteram sententiam pertrahere volunt, ex non recte intellectis iis, quæ scripsit in Alphabeto duodecim linguarum. Sed ejus sententiam pluribus adhuc in sequentibus videbimus.

Marcus Marinus Brixiensis, in Arca Noe, seu Thesauro Linguæ sanctæ, ab initio literæ א: *Verum qua figura fuerint Hebræorum literæ primis illis temporibus, quibus illis datæ sunt, sive a Mose, sive ab alio quopiam, aut Deo aut homine, non satis liquet. Minus ausim affirmare, formam hanc literarum, qua nunc in Bibliis utimur, ab Esdra traditam, ut omnes fere volunt.*

Theodorus Biliander, Ecclesiæ & Scholæ Tigurinæ lumen olim clarissimum, in erudito Commentario De optimo genere Grammaticorum Hebraicorum *pag.* 76. 77. *Porro quia Veteres prodiderunt, Esram, una cum aliis in Synodo sanxisse modum legendi & explicandi Scripturas Canonicas, idque in alienam sententiam traxerunt posteri; factum esse opinor, ut aliqui Judæorum asserant, tum primum excogitatos apices vocalium & prosodias: & quod Eusebius: atque Hieronymus, forsan a Judæis persuasi, tradiderunt, Esram tradidisse literas Assyrias populo Judæorum: Veteres autem characteres esse, quibus Samaritani utuntur. De quo disputare, ad alium locum pertinet. Tantum mihi velim considerent ejus opinionis astipulatores, quomodo potuerit Esras mutare scripturam in populo Dei, qua Deus Legem suis digitis exaraverat, aut quomodo voluerit, qui non patitur, ut pueri loquatur Asdodica, & Ammonitica, & Moabitica dialecto. Non quod vetus Ammonitarum & Moabitarum sermo diversus fuerit ab Hebræo, sed quod diversum habuerint tum sermonem ab Hebræis, qui successerant in locum Ammonitarum, & Moabitarum, & dicebantur Ammonitæ & Moabitæ, ut Samaritani, qui Samariam incolebant, quum essent Cuthæi & Medi, & ex aliis Regionibus Orientis collecti. Non competit igitur vel Esræ vel Nehemiæ, vel aliis hominibus sanctissimis ejus temporis, quod characteres patriæ linguæ, aut sermonem aboleri voluerint.* In Libro etiam

iam de Ratione Communi omnium Linguarum, *p. 62. 63.* attigit hanc materiam, & promisit, *se quid de ea sentiat, quidque adeo ratio cum sentire cogat, copiose aperiturum, in Commentariis de Lingua Hebræa.* Sed non puto, illos in lucem esse editos. Dum etiam ibi ostendit, *ex Hebræorum literis deductas esse omnium populorum, & gentium literas*, satis declarat, se has pro primi & antiquissimis habere.

Franciscus Junius ad libri 2. Bellarmini de Verbo Dei, *cap. 1.* ejusdem est sententiæ, & *Milesias*, putat *fabulas esse*, quod de mutatione Scripturæ per Esdram, tradidit Hieronymus.

Nicolaus Fullerus, Anglus, in Miscellaneis sacris *lib. 4. cap. 4.* prolixe satis hanc sententiam tuetur & defendit; *Nobis sane*, inquit, *valde placet Terentianum illud*; Rem ipsam dic, & mitte male loqui. *Id vero si ab æqui bonique amantibus impetrare liceret, non tot maledictis convitiisque tam pertinaciter certatum esset, non solum de Linguæ Hebrææ puritate primigenia, sed de Characterum etiam Hebraicorum (quos summa item Dei benignitate a Judæis olim traditos habemus) antiqua sinceritate. Horum autem quamvis alterum ex altero non pendeat necessario (Nam & diversæ linguæ eisdem characteribus, & eadem lingua diversis characteribus signari potest) tamen quia quodam modo inter se conjuncta cernuntur, de Idiomate usque adhuc satis multa loquuti, de Literis eidem Idiomati peculiaribus, nunc (si placet) solo unius veritatis studio sedate disseremus.*

Cæsar Baronius, Annalium Tomo II. pag. 293. *Nec rursum, quod ajunt, Esdram literas Hebraicas commutasse, ac proinde, non eo charactere, quo olim exarata est Lex, post Esram haberi conscriptam, probatur antiquorum Hebræorum authoritate. Quod si aliqua ab eo facta est commutatio literarum, de quinque finalibus tantum contigisse potuit. Nam Philo Judæus, & Judæorum disertissimus, illa ipsa lingua ac charactere, quo antiquitus scripta Lex est, si sic permansisse semper absque aliqua mutatione usque ad tempora Ptolemæi Philadelphi, qui eam per Hebræos in Græcam transferri curavit, aperte testatur, &c.*

Augustinus Sebastianus Nouzenus in libello de prima sermonis Hebraici Lectione: *Principio*, inquit, *quod ad Ortographiam spectat, Alphabetum Hebræis duplex esse deprehenditur. Alterum, quod, ut est, & habetur quoque altero multo prius & antiquius; ita etiam multo quam alterum minus corruptum est, ac minus depravatum. Quod utique & miraculi vice esse possit. Nam cum nulla natio sit, nullus populus, qui tam variis, tamque iniquis, gravibusque fortunæ casibus objectus sit, atque Hebræorum Ecclesia: mirum est, in tantis calamitatibus, tantis miseriis, exiliis, proscriptionibus, inter Barbaros quoque vel unam salvam mansisse literam, aut ullum vocabulum genuinam illam & primam linguam potuisse referre. Quamobrem quid aliud dicemus, quam Divina bonitate, & in perpetuam nominis de hac gente memoriam, quicquid id est monumenti superesse. Proinde cum hoc sit & antiquissimum & minus depravatum, non minus Græcis, Barbaris, Hispanis, Afris, Syris, Ponticis, atque reliquis, quocunque gentium terrarumque sint dispersi, quam nostris quoque Judæi commune est, omnino modica literarum apicumque (qui literarum partes constituunt) varietate distinctum; eadem veneratione ab omnibus acceptum, atque religione servatum, quod hoc etiam Patres illi prisci, & veræ fidei, & omnis virtutis viva quædam exempla, Abraham, Isaac, Jacob, & qui longo denique post tempore Israeli Dux & Liberator a Domino datus est, Moses, cæterique in transcribendis Legibus sacris, & Divinis illis ad posteritatem transmittendis præceptis, sunt usi. Quamobrem veteres quidam Rabbini, nimirum ut rudiores, vel ipsa nominis appellatione, ad exosculandum atque conservandum a Patribus transmissum acceptumque donum pertraherent, hoc Abecedarium* בחיכה אשורית Scripturam Assyriacam *appellaverunt. Nempe quod a majoribus illis, qui ab Assur primum ad Chananæos hospites venerant ac peregrini, ista scribendi pingendique ratio sit usurpata, & ad posteros transmissa*; Et paulo post: *Cum itaque rationem istam scribendi, verum illam Hebraicæ Linguæ characterem constituere, eumque veterem illum esse, quo & Patres quoque sint usi, compertum sit; non inutiliter operam suam locaverunt Judæi quidam, qui tanti muneris etiam conservandi gratia, de literarum constitutione libellos varios conscripserunt, inter quos Rabbi Akiva, Rabbi Abraham Medicus, & alii plerique connumerandi sunt, quorum nos vestigia & authoritatem sequimur.*

Wilhelmus Schickardus in Bechinath Happeruschim *pag. 82.* inter alia plura scribit: *Quod Cuthæi residuam habeant antiquam Scripturam, id nequaquam credo. Ut enim in religione Samaritani a Judæis, non hi ab illis defecerunt: ita & in scriptione sacer Dei populus antiquas figuras retinuisse; Schismatici vero, ut in omnibus differrent, etiam characteres literarum mutasse, merito existimandi sunt. Quid?*

Quid? quod ipſa Merubbah, *h. e. Quadrata literarum pictura, utpote ſibi conſtans, æquabilis, facilis, & in decoram lineam coagmentabilis, vocis inſuper formatricum organorum diſpoſitionem quodammodo referens, adeoque ipſo aſpectu reconditam quandam majeſtatem præ ſe ferens, potius Legislatori ſapientiſſimo convenire videtur, quam hæc biulca, deformis, aſpera, operoſa, & exaratu difficilis, adeoque ut ex omnibus circumſtantiis apparet, Fictitia, &c.*

Hugo Broughtonus in Concentu Sacræ Scripturæ *pag.* 126. *In hoc* (ſermone Hebræo) *ſcriptus quiſque liber V. ſtylo non imitabili; Characteresque & Puncta ſunt, ut fuerunt in Tabulis* θεογράπτοις. *Maſoritæ autem, quorum ductor fuit Eſra, ſic ſervant* μωλωπῶ *diligentia literas & voces, ut nihil queat interire.*

XXIV. Et hæc ſufficiant quoque hic pro Teſtimoniis a Chriſtianorum ſcriptoribus petitis; ſicque hactenus vidimus *Teſtimonia Perſonarum*: ſequitur ergo, ut paucis etiam quædam *Teſtimonia rerum* videamus. Quamvis autem illam non tanti momenti, nec tantæ authoritatis & fidei fortaſſis ſint futura, ut præcedentia; attamen & illa producemus. Pręcedentium enim authoritatum pondus & his forte aliquid commodare poteſt, ut quę ſingula non prodeſſent, juncta juvent.

XXV. *Teſtimonia ergo rerum*, quę huc referri poſſunt, ſunt petita ab *Inſcriptionibus Veteribus*. Et hę ſunt vel *Veterum Monetarum*, vel *Veterum Monumentorum*.

XXVI. *Monetas veteres* quod attinet, notius eſt, quam ut prolixe probari debeat, reperiri *Siclos*, qui his literis notati conſpiciuntur. Novimus equidem, reperiri etiam alios, Samaritanis literis inſcriptos, & hos illis antiquiores a multis cenſeri (ut poſtea videbimus). Quis tamen perſuadebit nobis certo, utri ſint antiquiores? Cur non, ſicut duplices tunc characteres in uſu fuerunt (ut in ſeqq. videbimus): ſic duplici quoque charactere ſicli, uno eodemque tempore, cudi potuerunt? Imo annon fieri poteſt, ut, ſicut iſte Character Sanctus fuit habitus, ut in quo Lex data: ſic etiam iſti Sicli charactere ſancto inſcripti, in uſus ſacros, pro ſiclis ſacris cuſi fuerint? Hęc vero pro certo non aſſeveramus: ſed tamen non omnino improbabilia eſſe putamus, multo minus impoſſibilia. *Deinde* teſtatur Wilhelmus Schickardus in Diſſertatione de Nummis Hebręorum, effodi Hieroſolymis ęneos *Nummos antiquos*, cum *Salomonis* nomine, regno adhuc integro procuſos, & ſic ipſa Samaritanorum origine, Eſdraque multo antiquiores, qui ex una facie *Vultum Regis*, ex altera *Templum*, utrobique cum literis vulgaribus, oſtentant. Talem Fulvius Urſinus Romanus habuiſſe dicitur. Hunc Villalpandus, *contra clariſſimam inſcriptionem, tantum ne præconceptam opinionem ſuam deperdat*, (verba ſunt Schickardi) *recentius demum ab Herode Agrippa percuſſum eſſe dictitat, in honorem Marci Antonii, cujus effigiem optime referat. Credat Judæus Apella, non ego.* Hæc Schickardus. Huc referri poteſt, quod R. Aſarias in Meor enajim *fol.* 174. *col.* 2. refert, ſe inter Numos antiquos Davidis Panſæ, civis Mantuani, vidiſſe Numum Argenteum, in cujus una facie erat *Figura capitis humani*, cum hac inſcriptione in circuitu, שלמה המלך *Salomon Rex*, lingua Hebræa, & ſcriptura quadrata; in altera facie *Figura Templi*, & inſcriptio talis, iiſdem literis, היכל שלמה *Templum Salomonis*.

XXVII. *Monumentorum inſcriptiones extant hæ.* Teſtatur R. Benjamin Tudelenſis in Itinerario ſuo, ſibi in peregrinatione ſua, monſtrata fuiſſe Patriarcharum ſepulchra, habentia Inſcriptionnem חקוקות באותיות *literis ſculptis*; זה קבר אברהם אבינו עֹהֹ: *hoc eſt ſepulchrum Abrahami Patris noſtri* p. m. &c. Hoc iterum producit Schickardus. Huc referri poteſt, quod R. Moſes Schem Tof, ex celebri familia Chavif, quæ in Hiſpania aliquando floruit, oriundus, in libro מרפא לשון *Marpelaſchon*, de viſo ſibi monumento Ducis Amaziæ Regis Jehudæ ſcriptum reliquit, his verbis: ולפי דעתי כי זה הדרך במשקל השירים הוא מאד ומעיד אני עלי שמים וארץ כי במלכות וולנציאה בקהלת מורויטרי הגידו לי כל העם אשר בשער והזקנים כי שם מצבת קבורת שר צבא אמציה מלך יהודה: ובשמעי חשתי ולא התמהמהתי לראות מצבתו מצבת אבן בראש ההר: ואחר העמל והטורח קראתי הכתיבה והיה חקוק עליה שיר זה לשונו: שאו קינה: בקול מרה: לשר גדול: לקחו יה: ולא יכולנו לקרות עוד כי הוחה נמחקת אבל היה מסיום השיר השני לאמציה: אז האמנתי כי הדרך הזה במשקל השירים היה מימי אבותינו על אדמתם: h. e. *Et ſententia mea, hoc genus carminum* (rhythmicum) *eſt antiquum valde. Teſtor enim cœlum & terram, cum eſſem in Regno Valentiæ in Synagoga Morvetre, totum populum, qui erat in porta, & ſeniores mihi ſignificaſſe, extare illic ſepulchrum Ducis exercitus Amaziæ Regis Jehudah. Quod cum audiſſem, feſtinavi, neque cunctatus ſum, ut viderem ſtatuam ſeu lapidem ſepulchralem ejus in vertice montis cujuſdam: ubi magno labore & defatigatione legi Inſcriptio-*

ptionem, quæ illi insculpta erat. Fuit autem talis: שאו קינה : בקול מרה: לשר גרול : לקחו יה: Edite lamentum : voce amara : Duci magno : erepto a Deo. *Quæ sequebantur, non poteramus legere: erant enim vetustate obliterata. Sed versus secundi finis erat* לאמציה Amaziæ. *Tunc credidi, hoc genus carminum rhythmicorum usitatum fuisse, ex quo Patres nostri in terra sua fuerunt*. Hæc illic. Unde, sicut ille R. Schem Tobh concludit, genus Carminum rhythmicorum esse antiquum: sic etiam concludi posse videtur, Literas Hebræas esse antiquas. Nam, si Samaritanæ fuissent, plane non potuisset eas legere, vel saltem ejus mentionem fecisset. Nam illæ literæ Samaritanæ tam peregrinæ & ignotæ sunt Judæis, ac Japonicæ, aut quævis aliæ.

XXVIII. Ad has Inscriptiones referri quoque potest illa *Inscriptio*, quæ erat *in Lamina aurea Cidaris summi Pontificis*, de qua legitur *Exod.* 28. *vers.* 36. 37. ubi memoratur, quod illi inscriptum fuerit, קרש ליי *Sanctitas Domini*, Drusius in Tetragrammato *cap.* 22. quidem scribit, *potius charactere Samaritano, quam Assyrio hæc inscripta fuisse*. Sed quo argumento probat? D. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam scribit, *Laminæ aureæ*, ציץ זהב Tziz sahaf *dictæ, inscriptum fuisse Dei nomen Hebraicis quatuor literis* הוהי. Si Hebraicis, ergo non Samaritanis. Hinc R. Asarias in מאור עינים *cap.* 58. concludit, Hieronymum quoque in ea sententia fuisse, Literas Hebraicas hodiernas jam tum temporis extitisse: & addit; אולי ראה הציץ ברומי בר' אליעזר בר' יוסי: *Fortassis vidit Laminam illam Romæ, ut R. Eliesér filius R. Jose*. Hujus historia legitur in Talmud, Tractatu de Sabbatho *cap. 6. fol. 63. col.* 2. אמר רבי אליעזר בר' יוסי אני ראיתיו בעיר אחת וכתוב קרש ליי בשיטה אחת: hoc est, *Dixit R. Eliesér filius R. Jose, Ego vidi eam* (laminam, vel cidarim) *in urbe quadam, & scriptum erat* קרש ליי' *Sanctitas Domini, in linea una*. Pro בעיר אחת *In urbe quadam*, legitur in Succah *folio* 5. 1. & in Jalkut *fol.* 104. 1. ברומי *Romæ*. In quibus locis quidem de modo scriptionis illius disputatur; An hæ voces in una vel in duabus lineis scriptæ fuerint? &, Quænam literæ in una vel altera linea fuerint? Sed literarum Samaritanarum nulla mentio.

XXIX. Et sic vidimus hucusque Testimonia varia tam Personarum quam Rerum, atque ita Argumenta Inartificialia, quæ pro Literarum Hebraicarum Antiquitate produci possunt. In quibus, licet varia argumenta, & rationes non omnino contemnendæ sint comprehensę, quas digito passim notavimus; placet tamen alias quasdam subjungere, & ulterius eam demonstrare.

XXX. *Rationes*, ad eandem rem adstruendam produci possunt varię. Videamus quasdam.

XXXI. *Primo; Ex ipsa Scriptura Hebraica Veteris Test.* argumenta videntur deduci posse pro Scripturę sive Characterum horum Antiquitate. Plura forte excogitari & adinveniri possent. Contenti erimus unum produxisse. Supra thesi 15. dictum est aliquid de Literis duplicibus quinque, h. e. de literis כמנפצ, quę in fine vocis aliter pingi solent, ךםןףץ. Id in totis Bibliis ita accurate & religiose est observatum, ut non nisi unicus extet locus, in quo *Mem finale* reperitur *in medio* vocis, & unus, in quo *Mem initiale in fine*; ubi omnes, tam veteres, quam recentes, etiam Christiani, uno ferme ore, mysterium subesse volunt, licet in eo explicando varient. Locus primus est in vaticinio de Messia, *Jesa. 9. vers.* 7. לםרבה המשרה ולשלום אין קץ *Multitudini dominii & pacis non erit finis*. Hic in voce לםרבה ponitur Mem clausum seu finale in medio, in quo omnes fere tam Hebręorum, quam Christianorum interpretes mysterium communiter quęrunt & agnoscunt. Liranus scribit, *Mem clausum contra naturam suam in medio dictionis scribi, ad denotandum, quod Christus, de quo Scriptura hic loquitur, natus fuit contra cursum naturæ, de virgine clausa, id est, a viro intacta*. Sic Volphangus Fabricius Capito in Institut. Gramm. cap. 2. לםרבה *dixit Propheta, coactus videlicet, naturæ ordinem, in virgine matre permutatam, genuino literarum situ permutato, innuere, atque clausum Mem ponere, contra linguæ proprietatem, in medio dictionis, inviolata claustra virginis puerperæ significaturus, per quæ, sine medio, Mediator hominum transiturus erat, & certe jam olim transiit*. Galatinus *lib.* 4. *cap.* 19. præter hanc causam etiam scribit, *per Mem clausum tempus adventus Messiæ præfixum significari, nempe* 600. *annos* (quia Mem finale in numeris valet 600.) *qui ab hac Prophetia usque ad Nativitatem Christi futuri erant*; quod inductione probat. Vide eum dicto loco, & *lib.* 7. *cap.* 13. ubi Cabalisticę probat, *Nomen Mariæ Virginis & Dominæ in vocibus* לםרבה שרת *latere*. Picus Mirandulanus Disput. ult. Conclus. 41. *Sciri potest in Cabala per mysterium Mem clausi, cur post se miserit Christus paracletum*. Alii ad mysterium Vocationis gentium referunt, per quarum accessionem

nem ad regnum gratiæ Christi, amplitudo ejus infinita futura erat, quo Judæis absconditum fuit, & absconditum mansit, usque ad tempora, Christi ascensionem secuta. Sic scribit Œcolampadius: *Invenies in voce* לםרבה *rarum quiddam, quod in tota Scriptura non occurret, nempe* ם *finale, hoc est, M. clausum in medio, quod non solet poni, nisi in fine dictionis. Cujus mysterium crediderim, quod regnum Christi prius fuerit arctatum intra regnum Christi*. Sic Theodorus Bibliander de optimo genere explicandi Hebraica: *Quum Jesaias scribit* לםרבה *ponens figuram literæ Mem in medio, quæ fini congruit, non leges Orthographiæ temere transilit, sed mysterium regni Christi literis deumbrat*. Alii aliter. De Hebræorum sententiis vide Talmud *Sanhed. cap.* 11. *fol.* 94. & ibi R. Salomonem: R. Bechai *Comment. in Genes. fol.* 10. editionis Venetæ, Abarbenelem in Jesajam, Kimch, &c. Summa; Vix reperitur ex interpretibus, qui non aliquid subesse mysterium senserit.

Dico ergo: Si Esdras demum vel invenit, vel Judæis tradidit has literas, quibus nunc utuntur Hebræi, tum Esajas scripsit literis Samaritanis; si Samaritanis, Mem illud clausum sive finale non adhibuit: Nam Samaritani literis finalibus carent. Si a Propheta non ita irregulariter scripta est hæc vox, ad quid in illa scriptione quęrunt mysteria? Cur omnes dicunt, a Propheta mysterii alicujus causa literam istam hic contra morem communem positam? An credibile est, Esram, Esaię scriptionem studio immutare voluisse? An probabile, illum nova mysteria voluisse alienę Prophetię inserere? Annon videri potuisset peccare in illud; לא תספו על הדבר אשר אנכי מצוה אתכם: *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis*, Deut. 4. vers. 2. &, לא תסף עליו ולא תגרע ממנו: *Non addes ad illud, neque detrahes de eo*, Deut. 12. 32. Itaque, si recte sic scribitur, & mysterium subest, a Propheta sic scriptum esse oportet. Si a Propheta sic scriptum; Ergo litera ista jam ejus tempore fuit, & per consequens reliquę etiam omnes. Nam quę est ratio unius literę; eadem est quoque reliquarum.

XXXII. Atque hic notanda est insignis ἀντιλογία adversariorum quorundam hujus sententię, in quam incauti incidunt. Cum enim quęstio est de Literis; scribunt, ab Esdra demum eas inventas: cum de hac litera Mem in loco Jesaię agunt, dicunt, eam *a Propheta* mysterii causa esse adhibitam. Quo ipso, annon tacite confitentur, literas has jam tum in usu fuisse inter Judęos, & propterea sibi contradicunt? F. Ludovicus S. Francisci, Lusitanus Olyssiponensis, in Globo Canonum Arcanorum Lingue Sanctę ac Divinę Scripturę, *cap.* 1. sequitur sententiam D. Hieronymi, *Esram alias literas reperisse, quibus videlicet nunc utimur*. Item: *Licet hodie vulgo, hi, quibus utimur, characteres Hebraici dicantur; Chaldæi tamen & Babylonii sunt, &c.* Mox cap. 4. de hoc Mem clauso apud Jeremiam, scribit; *Non vacat autem mysterio, poni Mem clausum, & finalem literam in principio illius dictionis* Lemarbe. *Ad modum namque positionis illius literæ, contra situm & naturam aliarum, significatur a Propheta*, (NB.) *clausa & inviolata virginalia virginis Mariæ claustra futura, per quæ mediator ille, qui principatum & imperium spirituale multiplicaturus erat, sine medio transiturus fuerat, & sic fuisse in Sanctissima Virgine ordinem & naturam literarum permutandum. Et hoc est, quod in Hebræorum Talmud in Tractatu de Sabbatho dicitur, Mem clausum significare materiam clausam & abstrusam, de quo vide Galatinum: licet quidam fabulosus author hoc mysterium referat ad Solem, qui retrorsum per umbram reversus fuerat; & Forerius Jesajæ mysterium prædictum irrideat, & vitium impressoris fuisse credat. At majus vitium Scriptoris putarim, mysterium illud obscurare, quod omnes docti, & ipsimet Hebræi, admittunt*. Hæc ille. Nota, quod scribat, *a Propheta, per talem hujus literæ positionem, contra situm & naturam aliarum, significatum fuisse mysterium*. Unde sequitur, Prophetam ipsum sic scripsisse. Si sic scripsit, ergo literæ illæ jam fuerunt: ergo non ab Esra demum inventæ, quod prius statuerat. Idem notari posset in quibusdam aliis.

XXXIII. *Secundo*, deducit Guilelmus Postellus, in libro supra citato de Originibus *cap.* 5. ad persuadendum, certissimum esse, Linguam Hebraicam, qua nunc utimur, fuisse divinitus datam, argumentum *ex dicto Christi*, Matth. 5. *vers.* 17. 18. *Ne putetis, me venisse, ut dissolvam Legem, aut Prophetas: non veni ut dissolvam, sed ut impleam. Amen quippe dico vobis, usque dum præterierit cælum & terra, Jota unum, aut Apex unus non transibit a Lege donec omnia fiant*. Hinc sic concludit; Cum Christus dicat, non solum nulla præcepta, neque sententias Legis majores integras, solutum iri, antequam impleantur: sed ne minimam quidem literam, qualis est litera Jod, vel Apiculus unus, ex quibus Jod constat, & unde etiam vis Punctorum vocalium & Accentum Hebræorum

rum promanat; necessario sequitur, eam esse veram linguam & Scripturam Legis, in qua litera Jod minimum, & observatione præ cæteris dignum, elementum constituat, & in qua usitatum sit, rationem apiculorum & punctorum considerare. Atqui hoc in ulla alia lingua & Scriptura, quam hodierna Hebraica, observatur. Propterea illa sola est vera & genuina scriptura Legis. Apponam ipsius Postelli verba, quia libiri ejus hodie non ubique sunt obvii: *Duobus argumentis*, inquit, *certissimi reddimur facti* (Scripturam Hebraicam, qua nunc utimur, fuisse Divinitus datam.) *Primum est a dictis Christi. Quum enim vult ipsa æterna Veritas demonstrare a Minori ad Majus, se non venisse ad solvendam Legem, sed ad implendam, ait*: Ne putetis, quod venerim solvere Legem, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeas cœlum & terra, Jota unum aut Apex unus non transibit a Lege, donec omnia fiant. *Si de verbis Euclidis nil potest sine veri dispendio perire, multo minus de Lege Dei. Sed tantum abest, ait Christus, ut quædam sententiæ, complexa, aut literæ majores, possint antequam impleantur intercidere; ut diuturnior sit, non solum minima omnium literarum Hebraicarum, quæ Jota est, quam cœlum & terra: sed etiam ita, ut sit multo magis ad expressionem usque minimæ illius inter omnes literæ effectus Scripturæ finaliter considerandus & exspectandus, quam cœli & terræ, seu materiæ & formæ. Siquidem literarum divinarum virtus est cœlis superior. Sed non tantum minimam literulam Jota est impossibile fraudari suo effectu, legalique consideratione, sed etiam ipsos apiculos tres, quibus constat. Ad apiculos enim usque tam literæ Jota, quam cæterarum, quæ omnes ex ea compositæ sunt, apices, Spiritus Sanctus summa veritatis æternæ vestigia & demonstrationes primas docuit, ut in Zohare, & tota Patrum doctrina patet. Cujus rei argumentum unum vel maximum videas in hoc, quod Patres, Spiritu Mosis illuminati, ajunt, Tres apices esse circa unitatem ipsius Jod, tanquam tres Patres* (i. e. Proprietates vel Personas) *in Unitate. Sic enim vocant, quas nos Personas dicimus. Sic per Apices & Jod videtur prima Divinæ essentiæ expressio in una essentia; quæ Unitatis, Veritatis, Bonitatisque, apicibus, per tres personas inconfusibiles & inseparabiles exprimitur. At quum non fuerit ulla ante Christum alia Sacra Scriptura, aut Lex scripta, quam Mosis; & quum in nulla alia lingua mundi sit a Patribus observatum, ut non tantum Jod minina universi litera sit ante omnes observabilis, sed etiam ejus apices sint summæ veritatis argumentum, quam in ipsa Hebraica nunc extante, & jam a temporibus Esræ, post captivitatem Babylonicam, publice exposita: necesse est, ut illa sit æterna lingua & character, ut quæ non tantum Jod habet pro minimo elemento, sed etiam, sub qua sola sit usitatum, rationem apiculorum considerare, donec omnia fiant, &c.* Hæc ex Postello. Ex hoc eodem loco Matthæi alii sic inferunt: Si libri sacri non amplius extant charactere veteri & genuino conscripti, tum non tantum Jota unum, aut apex unus e Lege intercidisset, sed Tota Lex & Prophetę. Atqui hoc Christus dicit esse impossibile.

XXXIV. *Tertio* argumentantur nonnulli ab ipsa *Qualitate, & Forma* istorum characterum, quod illi longe sint simpliciores & minus operosi, quam Samaritani, & propterea etiam majorem sapiant Majestatem & Antiquitatem. Huc pertinet, quod supra adductum Wilhelmi Schickardi testimonium, sub thesi 23. Huc etiam inclinat Nicolaus Fullerus in Miscell. sac. *lib.4.cap.* 4. *Nisi si paulo*, inquiens, *antiquiores sunt forsan quibus hodie utuntur Judæi, quo tum vetustiores esse cognoscuntur res Ecclesiasticæ, quam civiles, tum simpliciores minusque operosos videmus hos quam illos. Exemplo sit unicum Jod a Servatore nostro propositum. Id enim in Alphabeto Hebraico, teste omni exceptione majore eodem Domino nostro, est cunctorum elementorum minimum & simplicissimum. In Alphabeto autem Samaritano, ut & Siclis antiquis* (*quamquam bene magnum utrobique discrimen cernitur*) *spatiosum est, variumque & multiplici ductu compositum*. Sic ostendit iterum Postellus *ex figura harum literarum Geometrica & Mathematica*, ut vocat, *quod Hebraica scriptura prostans, sit æternæ & infallibilis veritatis lingua seu scriptura*, De Originibus capite 6. & in Tabulis Linguarum.

XXXV. *Quarto*, a Pervicacissima Judæorum indole, & ejus, quod semel arripuerunt, tenacissima; maxime in rebus sacris, & iis quæ ad Gloriam gentis suæ, & ad Gloriationem atque Jactantiam pertinent. An credibile est, illos passuros fuisse sibi eripi eam scripturam, quam per tot sæcula pro cimelio sancto habuerunt? qua Legem suam, Legem Mosis, per omnes ætates præteritas scriptam habuerunt, & legerunt? quam a Deo ipso in monte Sinai, per Mosen, acceperunt? An ipsi permisissent, ut Esras Samaritis, genti, vel potius colluviei gentium, sibi invisæ & inimicæ, hanc Scripturam Sacram, hanc gloriationis materiam, traderet, & ipsis eriperet? Quot quantasque

que turba existimamus Judæos excitaturos fuisse, quid non contra Esram molituros? Quæ miracula suffecissent, ut ipsis persuaderet, se Divino jussu ac mandato facinus hoc aggredi? Hinc scribit iterum Fullerus citato loco: *Præterea accurate notatam velim pervicacissimam Judæorum indolem, ejus quod semel arripuerint firmissime tenacium: maxime ubi de Traditionibus sacris ageretur, & ad Legem Mosaicam spectantibus. Atque hic Judæi Samaritas, tenebriones sc. contemtos & abjectos longe multumque semper superarunt: uti pluribus & clarissimis testimoniis exemplisque apud Josephum & alibi demonstratum legitur.*

XXXVI. *Quinto* etiam ratio illa probe observanda est, cujus supra Theodorus Bibliander meminit in testimonio sub thes. 23. producto, quod non vero simile sit, Esram vel potuisse vel voluisse Scripturam veterem immutare. *I. Non probabile est, potuisse Esram hoc facere*; 1. propter pervicaciam Judæorum modo memoratam. 2. quomodo potuisset Esras facile omnia exemplaria veteris scripturæ, quæ passim extabant inter Judæos, abrogare? Erant tunc Judæi in varias partes orbes dispersi. Et tum in Babylonia, ubi Scholas & Academias habebant, tum in Palæstina, plurima procul dubio publice & privatim inter ipsos supererant? Quid de iis factum? Fabula enim est, quod quidam referunt, seu combusta, seu alio quovis modo deperdita tum fuisse omnia exemplaria Sacra, & miraculose, e nuda memoria, ab Esdra restituta. *II. Non vero etiam voluisse Esram hoc facere*, ex eo recte arguitur, quod Nehemiæ *cap.* 13. *vers.* 23. 24. 25. legimus, quanto zelo correptus fuerit, cum videret filios quorundam Judæorum Asdodice loquentes, Judaice autem loqui nescientes, ita ut cum eis acriter contenderit, eis maledixerit, percusserit, & capillos evulserit. Sine dubio, prout hic Linguæ causa efferbuit contra istos Judæos, neque pati voluit, ut aliena lingua loquerentur, vel uterentur: ita nullo modo credibile est, illum Legis Scripturam, quæ a Deo data erat, & digito Ejus consecrata, cum Assyriorum Scriptura permutare voluisse. *Mihi nequaquam fit verisimile*, scribit Polanus Ezech. 9. *vers.* 4. *Esram, Malachiam, Haggæum, Zachariam, & cæteros pios, qui post captivitatem fuerunt, literas a Deo ipso acceptas abjecisse, & cum humanis, imo Gentilibus literis, commutasse.* Sed de hoc in seqq. adhuc quoque erit dicendi locus.

XXXVII. *Sexto* & hoc utitur argumento Fullerus: *Numerosissima*, inquit, *Judæorum gens, longe lateque disseminata, facilius potuit (ut est omni ratione probabile) characteres suos sartos tectosque conservare, quam popellus exiguus, in angulum oppido angustum conclusis. Quis enim nescit parvæ lacunæ aquam multo citus corrumpi, quam ingentis piscinæ?*

Hęc de Κατασκευῇ, & sententię Affirmativę confirmatione.

II.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ,

SENTENTIÆ NEGATIVÆ.

XXXVIII. Posteaquam Affirmativæ sententiæ, pro hodiernarum Literarum Hebraicarum Antiquitate, confirmationem, Testimoniis luculentissimis, & Rationibus firmis, subnixam vidimus; ad Negativæ quoque sententiæ considerationem accedemus, idque eo ordine, & ea methodo, qua in prima parte usi sumus.

XXXIX. Qui Negativam sententiam tuentur, illi negant, *Characteres Hebraicos hodiernos, esse veteres illos, quibus Moses Legem a Deo in Tabulis accepit, & in Libris ipse conscripsit: sed Assyriorum fuisse, & ab Esra demum post reditum ex captivitate Babylonica Judæis usurpandas traditas fuisse:* & e contrario asserunt, *Veros & Veteres Characteres Hebræos, quibus Lex a Deo in Tabulis scripta fuerat, esse eos, quibus hodie adhuc Samaritani utuntur.*

XL. Pro hac sua sententia adferunt ipsi quoque in medium, tum *Testimonia & Authoritates*; tum *Rationes*. Et Testimonia quidem itidem tum *Personarum*, tum *Rerum*; atque Personarum iterum vel *Hebræorum*; eorumque tum *Veterum*, tum *Recentium*; vel *Christianorum*. Initium ergo faciamus a Testimoniis Hebræorum.

XLI. *Hebræorum* & quidem *Veterum* Testimonia proferuntur duo præcipue ex Talmud, quorum unum est *Doctoris Tannæi*, vel *Mischnici*; alterum *Amorrhæi*.

XLII. *Primum* est *R. JOSE*, Doctoris Mischnici, seu Deuterotæ, ex supra citato loco in Talmud Babylonico Sanhedrin *cap.* 2. his verbis: תניא רבי יוסי אומר ראוי היה עזרא שתנתן תורה על ידו לישראל אילמלא לא קדמו משה: במשה הוא אומר ומשה עלה אל האלהים: בעזרא הוא אומר הוא עזרא עלה מבבל: מה העלייה האמור באן תורה: אף עלייה האמור להלן תורה: במשה הוא אומר ואותי צוה יי׳ בעת ההיא ללמד אתכם חוקים ומשפטים: בעזרא הוא אומר כי עזרא הכין לבבו לדרוש את תורת יי׳ ולעשות וללמד בישראל

דישראל חוק ומשפט : ואף על פי שלא נתנה על ידו נשתנה על ידו הכתב שנאמר וכתב הנשתון כתוב אמרית ומתורגם ארמית: וכתוב לא כהלין כתבא למקרי ופשרא להודעא למלכא: מלמד שבאותו היום נתן: וכתיב את משנה התורה הזאת כתב הראוי השתנות: למה נקראת אשורית שעלה עמהם מאשור: h. e. *Traditio eſt: Rabbi Joſe dixit, Dignus fuiſſet Eſras, ut per manus ipſius daretur Lex Iſraeli, niſi præceſſiſſet ipſum Moſes. Nam ſicut de Moſe ſcriptum eſt*; Et Moſes aſcendit ad Deum, Exod. 19. *verſ.* 3. *ſic de Eſra dicitur*; Ipſe Eſras aſcendit ex Babel, Eſræ 7. 6. *Quid fuit Aſcenſio illic?* (i.e. quæ fuit cauſa cur aſcenderet Moſes?) *Lex. Sic eadem fuit cauſa aſcenſionis Eſræ ex Babel; Lex. Iterum de Moſe dictum eſt*: Et mihi præcepit Deus in die illa, ut docerem vos ſtatuta & judicia, Deut. 4. 14. *De Eſra ſimiliter*: Quia Eſra præparavit cor ſuum ad quærendum Legem Domini, & ad faciendum, & docendum in Iſraele ſtatutum & judicium, Eſr. 7. 10. *Licet vero non ſit data Lex per manum ejus; mutata eſt per manum ejus Scriptura, ſicut dicitur;* וכתב הנשתון Et ſcriptura dupli, Eſr. 4. 7. *Item*; Non poterant Scripturam legere, & interpretationem notam facere Regi, Dan. 5. *verſ.* 8. *quod docet, eo die mutatam fuiſſe Scripturam.* Item; Duplum את משנה Legis hujus, Deut. 17. 18. *i. e. Scriptura quæ mutanda erat. Quare vocatur nomen ejus* אשורית Aſchurith? *Quia aſcendit cum eis ex Babel*. Hactenus R. Joſe. In Talmud Hieroſolymitano Megilla *cap.* 1. eadem Traditio legitur, ſed magis breviter & conciſe: & huic R. Joſe adjungitur alius, qui dicit ברעץ נתנה תורה *In Raaz* (h. e. ut interpretes volunt, *Scriptura Samaritana*) *data eſt Lex;* ואתייא כר' יוסי *quod venit ſecundum R. Joſe*, i. e. quod convenit cum ſententia R. Joſis. Hinc dicit poſtea R. Levi; למאן דאמר ברעץ נתנה תורה ע' מעשה נסים *Juxta eum qui dicit*, In Raaz *datam eſſe Legem, litera* ע Ain *eſt opus miraculoſum* (quia ſc. Ajin circuli vel literæ O figuram refert in lingua Samaritana. Vid. ſup. theſ. 15.)

Reſp. Quod hoc teſtimonium attinet, ſciendum, eſſe illic, ut videtur פלונתא Diſſenſionem vel diſceptationem in Gemara, inter Doctores Babylonicos quoſdam; Quibuſnam literis Lex data ſit? *Primo* ſententiam dicit Mar Sutra, Amora, ſeu Doctor Gemaricus, de quo mox: *Secundo* R. Joſe iſte, Tanna. Et hi duo ſentiunt, Scripturam ab Eſra mutatam eſſe. *Tertio* ſequitur R. Jehudah hakkadoſch: & *Quarto* R. Schimeon ben Elieſer ben Partæ, & hic, nomine R. Elieſer Hammodai; Tannæi omnes; qui volunt, literis hodiernis, Aſſyriacis dictis, Legem datam eſſe.

His proinde ſic præmiſſis, reſpondetur, *Primo*, hunc R. Joſen in Talmud Babylonico eſſe ſolum & unicum ex Tannæis ſeu Doctoribus Miſchnicis hujus ſententiæ: pro altera vero ſententia ſtare tres, R. Jehudam, R. Simeonem, & R. Eleaſarem; inter quos licet aliquid ſit differentiæ; quod ſc. unus putat, hanc Scripturam nunquam mutatam eſſe; in principali tamen puncto conveniunt, quod hæc eadem ſit Scriptura, in qua Lex data fuerit. Itaque cum hic opponantur inter ſe *Sententia Unius*, & *Sententia Plurium*, deciſio & concluſio fit ſecundum Plures, juxta Regulam illam Talmudicam vulgarem יחיד ורבים הלכה כרבים *Si Unicus & Plures inter ſe opponantur, ſententia fertur ex mente plurium.* Vide eam in הליכות עולם *Helichotbolam par.* 5. *cap.* 3. & in מבוא הגמרא Introductione in Gemaram, eodem libro annexa. *Deinde*, ex ordine illius diſputationis liquet etiam, quod Talmudis mens ſit, ex illorum plurium ſententia deciſionem eſſe: Nam cum Negativæ ſententiæ patroni primo producantur; poſtea patroni ſententiæ Affirmativę pro Antiquitate literarum, nec ulla alia ibidem objectio contra ipſos moveatur, vel alia ſententia aut deciſio detur, patet; Illorum ſententiæ ſubſcribi & ſubſcribendum eſſe. Imo, quod magis, ad rationes priorum in ſeqq. reſponſiones adferuntur, eæque rejiciuntur. *Tertio* addi poteſt & hoc, quod R. Jehudah ſolus, ejuſque authoritas longe pluris ſit facienda, quam R. Joſe: quia ſecundum ipſum ut plurimum deciſiones fiunt. *Quarto*, in dubium adhuc vocari poſſet, an hęc fuerit mens R. Joſis, quę illi affingitur. Poſſent enim verba etiam exponi partim de ea Mutatione, de qua R. Jehudah loquitur, quę videlicet facta eſt longe ante tempora Eſrę, partim de ea, qua per Eſram vera & vetus ſcriptura Hebraica, longo tempore in communi uſu inter Judęos abolita, fuit reſtituta, quę etiam ſpecies mutationis fuit. Sic R. Jehudæ ſententia expoſitionis loco ſubjiceretur. Et ſane vox Hebręa שנה, vel נשתנה, quę per *Mutari* hic exponitur, etiam ſignificat *Iterare*, *Iterari*; quę ſignificatio ſi adhiberetur, nihil contrarium diceret hic R. Joſe. Sed, quia hęc videntur per modum *Plugto* ſeu *Diſſenſionis* proponi, hoc ſuo loco relinquimus, *Quinto* dicimus, quicquid ſit, communiter Judęos ſequi & recipere ſententiam R. Jehudę. Hinc ſcribit R. Jehudah Muſcatus in Com-

Commentario libri Coſri *par.* 2. *ad num.* 68. *fol.* 118. *col.* 1. poſtquam Controverſiam iſtam adduxiſſet ex Talmud ¦: אמנם קיימו וקבלו היהודים הא דתניא התם ר' אומר בכתב זה נתנה (ר״ל אשורית) תורה לישראל וכו': h. e. *Verum Judæi approbarunt & acceperunt id, quod illic R. Jehuda docuit, In ſcriptura iſta* (Aſſyriaca nempe) *datam eſſe Legem Iſraeli, &c.* Sexto, quod in Talmud Hieroſolymitano R. Nathan ipſi adjungitur, nihil juvat illius ſententiam. Nam R. Aſarias in מאור עינים Meor enajim *cap.* 56. dicit : סוגיין דעלמא כותייהו *Communiter ſententias & deciſiones fieri ſecundum alteros*. Ita ergo apparet, hoc teſtimonium, ex ipſorum Hebræorum authoritate, non tanti eſſe ponderis & momenti, ut palmam obtinere, & ſupra adducta evertere poſſit. Rationes allatas quod attinet, inferius excutientur.

Alterum Teſtimonium quod ex Talmudicis, pro Mutatione literarum veterum Hebraicarum per Eſram facta profertur, eſt ab *Amorrhæis* ſeu Doctoribus Gemaricis, & extat ibidem in Sanhedrin in his verbis ; אמר מר זוטרא איתימא מר עוקבא בתחלה נתנה תורה לישראל בכתב עברי ולשון הקדש חזרה ונתנה להא בימי עזרא בכתב אשורי ולשון ארמי בוררו להן לישראל כתב אשורית ולשון הקודש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון ארמית מאן הדיוטות אמר רב חסדא כותאי מאי כתב עברית אמר רב חסדא כתב ליבונאה: h. e. *Dixit Mar Sutra, vel, ut alii volunt, Mar Ukba; In principio data eſt Lex Iſraeli Scriptura Hebræa,* (id eſt Samaritana) *& Lingua Sancta : iterum data eſt ipſis, in diebus Eſræ, Scriptura Aſſyriaca, & Lingua Aramæa. Elegerunt pro Iſraelitis Scripturam Aſſyriacam & Linguam ſanctam: & reliquerunt Idiotis Scripturam Hebræam, & Linguam Aramæam. Quinam ſunt Idiotæ? Raf Chaſda dixit, Cuthæi. Quænam eſt Scriptura Hebræa? Raf Chaſda dixit, Libonaah.* Hæc illic.

Ad hujus teſtimonii elevationem, 1. Eadem fere repeti hic poſſent, quæ de ſuperiori dicta fuere. 2. Notandum eſt, quod non per omnia ſibi conſtet, neque cum adverſariorum ſententia conveniat. Dicitur enim in eo; *Relictam eſſe Idiotis* (h. e. ut explicant, *Samaritanis*) *Scripturam Hebræam, & Linguam Aramæam.* Atqui illi, ut opinor, ſentiunt, Samaritanos non duntaxat Scripturam Hebræam, ſed & Linguam Hebræam, in Pentateucho ſuo habere. Nam quomodo alias dicere poſſent, illos Pentateuchum totidem literis ſcriptum habere, ut Judæi? Proinde non bene conſutum eſt hoc teſtimonium, nec ita clarum, an per omnia huic ſententiæ faveat ac patrocinetur. 3. Supra theſ. 15. evidenter docuimus, Raf Chaſdam alterius eſſe ſententiæ, unde neſcio, qua ratione hic ad confirmationem hujus ſententiæ in arenam pertrahatur. Et incertum eſt, quid per Scripturam Liboneam intelligat, ut mox videbimus.

R. Abraham Harophe in שלטי הגבורים ad hoc Mar Sutræ teſtimonium ita reſpondet; *Quod Mar Sutra dicit;* Datam eſſe Legem Iſraeli Scriptura Hebraica, & Lingua ſancta, id *bene ab eo dictum eſt. Jam enim ante diximus,* Hebræum & Sanctum *eſſe nomina Synonima. Verum quoque eſt, quod* Lex *vocetur &* Hebræa, & Sancta, *tam quoad* Scripturam, *quam quoad* verba, *ſicut ſcimus, quod* Scriptura *dicatur* tam de notis Literarum, earumque figura, *quam de* Vocibus & dictionibus; *ſicut ſcriptum eſt*, Et ad Judæos ſecundum Scripturam & ſecundum Linguam ſuam, Eſth. *Item*, Verba iſta loquutus eſt Deus ad univerſum cætum veſtrum &c. *Deut.* 5. 22. *Item*; Et inſcripſit ea duabus Tabulis lapideis, *Deut.* 4. 13. *Quod vero dicit*; Denuo data eſt ipſis in diebus Eſræ, Scriptura Aſſyriaca, & lingua Aramæa, & elegerunt pro Iſraelitis Scripturam Aſſyriacam & linguam Sanctam, ac reliquerunt Idiotis Scripturam Hebræam, & linguam Aramæam; *ſuper hoc obſtupeſcit cor meum, quomodo id aſcendere potuerit in animum Mar Sutræ aut Mar Ukbæ. An iſtar hominis eſt Deus, ut mutet aliquid circa Scripturam Legis, prout ab ipſomet data eſt publice in oculis tolis totius Iſraelis in monte Sinai, aut ut pœniteat ipſum Linguæ illius proprie Judæorum, cujus verba omnia eloquutus eſt audientibus ſex myriadibus, qui ea in lingua ſua intellexerunt, quam dono dedit Abrahamo, ut non illud omne ſervarit aſcendentibus ex Babylonia eadem ipſa Scriptura & Lingua: qua eam dedit toti Iſraeli per manum Moſis; vel & libellum repudii ei mittat, ac in manum ejus tradat, eamque e domo ſua dimittat, prævaricando contra eam, & mutando eam in alienam Scripturam tempore Eſræ? Annon Deus decrevit eam promulgare ea lingua, qua poſtea eam conſtabilivit, antequam crearetur mundus, & in ea fœdus pangeret cum Iſraele, voce terribili, e medio Ignis, nubis & caliginis? Quam ob cauſam prophanare voluiſſet aliquando Sanctitatem Domini, quam diligit, & connubium inire cum filia extranea? Præterea quomodo non animadvertunt ſtolidi homines, quod, ſi ne Prophetæ quidem alicui licet aliquid innovare in Lege, quan-*

quanto minus permissum fuerit Esræ, aut Israeli, eligere Scripturam Assyriacam, & abolere Hebræam (h. e. Sanctam), qua scriptæ fuerunt Tabulæ; & Liber Legis Mosis? &c. Adducit quoque ad hujus rei confirmationem testimonium ex libro תנא דבית אליהו: scripto ante mille annos: *Antequam creatus esset mundus, sedit Deus Benedictus, consideravit, scrutatus est, probavit, & conflavit Legem totam: & ab eo tempore, ad illam horam usque considerarunt, indagarunt, probarunt, & conflaverunt singula verba Legis (respectu nempe Scripturæ & Literarum) 248. vicibus, quot videlicet sunt membra in homine: & postea demum protulit unumquodque verbum ex ore suo (scil. quoad Linguam) Legique suæ inseruit, sicut dicitur;* Eloquia Domini sunt eloquia pura, Psalm. 19. *Præterea si vel unum verbum quod Legi inseruit (sc. tam quoad Scripturam, quam quoad Linguam) vel litera recedat ex Lege, vastationem inferret toti mundo &c.* Ex his colligit, illum vetustum authorem quoque huic sententiæ patrocinari, quod nec Scriptura, nec Lingua Legis, unquam potuerit mutari. Vide mox iterum sub finem Th. 44.

Præterea respondent communiter Hebræi, Duplicem Judæos olim habuisse Scripturam, *Sacram* & *Prophanam*; vel *Externam* & *Internam*; vel, *Publicam* seu *Communem*, & *Privatam* vel *Singularem*, prout appellare libuerit. *Illa*, fuisse scriptas a Deo Tabulas Legis, Librum item illum Legis a Mose, qui in Arca, vel ad Latus Arcæ, fuit reconditus & repositus; Et hanc scripturam fuisse eam ipsam, quæ hodieque est in usu, & אשורית *Assyriaca* appellatur. *Hac*, scripta fuisse reliqua exemplaria Legis, quæ privati quilibet sibi in suum & suorum usum scribebant: tum etiam in communi usu, in negotiis civilibus quibuslibet, commerciis, contractibus, monetis, &c. fuisse adhibitam. Et hanc appellant כתב עברי *Scripturam Hebræam*, *Transfluvialem* (de qua appellatione mox plura) quam volunt eandem esse, quæ hodie *Samaritana* vocatur. *Illa* scriptura, dicunt quidam, fas non fuisse plebi uti, ne quidem ad libros Legis describendos: aliis vero, licitum quidem fuisse, si quis voluisset; veruntamen ob singularem ejus sanctitatem, & venerationem, quam illi tribuebant, ab ejus usu abstinuisse. Esram vero, post solutam captivitatem Babylonicam, hujus Scripturæ Sacræ usum non tantum promiscue Judæis omnibus permisisse, sed etiam injunxisse: *Hanc* autem Samaritanis, ceu Apostatis; ut prophanam & communem reliquisse, & ex Judæorum usu sustulisse.

Sic teste Clemente Alexandrino Stromatωn libro v. apud Ægyptios tres olim Characterum species usitatæ erant, Ἐπιστολογραφικὴ *Epistolica, h. e. apta ad scribendas Epistolas*: (Hæc vulgaris & communis erat) Ἱερατικὴ *Sacerdotalis, qua utebantur* Ἱερογραμματεῖς, *id est, qui de rebus sacris scribebant:* Et Ἱερογλυφικὴ, *id est, Sacra quæ insculpitur Scriptura.* Et hæc iterum erat duplex; *Una quidem per Elementa prima* Κυριολογικὴ, *id est, proprie loquens, altera vero* συμβολικὴ *Symbolica, per signa significans, &c.* De his qui plura volet, videat Athanasium Kircherium in Prodromo Copto sive Ægyptiaco *cap. ult.* Sic apud Græcos quoque Vulgares & Sacros Characteres fuisse, videtur colligi ex his Theodoreti in *Gen. quæst.* 60. verbis; ὥσπερ ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ναοῖς ἴδιοι τινὲς εἰσὶ χαρακτῆρες γραμμάτων, οὓς ἱερατικοὺς προσηγόρευσεν: οὕτω διὰ τοῦ Μωσέως ὁ τῶν ὅλων θεὸς ταύτην ἔδωκε τὴν γλῶτταν, διδακτὴν οὖσαν οὐ φυσικήν, h. e. *Quemadmodum in Græcis Templis proprii quidam fuerunt Characteres literarum, quos* Ἱερατικοὺς *Sacerdotales appellabant, &c.*

Dicunt ergo (ut ad Hebræos revertamur) in Disputatione illa Talmudica Tractatus Sanhedrin, Quæstionem & controversiam inter illos Doctores non fuisse de Charactere sacro, quo Lex in Tabulis fuit a Deo exarata, aut qui in authentico illo Codice Legis a Mose scripto extabat, qui in Arca fœderis asservatus fuit; sed de Lege, quæ Israelitis in communem usum data fuit. Id Scriptura Hebræa Vulgari & communi factum esse concedunt. Et quod dicitur, Esræ tempore Judæis Legem datam esse Scriptura Assyriaca; id interpretantur de Concessione & Permissione, vel etiam Mandato, quod Esras Judæis dedit, ut inposterum non amplius Scriptura prophana, sed Sacra uterentur. Hæc vero ulterius sunt explicanda. Hic enim fundamentum continetur, quo posito, ad Objectiones omnes sequentes facilis erit solutio.

XLIV. Audiamus itaque primo omnium ad hujus sententiæ, de Duplici Scriptura, illustrationem & confirmationem, Authores qui hoc dicunt ipsos.

R. Jacob in *En Jisrael* in Megilla, *fol.* mihi 142. *col.* 2. posteaquam has objectiones ex Talmud, & ex Josepho Albo, qui ea in libro *Ikkarim*, ad sententiæ contrariæ confirmationem adducit, movisset, respondet; לכן זו היא דרך ישרה שיבור לו כל בעל סברא זכה וטהורה שפ׳ מאמר בתחילה נתנה תורה לישראל בכתב עברי

עברי הוא כדברי הריטב״א שהכונה בו על כתיבת ס״ת שכל איש ישראל כותב לעצמו ורחמנא ליצלן מלחשוב שנאמר גם כן על כתב הלוחות וס״ם שבארון, כי לדברי הכל נכתבו בכתב אשורי אשר בתקון אותן אותיות ובזיונים ובקשרים שהיה הקב״ה קושר להם נרמזים סודות נפלאים, אולם מחלוקת הנ׳תנאים הוא בזכירת מנהג כותבי ס״א לעצמם ושאר כתבים רבהא ודאי פליגי וכו׳: h. e. *Hæc itaque eſt via recta, quum ſibi eliget, quicunque prædítus eſt judicio puro & claro, quod explicatio dicti illius;* In principio data eſt Lex Iſraeli Scriptura Hebræa, *ſit ſecundum Ritban; quod nempe agat de Scriptione libri Legis, quem quilibet ex Iſraele ſcribit pro ſeipſo. Deus enim miſericors ſervet nos, ne cogitemus aut putemus, id etiam dici de Scriptura Tabularum, & Libri Legis, qui fuit in Arca, Hæc enim* לדברי הכל *verbis omnium*, id eſt, *calculis omnium, ſcripta fuerunt ſcriptura Aſſyriaca, in cujus literarum figura, earumque apicibus & ligamentis, quæ Deus illis alligavit,* vide ſup. ſub theſ. 15.) *latent ſecreta admiranda. Verum controverſia trium illorum Doctorum Miſchnicorum in Talmud, eſt tantum de Conſuetudine eorum qui ſcribebant Legem privatim pro ſeipſis, in privatum uſum, & de cæteris ſcriptis. Nam in hoc inter ſe revera diſſentiunt, &c.* Et fol. 143. col. 1. ולפי זה תהיה כוונת מר זוטרא בתמרו בתחלה נתנה התורה לישראל בכתב עברי שנתן רשות לכל ישראל לכתבן בלשון עברי וגם בימים ההם הכותב בכתב אשורי הרי זה משובח כיל שהלוחות וס׳ת שבארין היו באותו כתב, חזרה ונתנה להם בימי עזרא בכתב אשורי ר״ל שנתן צווי גמור מפי עזרא שכל היחידים לא יכתבו ספר תורהרק בכתב אשורי, וזה יורה לשונבררו להן לישראל להורות שהם בחרו בטוב לכתוב כולם בכתב ההוא שבו נכתבו לוחות וס״ת שבארון אבל לא שנאמר ח״ו שחשבו בשום זמן לשנות שום מצוה לענין הכתב: h. e. *Et ſecundum hoc erit intentio Mar Sutræ, dicentis;* In principio data eſt Lex Iſraeli Scriptura Hebræa; *quod facultas ſeu licentia data ſit omnibus Iſraelitis ſcribere libros ſuos lingua Hebræa. Etenim in diebus quoque illis, ſi quis ſcriberet Scriptura Aſſyriaca, laudabatur; quod ſcil. Tabulæ, & Liber Legis, qui in arca fuit, ea ſcriptura exarata eſſent. Quod vero porro ait;* Iterum data eſt ipſis in diebus Eſræ Scriptura Aſſyriaca; *eo vult dicere, quod tum abſolutum edictum prodierit ab Eſra, ut omnes & ſinguli Librum Legis non alia, quam Aſſyriaca ſcriptura, ſcriberent. Hoc docet verbum* Eligendi, *quo utitur, dum ait;* Elegerunt pro Iſraelitis &c. *Docet enim, quod elegerint optimam; ut ſcil. imposterum omnes uterentur ea Scriptura, in qua Tabulæ Legis, & Liber Legis qui in Arca, ſcripta. Nequaquam vero (abſit) quod ullo tempore cogitarint mutare præceptum aliquod, circa ſcriptionem, &c.*

Ritba ריטב״א ille, cujus meminit, ſcribit ſimilia in Additionibus ſuis. Hic tamen vult, Scripturam illam olim nullibi niſi in Tabulis Legis extitiſſe, quod minus videtur probabile: Verba ejus ſunt: אבל ודאי אין ספק שזה הכתב הנקרא אשורי הוא כתב הקדש שבלוחות ועל שם כך נקרא קדש וכן לשון הקדש ומעולם לא נראה הכתב ההוא אלא בלוחות אבל לשון הקדש כבר נודע לאבות ובני ישראל קודם מתן תורה ובו השי׳ מדבר עם נביאיו וקדושיו, ואעפ״כ מתוך תומת וקדושת הכתב ההוא באותן הימים לא היו כותבין אותו אפי׳ בספרים שכותב המלך או כל אחד ואחד לעצמו אלא היו כותבין אותו בכתב עברי וכו׳: h. e. *Sed revera, citra dubium, Scriptura, dicta* Aſſyriaca, *eſt Scriptura illa ſancta, quæ fuit in Tabulis. Hanc enim ob cauſam vocatur* Sancta, & Lingua Sancta. *Et a ſæculo non fuit viſa Scriptura illa niſi in Tabulis. Lingua vero ſancta jam nota fuit Patribus, & filiis Iſraelis, ante datam Legem utpote qua Deus loquutus fuit cum Prophetis & cum ſanctis ſuis. Nihilominus tamen, ob perfectionem & ſanctitatem ſcripturæ illius, non uſurpabant eam in diebus illis; ne in illis quidem Libris legis, quos Rex aut privatus unuſquiſque pro ſeipſo ſcribebat: ſed ſcribebant illos ſcriptura Hebræa.* Et mox: ובימי עזרא ניתן להם לכתוב ספר תורה ושאר כתובים: *Sed temporibus Eſræ datum, id eſt, conceſſum fuit ipſis, ut Librum Legis, & reliquos libros ſcriberent ea ſcriptura, &c.* Et iterum, quibuſdam interjectis: ולפי׳ זה אין במה ששנה עזרא את הכתב לכתוב ספרי התורה בכתב הקדש שום חדוש על התורה שהרי הכתב הזה כבר היה ידוע ונתון לנו בלוחות הברית: *Et juxta hanc expoſitionem, non eſt ulla innovatio circa Legem, in eo quod Eſdras mutavit Scripturam, ſcribendo Libros Legis ſcriptura ſancta: Ecce enim Scriptura iſta jam cognita & data fuit nobis in Tabulis fœderis.*

Rabbi Gedaljah in libro שלשלת הקבלה *Schalſcheleth hakkabalah* fol. 89. 1. אבל התורה נתנה כתיבות שאנו כותבין היום בס״ת שנקרא אשורית, וזאת הצורה היתה נשמרת אצל גדולי ישראל כמו התורה שבעל פה, כי ההמון היו כותבין בצורת אותיות עבריות ובשבא עזרא והתיר לכתוב תורה שבכתב למען לא תשתכח תורה מישראל התיר נ״כ לכתוב צורת האותיות שנתנה בהם התורה, ויקראוה אשורית לפי שהביאוה גדולי ישראל

ישראל מארע אשור שהית' בידם בקבלה ונגזוה להיותה כתיבה קדושה: H. e. *Lex autem data eſt ea Scriptura, qua nos hodie ſcribimus Librum Legis, quæ vocatur Aſſyriaca. Hæc vero figura fuit cuſtodita & conſervata penes magnates Iſraelis, ſicut Lex oralis. Vulgus etenim utebantur figura literarum Hebraicarum Samaritanarum: Sed cum veniſſet Eſras, & permiſiſſet ipſis deſcribere Legem ſcriptam, ne oblivioni tradatur Lex inter Iſraelitas, permiſit ipſis quoque ut ſcriberent figura literarum, quibus data fuit Lex. Vocarunt autem eam* Aſſyriam, *quia magnates Iſraelis eam ſecum adducebant vel ferebant ex Aſſyria. Erat namque inter ipſos ex Cabbala & traditione, & clam eam habuerunt; eo quod eſſet Scriptura Sancta.*

Samuel Arcuvolti in libro ערוגת הבשם *Arugas babboſem* fol. 4. col. 2. מאחר שס״ת כתב משה לכל שבט ושבט לא היה מקום אל השכחה אפילו אחר גניזת הארון עם היות כל איש ישראל כותב לעצמו ס״ת בכתב עברי כאז״ל בתחלה נתנה תורה לישראל בכתב עברי שלא היו משתמשים מהכתב המקודש: h. e. *Poſteaquam Moſes ſcripſiſſet exemplar Libri Legis pro unaquaque tribu, nullus fuit amplius locus oblivioni, etiam poſt occultationem Arcæ, licet unuſquiſque ex Iſraele ſcripſerit pro ſe Librum Legis Scriptura Hebræa, ſicuti Sapientes noſtri dixerunt:* In principio data eſt Lex Iſraeli Scriptura Hebraica: *quia ſcil. non uſi fuerunt Scriptura ſancta.*

Obadias de Bartenora in Jadajim *cap.* 4. כתב עברי הכתב שבא מעבר הנהר והכותיים כותבים בו עד היום וישראל היו משתמשין באותו כתב בדברי חול ובמטבעות של כסף הנמצאות בידינו היום שהוו מזמן מלכי ישראל ומפותחות באותו כתב, אבל הכתב שאנו כותבים בו ספרים היום כתב אשורי הוא נקרא והוא הכתב אשר היה בלוחות: h. e. *Scriptura,* Hebræa *dicta, eſt ſcriptura, quæ venit de* (terra) *trans fluvium* (tranſfluviali.) *Ea utuntur Cuthæi in hodiernum uſque diem. Iſraelitæ autem utebantur olim ea Scriptura in rebus prophanis, & in monetis argenteis, hodie adhuc inter nos extantibus, quæ ſunt a tempore Regum Iſraelis, & illa ſcriptura ſignatæ. Sed ea Scriptura, qua nos hodie libros ſcribimus, eſt Scriptura Aſſyriaca dicta, & ea ipſa, quæ fuit in Tabulis, &c.*

R. Aſarias in Meor enajim *cap.* 9. poſteaquam locum iſtum Talmudicum, in quo enucleando verſamur, citaſſet, ad ejus explicationem ſcribit ſequentia: *Quamvis multi perplexi ſint* בהולמות *in diſcuſſione dicti iſtius,* המאמר הזה: *ut ex R. Solomone & R. Jom Tof videre eſt ſuis locis, ex authore item libri Ikkarim* Orat. 3. cap. 16. *& omnibus modis bonum ſit fateri, ſecundum verba plurimorum ſapientum & excellentium Doctorum, quod Lex primitus ſit ſcripta charactere Aſſyriaco, ſicuti fuſius docebimus infra; attamen neceſſario intelligitur ex eo, quod Eſras, cum excuſſiſſet lacertos ſuos ad corrigendos errores, quos invenit in lingua Legis, mutarit Scripturam Hebræam* (היינו של בני עבר הנהר: h. e. *Transfluvialium*) *in Scripturam Aſſyriacam, quæ uſitata nunc eſt inter nos. Et ſumma huc redit: Iſraelitæ, qui acceperunt ab eo conſuetudinem utendi Scriptura Aſſyriaca, elegerunt ſibi linguam ſanctam, ut Scriptura & Lingua ipſorum, quæ inſtar peculii deliteſcebat penes capita & ſapientes ipſorum, rediret* למה שהיה בסיני: *in eum ſtatum, quo fuit in Sinaj: & reliquerunt Scripturam Hebræam & linguam Aramæam* להדיוטות *Idiotis, qui ſunt* המוני הארץ *Populi terræ. Utut enim in Sanhedrin a Raf Chaſda explicetur per* כותיים *Cuthæos;* ודאי דלאו דוקא: *certum eſt tamen, non præciſe de Cuthæis ſeu Samaritanis illud eſſe intelligendum: Nam ſi hoc voluiſſet dicere Mar Sutra, clare & diſerte dicere potuiſſet* לכותיים Cuthæis. *Et novimus, quod lingua Aramæa tunc uſitata fuerit inter Judæos, ſicut dictum. Vidimus etiam ſiclum ſanctum, cujus literæ fuerunt Hebraicæ* (Samaritanæ,) *quamvis Dignitas & potentia ſub Templo ſecundo, quo tempore cuſi fuerunt, fuerit penes Judæos, non penes Cuthæos, qui hoſpitabantur in terra. Sed venit Raf Chaſda, & ſignificat, quod in vulgo & plebeiis ex populo noſtro, non defecerint ſingulares quidam, qui notitiam habuerint Linguæ Sanctæ, & Scripturæ Sanctæ, ſecus quam fuit inter Samaritanos, &c.* Confer cum hoc aliud ejuſdem teſtimonium, quod paulo inferius producemus.

R. Moſes Alaſchkar in Reſponſionibus, *cap.* 74. (citante Rab. Aſaria:) ואסור לכתוב בכתב אשורי שבו נתנה תורה באמת אלא כתבי הקדש בלבד ומעולם לא זזו ישראל להיותם נשמרים מזה אמנם אגרותיהם וספרי חול וכל מה שחוקקין על המטבעות ושקלי הקדש הכל בכתב עברי ובעבור זה נהגו הספרדים צורות אחרות באותיות עד שחזר כלו כתב אחר כדי שיהא מותר להשתמש בו: h. e. *Et probibitum erat ſcribere Scriptura Aſſyriaca, in qua revera Lex data fuit, præterquam Scripturas Sanctas tantum, nec unquam ab ejus rei obſervatione receſſerunt Iſraelitæ. Verum Epiſtolas ſuas, & libros prophanos, & quicquid inſculpunt monetis, ſicliſque ſanctis, ea omnia fecerunt Scriptura Hebraica. Atque hujus rei cauſa aſſueverunt Hiſpani uſurpare figuras alias literarum, adeo ut tota Scriptura fiat alia, quo licitum ſit ea uti.*

Aben

Aben Schuif in Commentario ſuo in Legem, ſectione שלח לך poſteaquam adduxiſſet objectionem illam ex ſupra adducto loco Talmudico, ſic ſcribit: חוץ מכבודם כבר תירץ הרם״ ז״ל את זה באמרו שהכוונה הי אעל ספר תורה שכתב משה ונתן לישראל שהם כתבוהו לעצמם בלשון העברי למען לא ישתמשו בכתב חקרש ולשון הקרש: h. e. *Salvo honore illorum, jam ſolvit hanc objectionem R. Moſes, dum ait; quod illic ſermo ſit de libro Legis, quem Moſes ſcripſit & Iſraeli dedit: nam illi deſcripſerunt eum pro ſe Charactere Hebræo, ne utantur Scriptura ſancta & Lingua ſancta.*

Balmeſius denique utramque hanc Scripturam agnoſcit in ſua Grammatica, dum præter Alphabethicum commune & uſitatum, in quo Lex primitus ſcripta fuit, etiam alterum proponit, כתב עבר הנהר *Scripturæ Transfluvialis*, idque, ut ait, ex libro vetuſtiſſimo.

Sic ſupra laudatus R. Abraham Harophe, ubi quærit, cur R. Chaſda dixerit, Scripturam Hebræam eſſe כתב ליבונאה ſcribit; *Nullum eſt dubium, quin hic R. Chaſda etiam ſciverit, Scripturæ Hebrææ duas eſſe ſpecies;* Unum, *quæ vocatur* Sancta; *alteram* Transfluvialem, *quæ vocatur* Prophana. *De Scriptura hac utraque loquitur Raf Chaſda diſtincte, ſed nuſpiam explicat, quomodo inter ſe differant, &c.*

Ex his apparet, quomodo Hebræi ad locum Talmudicum objectum reſpondeant.

XLV. Quod vero *Duplicem characterem, Iſraelitis olim uſitatum*, attinet, quod item de *Charactere Aſſyriaco dicto*, h. e. *hodierno Hebræo, ab Eſra duntaxat, tanquam vero, genuino & ſacro, in uſum revocato, producto, ac ſancito, non ab Aſſyriis mutuato & aſſumto*, dictum, ejus etiam quidam Chriſtianorum meminerunt, neque id vel abſurdum vel inſolens judicarunt. Non abs re itaque erit, ſi & illorum authoritatibus hic concedamus.

Guilelmus Poſtellus, qui ex compluriurn Orientalium, tum librorum, tum Regionum perluſtratione, magnam ſibi harum rerum peritiam & experientiam acquiſivit, variis in locis ſuorum librorum hujus rei meminit, ejuſque ſententia eſt; Literas Hebraicas hodiernas eſſe ipſiſſimas literas, Adamo & Moſi a Deo datas; ſed myſticas & ſacras fuiſſe, ut extra uſum ſacrum nullus earum fuerit uſus, donec Eſdras eas publicavit, & in publicum uſum deſtinavit. Aliam autem ſcripturam fuiſſe Externam & Communem, qua in rebus civilibus uſi fuerint, qua etiam Moſes pro ſingulis tribubus Iſraelis exemplar transſcripſerit: Scriptura enim ſancta unicum tantum ab eo ſcriptum fuiſſe, illud nempe, quod Tribui Leviticæ ab eo traditum fuerat. In Tabulis omnium Linguarum, &c. ſcribit: *Ut omnia ab uno Deo, ſpecies autem & individua ab uno genere, hominesque ex unis primis parentibus: ſic omnes linguæ ab una natæ ſunt. Sicut omnia forma & materia exprimuntur, una Secreta, altera Inviſibili* (annon legendum *Viſibili?*) *Sic Lingua divinitus primis tradita parentibus, Uno Charactere Secreto & Mathematico, ſolis Patribus communi, quo Divina docentur, ſicut & Humana per Mathemata demonſtrantur; Altero Communi, inſtar materiæ, conſtat.* Et in Tabula ſecunda, cujus hæc eſt Ἐπιγραφή. *De Lingua publica, quæ nunc Samaritana in Oriente eſt, & olim fuit Hebraica exterior*, ſcribit: *Samaritana, quæ penes paucos remanſit, eſt in teſtimonium antiquitatis ſervata, ut hodie videantur Origines*, (non quaſi omnes literæ a Samaritana originem trahant, ſed quædam; uti etiam nonnullæ a Scriptura ſancta & myſtica.) Et mox: *Sunt vero figura corruptiſſimi Samaritani characteres, nec niſi ex monetis ſacris, in Hieroſolymitanis ruderibus effodi ſolitis, supereſt antiquitas. Fuit hæc in uſu omnibus Judæis, donec ab Eſra publice eſt expoſitus ſanctus character, adeo ut ſeptuaginta duo Interpretes ex ea Moſis libros Ptolemæo verterint, quod ex nomine Dei* Π Π *in Samaritanæ ſuperſtite, ad tempora Hieronymi, patuit.*

Antequam ulterius in reliquis ejus Teſtimoniis producendis pergam, non poſſum, quin ad illuſtrationem ejus, quod *de verſis a* LXX. *Græcis Interpretibus, ex Samaritano codice, libris Moſis*, ait, locum plane geminum producam ex libro מאור עינים *Meor enajim* cap. 5. fol. 38. col. 1. Sic enim ſcribit ille author: בזמן בית שני היו ליהודים שתי תורות בכתב, היינו ספר תורה אחד בכתב אשורי ולשון הקדש כספרים הכשרים אשר לנו וכו׳: *Tempore Templi ſecundi duo fuerunt Judæis exemplaria Legis ſcripta: Unum conſtabat ſcriptura Aſſyriaca* (Hebraica hodierna) *& lingua ſancta, ſicut Libri recti & legitimi quos nos habemus. Et hoc eſt quod ordinavit & correxit Eſras ſcriba, cum videret, quod corrupta eſſent exemplaria, ſive ex peccato & negligentia Patrum noſtrorum, tempore Templi primi, de quibus dictum legitur;* Et oblitus es Legis Dei tui, Hoſeæ 4. *verſ.* 6. *ſive propter multas perſecutiones, quæ transiverunt ſuper ipſos in captivitate Babylonica. Hunc librum rectum & legitimum tradidit Sacerdotibus &* συνέδροις *apprehendentibus Legem*,

gem, ut eam nos docerent: וספר אחר משונה זעיר שם זעיר שם אשר נתפשט בין ההמון כתיב עברו היינו באותיות עבר הנהר שהונחו להדיוטום ומתורגם ארמי אשר היה אז שפתם ולעזם וכו': *Alter liber varians parum hic, parum illic, divulgabatur in populo, & scriptus erat Hebraice, hoc est, Literis transfluvialibus, quæ relictæ sunt Idiotis, & lingua Aramæa, quia ea tunc fuit lingua ipsorum vernacula: sive ea* (versio Aramæa) *extiterit inter ipsos jam ante Esdram, cusa videlicet in captivitate Babylonica, sive in diebus demum Esræ sit facta, &c. Nihilominus tamen versio illa Aramæa facta fuit non cum magna accuratione, & cum aliqua mutatione, latioreque explicatione, ad illuminandos, quantum fieri poterat, oculos vulgi & laicorum: quandoque etiam cum nonnullis erroribus, provenientibus partim ex similitudine quarundam literarum in exemplari charactere Assyriaco scripto,* (ex quo scil. translatio illa Aramæa facta fuit) *quarum unam pro altera sumpsit interpres ille: partim quod aliud exemplar esset sine punctis & accentibus, quod itidem errandi occasionem illi præbuit. Evenit autem, ut, tum propter negligentiam & incuriam gubernatorum illorum sæculorum, tum quod semper cœtus ignorantium major fuerit numero intelligentium, inferior superior evaderet & prævaluerit* (h. e. ut hoc exemplar deterius præferretur, & palmam obtineret.) *Nam exemplar istud Aramæum* (quoad linguam scil. & charactere Samaritano scriptum) *divulgatum fuit, & nomen famamque acquisivit inter omnes populos ac terras:* כי הזקנים אשר נקראו אל תלמי חשבו לצדקה ולנחת רוח אליו להעתיק את התורה ממנו: *Septuaginta enim seniores, qui vocati fuerunt ad Ptolomæum, existimarunt bonum,* h. e. *consultum ipsis visum fuit, ut transferrent Legem ex illo exemplari, sicut in aliis bujus libri capitibus declarabitur.* Atque hinc etiam existimat alibi, natas esse discrepantias multas, quæ deprehenduntur inter textum Hebræum & Versionem LXX. Interpretum. Cogitent quoque alii, an hinc forte sint duo illa Π Π repræsentantia scil. duo Jod Samaritana, ad exprimendum Nomen Tetragrammaton, in vetustis exemplaribus Græcis. Sed hæc in transitu. Hoc testimonium hic inserere consultum visum fuit, quod sententiam dictam Postelli illustret, & sententiæ quoque illi, De duplicis characteris usu inter Judæos, lucem inferat. Pergamus nunc unde digressi sumus.

Iterum scribit Postellus in libro de Etruriæ Origine; Religione, Institutis & Moribus pag. 113. *Quum autem in Tabulis Originum Linguarum jam tradiderimus inter alias Originem illius Linguæ Sanctæ, quæ Vocales punctulis, Accentus lineolis, Literas prima superficie instar Mathematum componit ex Triangulo, quæ est prima mundi superficies, & in quam omnes figuræ resolvuntur, quæ ea de re Sancta merito vocatur, & hactenus sacras Veteris Testamenti Leges divinitus scriptas continet, abunde tradiderimus, &, quænam ab ea sint deductæ, ostenderimus, tam in libro Originum, quam Tabulis linguarum, eo remittemus Lectorem. Satis enim hic fuerit nosse, Illam fuisse cœlitus datam Adamo & Moysi, Israelitisque sed pro mysterio, donec ex Mystica fecit Publicam Esras scriba Judæorum: unde jam ab ejus temporibus natæ sunt ex ea tres præcipuæ, Arabica, Syriaca, quæ Christi temporibus erat in usu, & Chaldaica, quæ, relictis priscis Characteribus, proprium Hebraicum assumpsit. In hac una & sola, vera & recta nominum verborumque ratio delitescit. Ideo illius usum opus fuit soli Religioni mysteriosæ veræque relinqui. Alia* (scriptura sc.) *erat Externa, & omnibus Communis, in qua clarissimum inde potest probari, quod Moses publice Legem transcripserit, cujus Decalogum ex cœlo, totum autem corpus Quinque libris per Prophetiæ spiritum, in Sancto jam acceperat & ordinarat charactere, eo quod gens una Samaritanorum tam mordicus conservavit dictam Legem in eo, quem vocant Samaritanum, charactere, ut nullo modo voluerint cæteros Sacræ Scripturæ libros recipere, quod a Mose non essent scripti. Curavit enim Sanctissimus Legislator, ut duodena exemplaria singula singulis tribubus transcriberentur, & in hoc charactere Samaritano singularum tribuum ducibus darentur: uni autem tribui Leviticæ, & cætui duorum & septuaginta senum, ad Legis conservationem electorum, daretur unicum exemplar sacrosancta inscriptum dialecto & figura, quod quidem, ad tempora usque Esræ, multis exemplaribus conservatum & transcriptum est. In manibus Judæorum Samaritanorum, & Neapoli,* (*quæ erat Sichem, nunc Napoloza*) *& Damasci, superest & exemplar Quinque librorum Moseos & character, multum quidem difformatus ab ea nota characterum, quæ in Numismatis fere ubivis in Syria conspicitur, cujusque effigiem curavimus utcunque in nostro XII. Linguarum Introductorio appingi; nondum tamen tunc animadversa Græcarum & Latinarum origine, quæ inde a Noacho est deducta.* Hactenus iterum Postellus.

Quod in hoc loco ait De 12. *exemplaribus, pro singulis* 12. *tribubus, Samarita-*

ritano charactere scriptis; & uno exemplari, scripto Charactere Sancto, Leviticæ tribui tradito; id alibi quoque tradit: ut in *lib.* de Originibus *cap.* 17. *Nam*, inquit, ibi, *Moses antequam in monte raperetur*, 12. *voluminibus Legem Dei pro* 12. *tribubus exposuerat, ita ut duodecies quinque libri, sive* 60. *volumina scripta essent, quibus additum est volumen mysticum Levitarum, in* 13. *loco positum.* Hoc vero proculdubio etiam ab Hebræis didicit, qui id deducunt ex *Deut.* 31. *vers.* 9. 24. 25. 26. In antiquo libro דברים רבה *Devarim rabba*, Sectione וילך Vajelech fol. mihi 300. col. 3. legitur: רבנן אמרי כיון שירע משה שהיה לו למות באותו יום מה עשה א״ר ינאי כתב י״ג תורות י״ב לי״ב שבטים ואחד הניח בארון שאם יבקשו לזייף דבר שיהיו מוצאים אותה שבארון: h. e. *Rabbini nostri dixerunt; Cum rescivisset Moses, sibi moriendum esse, eo die quid fecit? Rabbi Jannai dixit, Scripsit tredecim exemplaria Legis; duodecim, pro duodecim tribubus, & unum reposuit in Arcam, ut, si quis vellet corrumpere & adulterare aliquid, producere possent illud quod erat in arca.* In *Tzeror Hammor*, sub finem sectionis וילך idem legitur paulo prolixius. Dicitur illic: *Mosen primo unum duntaxat exemplar Legis scripsisse, quod Levitis tradidit: ea de causa cum Israelitas murmurantes vidisset*, 12. *alia adhuc scripsisse, & unicuique tribui unum tradidisse. Miraculose autem factum esse, ut Moses uno die tot exemplaria descripserit. Dicunt enim* 7. *die Februarii hoc contigisse, quo ipso die Moses ex hac vita excesserit.* Hinc scribit etiam R. Moses ben Majemon, in Præfatione libri *Jad*, mox ab initio: כל התורה כתבה משה רבינו קודם שימות בכתב ידו ונתן ספר לכל שבט ושבט וספר אחד נתנהו בארון לעד שנאמר לקוח את אפר התורה הזה ושמתם אותו ונומר: h. e. *Totam Legem scripsit Moses Doctor noster, antequam moreretur, sua propria manu, & dedit unicuique tribui exemplar: exemplar autem unum dedit in arcam in perpetuum, sicut dicitur;* Capite librum istum Legis, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, &c. *Deut.* 31. 26. Et *R. David Vitalius* in libro מכתם לדוד *Michtam Le David* fol. 79. col. 2. כתב לכל שבט ושבט ס״ת אחד וצוה לכל שבט ושבט לכבדו ולשמרו ואחרת כתב לשבט לוי ועל אותו אמר לקוח וגו׳: h. e. *Scripsit Moses unicuique tribui Exemplar Libri Legis unum, præcepitque eis, ut illud honorarent & custodirent: & unum exemplar Tribui Leviticæ, de quo dixit*, Capite &c. Quod vero de diversitate characteris addit Postellus, quæ fuerit inter exemplaria 12. tribuum, & exemplar 13. tribus Leviticæ, de eo nihil hactenus, quod memini, mihi occurrit. Procul dubio etiam extat in aliquo Medrasch seu Commentario allegorico.

Porro in eodem libro de Etruria *pag.* 246. scribit iterum: *Sunt autem illæ literæ omnino Samaritanæ, quas in externo publicoque Reip. usu inter Judæos constat ante Esdram fuisse, eo quod nulla plane moneta videtur e ruderibus Hierosolymitanis effodi, nisi in eo charactere, quem Esdras reliquit Samaritanis, ob crebros factionis decem tribuum proscriptarum errores in eo scriptos, quum publice exposuit, & se adinvenisse apud populum finxit illos Sacrosanctos characteres, quos Adam angelitus, Moses autem cœlitus in Tabulis Legis receperat.* Et pag. 249. *Ab initio duæ Linguæ* (vult dicere, *Scripturæ*) *erant, Externa, publicave, & Sacra. Sacra usque ad Esram delituit. Extera seu Samaritana, unde Græca occidua & Latina, paucis Judæis in Oriente superest. Sed Samaritanæ decem tribus Israel, quibus factus est Messias Muhamedes Ismaelita cum Alcorano suo Arabo-chaldæo, hodie externæ illius Samaritanæ vices in Oriente & Meridie supplent, &c.* Mox: *Ideo mysteria Cabalistica in sola Hebraica, & Arabo-Chaldæa, tam sancta supersunt, ut non certius ab ipso cœlo, munditia & puritate Christiana fretus, possis petere vitæ humanæ præsidia, quam ab illorum Characterum virtute. Sunt enim Arabici Characteres deducti per corruptam chirographiam ab Hebræis veris, eo quod Samaritanorum usus in se periit, &, pro solo avitæ veritatis testimonio, inter paucos Mosicolas remanet. Grammaticam ab Oriente attuli eo charactere scriptam, & Arabice expositam, ut fidem nostro orbi verborum Hieronymi, de Samaritanis scribentis, facerem, & han crerum originem primus orbi occiduo exponerem.*

His consona sunt, quæ habet idem in libro de Originibus cap. 7. *Verum nil mirum, adventitiam, & quæ Abrahamo vulgaris in Babylone* (Chaldaicam) *antequam renuntiaret omnibus quæ possidebat, erat, renunciasse vafros verpos Christicidas: quum post reditum a Captivitate Babylonica, vir insigni prudentia Esras, non alia ratione publicos fecerit Adami, Mosisque characteres, ad eam diem cum sacris, & nunc primum revelandis, mysteriis, inter auditores Mosis & Prophetas absconditos: & publicando finxerit apud populum, se novos reperisse; quam quia videbat, Samaritanarum decem tribuum, quæ semini David renunciaverant, perfidiam in charactere publico omnia jam corrupisse: & multo maxime, postquam in Orientem ad Mediæ fines per Salmanassar Pseudo-Judæi illi fuerant*

rant translati, *quia in eorum locum successuri venerunt Cuthæi*, & *Babylonicæ sentinæ fæces multo pejores*, *qui ex professo Idololatriam*, & *Judaismum propter leones profitebantur*. *Sic enim reductis ad denuo publicatum characterem Judæis*, *in quo etiam finxit se Legem totam alioqui perditam*, *transcripsisse*, *excommunicatos reddidit Samaritanos*, & *veros Judæos ad usum nuper publicati characteris adduxit*. *Nam omnes sciebant*, *multis admodum in locis haberi volumen Legis*, *scriptum Samaritano* & *usitato charactere*, *quo signabatur moneta: sed illo impossibile erat populum reconciliari*. *Dum itaque publicavit Adamiticum characterem*, *in quo totum sacrorum corpus inter LXXII. seniores Prophetaque sensim auctum delitescebat*, & *sese a corruptione vindicasse Divinam Legem asseruit una*; & *seditiosos Samaritanos excommunicavit*. Mox in sequentibus, Samaritanos characteres vocat *Humanos*. Et cap. 9. ejusdem libri: *Quum sit certum*, & *monetam inter Judæos fuisse*: & *in illis literis*, *quas nunc habemus ab Esra primum publice expositas*, *fuisse datam Legem*, *nec tamen pecuniam signatam Hebraico charactere videamus*; *restat*, *sicut ex argenteis nummis*, *qui assidue in ruderibus circa ruinas Jerosolymæ vetustæ effodiuntur*, *videmus*, *pecuniam charactere Samaritano seu exteriore fuisse signatam*, *quod de Siclo sancto*, *in Linguarum Introductorio a nobis expresso*, *patet*. *Fuisse vero etiam Sacram Scripturam in usu literæ exterioris videtur*, *quum in versionibus Græcis notarint antiqui nomen Jehovah abbreviatum in duobus Jod*. *Illud notavit Hieronymus*: *hoc addito*, *quod putarent Græci*, *inter legendum esse ibi* Π Π: *id est*, *duo Pi*: *quia Jod Samaritanum sit proxime ad effigiem Pi Græcorum*. *Sic a monetis* & *vetustis exemplaribus videtur*. Et in eodem cap. *Nam Semo in terra sancta exspectanti vocationem Abrahami*, *relictæ erant sacrosanctæ Geometricæ* & *absconditæ* (Hebraicæ nostræ) *donec illarum Divinitatis Divina Legis exaratio redderet testimonium*. *Inde est factum*, *ut in Ægypto esset sacrosanctum* & *solis sacerdotibus cognitum literarum Hieroglyphicarum genus*, *quum tamen esset publicus aliarum literarum usus*. Paulo post: *Certissimum autem est*, *a Patribus*, *insigni eruditione viris*, *quales erant primogeniti*, *Hieroglyphicas literas fuisse inventas*, *quas Chamitis* & *Ægyptiacis regibus darent necesse est*, *ut liceret retinere sacrosanctas illas* & *primas*, *tamquam multo secretiores*, *quæ a mathematico pendet principio*. Iterum ibid. *Quum itaque etiam nostro sæculo obstinatissime inhærere soli Pentateucho*, & *Mosis libris*, *in Samaritano charactere scriptis*, *videamus paucos illos Judæos*, *qui circa Syriam supersunt*, *nec alia ratione jam olim a consortio communis Ecclesiæ defecisse*, *quam quia publice exposuisse Legem Dei*, *quinque voluminibus scriptam*, & *charactere*, *ab illis fideliter servato*, *exaratam*, *Mosem sciebant*, *cui aliquid consequentium scripturarum addere nefas ducebant*. *Itaque manifestissime constat*, *per* 10. *tribuum*, *a semine filii Isai*, i. e. *Davide defectionem*, & *solius Pentateuchi in lingua Samaritana conservationem*; *Mosem in alia lingua accepisse Tabulas*, & *in alia* 12. *voluminibus sub decimotertio transcripsisse quinque libros*, *ita ut populi nossent Samaritanum*, *veluti publicum characterem*: *nec ullo modo vellent factiosi*, *addi illas Sacras Historias*, *Leges*, *Doctrinas*, & *Prophetias*, *quas Spiritus Mosis*, *in* 72. *senibus agens*, *singulis suggerebat sæculis*, *usque ad Christum*. Et cap. 14. *Scripsit quidem Moses libros V.* & *non plures*, *nec pauciores*, *in quibus ipsis admiscuit divinitus scripta in Tabulis*, &c. *duplicique charactere sacrosanctum librum fecit*, *suppresso omnino receptionis nomine*.

Hæc Postellus, quæ non ideo adduximus, quod omnia & singula ejus dicta probemus; sed ad ostendendum ex eo, quod ille etiam ab Hebræis didicerit, Hebræos olim duplici charactere usos esse; & nequaquam in ea sit sententia, uti Scaliger & alii arbitrati sunt, quod Samaritani sint veri antiqui characteres Hebraici. Concedit quidem, illos antiquos esse, & a Mose, & ulterius, originem suam derivare, sed non tanquam originales, & qui in Tabulis, & Legis libro sacratiore in Arca reposito, extabant. Quod vero scribit, *nulla Monetas antiquas charactere Hebraico extare*; in eo videtur erasse: quod etiam scribit, *Esram finxisse*, *cum hos characteres veteres in usum revocaret* & *publicaret*, *illum finxisse*, *se novos characteres invenisse*; id pro figmento itidem habemus. Nam proculdubio multi fuerunt præter ipsum, quibus erant cogniti. Et cui quæso bono illa fictio & simulatio? Annon majorem authoritatem illis conciliavit Antiquitas, & quidem authentica, quam Novitas?

Johann. Boulese in Pręf. Alphabeti sui Hebraici: *Qui* (Moses) *Legem Dei accipiens*, *curavit transcribenda duodecim Legis volumina*, *cuilibet tribui volumen*. *Undecim quidem* Charactere publico (*qui hodie* Samaritanus *dicitur*) & *duodecimum* Charactere divino secreto; & *constante triangulari Jod*. *Cujus usus fuit solis Levitis* & *Sacerdotibus*, *qui peritissimi*, & *Lectionis*, & *intelligentiæ*, & *proinde punctorum vocalium* & *accentuum*, *traditione divinæ vocis* (*quam*

Cabalam *dicunt*) *assiduo legendi & audiendi usu potius, quam scripto, in hominum memoriis Legem Dei conscribebant; alioqui frustra scriptam, datam, & editam, si non legeretur cum vocalibus & accentibus, & intelligeretur in scopum cognoscendæ & faciendæ voluntatis Dei. Sic & Sacerdotes cum summa diligentia habebant scientiam Legis scriptam, & firmiter conservatam in libro suæ memoriæ: Et favorum grex arcebatur a sacris apibus, & nemo ignorans Legem promovebatur ad dignitatem, servatis apud se quam sanctissime divinis & secretis characteribus. Quos tandem Esras Secretos, ut hæreticorum & Samaritanorum solos quinque libros Mosis in Canone habere volentium, conversationem abigeret, dictus est invenisse, quum illos tantum restituerit Sacerdotibus, Syriace populum docentibus*, &c.

Augustinus Pantheus, *Venetus*, in sua Voarchadumia, quatuor Hebræorum Alphabeta commemorat; *Commune scil. quo passim omnes utuntur: Alterum ab Omnipotenti Deo Mosi in monte Sinai: Tertium, Abrahamo in fluminis transitu concessum; Quartum, quod & cæteris antiquius est, Henocho traditum*; Hic, Commune & Tertium videtur confudisse. Quartum videtur esse fabulosum. Nam Abraham de Balmis, & alii, duo tantum noverunt Hebraica Alphabetha; Commune nimirum, & Transitus Fluminis.

Theodorus Bibliander in libro de ratione communi omnium Linguarum pag. 62. *Figuras literarum esse mutatas, ipsi Hebræi confitentur. Nam asserunt, Scripturam repertam in ripa Jordanis in statua, cui nomina filiorum Israel inscripta fuerunt, quum trajicerent Jordanem, ut legitur in Commentario Josuæ. Quam Scripturam Transitus fluminis appellant; eamque in suis Grammaticis observationibus ponit Abraham de Balmis, &c.* Hoc memini etiam apud alios legere. Sed nihil hactenus apud Hebræos mihi occurrit in libro Josuæ, & commentariis in illum, de nova Scriptura illic reperta. Historia illa extat Josuæ 3. & 4. & 8. cap. ubi quærendum esset. Interim & hic eruditus vir, a longa antiquitate, Duplicem scripturam inter Judæos audivit & agnovit.

Nicolaus Fullerus in Miscellaneis lib. 4. cap. 4. *Ut scriptæ Samaritanorum literæ eædem omnino sint atque Sielis incusæ, non tamen necesse est has solas, præterea nullas, veteribus fuisse usitatas. Quasi vero uni genti unum duntaxat literarum genus semper in usu fuisse oporteat! Id quod vel ipsa experientia facile redarguat apud omnes, credo, gentes, maxime humaniores. Certe apud nostrates, characteres Archivorum proprios, multum a vulgaribus discrepare videmus. Immo multiplicem literarum speciem Arabibus familiarem, sciunt periti, haud parum inter se subinde discrepantium. Sed obscuriora sunt ista forsan, neque admodum nota studiosis. Illustrissimam autem vetustissimamque Ægyptiorum Rempublicam quis ignorat? Quid? An uno tantum characteris genere satis instructam fuisse arbitrabimur? Hieroglyphicos eorum characteres summam ac prope admirandam a communibus & vulgatis habuisse dissimilitudinem certo certius opinor. Et quisquam illud acriter pugnabit, ut sapientissima Hebræorum gens, uni tantummodo literarum formæ, quasi in servitutem perpetuo addicta judicetur? Non dubitamus igitur, pro duobus illis præcipuis rerum ac negotiorum diversis generibus, Sacrorum videlicet & Civilium, duplicem minimum literarum figurem antiquis Hebræis fuisse consuetam. Quod idem, meo quidem animo, res ipsa illico docere queat. Quippe alterum genus, scripta Judæorum monumenta, ad hodiernum diem affatim exstantia, luculenter demonstrant, alterum, Samaritanorum libri & numismata ab interitu vindicant.* Et paulo post: *Quamobrem utrosque characteres, tamquam gemellos fœtus, ab eadem gente Israelitica prognatos existimari par est. Ac proinde non admodum inter se dissimiles, & modo non cotaneos. Nisi si paullo antiquiores sunt forsan, quibus hodie utuntur Judæi, quo tum vetustiores esse cognoscuntur res Ecclesiasticæ quam Civiles (atque illuc vergunt, nisi fallor, verba Irenæi: Antiquas & primas Hebræorum literas,* Sacerdotales, *appellantis) tum simpliciores minusque operosos videmus hos quam illos, &c.* Hæc Fullerus.

XLVI. Sic ergo ex allegatorum authorum sententia *Duplex character olim inter Judæos usitatus fuerit*. Hic autem quæritur nunc; *A quonam tempore id sit factum?* seu, *Quando illa consuetudo cæperit, & unde provenerit?*

Resp. Ex iis, quæ hactenus e diversis scriptoribus protulimus, intelligitur, illos de hac re variare:

I. *Postelli* sententia est, id jam in usu fuisse temporibus primorum patrum ante Abrahamum, imo ante diluvium: Unum characterem, Hebraicum vid. nostrum, fuisse Sacrum, & inter Patres tantum notum; Alium, Communem: Utrumque tamen Hebræum; quia nulla alia tum erat lingua.

II. *Alii* ejus rei initium ab Abrahamum referunt. Volunt hi, Abrahamum, dum

dum in Chaldæa adhuc moraretur, & antequam in terram Canaan veniſſet, Duplicem habuiſſe Linguam, & duplicem Scripturam; *primo* Linguam Sanctam, ab Eberoavo, hæreditario quaſi jure, ad ipſum devolutam, & cum hac etiam characterem Sanctum; eundem videlicet, quo poſtea Deus ipſe digito ſuo Legem Tabulis inſcripſit: *deinde*, Linguam Chaldaicam vel Syriacam, in Aſſyria tum vulgarem & vernaculam, & cum hac ſimul Vulgarem characterem; quem volunt eſſe hodie Samaritanum dictum, vel ſaltem eum, cujus hic eſt propago. *Quod duplici Lingua Abraham in Chaldæa locutus ſit;* id teſtatur author libri Coſri Oratione 2. ſect. 68. his verbis: וכבר היה אברהם מדבר בארמית באור כשדים שהארמית היא לשון כשדים והיתה לו העברית לשון מיוחדת לשון הקדש והארמית לשון חול: h. e. *Jam autem Abrahamus Aramice locutus eſt in Ur Chaldæorum: (nam Aramæa, erat lingua Chaldæorum:) & Hebraica, fuit ipſi lingua peculiaris, lingua ſc. ſancta; Aramica vero Prophana ſeu Communis*. Idem approbat quoque R. Aſarias in Meor enajin *fol.* 174. 2. Hinc ſcribit etiam Sebaſt. Munſterus in Gram. Chald. pag. 10. *Noverat igitur, ut alii verius ſentiunt, Abraham duas linguas, Hebræorum ſc. & Chaldæorum. Primam Deus puram & inconfuſam in Abrahami familia reliquit. Et quum ipſe Abraham imperio Divino, de Ur Chaldæorum, relicta omni cognatione ſua, in terram Canaan peregrinaturus veniret, uſus eſt cum ſuis ſacra lingua: cæteris propinquis & cognatis ſuis, quos in Chaldææ reliquit, Babylorum jam aſſuefactis linguæ, & tandem involutis errore*. Quinimo nec ipſi D. Hieronymo ignota fuit iſta ſententia, prout patet ex eo quod ſcribit ad Danielis cap. 1. *Philo*, inquit, *arbitratur, Linguam Hebræam ipſam eſſe Chaldaicam, quia Abraham de Chaldæis fuerit. Quod ſi recipimus, quærendum eſt, Quomodo nunc pueri linguam, quam noverant, doceri jubeantur? niſi forte juxta quorundam opinionem, duas Abraham linguas, & Hebræorum, & Chaldæorum, ſciſſe dicamus*. Quod Abraham, in Chaldæa, lingua Chaldaica ſit uſus, de eo non exiſtimo eſſe controverſiam; *An vero etiam jam tum Linguam Hebræam locutus ſit, & calluerit; An demum in Cananæa eam didicerit?* de eo eſt inter graves authores controverſia. Ex profeſſo nunc de illa agere, non eſt inſtituti noſtri. Joſephus Scaliger exiſtimat, Abrahamum, in Syria, Syriacam duntaxat linguam calluiſſe: Hebræam vero a Cananæis, poſtquam in illam terram veniſſet, didiciſſe. Vide eum in Epiſtola quadam ad Richardum Thomſonum: & in alia, ad Stephanum Ubertum, quæ incipit, *Quas grates tibi referam*. Alii vero contra ſentiunt, Abrahamum in Syria Syriace quidem locutum eſſe, ſed neque Hebraicæ ignarum fuiſſe; quæ ſententia ut antiquior, ſic probabilior nobis videtur. Nam *primo*, etſi in Chaldæa, ubi Syriaca lingua in uſu communi erat, vixerit, potuit tamen utramque linguam, Hebræam & Syriacam ſive Chaldaicam tenuiſſe, uti ſupra ex libro Coſri audivimus. Vivebant enim cum eo adhuc ipſe benedictus Sem, Arpachſchad, Sela, Heber, a quo בני עבר *Hebræi* nomen habent, juxta illud; *Patri omnium filiorum Eber, Gen.* 10. 21. quos Linguam Hebræam perdidiſſe quis credat? *Deinde*, veriſimile nullo modo eſt, Chananæos, populum maledictum & poſtea extirpatum, Linguæ Hebrææ puritatem potius retinuiſſe, quam Semum, Eberum, Abrahamum, alioſque ex ea linea Patres, inter quos ſanctitas, pietas, Dei cognitio, & Eccleſiæ ſemen conſervatum fuit. *Denique* etiam, Linguæ Syriacæ in Aſſyria ortus, non tam commerciis peregrinorum, quam ipſi Diverſitatis linguarum principio, Confuſioni nimirum, a Deo hominibus inſolentibus immiſſæ, adſcribendus videtur. Itaque *Lingua Hebræa* apud Prophetam Jeſajam cap. 19. verſ. 18. *Lingua Canaan* dicitur, *non quia ea uſi ſint Cananæi, poſteri maledicti Chami, ex quibus etiam fuerunt Ægyptii: ſed quia ea uſi ſunt habitantes in terra Canaan; primum quidem patriarchæ Abraham, Iſaac & Jacob, deinde Iſraelitæ, ejectis Cananæis & Phœnicibus*, ſcribit Bibliander de Ratione Communi omnium Linguarum, *pag.* 20. מאברהם היתה זאת להם: *Ab Abrahamo hoc fuit ipſis, hoc habuerunt Cananæi*, ſcribit R. Jehuda Muſcatus in Coſri, *Orat.* 2. *num.* 68. Qui plura de hac quæſtione volet, legat Fuller. in Miſcell. ſacr. *lib.* 4. *cap.* 4. Sic itaque, qui hanc tenent ſententiam, cenſent Abrahamum & dupli uſum fuiſſe lingua, & duplici Scriptura, Sacra & Communi; & ab eo tempore rationem illam duplicem ſcribendi perpetuo inter Iſraelitas permanſiſſe; adeo ut etiam Moſes diverſo charactere exemplaria Legis exararit, ut antea vidimus.

III. *Alii* videntur originem hujus rei ad Joſuæ tempora referre; Hi ſcribunt; Quum Iſraelitæ Jordanem trajicerent, illos ſcripturam reperiſſe in ripa Jordanis, in ſtatua quadam, cui nomina filiorum Iſrael inſcripta fuerint. Et hanc, *Scripturam tranſitus fluminis* (id eſt, עברי Hebræam) appellatam. Hanc ſententiam, uti

uti apud Hebræos nunquam vidi nec legi: ita non video, quam ſpeciem habeat. Dicunt, Hebræos hoc ſcribere, ſed authores non nominant. Unde mihi eſt ſuſpectum.

IV. *Alii* ad alia ſæcula poſteriora referunt, circa tempora Templi primi, ſaltem inter tempora Moſis & Eſræ, ut R. Jehudah Hakkadoſch, de quo theſ. 14.

Ex omnibus iſtis ſententiis, ſecunda forte eſt maxime probabilis, quam etiam ipſa Duplicis Scripturæ Nomina aliquo modo confirmare videntur, quæ Hebræi ipſis tribuunt; dum Unam appellant אשורי *Aſſyriacam*; Alteram עברי *Hebræam*, h. e. *Tranſitus Fluminis*, ut paulo poſt viſuri ſumus. Quicquid hujus rei ſit, inter pleroſque de Duplici Charactere convenit, inter Hebræos olim uſitato, non a temporibus demum Eſræ, ſed aliquot jam ante Eſram ſæculis.

XLVII. Itaque hoc poſito, porro quærat aliquis, *Quomodo horum duorum characterum alter ad Samaritanos devenerit?* Hoc ut intelligatur, ſciendum primo; *Quinam hi Samaritani fuerint?* deinde, *Qua occaſione & Scripturæ & Legis Iſraelitarum participes facti fuerint?*

XLVIII. Quæritur ergo primo; *Quinam Samaritæ vel Samaritani fuerint?* Samaritæ Hebræis vocantur *proprie* שומרונים *Schomronim*, ab urbe שומרון vel *Samaria*, quam incoluerunt: *communiter* vero כותיים *Cuthæi*, a כות *Cuth*, regione Perſidis: quod maximam partem inde in Terram ſanctam tranſlati fuerint. Erat non gens peculiaris, ſed gentium variarum colluvies. Cum enim decem tribus Iſraeliticæ, (quarum Samaria erat metropolis & Regum ſedes) a Salmanaſſare in Aſſyriam captivæ abductæ eſſent, in eorum locum coloniæ traductæ fuere ex diverſiſſimis regnis, Babele, Cutha & Avva, Hamath, Sepharvaim, quæ Samariæ & vicinis in locis ſedes ſuas fixerunt. Unde a loco habitationis præcipuo vocati fuerunt *Samaritæ*; a præcipua parte *Cuthæi*, quod Cuthæorum plures, quam cæterarum nationum fuerint, ut Elias ſenſit in Tisbi, in כות. Hiſtoria extat 2. Reg. 17. ubi *verſ.* 24. legitur: *Adduxit præterea Rex Aſſur homines e Babel, & e Cutha, & Avvah, & Hamath, & Sepharvaim, & collocavit eos in urbibus Schomron loco filiorum Iſraelis, qui poſſederunt Schomron, & habitarunt in urbibus ejus.*

Referunt ſuam Originem primam ad Joſephum, vel Ephraimi tribum, ex eo quod Joſ. 24. 32. ſcribitur, *Iſraelitas oſſa Joſephi deportaſſe ex Ægypto* & *ſepeliviſſe in Sichem.* Hinc mulier illa Samaritana in Evangelio, Joh. 4. 12. *Num tu es major Patre noſtro Jacob, qui dedit nobis hunc puteum.* Sic Joſephus *lib.* 9. Antiq. Jud. *cap. ult.* *Quoties*, inquit, *feliciter degere Judæos viderint, cognatos ſe eorum appellant, utpote a Joſepho oriundos, & hac ratione ſanguine illis conjunctos: cum vero in rebus adverſis eos aſpiciunt, nihil ad ſe pertinere ajunt, nec illis quicquam deberi benevolentiæ, cum ipſi ex longe remotis gentibus ad illa loca venerint.* Hanc tamen gloriam Judæi ipſis invidebant. Unde in Bereſchit rabba ſect. 94. ad Gen. 46. *verſ.* 13. *Fili Iſaſchar Tola & Puah, & Job, & Schimron*; legitur: *Rabbi Meir videns quædam* שמראי *Samaritanum, dixit ad eum*, מהיכן אתית *Unde veniſti, vel es? Reſpondit ei;* מן דיוסף *ex tribu Joſephi. Regeſſit* R. Meir; *Nequaquam*. Samaritanus *porro*; ואלא דמאן *Unde ergo*; R. Meir; מן דיששכר *Ex tribu Iſaſcharis*. Samaritanus מנא לך *unde hoc habes*, vel *probas*? R. Meir; *Ex eo quod ſcriptum eſt*; Filii Iſaſchiar Tola, &c. & Schimron, &c. Qui volet, videat de eis plura apud Benjaminem in Itinerario.

XLIX. *Quanam vero occaſione, & qua ratione, cum populi fuerint extranei, Legis & Scripturæ Judæorum facti ſunt participes?* Id iterum legitur dicto *cap.* 17. ſecundi *lib.* Reg. *verſ.* 25. 26. 27. &c. his verbis: *Fuit autem principio, cum habitare cæperunt illic, non timuerunt Jehovam, & miſit Jehova in eos leones, qui eos occidebant. Dixerunt ergo Regi Aſſur, dicendo, Gentes, quas tranſtuliſti & collocaſti in urbibus Schomron, non norunt morem Dei terræ: & immiſit in eos leones; qui interimunt eos, eo quod neſciunt morem Dei terræ. Præcepit itaque Rex Aſſur hiſce mandatis; Deducite illic unum e ſacerdotibus quos tranſtuliſtis inde, qui pergant & habitent illic, & doceant eos morem Dei terræ. Venit ergo unus e Sacerdotibus, quos tranſtulerant de Schomron, & habitavit in Bethel, docebatque eos, quomodo timerent Jehovam. Fecerunt vero ſingulæ gentes Deos ſuos, & repoſuerunt in domo excelſorum, quæ fecerant Schomronitæ, ſingulæ gentes in urbibus ſuis, in quibus habitabant. Viri enim Babel fecerunt Succoth Benoth: viri autem Cuth fecerunt Nergal: & viri Hamath fecerunt Aſimah: Avvæi autem fecerunt Niſchas & Tarthac: Sepharvæi autem comburebant filios ſuos igne ipſi Adramelech & Anamelech diis Sepharvæorum: Et timebant Jehovam: feceruntque ſibi aliquot ſuorum Sacerdotes excelſorum, qui faciebant eis in domo excelſorum.* Jehovam quidem

dem timebant, & nihilominus Diis suis serviebant, juxta morem Gentium, unde transtulerunt eos. Usque in diem hanc faciunt juxta ritus pristinos: non timent Jehovam neque faciunt juxta decreta & morem ipsius, neque juxta Legem & præceptum, quod præcepit Jehova filiis Jacob, cui imposuit nomen Israel, &c. Et vers. ult. Itaque Gentes istæ timuerunt Jehovam, & nihilominus sculptilibus suis servierunt: etiam filii filiorum eorum, secundum quod fecerunt patres eorum, ita ipsi faciunt usque ad diem hanc. Hactenus ex libro Regum. Flavius Josephus hanc historiam recitans Antiq. Judaicar. *lib. 9.* pro *Pœna Leonum*, dicit *Sævam exortam esse pestilentiam*. Vide eum. Et pro eo quod de *Uno tantum Sacerdote* sacræ literæ memorant, ipse ait; *Missis ad Regem Assyrium legatis, petierunt ut Sacerdotes aliquot e captivis Israelitis ad eos remitteret.* Leontius Byzantinus de Sectis Actione secunda scribit; *Sacerdotem illum, cum advenisset, nihil aliud docuisse eos, ut extranei scriptores ajunt,* εἰ μὴ μόνον τὴν πεντάτευχον *nisi solum Pentateuchum: & inde esse, quod illum solum Samaritani recipiunt.* Eadem historia traditur etiam in פרקי Pirke seu Capitibus R. Eliesaris *cap.* 38. & in Jelammedenu sect. וישב, sed cum quibusdam aliis glossematis & additamentis: הכותיים אינן נחשבים לגוי משבעים אומות *Cuthæi vel Samaritani non reputantur pro aliqua gente ex septuaginta populi* (de quibus Genes. 9.) *sed ex reliquis quinque gentibus Regi pretiosis, sicut dicitur:* Adduxit præterea Rex Assur, &c. 2.Reg. 17.24. *R.Jose dixit, Addidit illis adbuc gentes quatuor, ut omnes simul sint novem, sicut dicitur,* Dinæi, Arphachsathchæi, Esræ 4. 9. *Cum vero deportarentur Isaelitæ re loco suo, e Samaria, misit Rex servos suos, & collocavit ipsos in Samaria, ut afferrent vel penderent tributum Regno. Quid fecit Deus? Immisit in eos leones, qui occidebant eos, sicut dicitur;* Principio, cum habitare ceperunt illic, &c. *Miserunt ergo ad Regem, & dixerunt ei, Domine noster Rex; Terra, in quam nos misisti, non recipit nos: pauci enim ex quamplurimis sumus superstites. Rex, accersitis ad se omnibus senioribus Israelis, dixit eis, Omnibus annis, vel toto eo tempore, quo in terra vestra fuistis, non orbavit vos bestia agri: nunc vero non recipit nec tolerat istos. Hi consilium Regi dederunt, quo sperabant se effecturos, ut ipsos iterum in terram suam reduceret; Dixerunt ei, Domine Rex, Terra illa non suffert gentem, quæ non operam dat Legi, & quæ non est circumcisa. Respondit Rex, Date ex vobis duos, qui eant, & eos circumcidant, atque in Lege erudiant. Cum itaque verbum Regis revocare non possent, miserunt Rabbi Dositheum & R. Zachariam,* (*in Jelammedenu* legitur; ר' דוסתאי בר ינאי וארת ר' סבייא: *R. Dositheum ben Jannai, & R. Sebajam*) *qui circumciderunt eos,* והיו מלמדים אותם ספר התורה בכתב נוטריקון: *& docuerunt eos librum Legis Scriptura Notarica, & flebant. Gentes vero illæ ambulaverunt in statutis Legis, & in statutis Deorum suorum, sicut dicitur;* Jehovam timebant, & Diis suis serviebant. *Cum Ascenderet Esra e Babylonia, & Zorobabel filius Schealthielis, & Jeosua filius Jehozadak, incipiebant flere in Templo Domini, sicut dicitur;* Tunc surrexerunt Zerubbabel filius Schealtiel, &c. Esræ 5. *vers.* 2. *& venerunt contra eos Samaritæ ad bellum* 180000. *viri Num ergo Samaritani fuerunt, annon fuerunt Cuthæi? A nomine urbis Samariæ vocantur Samaritani. Præterea quæsiverunt occidere Nehemiam, sicut dicitur,* Veni, & conveniamus pariter in villis in campo Ono, Nehem. 6. 2. *Adhæc impediverunt opus Domini duobus annis, quod fuit usque ad annum Jubilæi. Quid fecit Esras & Zerubbabel filius Schealtiel, & Jehosua filius Jehozadah? Convocaverunt totum cætum in Templum Domini, & venire fecerunt trecentos Sacerdotes, trecentos pueros, trecentas buccinas, & trecentos libros Legis in manu eorum, qui clangebant, Levitæ vero canebant & psallebant,* ומנדין את הכותיים בסוד שם המפורש ובכתב הנכתב על הלוחות וכו': *& excommunicabant* (in Jelammedenu, ומחרימין ומשמתין ומנדין *Et anathematizabant, & Schammatizabant, & excommunicabant,* h. e. *omnibus excommunicationis fulminibus & speciebus excommunicabant*) *Cuthæos per secretum Nominis Tetragrammati, & per Scripturam quæ scripta fuit in Tabulis, & per anathema domus judicii superioris, & per anathema judicii inferioris; Ne quis unquam ex Israele comederet panem Cuthæi, unde dixerunt; Quisquis comederit carnem Cuthæi, perinde est ac si comederes carnem porci; item, ne quisquam Cuthæum faceret proselytum, h. e. in Judaismum reciperet, &c. Hoc anathema ad Judæos, qui in Babylonia remanserant, missum, non solum ab illis fuit approbatum, sed novo superaddito auctum & confirmatum.* Hæc illic. In quibus noto, duplicis Scripturæ fieri mentionem, *primo* כתב נוטריקון *Scripturæ notaricæ; deinde* כתב הנכתב על הלוחות *Scripturæ, quæ extabant in tabulis.* Illa dicuntur duo illi commemorati seniores, ad Samaritanos missi, Samaritanos Legem docuisse. *Hac*, ab Esra Samaritanos fuisse excom-

communicatos. Ergo patet hinc, qua occasione & quo tempore Samaritani ab Hebræis seu Israelitis literas Hebræas acceperint. Cum vero gens fuerit tam vilis & abjecta, Judæis insuper invisa, & Judæi duplici charactere, si superioribus fidem demus, scriptam Legem habuerint, an probabile est illos Samaritanis occultum illum & sacratum, qui in Libro Legis in arca asservato, & inter paucos, extabat, tradidisse; & non potius *Characterem communem*, in vulgaribus libris & communi usu extantem? Sane id mihi hic videtur innuere vox נוטריקון *Notarica Scriptura*, (quamvis non ignorem, quid vox illa vulgo apud Rabbinos significet) q.d. Scriptura נוטרין Notariorum, quæ a Scribis & Notariis publicis in contractibus, instrumentis, epistolis, & similibus usurpatur. Sic נוטרין pro *Notariis* non in uno loco reperitur. Confirmare videtur hoc, quod *Scripturæ Tabularum* peculiaris fiat mentio. Videtur enim hoc non obscure significare, hunc R. Eliesarem superiorem Scripturam ab hac distinguere voluisse. Præterea cum hic referatur, Esram allegatas ob causas, gravissimo Excommunicationis fulmine Samaritanos feriisse, adeo ut Israelitis nihil quicquam commercii inposterum cum ipsis intercedere debuerit, an credibile est, illum Scripturam sanctam ipsis relicturum, & peregrinam Israelitis daturum fuisse? Quod dicitur, ומנדין *Et excommunicarunt Cuthæos*, Morinus Exercit. I. interpretatur *Fugaverunt*, satis inscite & imperite. De his Samaritis legitur etiam Ecclesiastici *cap.* 50. *vers.* 27. 28. *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens: Qui habitabant in monte Seir, & Philistæi, & stultus populus qui habitet in Sichem* (ibi Samaritæ etiam habitabant.) Præter dictas Idololatriæ species, unde Judæis exosi fuerunt, erat etiam hæc, quod Templum Hierosolymitanum spreverint, & proprium in monte Garizim exstruxerint, in quo ipsi adorabant, unde ea quæ leguntur Johan. 4. quod factum a Sanaballat præfecto Darii, in gratiam Manassis generi sui. Et quamvis omnem tunc Idololatriam deposuisse viderentur; deprehensum tamen fuit; ipsos in monte coluisse imaginem Columbæ. Sed satis pro instituti ratione de Samaritanis. Sufficienter enim hinc disci potest, *Quinam Samaritani fuerint?* & *Qua occasione Hebræorum literæ & characteres ad ipsos devenerint?* quod inquirere hic nobis fuit propositum.

LX. Cum ergo de hoc nunc constat: Qua ratione Scriptura Hebræorum, vulgaris scil. & communis, ad Samaritanos istos devenerit, unum adhuc expediendum restare videtur; *Quare illa Scriptura in Talmud & aliis quibusdam Judæorum scriptis appelletur* עברי, vel כתב של עבר הנהר *Scriptura Hebræa Transfluvialis, vel transfluvialium?* Ut hoc intelligatur, tenendum & repetendum, quod paulo ante dictum, esse quosdam, qui Duplicis Scripturę inter Hebręos originem ad Abrahamum referunt. Is ex vocatione Divina, primo ex Ur Chaldæorum, postea ex Charran, ubi aliquandiu cum Patre Theraco habitavit, in Cananęam venit. Chaldęa autem a Cananęa disjungebatur interjecto Euphrate, quem trajicere necesse habebant, qui ex una terra in alteram transire voluerunt. Hinc Chaldæi & Syri a Cananæis vocabantur אנשי של עבר הנהר: vel בני *Homines transfluvium, vel transfluviales*, sicut nos dicimus *Transalpinos*, *Transmarinos*, *Transrhenanos*; vel brevius עברים quasi dicas עבר-נהרים: & terra ipsa עבר הנהר *Transfluvium*, h. e. *Transfluvialis*. Vicissim relatione mutua Cananæi Assyriis quoque *Transfluvium* erat, & *Transfluviales* pariter dicti. Vide I. *Reg.* 4. 24. &c. Priore sensu legimus *Gen.* 14. *vers.* 13. Abrahamum primum omnium a quodam Cananæo vocatum עברי Hebræum, q. d. *Transfluvianum*. Et Josuæ 24. *vers.* 2. legimus: *Et dixit Josua ad totum populum, Sic dixit Dominus Israelis*, בעבר הנהר: *In* (terra) *transfluvium* (Euphratem) *habitarunt Patres vestri a seculo, Therach pater Abrahami, & pater Nachoris, & servierunt Diis aliis. Et assumsi patrem vestrum Abrahamum* מעבר הנהר *de* (terra) *transfluvium in totam terram Canaan*. Sic cum Abraham in terram Canaan venisset, fieri potest, ut ipse a terra, ex qua venit, Cananæis vocatus fuerit עברי *Hebræus*, *Transfluvianus*: & Loquela pariter ac scriptura ejus vulgaris, qua loqui & scribere solebat & לשון עברי כתב עברי: *Lingua Hebræa*, *Scriptura Hebræa*, h. e. *Transfluviana*, atque ita postea nomen hoc retinuerit. Alii volunt, Abrahamum עברו *Hebræum* vocatum, Linguam itidem עברי *Hebræam* ab עבר *Hebero*, ex cujus familia Abraham fuit oriundus, & in cujus familia lingua Hebræa conservata fuit. Si hoc statuatur, dici potest, quod ex ipsorum Hebræorum, qui in Cananæam venerunt, usu Cananæi hoc didicerint, & tum temporis, uti lingua, sic Scriptura quoque vulgaris & communis seu publica עברי *Hebræa* vocata fuerit: altera autem הקדש *Sancta*, (sicut supra ex quodam Rabbino audivimus, inter alias, hanc quoque ob causam Linguam Hebræam *Sanctam*,

& Scri-

& Scripturam *Sanctam* vocatam) ad differentiam vulgaris & publicæ. Annon etiam, qui inter ſuos domeſticos fuit עברי *Hebræus* vocatus ab עבר *Hebero*, a Cananææ incolis, ob homonymiam vocis, *a Terra transfluviana* taliter vocari potuit? Ita, quocunque modo ſumatur, facile conjici poteſt, unde inter Hebræos Scriptura iſta, qua hodie Samaritani utuntur, עברי *Hebræa* vocetur, quia ſcil. olim erat Scriptura Hebræorum חול vulgaris & publica, non בתב הקדש Scriptura ſancta, qua in ſacris utebantur. Unde autem eam Abrahamus habuerit, & acceperit? An a patribus ſuis inde ab Adamo, ita ut illi ſtatim diſtinctionem inter Scripturam Sacram & Prophanam fecerint, quod Poſtellus ſenſit? An vero Scriptura illa fuerit terræ Chaldææ & Aſſyriæ, vel linguæ illius propria, ut Hebræorum quidam volunt? non multum ad præſentem quæſtionem noſtram referre videtur, quamvis, ut, quod eſt res, ingenue dicamus, hoc ſe nobis magis probet, cum ſupra viderimus, Duplicem quoque Abrahamum habuiſſe linguam. Sed, utut ſit, de ratione hujus appellationis, ex iis quæ dicta ſunt, aliquatenus conſtare videtur.

LI. Tandem, *Cur eadem iſta Scriptura in ſupra adducto loco Talmudico, ex cujus occaſione hanc digreſſionem inſtituimus, a Raf Chaſda videtur vocari* ליבונאה Libonæa, vel Libanica?

In hoc non multum nobis ſitum: quia tamen Morinus exiſtimat, ſe magnum arcanum hic reperiſſe & detexiſſe ad ſententiæ ſuæ confirmationem, quid rei ſit, & quam feliciter ei ceſſerit, videamus, R. Salomonis gloſſa eſt: אותיות גרולות כעין אותן שכותבין בקמיעות ומזוזות: *Literæ ſunt magnæ; quales ſunt illæ, quibus ſcribunt* (Iſraelitæ) *in amuletis, ſeu, ſchedis membranaceis collo appenſis, aut ſuperliminaribus incluſis*. Quomodo hoc intelligat R. Salomon, ex alia ejus gloſſa liquet, quæ legitur in Talmud Megillah *cap.* 1. *fol.* 8. *col.* 2. in ima *pag.* Ibi ad has Gemaræ voces וכתב עברי *Et ſcriptura Hebræa*, annotat; שכתב בכתב של בני עבר הנהר ובמסכת סנהדרין קרי ליה כתב ליבונאה: *Si ſcripſerit Scriptura filiorum transfluvialium, quam in Tractatu Sanhedrin vocant* ליבונאה *Libonæam*, Et in Tractatu Schabbas *cap.* 16. *fol.* 115. 2. ad עברי *Scriptura Hebræa, tranſfluvialis;* ſcribit; אותיות גדולות הן ואין דומות לכתב אשורי: *Literæ magnæ ſunt, & non ſunt ſimiles ſcripturæ Aſſyriacæ*. Itaque ſic R. Salomon ſeipſum explicat. Morinus, ut hoc probet, adducit R. Aſariam in libro Meor enajim: *R. Aſarias, inquit, ſupplet his Salomonis verbis allatis*, הנהוג אצל הכותיים שהם שמרונים: *Quod conſuetum eſt apud Cuthæos, qui ſunt Samaritani*. Sed non fuit ea mens R. Aſariæ quicquam hic R. Salomonis verbis aſſuere, vel explicationem adjicere: verum connectit hæc verba cum præcedentibus ſuiſmet verbis, quibus R. Salomonis explicationem per parentheſin interjicit, quam parentheſin non animadvertit Morinus. Verba Aſariæ ſunt; נתחיל ללמוד צורת האותיותו ולא בכתב שלנו אבל באותו שקראוהו ז״ל כתב עברי היינו של בני עבר הנהר אשר תארוהו ג״כ כתב ליבונאה ופרש״י אותיות גדולות כעין אותן שכותבין בקמיעות ומזוזות הנהוג אצל הכותיים שהם השמרונים: Horum verborum vera & genuina interpretatio hæc eſt: *Incipiemus diſcere figuram literarum; verum non in ea Scriptura, quam nos habemus; ſed in ea, quam Rabbini noſtri vocant Scripturam Hebræam, hoc eſt, Transfluvialium, quam etiam appellant Scripturam Libonæam* (*id R. Salomon explicat, Literas majuſculas, quales ſunt illæ quas ſcribunt in Amuletis & Meſuſoth*) *quæ uſitata eſt apud Cuthæos, qui ſunt Samaritæ*. Non vult dicere, R. Salomonem ſenſiſſe, Samaritanos ſolitos fuiſſe amuleta & ſimiles ſchedas iſtiuſmodi literis ſcribere: ſed ipſe Aſarias dicit, intelligi ſcripturam uſitatam apud Samaritanos. Parentheſis non animadverſa Morino impoſuit. Hoc unum eſt. *Deinde* affert Morinus aliam expoſitionem ex quodam R. Moſe, qui ליבונאה *Libonæam* interpretetur *Scripturam* בפני עצמו *in facie ſui ipſius*. At quid eſt *Scriptura in facie ſui ipſius? Scriptura per ſe; Scriptura peculiaris;* ut Syriaca, qua Chriſtiani in monte Libano utuntur. *Tertio* adducit additiones Talmudicas, quæ tradunt, Locum aliquem ſic vocari, a quo Scriptura iſta nomen ſibi fecerit. Horum vero nihil Morino ſapit, ſed novam & propriam ſuam interpretationem profert, inquiens: *Nos vero Rabbinis omnibus exploſis*, Scripturam inſculptam *vertimus*. *Conſtat enim ex R. Nathane in Aruch*, ליבנה *in Talmud nonnunquam pro Scalpro ſeu Cælo uſurpari, &* ליבונה *pro Re inciſa*. *Reſpondit igitur*, inquit, *Raf Chaſda interroganti, Quæ eſſet Scriptura Hebræa, qua Cuthæi utuntur? Illam eſſe, quæ in numiſmatis ſeu ſiclis Judaicis inſculpta conſpicitur*. Itaque Morinus ליבונאה interpretatur *Inſculpta ſcriptura?* Quo vero fundamento? quia nempe conſtat ex Aruch R. Nathanis, ליבנה nonnunquam in Talmud pro *Scalpro* ſeu *Cælo* uſurpari, & ליבונה pro *Re inciſa*. Diu hæſi, antequam apud R. Nathanem hæc in

Aruch

Aruch reperire potuerim, Tandem vero deprehendi, unde iſtas novas & acutas interpretationes exſculpſerit. In Aruch, in לבן tertio, adducuntur ex principio Gemaræ libri Cholin *fol.* 8. 1. ſequentia verba, ליבן סכין באור ושחט בה; unde, niſi omnia me fallant, ipſe ex primis verbis ליבן סכין elicuit, ליבן eſſe סכין *Cultrum*; & *Cultrum* deinde ſumſit pro *Scalpro* vel *Cœlo*; quo nihil alienius, vel a mente R. Nathanis, vel Gemaræ ſeu Talmudis. Illa enim verba adducuntur ad illuſtrandum ſignificatum verbis לבן, quatenus *Candefacere* ſignificat; reddenda ſunt; *Si candefecerit* (lanius) *cultrum in igne, & mactaverit eo*. Mox ſequitur ibidem: חירודת קודם ליבונה פירוש חירודה מקדים לחרוך קודם חכוו' ליבונה: ex quorum verborum tribus his. ליבונה פירוש חירודה: ipſe extudit ליבונה ſignificare חירודה *Rem inciſam*. Sed toto cœlo erravit: Priora tria verba חירודה קודם ליבונה: iterum ſunt exempli loco adducta ex Gemara, & reddenda ſunt; *Acies ejus* (cultri ſcil. mactatorii, igni candefacti) *præcedit Candefactionem ſeu Uſtulationem ejus*; His verbis ſubjungit Peruſch ſeu explicationem ſuam R. Nathan; חירודה *Acies ejus prius ſcindit, antequam urat vel uſtulet candefactio ejus*. Quid hæc omnia ad rem præſentem, & ſcopum Morini? Ex his apparet, non ſine cauſa ipſum in Præfatione gloriari, ea, quæ in illis Exercitationibus habet, *nequaquam e triviali magiſterio eſſe collecta*, & Exercitationis primæ *cap.* 3. *ſe longiſſime abeſſe ab eorum ſententia, qui cruda & indigeſta materiæ undique convaſatæ & conſarcinatæ mole lucubrationes ſuas infercire malunt, quam maturo & decocto rerum & opinionum variarum ſucco condire, &c.* Sane, ſi quis liber iſtius generis hodie mihi viſus, qui cruda & indigeſta materiæ Hebraicæ mole ſit infertus & confertus, hæ ſunt Exercitationes Eccleſiaſticæ Johannis Morini. Innumera alia producere poſſem, ſi neceſſe foret. Hæc tamen, & alia quamplurima ejus generis, tamquam חטאות שגגה *Peccata erroris & ignorantiæ* ei condonari poſſent, niſi חטאת זדון *Peccatum ſuperbiæ* accederet, quo ſæpe teſtimonia authorum mutila (quo in facto jam ab alio eſt deprehenſus) adducit, & proterve atque inſolenter nimis per totum librum contra Hebraicam Veritatem inſurgit, & ex *Veritate Hebraica*, quo elogio eruditi Patres, D. Auguſtinus, Hieronymus, Beda, & alii, Textum Hebraicum ornarunt, *Falſitatem Hebraicam* facere, omnem ei authentiam & authoritatem adimere, atque in ejus locum Samaritanum neſcio quem codicem nobis ſubſtituere & obtrudere annititur. Sed hæc אגב אורחא *in tranſitu* & obiter. Quod ad rem ipſam, non opus fuiſſet tanto conatu & molimine novam hujus vocis ליבונאה interpretationem requirere. Nam, utut in dubium vocari poſſit, tamen facile ei poteſt concedi, Samaritanam illic intelligi Scripturam. Iſraelitas etenim olim ea uſos, & in illa quoque Legem ipſis a Moſe datam fuiſſe, Hebræi non diffitentur; ſed non tanquam authentica, ſancta, & ea qua Moſes in monte Sinai Legem a Deo accepit, R. *Abraham Harophe* in שלטי הגבורים ſcribit de hac voce: *Ego putarim, linguam & Scripturam illam veniſſe a quodam ex filiis Joktan, qui & ipſe fuit filius Eber, æque ac frater ejus Peleg: & linguam ac Scripturam Hebræam communem ceſſiſſe in ſortem filii quarti Joktanis, qui fuit* ירח (*Gen.* 10. *verſ.* 26.) *ut* ליבונאה Libonæa *vocetur ab ejus nomine, quaſi* Lunaris; *Nam* ירח *eſt* Luna, & לבנה *quoque; ut hæ duæ voces ſint Synonimæ.* לבנה *autem dicitur* Luna, *quia videtur eſſe* לנרה h. e. *alba. Ideo* כתב ליבונאה *vocari ſic exiſtimarim, tum propter figuras literarum grandiores, tum propter filium Joktanis* a quo venit, (Jerach *nempe*.) Hæc ille, quæ vero parum ſapiunt. Verum tempus eſt, ut ex diverticulo iterum in viam redeamus. Cœpimus conſiderare & ponderare Teſtimonia, quæ pro Novitate literarum Hebraicarum, & Antiquitate Samaritanarum, producuntur. Atque hæc quidem duo, de quibus hactenus egimus, ſunt præcipua, quæ ex Veteribus authoribus adferri poſſunt; quæ tamen, uti viſum, alteram ſententiam non evertunt. Et poſito, unum vel alterum ex Hebræis olim in ſententia hac fuiſſe, nondum tamen ſequitur, illos tot allatis teſtibus & teſtimoniis præferendos eſſe. Quæ ex iiſdem de appellatione Scripturæ Aſſyriacę proferuntur, mox expendemus.

LII. *Unius* adhuc ex Talmudicis teſtimonii meminit Joſeph Albo, dum ſcribit *lib.* 3. *cap.* 16. ולפי הנראה מסוגיית הגמרא ריש פרק כל כתבי הכתב שבידינו היום שהספרים נכתבים בו אינו כתב עברי בלא ספק: h. e. *Et ſecundum id, quod perſpicitur ex paragrapho vel ſermone quodam Gemaræ, in principio capitis* (quod incipit) כל כתבי Omnia ſcripta; *Scriptura iſta, quæ eſt in manibus noſtris hodie, qua libri noſtri conſcripti ſunt, non eſt Scriptura Hebraica ſine dubio*. Ita fideliter hæc ſunt transferenda. Provocat ad סוגיא ſermonem ſive textum quendam Talmudicum in principio *capitis* 16. Tractatus de Sabbatho; Verba autem illius סוגיא textus non adducit, ſed Lectoris dili-

diligentiæ inquirenda relinquit: Nam omnia ſunt ipſiuſmet Joſephi Albi verba. In allegato autem capite duo habentur, ad quæ reſpicere videtur; *Primo*, fol. 115. col. 1. legitur: היו כתובין נפתית מדית עברית עילמית יוונית: *Si libri fuerint ſcripti Ægyptice, Medice, Hebraice, Elamitice, Græce*: deinde *col.* 2. אין בין ספרים למגלה אלא שהספרים נכתבים בכל לשון ומגילה עד שתהא כתובה אשורית: *Non eſt differentia inter libros* (reliquos ſacros) *& volumen Eſtheræ*, (reſpectu ſcil. illius rei, de qua illic ſermo) *niſi hæc, quod reliqui libri ſcripti quavis lingua, & volumen Eſtheræ, nonniſi Scriptura Aſſyriaca ſcriptum*. Quomodo hinc argumentari velit & concludere Joſephus Albus, non dicit, neque ſatis video, niſi forte ex Nomine אשורית *Aſſyriacæ Scripturæ*; ad quod autem partim jam in ſuperioribus eſt reſponſum, partim inferius adhuc reſpondebitur. Notandum etiam, in Tractatu Megilla *fol.* 8. *col.* 2. hanc Traditionem aliter legi, unde in margine annotatur; וצ״ע *Hoc conſideratione opus habet: nam in Megilla aliter legitur*. Hic vero non poſſum non iterum notare egregiam Morini peritiam Hebraicam. Ille enim *Exercitat.* 2. *cap.* 4. Joſephi Albi ſententiam & verba producens, cum ad hæc a nobis allegata verba veniret, ait; *Hoc rurſus probat* (ſcil. Albo) *Talmudis teſtimonio evidentiſſimo, quo fretus, ait, Conſuetudinem eſſe Gemaræ, dicere, Scripturam Judaicam non eſſe Hebræam* (nequaquam ſic dicit Albus) *Locus, inquit, eſt initio ſectionis*, כל כתבי. *Eſt autem illa in Tractatu de Sabbatho. Verba autem ſunt iſta*: הכתב שבידינו היום שהספרים נכתבים בו אינו כתב עברי בלי ספק: *Scriptura, quæ eſt in manibus noſtris hodie, qua libri ſcribuntur, non eſt ſcriptura Hebraica ſine dubio*. Falſum eſt, hoc in Tractatu de Sabbatho legi: ipſius ſunt Albi verba, ut ex fideli noſtra verſione liquet. Si Talmud inſpexiſſet Morinus, non ſic ſcripſiſſet forte: quia verba iſta nullibi reperiſſet. Iterum itaque apparet, quantum iſti homini, in hac & aliis materiis, ſit fidendum. Optime vero ſcribit alibi; *Res unaquæque ſucci parum habet, fæcis plurimum. Pauciſſimis, multa ſcribere & bene, conceſſum eſt*.

LIII. *Recentiores Hebræos* quod attinet, ſicut veteres plerique contrariam ſunt ſequuti ſententiam: ita & hi pæne omnes in eandem iverunt, adeo ut qui eam ſunt amplexi, ſint revera מתימספר ונער יכתבם גם נער קטן ינהג בם: *homines numeri* (i. e. oppido pauci) *quos puer facile ſcribat* (Jeſ. 10. 19.) *imo quos puer parvus ducat* (Jeſ. 11. 6.) Ex omnibus enim, quos mihi quidem hactenus videre & legere contigit, nonniſi unum inveni *R. Joſephum Album*, in libro *Ikkarim, Orat.* 3. *cap.* 16. qui expreſſe & diſerte hanc ſententiam de Novitate Literarum Hebraicarum, & illarum in Aſſyrias mutatione, ſuſceperit defendendam & propugnandam.

Sed quid unus contra tam multos? בתרי גוריין קטלוה לאריא: *Duo catuli occidunt leonem*, habet vetus adagium in Sanhed. *fol.* 95. 1. Quid ergo ſi tot leones, ut R. Abraham, Aben Eſra, Salomon, Rambam, & reliqui ſupra commemorati, contra unum catulum? Utitur ille argumentis & teſtimoniis, quæ partim produximus, partim producturi ſumus. Nomine quidem *Albus* eſt: ſed popularibus ſuis *Niger* in hac quæſtione, & *atro lapillo* notatus. R. Aſarias ſcribit in Meor enajim *cap.* 56. אין ספק כי נטיית הר׳ יאלבו מאמר ג׳ פרק י׳ מספר עקריו אל שהתורה נתנה בכתב עבר הנהר היא אפס ותהו ודעת החכמים אשר עוד נזכיר בפנ״ח שנתנה באשורי הוא יזכר על הטוב לנצח: h. e. *Nullum eſt dubium, quin inclinatio R. Joſephi Albi, in libro Articulorum ſuorum, in eam ſententiam, quod Lex data ſit Scriptura Transfluviali, ſit frivola & inanis: ſententia vero ſapientum, quod Lex data ſit ſcriptura Aſſyriaca, pro optima habebitur in æternum*. R. Jacob in En Jiſrael *fol.* 142. *col.* 2. poſtquam ejus ſententiæ mentionem feciſſet, ſubjicit continuo; ורחמנא ליצלן מלומר כן כי הלא זאת סברא נמשכו מסנה כמה בטולים וכו׳: *Sed Deus liberet nos, ne ita ſentiamus; nam plurima ex hac ſententia ſequuntur abſurda, &c.* Et fol. 143. 1. וכבוד הר׳ אלבו במקומו מונח כי בודאי הרשות נתונה לכל תלמיד קטן כמוני שיאמר עליו כי לא שת לבו אל סונייתנו שבמ׳ מגילה על ענין מנצ״פך והכרונה אבר ממנו להיותה הפכית ממש לדבריו לעיני כל מעיין גדול וקטון: *Honor R. Joſephi Albi in loco ſuo maneat, ſartus tectuſque eſto. Interim revera poteſtas data eſt* (licet) *cuivis diſcipulo parvo, qualis ego ſum, ut dicat, ipſum non appoſuiſſe cor ad Traditionem noſtram, quam habemus in Libro Megillah, de literis Menatzpach, & oblitum eſſe, eam plane contrariam eſſe verbis ejus in oculis* (judicio) *omnium, parvorum & magnorum*. Ex quibus apparet, quid alii Rabbini de ipſius ſententia judicent. Verba & rationes ejus accurate refutat hic R. Jacob in En Jiſrael: ubi etiam oſtendit, illum habere & proferre ex Talmud, quæ illic plane non habentur; ut cum dicit, *Rabbi Jebudæ ſententiam non valere quicquam contra ſententiam Rabbinorum ſeu Doctorum; cum* tamen in Talmud ne gry quidem extet, quod

quod hæc ſit communis ſententia Doctorum, ſed potius contrarium.

LIV. Deinde adducunt pro hac ſententia R. *Moſen Nachmanidem*. Hic in fine Commentariorum ſuorum in Pentateuchum ſcribit; *Cum veniſſet in Terram ſanctam, in Acbo ſibi exhibitum & oſtenſum fuiſſe Siclum, literis claris & legibilibus ſignatum. Eum cum Cuthæis monſtraſſent, e veſtigio ab illis agnitam fuiſſe ſcripturam & lectam*; כי היא בכתב עברי אשר נשאר לכותיים: *eo quod fuerit ſcriptura Hebræa ſeu transfluvialis, quæ relicta fuit Samaritanis, juxta id quod legitur in libro Sanhedrin*. Sic adducunt hunc authorem, Druſius ad difficiliora loca Exodi *cap.* 57. Arias Montanus de Siclo, Morinus, & alii.

Sed hinc mihi non videtur concludi, quod intenditur. Dicit, *Siclum illum, ſibi monſtratum, continuiſſe ſcripturam Hebræam ſeu transfluvialem:* dicit *Scripturam illam relictam eſſe Cuthæis*. Utrumque concedi poteſt, ſine præjudicio alterius ſententiæ. Nemo enim negat, Hebræos olim in Monetis ſcripturam illam adhibuiſſe: non negatur, eam ſcripturam relictam eſſe Cuthæis; ſed negatur, Hebræos olim hanc ſcripturam ſolam habuiſſe, & hanc fuiſſe Scripturam ſanctam, qua Deus Legem Tabulis inſcripſit, quaque Moſes Legis exemplar authenticum ſcripſerit, quod R. Moſes nuſpiam affirmat. Unde dubium apud me eſt ipſius teſtimonium, nec evidenter ex eo liquere puto, illum hujus ſententiæ fuiſſe. Quinimo omnem dubitationem tollere videtur, quod ipſemet in Præfatione in Pentateuchum ſcribit. Adducit illic ex Rabbinis ſententiam quandam, qua dicunt; חמשים שערי בינה נבראו בעולם וכולם נמסרו למשה חוץ מאחד: *Quinquaginta Portæ intelligentiæ creatæ ſunt in mundo, quæ omnes traditæ ſunt Moſi, excepta una*. Hac expoſita & declarata, ſubjungit; וכל הנמסר למשה רבי׳ בשערי הבינה הכל נכתב בתורה בפירוש או ברמיזה כתיבות או בגימטריאות או בצורת האותיות הכתובות כהלכתן או חמשתנות בצורה כגון הלפופות והעקומות וזולתן או בקוצי האותיות ובכתריהם כמו שאמרו בשעלה משה וכו׳: h. e. *Et quicquid traditum fuit Moſi in Portis intelligentiæ, id omne ſcriptum eſt in Lege, expreſſe vel implicite & per aliquod indicium, vel in Dictionibus, vel in Gematriis* (numeris) *vel in Figuris literarum, ſcripturarum tum rite & more ſuo, tum in forma ſua mutatarum; ut puta in Literis involutis, contortis, & aliis,* (ut eſt litera נ, quæ aliquoties inverſa ſcribitur: ע quod ſuſpenditur: literæ punctatæ, majuſculæ & minuſculæ:) *item & Apicibus literarum, & coronis illarum, ſicut Rabbini dicunt; Cum Moſes aſcendiſſet in altum, &c.* vide ſupr. th. 8. *Nam indicia illa non intelliguntur, niſi per Traditionem oralem uſque ad Moſen in monte Sinai. Hinc dicunt in Schir haſſchirim rabba de Chiskjia, quod librum* תאגין *Apicum monſtraverit ipſis, qui eſt liber notus, in quo explicatur, quot ſint Aleph coronata in Lege, item Beth, &c.* Sic dicit mox de Salomone, *quod omnia quæ ſcivit, habuerit ex Lege, & invenerit in ejus expoſitionibus, ſubtilitatibus Grammaticalibus, literis, & apicibus illarum, &c.* Sane, ſi hæc conferantur cum iis, quæ dicta ſunt ſupra Theſ. 16. apparebit, Nachmadinem hæc intellexiſſe de figuris Literarum Hebraicarum hodiernis, ac proinde ſtatuiſſe, illas in monte Sinai Moſi a Deo traditas fuiſſe. Itaque hac ratione נעשה סניגורם קטיגורם *Advocatus illorum ſit accuſator illorum*.

LV. Et hæc duo ſunt teſtimonia Hebræorum recentiorum, quæ communiter proferri ſolent, quæ illis, quæ nos ſupra produximus ſub theſ. 20. nec numero, nec pondere ſunt æquanda.

LVI. Johannes Baptiſta, Villalpandus in ſplendido & ſumptuoſo Commentario in Ezechielem, Tomo 3. pro ſententia iſta gloriatur de R. Aſariæ, ſæpius a nobis in hac diſſertatione, pro alterius ſententiæ confirmatione, laudati, teſtimonio: *Verum* (inquit) *de antiquis Hebræorum literis liber Hebræi cujuſdam ex neotericis teſtimonium ad verbum referre: quamvis enim non tantæ videatur eſſe authoritatis, ut hic referatur; tamen quoniam de rebus ſuis agens, veritate coactus argumenta nobis ſuppeditat, ad exaltanda Crucis Chriſti myſteria, adverſus Judæos validiſſima, ejus ſingula verba referam, quæ e Rabbinica lingua fideliter Latine reddidit Benedictus Blancucius Romanus presbyter: Librum vero vocat* מאור עינים Lumen oculorum, *quo ipſe maxime indigebat. Is vero ſic ſcribit:* Dicemus nonnulla de figura ac forma literarum Hebraicarum, non de illis, quibus hodie utimur, ſed quibus legerunt Majores noſtri. In libro Megillah, & libro Sanhedrin, ſcriptum erat literis Hebraicis, eorum ſcilicet, qui ab Heber deſcenderunt, cum quibus etiam inſculptæ erant literæ eorum, qui ſunt in Libano, &c. Sic *Villalpandus*, Reliqua quæ ſequuntur, cum non ad rem faciant, non ſunt neceſſaria. Quam vero appoſite hunc R. Aſariam pro ſua ſententia in medium producat, apparebit, ſi ſequens

quens

quens nostra fidelis, vera, & genuina verborum Asariæ interpretatio, cum Villalpandi vel Blancucii illius versione conferatur: *Nunc*, inquit, *cum propemodum ad finem hujus libri nostri pervenimus, incipiemus demum addiscere figuram literarum, non quidem Scripturæ ejus, quam nos habemus, sed ejus, quam Rabbini nostri p. m. in capite primo Megillah, & cap. 2. Sanhedrin, vocant Sripturam Hebræam, h. e. filiorum transfluvium, quam etiam vocant Libonæam, &c.* Quid in his verbis quæso, quod Villalpando faveat? Quæ nos supra variis in locis ex hoc R. Asaria produximus, satis luculenter docent, cujus ille sententiæ fuerit. Ideo tamen monendum hic Lectorem duximus, ne quis in hunc Villalpandum incidens, existimet, illum aliquid, quod alteri sententiæ officere queat, proferre, vel nos studio aliqua dissimulare: & ut appareat, magnorum illorum operum Patres in his minutiis etiam aliquando errare posse, & in pretiosis istis voluminibus sæpe פסולת תחת הסולת *furfures pro farina*, & pro thesauris carbones venditari.

LVII. Morinus *Exercit.* 11. *cap.* 2. citat etiam *Samuelem Japhe*: sed ejus libros hactenus mihi videre non contigit. Summopere tamen dubito, num diserte pro hac sententia pugnet; quia a nemine Hebræorum eum in hac causa adduci video. Quæ de mutatione scripturæ per Esram facta dicit, intelligi possunt de ea mutatione, de qua in superioribus actum, qua videlicet Esras scripturam Hebræam vulgarem in sacram permutavit, & ordinavit, ut in posterum ea tantum Judæi, tanquam vere Hebræa & sacra, uterentur; alteris, Samaritanis relictis. Conjecturam meam fovet, quod videam, illum etiam ad confirmationem sententiæ suæ adducere verba authoris libri *En Israel*, qui manibus pedibusque hanc sententiam impugnat. Firmat conjecturam, quod idem R. Samuel Japhe dicit; *Danielem & Esram novisse Scripturam illam, & Assyrios eam ab ipsis didicisse*. Omnino puto illum idem sentire cum R. Jacobo, cujus verba hac de re producentur infra Thes. 68. Si Angelus novam plane Scripturam protulit, qui eam noverunt Daniel & Esra? qui eam alios docuerunt? Valde vereor, ne Morinus hic iterum more suo agat, & authorem hunc obtorto collo huc trahat.

Hæc itaque sunt testimonia Hebræorum Neotericorum.

LVIII. Christianorum vero Scriptorum gravissimorum Testimonia sicco pede nequaquam hic sunt prętereunda. Nam in iis non minimum fundamentum ponunt hujus sententię Patroni.

LIX. Præcipuum, & cui omnes innituntur est, D. Hieronymi, Patrum Latinorum in Hebraicis doctissimi, quod proinde diligentiore consideratione dignum. Is ergo in Pręfat. in librum Regum, sic scribit: *Viginti & duas esse literas apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte affinis est. Nam & ipsi viginti duo habent elementa, eodem sono, sed diversis Characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosis totidem literis scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes. Certumque est, Esram Scribam, Legisque Doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem Templi, sub Zorobabele alias literas reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.*

LX. Quid de hoc D. Hieronymi testimonio sit judicandum & sentiendum, jam olim viri docti allaborarunt. Picus Mirandulanus in Epistola ad Amicum ignotum scribit; *Quo tutari dictum Hieronymum possim, hoc unum habeo, quod nuper legi in Commentariis libri, quem Pater antiquus Abraham de Creatione* (ספר יצירה) *edidit; Dum enim duas illas & triginta portas, quarum meminit, authores interpretantur, dicunt, numerum illum ex decem numerationibus, & duabus ac viginti literis, conflari. Reliquas autem literas, quæ sunt, Mem, Nun, Tzade, Pe, Caph, & nonnunquam duplices dicuntur, quarum characteres sunt* ךםןףץ, *ab Episcopis sive Præfectis additas fuisse. Hoc forte Hieronymus intellexit, cujus testimonium & haberi apud omnes omnibus in rebus debet, & habetur profecto apud me sanctissimum.* Huc pertinet, quod Johan. Reuchlinus scribit lib. 2. Cabalæ: *Tertio memoratu dignum est, singulas Alphabeti literas primordiales certum significare numerum, etiam quinque terminales, quas longe post ille prudens Esra simul cum punctis adinvenit.*

Wilhelmus Schikhardus in Tractatu de Nummis Hebræorum scribit: *Ad Hieronymi locum; si modo conciliare velimus, respondeo, esse illum de Vocabulis intelligendum, quas Esra primus consonis adjecerit: vel de characteribus Syris, qui illa ætate primum nati, Christi & Apostolorum temporibus in usu fuere.*

Sunt qui putant, Hieronymum opinionem istam hausisse ex Esræ 4. 23. & *cap.* 14. *vers.* 20. 21. 32.

Sed non necessarium est forte, ut ad

ista

ista confugiamus. Dicit Hieronymus, *Esdram alias literas reperisse, post captam Hierosolymam & instaurationem templi, quibus nunc utimur*: deinde, *Eosdem ad illud usque tempus fuisse Hebræorum & Samaritanorum characteres*. Quo vero fundamento hæc asserit? *Certum est*, ait. Unde vero certum ei fuit? Hoc Hieronymus non exprimit, neque alii hactenus, quod vidi, satis explicarunt. Ego puto, Hieronymum hoc habuisse ex Hebræorum traditionibus, quas vel legerat, vel oretenus didicerat a Judæis præceptoribus suis. Nam constat, plura istiusmodi Hieronymum a Judæis hausisse, & sæpe commentitia. Et potuerunt hæc Hieronymo ab illis innotescere. Nam circa annum Christi 150. prodierunt primæ Deuteroses (*Mischnajoth* vocant) textum Juris Talmudici continentes. Hæ prælectæ, explicatæ & disputatæ fuerunt in Hierosolymitanis & Babylonicis Academiis. Disputationes istæ, & earum decisiones, appellatæ *Gemara*. Sic ex Mischna & Gemara prodiit *Talmud Hierosolymitanum*, Anno Chisti 230. cujus doctrina sine dubio Hieronymo innotuit. Disputationes vero Babylonicæ in Academiis, maxime Pombedithana, Soria, & Nahardeah, super Mischnajoth habitæ, collectæ fuerunt longe post in unum corpus, quod appellatum *Talmud Baveli* sive *Babylonicum*, atque priori longe fuit perfectius & copiosius, completum circa Annum 500. Hieronymus ergo, qui annum Christi 400. supervixit, potuit de hoc etiam aliquid cognovisse. Jam vero ex iis, quæ partim in prima, partim in secunda hujus Dissertationis parte, ex Talmudicis a nobis sunt adducta, apparet, diversas ab hac re sententias inter ipsos fuisse; præcipue tamen duas. *Una* eorum, qui statuerunt, Esram in descriptione Legis usum fuisse Assyriorum Literis, easque inposterum quoque populo Hebræo usurpandas elegisse & commendasse; priorem autem scripturam priscorum Hebræorum reliquisse Cuthæis, id est, Samaritanis, Judæam inde a deportatione Israelitarum incolentibus, uti vidimus. *Altera* eorum, qui statuunt, has literas, quas adhuc habemus, easdem esse, quas Moses a Deo in Tabulis accepit, & semper inter Judæos, quamvis non in publico & communi usu, fuisse: ab Esdra autem nullam aliam mutationem factam, quam quod, Scriptura vulgari Samaritanis relicta, hanc solam, ceu genuinam & sacram, imposterum Judæis usitandam ordinarit & injunxerit. Ita fieri potest, ut Hieronymus priorem, vel a Judæo præceptore suo ita persuasus, vel de Hebræorum sententia & mente non satis solide informatus, tanquam certam arripuerit. Unde enim quæso, quam ex historia Hebræorum, illa certitudo esse potuit, de qua scribit? Quid vero de ista Hebræorum sententia judicandum sit, supra visum *th.* 42. 43. *&c.* Quid, quod fieri potest, ut Hieronymus hanc sententiam a Samaritanis ipsis imbiberit, quorum, de αὐτογράφῳ Mosis gloriantium, libris se usum esse, non uno in loco scribit? Vide eum in *Comment. ad Gal. cap.* 3. *vers.* 10. & in Quæst. ad Genesin, ubi dicit *Genes.* 4. *vers.* 8. in Samaritanis codicibus extare hæc verba, *Transeamus in campum*: sed esse superflua. Mox ibidem iterum illorum mentionem facit, &c. Non itaque abs re est, quod scribit Franciscus Junius ad *Bellarm. lib.* 2. de Verbo Dei *cap.* 2. *Hoc a Judæis Præceptoribus suis didicerat Hieronymus, audacissimis Commentorum istorum Magistris; & a Samaritanis, qui istam laudem sibi adhuc falso vendicant memoria nostra, seque matricis illius scripturæ custodes affirmant esse, quod mihi quidem nec verisimile videtur esse*. De Samaritanis vide *thes. seq.* iterum. Incertam etiam reddit hanc sententiam, quod si Samaritani characteres soli usitati fuerunt inter Judæos, usque ad tempora Esræ, & reditum ipsorum ex captivitate Babylonica, cur nulli Prophetarum libri eo charactere scripti extent? nam ex hac sententia sequeretur, Prophetas illos omnes, qui ante captivitatem scripserunt, eo charactere sua exarasse. At ubi unquam auditum, tales aliquos libros a quoquam visos esse? Quæ ejus rei indicia aut vestigia? An probabile est, Dei providentiam ita circa conservationem archetyporum dormitasse, ut illa omnia, imo omnem illorum memoriam, simul & semel interire permiserit? Contra non obscura videntur esse indicia, Prophetas charactere hodierno Hebraico sua scripsisse, uti supra *Th.* 31. visum de Mem clauso sive finali in medio vocis. Gloriantur literarum Samaritanarum patroni, de Siclis antiquis adhuc extantibus ab illo tempore. At de libris Propheticis aliquibus, eo charactere superstitibus, ne gry quidem unquam auditum. Adde his, quod aliter etiam verba Hieronymi exponi posse videntur; ex Postelli sc. sententia, quam supra verbis ipsius fuse expositam, & ex Hebræis confirmatam proposuimus. Dicit, *Esdram alias literas reperisse, quibus nunc utimur*. An vero probabile est, D. Hieronymum statuisse, Esram ex cerebro suo has literas effinxisse & excogitasse? Non puto. Veteres

sc.

sc. Hebræorum characteres sacros latentes, publice produxit, proposuit, & in usum revocavit, quod populo, qui eos vulgo ignorabat, videbatur, ac si novos reperisset. Postellus dicit, illum finxisse, se novos reperisse, quod mihi durum videbatur. Dicit deinde: *Ad illud usque tempus eosdem fuisse Samaritanorum & Hebræorum characteres*. Id si exponatur de Exemplaribus communibus, & de Literis in communi usu, & negotiis civilibus, usitatis, nihil officit sententiæ priori. Sic alibi Samaritanos characteres vocat *Antiquos*. Antiquitatem autem nemo ipsis derogat. Nullibi eos vocat *Primigenios*: nullibi etiam dicit, Deum illis literis Legem in Tabulis exarasse. Ita sane Postellus in Alphabeto 12. Linguarum adducit Hieronymum, non tanquam sibi contrarium. Agnoscere videtur Postellus, Hieronymum vera dixisse; agnoscit, mutationem characteris per Esram factam esse, (sed non talem, qualem multi imaginantur;) agnoscit, Samaritanos characteres Judæis olim in usu familiari fuisse: agnoscit antiquitatis vestigia in siclis, Samaritanis characteribus signatis. Unde Scaliger in Libro de Emendat. Temporum, & alii multi, qui cæteros Postelli libros non viderunt, in quibus mentem suam clarius expressit, arbitrati sunt, illum Samaritanos characteres pro primigeniis Hebræis habuisse. Quam vero longe absuerit ab ea sententia, supra visum. Ita *Ezech. cap. 9.* scribit Hieronymus: *Antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem*. Et Præfat. in librum Regum: *Et Nomen Dei Tetragrammaton in quibusdam Græcis voluminibus usque hodie antiquis expressum literis invenimus*. Intellige; de *Literis* olim in usu familiari receptis & consuetis: quos itidem antiquos esse, nemo negat.

LXI. Ex veteribus Ecclesię Christianę scriptoribus est etiam *Eusebius*, qui in Chronico suo, ad annum mundi 4740. scribit: *Fuit autem Esras eruditissimus Legis Divinæ, & clarus omnium Judæorum magister, qui de captivitate regressi fuerant in Judæam, affirmaturque Divinas Scripturas memoriter condidisse, &, ut Samaritanis non miscerentur, literas Judaicas commutasse*. Ad hujus authoritatem iterum responderi potest; Quod de commutatione literarum per Esram dicit, id exponi posse de ea mutatione, qua vulgares literas inter Hebręos usitatas Samaritanis reliquit, & in Judęorum usum primogenias & Mosaicas veras Hebręas produxit & exposuit: Vel, illum sic a Samaritanis Judęis edoctum ac persuasum hęc scripsisse. Eusebius enim Cęsareę Palęstinę erat Episcopus. Cęsareę autem magna fuerat copia Samaritanorum Judęorum, & Schola celebris. Frequentissima in Hebręorum scriptis mentio & Urbis ac Scholę Cęsareę, & Samaritanorum Cęsariensium, in quibus vocantur כותייא דקיסרין *Cuthæi*, h. e. *Samaritæ Cæsarienses*. In Talmud Hierosol. Tractatu Avoda sara cap. 5. fol. 44. 4. כותייא דקיסרין בעו מר׳ אבהו: *Cuthæi Cæsarienses quæsiverunt ex R. Abbu*. Et mox iterum: כותאי דקיסרין מותר להלוותן ברבית: *Cuthæis Cæsariensibus permissum est mutuo dare in usuram*. Vide & ibid. *cap.* 3. *fol.* 42. *col.* 3. Rabbi Benjamin in suo Itinerario scribit: ומשם ששה פרסאות לשיזריא היא גד אשר לפלשתים ושם כמו עשרה יהודים ומאתיים כותיים הם היהודים השומרונים הנקראים שמרטניש והיא עיר יפה וטובה מאד על הים מבנין קיסר אנפרטור המלך וקרא שמה קיסריה: h. e. *Inde* (Cepharnaumo) *sex circiter parasangis abest Cæsarea, quæ est Gad Philistæorum olim. Ibi erant nonnisi decem circiter Judæi; Cuthæi vero ducenti, hoc est, Judæi Schomronim, qui vocentur Samaritæ. Estque urbs pulchra & optima, juxta mare, ædificata a Cæsare Imperatore & Rege, qui eam vocavit Cæsaream*. Hinc facile fieri potuit, ut tale quid a Cuthæis Cæsariensibus addidicerit Eusebius. Et forte ab Eusebio Hieronymus quoque didicisse potuit. Brevi enim post Eusebium tempore vixit & scripsit Hieronymus. Samaritani autem Judæi de Charactere authentico perpetuo gloriabantur, quemadmodum Alaschkar scribit in *Resp. cap.* 74. אמנם הכותיים ספר תורה שלהם וכל ספריהם כתובים באותו כתב עברי ועוד מתעצמים לומר שבאותו כתב נתנה תורה ושיש להם ס״ת בשכם כתוב מימות פנחס בן אלעזר וכאלה רבות: h. e. *Liber Legis Cuthæorum, & omnes reliqui illorum libri scripti sunt illa Scriptura Hebræa* (Samaritana.) *Et adhuc hodie pertinaciter contendunt & dicunt, in ea Scriptura datam esse Legem; item, se habere exemplar Libri Legis in Sichem, scriptum a diebus Pineas filii Eleasar; & similia multa*.

LXII. Post Eusebium & Hieronymum alii quoque istam sententiam sunt sequuti, inter quos *Venerabilis Beda*, qui ad Esræ *cap.* 9. scribit; *Ferunt quoque Hebræi, neque apud eos de hac re ulla dubitatio est, quod idem Esras leviores literas excogitaverit, sub nominibus earum, quas hactenus habuerunt, quibus velocissime tantam librorum copiam, quæ erat consumpta, reficeret. Unde non solum Scriba, verum*

etiam Scriba velox cognominatur. Priores autem literæ remanserunt apud Samaritas, quibus illi quinque libros Mosis, quos solos de sancta Scriptura receperant, scribere solebant. Probabile est, quæ Beda hic scribit, illum non ab Hebræis ipsis, sed ab Eusebio forte & Hieronymo didicisse. Unde, quæ ad illorum & Hebræorum testimonia responsa fuerunt, hic quoque locum habebunt.

Hoc tamen adhuc addi potest, sententiam istam ideo fortassis quoque tanto facilius ab istis Patribus receptam fuisse, quod persuasi fuerint, tempore captivitatis Babylonicæ una cum Urbis excidio, & Templi incendio, penitus ad unum omnes sacros libros periisse, & ab Esra, Prophetico spiritu, ex sola memoria, de novo conditas & restitutas esse. Sic Ireneus *lib.* 3. *cap.* 25. Eusebius loco supra citato, Clemens Alexandrinus Stromatων *lib.* 1. Tertull. Basil. Theophylactus & alii complures. Sed fabulosa ista merito viris doctis & cordatis censetur opinio, ex fabuloso *lib.* 4. *Esdræ cap.* 14. prognata. Contrarium docet liber Nehemiæ Canonicus *cap.* 8. *vers.* 1. ubi *Universus populus, tanquam vir unus congregatus, dicitur rogasse Esram Scribam, ut afferret librum Legis Mosis, quam præceperat Jehova Israeli*: & vers. 2. *Attulit igitur Esras sacerdos Legem, &c.* Ubi Esdras ex scripto dicitur legem legisse, non tanquam Numen dictasse. Sic Josephus Antiq. Judaic. lib. 11. cap. 5. *Rogaverunt Esram, ut eis Legem Mosis legeret: quod & fecit, stans in medio multitudinis a mane usque ad meridiem, &c.* Hebræi sane de universali isto librorum sacrorum interitu, & miraculosa ac prophetica per Spiritum Sanctum extemporanea restitutione per Esram facta, nihil quicquam uspiam dicunt vel scribunt. Quid illi ab Esdra & collegis ipsius Viris Synagogæ vel Synodi magnæ, circa restitutionem Sacræ Scripturæ præstitum esse censeant, vide apud Eliam in libro Masoreth Hammasoreth *Præf.* 3. & in Tiberiade sive Commentario Masorethico *cap.* 10. & 11. Placet hic apponere judicium eruditi quondam viri, Theodori Bibliandri, qui in Comment. *De optimo genere explicandi Hebraica, pag.* 70. sic scribit de hac re: *Ex eadem Judæorum temeritate* (aut potius; Ex non recte percepta & intellecta Judæorum sententia) *opinor notam esse, & ad nostros transfusam traditionem; Quod sacros libros, in captivitate collapsos & perditos, unius Esræ memoria reparaverit. Audiverant enim homines nostri, & nimium simplices atque creduli, verum esse putaverunt, de amplitudine ingenii & eruditionis Esræ: ut est ea gens immodica jactatrix suorum, & in hac parte Græcis aliquanto vanior. Sed quam periculose illud asseritur? Quis non videt tentari & labefactari authoritatem Scripturarum, quibus debetur summa veneratio? Non enim legeremus nunc Esaiam, Davidem, Mosen, Job, & alios, sed quod unius hominis memoria potuisset suppeditare. Non haberemus consensum Prophetiæ Hebraicæ, vel potius Divinæ, per tot sæcula: sed angustia unius ingenii, esto excellentissimi, unius tamen, omnem Scripturam Canonicam terminaret. Sed quomodo libri sunt amissi? quis regnum persecutus est? qui incendio & ferro extinguere voluit? Nabuchodonosor enim, Princeps fortissimus, & sapientissimus, & religiosissimus, quanquam ex prava institutione principio falsorum Deorum superstitione obnoxius fuit, non tamen bellum gerere cum libris voluit, qui vasa etiam Templi Hierosolymitani consecrat in fano Beli. Atque is in fidem recipiens Jechoniam, qui se ad verbi Divini jussum tradebat, non adversatus est, quin monimenta sacra & politica secum deferrent in Babyloniam, totaque nobilitas regni cum Principe abiens, pretiosissimas opes, & quarum usu non possent carere, ut lectione saltem Divinorum Scriptorum consolarentur exilium, domi relinquere non voluerunt iis, quos merito ut impios, & Prophetis immorigeros, judicabant. Scilicet Daniel, & socii ejus, de semine Regio, sine libris Divinis se abduci a patria passi sunt. Nonne Daniel legit Jeremiam? Nonne Cyrus cognovit, in Prophetia Esaiæ nomen suum contineri? Nonne Esaias consolationem ad captivos in Babylone, quæ est a cap. 40. ad 49. præparavit, qua in fide unius Dei continerentur Judæi, & non desciscerent ad Chaldaismum? Nonne Hieremias epistolam, quæ est cap. 29. 30. 31. misit in Babyloniam ad captivos, per legatos Tzedekiæ, itemque vaticinium adversus Babylonicum regnum, quod est 50. & 51. capite? Ipse Nabuchodonosor, eruditioni & ingeniis honorem habens maximum, pueros Judæorum liberaliter institui curavit, & populo captivo aliquam Rempub. & judicia, & cætus in suo imperio permisit, & toties perfidia Tzedekiæ irritatus, severitatem potius, quam crudelitatem exhibuit. Qui etiam Hieremiam diligentissime commendat primario Duci Nabuzardan, qui Prophetam tractat perhumaniter, & doctrinam probat amplo eulogio, ut non dux hostium, sed præco & Encomiastes Hebraicæ Philosophiæ videri queat.* Hæc ille. Et sic sunt Testimonia Veterum Ecclesiæ Scriptorum de mutatione literarum per Esram facta.

LXIII. Ex *Recentioribus Scriptoribus* quamplurimi ſunt hodie, qui iſtam ſententiam ſunt amplexi & mordicus tenent, inter quos familiam ducunt, *Joſephus Scaliger* in Notis ad Euſebium, & in Epiſtolis, *Druſius*, *Author Arcani Punctationis revelati*, *Johan. Morinus*, quorum verba nonnulla ſupra *theſ.* 2. produximus: *Genebrardus* item in Chronolog. *Andreas Maſius*, *Ben. Arias Montanus*, *Guido Fabricius Boderianus*, *Waſerus* in lib. de Nummis & Gram. *Bellarminus*, *Villalpandus*, *Cornel. Agrippa* lib. 3. Occ. Ph. cap. 30. & alii. Illi vero cum vel ſolius Hieronymi authoritate nitantur, aut rationibus, quæ partim a nobis jam ſont expenſæ, partim in ſeqq. adhuc examinabuntur, ſupervacaneum arbitror hic diutius illis in hærere. *Poſtellus*, uti vidimus, hactenus fruſtra hujus ſententiæ fuiſſe eſt habitus. Quin ergo ad Rerum Teſtimonia progredimur, quæ hic producuntur.

LXIV. *Rerum Teſtimonia*, quæ afferuntur, ſunt duplicia.

LXV. *Primo* proferuntur *Sicli*, characteribus Samaritanis inſigniti & notati. Horum typos & figuras varias videre eſt apud Poſtellum in Alphabetho duodecim Linguarum, Ariam Montanum de Siclo, Villalpandum in Ezechielem, Waſerum in lib. de Nummis Hebræorum, Morinum in Exercitationibus Eccleſiaſticis, & alios. Sicli illi ab una parte exhibent formam *Urnulæ aureæ*, in qua, Dei juſſu, Manna aſſervanda erat repoſita, cum hac inſcriptione, שקל ישראל *Schekel Jiſrael Siclus Iſraelis*: ab altera parte, *Virgam Aharonis*, de qua Num. 17. 8. cum hac inſcriptione ירושלים הקרושה *Jeruſchalajim hakkedoſchah Hieroſolyma Sancta*. Hinc ergo ſic argumentamur; Quia Sicli tales Hieroſolymæ olim ſunt effoſſi & inventi, & in illis *Hieroſolyma* dicitur *Sancta*; neceſſario inde ſequitur, illos non a Samaritanis, qui non a Hieroſolymitanum Templum, ſed ſuum in monte Garizim, pro Sancto habuerunt; verum a Jeroſolymitanis ipſis cuſos eſſe: & per conſequens, Literas illas Hieroſolymis quoque, & quidem ante captivitatem Babylonicam, inter Judæos in uſu fuiſſe; ac proinde eoſdem, ut Hieronymus ſcribit, fuiſſe Samaritanorum & Hebræorum characteres.

Ad hoc argumentum, quod palmarium eſt, facile eſt ex ſuperioribus reſpondere; Duplicem olim habuiſſe Judæos characterem, Sacrum & Prophanum; & hoc poſteriore, Communi ſcil. ſeu Prophano, ſiclos illos ſignatos fuiſſe, ut ſupra prolixe vidimus, ubi de Dupli iſto charactere egimus. Et hic Character hactenus fuit communis Judæis & Samaritanis. Unde etiam non negatur, ſiclos illos tempore Templi primi cuſos eſſe. Sic ſentit R. Aſar. in Meor enajim *cap.* 58. Sic ſcribit Bartenora in Jadajim *cap. ult.* וישראל היו משתמשין באותו כתב בדברי חול ומטבעות של כסף הנמצאות בידנו היום שהיו מזמן מלכי ישראל ומפותחות באותו כתב: *Iſraelitæ utebantur illo charactere* (Samaritano) *in rebus prophanis, & monetis argenteis, quæ reperiuntur hodie in manibus noſtris, quæ ſunt inde a tempore Regum Iſraelis, & illo charactere ſculptæ*. Plura vide ſupra ſub theſ. 44.

Non deſunt etiam, qui in dubium velint vocari poſſe αὐθεντίας iſtorum ſiclorum, eo quod non ſatis conſtet, publicone mandato, an private facto, iſtiuſmodi nummi cuſi ſint aut fuſi. Sane Theſeus Ambroſius in Introductione in Linguam Chaldaicam, Syriacam, Armenicam, atque decem alias linguas, *fol.* 21. *col.* 2. ſcribit, ſe vidiſſe nummos Samaritanos cum literis Samaritanis, cum inſcriptione hac, *Meſſias Rex venit in pace, Deus homo factus eſt, vel incarnatus*. Tales vidi ego literis Hebraicis. Et vix dubitandum eſſe puto, quin ſint factitii. Sed tamen prior reſponſio potior eſſe videtur.

LXVI. *Secundo* ajunt, *Samaritanos adhuc hodie habere & oſtentare Exemplar libri Legis a Moſe ſcriptum literis Samaritanis*.

Reſp. Quomodo hujus rei fidem nobis facient? cum ipſe Scaliger ſcribat, *Samaritanos eſſe gentem, totius vetuſtatis, etiam quæ ad ipſos pertinet, ignariſſimam*. De Emendat. Tempor. lib. 7.

Poſtellus ait, illos habere quidem exemplar Moſaicum, ſed literis Hebræorum vulgaribus ſcriptum, qualia duodena pro 12. tribubus Iſraeliticis Moſes ſcripſerit; non vero charactere ſacro, quo illud ſcriptum fuerit, quod Tribui Leviticæ datum fuit in Arca aſſervandum: quoque Tabulæ divinitus exaratæ fuerint, ut ſupra viſum. *Et hæc quoque ſunt Rerum Teſtimonia, quæ pro authentica Samaritani characteris antiquitate proferuntur. Supereſt, ut aliquot adhuc Rationes videamus & expendamus*.

LXVII. *Rationes*, quibus Samaritani Characteris, & Mutationis literarum Hebraicarum in Aſſyrias, Patroni, præter jam allatas, nituntur, ſequentes potiſſimum conſiderandę nobis veniunt.

LXVIII. *Primo* argumentantur a Nomine: *Hebraici, inquiunt, characteres hodierni, ab ipſis Hebræis vocantur* אשוריות *Aſſyriaci, idque ideo, quia eas ex Aſſyria* ſecum

secum detulerunt, *soluta captivitate Babylonica*, *sicut in Talmud scribitur*; למה נקרא אשורית שעלה עמהם מאשור: *Quare vocatur Assyria Scriptura? Quia ascendit cum eis ex Assyria*.

Ad hanc Objectionem varie varii respondent.

R. Jehudah Hakkadosch vult, nomen אשרית *Aschurith* hic non sumi *Proprie*, sed *Appellative*, & significare *Scripturam beatam vel beatificatam*, a radice אשר *Aschar* Beatum esse, ut supra *thes.* 14. visum.

Alii putant, Scripturam hanc *Assyriacam* dici, non quod Assyriorum propria fuerit, & Israelitę eam ab ipsis quasi precario acceperint; sed quod cum antea paucis tantum esset nota, majori vero parti ignota, eam in Assyria partim a Daniele, partim & pręcipue ab Esra, omnes & singuli didicerint, & inde ac ulterius eam solam usurparint. Et hac ratione volunt intelligendum, quod R. Jose dicit, *hanc Scripturam cum Israelitis ex Assyria ascendisse*. Sic scribit R. Gedaljah in Schalschelet hakkabalah fol. 89. ויקראוה אשורית לפי שהביאוה גדולי ישראל מארץ אשור שהיתה בידם בקבלה וגנזורת להיותה כתיבה קדושה: *Vocarunt eam Assyriacam, qua attulerunt eam magnates Israelis ex Assyria* (publice scil.) *quæ antea in manibus ipsorum fuerat per Cabbalam, sed abscondita, tanquam Scriptura sancta*.

Ad hoc illustrandum faciet, si inquiramus & videamus, *Qua occasione Esras publicationem hanc Sacri Characteris in Assyria susceperit?* Occasionem publicandi hanc Scripturam in Assyria, existimant quidam datam fuisse Esdræ ab Angelo, qui in pariete hac Scriptura coram Belschatzaro scripsisse creditur Danielis cap. 5. מנא מנא תקל ופרסין: *Mene Mene Tekel Upharsin*; atque ita in publico quasi eam proposuisse. Insignis hac de re locus extat in En Jisrael *fol.* 142. *col.* 4. quem non pigrabimur huc adscribere; *Si*, inquit author ille, *verum est*, *quod hæc Scriptura sit data populo Israelitico ab initio*, *& Lex illa*, *quam Moses Israelitis dedit ea scripta fuit*, מאין בא לנו לכנותו בשם אשורי: *unde venit quod nos eam cognomine* Scripturæ Assyriacæ *vocemus? Præterea*, *ex eo quod in Talmud dicitur*; Quare vocatur אשורי Assyria? quia ascendit cum eis ex Assyria; *dicere quis posset*, דרך הלצה מי נתן כהן בבית הקברות *per sarcasmum vel cavillationem*; *Quis dedit Sacerdotem in loco sepulchrorum?* רצוני לומר מי נתן הלשון המקדש באשור מקום טמא לשנוכל לומר שעלה עמהם מאשור: *volo dicere*, *Quis tulit linguam sanctam in Assyriam*, *locum immundum*, *ut possimus dicere*, *quod ascenderit cum ipsis ex Assyria? Omnia hæc docet R. Salomon duabus vocibus*, dum ait; שנשתנה לשם על ידי המלאך: quod mutata fuerit illic per manum Angeli. *Vult enim his verbis docere*, *quod prius illa Scriptura neque Assyriis neque ullis aliis populis fuerit cognita*, *nisi populo Israelitico*, *qui eam didicerunt ex Scriptura Tabularum*, *& Libro Legis*, *qui in Arca fuit*; *qui tamen ipsi non omnes promiscue eam noverunt*, *sed pauci tantum & singulares nonnulli*, *qualis erat Daniel*. *Ideo cum venisset Angelus tempore Belschatzaris*, *& scripsisset in pariete palatii Regii*, כתב בכתב זו המשובח והנעלם מכל האומות לגמרי וגם מאומות ישר' מלבד דניאל וכיוצא בו': *scripsit scriptura ista laudatissima*, *& prorsus abscondita vel incognita omnibus populis*, *ipsis etiam Israelitis*, *excepto Daniele*, *& ejus similibus*, *&c.* Et mox: *Daniel ergo ista occasione Scripturam hanc*, *ad ipsorum preces*, *docuit Principes & Magnates Assyriæ*, ובעבור זה יכונה לאשור *& hac de caussa ab Assyria denominata est*: *Esra vero* שהיה בקיא באותו כתב *qui peritus & exercitatus fuit in ista scriptura*, *Scribaque velox*, *& cui Deus gratiam dedit in oculis Regis Persiæ*, *docuit eam* לכל ישראל *universum Israelem*. *Atque hoc sibi vult R. Salomon*, *quando ait*; Mutatam esse per Angelum; שקודם ביאתו לא ידע אנוש ערכו: *quia scil. ante ejus adventum nemo eam cognoverat*. *Postea vero diffusa fuit per totum regnum Assyriæ*, *docuitque eam Esras universum Israelem*. *Veritatem hujus rei docet*, *id quod in fine verborum suorum dicit R. Jose*; Quare vocatur nomen ejus אשורי Assyriaca? Quia ascendit cum eis ex Assyria: q. d. *Nemo seducatur*; *si cognomen hoc* אשורי Assyriacę *audiat*, *ac si eodem modo exponendum esset*, *sicut cum dicimus* כתב עברי, Scriptura Hebręa, *quæ attribuitur Hebraicæ*, *quia* בני עבר הנהר Transfluviales *eam ab annis antiquis tenuerunt & usurparunt*. *Hoc enim falsum est*; *quia hæc Scriptura in Assyria non fuit nota*, *antequam Angelus ea usus fuisset*. *Vera proin ratio*, *propter quam* Assyriaca *vocatur*, *est*, *quia ascendit cum eis ex Assyria*: *ibi namque didicerunt eam in fine dierum*, *posteaquam revelata fuisset per Angelum*, *& Daniel docuit eam magnates regni*; *præcipue vero didicerunt eam Israelitæ*, *& facti sunt exercitati in ea per Esram*, *qui docuit totum Israelem hac scriptura librum Legis scribere*, *& non alia*, *ne quidem Hebræa* (Samaritana) Hæc R. Jacob. Ex quibus apparet, *Quo sensu ipse velit eam Assyriam vocari? Quo item sensu Hebræi di-*

ne-

xerint, quod cum Iſraelitis aſcenderit ex Aſſyria? Ideo ſc. quod vulgus Iſraelitarum, ut & Aſſyrii ipſi, in Aſſyria ejus cognitionem partim a Daniele, partim ab Eſra, ſint adepti, indeque ſecum in patriam reportarint Iſraelitæ; non vero quod Aſſyriorum antea jam propria fuerit. Similiter vult intelligendum, quod dicitur, *ab Angelo Scripturam eſſe mutatam*; quod videlicet ille occaſionem dederit, veram & veterem Scripturam Hebræam in uſum revocandi, & publice eam exponendi; non quod Scripturam plane novam protulerit.

Ab hoc etiam Tempore volunt quidam, Aſſyrios & Chaldæos literis iſtis eſſe uſos; hancque cauſam eſſe, cur Hebraica & Chaldaica lingua hodie iiſdem Characteribus ſcribantur.

Huc etiam facit locus, qui legitur in Præfatione libri *Arugas habboſem*, dignus, qui ad ulteriorem materiæ hujus illuſtrationem producatur. Verba ita habent: בה זכו לקבל תורה מסיני ע׳ משה והמכתב מכתב אלהים הוא ולמען לא ימעלו המוני האומה הנבחרת בכתב המקרש הזה להשתמש ממני דרך חול בתחלה נתנה התורה ונתפרסמה אל ההמון בכתב עבר הנהר כתב ליבונאה ולשון הקרש והאיר כתב המאושר על הלוחות וס״ת בלבד המינחים בארון עד שנגנז בימי יאשיהו ובמשך הימים כמעט נשכח ולא נשאר כי אם בזכרון קצת מאצילי בני ישראל שגלו לאשור והניחו בארצם אצל הכותים וזולתם כתב עבר הנהר אשר תארו אצל כתב הקדש הוא כקוף בפני אדם וממנו נשתמשו העמים ההם לכתוב שטנה על היהודים לארתחשסתא כאמרו וכתב הנשתון כי נשתון הוא שם מחוז בגלילות עבר הנהר כאשר קרוב לזה העיד הרופא החשוב מו״ר בספרו המתואר על מלחמות פרס וכל אגרת הכתובה בתמונת הכתב ההוא נקראת נשתונא בספר עזרא: וחשובה היתה אצל אנשי הגלילות ההם להשתמש ממנה למלכים: ובכן הכתב היה נשתוני והלשון היתה ארמית צריכה לפירוש כאמרו ומתורגם ארמית: ויהי כאשר חשב מלך עריץ לחלל בסעודתו כלי בית תפארתנו התעוררה הקרשה ע׳ מלאך משנה לעיני עמים רבים (ובני ישראל בתוכם) את תמונת הכתב העברי וכותב בכתב הקדש מנא מנא תקל ופרסין: ומאז חזרה לחלוחית הכתב המקודש להצמיח ציציו ופרחיו בהמוני עמנו המה הקימו בחוניז וקראו לכתב העברי כתב שנשתנה על ידי המלאך ויקחו להם רבותינו לסימן וכתב הנשתון שנשתנה: ולכתב המאושר קראו אשורי ואמרו למה נקרא שמו אשורי מפני שעלה עמהם מאשור והעד שעל הכתב המקודש שאלו הוא כי על האשורי עצמו לא תהכן שאלת למה נקרא שמו כך: עזרא הכין את לבבו לגדור גדר שלא ישכח עוד כתב הקדש מפי זרעו והתיר לכתיב בו כל ספרי התורה כאמרם חזרה ונתנה להם בימי עזרא בכתב אשורי: ואחריו כל ישרי לב כתבו בו כתבי הקדש דווקא ע׳ שרטוט לקים תמונתו הקדושה לה כן בזולת כי מרוב קדושתו ורוחניותו אין להשתמש ממנו בשטרי הדיוטות כאמרם וכתב לו את משנה התורה כתב הראוי להשתנות וזה כל פרי בני אומתנו בכל מדינה ומדינה לשנות כתב המקודש בתמונת אותיות משנות שלא להשתמש ממנו דרך חול וגם כתב זר לא יקרב אל הקרש פנימה: h. e. *Lingua Sancta acceperunt Iſraelitæ Legem, & quidem Scriptura Divina erat. Propterea, ne vulgus populi electi Iſraelitici prævaricarentur in Scriptura iſta Sancta, uſurpando eam* דרך חול *communiter & prophane; idcirco data & publicata eſt ab initio Lex communi populo Iſraelitarum in Scriptura* עבר הנהר *Transfluviali, Scriptura Libonæa, & Lingua Sancta: Scripturam vero illam* המאושר *beatam lucere fecit* (Deus) *in Tabulis duntaxat, & in Libro Legis, quæ in Arca aſſervabantur, donec occultaretur* (arca) *in diebus Joſiæ. Unde, progreſſu temporis, quaſi plane oblivioni data fuit, neque ſuperſtes manſit, niſi in memoria quorundam primatum e filiis Iſraelis, qui in Aſſyriam deportati fuere, & reliquerunt in terra ſua* (Iſraelis) *apud Cuthæos, & alios, Scripturam* עבר הנהר *transfluvialem, cujus Literarum forma, ad Scripturam ſacram collata, ſe habet inſtar ſimiæ ad faciem humanam. Hac deinde uſi ſunt populi illi ad ſcribendas accuſationes contra Judæos ad Artachſchaſtam, ſicut dicitur;* וכתב הנשתון: Et Scriptura Niſchtevan, *Eſræ* 4. 7. *Nam* נשתון Niſchtevan *eſt nomen Provinciæ in finibus* עבר הנהר *Transfluvialis Regionis, quemadmodum tale quid teſtatur inſignis Medicus* מו״ר, *in libro ſuo, quem ſcripſit* על מלחמות פרס *De Bellis Perſiæ* (*Inde tota Epiſtola, ſcripta figura Scripturæ illius, vocatur* נשתונא Niſchtevana *in libro Eſræ*) *Præſtans ac inſignis valde habita fuit a viris Regionum illarum, ut ea ad Reges uterentur. Ideoque Scriptura fuit* נשתוני Niſchtevanica: *Sermo autem fuit Aramæus, qui opus habebat explicatione, ſicut dicitur;* ומתורגם ארמית Et tranſlatum vel explicatum Aramice. *Evenit autem, cum Rex impius & tyrannicus cogitaret in convivio ſuo prophanare vaſa Templi noſtri, ut Scriptura Sacra reſuſcitaretur ac poſtliminio rediret, per manus Angeli, mutantis in oculis populorum multorum,* (*inter quos etiam Iſraelitæ erant*) *figuram Scripturæ transfluvialis, & ſcribentis Scriptura ſancta,* מנא מנא תקל ופרסין Mene Mene Tekel Upharſin. *Et ab eo tempore cœpit iterum humor Scripturæ Sacræ progerminare, & flores ſuos ad plebem & populum noſtrum propagare, qui erexerunt ſpeculas ejus, &* vo-

vocarunt Scripturam Hebræam transfluvialem כתב הנשתנה Scripturam quæ mutata est per Angelum; *sumpseruntque sibi Rabbini nostri pro signo dictum illud*, וכתב הנשתון *Et scriptura* Nischtevan, q. d. שנשתנה *quæ* Nistanneh *mutata est: Scripturam vero beatam sive sanctum vocarunt* אשורי Aschuri, *dicendo*; Quare vocatur nomen ejus אשורי Aschuri? qui ascendit cum ipsis ex Aschur. *Quibus verbis, quod de Scriptura Sancta loquuti sint & quæsiverint, vel inde evidenter probatur; quod de Scriptura ipsa Assyria illa interrogatio non quadrasset, Quare vocatur nomen ejus sic? Esras ergo disposuit cor suum, ad faciendum maceriam, ne inposterum amplius oblivioni traderetur Scriptura Sancta ab ore seminis sui, id est, inter Israelitas, ac licentiam & facultatem dedit, omnes libros Legis illo charactere scribendi, sicut Rabbini nostri dicunt:* Iterum data fuit ipsis (sc. Lex) in diebus Esræ Scriptura Assyriaca. *Unde etiam post ipsum omnes recti corde scripserunt Libros sacros ea duntaxat Scriptura, & quidem per lineationem, ad stabiliendam & confirmandam hac ratione figuram ejus sanctam, quod non fit in aliis. Nam propter summam ejus Sanctitatem & Spiritualitatem non licet ea uti in literis idiotarum vel familiaribus, sicut dicunt;* Et scribet Rex sibi את משנה התורה h. e. כתב הראוי להשתנות *Scriptura quæ mutari vel variari debet. Et hic est fructus filiorum populi nostri in omnibus & singulis provinciis, quod mutare soleant Characterem sacrum in figuras literarum diversarum, ne eo utantur modo communi & profano. Sed & Scriptura aliena non debet ingredi in sanctum interius* (h. e. adhiberi ad libros sanctos exarandos). Hæc ille. In quibus, præter cætera, sententiam nostram egregie confirmantia, quoque observanda ratio quam affert, cur ex illo loco Talmudico, ubi quærunt; *Quare vocatur nomen ejus* Aschuri *vel Assyria*? non possit concludi, quod illa Scriptura Assyriorum fuerit propria; quod scil. hac ratione non opus fuisset ista quæstione. Supervacaneum enim est quærere, *Cur scriptura Latinorum vocetur Latina? Græcorum, Græca?* &c. Ita si Talmudici sensissent, Scripturam istam, quam ex Assyria secum in terram Israelis detulerunt, fuisse Assyriorum, stolida fuisset quæstio, *Quare vocatur Assyria &c.*

Sed Instant; *Quemadmodum de has Scriptura Talmudici dicunt, eam* Assyriam *vocari*, שעלה עמהם מאשור Quia ascendit cum eis ex Assyria: *ita alibi de Nominibus mensium dicunt*, שעלו עמהם מבבל quod ascenderit cum eis ex Babel. *Atqui illa Nomina mensium revera fuerunt Assyriaca & Babylonica. Ergo eadem ratione Scriptura illa Assyria vocata.*

Resp. Negatur consequentia: Nam 1. Diversitas est exemplorum, & dispar illorum ratio. Nomina illa mensium Babylonica detulerunt secum ex Assyria, Hebraica non tollendo & abolendo, vel in Assyriaca commutando, sed illis ex abundanti superaddendo instar interpretamentorum, Nominibus mensium sacris in Lege inviolatis suo loco relictis. Atqui de Literis dicunt, Hebraicas priscas plane ex usu Judæorum, & ex Lege, fuisse sublatas, & in Assyrias commutatas, hasque in illorum locum introductas & substitutas. 2. Si ex phrasi illa sic argumentari liceret, annon etiam de Prophetis illis tribus, qui, in loco paulo ante adducto, dicuntur cum *Israelitis ex Captivitate Assyriaca ascendisse*, dici posset, illos fuisse Assyrios & Babylonios? Atqui illi ipsi tres Prophetæ, qui illic cum ipsis dicuntur ascendisse, iidem fuerunt, qui antea cum ipsis quoque descenderant. Eadem ergo potius ratione dicere licet, Characterem illum, qui ex Assyria cum ipsis ascendit, fuisse eundem, qui prius cum illis descenderat; sed cum paucioribus duntaxat & præstantioribus, uti visum.

Insuper objiciunt quidam, Locum *Dan.* I. *vers.* 4. hoc sensu; *Aschpenas præpositus Eunuchorum Regis Babylonis jubetur illic sumere de filiis Israel pueros ex regio stemmate prognatos, &c. ut doceret eos Literas & Linguam Chaldæorum. Ergo Literæ Hebræorum & Chaldæorum tum non fuerunt eædem.*

Resp. Facilis est: 1. Nos non asseveramus, tunc temporis jam easdem fuisse literas Hebræorum & Chaldæorum, ut postea videntur fuisse, post conspectam Scripturam Angeli in pariete. 2. Licet diversæ fuerint, quomodo hinc probatur, Samaritanas tum fuisse literas Hebræorum, & quidem proprias ac solas: & Hebræas nostras fuisse Characteres Assyriorum? 3. Cum ex communi sententia, Scriptura ab Angelo in pariete exarata, facta fuerit literis Hebraicis hodiernis; si ea tunc Assyriorum fuit, qui factum, quod Babyloniorum sapientum nullus, sed Daniel solus, eam legere potuerit? An quod illi Danielem docuerunt, ipsi dedidicerunt & obliti sunt? 4. Quomodo probatur, per vocabulum ספר quod *Librum*, vel collective *Libros* significat,

ficat, ſtricte ibi intelligendas eſſe Literarum & Characterum figuras: De verbo ad verbum enim ſonat: *Ad docendum eos Librum & Linguam Chaldæorum*. *Librum* id eſt libros. *Libros*, id eſt, res, artes ac ſcientias libris comprehenſas. *Cedo locum*, *ubi* ספר Literam, *vel* Literas, *ſeu* Characteres *ſignificet*.

Denique appellationem hanc *Aſſyriacam* arceſſunt quidam ab Abrahamo & cæteris Patribus, qui ex Aſſyria venerunt in Cananæam, iſtaque ſcribendi ratione uſi fuere. Hinc ſcribit Auguſt. Sebaſt. Nouzenus: *Quamobrem veteres quidam Rabbini, nimirum ut rudiores, vel ipſa nominis appellatione, ad exoſculandum, atque conſervandum a Patribus tranſmiſſum acceptumque donum pertraherent, hoc Abecedarium* כתיבה אשורית *Scripturam Aſſyriacam appellaverunt. Nempe quod a majoribus illis, qui ab Aſſur primum ad Chananæos hoſpites venerant ac peregrini, iſta ſcribendi pingendique ratio ſit uſurpata, & ad poſteros tranſmiſſa*. Sic Petrus Cevallerius in Annot. ad Gramm. *cap.* 1. *Duplici utuntur charactere Hebræorum ſcriptores, quorum alterum appellant* כתיבה אשורית *Scripturam Aſſyriacam, quod a majoribus Judæorum, peregrinantibus apud Cananæos, primum ex Aſſyria ſit allata, atque ſic ad poſteros uſque derivata*.

LXIX. *Secunda* ratio adfertur in Talmud ex nomine משנה *Miſchne*, quod de *Lege* dicitur *Deut.* 17. 18. וכתב לו את משנה התורה הזאת על ספר: *Et ſcribet ſibi* (*Rex*) Miſchne *Legis hujus in libro*. Radix enim hujus nominis, Verbum שנה *Schanah* ſignificat *Mutare*; unde משנה התורה volunt dici q. *Mutationem legis hujus*, vel, *Mutabilem Legem hanc*; ſcilicet quoad Scripturam: Deinde ex voce ſynonyma Chaldaica נשתון *Niſchtevan*, Eſræ 4. 7. Vide ſupra in Teſtimonio Talmudico, quod adducitur Theſ. 42.

Sed quis non animadvertit, quam elumbe ſit hoc argumentum? משנה *Miſchne* hic ſignificat *Duplum*, *Secundum*, *Secundanum*: *Exemplar duplicatum & iteratum*, Ἄπογραφον *ex* αὐτογράφῳ *vel* πρωτοτύπῳ *deſcriptum*, ut cuivis ex ſenſu facile liquere poteſt. Nam שנה *Schanah* non ſignificat tantum *Mutare*: ſed etiam, *Iterare*, *Secundo facere*. In Talmud ipſo explicatur *Exemplar duplex*, *Duo exemplaria*, q. duo exemplaria ſibi hic Rex deſcribere juberetur. Verba ſunt: אלא מה אני מקיים את משנה התרה הזאת לשתי תורות אחת שיוצאת ונכנסת עמו ואחת שמונחת לו בבית גנזיו וכו: *Sed* (ſubintellige, ſecundum ejus ſententiam, qui dicit, Scripturam Hebræorum nunquam mutatam eſſe) *quomodo conciliabo id quod dicitur* Miſchne Legis hujus, *Deuter.* 17. *verſ.* 18. *Reſp. Intelligitur id de duabus Legibus*, (h. e. de duobus exemplaribus Legis,) *quarum una egredi & ingredi debeat cum ipſo* (i. e. quorum unum ſerviat quotidiano uſui, ut ſecum illud ubique circumferat;) *altera reponatur ab ipſo in Archivis*, *&c.*

LXX. *Tertio* argumentantur ibidem in Talmud ex eo quod *Dan.* 5. *verſ.* 8. de Scriptura Angeli in pariete dicitur, ולא כהלין כתבה למקרי ופשרא להודעא למלכא: *Non potuerunt Scripturam legere, & interpretationem notam facere Regi*. Hoc argumentum præſupponit, Scripturam illam in pariete factam fuiſſe literis Hebraicis hodiernis. Hinc in Joſepho Gorionide legitur *lib.* 1. *cap.* 1. האותיות היו לשון הקדש והמכתב לשון ארמית: *Literæ fuerunt lingua ſancta, & Verba lingua Aramæa*. Itaque cum præter Chaldæos ibi fuerint multi quoque Judæi, mirum eſt, illos ſcripturam hanc non agnoviſſe, neque legere potuiſſe.

Talmudici hic ad Cabaliſtica ſomnia confugiunt, quaſi literæ fuerint vel tranſpoſitæ, vel permutatæ. Sed alii planius reſpondent, ideo Judæorum neminem, præter Danielem, potuiſſe illam Scripturam legere, quod illa non in vulgari uſu, & nonniſi paucis quibuſdam, qualis fuit Daniel, Eſras, & illorum ſimiles, nota; & tum primo iterum, quaſi de novo reperta, reſtituta, & in uſum revocata fuerit. Quod ſi vero hæc ſcriptura ſit Aſſyriaca, & Aſſyriorum ſemper fuit, uti quidam volunt; annon magis mirum, ex omnibus ſapientibus Regis Babyloniæ, neminem illam Scripturam legere & interpretari potuiſſe? Annon inde recte concluditur, ſcripturam illam Babyloniis & Aſſyriis prorſus novam, inſolentem, & peregrinam fuiſſe, cum nemo ex illis eam legere potuerit; Judæis vero non ita prorſus incognitam, cum Daniel eam legere & interpretari potuerit? R. *Abraham Harophe* ita reſpondet: *R. Joſe ex his verbis concludit*, Eo die datam fuiſſe demum illam Scripturam. *Ego vero non video, quomodo conſequentia iſta eliciatur ex verbis iſtis. Nam licet verum eſſe concedatur, quod Sapientes Regis Belſchatzaris non potuerint Scripturam illam legere, an propterea ſequitur, illo die Legem Eſræ fuiſſe datam? Annon potius ideo non potuerunt Sapientes Babelis legere Scripturam illam, quod terra Aramæorum procul diſſita fuerit a Babylonia, propinquior autem terræ Iſraelis*. Si-

Sicut ſcriptum eſt 2. *Reg.* 20. 14. Et venit Eſajas Propheta ad Regem Hiſkiam, dixitque ei; Quid dixerunt viri iſti? Et unde venerunt ad te? Reſpondit Hiſkias; De terra longinqua venerunt, de Babel. *Item* 2. *Reg.* 18. *verſ.* 26. Et dixit Eliakim, filius Hilkijahu, & Sebna & Joab, ad Rabſacen; Loque re obſecro ſervis tuis Aramice, ſiquidem id intelligimus, & ne loquaris nobiſcum Judaice. *Quin & licet Sapientes Babelis non potuerint legere Scripturam illam, quæ fuit Aramæa, non propterea neceſſe fuit, Iſraelitis Legem ſcribi ſcriptura nova & lingua alia, quam a Moſe.*

LXXI. *Quarto* argumentantur nonnulli ex Hiſtoria, in hunc ſenſum; *Coloni illi, qui a Rege Aſſyriæ in Iſraelitarum locum in terram fuerunt deducti, Samaritani poſtea a loco habitationis dicti, de quibus ſupra Th.* 49. *a Sacerdote illo Iſraelitico, qui ad ipſos in Lege Dei veri erudiendos miſſus fuit, Legem procul dubio ab ipſo acceperunt, non aliis characteribus deſcriptam, quam quibus Iſraelitæ a Moſe ad illam uſque diem uſi fuerunt.*

Acceperunt autem ab ipſo Legem, non literis Hebraicis hodiernis, ſed Samaritanis dictis, ſcriptam. Ergo illæ ſunt veræ literæ, a Moſe ad illam uſque diem inter Iſraelitas uſitatæ.

Reſp. Conceditur totum Argumentum de literis Judæorum vulgaribus. Nam dicunt Hebræi, etiam inde a Moſe uſque, literas Samaritanas inter Iſraelitas uſitatas fuiſſe, tum ad uſum civilem & politicum, tum ad vulgaria Legis exemplaria deſcribenda. Sed negant, illas literas ſolas tunc Iſraelitas habuiſſe: negant, eſſe primigenias & veras Hebraicas literas, atque adeo eas ipſas, quibus Deus Legem Tabulis inſculpſit: negant, has literas antea inter Iſraelitas non fuiſſe: negant, has literas antea Aſſyriorum fuiſſe proprias, & ab ipſis mutatas: quæ omnia iſto argumento non probantur.

Quinto inſtant; *Cum Judæos, qui ad captivitatem Babylonicam iiſdem uſi fuerunt literis, in captivitate non ſolum linguæ propriæ paulatim ceperit oblivio, ut minus familiaris inter eos eſſe cœperit, contraque Chaldaica illis quaſi vernacula evaſerit; ſed etiam propriorum Characterum veluti obliti, Chaldaicis aſſuefacti ſint; probabile eſt, ſoluta captivitate, Eſram Legem & integra ſacra Biblia Judæis deſcripſiſſe characteribus Chaldaicis, qui in captivitate Judæis evaſerant una cum ipſa lingua familiares*: Item, *Cum Samaritani, quibus cum Judæi odium capitale ſemper exercuerunt, Hebraicis literis tum uſi fuerint, eaſque Judæi, a captivitate reverſi, illis eripere non poſſent; probabile eſt, ne quicquam hac in parte cum illis commune haberent, illas ſuas literas illis relinquere maluiſſe, & Chaldaicas, quibus in captivitate aſſueverant, in earum locum aſſumpſiſſe.*

Reſp. In utroque argumento nulla eſt conſequentia. Non in primo; *Lingua & Scriptura Chaldaica in captivitate Judæis facta eſt familiaris.*

Ergo ſoluta captivitate Scripturam ſuam deſeruerunt, & Legem ſuam literis Chaldaicis, quibus in captivitate aſſueverant, ſcribere voluerunt.

Quamvis enim in Babylonia linguam Chaldæam addidicerint, eamque ſibi familiarem reddiderint; tamen interea ſemper Legem Dei, Hebraice ſcriptam, in ſacris retinuerunt; licet poſtea interpretationem etiam Chaldaicam propter plebejos & idiotas adjunxerint. Nec ulla probabilitas eſt, ipſos linguæ familiaris cauſa, Legem, & Scripturam ſuam originalem atque authenticam, prorſus deſerere voluiſſe. An credibile eſt, Eſram hoc Judæis indulſurum & permiſſurum fuiſſe, nedum ut ipſe hujus rei author eſſe & dici voluerit? An rem tam parvi momenti eſſe putamus, Literas, quas Deus ſuis digitis conſecravit, quas Moſes Legislator ab ipſo accepit, qua Lex & Prophetæ ex inſtinctu Spiritus Dei conſcripti fuerunt, mutare, & privata ac propria authoritate אותיות לועזות *Literas prophanas ac Barbaras* in earum locum ſubſtituere? Nullum enim hujus rei mandatum uſpiam reperitur. Ubicunque terrarum hodie Judæi degunt in Oriente & Occidente, lingua ilius terræ, quam inhabitant, ipſis eſt vernacula: ſed an propterea literas quoque in Scripturis ſacris permutant? An hoc eſſet legem reſtituere, reſtaurare, quo nomine celebratur Eſras? Præterea, annon contra potius concludere liceret, Judæos, cum e Babylone in terram ſuam reverterentur, de his omnibus paulatim deſerendis cogitationes animo ſuo volviſſe? Denique dubia hac nititur hoc argumentum hypotheſi; *Literas iſtas Chaldæorum & Aſſyriorum proprias fuiſſe*; quæ nondum probata. Contrarium enim potius videtur, Chaldæos & Aſſyrios literas iſtas ab Hebræis accepiſſe ac didiciſſe.

Secundum quoque argumentum nihil probat: Nam cum Samaritani veras li-

te-

teras Hebraicas nunquam habuerint, eæ quoque ipsis a Judæis non potuerunt relinqui. Vulgares acceperunt: illas retinuerunt. Mutationem characteris instituit Esras, ut distinctio esset inter ipsos & Judæos, sed talem, qua Samaritanas, tanquam communes & vulgares, abrogavit; & Samaritanis reliquit: Judæis autem characteris Hebræi veri & sacri usum universalem indixit, ut pluribus supra est declaratum.

LXXIII. Cum his diluitur eadem opera, quod R. Joseph Albo dicit, *Esram characteres sacros Hebraicos cum Assyriis permutasse*, לעשות זכר לגאולה *ut hac ratione faceret memoriale seu monumentum Liberationis ex captivitate Babylonica.*

Egregium vero monumentum! Legem sacram sine mandato Divino immutare, Literas a Deo datas abrogare, & humanas gentium prophanarum substituere, Sacrorum Prophetarum scriptis manus inferre. Belle sane hoc cum officio Esræ Scribæ velocis in Lege Domini quadrasset. Hoccine esset החזיר עטרה ליושנה *coronam Legis in pristinum statum restituere*, quo encomio a priscis Hebræis ornatur Esra? Annon in eum sic competere videtur illud Jeremiæ 8. *vers.* 8. הנה לשקר עשה עט: *Ecce in vanum adaptavit stylum suum scriba?* Annon hoc esset כמביא חזיר אל תוך בית המקדש: *porcum quasi in Domum sanctuarii introducere?* הלא זו חקנתו קלקלתו: *Annon hæc correctio, corruptio potius videtur?* Sed de hoc monumento nec Esræ canonica historia, nec priscorum Hebræorum monumenta quicquam memorant.

LXXIV. Sunt etiam qui argumentantur *ex Nominibus Literarum Hebraicarum, quæ dicunt esse Chaldaica.*

Resp. Hoc esse falsum: Nomina literarum, & forma & significatione, dico esse Hebraica. Qui aliter sentit, fallit & fallitur.

Non desunt quoque, qui hanc Objectionem movent, *Chaldaica lingua fuit prima: Ergo ipsorum quoque literæ primæ, ut Plinius alicubi scribit*, Assyriorum literas semper fuisse arbitror.

Resp. Λῆροι Negatur antecedens: Primatus enim honorem non Chaldaicæ vel Assyriacæ deberi linguæ, sed Hebrææ, satis, ut opinor, constat ex Dissertatione nostra de Linguæ Hebrææ Origine & Antiquitate. Si *Assyriorum* dicerent linguam fuisse primam, id est, eorum qui Assyriam olim incolebant, facilius concederemus. Primorum enim hominum habitatio fuit in Assyria: & Chaldæi *Generis Hebræorum Parentes* fuerunt, ut Joseph eos vocat *l.* 1. contra Apion. Sed hinc non sequitur, illos eam linguam locutos esse, quæ posterioribus temporibus in illa terra fuit usitata. Deinde, falsa hac hypothesi nititur, Literas hodiernas Hebræorum esse Assyriorum proprias, & apud Hebræos mutuatitias; cum contrarium sit verum.

Atqui, instant, *hac ratione incognitæ manent Literæ Chaldæorum antiquæ, neque quidquam de illis nobis constabit, quæ vel quales illæ fuerint!*

Resp. Literas illas investigent, qui primatum illi linguæ deferunt. Quid mirum, imo quid incommodi, incognitas nobis esse ipsorum literas, cum nulla plane quoque illorum supersint, saltem apud nos, antiqua illorum monumenta propria Lingua conscripta? Libri Chaldæa dialecto conscripti, quos nos habemus, non sunt Chaldæorum, sed Judæorum, neque in Chaldæa, sed fere in Judæa scripti, postquam Judæi ex Babylone reduces fuissent, & linguam illam addidicissent. Negant autem Hebræi, tempore Captivitatis Babylonicæ, se suas literas cum Assyriorum literis permutasse; sed Chaldæos, post Scripturam ab Angelo in pariete exaratam, & publicationem veri & Sacri Characteris Hebræorum ab Esra factam, suas abjecisse, & hos usurpasse dicunt. Adhæc cur major providentiæ Divinæ cura in custodiendis superstitiosissimę gentis literis requiritur, quibus non nisi vanissima quęque commenta & somnia humana, quam in Characteribus peculii sui, quibus Sacro-sancta ipsius lex & oracula, conscripta fuere? An credibile, Deum Judęos Chaldæorum γραμματοφύλακες constituisse, aut Legem suam, quę *Lex veritatis*, Mal. 2. 6. gentis mendacissimę γραμματοφυλάκιον.

Movet etiam nonnullos, quod Plinius, & alii Græci & Latini historici, Phœnicibus inventionis literarum gloriam, ipsorumque literis, quæ Samaritanæ, primatum adscribunt.

Hic vero locum opportunum mihi videtur habere id, quod Josephus scribit lib. 1. contra Apion. *Mirari satis nequeo eos, qui de rebus antiquissimis solis Græcis fidem adhibendam, & ab iis veritatem cognoscendam existimant: nobis vero* (Hebręis nempe) *& cæteris hominibus credendum.*

dum. Nam equidem plane contra esse video, &c. Primo etenim argumentis variis in dubium vocari posset fides istorum authorum in hoc negotio; *deinde*, accuratius pervidendum, quinam Phœnices illi sint aut fuerint: *tertio*, an Samaritanæ literæ hodiernæ, sint ipsissimæ veterum Phænicum literæ: *quarto*, hoc dato & concesso, videndum, unde id habuerint? Inde nempe, quod illarum tantum figuræ tunc in vulgus notæ, & ad alias gentes perlatæ fuerint, clam in archivis reservato Charactere Sacro, &c.

LXXV. Atque hęc sunt, quę de hac materia proferre hac vice Divina concessit gratia. Ex iis quilibet nunc eam sententiam eligat, quę ipsi probabilis magis videbitur. Suo quisque per nos fruatur judicio. Nemini hic pręscriptum quicquam volumus. Quid Hebręi de hac quęstione sentiant, quidque de ea ex illorum scriptis, quorum quidem penes nos fuit copia, hauriri possit, bona fide, pro nostra tenuitate, aperuimus, eademque Christianorum quorundam Scriptorum, insigni eruditione virorum, judiciis confirmavimus & illustravimus. Si Antiquitatem Literarum hodiernarum Hebraicarum non satis liquido & evidenter demonstravimus; argumentis saltem non omnino fortassis contemnendis munivimus: Si ad argumenta contraria non sufficienter & accurate satis respondimus; saltem quid a viris doctis ad illa respondeatur, quidque responderi possit, exposuimus. Hoc vero luce meridiana clarius ostendisse nos putamus, Hebręorum, qua veterum, qua recentium, & majorem & meliorem partem contra quam alii nobis hactenus persuadere voluerunt, pro Literarum Hebraicarum Antiquitate stare ac militare. Si quis meliora & certiora afferre possit, ei lubentes volentes cedemus.



COR-



JOHANNIS HARDUINI
EXPOSITIO
DE
DUOBUS NUMMIS SAMARITANIS.

INter omnes nummos, qui vulgo Samaritani appellantur, qui hactenus inventi sunt, nullos vidi, qui magis considerandi essent, quam duos in Museo de *Boze* Secretarii perpetui Academiæ Inscriptionum & numismatum: Reputandi sunt singulares, & antiqui: Etenim ex omnibus illis qui post centum quinquaginta annos de nummis Samaritanis scripserunt, quod sciam, a nemine de iis facta est mentio.

Primus est medii moduli æneí; In altera parte præsefert palmam, quæ est symbolum Judææ, cum hac inscriptione trium vocum, quæ male sunt compositæ, quas ego totidem characteribus Hebraicis, quot in nummo ex Samaritanis deprehenduntur, refero, cum sit eadem lingua.

שמעון
נשיא
ישראל

Id est *Simeon princeps Israel*. Duæ primæ literæ cujuscumque vocis leguntur ad sinistram palmæ, & reliquæ ad dextram. Sub sinistra etiam deprehenditur Schin ש, cujus causa hic nummus singularis est; de quo in posterum erit loquendi locus; In aversa parte conspicitur folium vitis, ad ostendendum, regionem, cujus causa cusus est nummus, sc. Judæam, vini fertilitate fuisse celebrem, juxta prophetiam Jacobi *Genes. cap.* XLIX 11.

NUMMUS PRIMUS.




NUMMUS SECUNDUS.



Ex Museo *de Boz* Secretarii perpetui Academiæ Regiæ Numismatum, & Inscriptionum.

NUMMUS TERTIUS.



Ex *de Vaillant* Hift. Regum Syriæ *pag.* 365.

In inſcriptione, quæ eſt hæ in peripheria tantum literæ leguntur, eo quod non ſint cuſæ niſi tres primæ literæ:

שח לנא לת ישראל

Ex duabus primis literis, quæ hic conſpiciuntur, ſine dubio judicandum eſt, hanc fuiſſe integram inſcriptionem:

שנת אחת לנאלת ישראל

Sicut integra legitur in alio nummo, qui in Muſeo Regio extat: Scil. *Anno primo redemtionis Iſrael*. Nummi qui confirmant epochas deſignatas in Hiſtoria Machabæorum, maximi a Catholicis æſtimandi ſunt: Iſta ex hoc genere eſt, ſicut nummi Græci Regum Syriæ, eo quod ex his confirmentur omnes Epochæ, quæ deſignatæ ſunt in duobus libris hujus hiſtoriæ ſacræ.

Alter nummus in ſuo genere non eſt minoris momenti. Minimi moduli ænei eſt; nitidus eſt, & optime ſervatus. Altera parte ſicut primus præſefert palmam; Inſcriptio in duabus lineis ignotis characteribus conſtat. In averſa parte conſpicitur botrus uvæ. Inſcriptio in peripheria conſtat charactere, qui dicitur Samaritanus, ſicut in primo.

שנת אחת לגאלה ישראל

Anno primo redemtionis Iſrael

Omnis difficultas vertitur in characteribus ignotis. Si judicium fiat ex congruentia & affinitate, quam habent cum aliis ſimilibus literis, ſolummodo inanes conjecturæ afferri poſſunt. Firmiora ſunt quærenda indicia, ut quod dicitur, probari poſſit. Meo quidam judicio hæc inſcriptio videtur eadem eſſe, ac illa quæ legitur in duabus vocibus prioris Nummi שמעון נשיא *Simeon princeps*. Mea argumenta hæc ſunt: I. Quod hæ duæ voces legantur in duabus lineis, ſicut deprehenduntur in priori nummo. II. Quod idem numerus literarum in his duabus vocibus in Samaritano, uti dicitur, & in Hebræo deprehendatur, ſc. quinque pro voce *Simeon*, & quatuor pro voce, qua deſignatur *Princeps*. III. Quod tertia litera vocis Hebrææ *Naſſi* quæ eſt *Jod*, ſit etiam hoc loco tertia, & ejuſdem formæ, qua eſt *Jod* Samaritanus: Quod poteſt contingere ex vicinitate duorum populorum, quorum hic conſpiciuntur characteres. Conceditur quod ex hac hypoteſi conſequeretur, quod *Nun* in hoc charactere ignoto differret in fine vocis, ab ea quæ eſſet in principio, & *Sin* differret ab *Schin*. At hoc ita fieri poſſet, eo quod in lingua Arabica diſcrimen earundem literarum juxta earum diverſum ſitum ſit frequentiſſimum, & viſibile. IV. Eo quod in omnibus nummis, in quibus ab altera parte legitur *Libertatis Hieruſalem*, *Redemtionis Iſrael*, *Redemtionis Sion*, ſicut ego animadverti in novem nummis in Muſeo *de Boze*, in his omnibus nummis (inquam) legatur ab altera parte nomen Simeon ſimpliciter, aut cum titulo principis Iſrael, aut ſaltem annus, quo Iſrael liberatus fuit a ſervitute gentium uti fit mentio 1. *Mach. c.* XIII. *verſ.* 14. Nonne eſt igitur probabile, quod annus hujus liberationis cum perſpicue deſignatus ſit tam in averſa parte hujus ſecundi Numiſmatis, quam in averſa parte prioris numiſmatis, lectio ignota præcipuæ partis ſit eadem aut fere ſimilis illi, quæ conſpicitur in priori, cum in utraque ſint fere eadem ſymbola?

At quæcunque ſit valor harum literarum, quæ videntur differre a Samaritanis, quæ in altera parte conſpiciuntur, mihi videtur hic character eſſe Babylonicus, ſicut ille qui dicitur Samaritanus, & præcipue Aſſyriacus, quo Cuthæi utebantur, cujus alphabetum integrum numiſmata nobis ſuppeditant, exceptis quinque literis. Scriptura ſancta videtur huic conjecturæ locum præbere IV. *Regum* XVII. 24. ubi dicitur Rex Aſſyriæ poſt deportatos in ſuas provincias Iſraelitas, conceſſiſſe poſſeſſionem Samariæ incolis Babylolonis, Cutha, Avath, & Emath, & Sepharvaim. At ex his duo priores populi fuere inſigniores, & veroſimiliter finitimi, eo quod ſcriptor ſacer videtur illos juxta eorum dignitatem memoraſſe. Ut commercia inirent cum Judæis atque Iſraelitis, Babylonii & Cuthæi, licet patria lingua uterentur, Hebraicam addiſcere potuerunt, ſicut Abraham, cum ſe contulit in terram Chanaan, ubi lingua Noe, & Adam, quæ eſt Hebraica, quam nos le-

legimus, conservata fuit cum suis characteribus: Etenim posteri Chanaan hujus regionis potiti fuerunt ante confusionem linguarum, in qua nullo modo fuerunt. *Genes.* X. 18. 25.

Præterea Babylonii isti, & Cuthæi, singuli suam scribendi rationem conservarunt; Qui enim fieri poterat, ut integræ coloniæ eos deserere cogerentur, quibus nemo præter regem suum imperabat? Sacerdos missus a Salmanassar ut iis notum faceret Deum, quem colere deberent, non ea de causa missus est, ut eos legendi & scribendi rationem doceret: Idcirco ipsi sicut antea loquebantur & scribebant. Illos sua ipsorum lingua alloquebatur; cum diu fuisset in Assyria, eam facile potuit addiscere: Cum ipsi dominationem regionis obtinerent, & possiderent agros, Israelitæ, qui post diuturnum tempus sigillatim, & turmatim in eam regionem redierunt ad majorem numerum se conformare debuerunt, sc. ad rationem scribendi, quæ in ea regione jam obtinuerat post eorum deportationem.

Idem non contigit in Judæis, qui a Nebuchdnezare Babylonem deportati sunt, quia Deus illis promiserat fore ut post septuaginta annos reverterentur; ipsi constanter antiquam scribendi rationem, & linguam patriam conservarunt; Esdra vero ea non pollebat autoritate, ut facere posset, ut singuli, & multo minus universus populus characteres immutaret. Præterea Judæi Israelitæ decem tribuum in suo reditu, & in provinciis illi, qui remanserant, eum novitatis accusassent; si conatus esset immutare characteres, quos Abraham, Mose, & Prophetæ uti sanctos respexerunt, quos Deus ipse tradiderat, ut eos prostitueret, ut prophanis usibus inservirent, & Idololatris, quales erant Cuthæi, desereret. Contra vero conservarunt veteres characteres in libris sanctis Israelitæ, & Judæi, illi ipsi, qui dispersi erant super universam terram diu ante tempora Esdræ, & eadem cura eos conservarunt, qua hodie conservant in cunctis regionibus, in quibus commorantur.

Deprehenditur igitur post redituum Israelitarum duæ species Characterum in Samaria proprie dicta, quam Rex Assyriæ suis coloniis assignaverat: At multo magis; eo quod Hebraicus obtineret in universa terra sancta: Hæ duæ scribendi rationes erant Assyria & Babylonia; & præter has nullas alia derivari potuit ab Assyria: Quod Rabini asserunt characterem Hebraicum, quo modo nos utimur, esse Assyrium, hoc non significat hunc esse characterem Assyriorum, sed tantummodo appellari potest character Assyrius, ut denotetur character beatus, eo quod sit a Deo sanctificatus, quod illo usus fuerit ad scribendas tabulas legis; quod Hebraice eadem vox designet Assyrium, & beatum, uti sentit *Maimonides* cum aliis quamplurimis. Quod alius Judæus addit in suis commentariis ad Misnam, verosimilius est; sc. characterem, qui dicitur Samaritanus, revera fuisse characterem Cuthæorum: Hebraice scribebant charactere Cuthæo aut Assyrio, sicut his temporibus Græci Turcicum Græce scribunt.

Proculdubio maximæ gloriæ esse debuit summo Pontifici, & summo Duci Israelitarum, quod suo honori cuderentur nummi characteribus duarum gentium, quæ olim suæ fuissent inimicissimæ; & præterea quod inter suos subditos coloniæ Babyloniorum, & Cuthæorum Assyriæ recenserentur. Hoc est, ut mihi videtur, quod in his nummis conspicitur. Hæ duæ linguæ sibi invicem inimicissimæ erant, de quibus triumphabat, ex tribus, quas Judæi recensebant fuisse sibi olim maxime adversarias. Tertia erat Græca in horribili persecutione *Antiochi Epiphanis* & Regum, qui illi successerunt: Hæc tertia lingua, cujus *tristitiam* aperit *Ecclesiast.* XVIII. post *vers.* 15. est lingua Græcorum, quos nisi vocibus obscuris tum nuncupare non audebat.

Verum ne longius abeamus a re proposita, qui peritiam aliquam habent in re nummaria, mecum convenient, hunc characterem ignotum fuisse characterem magistratus peregrini, qui jussus fuerat hoc nomisma cudere; eo quod iste character in præcipua parte numismatis conspiciatur; quemadmodum indubium est, quod in aliis nummis, qui Samaritani appellantur, partem nobiliorem esse illam, ubi nomen principis legitur. At hoc est animadvertendum, quod videatur iste Magistratus non fuisse Israelita, sc. non fuisse ex posteritate Jacob, neque religione Judæus: Hinc est, quod hac de causa in inscriptione tantummodo legatur *Simeon Princeps;* Si mea sit vera conjectura, quod nullo modo legatur *Princeps Israel*, uti constanter legitur in reliquis ejus nummis; ubi voces *Simeon princeps* deprehenduntur, eo quod vox *Princeps Israel* necesse erat ut esset in utroque charactere: Hoc designat sine dubio hunc magistratum fuisse principi subditum, neque tamen fuisse ex eadem gente & religione; quamvis fieri potest, ut esset similis iis gentilibus, qui tempore Paschatis Hierosolymam ad adorandum advenirent, uti constat ex *Joh.* XII. 20. Iste Magistratus præerat alicui ex his urbibus Samariæ, quas Demetrius rex Syriæ cesse-

ſerat Jonathani fratri, & anteceſſori Simeonis, uti legitur I. *Machab.* x. 30. & xi. 34. Hac de cauſa inſcribi non poterat in hac parte Numiſmatis *Simeon princeps Iſrael*, eo quod iſti characteres, qui quaſi corpus numiſmatis reputandi ſunt, deſignent populum, diverſum ab Iſraelitico, licet eidem principi ſubditum; & religio principis ab altera parte maxime denotata eſt, eo quod in ea legitur hunc eſſe primum annum, quo Iſraelem a ſervitute vindicavit.

Præterea magiſtratus hujus civitatis nullo modo erat Samaritanus, quemadmodum Cady, ſc. Judex Turcicus, qui in urbibus Græciæ judicat, nunquam appellatus fuit, neque appellabitur Græcus.

Contra vero novi iſti incolæ Samariæ diſtinguuntur a Samaritanis 4. *Reg.* XVII. 29. *Iſte eſt populus ſtultus, qui habitat in Sichem;* Verum ille ſolus ibi non habitat, neque ita frequens eſt, ut poſſit dici gens a Deo odio habita, dicit *Eccleſiaſticus*, qui ſcribebat circiter quadraginta annis ante epocham duorum horum numiſmatum; verum ab eo non appellantur Samaritani. Samaritani non fuerunt niſi Iſraelitæ Schiſmatici, qui nolebant adorare Deum Hieroſolymis juxta morem univerſæ gentis Hebrææ. Et in Hiſtoria Evangelica iſti Samaritani ſolummodo memorantur: Hac de cauſa iſti nummi juxta loquendi modum non ſunt nummi Samaritani, quamvis hoc ſenſu Samaritani appellari poſſint, eo quod cuſi fuerint in Samaria: Cuthæi & Babylonii, qui ſedes habebunt in hac regione coacti fuerunt cudere hoc nomiſma nomine principis, cui ſubjecti erant, cum cuperet, ut conſpiceretur ſuum nomen impreſſum in moneta figurata juxta morem regum ſibi finitimorum, quod obtinere non potuiſſet a populo Hieroſolymitano; & in hoc veri Samaritani æque ac Judæi fuiſſent religioſi.

Summus ſacerdos Simeon non putavit prohanari legem, ſi ſineret, ut peregrini varias figuras rerum naturalium nummis imprimerent: At poſtquam per quatuor annos populi repugnantiæ obſtitiſſet, tandem concedere coactus eſt. Etenim in his nummis, qui dicuntur Samaritani, ultra annum quartum epocha non deprehenditur; quamvis *Spanhemius* afferat in nonnullis nummis annum ſextum eſſe deſignatum; at veriſimiliter hoc aliorum fide, & teſtimonio aſſerit, cum non ſcribat quo loco viderit. In ruderibus Hieroſolymæ inventuſne eſt nummus legitimus, qui prætulerit nomen aliud præter illud Simeonis? Cur non deprehenduntur niſi ejus nomine impreſſi? Cur nulli deprehenduntur nummi, ne dicam David, Salomonis, & reliquorum regum Iſrael, & Juda, ſed ne quidem Johannis filii Simeonis, qui æque ac pater ſummus fuit ſacerdos, & ſcripturæ teſtimonio magnopere celebratus eſt, neque ex ejus poſteris.

Ego puto rationem, quæ a lege deducitur, qua vetitum erat effingere formas rerum, quæ a Deo creatæ eſſent, Judæos non prohibuiſſe, quominus cuderent nummos figuris inſignitos: ſed alia de cauſa ſummus ſacerdos adductus eſt, ut opera peregrinorum, qui ſibi ſubjecti erant, in cudendo numiſmate uteretur; cum reliquæ finitimæ gentes ſibi eſſent inimicæ; eo quod populus qui ſua jura ſumma conſtantia tueretur, illum coegit Democratia non ſolum Hieroſolymæ, verum etiam in reliquis urbibus terræ ſanctæ obtinebat; poſtquam viſus eſt Deus poſt excidium regum Iſrael & Juda noluiſſe regiam dignitatem uſque ad Meſſiam in hac regione inſtaurari. Quod conſtat ex hiſtoria Betuliæ ex lib. *Judith* I. *Machab.* XII. 6. XIII. 36. XIV. 20. XV. 2. 2. *Machab.* XXVII. 20. *Marc.* XI. 15. *Joh.* I. 19. *Act.* II. 14. 23. & ex quampluribus Scripturæ locis. Licet Simeon ſibi perſuadere poſſet, ab Judæis pro ſuis promeritis maximam ſui habitum iri rationem, eo quod ab ſe, & ab ſuis fratribus reſpublica, quæ perdita erat, inſtaurata eſſet, tamen ſi ſuo nomine nummos ſignare vellet juxta conſuetudinem regum Syriæ & Ægypti, verendum ſibi erat, ut in Democratia, ubi inauditum foret, conſilium ſuum improbaretur, in qua omnes cives pares, & fratres habebantur, utpote qui ex eodem patre nati eſſent: Hac de cauſa in Scriptura ſancta, in qua commendatur populus, qui ſcripſerit in Actis publicis anno primo *Simone ſummo ſacerdote, & Duce, & principe Judæorum*, nulla fit mentio de nummis, quos cudere juſſit; Et hoc ſilentium mihi videtur hoc conſilium improbare. Maxima Simonis, & ejus fratrum habita eſt ratio, ut permitteretur, ut ſuum populi nomini præmitteretur in literis, quæ a Republica ſcribebantur. I. *Macb.* VIII. 10. *Judas Machabæus, & fratres ejus, & populus Judæorum.* XII. 6. *Jonathan ſummus ſacerdos, & ſeniores gentis, & reliquus populus Judæorum.* XV. 17. *Simon princeps ſacerdotum, & populus Judæorum.* Veruntamen populus cito ſuum jus, quod in ſingulos cives, quamvis præſtantiſſimos habebat, iterum ſibi vindicavit. Eadem ratio, quæ habita fuit trium fratrum, qui liberatores gentis exiſtimati fuere, ſuorum poſterorum non eſt habita. Hoc certum eſt, quod Judas ſummus ſacerdos, Simonis nepos,

pos, in epistola scripta undecim annos post mortem sui avi, ut homo privatus post populum, & senatum, qui ipsius populi pars erat, subscripserit. 2. *Mach.* I. 10. *Populus qui est Hierosolymis, & in Judæa, Senatusque, & Judas.* Præterea tum, uti fieri consueverat Simone principe, in Actis publicis non numerabantur anni summorum sacerdotum.

Hac de causa verosimile est, quod Simeon coactus fuerit, ut concederet populo, ne in posterum nummi suo nomine, aut his typis cuderentur; Revera nullos his similes Judæi his temporibus habuerunt. Etenim vel illi, qui non præseferunt nomen Simonis, neque ullam epocham, sed tantummodo eorum pretium explicitum, proculdubio ejusdem typi, & operis ac reliqui sunt, & tanta inter eos intercedit similitudo, ut nihil esse possit, nisi pertinax insita jam ante mentis opinio, quæ tamen nullo fulciatur argumento, qua possit asseri alio tempore, cum nullum in his designetur, hos nummos fuisse cusos.

Ceterum hæc moneta summi Sacerdotis Simonis non impendebatur nisi in regione sibi subjecta; & rex Antiochus cognomento Evergetes, qui sibi summum Judææ imperium asserebat, cum videret Simonem monetam suo nomine, atque autoritate cudere, iratus est: At cum hujusmodi tum esset rerum suarum conditio, ut sum jus vindicare non posset, voluit ut tanquam Vasallus hanc autoritatem sibi acceptam referret; Atque illi suo edicto privilegium concessit, post triennium, quam Simon monetam cudere cepit, cum hac tamen conditione, ut tantum in sua provincia impenderetur. *Permitto tibi facere percussionem proprii Numismatis in tua regione.* 1. *Mach.* XV. 62. Tandem quod præcipue constat ex charactere ignoto, qui legitur in his nummis, Hierosolymis non fuisse cusum. Character, qui dicitur Samaritanus, qui ab altera parte legitur, nullo modo cusus est, & consequenter non fuerunt percussæ aliæ monetæ, quæ Samaritanæ vocantur. Uterque character Judæis peregrinus est; & iste character, qui vulgo creditur Samaritanus, nunquam fuit character aut Judæis usitatus, aut character sanctus. Judæine permisissent suos characteres, aut suam sanctam linguam prophanis characteribus imponi? Duo isti diversi characteres, qui in hoc nummo leguntur, sunt igitur ejusdem civitatis, ubi duæ gentes incolebant, & ubi singulæ suam scribendi rationem conservabant. Hac de causa nos habemus multos nummos, quorum inscriptio ab altera parte Latina, & ab altera Græca est. Character Latinus est Imperatoris, Romani Magistratus, aut coloniæ, & Græcus est character veterum incolarum. In Numismate maximi moduli Balduini II. Byzantini Imperatoris, nonne Latine in altera parte legitur *Imperator*, & ab altera Græce *Despota*? Hac de causa non est putandum hos nummos Hierosolymis fuisse percussos; quia character Hebræus, qui in illis legitur, erat solus, quo tum princeps, & similiter populus utebatur; nisi putetur characterem Hebræum, quo Pilatus usus est, & quem tum populus Hierosolymus legebat; illum fuisse, qui legitur in nummis Simonis 130. annis ante hoc tempus. Nummus Herodis, quo regnante Dominus noster natus est, est Græcus, & revera in Judæa percussus est, at non Hierosolymis, & a Judæis, sed Cæsarææ a Græcis.

Nulla alia ratio investiganda est, cur nummi summi sacerdotis Simonis inscripti sint characteribus Samaritanis, nisi illa, quod in Samaria percussi fuerint; sicut nulla est alia ratio, cur nummi veterum Imperatorum impressi sint characteribus Græcis, nisi ea, quod in Græcia percussi fuerint. Ut constet characterem Samaritanum esse veterem Hebræum, constare debet hunc potius esse characterem eorum populorum, qui a Salmanassare deportati sunt in Samariam. Israelitæ Samaritani tam ante quam post epocham duorum horum nummorum potuerunt usurpare hanc scribendi formam, quando sibi opportunum putaverunt, ut a Judæis discernerentur: Constatne hunc nummum fuisse ab illis percussum, aut hunc characterem fuisse vetustiorem in terra sancta, quam istæ coloniæ Assyriæ fuerint? Num in hac regione vetustior visus est? Phœnicius, qui legitur in nonnullis nummis Tyri & Sidonius similis est huic, qui vulgo dicitur Samaritanus, sicut est similis Arabicus Græco. Undenam ex consequentia constare potest, characterem, qui vulgo creditur Samaritanus, non esse Assyrium?

Hic nummus hanc habet singularitatem; Quod in illo legitur, aliquod nos docet, & quod in eo legi non potest, multo amplius nobis indicat; licet omnes consequentiæ, quas ex mea conjectura de characteribus ignotis hujus nummis deduco, sint ejusmodi, ut alia multa argumenta certas eas reddere possint.

Verum, quod omnino satisfacere debet in hoc argumento, & quod æstimationem prioris ex his duobus nummis argenteis, auget, hoc est quod nobis in fine designet, in qua Samariæ civitate hi nummi, qui dicuntur Samaritani, præcipue percussi fuerint.

rint. Etenim *Schim* ש, qui in ima parte primæ lectionis ad sinistram legitur, non fuit impressus nisi ut designet primam literam urbis: in qua hic nummus fuit percussus. Urbs ista fuit Sichem, i. e. metropolis Samariæ, ubi incolebat *populus stultus* de quo loquitur *Ecclesiasticus* loco supracitato, scil. populus Idololatra, qui maxime in ea urbe opibus & autoritate pollebat eo tempore, quo Sacer iste autor scribebat. Monetarius voluit imitari nummos finitimorum principum, & præcipue illos Regum Syriæ, in quibus Antiochia non designatur nisi A, quæ est prima litera sui nominis; & aliquando deprehenditur in eodem situ, quo hic legitur ש. Qui igitur dicitur character Samaritanus, est ab ipsa sua origine character peculiaris populo Idololatræ, sicut ille, qui huic in secundo nummo imponitur, character denique, quem Sichemitæ ex Assyria attulerunt; Sicut ego demonstrandam curavi. Nummi qui locum præbent his observationibus, & qui inserviunt ad eas stabiliendas, maximi æstimandi sunt.

JOHANNIS HARDUINI EPISTOLA DE NUMMIS SAMARITANIS AD ARX.

ROgas, Amice, ut aperiam paucis, quid sentiam de nummis tribus, quos Tibi a nescio quo scribis ostensos fuisse, nudius tertius Samaritanis characteribus inscriptos, hac sententia: *Liberationis Sion Anno* II. *Anno* III. *Anno* IV. etenim significas posse istud esse, quod pro vestibulo, nec illo quidem indecoro, aperis, quod moliris, Chronologiæ sacræ nimirum ex nummis, restituendæ, atque illustrandæ. At est difficile profecto de nummis pronunciare, quos non ipse perspexeris; nec satis tutum, in hoc præsertim genere, alienis credere oculis. Geram tamen tibi morem, ut consuevi; nosti enim adeo me tibi esse obnoxium, ut malim multo minus prudens, quam minus Tibi obsequens videri. Sume igitur, si vera narras, Sacrum Bibliorum codicem: inspice libri 1. *Macchab. cap.* 13. *vers.* 49. Namque tibi descriptam primo loculentissime videbis liberationem arcis Hierosolymitanæ, quam & Sion alium, & civitatem David nuncupatam fuisse non ignoras: deinde & de Simone reperies: *Qui autem erant in arce Jerusalem*, inquit Scriptor Sacer, *prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere ac vendere, & esurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent, & dedit illis: Et ejecit eos inde & mundavit Arcem a contaminationibus, & intraverunt in eam 23. die secundi mensis, anno* 171. *cum laude, & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel:* Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. Fuerat in hostium potestate arx Sion annis 26. nempe ab anno 145. Græcorum, sive, ut ajunt, Seleucidarum, quo capta ab Antiocho civitate, murisque eversis arx ab eodem instaurata est ut ibi collocatus præsidiarius miles per urbem & vicina loca, cum libertate populabundus excurreret. Nam ita res gesta narratur *vers.* 35. Atque hunc præsidiarium militam *Inimicum magnum* proxime audis appellatum. Arcem igitur tandiu frustra appetitam, atque tentatam anno 171. Græcorum, qui urbis Romæ est 612. mense secundo, Simon Pontifex recepit: atque illius diei memoriam, quo tanta letitiæ materia erat oblata, jussit annis singulis solenni ritu celebrari. Eodem *cap.* 13. libri primi Machabæor. *vers.* 41. intelliges ipsius Simonis Pontificis annos in tabulis gestisque publicis fuisse notatos, retenta nihilominus in annalibus æra Græcorum, sicuti mos est apud nos consignari annos Pontificum Rom. ac Regum simul cum æra vulgari: Quamobrem siqui etiam Simonis ipsius nomine nummi tibi forte in ma-

manus venerunt, eos isto pariter testimonio facillime illustrabis.

At, inquies, cur Samaritanis characteribus, non Hebraicis inscripti sunt nummi? Causa in promtu est. Quoniam videlicet sunt in eo Samariæ tractu conflati, qui fuerat Judææ adjectus, sub Jonatha Simonis fratre, a Demetrio Syriæ rege, sub annum Græcorum 167. ut in eodem libro narratur *cap.* 11. *vers.* 28. *Et postulavit Jonathas a Rege, ut immunem faceret Judæam, & tres Toparchias, & Samariam, & confines ejus, & promisit ei talenta trecenta: Et consensit Rex, & scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes: Rex Demetrius fratri Jonathæ salutem, & genti Judæorum...... Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, & tres civitates Lydan, & Ramathan, quæ additæ sunt Judææ ex Samaria, & omnes confines earum, sequestravi omnibus sacrificantibus Jerosolymis.* Audis tres Toparchias, quæ erant in Samaria, & prope eam, Judæorum ditioni esse contributas? Ritum igitur sacrum sanctæ civitatis tenuerunt illæ quidem, sed non idcirco linguam mutuarunt. Itaque cum jus esset singulis nummos conflandi, communem cum sancta civitate lætitiam proprio quæque ac patrio sermone in nummis notarunt. Nihil hic ego quidam certe astutius intelligo: Tu his fruere, siquidem arriserint: Impertire etiam cuicunque libuerit, sive antiquam ex eo tibi gratiam sit habiturus, sive nullam: Cave enim eos immittere, quos amicus quidam noster antiquæ & facere, ut solet, nuper appellavit in literatura scrutarios: Quod levia nimirum & frivola quæque nihil eximium & insigne in artibus & scientiis consectantur: qui tamen siquid ex eo genere, quoniam ea quoque obiter aspergi subinde necesse est, si quid, inquam, simile in aliorum scriptis offendunt, quod ipsi fortassis æque attigerint, spoliatos se suis operibus magno strepitu conqueruntur, ac virum frugi tanquam raptorem tantum non in jus vocant, citantque per præconem prætorium: Vale Lutetiæ Parisior. E Museolo nostro Idib. Nov. MDLXXXXI.

HADRIANI RELANDI
DISSERTATIO I.
DE
NUMMIS SAMARITANIS.

Nuper, quum res Academicæ mihi otium facerent, & Amstelodami ad Te inviserem, Humanissime Wildi, memini sermonem inter nos fuisse de Inscriptione Nummorum quorundam æreorum, qui illis literarum formis insigniti erant, quas vulgo Samaritanas appellamus. Quum vero majus otium ea disquisitio postularet, quam id temporis nobis concedebatur, pollicitus sum me sententiam meam aut conjecturam scripto ad Te missurum esse, quod eo lubentius præsto, quo plus tuæ humanitati & benevolentiæ debeo, qua illos e Cimeliarchio Tuo instructissimo depromtos mecum communicare voluisti. In eorum numero quatuor erant præcipue, quos aliqua affinitate characterum inscriptorum conjunctos conjunctim quoque oculis tuis subjiciendos esse existimo, ut unius contemplatio alterum illustret, & illa quæ a me notabuntur, clarius ab animo Tuo percipiantur. Ne vero prolixior descriptio nummi cujusdam singularis, quem indicare volumus, sæpius interponatur, sequemur ordinem quo heic Nummi depicti sunt, atque ita eorum vel Primum alterumve aut Tertium nominabimus. En Tibi horum imagines.

Primus Noster non differt a Secundo & Tertio nisi ea in re, quod literas plures numero & clariores ostendat, quum in his quædam temporis injuria erasæ sint, quas ex integerrima Inscriptione Nummi primi facili labore suis locis restituimus. Utraque facies hujus Nummi literas præfert, quarum explicationem Tibi tradere conabimur. De Inscriptione autem illius faciei quæ imaginem Palmæ dactyliferæ (vulgatum illud Palæstinæ Symbolum, quod Tu e Numismatibus Tuis optime nosti) circumdat, primo disputabimus. Videtur illa quidem has literas exhibere, a nobis, ob defectum aliarum, his

his characteribus Hebræis quadratis expressas שנתא דכר. Quæ rationes nos impellant, ut credamus formas in Nummo nostro expressas pro his habendas esse, sigillatim exponemus, ubi prius mentem nostram de notatione harum literarum aperuerimus, ne id nostra tantum autoritate affirmasse videamur. Putamus itaque hanc Inscriptionem indicare annum quo cusum fuit hoc Numisma, & in duo membra debere distingui quorum unum sit שנתא, quod *Annum* significat, alterum, Numerus anni דכר qui est 224. Vides mihi porro explicandum esse, a quo termino hi anni computandi sint, ut vera ætas cusi hujus Numismatis intelligatur. Me quidem variæ rationes movent ut credam, morem signandi Nummos impressa imagine, & literas iis inscribendi, non adeo antiquum esse, ut vel ab Exitu Hebræorum ex Ægypto, vel a Templo Primo condito hæc Epocha duci possit. Non ignoro viros esse celeberrimi nominis, qui in ea sunt sententia, nummos temporibus Josuæ, Samuelis & Regis Josiæ cusos adhuc superesse, sed illos vehementer falli ex ipsa Inscriptione Nummorum, quos pro se facere arbitrantur, non difficile nobis esset demonstratu. Autoritas etiam Talmudica nonnullis Viris doctis persuasit monetam Mardochæi vulgatam olim fuisse; quæriturque huic opinioni præsidium in Sacro Codice, *Esth. 9. 4.* debile profecto aut plane nullum. Quod & si fateremur Mardochæi memoriam nummo aliquo propagatam fuisse, cum hoc factum singulare sit, & in Persia contigerit, non demonstrat ea ætate nummos cusos apud Judæos in usu fuisse. Antiquissimis enim temporibus solebant Hebræi nummos ponderare, & certam argenti aurive quantitatem ad stateram expendere, non Abrahami tantum ævo, ut docemur *Gen. 23. 16.* sed & Davidis, 1. *Chron. 21. 25.* & *Jeremiæ* in Libro ejus *cap. 32. 9.* Quibus in locis cum mentio fiat ponderationis, etiam si nummi exiguo numero solvendi essent; nuspiam vero in Codice Veteris Instrumenti (cujus historia a mundo Condito usque ad rudimenta Templi secundi protenditur) nummos cusos esse legamus, tuto credimus ætatem Nummorum cusorum ad tempora Templi Secundi debere referri. Cujus sententiæ contrarium a nullo hactenus demonstratum fuit. Verum stante Templo Secundo nummos a Judæis cusos fuisse nullus, quod credam, Virorum Eruditorum negabit. A condito autem Templo Secundo anni in Nummo nostro notati numerari nequeunt, quum ista æra nonnisi XL. annis, juxta rationes Chronologicas Judæorum, in usu fuerit, & numerus noster annos 224. exhibeat. Anno enim quadragesimo a Templo Condito venisse dicitur Alexander Hierosolymas, a quo anno deinceps tempora sua numerarunt Judæi usque ad Templi excidium & ulterius. Credimus ergo numerum horum annorum ineundum esse ab Æra ista Alexandrina, quæ a Philologis Æra Contractuum, a Judæis מניין שטרות dici consuevit. Quare apparebit Nummum hunc cusum fuisse sub Imperio Regis Jannæi, fratris Aristobuli; oriundi e nobilissimo genere Chasmonæorum. Quo nos etiam ducit Inscriptio in aversa Nummi parte, mox a nobis explicanda. Illustris illa familia præfuit rei publicæ Judaicæ centum & tribus annis, juxta traditiones Hebræorum, ab Anno Mnndi Conditi 3622. usque ad 3725. Initium vero Æræ Contractuum dictæ, dedit annus millesimus ab Exitu Israelis ex Ægypto, qui contigit, juxta constantem traditionem Chronologorum inter Judæos, Anno ab orbe Condito 2448. Æra itaque contractuum exordium habuit anno 3448. A qua si supputemus annos 224. in nummo nostro designatos, numerabimus annum a Mundo Condito 3672. quo rerum potiebatur apud Judæos Rex Jannæus. Quod autem regnantibus Chasmonæis, & diu postea Judæi in annorum computo hanc Epocham secuti sint, plurimis possem firmare testimoniis; sed uno contentus ero, quod e Pandectis Talmudicis hausit Rabi David Ganz, in Zemach David, cujus verba, quod huic argumento multam lucem adfusura sint, & liber in omnium manibus versetur, ipsa proferam, דע שמתחילה היו ישראל מונין שנתיהם ליציאת מצראים ואחר זה למספר שנות המלכים כאשר תמצא דבר זה בדברי הנביאים הראשונים ואחרונים עד שנת אלכסנדרוס מוקדון היו מתחילין למנות שנותיהם וכותבין כל שטרותיהם מזמנו כמו שאמר בפ׳ קמא רע׳ ז׳ אמר רב נחמן ובגולה אין מונין אלא למלכות יונים בלבד: *Sciendum est in initio Israelitas numerasse annos suos ab Exitu ex Ægypto, deinde ab initio regni uniuscujusque Regis, qui ipsis præerat, uti videmus in Libris Prophetarum priorum, & posteriorum, quæ ratio computandi annos perduravit usque ad tempora Alexandri Macedonis. Tum inde cœperunt numerare annos suos, & isto computo usi sunt in omnibus tabulis contractuum, uti traditum est in Talmude Cap. 1. Lib. de Idololatria. Raf Nachman*, inquit, *Tempore exilii solebant anni numerari ab Imperio Græcorum.* Additque idem, hunc morem numerandi tempora ab æra contractuum viguisse apud Judæos ultra decem sæcula. Et constat inter Eruditos æram a Mundo Condito, qua hodie utuntur, non-

nonnisi post absolutionem corporis Gemarici usitatam fuisse. Leve esset testimonium Ganzii, nisi id firmari posset autoritate Scriptorum & antiquiorum, & maximi nominis apud suos, quales sunt Autor vetustissimi Chronici Seder Olam Rabba *pag. edit. Meperian.* 91. R. Abraham Zacuth in Juchasin *fol.* 3. *col.* 6. *edit.* Constant. & alii. Eandem hanc æram vel certe non multum ab ea diversam usurpari in Libris Machabæorum vulgo dictis videmus, eamque appellari æram regni Græcorum, quo nomine æra contractuum apud Judæos quoque indicari solet. Non eo inficias differentiam aliqualem esse inter inter æram Contractuum Judaicam, & eam qua utitur scriptor Librorum Machabaicorum, quum hæc illam sex annorum spatio aliquando prævertat. Mattathiam enim, quem Hebræi anno æræ Contractuum 140. obiisse scribunt, anno æræ suæ 146. defunctum esse tradit Autor *l.* 1. *Mach.* 2. 69. Ratio hujus discrepantiæ inde originem ducit, quod Judæi æram Contractuum inchoent a sexto anno Imperii Alexandri, quo in Palæstinam venisse creditur, & cum Simeone Justo, Pontifice Maximo, collocutus fuisse; Scriptor vero Librorum Machabaicorum æram suam a primo anno Imperii Alexandri ordiatur, unde liquet inter initium hujus æræ, & illius sex annorum intervallum intercedere. Quæ pro vera æra Contractuum haberi debeat, an illa quæ a primo an quæ a sexto Alexandri anno capit exordium, nunc non disputabimus, quum exigua utriusque differentia nullam in explicatione hujus Numismatis creare possit difficultatem. Confusionem harum ærarum facile induceret commune nomen, quo utraque dicitur *Æra Alexandri*, licet sex annorum spatio videantur esse sejunctæ. Quid? quod præter has tertia epocha, quæ æra Alexandri fuit appellata, & circa eadem tempora originem habuit, notior tamen illa vulgari nomine æræ Seleucidarum, quæ a primo anno Seleuci Nicatoris cepit exordium, & in Nummis Regum Syriæ notata sæpe legitur. En ipsa verba Abulfaraii, qui in Hyst. Dynast. *pag.* 98. hæc tradit وبعد اثنتي عسر سنة من موت للاسكندر حصل لسلو قوس المسمي نيقاطور لي القاهير ملك بابل وكل للعرلق وحرلسان الي النهد (ita legitur in editione Pocokiana, sed puto legendum esse ومن لول ولايته يبتدي هذا الهند التاريغ المعروف بتاريغ الاسكندر وهو الذي يورخ به السريان والعبريون *Elapsis* autem duodecim annis a morte Alexandri pervenit (regnum sc.) *ad Seleucum dictum Nicatora*, *idest*, *Victorem* (Notabis ἐν παρόδῳ nomen Urbis celeberrimæ *Alcairo*, quæ eadem vox Arabica est sed fœminina, significare *Victricem* القهرة) *Regem Babelis & totius Parthiæ* (vel Chaldææ; hæc enim & illa عرلق vocabantur, altera quidem عرأق عجم, altera عرأق عرب) *Chorosanæ* (idest, Bactrianæ, quæ male apud Ptolomæum Χοροάνη legitur) *usque ad Indiam. A primo anno imperii ejus æræ incipit, quæ vulgo dicitur Æra Alexandri, & qua utuntur Syri & Hebræi.* Hanc æram Seleucidarum esse eandem cum æra Judaica Contractuum clarissimi nominis Chronologus D. Petavius opinatur in Rationar. Tempor. *p.* 2. *lib.* III. *c.* 13. Quamvis Judæi æram suam contractuum a sexto anno Alexandri inchoent. Quicquid sit; sive illa æra, quæ a primo Alexandri anno, sive quæ a sexto, sive quæ a primo Seleuci anno, incipit, habenda sit pro æra Contractuum apud Judæos usitata, incidit tamen annus cusorum horum numismatum in tempora Chasmonæorum. Malumus autem sequi scriptores Hebraicos, & initium æræ Contractuum adsignare in anno sexto imperii Alexandri. Erunt tamen forte nonnulli qui sibi persuadebunt æram hanc Contractuum in usu non fuisse regnante Jannæo, quum hæc verba in *Lib.* 1. *Machab.* 13. *v.* 41. & 42. legerint: Ἔτους ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τοῦ ἰσραήλ. Καὶ ἤρξατο ὁ λαὸς ἰσραὴλ γράφειν ἐν ταῖς συγγραφαῖς καὶ συναλλάγμασιν ἔτους πρώτου ἐπὶ Σίμωνος Ἀρχιερέως μεγάλου καὶ στρατηγοῦ ἡγουμένου Ἰουδαίων. *Anno centesimo & septuagesimo ablatum fuit jugum quod Gentes imposuerant Israelitis. Cœpitque populus Israeliticus in syngraphis & tabulis contractuum ita scribere: Anno primo Simonis Pontificis Maximi, Ducis & Præfecti Judæorum.* Opportune heic, dum ab hoc argumento distractus aliud ago, incido in locum huic non absimilem in Talmude, ubi in Gemara Cod. Rosh Haschana *cap.* 1. ex antiquissimo Libro Megillat Taanith (quem cave confundas cum recentiori, qui una cum Chronico Templi Secundi, & Historia R. Abrahami ben Dior, aliisque libellis non magnæ molis excusus est aliquoties) traditur, שפעם אחת גזרה מלכות יון גזרה על ישראל שלא להזכיר שם שמים על פיהם וכשגברה מלכות בית חשמונאי ונצחום התקינו שיהו מזכירין שם שמים ואפ׳ בשטרות וכך היו מונין בשנת כך וכך ליוחנן כהן גדול שהוא כהן לאל עליון: *Interdixisse aliquando Regem Græciæ* (i. e. Sy-

Syriæ, ut mox demonſtrabitur) *Judæis pronunciationem nominis Divini*, *Haſmonæos vero, quum prævalerent, conſtituiſſe ut etiam in formulis contractuum id ſcriberetur, atque illo tempore hanc fuiſſe conſuetudinem annos numerandi: Anno hoc vel illo Johannis, Pontificis Maximi, qui Sacerdos eſt Dei altiſſimi.* Verum ſi ad ipſa verba propius animum advertant, deprehendent non dici, æram uſitatam abolitam fuiſſe, ſed ab eo tempore conſuevisſe Judæos nomen Ducis ſui adnotare in formulis contractuum. Utrumque autem fieri potuit, & nomen Ducis, & æra Græcorum, ſignari, quod certe ab eo tempore factum fuit. Nam in deſuetudinem non abiiſſe æram Græcorum ex eo liquet, quod biennio poſt illud tempus, quo hunc morem apud Judæos invaluiſſe Scriptor affirmat, æra Græcorum adhuc in tabulis publicis, quæ columnis in monte Sion affixæ legebantur, uſitata fuerit, addito tamen nomine Ducis aut Pontificis Maximi. Legitur id 1. *Machab.* 14. 27. ὀκτωκαιδεκάτῃ Ἐλοὺλ ἔτους δευτέρου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ. Καὶ τοῦτο τρίτον ἔτος ἐπὶ Σίμωνος Ἀρχιερέως. *Die decimo & octavo menſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, qui eſt tertius Simonis Pontificis Maximi.* Confer 2. *Machab.* 1. 10. Exploratum itaque nobis eſt Æram regni Græcorum, ſive a primo ſive ſexto Alexandri anno computari debeat, quod nobis in hoc argumento occupatis perinde eſt, obtinuiſſe inter Judæos tempore Chaſmonæorum. Quæ cum ita ſint, non dubitamus annum in Nummo noſtro ſignatum fluxiſſe ſub imperio Regis Jannæi: aptiſſimo tempore, quo libertas populi Judaici reſtituta poteſtatem fecit illi qui rerum potiebatur, Nummos cudendi. Adde quod iſta ætate mos invaluerat apud Syros, & Ægyptios, gentes Judæis nimium vicinas cognitaſque, numerum anni, quo cuſi eſſent, ex vulgari numerandi ratione nummis inſcribere. Quam conſuetudinem, quum Numiſmata Antiochi, Demetrii, Alexandri, Ptolomæi, aliorumque (quæ Tuum Cimeliarchium continet plurima) abunde Te docere poſſint, ego pluribus non confirmabo. Ad exemplum harum Gentium Haſmonæos æram inſcripſiſſe Nummis ſuis, vel pleriſque vel omnibus, mihi admodum fit vero ſimile. Scrupulum forte alicui injiciet, quod dixerim שנתא *Annum* ſignificare, quum Hebraice שנת vel שנה *Annus* dici ſoleat. Quod quidem non infiteor; ſed dialectum eo tempore in Judæa uſitatiſſimam puram Hebræam fuiſſe pernego. Chaldaicæ enim & Syriacæ voces (quæ linguæ characterum forma magis quam ulla alia in re diverſæ ſunt) poſt reditum exulum Judæorum e Babylonia adeo fuerunt uſu communi tritæ, ut avita illa & purior lingua Hebraica in deſuetudinem fere abierit, & Lex Divina a populo intelligi vix potuerit, niſi in ſermonem Chaldæum transferretur; unde natæ videntur Paraphraſes illæ Chaldaicæ, quæ in manibus noſtris verſantur. Ex quo linguæ patriæ neglectu & mixtura cum aliis linguis nova quaſi dialectus Hieroſolymitana dicta, traxit originem. Eo autem tempore, cum Soſpitator noſter humana carne indutus in his terris verſaretur, ita invaluerat hæc conſuetudo, ut voces pure Syriacas magno numero non protulerint paſſim, ſed & Hebraicas illas appellaverint, quod adeo ipſis familiares eſſent; ut videmus *Joh.* 19. 13. 17. *Act.* 1. 19. & alibi. Quæ cum ita ſe habeant, quis neſcit Syros *annum* iiſdem literis ܫܢܬܐ dicere, Chaldæos autem שנתא dicere, Chaldæos autem, abſentia literæ *Nun* per *Dages* compenſata, שתא. Quamvis autem fatear animo meo non obverſari exemplum aliquod vocis שנתא ſcriptæ a Chaldæis ob defectum librorum ea ætate conſcriptorum, fieri tamen id per genium linguæ potuiſſe, & factum fuiſſe aliquando, ex eo colligo, quod Chaldæi dages forte etiam ſine neceſſitate in literam נ reſolvant. Exempla notiora ſunt, quam ut iis recenſendis te morari poſſim. Nec a Chaldæis tantum id fieri conſuevit; ſed a Syris qui pro Hebræis vocibus אתם & את ſcribunt ܐܢܬܘܢ & ܐܢܬ, ab Arabibus, qui Heb. אבוב legunt انبوب ab Æthiopibus quoque, legentibus pro Hebr. שנת & אתם, ሰንበት, & አንትሙ, Dages per *Nun* compenſato. Si quis tamen aſſentiri neget huic noſtræ explicationi, ob eam rationem quod exiſtimet annum convenientius rationi illorum temporum שנת quam שנתא dici, legat Inſcriptionem hujus Nummi hoc modo, שנת ארכד *Anno* 1224. & hos annos ſupputet ab Epocha Celeberrima Exitus Hebræorum ex Ægypto, quæ æra ab æra Contractuum mille annorum intervallo disjuncta eſt. א autem mille ſignificat, quod a voce שנתא demtum, numero רכד addi poteſt. Sic omnia pure erunt Hebraica. Hanc ego cogitationem, ut mihi in mentem venit, Te celare non poſſum, Vir amiciſſime, verum innumeris paraſangis ei priorem Explicationem præfero, quam ſolam genuinam eſſe mihi perſuadeo. Sed video mihi, antequam huic Inſcriptioni valedicam, rationem red-

dendam

dendam esse lectionis meæ, quamvis eam omittere possem ad exemplum Magnorum virorum, qui Nummos Veterum Hebræorum explicuerunt, & satis mihi conscius sim vix aliquid a me dici posse, quin homines quidam, qui aliis adversari amant perpetuo, aliquid reponere possint. Me tamen non pudet eam viam, quam inii, Tecum candide communicare, ut ipse videas, quibus fundamentis meæ conjecturæ nitantur. Quid Prima litera hujus Inscriptionis Schin sit, dubium non est. Eadem enim figura Alphabeto Samaritano, quod Illustris Scaliger protulit, & alibi, cernitur: quamvis, qui hodie supersunt Samaritani dentes hujus literæ, quos vocant, adeo non protendant, uti in Epistolis Samaritanorum ad Cl. Ludolfum datis, & Alphabeto, quo conscriptus est Pentateuchus Samaritanus in Bibliotheca Vaticana latens, videre est, apud Villalpandum & Bartoloccium. Secunda litera *Nun* est. Conferatur Alphabetum Vaticanum, & illud Scaligeri, ac eadem hujus literæ figura in Nummo nostro quarto ita depicta ut quam proxime ad hodiernam istius literæ figuram accedat. Tertiam *Thau* esse Hieronymus testabitur, qui in *Comment.* ad *Ezech.* literam Samaritanorum *Thau* crucis figuram referre tradit, qua forma etiam conspicitur in Alphabeto Samaritano antiquissimo, quod sibi Mantuæ visum refert R. Azarias in מאור עינים. Nec forma crucis adeo recedit ab hodierna figura literæ Samaritanæ *Thau*, ut multi clamant, qui ob dissimilitudinem harum formarum incertam esse omnem lectionem antiquorum Characterum Samaritanorum affirmant. Figuram, & forte notationem, eandem habet litera quædam Punica (inter Punicas autem & Samaritanas literarum formas maximam intercedere cognationem diu observatum fuit) conspicua in nummis Siculis, Sidoniis, Tyriis, Africanis & aliis. Tuum Cimeliarchium tres nummos possidet Phœniciis literis insignitos, in quibus hæc forma crucis evidenter apparet. Inspice etiam Bernardum Aldrete, *Varias Antiquedades de España, Africas, y Otras provincias*, qui *pag.* 178. Nummos plurimos exhibet characteribus Punicis conspicuos, in quibus litera illa crucis imaginem referrens, aliquoties cernitur. In Sicilia quoque Perutæ *Tab.* 13. & 14. & 92. in Nummo *Antioch.* IV., Regis Syriæ, quem Cl. Vaillant. *pag.* 200. exhibet, ejusdem figuræ litera Phœnicia conspicitur. Sed de litteris Punicis forte alias Tibi conjecturas meas perscribam. Redeundum est in viam. Quarta litera *Aleph* est, quod constat inter Eruditos. Quin-

tam jure pro *Resch* ex Alphabeto Azariæ satis videtur posse colligi, quamvis non negem in Nummo nostro spatium quod inter duas lineolas est lineola plana incumbente clausum non esse, ut videtur fieri debuisse. Sed ipsius Nummi contemplatio docere videtur lineolam istam erasam esse, quod eo facilius contingere potuit, quo propius hæc lineola ad limbum nummi accessit. Finge tamen non esse erasam lineolam. Constare nihilominus poterit vera forma hujus literæ. Videmus enim in quibusdam Nummis & scriptis Codicibus Samaritanorum literas nonnullas E. G. *Daleth*, *Cheth*, & *Mem*, superne linea incumbente claudi, in aliis vero apertas relinqui. Cujus ego rei exempla Tibi exhibere paratus sum, cum Te Trajectum & domus mea iterum exceperit, tanto hospite futura felicior. Certe ego confiteor me nullius literæ formam nosse, quam nostra exactius referat, quam literæ *Resch*. Sequentem characterem pro *Chaph* habeo, maxime quum ejus imaginem in Inscriptionibus Nummorum nostrorum Secundi, & Tertii contemplor (quæ cum hoc primo conveniunt) & illam cum figura literæ *Caph* in Alphabeto Samaritano, quo Scaliger usus est, confero. Ultima litera mihi *Daleth* esse videtur, pro qua diu habuerunt Viri Eruditi formam literæ ab hac nostra non multum diversam, in explicatione Nummorum, qui vulgo pro Siclis habentur, de quibus jam non dicam, quamvis non diffitear omnes qui & in hac Urbe & alibi a me visi sunt, dubiæ, si non malæ, fidei, a me haberi. Atque ita vides, Vir Eruditissime, quæ me rationes impulerint, ut eo quo explicui modo nummi nostri unam Inscriptionem explicarem. Accedo ad illam, quam altera pars Nummi primi, calice impresso conspicua, exhibet. Continet illa, quantum ego assequi valeo, has literas Hebraico charactere quadrato sic scribendas, לנאלה מיון, quarum sensus est, *Propter* sive *ad memoriam Liberationis a Græcis*. Scilicet ea ætate, qua cusum fuisse hunc nummum credimus, excusserat populus Judaicus jugum a Syris impositum, avitæ Libertati restitutus fortitudine Chasmonæorum, uti fuse in Libris Machabaicis, Josephi, & aliis traditur. In signum vero Libertatis recuperatæ Nummos ejus indices cuderunt, quod populo non licuit in alienam potestatem redacto. Jus autem cudendi nummos reddidit Judæis Antiochus Demetrii filius, quum Simon Dux & Pontifex Maximus esset Hebræorum, una cum aliis privilegiis, quæ ab Regibus Syriæ, qui ante ipsum regnarunt, ablata fuerunt, & id

id de novo firmavit. 1. *Maccab.* 15. *verf.* 5. & 6. Infcriptio numifmatis noftri ut clarius intelligatur, fciendum eft Reges Syriæ, a quorum oppreffione Chafmonæi populum Judaicum liberarunt, dici confuevifse apud Judæos מלכי יון *Reges Græciæ*, & ipfum Regnum מלכות יון *Regnum Græcum*, quia Imperii Græci, qua extenfione id fuit fub Alexandro Macedone, partem non exiguam poffidebant, & fe folos legitime fuccedere Alexandro in Imperio gloriabantur. Unde in Nummis Seleuci Nicatoris caput Leonino rictu armatum, & Jovis effigies, crebro confpiciuntur. Illud in nummis Amyntæ, Philippi & Alexandri Magni, qui ab Hercule genus ducebant, frequens eft, quod imitatus eft Seleucus. Hæc, Jovis effigies, in Nummis Alexandri fæpe confpicienda, quod fe παῖδα Διὸς haberi vellet, a Seleuco quoque adoptata eft, qui fe verum Alexandri fucceflorem credi volebat. Quare mirum non eft regnum Syriæ Græcum a Judæis dictum effe. Adde Syros lingua Græca ufos fuiffe, quod Seleucus Nicator edicto publico juffiffe dicitur, qua lingua etiam Infcriptiones omnium Nummorum cuforum fub Imperio Regum Syriæ, confcriptæ funt, fi paucos excipias a Tyriis & Sidoniis vulgatos, in quibus literæ Phœniciæ inveniuntur. Sed juvabit forte ipfos audire Judæos id affirmantes. Hæc verba funt Auctoris סדר עולם Chronici antiquiffimi. ר' יוסי אומר מלכות פני הבית שלשים ורשנה מלכות יון מאה ושמונים מלכות בית חשמונאי מאה ושלש: *Imperium Perfarum, inquit R. Jofe, duravit ftante Templo triginta quatuor annos, Imperium Græcorum centum & octoginta, Regnum familiæ Chafmonæorum centum & tres.* Paulo poft. ואלו הן שמונה מלכי יון אלכסנדרוס מקרון פירטון שלימון סליקס סנטרוק אנפיוח אנטיוכס גסקלום: *Hi funt octo Reges Græcorum, Alexander Macedo, Perdiccas,* (ita lego פירטק) *Selemon* (conjicio corruptum hoc nomen pro *Eumene* pofitum tranfpofitis literi & ל in א verfo) *Seleucus, Caffander* (ita puto legendum effe ק poftpofito quod præponi debuit) *Antiochus, Antiochus, Gafcelus.* Hoc ultimum divinare neque, nec id jam ago. Nomina hæc, ut vides, corruptiffima funt, vix nifi ex conjecturis reftituenda, fatifque oftendunt quam Judæi in Hiftoriis externarum gentium cæcutiant. Demonftrant tamen illa, non unum tantummodo Alexandrum Regem Græcorum a Judæis dictum effe, fed & Seleucum, Antiochum, & alios. Ita in Gemara Avoda Zara & in Rosh hafchanah *cap.* 1. מלכות יון pro Imperio Syrorum, in Gemara Taanith *cap.* 2. Nicanor dux יונים, in Sepher Hakkabbala Antiochus מלך יון & fexcenties alibi. Erunt tamen forte, qui per vocem יון *Javan* Græciam vel Græcos intelligi fatebuntur, fi addatur vox מלכות vel ארץ, hoc modo, ארץ יון, מלכות יון *Regnum Javan*, id eft, *Græciæ, Terra Javan &c.* fed negabunt יון *Javan* nude poffe fignificare regnum Græciæ, aut faltem duram effe illam loquendi rationem. Ut & iftis fatisfiat, obfervamus, in Sacro Codice, *Jef.* 66. 19. יון *Javan* non adjecto alio nomine legi, & in Verfione Græca Alexandria per ἑλλὰς, ab interprete vulgato Latino *Græcia*, explicari. *Ezech.* 27. 13. de Tyro dicitur, יון *Javan* (quod aliter verti vix poteft, quam per vocem Græci, aut natio Græcorum) *Tubal & Mefech erunt mercatores tui.* Verfio Græca Alexandrina (vulgo τῶν LXX.) ἡ ἑλλὰς *Græcia* καὶ ἡ σύμπασα (legiffe opinor interpretes חבל quæ vox ab iis modo οἰκουμένη, modo ἡ σύμπασα, ut hic ita & *Nah.* 1. 5. transfertur, notatque orbem habitabilem) καὶ τὰ παρατείνοντα (crediderunt effe nomen appellativum a משך, παρατείνειν) αὐτοὶ ἐνεπορεύοντό σοι. Sed quum Clariffimus elapfi fæculi Philologus S. Bochartus hunc textum de *Javan*, urbe quadam Arabiæ, agere exiftimet, (quamvis non diffitear me diffentire hac parte a Viro Maximo) alium addimus, *Zach.* 9. 13. ubi hæc legimus, על בניך יון fuper filios tuos, o Javan, id eft Græcia. Vox יון, Javan, itaque ufitata eft pro gente, ut Affur, Canaan, Mifraim & aliæ. Quæ nomina ita folent ufurpari, uti in noftris Numifmatibus vox Javan, eadem fcilicet phrafi, qua *Mich.* 5. 5. dicitur הציל מאשור, *liberabit ab Affur*, id eft, imperio Affyriorum, & 2. *Sam.* 7. 23. פרית לך ממצרים *redemifti* (Ifraelitas) *Tibi a Mizraim*, id eft, ab imperio Ægyptiorum, ita ut Tuus jam fit populus & libere tibi ferviat, qui olim ferviit Ægyptiis. Quidam transferunt illud ממצרים, *ex terra Ægypti*, nec ego repugnarem, nifi fequentia verba גוים ואלהיו aliam verfionem poftularent, ita vertenda noftro judicio cum antecedentibus: *Redemifti* (afferuifti five liberafti eos) *Tibi ab Ægyptiis, gentibus & idolis eorum.* Quæ nifi ita transferantur (poffunt autem commode) fenfum hiulcum pariunt, qui voce adjecta repleri debet. Verfio Græca huic textui lucem non adfundit. Habet enim οὓς ἐλυτρώσω σεαυτῷ ἐξ αἰγύπτου ἔθνη καὶ σκηνώματα. Peffimo fenfu. Legerunt pro ואלהיו & Deos eorum, ואהליו & σκηνώματα, tentoria, eorum. Sed de his fatis. Vox גאלת, quæ in Infcriptione noftra legitur, aptiffima fane eft ad denotandam Vindicationem illam Illuftrem populi Judaici, unde & in *Pfalmo*

106.

106. *verſ.* 10. & alibi legitur, quum de liberatione Hebræorum ex Ægypto agitur. Ita in Talmude, Gemara Rosh haſchana *cap.* 1. בניסן נגאלו ישראל ובניסן עתידין ליגאל: *Menſe Martio liberati ſunt Iſraelitæ & Menſe Martio liberabuntur iterum*, a Meſſia. Præterea in hac voce aliquid invenio, quod ad rem præſentem mire facit; quod ſcilicet jus נאלה *redemtionis* ſub V. T. popoſcerit redemtionem fieri a fratre conſanguineo *Deut.* 25. qui viduam a fratre relictam duceret, ejuſque נאל diceretur. Pari ratione, quum Eccleſia Judaica quaſi vidua a Juda Maccabæo relicta eſſet, defendendam eam ſuſcepit frater Jonathan, mortuo Jonathane Simon, & quum fratres deficerent, ſanguine proximi rem publicam Hebræorum & legibus & armis confirmarunt. Ad hoc attendiſſe Autorem hujus Inſcriptionis eo facilius crediderim, quo magis conſtat circa tempora cuſi hujus numiſmatis uſitatos fuiſſe tales loquendi modos, quibus Viri Eccleſiæ aut Politiæ Judaicæ præfecti Mariti illius, quaſi Uxoris, dicti ſunt. Joſua Ben Perachiæ, qui in Juchaſin dicitur vitam produxiſſe uſque ad tempora Alexandri Jannæi fil. Hyrcani, fugerat in Ægyptum (fabulatur R. Abraham ben Dior Chriſtum cum eo fugiſſe, quod rationibus temporum repugnat) & illic a Collega ſuo Simeone ben Shetach Epiſtolam accepit quaſi nomine Urbis Hieroſolymitanæ conſcriptam שני ירושלים עיר הקהש ליכי אלכסנדריא של מצרים בעלי שרוי בתוכך ואני יושבת שוממה: *A me Hieroſolyma, Urbe Sancta, Tibi Alexandria quæ in Ægyptos es (ſalus dicitur) Maritus meus in medio Tui commoratur, ego autem ſedeo deſolata.* Juchaſin. fol. 4. col. 5. Vides ut Urbs virum in re publica Judaica maximum, Præſidem Synedrii, maritum ſuum blando nomine appellet, ſe autem quaſi viduam deploret. Sed ad Nummi noſtri Inſcriptionem redeundum eſt. Non debet quenquam offendere vocem יון *Javan* pro regno Græco a me accipi, licet nomen proprium viri ſit, quum & Mizraim, Edom, Canaan, Aſſur, nomina virorum ſint, iſtis tamen populis & regnis tributa, quorum auctores extiterunt. Hæc de Explicatione hujus Inſcriptionis dicenda habuimus; reſtat ut, quem admodum ante a nobis factum eſt, ſingularum literarum rationes tradamus. Prima *Lamed* eſt. Nihil mihi videtur certius. Omnia enim Alphabeta id firmant. Altera *Gimel*. Confer Alphabetum Vaticanum & R. Azariæ. Tertia *Aleph*: duæ ſequentes *Lamed* & *Thau*. De iis antea diſputavimus. Sexta, ut quod verum eſt confitear, diu me ſollicitum habuit. Quum tamen vox præcedens נאלה ſoleat poſcere literam *Mem* præfigendam voci ſequenti, ut illi norunt qui ſtudia Hebraica vel a primo limine ſalutarunt, & literæ vocis præcedentis & ſequentis ſatis claræ mihi videantur, non poſſum non illam pro *Mem* habere. Et, niſi vana mihi imaginatione blandiar, videor ſimilitudinem aliquam in trino apice, qui literæ Samaritanæ *Mem* (uti illa vulgo hodie ſcribitur) tribui ſolet & flexu trium lineolarum, qui in hac litera Nummi noſtri cernitur, deprehendere. Hæc ejuſmodi ſunt, Vir Amiciſſime, ut diſtinctius ab animo meo concipi, quam Tibi ſcripto explicari queant. Quum mihi habitur Te coram poſſe alloqui, calamo ſimilitudinem ductuum in utraque figura, ut mihi illa apparet, exprimere non recuſabo. Invenies quoque figuram literæ *Mem* ad noſtram propius accedentis, in dimidio Siclo Kircheri. Certe hanc literam a me pro *Mem* haberi, non ægre ferent illi Viri, qui figuram M, Latini & M μ Græci (uti omnium literarum Græcarum & Latinarum) a forma Samaritanorum characterum ducunt, nam utriuſque *Mem* veſtigia certiora in hac noſtra figura, quam in typis vulgaribus, invenient. Septima *Jod* eſt, ut ex Alphabeto Azariæ liquet, eamque ita appellarunt Villalpandus, Kircherus & alii. Per octavam *Vau* debere intelligi figura ejus non multum diverſa ab impreſſis in Polyglottis Anglicanis, & Alphabeto Vaticano, mihi perſuadet. Ultimam literam *Num* eſſe, manifeſtum fit ex iis quæ de illa figura antea notavimus. Ut vero de impreſſa figura calicis aliquid addamus, credimus nos quidem illum eſſe Symbolum Gratiarum actionis, quam pro recuperata Libertate auſpiciis Chaſmonæorum Deo reddebant Judæi. Eo nos ducunt verba Scriptoris ſacri *Pſ.* 116. *verſ.* 12. & 13. *Quid reddam Domino pro omnibus beneficiis quæ in me contulit?* כוס ישועות *Calicem ſalutum elevabo & invocabo nomen Domini*. Chaldaica Paraphraſis Pſalmorum habet כסא דפרקניא *Calicem liberationum* ſeu *Vindicationum* פרק unde ducitur vox פורקנא ſæpe a Chaldæis adhibetur, ut exprimat Hebræum גאל *Exod.* 21. 8. *Deuter.* 13. 6. *Jud.* 16. 14. *Pſ.* 106. 21. & alibi. Sic Calix nummo noſtro impreſſus erit כסא דפורקניא Calix magnæ illius ſalutis partæ per Chaſmonæos, Calix נאלה, Vindicationis (quæ vox in Nummo noſtro legitur) populi Judaici a tyrannidæ Græcorum. Hæc de Nummo noſtro primo habui dicere. Secundus & Tertius eaſdem literas præferent,

Ni vetus ipsa dies extenuasset opus.

Ab his enim literæ quædam absunt, sed e primo restituendæ. Ab una parte Nummi Secundi absunt duæ literæ priores *Schin* & *Nun*. Reliquæ e conjecturis nostris supra expositis intelligi possunt. Altera pars nummi duabus quoque literis caret, quos e collctione cum Nummo primo facile intelligimus esse *Lamed* & *Gimel*. Abest quoque ab litera ultima linea quæ in Inscriptione Nummi Primi manifesta est. In Nummi Tertii facie una literæ eædem, que in Nummo primo, sunt conspicuæ, omnes demta ultima quæ forte, uti in Primo & Secundo, *Daleth* fuit, vel alia quædam, quod incertum est. Caret altera facies hujus Nummi tribus literis *Mem*, *Jod* & *Nun*. Quartus Nummus vas aliquod sacrum, ut conjicimus, ab una parte exhibet, & literæ circum illud conscriptæ vocem שנחא, *Annum* efficiunt, uti nos quidem existimamus. Ultima litera, fateor, in nummo magis accedit ad figuram literæ *Schin* quam *Aleph*. Sed in forma hujus nummi & dispositione characterum multa notamus inordinata, unde facile *Aleph* in hanc figuram degenerare potuit. Si tamen quispiam illam figuram pro ש habeat, legat... ש שנת *Anno trecentesimo &*.... Plures enim literas adfuisse vestigium unius ad sinistram emicantis ostendit. Sed hæc lectio nobis minus probatur, quum hic annus in seriora tempora incidat, & ex aliis Nummis persuasum nobis sit שנחא legi oportere. De Inscriptione, quæ in altera facie Nummi Quarti legitur, quamvis tres literæ satis clare extent, vix aliquid affirmare audeo. Verum si & alii Nummi Veterum Hebræorum literis hisce, quas Samaritanas appellamus, insigniti ad manus meas perveniant, e quibus defectus harum literarum suppleri possit, promitto me cogitationes meas ad Te missurum esse. Non possum tamen, quin ex occasione horum Nummorum Te moneam, Spectatissime Wildi, me in ea sententia versari, Nummum nostrum primum ab utraque parte eandem Inscriptionem præferre, quam præfert Nummus ille celeberrimus, qui a Villalpando, Kirchero & aliis creditus est a Samuele Propheta cusus. En Tibi nummi imaginem, stupendæ, ut fertur, antiquitatis, e Villalpandino opere expressam, e quo alii eam hauserunt. Confer hunc Nummum Villalpandinum cum Nostro primo, & videbis tractus literarum non admodum dissimiles. Quamvis in Villalpaldino multæ literæ desint temporis injuria erasæ quæ in nostro integræ exhibentur. Vir Summus literas ab una facie nummi, qua fascis frugum est, legit . . . ב . . . שמוא Censetque plene legendas esse שמואל נביא *Samuel Propheta*. Miror equidem, quod pace manium tanti Viri scripserim, qua fiducia quispiam ex quinque istis literis superstitibus fingere possit talem Inscriptionem, quæ tam parum est probabilis. Quis enim credat Nummos ætate Samuelis cusos esse, & æreos tantæ vetustatis superesse? Adde quod eæ literæ rectius legantur שנחא, *Anno &c.* cujus lectionis rationes ante dedimus. Et literæ pars, quam pro ב habet Villalpandus, videtur pars esse literæ Daleth, eo loco in nummo nostro primo conspicuæ. Eam tamen explicationem Villalpandi secuti sunt Viri plurimi, & firmiter sibi persuaserunt nummum a Samuele Propheta esse cusum. Multa quidem Viri docti observarunt ab eo tempore ad labefactandam autoritatem hujus nummi, quos inter præcipuos Hottingerum & Conringium nominasse sufficiet, quæ quia satis nota sunt, præterimus. Hoc addimus, Samuelem, dum in vivis fuit, non fuisse appellatum נביא *Prophetam*, sed ראה *Videntem*, quo nomine a Saule quærente asinas patris sui indicabatur. Textus Sacer expresse 1. *Sam*. 9. 9. *Antiquitus in Israele sic dicere solebat unusquisque, quum iret consultum Deum, Agite, eamus ad Videntem. Nam qui Propheta hodie, antiquitus appellabatur Videns.* Et *vers.* 11. *Ascendebant clivum civitatis, & invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt illis; Estne hic Videns?* Confer 2. *Sam.* 15. 27. Unde patet Inscriptionem illius Nummi male ad tempora Samuelis referri. Sed quid diutius ei inhæremus, quum prorsus quid aliud ea significet, & eandem cum Nummo nostro Inscriptionem exhibeat? Credo ego, quamvis demonstrare non possim, (cum ἀρχέτυπον Numisma, cujus ἔκτυπον dedit Villalpandus, a me nunquam visum fuerit) imaginem fasciculi frugum satis obscure depictam in ἐκτύπῳ non diferre re ipsa a Palma quæ in nummo nostro conspicitur, & illa, quæ vasa esse duo Villalpandus existimavit, balanos e Palma dactylifera pendentes, & fere ad subjectum solum pertingentes esse, quæ figura in Nummo Siculo Perutæ quoque conspiciuntur. Altera facies nummi Villalpandini inscriptionem præfert, quæ, eodem interprete legenda est נגאלת לצום *Redemtus es jejunio*. Qui modus loquendi quum genio linguæ Hebraicæ adversetur, nos in ea ulterius refutanda operam non ponemus. Illa Inscriptio eadem est cum Inscriptione nummi nostri primi

לגאלת מיון, & fatemur nos ignorare, ut alia prætereamus, qua ratione primam literam pro Nun, ultimam pro Mem, habuerit. Certe ex nostro Nummo primo invicte puto demonstrari hunc nummum a Cl. Villalpando, & qui ejus vestigia secuti sunt, injuria Samueli Prophetæ tribui, quum literæ, quæ e Nummo Villalpandino detritæ sunt, in nostro autem extant, clarissime contrarium evincant. Ita vides, Vir Eruditissime, ut non nostris tantum, sed & aliis nummis explicatio nostra lucem fœneretur. Deprehendo enim plurimas inscriptiones Nummorum Samaritanorum his nostris aut alterutri harum similes esse & indicium anni, quo cusi sunt, in plerisque adnotari. Conspicies id, ut unico saltem id exemplo confirmem, in Inscriptione Nummi quem e Cimeliis Ludolfianis depromtum Cl. Cellarius æri inscribi curavit *pag.* 41. Histor. Samarit. quem Tibi hic exhibeo. De illa parte quæ has literas לחורות ירושלם, idest, *Libertatis Hierosolymitanæ* (restitutæ) continet, jam non ago, sed ad alteram velim Te attendere, in qua forma ædificii expressa est. Literas tres שנת, etsi tertia tantum dimidia sit, & forte adfuerit א post ת, quamvis & abesse possit, annum & tres literas e regione harum collocatas numerum anni notare nullus dubito. Sed manum de tabula. Nec enim nobis propositum est hac Dissertatione omnes nummos Veterum Hebræorum, quos vulgo Samaritanos appellamus, illustrare, sed fidem solvere quam dederamus nos conjecturas nostras, de Inscriptione quatuor Nummorum de quibus inter nos sermo fuerat, Tibi tradituros esse. Si quidam Tibi hæreant scrupuli, eos eximere tentabimus, ubi nos istius rei certiores feceris. Atque ita vides, Vir optime, sensum harum Inscriptionum enodatum, qui & genio linguæ, & statui reipublicæ Judaicæ apprime convenit. Quæ si Viro Eruditissimo Othoni Sperlingio & visæ, & examinatæ fuissent, benignius forte de Inscriptionibus Nummorum Judaicorum tulisset judicium, quam prodidit in egregia illa Dissertatione *de Nummis non cusis*, ubi *pag.* 101. *edit. nup.* hæc legimus: *Æstiment hos nummos quicunque velint, torqueant se Viri doctissimi in illis explicandis, oleum & operam se penitus perdidisse tandem videbunt, spero, tam absurdæ sunt & insulsæ inscriptiones illæ omnes, ut nihil in re nummaria occurrat stolidius.* In ea enim opinione versatur Vir Doctus, non Siclos tantum, quod facile ipsi dedero, sed & nummos omnes, qui Samaritanas aut Hebræas literas præferunt, confictos esse a recentioribus lucri faciendi gratia, & nullos omnino nummos a Judæis, etiam stante Templo Secundo, cusos fuisse, quæ illa sententia est quam supra, quum ad manus meas nondum pervenerat liber Viri Clarissimi, credebam a nullo negandam fore. Sed ubi rerum testimonia adsunt quid opus est verbis? Aut quatuor hi nummi, de quibus egimus, genuini sunt, aut nulli prorsus. Ipsa enim inspectio facile quemvis persuadet. Atque ita non a Te tantum, rei nummariæ peritissimo, sed & aliis, habiti sunt, qui in hoc studio sunt versatissimi. Accedit, quod non ita pridem e Syria allati sint ab homine, qui nulla spe lucri permotus & pretii plane ignarus hæc una cum aliis effossa Numismata in Palæstina facile a se impetrari passus sit, quum sibi inutilem hanc esse supellectilem diceret. Et, quid quæso repugnat, quo minus nummi ab Hasmonæis cusi sint, quum illorum cudendorum licentiam eis datam ipse Cl. Sperlingius confiteatur, & eodem tempore a vicinis gentibus Syris & Ægyptiis nummi sint signati? Certe eodem jure omnes nummi cusi Syrorum ea ætate pro adulterinis haberi queunt. Hæc ita conscripseram, Vir Amicissime, quum deprehendi sententiam meam, quam supra exposui *pag.* 6. & 7. de ætate nummorum signatorum, adversari e diametro opinioni Viri Eruditi, cujus autoritas Te forte in partes suas raperet, nisi aliquod reponi posse illius Viri argumentationibus breviter pro ratione instituti mei ostenderem. Quem innuo, *Fortunatus Schacchus* est, qui signatæ monetæ usum inde ab Abrahami ævo inter Hebræos fuisse adeo certum putat ut *Lib.* II. *cap.* III. *Myrothec. Sacror. Elæochrism.* dicat, illos, qui id negant, media in luce cœcutire. Videamus, quid Eruditissimus Scacchus ad firmamentum suæ sententiæ proferat. *Monetam signatam*, ait Vir Doctus, *antiquitus apud Israelitas fuisse, sacra oracula tradunt, ut ex variis monetarum nominibus aperto convincitur argumento. Nam talentum* ככר *Hebraice dicebatur: Sicel vero vel Siclus Latinorum Hebraice* שקל *appellabatur. Obolus minimum monetæ genus Hebraice* גרה *dictum fuit. Et quidem inter reliqua minutissimus erat obolus, quamobrem tantum æreum legimus obolum extitisse: at siclus æreus, argenteus & aureus reperitur, sicut etiam talentum auri legimus talentum argenti atque talentum æris. Cumque hæc monetarum nomina & distinctio usque a temporibus Mosis in Sacris Oraculis legantur, illarumque usus non solum pondere, sed etiam numero frequens fuerit, perspicuum est pecuniam non rudibus tantum metalli frustulis distingui consuevisse, sed etiam signis*

quæ

quæ valorem indicarent. Ego autem in nominibus nummorum a Scaccho recensitis nullum indicium signati nummi deprehendo, sed contrarium potius; quo nos ducere videntur nomina, ככר *ciccar*, quod *massam* simpliciter significat, שקל *Schekel*, quod nil aliud quam certam speciem *ponderis*, גרה *gera*, quod *minutum* pondus, vigesimam sicli partem, notat, ut docemur *Exod.* 30. 13. & *Ezech.* 45. 12. Nihil hic de signo impresso. Certe primam vocem ככר certum pondus, non signatam monetam notare ex eo liquet, quod 1. *Reg.* 10. 14. legamus ויהי משקל הזהב, *& erat pondus auri, quod uno anno Salomoni proveniebat, sexcenta & sexaginta sex* ככר *ciccar auri*, ubi manifesto *ciccar* species ponderis esse deprehenditur, *vers.* 10. ejusdem capitis Reina Schebæ dedisse legitur Salomoni 120. ככר זהב, *ciccar auri*. Num & illa in regno suo monetam eodem modo signatam habuit, quo ככר esset apud Hebræos, vel ejusdem ponderis? Credat, qui volet. Ego ita intelligo, dedisse eam tantum auri, quantum æquaret pondus 120. ככרי זהב apud Hebræos. Altera vox שקל, quum *pondus* notet, pro nobis facit, & pro pondere habita fuit 1. *Sam.* 17. 5. משקל השריון חמשת אלפים שקלים *Pondus loricæ erat mille siclorum vers.* 7. 2. *Sam.* 14. 26. *Pondus capillorum capitis* (Absalomi) *erat* 200. *siclorum*, & alibi. Quod additur de Siclo, qui non tantum nummus argenteus fuerit sed æreus & aureus, facilius dicitur quam probatur שקל זהב non notat monetam auream signatam, sed quantitatem ponderis. Atque ita in reliquis. Sed, dicet Vir doctus, distinguuntur hi nummi variis nominibus, adeoque oportet illos signo aliquo distinctos fuisse. Sufficit eos pondere, a Deo definito, & magnitudine distinctos fuisse: non erat necessarium eos impressa imagine discernere. Eadem ratione apud Chinenses aliasque gentes, quibus nummi non signati hodieque in usu sunt, nummi quidem varia habent nomina & distinguuntur, sed solo pondere, unde stateram secum mercatores circumferunt, qua id examinent. Deinde sententiæ suæ præsidium quærit in testimonio Josephi *l.* III. *Antiq. cap.* 1. qui describens prælium inter Josuam & Amalecitas, multum auri & argenti inventum fuisse in castris Amalecitarum tradit, vasa ærea, πολὺ δὲ ἐπίσημον πλῆθος ἑκατέρων, vertente Scaccho, *magnum etiam pecuniæ ex utroque metallo signatæ numerum*, quo textu ita firmat opinionem suam. *Quia*, inquit, *dicitur in illis castris inventum aurum & argentum, de metallis signatis non improbabiliter intelligitur; juxta ea quæ etiam in Sacris Literis scribuntur, & auri argentique signati usum etiam multo ante quam æs apud Romanos signaretur, apud Amalecitas & Israelitas demonstrat*. Non heic agam de significatione vocis ἐπίσυμον, quam non ignoro pecuniam signatam, distinctam ab ἀσήμῳ, vulgo significare, sed quæ tamen æque frustula quædam auri & argenti non signata sed magnitudine sua & pondere distincta, notare potest; & sæpe metalla probata significat, ita ut ἐπίσημον & κίβδηλον sibi opponantur. Concedamus tamen Scaccho, ἐπίσημον signatam sive impressa imagine conspicuam rem denotare, quum ita vulgo ea vox intelligatur; quo sensu in Pollucis Onomast. *lib.* III. *cap.* 10. post κόψαι νόμισμα, ἐνσημήνασθαι, τυπῶσαι, ἐντυπῶσαι, ἐντυπώσασθαι, scriptum est τὸ δὲ τοιοῦτον ἀργύρειον, ἐπίσημον ἐλέγετο ὡς τὸ ἐναντίον ἄσημον, quæ verba, in vulgatis editionibus non expressa, sed e MS. Codice restituta, nobiscum communicavit Vir Eruditissimus & amicus meus singularis, cujus industriæ Pollux vitam & animam debet, J. H. Lederlinus. Quo modo & Scholiastes Euripidi, ἐπίσημον ἀργύρειον τὸ κεχαραγμένον, καὶ ἄσημον τὸ μὴ κεχαραγμένον. Sit itaque ἀργύρειον ἐπίσημον *argentum signatum*. At quis demonstrabit per ἀργύρειον numismata, & non vasa argentea, quæ memorat Josephus, intelligi debere. Certe Pollux ibidem: Τὸ δὲ ἀργύρειον καλεῖται χρήματα καὶ νομίσματα, ὥσπερ καὶ τὸ χρυσίον. Et quis non videt Josephum scribere, argentum illud in castris Amalecitarum inventum esse, nequaquam, illud ab Israelitis signatum aut apud eos in usu fuisse? Qua porro auctoritate ea narrat Josephus, quæ in Sacro Codice *Exod.* 17. ubi hæc historia tradita est, non leguntur, & quæ tam longo sæculorum intervallo ante ejus tempora contigerant? Qui libri historici ab illa ultima antiquitate tunc supererant? Si e traditione πατροπαραδότῳ hæc habuit, potuisset ejus fidem adstruisse ut nos traheret in assensum. Pergit Eruditissimus Scacchus, scribens *memorari Genes.* 23. *& alibi Siclos argenti expresso illorum numero, quod negat de rudis argenti frustulis, nullo signo publico cusis posse intelligi, cum vox ista Siclus, quæ libram notat, determinatum argenti pondus significare debeat, at argenti rudia frustula determinatum illius metalli pondus non exprimunt*. Sed ego rationem non video ob quam vox *Siclus* de pecunia signata debeat intelligi. Fit mentio aliquot Siclorum: Fateor. Sed quid inde colligitur? Ergo Sicli fuerunt frustula metalli certo pondere nota & definita. Recte. Erat enim Siclus, pondus 20. Gerarum (nec enim jam tangimus litem

litem Philologicam de distinctione Sicli sacri & profani.) Argenti rudia frustula, dicet, non exprimunt determinatum metalli pondus. Quidni? Cum unum quodque frustulum fuerit 20. gerarum. Qui de pondere dubitabat, id ponderabat, unde in Sacro Codice fere ubique in emtione, venditione mentio ponderationis. Quod nostram sententiam mirum in modum firmat. Si enim moneta fuit signata, cur ubique legimus eam fuisse appensam? Dices, hodieque apud nos, pecuniam, licet, signatam appendi solere. Fateor. Id autem nec semper fit, nec cum exigua quantitas pecuniæ solvenda est, cum panis, cum alia, exigui pretii emuntur. Ita vero apud veteres Hebræos fieri consuevisse docemur in Sacris paginis. In eo fallitur Vir doctus quod credat per Siclum nos pondus aliquod incertum generatim intelligere, quum ipse Deus Sicli pondus ad 20. *geras* retulerit. Quæ pondera certe tunc temporis apud Israelitas notissima fuerunt. Quod ait Siclum *libram* notare, hoc nec a Sacro, nec a profano Scriptore, quod sciam, unquam fuit affirmatum. Contrarium docere potest unicus textus *Ezech.* 45. 12. qui maximam constituit differentiam inter Siclum & libram. Scacchus ubique *Siclum* ait haberi ab adversariis suis pro *libra*. Sed fallitur. Siclus dicitur esse *pondus* (non libra & *pondo*, quæ toto cœlo diversa sunt) idque certum, 20. gerarum. Unde robore destituuntur illa quæ urget, ex *Genes.* 24. ubi *armillæ Rebeccæ* dicuntur *æquasse pondus* (*Siclorum*) *decem*. Hic sensus esse non potest, ait, de pondere. Quidni? quia, pergit, insolens in armillis fuisset pondus decem librarum. Concedimus Scaccho tantum pondus armillarum insolens fore. Sed quis per Siclos decem intelligi debere decem libras affirmavit unquam? Nullus? quod sciam. Aliud libra, aliud Siclus est. *Siclus* significat vi etymologiæ, *pondus* a שקל ponderavit, sed nomen illud, quod notatione sua significare poterat quodlibet pondus, ita usurpatum & intellectum fuit ab Hebræis, ut tantum pondus aliquod determinatum E. G. 20. gerarum, significaret, uti λεπτὸν, quod ex etymologia sua certum nummum non designat, usu tamen illi designando aptatum est, ut, nummus, στατὴρ, ἀργύριον, &c. Citat porro Schacchus interpretem Latinum qui hæc verba textus Hebraici כסף עבר לסחר *argenti transeuntis ad mercimonium*, transtulit, *probatæ monetæ publicæ*. Ex quibus, inquit manifeste signatæ monetæ usum sacer textus demonstrat. Fateor me in ea non esse sententia, quam Rev. Scacchus prodit *cap.* 26. *lib.* III. hujus Operis, Hebraica Biblia vulgati interpretis autoritate esse corrigenda, adeoque, cum in textu Hebræo nummorum signatorum mentio non fiat, possemus hac sola responsione objecta diluere. Sed fingamus recte legi, *probatæ monetæ*, num hoc de sola pecunia signata intelligi debet? Ego quidem aliter existimo. Monetæ nomen æque convenit nummis rudibus ac signatis. Dicta enim a monendo est, quod spectatores suos de pretio suo moneat: an id pondere & figura non perinde ac imagine fieri potest? Denique textus quosdam e Sacro Codice profert, *in quibus* (ait) *Siclus non potest significare libram*, *ut quum* 1. Reg. 10. *Salomon sexcentos auri Siclos dedisse legitur*, *ut inde scutum unum conficeretur*. *Nec enim credibile est scutum unum* 600. *auri libras mole sua æquasse*. Sed nec id nos affirmamus, Siclum idem esse cum libra, adeoque hæc nos non tangunt, nec ullam rationem videmus quæ nos moveat, ut ab opinione nostra recederemus. Vale Vir amicissime, & me, quod facis, ama. Trajecti ad Rhenum. Idibus Decembribus MDCCI.

HADRIANI RELANDI
DISSERTATIO ALTERA
DE
NUMMIS SAMARITANIS.

ARGUMENTUM.

CAlix apertus in Nummis male pro urna mannæ habitus. Quam figuram urna mannæ habuerit. Fuit στάμνος *Hebr.* 9. 4. στάμνος idem est quod ἀμφιφορεὺς, sive amphora. Tale vas ansatum in Nummo nostro quarto ostensum. De usu amphorarum apud veteres varia; צנצנת quid? Amphora ob aures duas ὦτος, dicta. *Asellus* quid? Conjectura de occasione calumniæ Judæos asinum penetrali sacrasse. Amphora Mannæ num in Templo secundo fuerit, & quare Nummis inscripta.

Non displicuisse Tibi, Vir Amicissime, quæ de Inscriptione Nummorum quorundam Samaritanorum ante biennium literis ad Te datis disserui, est quod mihi summopere gratuler: Versabatur eo tempore mea qualiscunque industria in scrutinio literarum, quas Nummi præferebant, & labor meus præcipue positus erat in indaganda characterum ratione, & inscriptionis argumento. De Vase autem isto, quod impressum cernitur Nummo in Serie ante a nobis exhibita quarto, negligentius quam par erat me disseruisse equidem non eo inficias. Postulabat re vera vas adeo eleganti forma conspicuum disquisitionem singularem, & quidem eo magis quod nunquam ab ullo Nummum veterum Hebræorum exhibitum sciam, qui illud præferret. Verum, sive occupationes meæ in causa fuerint, sive meus nimis intenta literis minorem curam imaginum habuerit, sive nescio quo fato huc usque differri debuerit mea in hanc rem inquisitio, ut plenior & consummatior Tibi traderetur; certe damnum, quod negligentia nostra commissum est, animus est his literis quodammodo resarcire. Ut ergo sine multa verborum ambage mentem meam prodam, existimo hanc esse imaginem amphoræ illius, (vulgo urnam dicunt) quam Manna repletam Deus Sanctissimo loco Tabernaculi Sui, & dein Templi Hierosolymitani inferri jusserat, ut ad perpetuam memoriam populi Israelitici, hoc cibo pasti per complures annos in desertis locis, illic conservaretur. Quod mandatum Divinum scripto tradidit Moses *Exod.* XVI. 37. Ipsa forma elegantia vas esse arguit ad ornatum compositum, & dignum quod inter alia Sacrarii illius sive intimi penetralis Divini ornamenta, quæ summa arte & industria erant fabrefacta, locum haberet. Quod desuper tectum sit operimento, aliquid eo contineri indicare videtur quod pretiosum sit κειμήλιον. Plurimi quidem Viri Eruditi urnam Mannæ desuper apertam fuisse contendunt, ea ratione inducti, quod ita depingatur juxta illorum opinionem in Nummis quibusdam, inter quos & Villalpandinus est, cujus figuram ad Num. 5. Tab. I. exhibuimus. At illum calicem non esse urnam Mannæ multa evincunt. Primo enim in illo vase nihil contineri, aut certe non ultra dimidiam partem id plenum esse, ipsa docet Nummi inspectio. Nam in ipsius vasis concavitatem ad medium fere oculi nostri pertingunt. Quod si urnam Mannæ hac figura exprimere voluissent, aliquam Mannæ portionem oculis conspiciendam dedissent, & eoquidem facilius, quum vas apertum sit. Deinde quis non potius calicem esse & poculum, quam urnam judicabit? Hæccine figura urnæ est? At aptissima est imago calicis & poculi. Quod Symbolum quam conveniat Inscriptioni, literæ nostræ priores, ut puto, docuerunt. Denique quid simplicius, quid rationi & mandato Divino convenientius credi potest, quam urnam Mannæ superne tectam fuisse; ne vel ab ingresso Sanctissimum locum Pontifice Maximo, vel fabris in eum demissis (ut Judæi tradunt) si pars quædam hujus conclavis eorum operam postularet, vel ab ipso aere Atmosphærico per tot sæcula ei incumbente, aliquid materiæ heterogeneæ admisceretur. Suadere hoc etiam videtur nomen σαμνȣ; quo hoc vas appellatur ab Autore Epistolæ ad Hebræos, Græcos interpretes secuto. *Cap.* IX. 4. Quid autem στά-

ϛάμνος; Pollux *Onomasticis lib.* VII. *cap.* I. ϛαμνία & σϊάμνυς inter vasa vinaria numerat: Unde & phrasis Scriptorum mediæ Comœdiæ ei laudata καταστaμνίζειν τὸν οἶνον, id est, *vinum in* Stamnos *diffundere*, sive καπρᾶν, ut ibidem ea vox explicatur. Estne credibile illa vasa aperta fuisse, quum vino repleta erant, uti hoc vas Mannæ? Ita & Scholiastes ille Eruditissimus *Aristophanis* in Βατραχ. *Act.* I. *Sc.* I. ad versum:

> Ὅτ' ἐγὼ μὲν ὢν Διόνυσος υἱὸς Σταμνίυ.
> *Quod ego quidem, qui Bacchus sum filius Stamnii.*

Explicaturus quomodo Bacchus filius Stamnii dicatur, ὁ οἶνος, scribit ἐν Σταμνίῳ βάλλεται· ὁ δὲ Διόνυσος εἰς τὸν οἶνον ἀλληγορεῖται. Σταμνία δὲ καὶ Στάμνυς τὺς ἀμφορεῖς τῦ οἴνυ φασὶν. *Vinum in Stamnio fertur: Bacchus autem allegorice vinum significat. Stamnia vero & Stamnos appellant vini amphoras.* Eisdem fere verbis utitur idem Scholiastes ad Λυσιστρ. *pag.* 848. *edit. Aurelian.* Et Varinus Phavorinus in *Onomast.* ϛάμνυς τῦς ἀμφωρεῖς τῦ οἴνυ φάσιν, id est, ϛαμνυς *vini amphoras appellant*, & Autor Etymologicis Magni vice versa Ἀμφορεὺς τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον ϛαμνίον. *Amphora est* ϛάμνιον *utrinque ansatum.* Est ergo idem ϛάμνος quod ἀμφορεὺς & amphora; quam ita describit Isidorus in *Origin. cap.* 75. *pag.* 1733. *Amphora vocata quod hinc & inde levetur. Hæc Græce a figura sua dicitur: quod ejus ansæ geminatæ videantur aures imitari.* Sciluet ἀμφορεὺς Græce dicitur quasi ἀμφιφορεὺς, τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον ϛαμνίον, vas ab utraque parte auriculas habens, quibus portari poterat; uti ex Theocrito scribit autor, Etymologici Magni Hesychius: Ἀμφιφορῆας, ἀγγεῖα τὰ ἑκατέρωθεν ὦτα ἔχοντα. Amphoras vasa utrinque aurita. Utitur Homerus, in cujus scriptis veteris illa sermonis simplicitas & nativa puritas præ aliis elucet, ubique hac voce ἀμφιφορεὺς, pro qua alii ἀμφορεὺς per compendium dicere maluerunt. Ita *Iliad.* ψ. legimus:

> Χρύσεος ἀμφιφορεὺς, τὸν τοί ποτε πότνια μήτηρ.
> *Aurea amphora quam tibi dedit veneranda mater.*

Et operculo tecta fuisse amphoras, quod ad rem præsentem facit, luculentis verbis idem testatur, quum Telemachum ita introducit loquentem ad Euryclem *Odiss.* B.

> Μαῖ ἄγε δή μοι οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσιν ἄφυσσον
> *Nutrix age mihi vinum in amphoris hauri*

Et mox

> Δώδεκα δ' ἔμπλησον, καὶ πώμασιν ἄρσον ἅπαντας
> *Duodecim vero (amphoras &c.) imple & operculi adapta omnes.*

Quis ergo calicem illum apertum, ubi in Nummis cernitur ϛάμνον vel ἀμφιφορεὺς (quod idem esse evicimus) dicere queat? At cum vas illud Mannæ servandæ destinatum a Scriptore Sacro & antiquissimis Interpretibus Græcis σϊάμνος apelletur, concludimus id longe diversam ab hoc vase figuram habuisse. Quam ergo? dices. Tutissime videor responsurus, si figuram ϛάμνυ & *amphoræ* ei adscripserim vas illud utrimque ansatum quod in Nummo nostro quarto conspicitur ipsum illud vas exhibere; in quo Manna servabatur. Est enim ἀμφιφορεὺς, *vas duabus ansis instructum*, quibus commode portari potest, & desuper operculo tectum. Unde nihil obstare existimo, quo minus urnam Mannæ hujus figuræ fuisse opinemur, & pro *urna*, quæ proprie receptaculum cinerum est, uti Isidorus notat loc. cit. *amphoram Mannæ* dicamus. Cave existimes minus commode amphoram Mannæ dici propterea, quod amphoræ vasa vino recipiendo destinata fuerint non rebus aridis aut servandis cimeliis. Fateor sepissime huic usui inservire solitas, (unde propter vinositatem Xenagoras Rhodius ἀμφορεὺς sive amphora dictus est; & de Bonoso Imperatore jocus natus, *amphoram pendere non hominem* (verum & frumentum, quid autem erat Manna nisi frumentum ὀρανοπετής;) & alia continuisse novi. Notare lubet in hanc rem verba Juliani quæ leguntur lib. 206. ff. de V. S. *Vinaria vasa proprie torcularia vasa esse placet: dolia autem & serias tam diu in ea causa esse, quamdiu vinum haberent: cum sine vino esse desinerent in eo numero non esse, quoniam ad alium usum transferri possent: velut si frumentum in his addatur. Eandem causam amphorarum esse, ut cum vinum habeant, tum in vasis vinariis, cum inanes sint, tum extra numerum vinariorum sint, quia aliud in his addi possit.* Scilicet, ordinario quidem *vinum in omphoras hac mente diffunditur, ut in his sit, donec usus causa probetur* (ubi mallem *prometur* uti conjecit Cujacius *observ. lib.* 7. *cap.* 36.) *& in dolia conjicitur ut ex his postea in amphoras diffundatur*, teste Proculo *lib.* 15. *ff. de trit. vin. v. ol. leg.* de qua diffusione, an deffusione, vini ex doliis vel cupis in amphoras & cados videndi Cuja-

jacius *observ.* 7. 36. Turnebus in *Adv. lib.* 1. *cap.* 1. Salmasius in *Exercit. Plin.* 337. E quibus liquido patet non vinum tantum sed & res alias uti frumentum &c. amphoras recepisse. Martialis quoque Epigrammatum *lib.* XIII. *Ep.* 119. meminit aceti in amphoras transmissi:

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti.

Idem paulo ante Amphoram muriæ Epigr. 100. loquentem introduxerut. In Amphoris enim & muriam & sal fieri consuevisse Cato *de re rust. cap.* 88. docet. Ex eodem & Plauti *Casina Art. I. v.* 33. ut & agone amphonte (de quo vide Illustriss. Spanhem. *Epist. I.* ad Morell.) amphoram & aquæ recipiendæ destinatam fuisse apparet. Cato *de re rust. cap.* 8. amphorarum quoque olearium meminit: & constat victores in Panathenæis amphoris æreis, oleo repletis donatos. Quin & cineribus mortuorum recipiendis inserviisse nonnunquam amphoras Homerus testatur Iliad. ψ. ubi Patroclus petit ossa sua ἐν χρυσέω ἀμφιφορῆ recondi quod vas postea φιάλlω phialam appellat. Scholiastes Lycophronius id moris fuisse scribit, ut cineres eorum, qui extra Patriam obiissent ἐν κρωσσοῖς, καὶ λαρνάξι καὶ ἀμφιφορεῦσι, *in urnis, vasis amphorisve* conderentur, atque ita in Patriam referrentur. Solebant & κειμήλια, & pecunia aliquando in iis reponi, uti docet Cornelius Nepos narrans in *Hann. cap.* 23. Hannibalem amphoras complures complesse plumbo, & Summas operuisse auro & argento quas Gortyniis præsentibus deposuit in Templo Dianæ, simulans se suas fortunas illorum fidei credere: Statuas autem æneas sua pecunia complesse, easque in propatulo domi abjecisse. Quidni ergo & amphoram Mannæ recte dicere possimus? quod tamen non ita velim intelligi, at si hæc Mannæ amphora non habuisset elegantiorem figuram quam vulgares illæ vini amphoræ quibus utebantur veteres Græci & Romani. Probe enim notandum puto, duo genera amphorarum in usu fuisse apud veteres, quarum illæ rudioris formæ hæ elegantioris fuerunt. Illæ conservando per multos annos vino destinatæ erant, & in cellis repositæ, pice & gypso oblitæ non egebant tali ornatu, & fictiles ut plurimum videntur fuisse. Unde ἀμφορεὺς plerumque per vas *fictile*, sive κεράμιον solet reddi. Ita Eustathius ad Homeri Odyss. Σ. *pag.* 1445. Οἱ δὲ ἀμφιφορεῖς, κεράμεοι ἦσαν ἀμφοτέρωθεν φερόμενοι ὅ ἐστιν ἄμφωτοι δίωτοι. *Amphoræ vero vasa fictilia erant utrinque portatilia, idest duabus auribus instructa.* Suidas. Ἀμφιφορεῦσιν, Κεραμέοις ἀμφορεῦσιν. Hesychius. Ἀμφοραφόρους τοὺς μισθῷ τὰ κεράμια φέροντας. *Amphorarum latores, qui mercede conducti vasa figulina ferunt.* Phavorinus. Ἀμφιφορεῖς Κεράμειοι ἦσαν ἀμφοτέροθεν φερόμενοι. Ὅ ἐστιν ἄμφωτοι δίωτοι. Παυσανίας δὲ φησι τὸν Ἀμφιφορέα ὑπὸ Ἀθηναίων ἀμφορέα καλεῖσθαι. Καὶ Ἀμφιφορεὺς σορὸς, ὑδεία κέραμος. Amphoræ, vasa erant fictilia quæ ab utraque parte ferri poterant, idest utrinque aurita. Pausanias vero ait pro ἀμφιφορέα Athenienses pronunciare ἀμφορέα. Ἀμφίφορεὺς, idem est quod σορὸς, idest urna vel arca, hydria *& vas figulinum.* Idem. Ἀμφορέας, φόρους τοὺς μισθίους (videtur legendum ἀμφορεαφόρους, τοὺς μισθίους. Confer modo laudata verba Hesychii) ἢ τοὺς τὰ κεράμια φέροντας. In Glossis, quas citat Cl. du Frense, Dominus du Cange in Glossar. Græc. pag. 64. legitur ἀμφορεαφόρους, τοὺς μισθίους, τοὺς τὰ καλάμια (puto legendum ex collatione præcedentium testimoniorum κεράμια) φέροντας. Autor Etymologici, quod vulgo magnum dicitur. Ἀμφιφορεὺς, σορὸς ὑδείας (lege ὑδεία) κέραμος ἀμφορεύς. De istis fictilibus, & in cella deponi solitis loquitur Petronius in Satyr. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa,* FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM. De quo Opimiano, idest sub Opimii Consulatu A. V. *cap.* 632. defuso vino vide Plinium *Hist. l.* 14. *c.* 14. Vellejum Paterculum *lib. II. hist.* qui suo tempore, idest, CLI. annis post Opimii Consulatum, id nullum fuisse scribit, & talium delitiarum amantissimum Martialem, qui sæpe ejus meminit, (quamvis si Vellejo credamus, id non verum fuisse Opimianum, sed de nomine illius vetusti ita dictum credendum sit, sed Plinius *l.* 14. *c.* 4. suo tempore, idest ducentis fere post Opimii Consulatum annis, ea vina adhuc durasse sed in speciem redacta mellis asperi diserte testatur) uti *Epigr. l. XIII. Epig.* 110.

Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi.

lib. X. Ep. 49.

Et nigro madeas Opimiano.

lib. III. Ep. 82. id *Opimianum nectar* appellat, l. III. Ep. 26. *Cæcuba Opimi*, & l. II. Ep. 40. *frustra Falerna, quæ coxit annus Opimi;* quæque mera, idest, nulla aqua admixta bibi solebant in summo luxu a Romanis. Aquam ideo tam vetusto Falerno admisceri indignissime tulit Martialis *lib. I. Ep.* 18. exclamans

— Sce-

—— Scelus est jugulare Falernum.

Eleganter vinum jugulari dicens, quum inficitur admixto inepto liquore, qui omnem ipsius vim & bonitatem perdat. Simili phrasi dicit Catullus *Epig.* 77.

At vos quo lubet hinc abite lymphe
Vini pernicies. . . . .

Ita & Moses in MS. meo Chronico Samaritanico appellatur קאחל אלניל *Jugulator Nili*, quum sc. sanguine Nilum infecit, & aquas ejus in cruorem convertit. Ita & Hebræi merum vocant יין חי *vinum vivens*, & קחל apud Arabes notat *occidere*, & *aquam vino miscere*: quo nonnulli, & ζωρότερον οἶνον apud Homerum referunt quasi a ζάω, vivo. Nos certe immunes hujus cædis habere manus ea pocula testari possunt, quibus seriores nonnunquam horas in consortiis Virorum Eruditorum domi tuæ diluimus. Sed ad amphoras eas redeamus, quas in cellis solere recondi vino conservando monuimus. Has videtur etiam innuere Aristophanes in Pluto *Act.* 4. *Sc.* I.

Οἱ δ' ἀμφορῆς οἴνȣ μέλανος ἀνθοσμίȣ.
Amphora vero vino nigro & flagranti.

(plena sunt sc.) de amphoris in cella, ut videtur, divitis vinaria latentibus per multos annos intelligendus. Talis erat illa Martialis *l. VIII. Ep.* 44.

Amphora centeno consule facta minor

Et lib. XI. Ep. 9.

Amphora . . . nigri, sed longe fracta,
Falerni

Talis etiam fuit illa Horatii amphora, quam testam appellat.

O nata mecum Consule Manlio
Seu tu querelas, sive geris jocos.
Seu rixam & insanos amores
Seu facilem pia testa somnum.

Ubi pro *geris* amicus quidam meus *genis*, idest, *generas*, substituebat. Solebant iis amphoris pittacia affigi cum titulo, qui vetustatem vini aut qualitatem indicaret, ut ex modo laudato Petronii loco evidenter patet, cui adde hunc Plauti in Pœnulo Act. 4. Sc. 2.

Ibi tu vides literatas fictiles epistolas
Pice signatas: nomina insunt cubitum
longis literis.

Erant illæ quoque sessiles, vel quæ in acutum desinebant, non sessiles, de quibus Aristophanes intelligendus, qui ut sedilis vicem præstare possit, fractam vult amphoram, pro sede assignans σταμνȣ̃ κεφαλίω κατεαγότος, *Amphoræ distructæ summitatem* in Pluto Act. 2. Sc. 3. Quas diversas amphorarum formas olim ab Elegantissima Filia Tua Maria, quæ animi dotibus suum supergreditur, in usum meum depictas; Tibi conspiciendas exhibeo. De his amphoris dictum est vinum amphorarium, quod in Jure Justinianæo frequenter memoratur, & opponitur vino doliari. Verum altera amphorarum species elegantioris erat formæ, nec in cellis latebat, sed conspectui convivarum exposita in delphicis, & abacis collocari una cum phialis, scyphis, trullis, crateribus, & aliis id genus poculis solebat ad ornatum, ut ex ex iis in craterem, & minora pocula vinum effunderetur. Quibuscum aut eadem vasa vel certe non multum diversa videntur fuisse οἰνηρύσεις ab Aristophane in Acharn. Œnophori, a Martiale *l. VII. Ep.* 89. Apulejo, Juvenale *Sat. VI.* & Persio *Sat. V.* memorati. Tales fuisse credendum est amphoras illas æreas quæ in Panathenæis oleo repletæ victoribus dabantur, quas elegantis formæ fuisse multa docent Numismata Caracallæ, in quibus amphora inter duas urnas conspicitur; & ipsa verba Pindari, qui eas ἄγγεα παμποίκιλα *vasa multum variegata* appellat. Tales videntur fuisse illæ amphoræ quas ex Onyche fieri fecit P. Lentulus Spinther, teste Cornelio Nepote quem citat Plinius Hist. *P.* 36. *c.* I. Quis enim illas tenebris cellarum damnatas esse sibi imaginari queat? Et cum harum amphorarum formis Amphoram Mannæ, vas similiter ad ornatum compositum, convenire existimaverim. Sacræ quidem literæ de figura hujus vasis nil certi tradunt, nisi illa tibi certa esse videantur, quæ nos de figura σαμνȣ̃ & amphoræ in chartam conjecimus. Certe ex voce Hebraica צנצנת qua illud vas *Exod.* 16. 33. apellatur, & quæ est ἅπαξ λεγομένοις est, ne hilum quidem potest afferri aut ad confirmandam, aut labefactandam nostram sententiam. R. Bechai hoc vocabulum a צונן *frigidum* derivat, putatque denotare vas quod frigefacit omnia quæ continet. En ipsa ejus verba בשהוא אומר צנצנת איני יודע סמה היתה אם של כסף אם של זהב או נחשת וברזל ועופרת ומעצמו אתה למד צנצנת דבר שהוא צונן ומצן מה שבתובו והוא משתמר כארץ שהוא חרש כדאמר ונתתם בכלי חרש למען יעמדו ימים רבים וכן היין איני משתמר אלא בבלי חרש: *Quum* (Moses) *ait Zinzenet*, *igno-*

ignoro ex qua materia conſtet an eſt argento, auro, ære, ferro, vel plumbo. At ex ipſa voce diſci poteſt quid notet, rem frigidam, & refrigerantem illud quod continet, ſcilicet teſtam, ſicuti dicitur (Jeremiæ 32. 14.) & repones eas (literas) in vaſe teſtaceo, ut permanere poſſint in longum tempus. *Quare etiam vinum in vaſe teſtaceo ſolet aſſervari.* Huc facit acuta reſponſio R. Joſue ben Chananiæ, cujus ingenium male habitabat (ut phraſin M. Lollii de Galba uſurpem) quem cum videret filia Cæſaris Trajani exclamaſſe fertur חכמה מפוארה בכלי מכוער. *O Sapientiam elegantem in vaſe ſordido!* At hic regeſſit היין אינו השתמר בכלי כסף וזהב רק בכלי חרס. *Vinum non ſolet ſervari in vaſe aureo vel argenteo, ſed tantum teſtaceo.* Verum licet non negemus id moris apud antiquos fuiſſe, quod vinum in vaſis frigidis ſervarent, certe non erat neceſſarium Mannam vaſi frigido indere, ne mucorem pateretur, quum plane miraculoſa fuerit ejus cibi per tot ſæcula conſervatio, qui licet in frigidiſſimo vaſe recondita corrumpi debuiſſet tot non dicam annorum, ſed ſæculorum intervallo. Nec videtur id voluiſſe præcipere Deus quod miram ejus potentiam in conſervatione prodigioſa illius cibi præſtandam poſſet imminuere, & opinionem ingenerare rudi populo, quaſi Mannæ conſervatio per tot annos non miraculo Dei, ſed frigori vaſis, quod corruptionem arceret, eſſet tribuenda. Non putamus ergo Deum juſſiſſe, ut in frigido magis quam alio quovis vaſe cibus ille cœleſtis reponeretur. Alii quidem eam vocem deſignare dicunt, *vas ventre lato, ore anguſto &* צנן *audacter* (uti Mercerus loquitur in addit. ad Theſaurum Santis Pagnini) idem faciunt cum שנן. Verum ſi quid ego judico; miſſis Judæorum ſuper hoc vocabulo conjecturis צנצנת ab inuſitato apud Hebræos, ſed frequentis uſus apud Arabes צון, ſive צאן *recondidit, ſervavit*, ducendum eſt. Inde enim geminata prima & tertia litera radicali (quod in verbis quieſcentibus media vav frequens eſſe docent Grammaticorum filii) vox צנצנת naſci potuit, atque ita notabit *reconditorium, vas in quo aliquid aſſervatur*. Omnium ergo tutiſſime illud Hieronymus per *vas* tranſtulit. Chaldæus Interpres habet צלוחית, quod inter alia & *amphoram* ſignificat, uti in loco illo Talmudico, quem R. Nathan in Lexico *Aruch*, & ex eo Cl. Buxtorfius in Lexico Talmudico producunt, qui extat in fine Codicis. *Avoda Zara*. Verum aliquando צלוחית de amphora nequit intelligi. In Miſchna enim *Schabbat cap. 6.* prohibetur mulier exire ornato בכוליאר בכובלת או בצלוחית של פלייטון *collari* (liceat enim mihi hanc vocem ita transferre; inde enim detortum puto τὸ כוליאר licet aliquo modo diſſentiant Judæorum Interpretes ſcribentes eſſe ornamentum quo mulieres caput cingunt inſtar annuli) *globulo odorifero* צלוחית *vaſculo foliati* (ſpecies unguenti eſt, quod Græci ipſi hac Latina voce φυλιάτον ſemper nominant, de quo vide Galenum θεραπευτ. & περὶ συνθ. φαρμ. *l. II.*) In eo loco pro amphora nequit accipi vocabulum צלוחית, quum tam magna illa vaſa odoriferæ mulierum eſſe non ſoleant. Alia loca ex Targum, in quibus צלוחית pro Hebræo שלחית, חצלחת, & צפחת adhibetur, adduxit in Lexico ſuo Eruditiſſimus Buxtorfius, quæ ibi videri queunt. Judæus Interpres recentior Aben Ezra ad vocem *Zinzenet* hæc pauca notat כלי חרס או נחשת ואין למלה הזאת חבר. *Vas teſtaceum vel æreum: nec eſt huic vox ſocia*: ideſt nonniſi hoc loco in ſacro Codice legitur. Quod & Maſorethæ inſcripta margini litera ל cum puncto ſuperne, ideſt לית *non eſt*, vel *non extat amplius*, annotarunt. Raſchi, Interpretem Chaldæum ſecutus, Zinzenet per צלוחית explicat, addens של חרס, *teſtaceum* fuiſſe. Quod unde illi hauſerint, incertum eſt; quod autem in eo decepti fuerint, certiſſimum: quoniam Autor θεόπνευστος Epiſtolæ ad Hebræos id vas aureum fuiſſe tradit, facile convincendus a Judæis, ſiquidem ea ætate inter eos & hæc de amphora Mannæ teſtacea viguiſſet, & quidem certa ratione ſubnixa, opinio. Abarbanel vitream eam fuiſſe opinatur, quod & Arabs in Polyglottis Anglicanis ſenſiſſe videtur, qui illam כרביה appellat, at ſola divini Scriptoris autoritate cum ſequacibus ſuis refutandi; licet & alia addi poſſint ad vitreum hoc vas diffringendum, quibus ego hodie Te non morabor. Sed quum Judæi ipſi adeo inter ſe in hoc argumento ſint diſcordes, quis uni præ altero fidem adhibeat, niſi vel rationibus vel autoritate ſua dicta fulciat? quod cum a nemine præſtitum ſciam, miſſos illos facimus, & Scriptori ſacro, ut par eſt, aſſenſum dantes, Amphoram Mannæ στάμνον fuiſſe χρυσῆ affirmamus, nec videmus ullam rationem contra ſtare, quo minus ſuſpicari liceat imaginem illam, quam Nummus noſter quartus exhibet, ipſam Mannæ amphoram exhibere. Id autem non ſine optima ratione factum fuiſſe ab Hebræis videtur, qui cum aliæ gentes Deos, aut Genios ſuarum urbium tutelares, vel ſacra quædam vaſa Nummis ſuis imprimerent, (quod vel ex Nummis Tuis doceri potes) hoc voluerunt extare in

ſuis

ſuis Numiſmatibus omnipotentiæ Divinæ & curæ, quam pro iis provida Numinis ſapientia geſſerat, adeo manifeſtum indicium. Nec minimum hoc erat gloriæ argumentum, ſe illum Deum colere, qui majoribus ſuis, omni alimento deſtitutis, cœlitus cibum demittere dignatus eſſet, & per quadraginta annorum errorem in deſerto paviſſet eos ac ſua quaſi manu refeciſſet. Sed ad alia me trahit conjectura quædam, in quam his diebus incidi, quæque ex hujus amphoræ contemplatione nata eſt. Eam ut Tibi diſtinctius prodam, ad geminas illas *auriculas*, anſas dico, quas amphoræ adſcripſit Iſidorus *l. c.* Cato *de re ruſt. cap.* 113. & alii, cogitationes reducendæ ſunt. Deprehendo ſimiliter Græcos loqui, qui modo λαβὰς modo ὦτα eas anſas appellant, quod & nos imitamur vocem *ooren* eodem modo adhibentes, ut & Perſæ vocem קושה Arabes משמע Hebræi אזן Galli vocem *Oreille*. Ita apud Homerum τρίποδ' ὠτώεντα Iliad. Ψ. & οὔατα poculis adſcripta leges Iliad. Λ. &c. Atque ita vaſa illa, quæ unum manubrium haberent, μονῶτα dicebant, qua forma plerumque *obbe* vel *obuæ vaſa illa quibus mortuis libabatur* ἄμβικες ἐν οἷς τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν, ut habent gloſſæ veteres, Inſcriptionibus Sepulchralibus junctæ, in antiquis marmoribus conſpiciuntur. Quæ duas anſas, vel aures haberent appellabant Ἀμφῶτες, & ἀμφῶας, id eſt *utrinque auritæ*. Ita Homerus *Odiſs.* χ. Pollux *Onom. lib.* VI. 18. Phavorinus Ἀμφῶες καὶ ἀμφώτιδες, καὶ ἀμφωτίδων τὴν δύο ὦτα ἔχουσαν. Autor Etymologici magni. Ἄμφεις τὸ δύο ὦτα ἔχον. Aliquando & Διώτας dicebant. Hæc vox apud Horatium eo ſenſu legitur *Carm. lib. I. c.* IX. quod ad *Thaliarchum, puerum ſpecioſum* (ita habet Inſcriptio in Codice MS. quo uſus ſum) conſcripſit:

> ——— *atque benignius*
> *Deprome quadrimum Sabina,*
> *O Taliarche, merum, diota.*

Ubi per *diotam* amphora duabus anſis inſtructa innuitur. An in harum amphorarum ſerie collocari debeat.

> Ἀμφίθετος φιάλη τὴν Νέστορι δῶκεν
> Ἀχιλλεύς,
> *Phiala* ἀμφίθετος, *quam Neſtori dedit*
> *Achilles,*

Uti Homerus canit *Iliad.* ψ. non adeo certum eſt, quamvis eo nos ducat Athenæus *lib. XI.* Δειπνοσ. *cap.* 15. conjiciens Χαλκέον τι καὶ ἐκπέταλον λεβητῶδες, δύο ὦτα ἔχων ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, *vas quoddam æreum & latum, lebetis ſpeciem præferens* eo annui, *quod duas aures habeat:* ubi plura ad hanc rem facientia invenies, ut & in Illuſtr. Salmaſii *Exercit. Plin. p.* 897. Nec majora tantum vaſa, quibus vinum portabatur, anſata erant ſed & minora, uti Homerus *Iliad.* Λ. docet, & *loc. cit.* Athenæus, quibus adde Claridem Ovidianum in *Epiſt. ad Helenam* ſcribentem,

> *Dum ſtupeo viſis (nam pocula forte tenebam)*
> *Tortilis e digitis excidit anſa meis.*

Quare non mirum Ariſtophanem, feſtiviſſimum Comicum, vas tale utrinque auritum ὄνον, ſive *aſinum* appellaſſe: quam appellationem cum vocibus διώτα & ἀμφῶες eruditiſſime contulit Vir noſtro præconio major Q. Septimius Florens Chriſtianus in doctiſſimis ſuis Notis ad *Veſpas Ariſtophanis pag.* 474. Scholiaſtes quidem Ariſtophanis *l. c.* & Phavorinus ὄνον ſcribunt eſſe εἶδος ἀγγείου ἴσως δὲ διὰ τὸ διάπλασμα ἔχειν ὄνου μορφήν. *Speciem vaſis. Forte quia figura ſua aſinum refert.* At non videtur neceſſe convenientiam hujus vaſis in alia re præter aures duas collocare, ut hinc occaſionem arripuere potuerit ingenioſiſſimus Poeta id ὄνον appellandi: quemadmodum ob ſimiles anſas, vel alas duas mihi vas quoddam Aquila dictum videtur, cujus meminit Plautus in *Perſa Act.* 5. *Sc. I.*

> *Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent.*
> *Hic ſtatui volo primum*
> *Aquilam mihi: unde ego omnes hilares,*
> *lubentes lætificantes faciam ut fiant.*

Quod enim Cl. Lipſius per aquilam, aquam calidam & frigidam in initio prandii poni ſolitam, intelligit, ut verum fatear minus placet. Memorari & hoc ſenſu ὄνους γέμοντας οἴνου *aſinos vino plenos*, apud Athenæum *lib. IV.* nec de animali illud accipiendum eſſe (quod ſatis vidit Vir magnus, Iſaacus Caſaubonus, in ſuis ad hunc Scriptorem animadverſionibus *lib.* 4. *c.* 23. quum γέμειν de onere interno, uti de navibus onuſtis dici ſoleat, non de illo quod jumentis imponitur) ſed vaſe, docuit ὁ πάνυ Salmaſius in *Not. ad Tertullian. de pallio pag.* 409. Quid enim affinius phraſi Ariſtophanis ὄνους οἴνου μεστός, *aſinus vino plenus?* qui ibidem ex Petronio id vas *aſellum* Romanis dictum obſervat. Locus hic eſt: *Ceterum in promulſidari aſellus erat Corinthius cum biſaccio poſitus, qui habebat olivas in altera parte albas in altera nigras*. (Innuere videtur hoc vas in duas

cavi-

cavitates fuisse divisum) Tegebant asellum duæ lances (patinæ pandæ scil. in quibus nonnunquam cibi solebant apponi, aut res sacræ ad altaria Deorum deferri: Vide Apulejum & Virgilium 2. *Georg.* & plura in Marci Tatii Alpini Epistola ad W. Hungerum data *de furto per lancem & licium concepto pag.* 6. & 7.) *in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, & argenti pondus.* Vides itaque vasa utrinque aurita non ineleganter ὄνυς & asellos appellari. Talia autem erant *amphoræ* uti vidimus. Quare non aliam ob causam Silenum Bacchi famulum *asello* vehi tradidisse videtur antiquitas, quam quod vinum e doliis in amphoras, sive aurita talia vasa diffundi soleret, & in amphoris veheretur. Amphoræ enim inserviunt doliis vinariis, ut ab iis vinum recipiant, quemadmodum Silenus Bacchi comes & servus fingitur. Diserte Naso *Metam. IV. I.*

> —— *Senex ferula titubantes ebrius artus*
> *Sustinet & pando non fortiter hæret asello.*

Quod enim ob tarditatem asino vectum voluerit antiquitas, minus probo: quidni ergo testudini ipsum imposuisset? & vinum tardos homines non facit sed agiles & caloribus aptos. Nec aliunde, (ut & hoc addam) Græcum κάνθαρος (vas Baccho sacrum uti scyphus erat Herculi) unde Latinum *cantharus*, & forte nostrum *kan* est, videtur ita dictum quam a κάνθων *asino*, ob eandem causam, aures sc. sive ansas, quibus canthari erant instructi. Qui cantharos auritos fuisse, idest ansatos negat, Virgilio contradicat oportet, canenti in *Sileno*:

> *Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.*

Nulla mihi verosimilior videtur Etymologia; in qua me firmant Grammatici quidam, scribentes κάνθαρον, ea notione quæ *Scarabæum* significat a κάνθων *asino* derivari, quod id animal ex asini stercore nascatur. Atqui si ea notione κάνθαρος a κάνθων derivari possit; quidni & hac quæ vas potorium significat? Ita & קנתא ansam קנתל asinum significat Rabbinis, voces admodum ut vides affines, & ipsa vox *ansa* און *auris* per metathesim literæ N deducta est: nisi quis malit eam ab ὄνος deducere. Eadem ergo ratio erit, ob quam & ὄνος, & asellus, & κάνθαρος vascula quædam dicta sunt, ob aures sc. sive ansas eminentiores, quibuscum asinini capitis forma quodammodo conveniebant. Vides Vir amicissime, me sponte eo delabi, ut & hanc amphoram Mannæ ob insignes aures duas eodem modo per lusum & contemtum ὄνον sive asinum dici potuisse mihi persuadeam. Et parum abest, quin hinc natam esse turpem illam Græcorum & Romanorum calumniam suspicer, dicentium Judæos *asinum*, *vel asini caput aureum* (mendacia enim sibi non constant) in Sanctissimo Templi loco sacrasse, quo duce famem depulerant in desertis locis. Scilicet hic ille ὄνος, hic *asinus* est, Mannam continens, qua non sitim, sed famem in deserto depulerant. Hunc sacrarunt penetrali, hunc ex auro confectum, uti docuimus, in adyto intimo Templi deposuerunt. Et quid erat in sacratissimo illo loco, quem ἅγια ἁγίων dicimus, quod ulla cum veri specie *asinus* dici poterat, quid precor nisi vas hoc, *amphora* hæc *aurita*, (*) quam contemtim Gentes, quibus Judæi lusus & risus serant; ὄνον sive *asinum* dixerunt. Quod cum alii de asino animali intelligerent, hinc natam esse fabulam conjicio. Ad hujus conjecturæ meæ probabilitatem non parum facit, quod *asinum penetrali sacrasse* dicantur Judæi. Quod nulla prorsus veri specie dici potest, si aliorum Virorum Eruditorum de origine hujus calumniæ sententias attendamus. Si enim asinum colere propterea dici potuerint, quod Moses, qui aliquando uxorem suam & filios asino imposuit *Exod.* 4. 20. in magno pretio haberent, non tamen inde suspicio Gentibus esse potuit, asini imaginem in Sanctissimo Templi loco esse collocatam. Græci interpretes, qui in Ptolomæi gratiam Pentateuchum transtulisse dicuntur, pro *asino* hic scripserunt נשאי ארם *animal quod hominem vehit*, uti scribunt Talmudistæ in *c.* 1. Massechet Sopherim *c.* 1. Halaca 8. quod asinos odio persequerentur Ægyptii, ut Ælianus tradit *cap.* 10. *de anim. cap.* 28. & Plutarchus *de Isid. & Osir. pag.* 362. & Tiphone asino vectum illi dicerent *ib. p.* 363. Si autem asini cultus iis objectus est, ob eam rationem, quod asinos nunquam sacrificarent Judæi, uti nec porcos, quos & ipsos non secus, ac asinos ab iis adorari creditum fuit, teste Poeta dicto:

> *Judæus licet & porcinum numen adoret,*
> *Et cilli summas advocet auriculas;*

Nec inde colligi potuit ulla cum veri specie in intimo Templi adytu asinum, sive asini

(*) Non in Nummo tantum nostro quarto hanc amphoram auritam videbis, Lector, sed in Nummo Ottiano tertio, qui idem vas videtur referre.

asini caput aureum (nam utrumque scribunt) fuisse adoratum, & illo duce sitim in deserto patres eorum depulisse. Quarum omnium rerum umbram aliquam, & occasionem in nostra conjectura deprehendimus. Si vero inde nata est fabula, ut Cl. Bochartus in eximio & æternum victuro opere, dum aliquis bonis artibus honos erit, *Hierozoicon* dico *lib. II. c.* 18. ingeniosissime opinatur, quo פי יהוה ΠΙ ΙΑΩ, *os Dei* frequenter sacro Codice memoretur, & ΠΙΕΩ. Coptiæ *asinum* notet, unde unum pro altero sumserunt Gentiles: nec illud tamen videtur satis convenire aut cum re ipsa aut veterum testimoniis. Nec enim *os Dei* magis adorasse dici queunt, quam ejus *manum*, *oculos*, & quæ totidem virtutum divinarum Symbola sunt. Et licet ea phrasis in sacro Codice inveniatur, non minus frequenter aliæ occurrunt; nec videntur ex lectione sacri Codicis id edocti Judæi, qui ibi plane contrarium, quam quod Judæis objiciebant, invenissent. Adde quod Ægyptiaca hæc interpretatio (si vel maxime concedam, quod tamen non est indubium, hodiernam linguam Copticam cum veteri Ægyptiaca eandem esse) minus commode sacris Hebræorum ingeratur, nec adpareat Ægyptios primos hujus calumniæ architectos fuisse. Si enim Apion, Ægyptius hujus fabulæ autor fuit, cur non explicuit? cur non dixit, illud quod vos ΠΙ ΙΑΩ, *os Dei* dicitis, revera significat ΠΙΕΩ *asinum*? Num credidit Codicem sacrum Ægyptiace conscriptum? Vel num ex ingenio suo primus ex convenientia soni hoc confinxit? Non videtur ausus fuisse in scripto tam erudito & serio proponere ludicrum istiusmodi commentum, in cerebro suo natum & solummodo ex qualicunque soni similitudine deductum, quod ipse sibi persuadere non poterat verum esse, quum ineptissima opinio sit, voces Hebræas id denotare, quod sonant Ægyptiace. Et quomodo, nisi hæc opinio alios Gentiles suos persuasisset, rem adeo abominandam Judæis exprobrare sine ullo teste non erubuisset? Videtur ergo, cum Apion ut irem certam & notam, cultum asini Judæis objiciat, Gentes, inter quas scribebat, ea opinione imbutas. Unde Apion ipse a temporibus Antiochi Epiphanis id pervulgatum fuisse scribit. Si ipse id confinxisset, nonne aut a suis aut ab aliis rogari poterat, quo teste id affirmaret? Non ergo mihi primus fabulæ hujus architectus Apion habetur; sed ita eum scripsisse ex fama publica & opinione Gentium existimo. Si & aliorum super hac re opiniones tibi perpendere placet, plures apud Cl. Morinum videbis in peculiari dissertatione, quam de asino a Judæis adorato dedit. Habes, vir merito tuo mihi honoratissime, quæ de hoc vase, quod pro amphora Mannæ habeo, his diebus meditatus sum. Inutilis esset omnis hæc nostra disquisitio de vera illius figura, siquidem, ut Romano-Catholici quidam scribunt, Romæ, in Ecclesia quæ S. Salvatoris est, vera Mannæ amphora asservaretur. At ut alia taceam, quum & Parisiis & Burdegalæ ea populo soleat ostendi, & pro vera supponi, ignoscant mihi spero, Romano-Catholici cordatiores, siquidem eas traditiones parum curem. Mirum profecto; illam amphoram adhuc superesse, quæ una cum aliis vasis Sacris in excidio Templi primi in Babyloniam fuit deportata, nec unquam illata iterum Templo secundo. Hoc enim non siluissent Scriptores Sacri, qui cultrorum aliarumque rerum minoris pretii meminerunt (*Vid. Ezr.* 1. 7.) quas Cyrus Judæis restitui jusserat; nec Judæi negarent, qui buccinatores licet gloriæ Templi secundi, amphoram Mannæ tamen sibi defuisse eo tempore ingenue fatentur, quorum in hanc rem testimonia quod satis pervulgata sint, heic non adscribo. Talmudici in *Gem. Massechet Horajot cap.* 1. non quidem ablata vasa a Nebuchadnezare fatentur, at abscondita tamen esse, nec unquam postea visa. De amphora Mannæ, hæc diserta verba habent משנגנז ארון נגנז עמו צנצנת המן וצלוחית של שמן המשחה: *Quum abscondita est arca, simul cum ea abscondita est amphora Mannæ, & Lechythus olei unctionis*. R. Nathan quoque in Avoth *cap.* 41. *fol.* 10. *col.* 10. inter דברים גנוזים res absconditas, recenset speciatim צנצנת המן *Amphoram Mannæ*. Abarbanel in *Comment. ad* 1. *Reg.* 6. 19. postquam dixisset Salomonem animo divino prævidisse Templi sui destructionem & in solo adyti sub arca speluncam quandam fieri curasse, in qua tum arca tum aliæ res Sacræ possent abscondi, ita pergit, ויאשיהו גנז שמה הארון וצנצנת המן ומטה אהרון ושמן המשחה: *Josias autem abscondit ibi arcam & amphoram Mannæ, & virgam Aaronis & oleum unctionis*. Samaritani in suo Chronico MS. quod possideo *cap.* 41. etiam vasa Sacra Templi esse abscondita, sed in spelunca quadam montis Garizim jussu Dei & opera Pontificis Maximi, quem Ozin עזי appellant. Nec unquam ea postmodum homini visa esse tradunt. Ille Ozis vel Ozias (quem Samaritani cum Josia Rege videntur confudisse) Pont. Max. quintus fuit ab Aarone, & σύγχρονος Samsonis, uti Zacuthus Scribit in *Juchasin*. Meminit ejus Josephus *lib.* 5. *Antiq. cap. ult.* & ni fallor, etiam *lib.* XVIII. *cap.* 5. ubi apud Sa-

Samaritanos exortus quidam impoſtor ad montem Garizim eos convenire juſſit ϗ ἰσχυρίζετο παραγινοις δείξειν τὰ ἱερὰ σκεύη τῇ δὲ κατορωρυγμένα, μωυσέως τῇ δὲ αὐτῶν ποιησαμένου καταθέσιν, *& ſe præſentibus oſtenſurum eſſe affirmabat vaſa Sacra ſub eo (monte Garizim) defoſſa, quæ Moſes ibi depoſuerat*. Ibi ego pro Moſe Ozi ſubſtituendum puto. Nam ex ipſo Chronicho noſtro liquet Samaritanos non Moſi, ſed Ozi id adſcribere. Et quomodo Moſes, qui æque juxta Samaritanorum quam Judæorum mentem, Jordanem non tranſiit, ſub monte Garizim aliquid abſcondere poterat. Sed imperiti librarii pro nomine ignoto notius ſupponentes ex Ozi fecerunt Moſen. Hæc ἐν παρόδῳ. Ad amphoram noſtram revertamur, quam in Templo ſecundo non fuiſſe unanimi conſenſu Judæi teſtantur. Non eſt, quod mihi objicias, ex eo quod amphora Mannæ in Templo ſecundo non fuerit, non videri probabile Judæos Nummis ſuis imaginem vaſis impreſſiſſe, quo carerent, & cujus jactura ipſis non niſi doloris eſſe poterat argumentum. Utcunque enim verum ſit, hinc juſtum concipere debuiſſe dolorem Judæos, ille ipſe dolor officii ſui eos admonebat, ne Deum illum, cujus juſta ira tam potentes inimicos ipſis immiſerat & tam caro pignore eos privaverat, peccatis ſuis offenderent & graviores pœnas ſubirent læſæ Majeſtatis Divinæ. Nec juſtitiæ tantum, ſed & miſericordiæ Dei hoc egregium erat ſymbolum, quod iis in mentem reducere poterat, quam tenero amore Deus complexus eſſet majores eorum, cibum ipſis cœlitus ſua quaſi manu largiendo, & ejuſdem illius Dei vires non eſſe diminutas, nec manum præciſam ita ut juvare ipſos & tueri non poſſet adverſus hoſtes quoſcunque. Simul etiam monebantur, cui Deo illam liberationem a Græcis, quam ſenſerant, acceptam ferre deberent, Deo ſcilicet Patrum ſuorum, qui Manna eos in deſerto paverat, & per quadraginta annos ipſis de cibo proſpexerat. Atque ita duas illas inſignes Dei virtutes, Juſtitiam dico, malorum ultricem & miſericordiam, bonorum remunerationem, in quibus deprædicandis adeo multi ſunt Scriptores Sacri, uno quaſi intuitu clariſſime nobis ob oculos ponit hæc Mannæ amphora, elegantiſſimum utriuſque indicium. Sentio, Vir Eruditiſſime, me longius eſſe provectum quam putaram. Quamobrem, ne tua tempora publicis commodis deſtinata pluribus morer, deſino, & me amori tuo commendo, quem omnibus officiis conabor demereri. Scribebam Trajecti ad Rhenum. V. Id. Decembr. MDCCIII.

JOH. BAPT. OTTII
EPISTOLA
DE NUMMIS QUIBUSDAM SAMARITANIS AD HADRIANUM RELANDUM.

IN conſpectum tuum veniſſe obſervationes, quas tumultuarie in ſchedulam conjeceram circa nummos quoſdam, quos Samaritanos appellant, ex humaniſſimis literis Tuis perſpexi. De quo argumento quum a me certior fieri deſideres, ſalvo tuo aliorumque judicio, hæc accipe. Sexennium eſt & quod excedit, ex quo Nobiliſſimus *Fromont*, exul Gallus, ex uberrimo & rariſſimo Muſæo ſuo mecum communicavit binos æneos nummos ex Samaritanis, alterum aliquatenus exeſum *Num.* 1. alterum non minus læſum *Num.* 2. ad quos oppido acceſſerunt duo alii ejuſdem moduli, *Num.* 3. ac ſcire petenti, quæ figuræ, quæ literæ, quæ ſignificationes eſſent, id reſpondi quod brevi epitome huc apponam. Ante omnia autem veniam præfatus, ne videar contradicendi œſtro percitus ea ſcribere, quæ tunc in chartas conjiciebam, quum de iſto Tuo pereruditο ſcripto nihil adhuc ſcire poteram; in quo etiamſi aliam ſententiam tuear, fateor tamen, tantum me in eo perſpexiſſe ingenii acumen, tantam rei numiſmaticæ priſcæ cum obſervationibus tuis connexionem, ut niſi meum mihi, ut ſuum cuique, pulcrum eſt, manibus pedibuſque in tuam irem ſententiam. Probe enim mihi conſtat plus laboris, otii, atque ingenii, fuiſſe opus, ad illud principium ex illis ruderibus formandum, quo Tu nobis non inconcinne propinas, quam poſtuletur ad nudam veritatem ex iis demonſtrandam, quæ oculo & coram cernuntur. Atque ut de Samaritanis, poſt eru-

eruditissimorum virorum lucubrationes, meum statim præjudicium deponam; Argentei, qui Siclorum nomine veniunt, dubiam hactenus apud me fidem invenerunt: ex decem enim vel duodecim, quos oculis manibusque tractavi, vix unus est, quem originalem, ut ajunt, indubie agnoscere possim. Si tamen sint, diversis temporibus cusos arbitror, neque enim notam temporis additam habent, neque aliquid jubet illos, in unum coarctare temporis articulum. Æneos, qui sine omni dubio novas eruditorum lucubrationes desiderant, atque ad historiam sacram, & Hebræorum antiquitates plurimum lucis adferunt, nescio qua opinione (quam præjudicium appellavi) ductus, omnes credo ad annos Simeonis Pontificis & Ducis, referri oportere. Non tamen, nisi examinatis aliorum judiciis ad istam sententiam prolapsus sum, facile melioribus aurem præbiturus, cum primis, si nobis in tabula aliqua ex diversis Musæis communicarentur exactæ & singulæ talium Numismatum icones. Audio permultos Parisiis servari, plurimosque in Italia, Romæ, Venetiisque delitescere prorsusque jacere: maximi enim quique illorum locorum antiquarii illis delectantur, quæ multum artificii & cælaturæ ostendunt; & quod caput est rei, aut qui hæc habent non intelligunt, aut qui intelligunt non habent. Diu me decepit, & in suas quasi partes traxit *Christophorus Schraderus*, qui nummum argenteum Ferdinandi Alberti, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis descripsit, quem eundem esse puto cum eo qui in Illustris Ludolphi Epistolis Samaritanis, in Hottingeri cippis ad *pag.* 145. & in ipsis Tuis Iconibus ultimus conspicitur. Figuras quod attinet, (ita arbitrabar) in *Num.* 2. vas illud est seu urceus, in quo servabatur Manna, quod vasculum in argenteis Siclis Samaritano charactere insignitis videre est, quamvis in alio Siclorum genere, qui quadratum characterem habent incensorium potius sive thuribulum conspiciatur; in iis enim ascendens fumus prope conspicitur. Vasculum hoc in majori numismate *Num.* 1. duplex apparet, ita ut punctula illa deciduam de cœlo mannam quasi adumbrent. Consistunt bina penes intermediam palmam Phœniciæ (ita Græci Chananæam appellant) nomen dantem, quæ arbor Judææ Symbolum, ubi ramus opobalsami Arabiæ, quod ex Vespasiani & Titi nummis notius est, quam ut moneri debeat. Unde etiam seu veræ seu fabulosæ avi, apud priscos & Ecclesiasticos & Profanos Scriptores decantatæ Pœnici suum nomen, juxta illud Lactantii:

Cumque renascendi studio loca Sancta reliquit
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæva volatus
Phœnicis nomen cui dedit ipsa vetus.
Secretosque petit deserta per avia lucos.
Hic ubi per saltus Sylva remota latet.
Tum legit aerio sublimem vertice Palmam,
Quæ gratum Phœnix ex ave nomen habet.

Qua occasione mihi in mentem venit non solum illustris Sabbatici Psalmi locus *Psal.* XCII. *Justus ut palma florebit:* Sed quam maxime illa Israelitarum in Elim mansio, de qua Moses *Exod.* XIV. 20. nos instruit. *Et venerunt filii Israel in Elim, & illic duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ, atque illic ad aquas castrametati sunt.* Ubi id memorabile, quod statim sequenti capite atque in proxima huic deserto Sin mansione murmur istud Israelitarum accidit, quo commotus ille, qui mirabilia facit solus, manna de cœlo pluere fecit, ut collatis decimo quinto, & decimo sexto capitibus *Exodi*, palmam & vasculum mannæ duplex in eo nummo conspici fingere queamus. Alterius partis figura *N.* 1. & *N.* 2. ut & in eo quod *Schraderus* & *Ludolphus* exhibent numismate putabatur fascis esse plurium virgarum, e quibus una folio aut flore oblongo in summo est conspectior, cæteris arentibus, imo fasci adjacet deciduum amygdalum. Designare ista videntur duodecim virgas, quas post populi Israelitici contra Mosen & Aaronem rebellionem, a tribuum Israeliticarum duodecim principibus divino jussu acceptas atque uno fasce comprehensas Moses in Sancto Tabernaculo reposuit, & postridie illuc reversus, cæteras quidem nihil mutatas, illam autem quæ tribus Leviticæ erat, & Aaronis nomine inscripta, reperit germinasse. Quo miraculo Aaroni, & toti tribui Leviticæ Sacerdotium cum reliqua sacrorum cura fuit confirmatum, mandatumque ut in memoriam compressæ rebellionis virga divinæ hujus constitutionis index in arca fœderis asservaretur. Historia extat in divino Mosis volumine, *L. IV. c. XVII.* Quæ conjectatio cum eo convenit, quod Sicli omnes tam Hebræi, quam Samaritani, istam Aaronis virgam germinantem exhibent, sed solam. Ita inquam erant

erant primæ circa illos nummos cogitationes, quas dum ad aliorum fere ideam conceperam, mihimet ipsi satis facere nondum poteram, quod & figuram hæc non satis exprimere cernerem, & in majore certo nummo *N. I.* non unum, sed duplex utrobique vas conspiceretur, aut fasciculus. Alia itaque omnia mihi dum excogitanda erant, observabam ex alterutro latere nummi *I.* & *II.* ut & magni illius quem ex *Schradero*, *vel Ludolpho* æri incidi curavisti, & quod in meo *Num.* I. duplex apparet, in reliquis vestris tribus vel quatuor unicum, nihil aliud esse quam לולב *Lulaph* Judæorum, seu fasciculum salicum, quo utebantur Hebræi in festo Tabernaculorum: quem ritum antiquissimi Judæorum derivant ex *Levitic.* XXIII. 40. Ubi ita jubet Dominus: *Capietis vobis in die primo* (illius festi) *fructum ligni decoris*, *ramos palmarum & ligni frondium ramos & salices torrentis*, *& lætabimini coram Domino*. Ex talibus fasciculis Judæi tabernacula sua autumnali tempore nectebant. Goodvinus ex Hebræis autoribus adhibitas quatuor species arbitratur 1. Citrios, 2. Palmarum; 3. Myrtorum, 4. Salicum ramos, & per פרי עץ הדר, *fructum ligni decoris*, dicto loco aliqui citrium intelligunt: duo certe mala citria in quibusdam nummis prope fascem jacent, quæ in eundem finem manu sinistra tenere oportebat, dum dextera fasciculum ferebant & motitabant. Integer autem fasciculus alio nomine השענא *Hosanna*, *Hosianna* dicebatur & septimus festi dies *Hosanna rabba*, seu *magnus Hosannæ dies*. Non autem ipsum modo festum, sed & hunc salicum fasciculum ita vocitabant, quia in ejus circum gestatione & commotione seu vibratione subinde hanc vocem inclamabant, referuntque Rabbini, per integrum festum singulis diebus quemvis suum Hosianna, seu fascem ex his quatuor arboribus attulisse: quodsi quandoquis illud neglexisset, fuisse illi illo die jejunandum. Hinc illa populi acclamatio, Deo miraculose rem illam moderante, ut quod in tabernaculorum festo de Messia quasi typice adumbratur, alio nempe palmarum die revera Christo in urbem equitanti ramis arborum in viam stratis acclamaretur Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Math.* XXI. 9. Quasi diceret populus, hæ βαΐα, hos termites, palmas, oleas, frondes, fasciculos φερόμεν καὶ παλλόμεν *gestamus & vibramus in honorem filii David*. Quod si ista acclamatio pro voto populo læta precantis accipiatur, notum est in locis parallelis Hebraicis verbum הושיע non rato cum ל, id est, cum dativo construi, *Judic.* VII. 2. 2. *Samuel.* X. 2. *Psalm.* LXXXVI. 16. Tres sententiæ hac oratione elliptica comprehensæ simul consistunt hoc pacto. Hosanna filio David scil. precamur. Hosanna filio David, scil. gestamus, & Hosanna filio David, serva filium David. Ab hoc Judæorum more suum Romani accepisse videntur, apud quos Flora cunctorum fructuum Dea mense Majo colebatur, & cum primis Atheniensium, qui in fame in Templo Delphico ἐρεσιώνην, *Iresionem* ponebant, hoc est ramum olivæ, sive lauri plenum variis fructibus, ut Autor est *Herodotus*; seu erat ramus oleagineus, lana obvolutus, quem circumpendentibus arborum fructibus ante januas ædium suspendere solebant, ad famem arcendam, ex oraculis præcepto, ut tradit *Aristophanis* Scholiastes. Ita qui in pompis olivæ termites gestabant θαλλοφόροι, oleæ ramos gestantes, ὀσχοφόροι & ὠσχοφόροι, *vitis palpalmitem*, *racemis onustum gestantes* dicebantur, & ὠσχοφόρια *festum quo ramulos vitis racemis onustos gestabant*, *Hesychio & Suida* testibus. Pro citrio autem pomo Josephus *lib. Antiq.* III. *cap.* XIII. in nostro Lulaph ponit malum Persicum. *Jussit Deus*, inquit *Judæos festum tabernaculorum per octo dies agitare*, *in urbem metropolim convenientes*, *holocausta & sacrificia eucharistica Deo offerre*, *manibus gerentes* ἐρεσιώνην, *Iresionem*, *ramum e mirtho & salice*, *summitatesque palmarum & virgulas mali Persici*. Nec dubium est quin tum a more Judæorum, tum a superstitione Ethnicorum id consuetudinis obtineat, ut juventus promiscui sextus apud multos Europæ populos, Calendis Maji exeat in agros & cantitans inde virides reportet ramos arborum, eosque ante domorum fores ponat, quod Galli vocant *de Mays*, Germani Mejen stecken / unde & Majo ab his Majis von den Mejen multo, convenientius nomen quam a *Majoribus*, quod *Ovidius* volebat:

> *Hinc sua Majores tribuere vocabula Majo.*
> *Junius a Juvenum nomine dictus adest.*

Nam & in hoc articulo *Naso* dicere potuisset, *barbarus hic ego sum*. Barbatus quippe Celticum vocabulum ignoravit, qua May (Maj) Mey / Meyen *omne viride*, *frondescens atque amenum denotat*. Atque hæc de altera nummi I. facie, in qua fasciculus apparet salicum. Altera facies nummi ejusdem majoris, quæ cum Palma duos falces aut potius duo vascula habet, vel ad eosdem fasciculos de

de quibus jam multis dictum eſt, referri poteſt, vel quod ſupra diximus ad manna depluens, quod puncta illa notare videntur, in quo id unum obſtat; quod vaſa duo compareant; niſi velimus palmarum ubertatem illa nota ſignificari, atque Judææ fertilitatem. Locus de Palmis, in hanc rem faciens, illuſtris eſt apud Athenæum, *Deipnoſ. lib.* XIV. ad vocem φοίνικες Xenophon *libro ſecundo expeditionis Cyri: aderat* (inquit) *plurimum & frumentum & vinum ex palmulis, acetumque ex iiſdem elixis paratum,* αὐταὶ δὲ βάλανοι τῶν φοινίκων, *palmarum vero fructus, quales apud Græcos videre non licet, ſervis ac famulis præbebant: quas autem ſervabant dominis ſeligebant, magnitudine & pulchritudine admirabiles, aſpectu prorſus Electro* (ἠλέκτρου) *ſimiles. Eas quidem arefactas in uſum bellariorium reponebant. Vinum quidem illud potu ſuave erat, ſed capiti grave.* Herodotus *libro primo, cum de Babylone loquitur, ſcribit, in ejus toto agro palmas generari magna ex parte fructiferas, e quibus non modo cibum, mel, vinum conficiunt, ſed illas etiam* συκέων τρόπον, *caricarum modo in offas cogunt.* Quem ex *Athenæo* locum fuſius adduxi, non quod credam palmas ſeptuaginta, de quibus ſuperius mentionem fecimus, illi uſui Iſraelitis in Elim inſerviiſſe, ſed quod hic numus tale quid præ ſe ferat. In numo minore, qui mihi ſecundus eſt, cui in *Relandina* Diſſertatione tres numi priores reſpondent, & in Cippis Hottingerianis is qui Num. 13. ſignatus eſt & ad pag. 173. pertinet, ſi minus bene pro vaſculo mannæ agnoſcatur, ut majorem cum faſciculo ſalicum & feſto tabernaculorum harmoniam habeat, explicabitur de vaſculo Hebræis צלוחית dicto, quod *lecythum*, ſeu *ampullam* notat, quo vaſe diebus ſeptem feſti illius aquam e Siloam hauſtam ingenti eum lætitia in ara exteriore libabant, cujus rei & myſterium & veſtigium in Sacris extat, & in Veteri, & in Novo Teſtamento. In Veteri quidem apud *Jeſaiam cap.* XII. *verſ.* 3. ubi יה יהוה, qui canticum & ſalus populi ſui eſt, ex more Judæorum aquandi cum gaudio in feſto tabernaculorum, eos iſta conſolatur שאבחם מים בששון ממעיני הישועה: *haurietis aquas cum gaudio e fontibus ſalutis,* quod juxta *Hieronymum* larga effuſione Spiritus Sancti impletur, alludente Domino per Prophetam ad populi ritum hoc vaſe in numo noſtro adumbratum, quaſi diceret: Celeberrimum eſt veſtrum gaudium in feſto tabernaculorum, præſertim quod feſtivitate nocturna legi ſuperaddita celebratis: hauſta enim e fonte Siloah aqua, cum vino libaminis ſuper altare effundentem cum taratantara excipitis: pii ſaltantes, manibuſque faces præferentes hymnos cantant, & Hoſianna ingeminant, Levitæ inſtrumentis ludunt, Sacerdotes tubis clangunt, ut dicere Soleatis כל מי שלא ראה שמחת בית השואבה לא ראה שמחה מימיו: *Qui non vidit lætitiam domus hauſtus vel hauriendi,* (in loco ab hauriendo denominato) *nullum unquam vidit gaudium.* At temporibus Meſſiæ multo majore gaudio exultabitis, quum haurietis aquas vivas de fontibus Salvatoris, ſitula fidei: de quibus in ipſo magno Tabernaculorum feſto ipſe Dominus in Num. I. locutus eſt, accepta ab ipſa diei conſuetudine dicendi & docendi, pro more ſuo, occaſione. *Johann.* VII. 37. ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς εἱστήκει ὁ Ἰησοῦς καὶ ἔκραξε λέγων. ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός μὲ, καὶ πινέτω. In Talmud Hieroſolymitano legitur: Dixit R. Jehoſuah ben Levi: *Quare vocatur nomen ejus* בית שואבה, locus hauriendi? *propterea quod inde hauriebant Spiritum Sanctum.* Cæterum vaſculum, quo quotidie vinum offerebant, ab hoc ipſo haud differebat. Aliquid adhuc notandum cenſeo de figura tertii numiſmatis, quod vobis quartum eſt, niſi fallor. In eo iterum vas conſpicitur, a prioribus differens, eſt enim anſatum, & ut in prioribus numis ſententia de ſcutella qua fundebant aquam non admodum differt a tua ſententia, qua vas illud explicas per כוס ישועות, *poculum multiplicis ſalutis,* ex *Pſal.* CXVI. *verſ.* 17. ita in hoc poſteriore numulo vaſculum cum anſa duplici vas aliquod templi, quod pro νιπτῆρι, ſeu *urceo*, quo Sacerdotes manus pedeſque abluebant, haberi poteſt. Plus laboris poſtulat altera Num. 3. facies, folio conſpicua, quod quidem etiamſi aliqui opobalſami aut exoticæ alicujus arboris eſſe velint, quatuor tamen, qui in conſpectum meum venerunt, & is ipſe, qui in Diſſertatione tua exprimitur, folium vitis eſſe clare oſtendunt, quod in genere abundantiam vini omniumque rerum notare poteſt, quemadmodum id ex hiſtoria exploratorum de Paleſtina conſtat, & ex Teniorum apud Græcos numis videre eſt, in quibus uva conſpicitur, & ex veteri quodam ſed vetuſtate attrito numiſmate æneo, quod mihi jam inter manus verſatur elucidari poteſt: in eo enim in antica facies apparet Auguſti, in averſa folium itidem vitis, aut quercus, vitis magis apparet, quod quorum ſit, mihi nondum compertum eſt. Vel ſi generalis illa vini abundantia in terra Sancta per hoc folium vitis adumbrata nondum faciat ſatis, eſt aliud quod etſi afferere non ſuſtineam, aliquid tamen opinor, atque il-

lud

lud ipſum hac occaſione ulteriori atque accuratiori eruditorum ſcrutinio ſubmitto. Quid illud ſit, propter ſeculi viciniam ex *Floro* illuſtri *Livii* epitomatore intelligere liceat. Is *L. III. cap.* 5. Pompejum M. per Orientem victorem introducit, quas res geſtas *Bucholzerus*, cujus Chronologiam ſequimur ad A. M. 3909. U. C. 690. ante Chriſtum 67. refert, adeoque nonniſi 75. annos poſt hos a Simone Pontifice Duce cuſos numos: *Hieroſolymam*, inquit ille, *defendere tentavere Judæi, verum hanc quoque intravit & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens ſub aureo uti cœlo, diſſidentibuſque de regno fratribus arbiter factus, &c.* Qui locus eruditos hactenus mirum in modum torſit. Vir maximi nominis *Grævius* ſcripſiſſe authorem cenſet, *vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens ſub aureo utique velo*, quam lectionem ita explicat. Intravit adytum Templi, quod Sanctum Sanctorum vocatur, & vidit in illo nihil, niſi patens ſpatium, ſeu inane, cui appanſum erat velum, aureis filis pictum. *Arcanum patens eſt*, quod *Tacitus* vocat *nulla intus Deum effigie, vacuam ſedem & inania arcana*. Quando tamen quibuſdam probatur, in ſiclorum figuris conſpectas fuiſſe uvas ant vitium folium, (quod numuli Samaritani æneì evincunt) non improbanda videtur *Lipſii* in hunc locum lectio, *ſub aureo vitem cœlo*. Quanquam enim priora illa arcana, quæ in Tabernaculo & Salomonæo Templo in Sanctiſſimo loco extiterant, de quibus Paulus ad Hebr. *cap.* IX. agit, ſub poſteriore Templo deſiderata fuerint, quod ex Rabbinis conſtat: illud tamen prorſus vacuum atque inane manſiſſe, plebemque naſo adunco ſuſpenſam quis credat? Citat equidem *Grævius* ex *Joſepho* locum *L.* VI. *cap.* 14. e quo nihil prorſus in eo penetrali fuiſſe contendit. *Joſephum* tamen ſibi ipſi opponere licet, ex *de bello Jud. L.* L. *cap.* 5. *Denique Pompejus una cum ſuis comitibus in Templum ingreſſus*, ἔνθα μόνῳ θεμιτὸν ἦν παρῆναι τῷ ἀρχιερεῖ, τὰ ἔνδον ἐθεάσατο; *ubi neminem præter Pontificem adeſſe fas erat, quæ intus erant candelabra cum lychnis & menſis in quibus libare atque adolere moris eſt, & vaſcula ex auro cuncta ſpectavit, congeſtamque pigmentorum molem, ſacræque monetæ ad duo millia talentorum.* Ponamus *Joſephum* commiſcere aut confundere locum, quo Pompejus intravit, nempe Sanctum Sanctorum cum vaſibus, quæ vidit in Sancto, ordo tamen ipſius præſupponit quaſi quædam ex iis, ſi non omnia, in Sancto Sanctorum fuiſſent aſſervata. Vel conjiciamus eam ipſam auream vitem, quam Pompejo Ariſtobulus miſerat, donum quingentorum talentorum, uti *Joſephus* Ant. *L.* XIV. *cap.* 4. aſſerit e Sancto Sanctorum fuiſſe furreptam, aut ad imitationem ejus, quæ in loco Sancto cuſtodiebatur, confectam: certe inter vitem auream a *Joſepho* memoratam, & inter folium vitis in numulo noſtro expreſſam aliquid affinitatis eſſe ſtatuo. Miſerat Pompejo donum maximum Ariſtobulus, *vitem auream* quingentorum talentorum, cujus mentionem fecit etiam *Strabon* Cappadox, (quem tamen in meo exemplari locum reperire non potui) ita referens: *Venerunt vero ex Ægypto legati cum corona aurea quatuor millium ſolidorum: & a Judæa vitis vel hortus aureus, quem nominabant Terpon, id eſt, delectabile*. Neſcio unde *Alſtedius* id hauſerit, quod in Paratitlis *p.* 451. ſcribit: „ Duo diverſa erant „ donaria Templi Hieroſolymitani, quo„ rum utrumque vitis aurea eſt appel„ latum. Prior vitis fuit Κειμήλιον domus „ Haſſamonæorum quam Pompejo dedit „ Anſtobulus Alexandri R. Filius, poſte„ rior dedicata fuit ab Herode in Tem„ plo a ſe inſtaurato. Docent autem Rab„ bini, hominum trecentorum opera ſo„ litum id donarium loco moveri. Unde „ intelligimus cur *Strabo* non ſolum vi„ tem illam appellet, ſed etiam hortum. Nihil addam ad iſtius vitis in Templo exiſtentiam, quam *Taciti* locum, qui Hiſt. *L.* V. ait: *Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit, Templumque jure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, nulla intus Deum effigie vacuam ſedem, & inania arcana;* intelligi poſſe de eo quod nulla idolorum in eo ſimulacra fuerint, quod ipſe paulo ante dixerat: Judæi mente ſola, unumque numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines, mortalibus materiis, in ſpecies hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Non igitur docere volebat, nihil omnino in templo repertum fuiſſe, ſed nullam illius Dei imaginem, alioquin ſibimet contradiceret, quum eodem libro ſcripſit *vitis aurea Templo reperta*. Sed de hac vite ſatis & forte uſque ad nauſeam. A figuris ad *characteres* ſeu literas accedo, quæ ſine omni dubio Samaritanæ ſunt & ex quarum intellectu ſenſus & hiſtoria numorum iſtorum pendent. In majore numo Num. 1. ut & in minore Num. 7. ex eo latere quod τὸ Lulaph continet, legimus.

1. ࠔࠍࠕ ࠀࠓࠁࠏ ࠇ : : : :
2. ࠔࠍࠕ ࠀࠓࠁࠏ : : : :

1. שנת ארבע ח : : : :
2. שנת ארבע : : : :

Quod

Quod legimus Schenat Arbang. חח autem in priore ſive majore aut vocis *Chazi*, aut vocis *Chirut* initium. In tertio meo, (quales a me quatuor conſpecti) qui veſtro, ut opinor, quarto reſpondet, conſpicio in uno ࠔࠀࠇࠑ, aliis literis vetuſtate attritis, quæ ſine dubio ࠔࠁࠀ notant, veſtigia enim adſunt, fuiſſe adhuc alias ſignatas literas, & quod hæ non aliæ literæ ſinr, id ex veſtro (liceat mihi ea voce uti) exemplo patet, in eo enim conſpiciuntur literæ ࠔ ࠔࠁࠀ, in noſtris ࠔࠀࠇࠑ hæc conjungamus & habebimus ſenſum plenum ࠔࠀࠇࠑ ࠔࠁࠀ *annus ſecundus*. quemadmodum in Superioribus habuimus *annus quartus*. Hæc de anteriore facie. Poſtica in numiſmate 1. & 2. habet ࠋࠂࠀࠋࠕ ࠑࠉࠅࠍ, לגאלח ציון, *poſt redemtionem*, (vindicationem, recuperationem) *Zionis*: & in minore ࠇࠓࠅࠕ ࠑࠉࠅࠍ *Libertatis Sion*: Viden ut ſenſus in omnibus his nummis conſpiret, *anno ſecundo*, *anno quarto Liberationis ſionis*, quam lectionem nihil affectati, nihil torti habere agnoſcit, quicunque iſta legit: & quamvis מיון *Myavan* pro ציון *Tzion* ſenſui hiſtorico nihil demat, primam literam tamen non מ ſed צ exprimere colligimus, ex eo quod מ & in ſcriptis, & in nummis Samaritanis pingatur ࠑ Litera autem ח figuram habet crucis Andreanæ, X, quorſum celebrem Ezechielis locum de fidelibus litera *Thau* ſignandis *Hieronymus* non male equidem refert: in quo tamen viri docti videtur partes ſupergreſſus, quando *ait*, *Samaritanos uſque hodie ſuis literis Thau crucis ſimilitudine exprimere*, quum apud eruditos extra controverſiam ſit, non niſi in Numiſmatibus X, in Codicibus autem ſcriptis N, legi. Unde conſtat, magnum patrem literas illas vix inſpexiſſe, ſed hæc ex aliorum potius relatione ſcripſiſſe, quod in exercitationibus Anti-Morinianis Hottingerus noſter Parens theſi 28. oſtendit. Grammaticam hanc literarum expoſitionem Hiſtorica aliqua ſuffulcimus. Notiſſimum inter varias æras Judæis quoque uſitatam fuiſſe æram contractuum, quam illi in honorem Alexandri M. ſuſceperunt, atque inde chirographa, epochas, teſtamenta, libellos repudii, matrimonii, aliaque inſtrumenta & literas contractus ſignare conſueverunt, appellatam מנין שטרות. Cum ea convenit fere æra Seleucidarum, Græcorum, Edeſſenorum, & eſt æra authoris librorum Machabæorum, annos ſupputantis a Regibus Syriæ & Ægypti. Magna inter eruditos diſputatio eſt, ad quem præciſe annum primus hujus æræ putandus ſit, hi enim ab anno primo Monarchiæ Alexandri M., illi a ſexto, quo Darium Codomannum devicit, alii a morte Alexandri, quum regnum ejus inter quatuor Duces diviſum fuit, hunc numerum contractuum inchoant. In hac ipſa æra majore alia quædam minor Judæis enata, poſtquam ultimus Mathathiæ Aſmonæi magni Judæorum vindicis filius Dux & Pontifex æque magnus Simon arcem *Sion* ejecto hoſtium præſidio occupat, illam ſolenni ritu expiat ingenti omnium lætitia, fœdus cum Romanis innovat, ſocios Spartanos ſalutat, & quod rei pondus eſt, ab Ariſtide Sedete Syriæ Rege omnibus immunitatibus confirmatis Dux ad extremos uſque terminos conſtitutus, ſignandi pecuniam jus accipit. In quo cum æram novam & minorem ſub illa majore conſtitutam aſſerui; nihil a me temere fictum velim credi: præter enim numiſmata claram habemus & evidentem Machabaicum contextum 1. *Macch*. XIII. 41. 42. ἔτους ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τοῦ Ἰσραήλ· καὶ ἤρξατο ὁ λαὸς Ἰσραὴλ γράφειν ἐν ταῖς συγγραφαῖς καὶ συναλλάγμασιν ΕΤΟΥΣ ΠΡΩΤΟΥ ἐπὶ Σίμονος ἀρχιερέως μεγάλου, καὶ στρατηγοῦ, καὶ ἡγουμένου Ἰουδαίων. Hæc veritas adhuc ex aliis duobus ejuſdem libri locis patet: alter *cap*. XVI. *verſ*. 26. extat ἔστησαν αὐτῷ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ. (obſerva vocem Græcam quæ exprimit Hebræo-Chaldæam vocem חירות חירו, uti celligimus ex *Levit*. XIX. 20. notare eam *libertatem* quæ *ſervituti* ſeu mancipatui opponitur & חרורים vocari *Liberos*, *emancipatos*, *manumiſſos*, quæ vox in Ludolphiano nummo comprimis ſpectatur (Alter locus ita habet *cap*. XV. *verſ*. 6. καὶ ἐπέτρεψά σοι, (alii legunt ἐπέτρεψάν σοι) ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σου; *Et permiſi tibi facere percuſſuram, proprium numiſma, pro regione tua:* ubi κόμμα plerique explicant per τύπον *typum*, quod Germanis ein Präg oder Stempfel, Gallis, *le Coin*, dicitur. Proprium hoc κόμμα, quis in nummis iſtis non videt? Quando vero iſthæc acciderint, in uno intuitu occulis ſiſtam, brevem tabellam addam ad *Bucholzeri* præcipue Chronologica principia confectam. Ea ſic habet.

An. Mundi.	Ant. Chr.	U. Co.	Ær. Contr.	Æra Simeonis.	Loci Machabæi.
3830	141	611	169	Jonathas occisus.	
3831	140	612	170	1. Simon Dux.	1. *Mach.* XIII. 42.
3832	139	613	171	2. Sion occupatur Nummi habent שנת שתים	1. *Mach.* XIII. 51.
3833	138	614	172	3. Fœdus Simeonis cum Romanis	1. *Mach.* XVI. 22.
3834	137	615	173	4. Nummi cusi שנת ארבע	1. *Mach.* XV. 6.
3835	136	616	174	5. Legati Simonis Roma redeunt.	1. *Mach.* XV. 10.
3836	135	617	175	6. Triphon occisus, cujus etiam Nummi extant.	1. *Mach.* XV.
3837	134	618	176	7.	
3838	133	619	177	8. Simeon a Ptolemæo occisus.	1. *Mach.* XVI. 14.

Quod si jam cum his nostris æneis nummis conferre liceret reliquos, qui hinc inde delitescunt, Samaritanos, quorum ectypa accurata aut delineationes ab iis quibus hæc κειμήλια sunt, solicite flagitamus, parum abest, quin audacter pronunciemus *Omnes Samaritanos* (exceptis Siclis argenteis, si modo veri dentur) *ad hanc periodum veluti ad centrum suum referri posse vel etiam debere*, & qui hinc lucem non accipiant, fictos esse, quales *Alstedius*, item *Schikardus*, & quidam alii produxere. Quos autem *Villalpandus*, *Castellus*, *Kirchenius*, *Hottingerus* nobis sistunt, omnes facile ad hunc canonem emendari aut ex eo illustrari posse confido. Ita simul cadunt tum quæ *Sperlingius* de incertitudine Nummorum Hebræorum, tam quæ *Scacchus* de eorundem nimis alte petita vetustate tradunt. Ita idem tuus *Num.* 6. nummus quem *Ludolphianum* vocas, & quem *Schraderianum* appellare possumus, quia cum eo in universum convenit, non legendus erit שם טוב, *illic bonum*, ut ipse volebat, sed שמעון, *Simeon*: neque in altera facie, *ad descriptum Jerusalem*, quod de ordinibus in templo constitutis explicat, sed *Lechirat Jerusalem*, *liberationis sive libertatis Jerusalem* legi oportebit. Ita is qui in *Ludolphianis* Epistolis alter adducitur & in *Hottingeri* Cippis *num.* 12. ad *pag.* 128. memoratur, in cujus una facie corona vel sertum complicatum, in altera urceus cum apposito ramo lauri vel oleæ conspicitur, an non in corolla Simeonis nomine optime exponi possit; de postica nihil dicam, cum ejus inscriptio cum nostris conveniat; de littera ח *ch* quæ *Num.* 1. in nostris apparet, & initialis est totius vocis, cujus reliquæ literæ detritæ sunt, si Chirat non placeat, חצי, *Chatzi* legi posse memini, quod *dimidium est* seu *semis*. Semisiclorum qui vocem חצי habeant, *Alstedius* in Præcognitis mentionem injicit, talemque adpingit, vel potius fingit, nemo enim hominum unquam talem nummum oculis usurpavit suis, certe nemo fide indubia descripsit. Hujus tamen occasione vocis ad valorem & denominationem talium numulorum delabimur. Cum appendissem *Num.* 1. qui Palmam habet, observavi semiunciam una cum quarta parte pendere, dicimus fünf quintlein. Alterum *N.* 2. non plane quartam unciæ partem, nicht gar ein Halb lots. Tertium cum vite & urceo minus. Quod Siclum æstimemus Semitaleri pretio, quo eum plerique collocant, gerah autem numus vicesies multiplicatus Siclum efficiat; quemadmodum ad Semitalerum triginta asses seu solidi Gallici requiruntur, tum colligimus hunc majorem *N.* 1. esse Semigerah & quadraginta

ginta talibus æneis ad conficiendum Siclum ſeu ſemitalenrum fuiſſe opus, & aſſem Tigurinum præter propter eodem valore eſſe. Qui valor ſi adſcribatur majori, ſecundus qui tribus Tuis reſpondet non plus valuerint quam ἀσσάριον, *Aſſarius*, *aſſarium*, *aſſiculus*, *as minutus*, ſeu obolus Italicus; qui quatuor granis fuit æſtimatus, id eſt dimidio crucifero, uti nos loquimur, ein Halber Kreutzer / ein Halbs Berner Kreutzerlein / duobus obolis Tigurinis, zwey Zurichhungſter / qua computatione facta, pro uno Siclo ſeu ſemialtero tales centum viginti poſtulentur, taliumque Servator meminit *Math.* X. 29. Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται. Tertium tandem arbitramur eſſe κοδράντην, *quadrantem*, ein Halber Penniag / Fuller / oder zwey Scharffein / de quo idem Servator aſſerit, in carcerem detruſo: *Non exibis hinc, donec reddideris* ἔσχατον κοδράντην, *ultimum quadrantem; Marci c.* XII. *v.*42. vocantur λεπτὰ δύο, *duo numuli*. Iſtam autem noſtram ſupputationem præciſe convenire comperio cum iis quæ *Tremellius* in Teſtamento Syro ad vocem מנין affert, quæ cum aliis minus accurata videbuntur, non renuemus patulas meliori docenti præbere aures. Quibus rebus ita conſtitutis, Clariſs. *Relande*, velim ipſe in ea cauſa, quæ mihi tecum intercedit, eſſe Judex velis. Non ero difficilis, palmamque lubentiſſime cedam, neque mihi mos eſt pro concepta ſemel opinione digladiari. Non jam credo neceſſe eſſe deſcendere ad Jannum Anſtobuli fratrem: hanc enim, de qua nobis ſermo eſt, æram eo uſque ſe non extendiſſe opinior. Nec eſt quod ulterius addam præter duas aut tres obſervationes, quæ cum rem Judaicam tangant, a noſtræ argumento epiſtolæ non erunt alienæ. Attulit non ita diu Nobiliſſimus Vir *Johannes Henricus Eſcherus*, ſecum e Belgio, donum, ut ajebat, illuſtris Dani, Siclum Hebræo charactere, non formatum ut vulgo ſolent. Is habet inſcriptionem ירושלים הקרושים שקל ישלרא, ibi 1. character paulo elegantior, quam in reliquis. 2. adeſt Punctatio. 3. Plus artificii. 4. Thuribulum ab imo per crucem acuminatum, non autem in pedem, ut ajunt, deſinens. 5. Amygdalus arbor ita diſpoſita ut flores a foliis palam diſcerni queant. 6. quod præcipuum *Jeruſchalaim Hakedaſſaim*, non *hakedaſcha*, ut in aliis. Ego, ut ut numum ut inventum reprobem, tamen quia pro rariſſimo exhibitus, & ex Regis Daniæ Muſæo, illud ut ænigma proponere tuæ ſagacitati volui. Alter etiam Siclus Hebræus eſt, reliquis ſimilis, ſed qui præter legendam vulgarem in eo latere ubi thuribulum eſt, adhuc habet interiorem legendam ſeu circulum, in quo hæc extant באלף חח. Quid hæc ſibi velint miror & mecum multi alii. Eſt qui putet annum milleſimum indigitari a *Talmud Thorah*; & circa A. C. 1500. tales Siclos cuſos: nec admodum refragor, tunc enim paulatim numiſmatica res inſtaurari cœpit, tunc Semiſeculo ante capta Conſtantinopoli recutitorum gens in Occidentem magis quam antea conceſſit & Chriſtiani fabri Judæis dictantibus tales fingere potuerunt numos Tertium tandem Romanum numiſma ſpectat, ſed quod rem Hebræorum explicat, & ut noſtri Samaritani ſummi Judæorum Ducis gloriam, ita hoc ultimi Ducis fata ſummamque ignominiam proponit. Eſt autem numus Veſpaſiani aureus, cum inſcriptione TRIUMPH. AUG. quem in *Suetonio Patinus* etiam habet. Talis apud nos non ita pridem venum dabatur mihique conſdectus eſt, qui a *Patino*, *Mezabarba*, aliis explicatur: Imperator in Quadrigis, dextra ramum a Victoria coronatur, ante eum Tibicem, & ante currum duo captivi, manibus poſt terga revinctis. In eo nihil deſidero, quam quod pro duobus captivis velim unum terga revinctum, pone quem carnifex. Hoc ut fingam non tam diſcerno oculis in numo, fateor, ſed aliqua paſſio id efficit, quia video ita & *Joſephum* hiſtoricum & numum Veſpaſiani mirifice alium ab alio illuſtrari & ut Simon Pontifex Libertatem Judæorum reſtauravit, ita & hic Simon Libertatis amiſſæ & penitus deperditæ in Veſpaſiani numo ſymbolum & victima exiſtit. Totum caput 74. *lib.* VII. *de bello Judaico*, nobis hanc rem fuſe pandit, ſed hæc præcipue verba hujus numi quaſi commentarium præbent: *Pompæ autem* finis fuit Capitolini Jovis Templum. Quo poſtquam ventum eſt, conſtitere. Erat autem vetus mos patrius operiri, donec ducis hoſtium mortem quiſpiam nunciaret. Is erat Simon Gioræ, tunc inter captivos in pompa traductus: laqueo vero circumdatus per publicum habebatur, quo eum ſimul cæderent qui ducebant. Lex autem Romanis eſt, ibi necare criminum reos morte damnatos. Poſtquam igitur eum finem vitæ habere nunciatum, omniumque *favor ſecutus eſt*, *tunc hoſtias inchoavere*. Hæc Joſephus. Cujus explicatio ſi nummum Veſpaſiani quod ad exitum Triumphi in morte Simonis non exhaurit, mutuo accipiamus ea quæ idem author ibidem ad initia ſeu deductionem in eundem Triumphum narrat, ut duorum captivorum in numo expreſſorum integram habeamus hiſtoriam: *Captivorum autem*, ait, *Duces Simonem & Joannem*, *& alios numero ſeptin-*

pringentos viros electos, *tam magnitudine corporum*, *quam pulchritudine præstantes*, *illico ad Italiam duci præcepit*, *cupiens illos Triumpho præterducere*. Sed manum de Tabula, video enim Epistolæ me leges jam diu prætergressum. Spectatissimum *Wildium*, de cujus fama, illustrissimoque Museo multi nostrorum ad vos proficiscentium sermones sunt, multis nominibus a me resultari, Teque cum ipso omnimode valere cupio. Datum Tiguri Pridie Calendarum Martii MDCCIV.

P. S. Ternos quos describo numos non omnes pingi curavi, observavi enim eum qui mihi secundus cluet inter vestros ter aut quater extare, & præterea in cippis Hebraicis conspici; hos autem pinxit eruditissima manus excellentissimæ pictoris Annæ *Waferæ*, abneptis Celeberrimi p. m. *Caspari Waferi*, qui inter primos est qui de numis Orientalium integro ab hinc seculo scripserunt. Ejus frater Rod. *Waferus* militum Helveticorum in Belgio degentium Præco castrensis est. Illa mihi retulit se de virtutibus & artificiosa manu filiæ amplissimi *Wildii* plurimum audiisse eamque hac occasione atque hoc nomine officiosissima salute impertit. Numus primus quem nusquam literis consignatum aut illustratum observavi bis adpictus est, *a.* uti revera extat, id videlicet quod in aliquo modo exeso adhuc adparet *b.* uti creditur & fingitur, qualis videlicet esse deberet, si esset integer, ubi tamen mihi ipsi in duobus fasciculis sub palma pictis non satis fit: originale enim, uti ex *a.* patet scutellis similius, ita autem videbatur Exc. Doctori *Kramero* p. m. itaque utrumque exhibere volui. Bini Num. 3. pertinent ad Excell. D. *Henri Hottingerum*, Medicum, quos mecum communicavit, meque altero ex iis beavit. Vidi etiam alios diversos quos tamen quia erant transeuntium peregrinantium, pictos habere non potui: ii tamen in mea me opinione confirmarunt.

HADRIANI RELANDI
DISSERTATIO TERTIA
DE
NUMMIS SAMARITANIS.

Ad Clarissimum, & Celeberrimum Virum

JOHAN. BAPTIST. OTTIUM

ARGUMENTUM.

Dissensio Cl. Ottii in quatuor Capitibus. Inscriptio anni secundi &c. quare minus conveniens. Lectio לגאלת ציון, *cur minus probetur. Figura literæ Mem in Nummis. Vox Sion non pro arce, sed monte Templi, adhibetur in libris Machabaicis. Num in Nummis* לולב, *an Palmæ potius?* φοίνιξ *&* βαΐα *quid? Nummi Ottiani primi explicatio tentata. Lux affusa Nummo Ludolfiano.*

Clarissimo & Celeberrimo Viro

JOHANNI BAPTISTÆ OTTIO.

HADRIANUS RELANDUS S.

Epistolam tuam legi libenter, & expressas manu Naseriana nummorum Samaritanorum formas libentissime sum conspicatus. Equidem non speraveram tanti fore conjecturas meas ut a Te examinari mererentur, nedum ut tam benigne & amanter de conatibus meis judicares. Gaudeo multa a me scripta Tibi probari & eatenus inter nos convenire, quod nec hi, nec ulli veterum Hebræorum nummi ante Hasmonæorum tempora sint percussi; quod sicli & alii nummi literis Hebræis quadratis insigniti, qui magno numero circumferuntur, omnes pro adulterinis sint ha-

habendi. Verum, quandoquidem & nonnulla ſunt, in quibus a me diſſentis, & explicationi meæ non ſuffragaris, licebit mihi, bona cum Tua venia, hic Tibi rationes illas exponere, quibus firmari poſſe ſententiam meam exiſtimo Quatuor potiſſimum ſunt, quæ Tibi ſeccus ac mihi videntur, & Nummum meum primum, qui ceteris eſt clarior & integrior, tangunt: quorum primum eſt, Inſcriptio שנחא רכד, *Anno* 774. quam Tu legis שנת ארבע *Anno* 4. & colligis quum in omnibus Nummis a Te viſis *Anno* 7. 4. at non ultra *octavum* legatur, æram a Simonis Pontificatu, vel arcis Zion Subjugatione, eſſe ducendam. Alterum eſt, Inſcriptio faciei averſæ לנאלח מיון *ob liberationem a Græcis*, quam Tu legendam arbitraris, una litera mutata לנאלת ציון *Liberationis Zionis*. Tertium, imago uni facierum impreſſa, quæ mihi *palma* eſt, tibi לולב *Lulaf*. Ultimum, *calix* alteri faciei impreſſus, quem Tu pro *Urna Mannæ* habes: quod quidem hic non tangam, quoniam in Diſſertatione mea ſecunda ad. Ampliſſ. *Wildium* Sententiam meam circa hoc argumentum pluribus firmavi. Reliqua autem eruditiſſimæ epiſtolæ Tuæ capita nunc præterire conſtitui, ad quæ majus otium nactus alias reſpondebo. Sed ad tria illa, modo a me indicata hæc notanda cenſeo. Ad Epocham quod attinet, in Nummis tam Tuis quam meis ſignatam, eam ubique legi, ANNO SECUNDO, QUARTO, &c. exiſtimas ita ut annus ille ab initio Principatus Simonis ſupputetur & cum hujus fine deſinat. At obſervare Te velim in Nummis non legi *anno ſecundo Simonis*, ſed (demus hoc) *anno Secundo*. Quod profecto nullum certum characterem temporis deſignat: nec enim cum lego, *anno Secundo* vel *quarto*, inde licet colligere ſub cujus Principatu nummi cuſi ſint. Adeoque videtur (ſi Tua ſtabit ſententia) addendum fuiſſe *Simonis*, ut plene legatur *anno Secundo Simonis*. Ita etiam 1. *Macch.* 13. 41. ἔτȣς πρώτȣ *anno primo* Σίμωνος Ἀρχιερέως *Simonis Pontificis Maximi*: vide & *cap.* 14. 77. Ideo autem annum inſcripſerunt nummis, ut ætas eorum pateret, quæ patere nequit, niſi conſtet unde æræ origo ſumi debeat. Dices, non niſi ſub Simone cuſos eſſe Nummos, adeoque certam eam æram eſſe; & ſi *anno quarto* vel *quinto* legatur, ſine dubio id de Principatu Simonis intelligendum. Verum hoc τὸ κρινόμενον eſt, num ſub ſolo Simone nummi cuſi ſint. Et quid ſi hoc concedam, certe Simon ſuo tempore id prævidere non poterat, neminem e Succeſſoribus ſuis nummos percuſſurum. Si autem illud merito ſperare poterat, ab aliis poſt ipſum, qui imperii habenas flecterent, numos eſſe cudendos, quomodo illorum nummorum ætas a ſuis poterat diſcerni, quum vagus iſtiuſmodi titulus æque imperio ſucceſſioris quam ſuo convenire poſſet? At & mea Epocha, quam lego ANNO 774. (dices) non habet additum terminum, unde duci poteſt. Fateor, at ea certa eſt, & ita ſine ulteriori additamento ſolebat uſurpari, uti ANNO 177. &c. 1. *Macc.* 14. 1. & in iis libris paſſim. Sic in Nummis Tyriorum, Antiochenorum, Damaſcenorum, anni tantum notantur, quoniam illæ Epochæ notæ erant, de quibus accutatiſſime Eminent. *Noriſium* egiſſe non ignoras. Objicis mihi, Vir Celeberrime, Nummos duos, quorum unus expreſſe hæc verba referat שנת שתים, ANNO SECUNDO, alter, שנת ארבע ANNO QUARTO. Quæ ſi ita ſe habeant, fruſtra me Tuæ ſententiæ oppono. Sed nec meus, nec Tuus nummus, in quo id exhibitum reris, integer eſt aut omnes literas repræſentat. Meus habet שנת ש׳ quod explicari poteſt, ANNO TRECENTISIMO .... Nec video, quid obſtet. Tuus nil niſi, שתי & plane alius τύπȣ eſt, ac meus: quare defectus unius ex altero nequit ſuppleri. Adeoque quum multæ literæ deficiant, non niſi conjecturis locus eſt, quæ mihi tantæ eſſe certitudinis non videntur, ut iis hypotheſis maximi momenti, *de Numis ſub ſolo Simonis Principatu apud Hebræos cuſis*, inniti poſſit. De alteio nummo in quo legis שנת ארבע *anno quarto*, quique idem eſt cum meo primo, in quo lego, *anno* 774. egi in diſſertatione mea 1. *p.* 76. & cur unamquamque literam ita legerem, aperui. Utinam nobis plures hujuſmodi nummi ad manum eſſent & magis integri, qui me cogerent ſententiam meam mutare ob amorem veritatis! Ptomtiſſimum me videres ut qualeſcunque conjecturas meas miſſas facerem & aliam hypotheſin amplecterer. Sed, ut quod res eſt, libere dictam; nondum video ſatis commode alia via, ac ingreſſus ſum, Nummos illos quos habemus explicari poſſe. Tranſeo ad aliam faciem Nummi mei primi, quam legis, unius literæ differentia a lectione mea abſcedens לנאלת ציון *Liberationis Zionis*, ego לנאלח מיון *Liberationis a Græcis*. Laudat talem Nummi Samaritani epigraphen Rev. P. *Harduinus*, qui plane eandem cum Tua ſententiam fovere videtur, & legendum לנאלת ציון *Redemtionis Sion*, & Nummos omnes ſub Simeone cuſos: meminit enim ſolummodo horum annorum Nummis inſcriptornm, *anno I. anno II. anno III. anno IV.* & in memoriam arcis liberatæ illos cu-

ſos arbitratur. En ipſa ejus verba e *Chronologia Vet. Teſt. pag.* 219. „ Tum hæc „ autem arcis liberatio (de qua 1. *Mach.* „ 13. 51.) tum libertas Hieroſolymorum „ accepta anno ſuperiore conſignata in „ Nummis eſt cum hac tergemina Epi- „ graphe, Samaritico charactere, quem „ nos Hebraico repræſentamus, לחרות „ ירושלים *Libertatis Jeruſalem* : לנאלת „ ישראל *Redemtionis Iſrael*: לנאלת ציון, „ *Redemtionis Zion* : anni vero quadru- „ plicis nota *anno I. anno II. anno III.* „ *anno IV.* qui Nummi in multis hujus „ civitatis cimeliis adſervantur. Sunt & „ iidem apud *Kircherum* noſtrum *Tom.* 2. „ Œdipi Ægyptiaci *Part. I. pag.* 94. 95. „ 101. cum Simeonis nomine non Sa- „ muelis, ut ille credit. Pagina quoque „ 102. qui prior eſt, ut & alter eximius „ e Cimelio D. *Foucalt* diſerte habent „ in antica parte hanc epigraphen, *Si-* „ *meon Princeps Iſraelis* שמעון נשיא ישראל „ Samaritico charactere. Ibidem *pag.* 101. „ cum *Simeonis* nomine botrus eſt ſym- „ bolum vineæ Engaddi: uti deprehen- „ dimus in nummo Herodis Ethanar- „ chæ, ſub quo natus eſt Chriſtus Serva- „ tor. " Huc uſque *Harduinus*. Eandem ſententiam amplexus etiam videtur Vir admodum Rev. & Celeb. *Cramerus*, magno reipublicæ literariæ damno nobis nuper ereptus, in opere poſthumo, cui titulus, *Theologia Iſraelis Lib. II. c.* 1. *p.* 209. Æram in nummis occurrere ſcribens לנאלם ציון *Vindicationis Zionis*, & illam initium capere a vere anni 171. quo Simon ar cem Sionis occupavit: at aliam Epocham, quæ hanc anni ſpatio prævertat, in Nummis notatam hoc titulo לחירות ירושלית *Libertatis Hieroſolyma*, exordium ſumere ab autumno anni 170. quo Demetrius Syriæ Rex Judæos a tributis liberos pronunciavit. Verum hæc nimis ſubtiliter mihi diſtincta videntur, quum duas Epochas vix anni ſpatio diviſas in nummis occurrere non videatur probabile, quæ ſummam inducerent confuſionem, & quarum alterutra facile carere poſſent. Tota noſtra diſputatio hic de litera eſt, quam tu pro צ habes, ego pro ם. *Ais Mem*, & in *Scriptis*, & *in Nummis* habere hanc formam ✠. *Scripta* quod attinet, iis vix certo uti aliquem poſſe ut Nummos explicet ubique, ipſe declaras *p.* 77. ſcribens *Tau* in Nummis ut *X*, in codicibus autem ſcriptis ut ✠ pingi: unde differre nonnunquam formas literarum Samaritanarum, uti in Codicibus ſcribuntur, ab iis, quæ Nummis imprimuntur, liquet. Addis in *Nummis Mem* hac forma ✠ pingi. Equidem illos Nummos non vidi, ſed ἔκτυπα eorum quæ vocem ירושלים adeoque *Mem* in fine exhibent. Valde autem diffido pleriſque Nummorum ectypis, quæ ſæpe ut hypotheſi Scriptoris inſerviant, a genuina forma literas deflectant. Quare nec ipſe Nummos Samariticos a me diſſertatione I. exhibitos, pingere volui, ſed artifici dexteræ Lectiſſimæ *Wildiæ*, & illa ἔκτυπα cælatori, commiſi, ne hilo quidem mutato. Quum autem de nummus *Kircheri* & *Villalpandi* mihi idem non conſtet, malo ἐπέχειν, quam ex iis formam literæ *Mem* talem & nunquam aliam credere, quam vulgo in Scriptis Samaritanis conſpicitur. Sed in iis ipſis Nummis a *Villalpando* & *Kirchero* exhibitis *Mem* in voce ירושלים invenio hac forma ✠, quæ facile in Scriptionis compendium ✠ hoc modo pingi poterat, uti fere in Nummo meo primo & ſecundo conſpicitur. Nam ut bene rem æſtimemus, ſi in forma literæ *Mem* (uti a *Villalpando* & *Kirchero* pingitur) ductus quadrati paulum rotundetur, eadem forma, aut certe non multum diverſa ab litera *Mem*, uti in Nummis meis exhibetur, reſurget. Adde quod pro *Zade* (pro qua Tu eam literam habes) vix videatur haberi poſſe, ſi ſcripta alphabeta ſequamur; nam ea *Zade* longe alio modo exhibent, uti ex Alphabeto E. *Bernardi*, & aliunde liquet. Poſſem & hoc addere, vocem נאלת *Vindicationem*, quum Judæi hanc vel illam ſpecialem gentis ſuæ vindicationem innuere volunt, additum ſibi ordinario habere illud a quo erant liberati, non rem quæ vindicata eſt (ita in Megillath Taanith, & Talmude legitur נאלת מצרים *Liberatio ab Ægypto vel Ægyptiis*) aut circumſtantiam notabilem, qua illa liberatio ab aliis dignoſcitur, ut נאלת מרדכי *Liberatio Mardochæi*. Juxta hanc formam commode ſe mea lectio componit, *Vindicatio a Græcis*: nam ita in libris Machabæis illud *a Græcis* ſignificanter legitur; qua ratione hæc vindicatio ab omnibus aliis diſcerni poterat. At נאלת ציון *Liberationem Zionis* quum lego, ambiguum eſſe poſſet, num liberationem *a Zione* vel ejus incolis, an vero Zionis, intelligere debeam: nam ſit נאלת מצרים uti modo vidimus, *Vindicationem ab Ægypto*, non ipſius, notat. Verum, quia & Nummi eſſe perhibentur cum Inſcriptione לנאלת ישראל *Redemtionis Iſrael* (licet ipſe eos non viderim, & propterea dubitem de vera lectione, in qua adeo variare viros doctos comperio) illud non nimis urgebo, ſed hoc potius; minus apte Liberationem *Sionis* meo judicio ad expugnationem arcis Hieroſolymitanæ, de qua 1. *Matth.* 13. 51. a Te referri, quum per *Sionem* eo tempore non

arcem

arcem illam Hierosolymitanam, sed *Montem Templi*, intelligerent. Fateor, arx sita erat in Sione: ita sacræ literæ eum montem appellant; sed tempore Hasmonæorum per *Sionem* vulgo montem Templi, non arcem illam, intelligebant. Adeoque *Liberatio Zionis*, juxta genium loquendi illorum temporum, *Liberationem Templi*, aut montis Templi significabit, non vero arcis. Ita 1. *Mach.* 4. 36. Judas purificare studens Sanctuarium ἀνέβη εἰς ὄρος Σιὼν, καὶ εἶδον τὸ ἁγίασμα ἠρημωμένον καὶ τὸ θυσιαστήριον βεβηλωμένον, &c. *ascendit montem Sion, & vidit Sanctuarium desolatum & altare contaminatum*. Ibi mons *Sion* non pro arce, sed monte Templi accipitur; quod & sequentia ostendunt *v.* 41. quum enim jam ascendisset montem Sionis, uti vidimus, hortatur suos ut oppugnarent, τοὺς ἐν τῇ ἄκρᾳ qui erant in *Arce*. Aliud ergo ibi *arx*, aliud *Sion* est, nec *Liberatio Sionis*, *Liberatio Arcis*. Similiter 1. *Mach.* 14. 26. tabulæ æreæ in memoriam gestorum Domus Hasmonææ dicuntur affixæ columnis in *monte Sionis*, & *v.* 49. ἐν περιβόλῳ τῶν ἁγίων *in ambitu Sancti*. Per Sionis itaque montem, montem Templi innuit. *Arx* autem nuspiam quod sciam Sion ibi appellatur, sed ἄκρα arx simpliciter, uti passim, ita & in introitu illo Simonis 1. *Mach.* 13. 51. Utique si hoc titulo Nummi erant insigniti (quod Scriptor librorum Machabaicorum ignorare non poterat) quidni ibi saltem voce *Sionis* utitur, & *Sionem* esse receptum memorat? Cur *arcem* simpliciter appellat, & montem Templi *Sionem?* Quum igitur arcem *Sionem* non vocet, nec ego per Sionem in Nummis circa illa tempora cusis, arcem illam Hierosolymitanam intelligam. Nec videtur mihi ingressus in *arcem* res tanti momenti fuisse, ut sola aliis rebus majoris emolumenti omissis in Nummis signari debuerit. Nam jam antequam Simon arce potiretur, tam solennibus verbis dicitur 1. *Mach.* 13. 14. ἔτους ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τοῦ Ἰσραὴλ *anno centesimo & septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israele*. Tunc & mutata jam erat scribendi annos formula: tunc aliam faciem renata respublica Judaica induerat. Ea contigerunt anno 170. 1. *Mach.* 13. 41. at arcem demum cepit Simon anno 171. *ibid.* *v.* 51. Viden'? arx capta nondum, & sublatum tamen erat jugum gentium ab Israele. Confecta erat anno 170. גאלת מיון *Liberatio a Græcis*. Nam licet arx capienda testaret, ea res non habebat magnam difficultatem, quum arx undique inclusa esset, sic ut fame omnes qui in ea erant, perire debuissent, uti notatur 1. *Mach.* 13. 49. Fateor, diem quo arcem victor ingressus est Simon, voluit quotannis celebrari, at non propterea quod hæc ei victoria tanta videretur, sed quod ultimum hoc votis ejus restaret, ut hostis pelleretur ex Israele 1. *Mach.* 13. 51. Certo enim certius sibi arcis hujus subjugationem promittere poterat. Verum si in Nummis legamus *Liberationem Zionis*, quis non sentit animo suo hanc ideam obversari, eam rem maximi momenti esse debuisse, quum tamen non nisi sequela certo accessura esset præcedentium victoriarum. At si *Liberationem a Græcis* legamus, res maxima indicatur, & dignus nummo titulus, quo omnia gesta domus Hasmonææ innuuntur, cui hæc illustris liberatio tot hominum sanguine parta, post Deum, debebatur. Non solemus profecto, quum libertatem suam gens quædam recuperavit plurimis ab hoste reportatis triumphis, ultimum & ignobilem respectu aliorum, Nummis aut monumentis inscribere; nec id Simonem fecisse mihi persuadeo; quod fecisset sane, *si Liberationem Zionis*, idest, Te interprete, *subjugationem arcis Hierosolymitanæ* nummo inscripsisset. Plura non addam, nec ad examen revocabo num נאל de monte, uti Zion, satis commode dici possit, quandoquidem ea quæ dicta sunt sufficere existimo, ut videas, Vir Celeberrime, quæ me rationes in sententia mea firment. Denique de Palma, quam Nummi mei tres priores exhibent, hoc quoque monendum censeo, me Tibi non accedere, qui pro לולב, non palma, eam imaginem habes: quod tum ex epistola ad me data, tum literis iis, quas ad Eruditiss. Virum *Joh. Henr. Hottingerum*, dignum tanto avo nepotem dederas, quasque mecum, dum in his oris esset, communicavit, Te statuere deprehendi. Quid enim palma est, si hæc non est? לולבים ea densitate ac forma pingi posse non videntur, nec inde fructus palmæ pendere tam longe pendulo caule, nisi in agitatione ejus balani in continuo decidendi periculo essent. Et quomodo, precor, tam compacti & rotundi fasces ita disponi circa altare poterant, ut capita sua inclinarent, quod fieri consuevisse Judæi tradunt? unde Spathas & ramos potius fuisse oblongioris formæ credendum est, non talis figuræ, qualis in Nummis nostris apparet. Quare rami palmæ (non additis fructibus) utique in lætitia leguntur adhibiti, *Nehem.* 8. 15. 1. *Machab.* 13. 51. 2. *Mach.* 10. 7. *Apoc.* LVI. 9. Tales palmæ rami φοίνικες appellantur. Quid vero φοίνικες; Palmæ, quales victoribus in ludis dabantur. Ita *Pausanias*, *Plutarchus*, & alii eas appellant. Qualem hæ figuram

ram habuerint, Nummi plurimi urbium Νεκόρων docent: scilicet rami palmæ erant, at sine fructu, & oblongi. Fateor, appellantur & βάϊα; verum per βάϊα necessario Spadices debere intelligi, quæ & ramum & fructum complectantur, nondum video. Hic autem in nummo non ramus solum, sed summum totius palmæ cacumen (si vel de infima parte fateremur non liquere) cum duabus balanis ab utroque latere pendentibus (uti in omnibus Nummis palma pingi solet) & trunco, cujus cortex gradus illos præfert quos in palmis esse novimus certo certius conspicitur, quod pro *Lulaf* haberi nequit, nisi quis optima Judææ palmeta spoliata plane existimare velit: & num credemus populo licitum fuisse ad lubitum suum palmas fructibus denudare, & summa arborum cacumina præcidere, ut inde talis figura nascatur, quam Nummi mei tres priores præferunt. Hoc enim palmæ est proprium, quod si summum trunci cacumen præcidas, ea ἐπικοπὴ arbori exitiali.

Vide quæ in hanc rem notavit Cl. Salmasius in *Exercit. Plinian. p.* 934. Nihil addo, sed ad ipsorum Nummorum conspectum Te remitto. Hæc si tanti ponderis Tibi esse non videantur, ut explicationem Tuam deserere possis, & meam amplecti (quod vix sperare ausim (aliquid tamen ad sententiæ meæ elucidationem conferent. Si quædam liberius a me dicta sint, quæ Te offendant, non dicta volo. Nec enim mihi propositum est lites aut serere aut fovere, sed candide veritatem indagare & inventam profiteri. Quare mihi oblatum Te gaudeo, a cujus eximia eruditione, & singulari humanitate duplicem mihi fructum promitto. Illa quidem ingenio meo exercendo, hæc erratis, & ἀπαροράμασι condonandis, uti spero, inserviet. Multo plura adscriberem, si ad singula doctissimæ epistolæ Tuæ argumenta, ut par est, respondere statuissem. Verum & hinc, Deo volente, aliis literis ad Te dandis nascetur materies: & quod rei caput mihi videbatur, difficultates Tuas, circa sententiam meam motas nunc examinare decreveram. De Nummis Tuis, pro quorum transmissis imaginibus Tibi gratias ago, hæc adjicio. De secundo Tuo, qui mihi primus est, & nunc & ante fusius egi, uti & de tertio Tuo, qui mihi quartus est, cujus unam faciem (qua Mannæ amphora est) singulari Dissertatione explicui, alteram (qua folium vitis apparet) tam erudite & ingeniose in literis Tuis illustrasti, ut plane in sententiam Tuam concedam. Ne autem ἀσύμβολος videar in Nummi Tui primi explicatione, hæc paucis habe. Quum Nummus admodum sit detritus, & illa a Te exhiberi scribas quæ quodammodo in eo, licet exeso, adhuc apparent (ut ipse fateris) non minis fidenter aliquid affirmandum existimo, sed expectandum donec huic similis alius orbi erudito exhibeatur qui clarior sit. Quantum vero licet conjicere, in una Nummi facie duos calices video, quos in fasces salicum transformari non fero, quique vel abundantiæ vini, vel gratiarum actionis symbola esse possunt. Malo tamen hic vini copiam designent. Quod ex iis eminet vel iis impendet oblongum, folium esse palmæ puto, quod & in nummo *Ludolfiano* (ita eum appello quod Cl. & amicissimus mihi *Cellarius* illum ex cimeliis *Ludolfianis* se hausisse *p.* 42. *Hist. Sam.* fateatur) conspicitur calici impendens. Fructus medius inter duos calices mihi fructus palmæ sive balanus est, quam clarius in eodem *Ludolfiano* conspicimus. Confer hanc opinionem meam cum aliarum gentium Nummis, quos plurimos & trivisti, & ipse possides: sic ut jure merito Cimeliarchio publico Te præpositum urbs Tigurina voluerit. Extant apud *Goltium* in Numism. Insularum Græciæ aliquot Nummi, qui amphoram exhibent, vini feracem regionem indicantes & supra pendentem uvarum botrum, folium vitis, hederam vel simile quid. Vide & Cl. *Begeri* Thesaur. Brandeb. Tom. I. *pag.* 470. 478. & alibi. In hoc nummo non vitis folium, sed palmæ conspicitur, quod Judæi e palmis præstantissimum vinum conficerent, quod Tu ex *Athenæo* jam observasti. In altera facie palmam video, & globulos, quos Tu pro decidua Manna habes, ego palmæ adhærere judico, quales in Nummo meo primo, secundo & tertio apparent, & in *Ludolphiano* ex calice eminent, & in Nummo hoc Tuo videntur ab arbore separati, quod lineæ illæ temporis injuria sint erasæ. Conspicio ibidem duos calices, non לולבים aut fasces salicum. Vide Vir Celeberrime, an non in ipso Nummo pro calicibus, balani tales duæ, utrinque pendulæ, possint substitui, quales in Nummo Wilhelmi II. exhibet *Paruta* in Sicilia, quæ ad suppositum fere solum pertingunt, & quæ in Nummo meo primo & secundo apparent. Quodsi linearum superstitum ductus id non patiantur, sint calices duo: non refragor. De literis utrique faciei inscriptis nil certi affirmare valeo. Si omnes extarent, aliquid tentari posset; nunc incerta videntur omnia. Videor mihi ab una parte legere שתא, *annum* cum literis tribus numerum indicantibus & ח; ab altera מיון, *a Græcis* ut in Nummo meo primo: sed cum reliqui characteres desint,

& ipsi

& ipsi obscure extent, malo ἐπέχειν. Plurimam Tibi salutem nunciatam vult Spect. Wildius, & Lectissima filia ejus Anna Maria artifici virgini Annæ Waseræ; de quo nobili puellarum pari, si artificium pingendi spectes, an hæc vel illa prior sit, jure merito dubites. Orbis certe utrique non parum debet, quod & illarum auxilio hi nummi Orientales lucem adspiciant. Lusi aliquando quibusdam Elegiis & deprædicavi artificem illam Wildianam dexteram, quas tibi mitto, ut quidpiam minus serii argumenti gravioribus curis Tuis interponam. Vale Vir merito Tuo Celeberrime, & diu vive ad Athenæi patrii gloriam, & veræ Eruditionis incrementum. Scribebam Trajecti ad Rhenum. V. Non. Maj. MDCCIV.

ELEGIA I.

ARTIFICI DEXTERÆ PULCHERRIMÆ VIRGINIS MARIÆ WILDIÆ.

S.

Dextera, quæ nitido describis marmora cœlo,
Et digitis animas æra vetusta tuis,
Docta rudi tabulæ varias inducere formas,
Nec minus in Lyricos ire parata modos,
Dextera, quam Cytheræa suæ componere vellet,
Judice me, poterat præposuisse suæ.
Quid non vestra domus, quid non tibi patria debet,
Nobilior meritis utraque facta tuis?
Dextera dilectum cœlo latura parentem,
Cujus ab artifici virgine crescit honor.
Tu rigido Divum simulacra effingis in ære,
Omnibus ut pateant, quæ patuere tibi.
Tu Venerem pingis, qualem si cernat Apelles,
Non minor est ars hæc, diceret, arte mea.
Hac facie mea Diva suis emersit ab undis
Et strinxit fusas per sua colla comas.
Munere virgineo Cyanos, viridesque Smaragdos
Affixas digitis, Roma superba, tuis;
Et vestris olim suspensa monilia collis,
Gens Asiæ, & rubro proxima turba mari,
Insertumque Diis varium spectamus Abraxan;
Prisca puellari signa renata manu.
Dextera, quæ veluti Pelopis manus altera quondam
In nitidum verti tota mereris ebur.
Hei mihi! quid voves? nec enim formosior esset
Quæ Lybicum superat laude nitoris ebur.

Ar-

Articulis candore tuis purissima cedunt
Marmora, vel Pariis *eruta saxa jugis.*
Illa quidem læto venas suffusa rubore,
A digiti vinci non doluere tuis.
Hi digitis (tacita sic marmora voce loquuntur)
Hi facient vita nos meliore frui.
Pondus iners tellure diu latitavimus ima,
Quæ nos visceribus condidit ante suis.
Nec poterant prodesse atris defossa latebris
Queis nullum licuit saxa videre diem
At nunc artifici formosa resurgere dextra
Nos facit, & nostras Wildia *pandit opes.*
Virginei flos illa chori, quem conspicit Ya,
Conspicit affusis Amstela fessus aquis
Credibile est, ea dum tangis, pulcherrima Virgo,
Mollia contactu marmora facta tuo.
Felicem, talis quem dextera complectetur,
Candida perpetua dextra colenda fide!
Evolat, & cœlo tibi Fama acclamat aperto,
Marmoribus vitam tu dabis, illa tibi.

ELEGIA II.

PHæbe vale, cultæque diu mihi Numina Musæ,
Numina cultori non satis æqua suo.
Ad vestra heu quoties projectus limina supplex
Effudi calidas ore tremente preces,
Afflatum sacrasque petens in carmina vires;
Vos tamen hanc misero sæpe negastis opem.
Læsa meos alio transfert patientia cultus.
Altera erit numeris præficienda meis.
Quæ quoties oculis animoque puella recurrit
Carminibus facilem dat celebranda viam.
Quid celebrem, mea Diva, tuo dic blanda Poetæ.
Copia judicium detinet ipsa meum.
Nec mea te totam laudare modestia vellet:
Atque elegis longe majus id esset opus.
Quod si tanta mihi fiducia, credar in una
Palladaque & Cypriam dicere posse Deam.
Innocua, & dono mihi dextera nota recenti
Ingenio causam suggeret una meo.
Hæc mihi ruderibus subrepta numismata priscis
Depinxit digitis non imitanda suis.
Hæc me per totam fidissima ducit Idumen,
Lætaque perpetuis arva Saronis aquis.

Per Tyrias me convalles, cedrosque virentes,
Qua surgit tumidis Libanis ora jugis.
Hic ego florentes sylva Phasaelide palmas
Conspicio, & balanos terra beata, tuas.
Hic media veterum Solymarum sistor in urbe.
Agnosco scriptas, queis fuit usa, notas.
Nil Titus impresso Templis profecit aratro,
Ut famam strata sterneret urbe tuam.
En, Libertatis priscæ Tibi signa supersunt,
Sparsa per innumeras, Gens Solymæa, vias
Quæ tibi cum licuit monumenta inscribere nummis,
Longe erat a patrio vis peregrina solo.
Nunc contemta Deo, contemtaque gentibus, erras;
Sprevisti magnum quæ prior ipsa Deum.
Hæc mihi quod pateant, Tibi debeo, candida, soli:
Et debere Tibi plus quoque, dextra, volo.
Quod tibi vis referam pro tanto munere munus?
Vatibus exiguas esse putabis opes.
Et maria & terras pauper peragravit & exul
Mæonides, Clarii dux licet ipse chori:
Qui mihi si credas, vestras optasset ad ædes
E mendicato vivere posse cibo.
Ille suis Tythium numeris & Mentora dixit
Et numeros doni jussit obire vicem.
O miserum vates hominum genus! Aurea currunt
Sæcula, nec superest artibus ullus honos.
Exemplum magni vates imitatur Homeri,
Carmina muneribus substituuntque suis.
Nos quoque, qui turba forsan censemur in illa,
Hos tibi sacramus, dextera culta, modos.
O nivea, o nullis digne celebranda Camænis
Dextera, perpetuas apta fovere faces:
Et tamen a nullis unquam tepefacta favillis,
O nivibus nimium dextera tuta tuis!
Te dicam, laudesque tuas ad sidera tollam,
A sera dignas posteritate legi.
Utque meas, opto, vivas formosa, per artes
Effugiantque avidos nomina vestra rogos.
Quodsi forte meo interitum meditata labori
Lusibus his vitam fata maligna negent,
Cumque tuis titulis pereant mea carmina, fato
Gaudebo Tecum posse perire pari.

HADRIANI RELANDI
DISSERTATIO QUARTA
DE
NUMMIS SAMARITANIS.

Ad Clarissimum, & Celeberrimum Virum

JOHAN. BAPTIST. OTTIUM

ARGUMENTUM.

Lectio Inscriptionis Nummi controversa. Nummi non satis integri. Cimeliarchum Uglenbroekianum. Deus Carnuntus, *fictum Numen. Nummi cum Inscriptione*, anno secundo: *Rejicitur prior conjectura de lectione* anno 224. & a Græcis. *Cl. Toinardus primus qui legerit* anno quarto .... Liberationis Zionis, *non Harduinus. Villalpandi, Kircheri, Hottingeri, Bocharti errores in legenda hac ipsa Inscriptione. Origo æræ ab anno Seleucidarum* 170. *Palmæ imago in Nummis, de quibus agimus non* לולב. Balani *duæ, non mala* citrea. Unum *tantum in hac ceremonia malum citreum, & sinistra gestari solitum, non insertum fasci. Locus Josephi examinatus.* Citrea *mala, eadem quæ* Persica. *Amphora Mannæ non habet figuram* calicis, *quam nummi præferunt, sed* σαμνȣ.

Viro Clariss. & plurimum Reverendo

JOHANNI BAPTISTÆ OTTIO.

HADRIANUS RELANDUS S.

Quum inter alia, quæ ad illustrationem Nummorum Samaritanorum a nobis disputata sunt, etiam hoc disquireremus, Amicissime Ottii an legendum esset, in illo Nummo, cujus tria ἔκτυπα edidi, (*tab. I.*) *Anno quato redemtionis Zionis*, uti Tu arbitrabaris, an vero, anno 224. *ob Liberationem a Græcis*, & totum discrimen, quod inter hanc & illam lectionem intercedit, non nisi in tribus literis, varie lectis, consisteret, nosti Te ad lectionem Tuam probandam ad me scripsisse, Nummos inveniri, qui Inscriptionem hanc præ se ferrent, *anno secundo*, שנת שתים, & ἔκτυπον misisse, quod tamen nonnisi has literas .... שתי, quæ ad longe aliam vocem quam שתים referri possent, exhiberet. Quodsi Nummi ejusmodi integri extarent, in quibus *anno secundo* legeretur, candide tibi confessus sum, frustra me tibi adversari, & certissimam esse Lectionem tuam; quod dissert. III. *pag.* 99. scripsi; & *pag.* 100. *Utinam nobis plures hujusmodi nummi ad manum essent, & magis integri, qui me cogerent sententiam meam mutare ob amorem veritatis! Promtissimum me videres ut qualescunqoe conjecturas meas missas facerem & aliam hypothesim amplecterer.* Sic mihi videbatur ea res αὐτοψίᾳ debere decidi, non ectypis, quibus non multum fido: & forte sententiam meam, quibus poteram rationibus defendissem nisi Amstelodamum profectus Cimeliarchium Nummarium Viri Eruditissimi, mihique Amicissimi *Gosuini* Vilenbrock, & eximiam supellectilem antiquariam, statuasque, urnas, & monumenta vetera, attentius lustrare in animum induxissem. Hic me, qua est humanitate, in Bibliothecam suam introducere, Inscriptiones Græcas, Latinasque ostendere, & inter illas ipsam illam urnam marmoream, in qua & *Fabrettus*, & autor monumentorum Veteris Antii, legerant *a libris Sacerdotalibus Dei Carnunti*, quum clare in ipso marmore legeretur DEF. CARNUNTI. Defuncto Carnunti: unde abolendum esse fictum hoc Nu-

Numen summo jure contendit. Mirifice capiebar hac eruditissima hospitis mei observatione, & quum spem mihi faceret videndorum quorundam Numismatum Samaritanorum, vix dubitas, opinor, quin vehementi lætitia me perfundi senserim. Ut ad illos Nummos deventum est, qui ignotiores characteres præferrent, quales qui *Tab.* VI. *Num.* 6. & 7. extant, in quinque numero incidi, qui, uti ex collatione unius cum altero edocebar, inscriptionem a Te defensam exhiberent, ࠔࠕࠉࠌ ࠔࠍࠕ שתים שנת, *anno Secundo*. Unde formam literæ *Mem* a Samaritanis eodem modo in Nummis ac in libris scribi didici, de qua ante dubitabam, quia formam literæ *Thau* aliter nummi, aliter scripta, Samaritanorum præferunt; & quod in uno charactere fieri poterat, in alio accidere posse suspicabar. Adeoque cum de forma literæ *Mem* certus essem, vidi non legendum esse quod antea opinabar, ࠌࠉࠅࠍ מיון *a Græcis*, sed ࠑࠉࠅࠍ ציון Zion, & in his duobus capitibus, statim ut vidi, accessi sententiæ Tuæ, quam & Cl. *Harduinus* pro vera agnovit, & ante ipsum (ut literis Guelferbito ad me datis me docuit Vir egregius & amicus meus singularis, *Johannes Massonus*, quas quia multa eruditione, ut omnia quæ ab illo proficiscuntur, refertæ sunt, & de his ipsis aliisque Nummis agunt, forte publico, bona cum ejus venia exponam) nuper magno rei literariæ damno nobis ereptus *Nicolaus Toinardus*, primus prodidit. Alias autem virorum doctissimorum conjecturas cum mea illa, quam deserui, ࠌࠉࠅࠍ מיון *a Græcis*, comparare, ut benignus de errore meo orbis judicet, non lubet, quod id ab unoquoque præstari possit. Ab illo tempore tibi indicandum esse ratus me hac parte sententiam meam mutasse, & non superesse nisi de amphora mannæ & palma dissensum, constituti tibi id significare, & ἔκτυπα Nummorum transmittere, quod nunc demum præsto.

Ad originem hujus æræ quod attinet, existimo illam ducendam esse ab anno æræ Seleucidarum 170. primo Simonis, quando ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τȣ̃ Ἰσραὴλ, *ablatum est jugum Gentium ab Israele*, quod & ipsum statuere videris in tabella Chronologica, *supra pag.* 81. at in ipsa dissertatione Tua hujus epochæ originem demum ad illa tempora refers, quibus arce Sionis occupata potestatem nummos cudendi Simon accepit, & vis respici in Inscriptione לנאלת ציון *ad recuperationem Sionis*, ubi scribis pag. 76. & 78. *In hac ipsa æra (contractuum) majore alia quædam minor Judæis enata, postquam ultimus Mattathiæ Asmonæi .... filius Simon arcem Sion ejecto hostium præsidio occupat, illam solenni ritu expiat .... & signandi pecuniam jus accipit*. Et hæc ratio est quod operosius demonstraverim *pag.* 107. nomen *Zionis* non *arci*, sed monti *Templi* tunc datum fuisse, atque ita per Zion in nummis arcem non intelligi: at si tunc demum ea æra nata est, anno ut ipse scribis, 171. quomodo in Nummis quibusdam legitur, anno primo (ut refert *Harduinus*) qui in tabella tua convenit cum anno 170. vel quomodo in aliis anno secundo, si æra nata postquam signandi pecuniam jus accepit, id est anno 173. quarto Simonis? Sed non opinor ante illud tempus, quo ab Antiocho signandæ pecuniæ jus accepit, Judæos moneta caruisse, nam dicitur Antiochus iis confirmasse, quod concesserant alii reges ante ipsum. 1. *Macc.* 15. 6.

De *palma* in Nummis nostris conspicua, quam tu pro לולב Lulaf habes, notasti in literis ad Spect. *Wildium* datis (quas ante paucos dies mecum communicavit) si ea cum figuris palmarum in aliis Nummis comparetur, magnam fore inter has & illam disparitatem, nec Palæstinorum, nec Tyriorum, nec Carthaginensium, nec etiam Romanorum Nummos tali figura eam sistere, qua ego contendo in his Nummis inveniri. Fateor elegantiores palmarum formas in illarum, quas nominas, gentium Nummis, qui sequentibus sæculis percussi sunt, inveniri: sed (liceat mihi tuis verbis uti, quæ in eadem Epistola Tua lego) *ars minus polita & valde rudis omnium illorum numulorum Simonis quam Jannæi tempora magis indicat .... quippe ruditas ista respondet populo e servitute jamjam emergenti, nec adhuc præclaris & multis artificibus instructo, quales proculdubio Judæi bellis, fame, persecutionibus tantum non consumti haud temere habebant*. Inde enim frustra efficias palmam non esse, quia palma in Nummis sæculi Augustæi elegantiori forma conspicitur. Quod si לולב *Lulaf* sit, ut Tu arbitraris, scire desidero quid putes esse dependentes utrinque balanos, & unde tam longo caute sint, quo sæpe palmarum balani eæque semper binæ numero, ut hic, in Nummis conspiciuntur. Non possunt esse mala citrea, non aliud quidpiam quod excogitare queam, nisi balani. Ego certe לולב tali forma pingi unquam potuisse non existimo. Mones quidem ut Nummum Willalpandinum *Num.* 5. *tab.* 1. inspiciam, ubi *Lulaf* magis quam palma apparet. Sed illum pessime depictum esse ex collatione Nummorum trium ejusdem tabulæ, qui iidem sunt, facile apparet, ubi

& ex balanis, pro quibus ille duo vaſa ſolo impoſita finxit. Quæ ſatis docent male hunc Nummum eſſe expreſſum, adeoque ex imagine illi inſcripta non poſſe aliquid effici, quod demonſtret ibi *Lulaf* exhiberi. Ex noſtris enim tribus, quos eadem tabula exhibet corrigi debet, qui integriores ſunt. Quod ais de primo Tuo, quem *num.* 1. *tab.* 5. exhibet, ibi palmas eſſe non poſſe ab una parte imagines illas duas, quum ab altera facie palma clare extet, non video, ſi palmæ non ſint, ſtatim de לולבים nos cogitare debere. Forte longe aliæ res ſunt. Verum, quum ipſe hunc Nummum adeo detritum & obſcurum agnoſcas, ut non niſi conjecturis locus ſit, malo ἐπέχειν, nec inde ſententiam meam infirmari poſſe exiſtimo. Objicis mihi porro, ut evincas לולב, non palmam, in Nummis his repræſentari, autoritatem *Joſephi*, qui ſcripſerit Judæos geſtare manibus ſuis ramos myrti, ſalicis & ramum palmæ τοῦ μηλοῦ τοῦ τῆς Περσέας προσόντος, quæ transfers uti & Gelenius, *ex quibus mala Perſica dependeant*. At ego in textu *Joſephi* non video mentionem factam niſi unius mali Perſici, τοῦ μηλοῦ. nec illum ſcribentem de prehendo, quod ea mala ex ramis dependeant. Tantum ait μηλοῦ προσόντος, indicans *malum Perſicum adeſſe* debuiſſe. Hoc autem manu geſtabant, nunquam ipſi לולב inſerebant, erat enim præſtantius, & uti לולב geſtabant dextra, ita citreum malum ſiniſtra, quod ex ipſa Gemara & uſu Judæorum clarum eſt. Quum aliquando de jure mali citrei in feſto tabernaculorum per literas mecum ageret Clariſſimus Vir *Gulielmus Surenhuſius*, cui Antiquitates Judaicæ ſex voluminibus (corpus Miſnicum innuo) orbi Chriſtiano planiſſime expoſitæ immane quantum debent, quemque in Hebraicis, Syriaciſque præceptorem habuiſſe ſummæ gloriæ mihi duco, inter alia unum tantum malum citreum requiri in hac ceremonia obſervans, hæc notabat. Scriptum eſſe in *Maſſechet Succa* ר' ישמעאל אומר שלשה הרסים ושתי ערבות לולב אחד ואתרוג אחד: *Doctor Iſmael dicit; tres rami myrti, duo rami ſalicis, unus ramus palmaris & unum malum citreum requiruntur*: & hoc ſenſu a reliquis doctoribus deciſum eſſe, ut iſte ritus apud omnes Judæos obtineat. Confirmari illa a Maimonide in *Hilchoth Lulaf, capite ſeptimo Halacha* 7. ubi hæc verba. Quantum ſive quot ſumit de iis (nempe de ramis in lege deſignatis?) Reſp. unum ramum palmarum, unumquam malum citreum, duos vero ſalicis ramos & tres myrti. Si vero quiſpiam myrti ramuſculis aliquid addere velit, addat, dummodo id fiat ad ornatum præcepti. Reliquis vero ſpeciebus nil addendum eſt. Sin autem quis iis addiderit aliquid vel detraxerit, reprobus eſt (פסול) *ramus palmaris, itemque malum citreum*. Rationem autem quare tres rami myrti adhiberi poſſint, hanc adferri in Gemara fol. triceſimo quarto *col.* 7. quia in Lege *Levit.* 23. 40. dicitur ſumendum eſſe ענף עץ עבות *ramum arboris denſæ*: ubi tres occurrunt voces in præcepto de myrto, quarum ultima in numero plurali poſita eſt. Duos vero ſalicis ramuſculos ſumi poſſe probari ex eo quod ibidem dicatur ערבי נחל, *Salices rivi*, ubi vox ערבי ſalices, ſaltem duo notat: Quas expoſitiones ex lege erutas eſſe juxta id genus interpretandi, quo אסמכתא *rationem probabilem* Gemarici vocant. Quod ſi quis contendat eodem modo mali citrei multiplicationem poſſe inſtitui, quia id in lege tribus vocibus exprimitur videlicet פרי עץ הדר videri reſpondendum, id neceſſarium non eſſe, quod malum citreum majorem in ſe præſtantiam comprehendat, quam omnes tres ſpecies in לולב, utpote odore, ſapore & colore præditum, & tribus quidem vocibus innui, at nullam ex iis in numero plurali legi. Confer *Maggid. Miſchne* ad locum Maimonidis modo citatum, & *Orach Chaim n.* 651. Hæc, ipſis verbis Clariſſimi Viri, ad Te perſcribere volui. Unde puto ſatis liquere illam figuram, quam pro לולב habes, non ejus ſed palmæ potius imaginem referre, & duos fructus utrinque dependentes non eſſe mala duo citrea (quum unum tantum adhiberi debeat) ſed balanos a palma pendulas. Quamvis autem nec לולב nec malum citreum agnoſcam in illis Nummis tabulæ primæ, de quibus egimus, forte tamen malum citreum repræſentatur (quod & Tibi placet quamvis certo aliquid affirmari nequeat, quod Nummus non ſatis integer ſit) in Nummo primo *Tabulæ* 5. & hic Nummus erit, quem ſe vidiſſe ſcribit R. Moſes Alſcheiter, citatus R. Azariæ in Meor Enaim, *Tract. III. c.* 56. וראיתי אחד צורת לולב אגוד ואתרוג בצדו: *Vidi autem unum cum figura* לולב *rami palmarum*, אגוד *faſciculi & mali citrei juxta*, vel prope, *illum*. Sic ut malum citreum ſit in medio, & ab una parte לולב, ab alia אגוד. Vides malum citreum non in לולב ſed בצדו *ad latus ejus*. In illo autem *Joſephi* loco, quem citabas, neſcio quid mireris *Joſephum* non malum *citreum*, ſed *Perſicum*, illud appellaſſe; promiſcue enim Veteres & citreum & Perſicum idem malum vocarunt, quod quia tantum in tranſitu tango, hoc ſolum ex *Macrobrio* lubet notare Saturnal. *lib. III. cap.* 19. *Quod au-*

autem ait idem Cloatius, citreum, & ipsum Persicum malum est, secundum Virgilium,

> *Media fert tristes succos, tardumque saporem*
> *Felicis mali, quo non præstantius ullum,*

Pocula si quando sacræ infecere novercæ. Et reliqua. Et ut nemo dubitet de citreo dixisse Virgilium, accipite quæ Appius in libro de sylvestribus arboribus dicat. Citrea item malus & Persica altera generatur in Italia & in Media altera. Et paulo post de citreo loquens ait: est autem odoratissimum, & quo interjectum vesti tineas necat. Fertur autem venenis contrarium, quod tritum cum vino purgatione virium suarum bibentes servat: Generantur autem in Perside omni tempore mala Citrea. Adde Scriptorem, temporibus *Josephi* proximum, qui imperante Marco Antonino vixit, *Phrynichum*, qui similiter habet *pag.* 90. μῆλα Μηδικὰ τὰ νῦν κίτρα. *Medica mala, quæ nunc citra appellantur.* Et recte illum ita scripsisse Doct. *Nunnesius* in notis docuit, & pluribus testimoniis firmavit. Quin & ipsa mala *Narantia*, Νεράντζια, نارنج Persice (unde alii *aurantia* & *inaurantia* formarunt, ut nomen aureum colorem videretur exprimere) μῆλα Μηδικὰ *mala Medica*, sive *Persica*, a Scholiaste *Nicandri* appellantur. Unde & *Josepho* licuit Citreum Persicum malum vocare. De figura calicis, Nummis impressa, an illa pro una mannæ haberi possit, non multum mihi laborandum est, quia unumquemque extra partes constitutum, cui hic Nummus conspiciendus offeretur, puto illam figuram pro calice habiturum, & multo aptius Mannæ receptaculum in illa Amphora, quam Tabulæ primæ Nummus quartus exhibet, agniturum. Videris autem mentem meam non plene adsecutus, quum existimas me illam Aphoram, ideo tantum pro receptaculo Mannæ habere, quod operculo tecta sit: nam in quibusdam Nummis ipsum hoc operculum illi amphoræ impositum vix conspicitur, quamvis deletum id injuria temporis dicere possimus aut omissum ob literarum viciniam: nec puto vas apertum plane non potuisse Amphoram Mannæ repræsentare, (nam & amphoræ apertæ vasa vinaria in aliis Nummis repræsentant) sed de vase, calicis aperti figuram habente locutus sum, & magis convenire judicabam ut Mannæ receptaculum superne clausum esset, uti in Nummo quarto Tab. I. conspicitur. Et judicavi vas ansatum potius fuisse, & amphoræ formam (qualis hæc erat) gessisse, quia στάμνος ab Apostolo appellatur, & στάμνος & ἀμφορεὺς, & amphora vas vel idem, vel non multum diversum significant: certe non habet figuram istiusmodi calicis, qualem Nummi nostri exhibent: & profecto, si optio daretur vel illum calicem, vel hanc amphoram pro reconditorio Mannæ eligendi, puto unumquemque amphoræ imaginem alteri prælaturum. Plura non addo, nisi quod valere Te velim, & patriæ tuæ diu esse superstitem, cujus insigne ornamentum es. Scribebam Trajecti ad Rhenum Kal. April. MDCCVI.

Patere tamen hoc unum a me addi: operæ pretium nos retulisse in indaganda tum inscriptione tum imagine, quam hi nummi exhibent, quum rarissime tam integri inveniantur, & adeo varient Eruditi de utraque scribentes. Vidisti, quomodo Nummum nostrum primum, quem *Tab. I.* ter exhibui, repræsentaverit Villalpandus, & pro balanis duo, nescio quæ vascula; pro palma fasciculum frugum finxerit, & literas non sit adsecutus, uti nec Cl. *Hottingerus*, nec *Bochartus*: Adde his viris doctissimum Scriptorem, *Claudium Molinetum*, qui rariora Numismata Cimeliarchii, quod in Abbatia S. Genoveva est, anno 1692. illustravit qui *Tab.* 22. eundem illum Nummum cum nostro primo *Tab. I. Num. I.* exhibet, at pro palmæ vertice lilium, qua forma in insignibus Galliæ apparet, & fascem frugum, pro balanis ab arbore separata duo vel vascula, vel simile quid exhibet, & *pag.* 90. explicaturus hunc Nummum, calicem & fascem frugum pro symbolo abundantiæ vini, olei, & frumenti habet, & Inscriptionem legit, *Anno quarto redemtionis Jobi, quæ videtur innuere* (ita scribit) *hunc Sicli quadrantem cusum esse a Jobo, anno quarto postquam calamitate sua liberatus erat, nisi quis velit eam sensu allegorico intelligere de anno quarto, postquam Judæi tyrannidem Antiochi Epiphanis evaserant.* Et hinc perspicis, Clarissime *Ortii*, quam non temere religiosus fuerim, & ipsos Nummos, non ἔκτυπα, videre desideraverim, ut in iis extare crederem, quod nunc vidi, *anno secundo*. Vale iterum, Humanissime Vir, & me ama.

P. S. Tabula VI. præter 5. Nummos Samaritanos, duos alios N. *6.* & 7. addidi, quorum lectio nondum mihi certa est.

TABELLA

Quæ uno intuitu ob oculos ponit ejusdem Nummi nostri primi.
(Tab. I. Num. I. exhibiti)
variam lectionem a multis tentatam.
Ab una facie.

I.

I.

שמואל נביא

Samuel Propheta.

Ita legit *Pradus*, *Villalpandus*.

II.

שמ . . .

Simeon . . .

Ita legendum suspicatur *Conringius*.

III.

שמו אל שדי

Nomini Dei omnipotentis.

Steph. Morinus in Exerc. de Ling. p. 296. & 297.

IV.

שנתא רכד

Anno 224.

Æræ scil. Contractuum. Sic ego olim conjiciebam.

V.

שנת ארבע

Anno Quarto.

Ita legit *Toinardus*, *Bochartus*, *Harduinus*, *Molinetus*; Hæc videtur esse vera lectio.

Ab altera facie.

I.

נגאלת לצום

Redemtus es a jejunio.

Per Mannam sc. Ita *Villalpandus*.

II.

נאלת לצום

Vindicatio (prævio) jejunio, de quo 1. Sam. 7. 7.

Hottingerus, *Conringius*.

III.

נגאלת צום

Redemtus es. Jejuna, vel

נגאלת לצום

Redemptus es ad jejunandum.

Steph. Morinus.

IV.

לגאלת איוב

Redemtionis Jobi.

Bochartus, *Molinetus*.

V.

לגאלת מיון

Liberationis a Græcis.

Ita ego olim suspicabar.

VI.

לגאלת ציון

Redemtionis Zion.

Sic *Toinardus*, *Harduinus*, *Ottius*, *Joh. Jac. Cramerus*. Hæc videtur esse vera lectio. Forte, & hic idem Nummus est, in quo R. Moses Alschecher, citatus R. Azariæ in *Meor Enaim l. III. c. 56.* legit לנחמת ציון *Consolationis Zion*. Scribit enim ad manus suas pervenisse nummos, quibus inscriptum erat שנת כן לנחמת ציון *Anno tali*, *Consolationis Zion*. Nota illum jam legisse ultimam vocem, uti postea *Toinardus*, recte, ציון Zion & addere, se credere illos Nummos esse percussos tempore Regum Syriacorum, quod & nos volumus.

HA-

HADRIANI RELANDI

DISSERTATIO QUINTA

DE

NUMMIS SAMARITANIS

ARGUMENTUM.

Vox חרות *diverso modo in Nummis scripta* חרות *an notare possit* Libertatem. *Locus e Talmude expensus. Phrasis Gemaræ Babilenicæ* אל תקרי ne lege sic sed sic, *examinata. Non convenit cum phrasi Gemaræ Hierosolymitanæ* אין כתיב כאן *sextum Caput Codicis Avot num pars Misnæ. Nummus cum epigraphe* Simeon Princeps Israelis. *Nummus Arabicus cum Inscriptione* Victoria Constantini Aug. *Nomen Principis Mohammedani* Cara Arselan *in illo nummo unde. Nummis in margine literis Latinis, in media arca Arabicis insignitus. Inscriptio Arabica Panormi ex Goltzio desumta. Ficta ejus antiquitas. Inscriptio Arabica Messanæ, ex Gualthero. Lapis sepulchralis literis Arabicis notatus, in Gallia erutus. Nummi a Veteribus Hebræis cusi, ex Thesauro Regis Galliarum, examinati. Verum Sicli Hebraici pondus stante Templo secundo. Josephi de eo testimonium expensum. Nummorum varia nomina ex Talmude* כנור *κινύρα quid. Figura Citharæ.* Νάβλια *quid?* חצוצרות & שופרות tubæ & buccinæ *distinguendæ.* ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ ΒΑϹΙΛΕΩϹ *in Nummis ad quem pertineat. Nummus omnium Hebraicorum qui supersunt antiquissimus. Tubæ descriptæ. Phiala olei in Nummis.*

Biennium est, & quod excurrit, quum Dissertationem quartam de Nummis Veterum Hebræorum, qui ab inscripta literarum forma Samaritani appellantur, edidi: cui ob argumenti affinitatem subjuncta fuit dissertatio, ante quadriennium conscripta de matmoribus Arabicis Puteolanis & Nummo Arabico Constantini. Ex eo tempore varia tum Numismata, tum fida eorum ἔκτυπα a Viris peritis delineata, qui ipsos illos Nummos aut possident, aut conspexerunt, tractaruntque sæpius, ad manus meas pervenere, unde illa quæ pro ingenii mei modulo olim de Nummis hisce disputaveram, luculenter illustrari posse deprehendi. Quid illud est, lectorum oculis placet subjicere, ut quid per hæc subsidia profecerim, omnes qui mea legunt, intelligant.

Primum quidem nactus sum Nummum æreum, ejusdem typi cum quarto Tabulæ primæ, & quinque prioribus Tabulæ sextæ, quem a me delineatum conspicis Tabula septima. Meretur cum iis conferri, & propter indubitata genuinæ antiquitatis judicia, quæ unicuique vel leviter tincto scientia rei numismaticæ in oculos incurrant, magni a me habetur. Ab una facie extant hæ literæ חרות *Libertatis*, ab altera שנת ם... Supplendæ præmissis חרות ut significent, *anno secundo*, ubi in aliis nummis hujus Typi legitur. Quamvis autem nomen חרות, quod Libertatem notat, in Sacro Codice non legatur, usitatum tamen fuit illud Judæis posteriorum temporum eo sensu quo in Nummis nostris legitur. Liquet id ex Misna *Pesachim cap.* 10. §. 5. ubi de Exitu ex Ægypto sermo est הוציאנו מעבדות לחרות: *qui nos eduxisti e servitute in Libertatem*. Et in Liturgia Paschali sive סדר הגדה של פסח vocant festum Paschatis זמן חרותנו *tempus libertatis nostræ*.

Ani-

Animadverto hic vocem חרות ſine *Jod* ſcribi, ubi & nonnunquam in Nummis. Solet illa exprimi aliquando cum ו, ubi חרות in Nummo quarto Tabulæ primæ & in Nummo Ludolphiano, eadem Tabula *Num. 6.* a nobis exhibito, ubi & in Nummo quinto *Tabulæ* VI. quantum ductus literarum ſuperſtites videntur indicare. Eadem tamen illa *Tabula* VI. legitur ſine *Vau* ſcripta in Nummo quarto, חרת. Erunt fortaſſe, qui contendent neutram ſcriptionem vel חרת vel חרות aptam eſſe ad ſignificandum id quod nos volumus, *libertatem*: quia in Codice *Pirke Avoth cap.* VI. §. 2. hæc leguntur ואומר והלחות מעשה אלהים המה והמכתב מכתב אלהים הוא חרות על הלוחות אל תקרי חרות אלא חירות שאין לך בן חורין אלא מי : *Et dicit* (*Scriptor* שעוסק בתורה *Sacer*) *Exodi* 32. 16. *Tabulæ Legis erant opus Dei, & Scriptura erat Scriptura Dei, inſculpta* חרות *tabulis. Ne lege* חרות *ſed* חירות *libertas, nullus enim liber eſt niſi qui Legi operam navat*. Ubi videtur dici τὸ חרות non ſignificare libertatem ſed חירות. At notandum eſt ipſos Talmudicos in loco mox adducto חרות ſcripſiſſe, & illud *Jod* inſeri voci poſteriori uti matrem lectionis quæ vocalem Tzere indicat, & ut magis diſtinguatur חירות *Libertas* a חרות *Inſculpta* illi voci *Jod* inſertum eſſe. Quamvis nec in omnibus editionibus id obſervetur, quod una vox חרות altera חירות ſcribatur. Nec etiam hoc erat neceſſarium. Ad ſcopum Scriptoris Talmudici ſufficiebat ſcribi, ut eum ſcripſiſſe mihi perſuadeo, *ne lege* חרות ſed חרות. Quia enim conſtat illam vocem poſſe duplici modo pronunciari, rejecto uno, qui in textu Sacro extat, alter adoptatur, qui per alluſionem quandam ei ſubſtituitur, & erui ſatis poteſt ex ſequentibus בן חורין, *liber*. Ita invenias, ne lege במה ſed במה id eſt *Bamme*, ſed *Bama* in Gem. Beracoth. *fol.* 14. 1. & eadem pagina, *Ne lege* שבע ſed שבע. Sic in Codice *Avoda Zara cap.* 2. *Miſn.* 5. diſputatur an legi debet *Cant.* 1. 3. דודיך an vero דודיך id eſt *Dedecha* an *Dodaich*: quamvis eædem ſint literæ. Ila occurrit זכר & זכר *Iſecer* & *Iſacar*, iiſdem literis ſcriptum in notiſſimo loco *cap.* 2. *Bava Bathra*; ubi hæ voces nulla matre lectionis, quod fieri potuiſſet, ſi illum morem veteres Hebræi ubique ſervaſſent, diſtinctæ ſunt. Quum vero matre lectionis inſerta vox quædam legitur, inde non licet inferre, vocem illam ita ſcribendam eſſe: nam hoc tantum eo ſcopo fit ut ab alia voce haud multum diſſimili diſtinguatur. Id liquet evidenter ex uno quod adducam exemplo. In Gemara Babylonica Codicis *Beracoth fol.* 48. *pag.* 2. Hæc legunt וברך את לחמך ואת מימיך אל תקרי וּבירך אלא וּברך: Et benedicet pani tuo & aquis tuis (*Exod.* 23. 25.) Ne lege בירך ſed ברך. Ecce; *ne lege* בירך. Atqui nec hoc legitur illi in textu Sacro, ſed ברך, ſi literas ſolas ſpectes. Quomodo itaque illi id ſubſtituunt, quum ita extet? Scil. בירך extat in textu Sacro, ſi & literas & vocales attendas, nam *Jod* mater lectionis eſt. Atque ita puto in illo loco quem adduxi חרות iiſdem literis ſcriptum fuiſſe, *ne lege* חרות ſed חרות, quorum tamen primum a recentioribus quibuſdam deſtinctionis cauſa inſerto *Jod* notatum eſt. Et quemadmodum male quis efficeret, inde quia בירך, non ברך, ſignificare dicitur benedixit in præterito *Sichel*, etiam non licet concludere חירות Scribendum eſſe per *Jod* ut notet libertatem. *Jod* enim additur, ut in voce ברך, non quod neceſſarium ſit, & ſine illo ברך Scribi eo ſenſu non poſſit, ſed ut per *Jod* tanquam indicium puncti Tzere ab alia pronunciatione harum trium literarum ברך diſtinguatur. Unicus ut obiter hoc addam, locus hic eſtni Miſna, in quo hæc formula quæ in Gemara frequentiſſime occurrit, circa verba Sacri Codicis adhibetur, *Ne lege ſit*, uti in textu erat, *ſed ſic*, אל תקרי, quantum quidem deprehendere potui. Imo nullus in Miſna locus eſt, in quo hæc formula invenitur, ſi caput illud quod ſextum vulgo diti ſolet Miſne Codicis *Avoth*, partem Miſnæ eſſe negemus. Nec enim proprie ad Miſnam id caput pertinet, ſed eſt *Beraita*; Traditio exotica: Et ad finem capitis quinti in nonnullis exemplaribus diſerte legitur נשלמה מסכת אבות *Hic finitur Tractatus Avoth*. Quare potuiſſet Vir Doctiſſimus Joſephus de *Voiſin* in libro *de lege divina pag.* 218. hæc verba prætermiſiſſe, poſtquam caput hoc uti textum numeraverat in tractatu *Avoth*: *Male Galatinus in quinque tantum capita hunc librum partitur*. In Gemara autem Babylonica ſæpe hæc formula legitur. Nam in Hieroſolymitana nullum hactenus mihi ſe exemplum obtulit. Inveni quidem in ea hanc formulam אין כתיב כאן אלא *non ita ſcriptum eſt in Sacro Codice, ſed....* At his verbis longe quid aliud plerumque innuitur, quam illis, אל תקרי כן אלא כן: *Ne lege ſic ſed ſic*, uti in Gemara Babylonica uſurpantur (quamvis non diffitear in *Gem. Chagiga. fol.* 79. 4. *lin.* 44. & *Moed. Katon fol.* 38. *col.* 2. *lin.* 53. Et paucis aliis in locis ita uſurpari uti Babylonium illud אל תקרי) nam vere docent quæ verba textu legantur, uti in Gem. Hieroſ. Codicis *Pea fol.* 16. 2. לא לעולם ינתק אין כתיב כאן אלא לא במהרה ינתק:

ינתק: *Non abrumpetur in æternum. Ita ſcriptum non eſt* (Eccleſ. 4. 12.) *Sed, non rumpetur cito*. Similiter in *Gemar. Pea. fol.* 21. 2. אמר רבי יונה אשרי נותן לדל אין כתיב כאן אלא אשרי משכיל אל דל: *Dinit R. Jona: Beatus eſt qui dat pauperi: ita Scriptum non eſt* (Scil. *Pſal.* 41. 7.) *ſed beatus qui curam gerit pauperis*. Et in Gem. Hier. *Bichurim fol.* 64. 4. לעשרת ימים ita ſcriptum non eſt (1. *Sam.* 25. 38.) ſed כעשרת הימים. Atque ita etiam noſtri Codices habent. *In Gem. Hier. Schabbath fol.* 8. *col.* 4. די שלח בריה אין כתיב כאן אלא די שלח מלאכיה: (*Deus*) *qui miſit filium ſuum, ita ſcriptum non eſt* (Dan. 3. 28.) *Sed qui miſit Angelum ſuum*. Confer exempla ejuſdem phraſeos in eodem codice *Schabbath fol.* 5. 2. *lin.* 10. & 18. *fol.* 9. *col.* 2. *lin.* 60. *fol.* 12. *col.* 1. *lin.* 37. *fol.* 17. *col.* 1. *lib.* 58. in *Eruvin.* 22. 2. *lin.* 33. & 39. Sed aliud indicant formula modo memorata Scriptores Talmudis Babylonici, in quo frequentiſſime legitur, *Ne lege ſic, ſed ſic*; anſamque ea dedit opinioni quorundam, at ſi ita locuti fuiſſent eo tempore ob defectum punctorum vocalium. At nec inde firmiter colligi poteſt, puncta vocalia tunc non fuiſſe; nec vocis ſcriptio uti extat in Codice Sacro, corrigitur per iſtam formulam; nec vera lectio docetur (quam alias Judæi cum reliquis notis קרי dictis margini Bibliorum ſuorum inſcripſiſſent) ſed eo tantum ſpectat ad arcanos quoſdam & allegoricos ſenſus, qui mutatis parum punctis hoc veluti ſigno memoriali continentur. Qua de re multa habet Cl. *Buxtorfius lib.* 1. de *Antiquitate Punctorum cap.* 6. Certe non vocales modo corrigunt per illam phraſin, אל תקרי ſed & literas quandoque plures, & vocem dividunt in duo, & Græcas voces Hebraicis ſubſtituunt, quod præter exempla a Cl. *Buxtorfio* loco citato adducta obſervari poteſt ex ſequentibus locis Talmudis, quæ non habita ratione ordinis librorum, ſed uti a nobis notata ſunt, tradimus. In *Gemara Kiddushin fol.* 30. 2. אל תקרי בסופה אלא בסופו: *Ne lege* בסופה ſed בסופו. In *Gem. Gittin fol.* 56. 2. *Ne lege* קבורים ſed קבוצים. In *Gem. Eruvin fol.* 54. 2. *Ne lege* שימה ſed סימנה. In *Gem. Chullin.* 60. 1. & *Gem. Rosh Haſchana* 11. 1. *Ne lege* צבאאם ſed צביונים. In *Gem. Sanhedrin fol.* 37. 1. *Ne lege* בגריו ſed בונדין. In Gem. *Bava Bathra* 74. 2. *Ne lege* לים מכסים ſed לשרה שלים מכס'. In *Gem. Cetuvoth.* 67. 1. *Ne lege* נדותיך ſed נויותיך. *Gem. Moed Katon.* 9. 2. *Ne lege* קרבם ſed קברם. In *Gem. Chagiga* 22. 1. *Ne lege* רקחך ſed רקניך & eandem vocem mutant in רקחיך. In *Gem. Eruvin.* 19. 1. *Gem. Succa* 52. 1. *Ne lege* ישלם ſed ישלימנו Ibidem 30. 1. *Ne lege* ושננתם ſed ושלשלשתם Ibidem *fol.* 49. 1. *Ne lege* בראשית ſed ברא שית Ibidem *fol.* 35. 1. *Ne lege* הדר ſed הידור quod eſt Græcum ὕδωρ, שכן בלשון יוני קורין למים הידור: *quia Græci appellant hoc modo aquam*, uti illic ſcribitur. Quis credat eos ſerio voluiſſe vocem Græcam ὕδωρ ſubſtituere loco הדר in codice Hebræo? In *Gem. Beracoth* plura exſtant, *fol.* 10. 1. *Ne lege* בלחך ſed לבלוחך *fol.* 10. 2. *Ne lege* נויך ſed נאיך. Simile *fol.* 57. 2. *fol.* 15. 2. *Ne lege* בצלמון ſed בצלמות *fol.* 20. 1. *Ne lege* עלי עין ſed עולי עין *fol.* 30. 2. *Ne lege* בחרדה ſed בחרדת. *fol.* 32. 1. *Ne lege* אל ſed על *fol.* 57. 1. *Ne lege* מורשא ſed מאורשא, *fol.* eodem, ſed *pag.* 2. *Non lege* נרם ſed נוים, *fol.* 62. 2. *Ni lege* אדם ſed אדום. Sed forte nimius tum in his referendis, quæ tamen uſum haberit inſignem in plus una diſquiſitione Philologica. Revertamur ad Nummos.

Præter hunc Nummum, alterius cujuſdam typum bracteæ plumbeæ impreſſum ad me miſit e Gallia Vir humanitate non minus ac ſtudio juvandi & promovendi rem literariam quam eruditione excellens, *Antonius Gallandius*. Servatur ille in Cimeliis Foucaltianis, & ab una parte palmam repræſentat, cum hac epigraphe שמעון נשיא ישראל *Simeon Princeps Iſraelis*. Literæ quædam deletæ ſunt injuria temporis, ſed ſimiles inſcriptiones aliorum nummorum eas abunde ſupplere poſſunt; & quod præcipuum, nomen *Simeonis* extat clariſſime, & eo modo quo nos id æri incidi curavimus, ſic ut ש minuſculum ſit מ majus plane uti in Nummo. Ab altera parte qua pampinus eſt, vel folium ficus, aut fructus balſami, ut alii mallent, literas legere non potuimus. Sed Nummus ſimilis, ab una parte palmam cum nomine Simeonis exhibens ab altetera pampinum delineatus bis extat in opere Bouterovano, ubi in uno legitur לחרות ירושלם *Libertatis Jeruſalem*, in altero שב לה' ישאל, *anno ſecundo libertatis Iſrael*. Ita ſcilicet ibidem explicatur. Nota *Reſch* abeſſe a Nummo. Tertius Nummus, quem eadem Tabula exhibemus, Arabicus eſt, idem ille, cujus explicationem dare conati ſumus Diſſertatione de Marmoribus Puteolanis. Nummus integer non erat, quem tunc ante oculos habebamus, conceſſum nobis ab Ampliſſimo Viro, *Dederico Mode*, Curiæ Provincialis quam vocant Trajectinæ Senatore, & peritia rei Nummiſmaticæ cum paucis comparando; & quod in eo legi poterat

الملك العالم العادل فخر الدنيا :

Regi Sapientiſſimo, *Juſtiſſimo*, *ornamento mudi*, vel ذين *religionis*, incertum relinquebat cui Regi adſcribis deberet. At Cl. *Gallandinus* ex delineatione Nummi a me miſſa, & Nummo ſimili in Cimeliarchio Foucaltiano, ut & tertio Romano, integram dedit Inſcriptionem eamæri inciſam mihi miſit. Hæc eſt quam Lectori ſiſtimus, ubi ab una parte in tabula hæ literæ *Vot.* XXX. *Vota tricennalia* indicantes, clare conſpiciuntur; & ab altera hæc Inſcriptio Arabica الملك العالم العادل فخر الدين قرا ارسلان بن داود بن ارتق: *Regis Sapientiſſimi Juſtiſſimi ornamenti religionis Cara Arſelum filii Davidis Artac*. Putabat Cl. *Gallandius* legendum eſſe بن ارسلان *Filii Arſelan*, ſed quum ei ſcripſiſſem me obſervaſſe vocem بن quæ bis præterquam hoc loco in nummo noſtro legitur, longe diverſis characteribus eſſe formatam, & videri mihi legendum قرارسلان *Cararſelan*, quod per compendium videtur ex قره vel قرا ارسلان ductum, ſententiæ meæ acceſſit. Hic autem Cara Arſelan, nepos Artoci, vixit ſæculo poſt Chriſtum natum duodecimo. Conferri poſſunt quæ de eo notavit Cl. *Herbelotius* in Bibl. Orientali ad vocem *Cara Arſelan* & *Artoc*, ubi quoque Sozmanum interjectum inter Davidem & Artoc legimus: quamvis Nummo fidem adhibendam potius Cl. *Gallandius* judicet, cujus ſententiæ ſubſcribo. Supereſt nihilominus maxima difficultas, quomodo ab una parte *Victoria Conſtantini Auguſti*, *vota tricennalia*, & nomen urbis Siſciæ in Pannonia, ubi cuſus ſit nummus; ab altera tituli Principis Mohammedani, nonniſi ad Sæculum duodecimum æræ Chriſtianæ referendi, exhibeantur. Illi qui ipſum Nummum non conſpexerunt aut tractarunt, conjicere poterunt eum ex duobus Nummis, uno Conſtantini, altero Principis Mohammedici Cara Arſelan, eſſe conflatum, ſic ut utriuſque nummi ſegmenta arte conjuncta ſint: quæ fraus nota eſt. Sed ab hoc genere fuci & vel minima ejus ſpecie Nummum noſtrum liberant quicumque eum viderunt & examinarunt, ſic ut alio cogitationes noſtras vertere cogamur. Cl. *Gallandius* ſuſpicatur Mohammedanos nummum Conſtantinianum aut æreum aut aureum (quales huic fere ſimiles extant in Cimeliis) coram habuiſſe & averſæ partis ejus typum arte ſuo more craſſiore imitatos, atque ita averſam partem nummi ſui Principis feciſſe. Et profecto præter conjecturas vix aliquid ſupereſt quod dici in hanc rem poſſit. Aut Mohammedani typum ad formam Nummi Conſtantinianæi fabricarunt, uti Cl. *Gallandius* putat, aut typum (ſive matricem, ut vocant) in venere quo ille Nummus Conſtantinianus olim percuſſus fuit, eoque uſi fuerunt ut alteram partem hujus Nummi ſignarent, aut (ſi forte ipſis ad manum fuiſſe copiam horum numorum Conſtantini fingamus) ut eam partem Nummi typo ſubjecto fultam, dimidium pars averſa alio typo premitur, novamque faciem accipit, conſervarent. Fieri enim non poteſt, ut Nummo alicui ſignato ab una parte nova facies imprimatur, illæſa parte altera, niſi quis typum huic parti ſubjiciat, qui formas literarum & imaginum ei inſcriptarum cavis ſuis, ut ita loquar, ductibus recipiat & fulciat: qui alius eſſe non poteſt quam is, per quem ea pars nummi ſignata eſt. Si enim, dum alteri parti nova facies imprimitur ſuperne, inferior nummi pars fulciatur materiæ duriori quam ipſa eſt veluti chalybe, quodcunque inferne ſignatum erat, delebitur & figuram maſſæ chalybeæ ſubjectæ recipiet. Si vero mollior materia ſubjecta ſit veluti plumbum aut cera, nummus ſuperne preſſus cedet molli incumbenti, nec imagines ſibi imprimendas recte recipiet. Ceterum Mohammedanos ſolere aliquando Nummis Chriſtianorum uti, ut ſuppreſſa priori facie alteram ei inducant (plane uti Imperatores illi Romani qui Nummis anteriorum Cæſarum ſuas imagines impreſſerunt) luculenter apparet ex hoc Nummo Turcico Conſtantinopoli cuſo, anno æræ Mohammedicæ 1106. ideſt, Chriſtianæ 1694. imperante Muſtafa filio Mohammedis quem mihi ex Moſcovia redux oſtendit, olim in Arabicis auditor meus Vir Eruditiſſimus & bono literarum Orientalium natus, *Joh. Joachimus Schroederus*. Hic quidem Nummus argenteus a Chriſtianis percuſſus, ex eorum genere qui 28. Auſeros noſtrates valent, Inſcriptionem habuit Latinam: poſtea Turcæ typum Arabicum ei applicuerunt, & ſuppreſſa ſcriptura priore, ſuperinduxere ſuam, ut pro Nummo Turcico haberi poſſet. Qui attente Nummum conſiderat, videbit typum inæqualiter eum preſſiſſe ſic ut alicubi in margine clare legantur literæ Latinæ D. G. ROM. IMP. & alibi FLOR. ARG. Vid. *Tab. VIII.*

Eadem Diſſertatione, qua de Nummo Arabico Conſtantini egimus, illuſtravimus Marmora Puteolana, eaque conſerenda eſſe monuimus cum Inſcriptionibus Panormitanis. Specimen earum ex *Fazello* deſum-

ſumtum hic damus, eadem Tabula ſeptima; unde liquet literas eſſe pure Arabicas, e quibus, ſi inſcriptionem integram haberemus, facile ſenſum poſſemus elicere, & fruſtra eſſe illos qui neſcio quam antiquitatem horum characterum commenti ſunt, quaſi ad tempora filii Eſau eos referre oporteret. Qui hanc Inſcriptionem confert cum Puteolanis, & cum illa in Delphinatu eruta, de qua mox, & Nummis Arabicis nullo negotio deprehendet eandem eſſe ſcripturam, ſcilicet Arabicam. Ut tamen hiſtoriam habeas inventæ hujus Inſcriptionis & quomodo in opinionem ſtupendæ antiquitatis devenerit, hæc adſcribere ex *Thomæ Fazelli* Commentariis de rebus Siculis, priori Decade *Lib. VIII. pag.* 149. non pigebit: *Plura ejuſcemodi marmorum monumenta ſunt Panormi in quibus inſcriptos literarum characteres admiramur: quos quia nec Greci nec Chaldæi neque Arabes noſtri temporis legere potuerunt, vulgi opinio eos e Trojæ excidio Panormum advectos tenet, cum non Trojæ ſed Panormi vetuſtatem contineant. Hos cum civium incuria inertiaque paſſim mea ættate projecti conculcarentur, ne tam certa antiquitatis Panormitanæ monumenta interirent, ſenatus, me autore, anno* 1552. *ad prætoriam Urbis curiam aſportari curavit præter eum qui in ædium Gerardi Agliati, Siciliæ olim Protonotarii angulo fundamentis obrutus eſt, quem eum ipſum eſſe, qui deſideratur Ranzanus arbitratur* (*) *Altera autem Inſcriptio in vetuſtis illis quadratiſque ſaxis, quibus veteris Urbis porta, quam Patitelli appellant eſt excitata ſimilibus Chaldæorum typis inciſa ſupereminet & cuivis in propatulo eſt. Quam Petrus Specialis anno ſalutis* 1470. *cum Prætura Panormi fungeretur ab homine Syro in hunc modum verti fecit:* Non eſt alius Deus præter unum Deum. Non eſt alius potens præter eundem Deum. Nec eſt alius victor præter eundem quem colimus Deum. Hujus turris præfetus eſt Saphu filius Eliphar, filii Eſau, fratris Jacob, filii Iſaac, filii Abraham. Et tum quidem ipſi nomen eſt Baych: ſed turri huic proximæ nomen eſt eſt Pharath. *Quæ verba Superiorum non ſolum fidem augent, ſed vel ſola Panormum Chaldæorum fuiſſe ædificium ex ſe ſe confirmant. Nam cum ex iis literis Saphum non condidiſſe eam turrim ſed præfectum illius fuiſſe conſtet; Panormum & ante Saphi tempora extitiſſe & illius primordia in hujus majores (qui Chaldæi fuerunt, ut Geneſeos* cap. 36. *ſcribit Moſes) referri, nihil ultra dubitandum eſt. Neque enim vero eſt quod in Siciliam Chaldæos aliquando veniſſe, urbemque condidiſſe quiſquam fabuloſum exiſtimet, cum autoribus* Beroſo & Diodoro *Chamus Noæ filius (quem Chameſenem & Saturnum* Beroſus & Diodorus *appellant) magna ſecum adducta colonia, Sicilia (ut in hiſtoriis memorabimus) fuerit potitus. Turris Bayich, in cujus ſupercilio circumquaque inſcriptio eſt inſculpta, integra adhuc eſt, habitationique non incommoda. Verum qui eam anno ſalutis* 1534. *inhabitabat murum ejus occiduum: (unde celebrior veteris urbis via auſpicatur:) inſtauraturus inciſas ad ejus verticem literas tranſpoſuit, pleraſque comminuit. Quod cum fieret, angebar ego animo hominemque ipſum ſtolidum ac cæmentarios acerrime objurgabam. Sed & gravi ſubinde etiam ſublatis vocibus increpatione Senatum incuſare cœpi, qui tantam urbis jacturam cladernque irreparabilem tam turpi ſilentio præteriret. Demum ne prorſus literarum monumenta quæ ibi colligi potuerunt, aut temporis aut ſimilis ineptiæ injuria interirent, fragmentum inde excerptum hic adſcribere libuit.*

Poſt hæc verba Inſcriptionem ipſam exhibet *Fazellus*, e quo nos eam fideliter repræſentamus. Quid ea contineatur haud facile quiſpiam dixerit, quia integra non eſt. Vir Eruditiſſimus, *Georgius Gualtherus* in libro cui titulum dedit *Siciliæ objacentiumque inſularum & Brutiorum antiquæ tabulæ*, Meſſanæ edito anno 1624. ex *Fazello* hanc Inſcriptionem deſcribit, *pag.* 108. atque hominem Syrum eam tranſtuliſſe hoc modo: *Non eſt alius Deus præter unum Deum. Non eſt alius potens præter eundem Deum, &c.* quæ ſtatim in *Fazello* ipſo vidimus. Sed Fazellus non dicit hominem Syrum explicuiſſe eandem Inſcriptionem quam ille exhibet, ſed eam quæ in Patitelli porta legitur, & adhuc integra videtur ſupereſſe, cum eam ſcribat eſſe cuivis in propatulo: quare nec illam videtur exſcribere voluiſſe. Illa vero Inſcriptio quam *Fazellus* ſuis characteribus deſcripſit continet *fragmentum*, ut ipſe vocat, excerptum ex literarum monumentis quæ *colligi* potuere, quum inciſæ ad murum occiduum turris Baych tranſponerentur ab operariis & pleræque comminuerentur. Ceterum, vel ſolæ hæ formulæ Mohammedicæ, *Non eſt alius Deus præter unum Deum, &c.* debuiſſet Fa-

(*) *Sc. Petrus Ranzanus meminit Chaldææ Inſcriptionis quæ Panormi extaret, cujus hæc verſio eſſet:* Vivente Iſaac, filio Abrahæ, & regnante in Idumæa atque in Valle Damaſcena Eſau filio Iſaac, ingens Hebræorum manus, quibus adjuncti ſunt multi Damaſceni atque Phœnices, profecti in hanc triangularem inſulam ſedes perpetuas locaverunt in hoc amœniſſimo loco quem Panormum nominaverunt. *Gerræ vere Siculæ.*

Fazello persuasisse hæc a Mohammedanis esse profecta, quibus hæ phrases tum in Nummis tum Libris frequentissime in usu sunt & *bona verba* appellari solent. Eadem pagina *Gualtherus* Inscriptionem Arabicam dat, de qua aliqua ob argumenti affinitatem dicenda sunt. Inventa illa est Messanæ in Terra nova, & conferenda est cum marmoribus Puteolanis, & lapide in Delphinatu eruto: quandoquidem omnes, inscriptiones Sepulcrales sunt & eædem formulæ in omnibus occurrunt. In medio lineæ tertiæ clare legitur هذا قبر ماحمد, *Hoc est Sepulcrum Mohammedis*, &c. Linea prima exhibet has literas بسم الله الرحمن الرحيم صلي الله *In nomine Dei summe misericordis. Favor Dei sit ....* ubi sequi solent illa quæ in Puteolanis videri queunt. Sed quum marmor hoc a parte quæ legenti ad sinistram est, mutilum sit, inscriptionem integram dare non possumus. Cujus rei indicium est in ipsa figura marmoris a *Gualthero* exhibiti: nam Inscriptio margine cingitur a parte superiore, & ab illo latere quod legenti ad dextram est & unde linearum initia sumuntur: & a latere sinistro ille margo deest, & ibidem marmor abscissum est, sic ut literæ tantum dimidiæ appareant. Factum autem hoc reor a Christianis, qui hunc lapidem Sepulcro quorundam hominum e suis aptarunt, & quod paulo longior esset, partem abstulerunt. Hæc suspicio firmatur ex eo quod *Gualtherus*, *pag.* 81. libri modo laudati, tradat in aversa parte hujus lapidis Arabici hanc Inscriptionem Sepulcralem legi.

Corpora XXIII.
hic . manent .
militum . Sacre .
religionis . io
annis . baptiste .
qui . in . obsidione
et . expugna
tione . hujus .
periere . urbis .
anno . dni
1550.
✠

Uti hæc pars indicat homines Christianos ibi sepultos, ita pars aversa Mohammedanos, & nihil habet commune cum altera.

Damus præterea Inscriptionem lapidis Arabici in Gallia eruti, quam acceptam ferimus humanitati amicissimi nobis *Antonii Gallandii*. In Scheda, quæ eam repræsentabat, hæc verba legebantur: *Cette Inscription a est trouvee a Monbrun en Dauphinè sur une grande pierre. Les lettres sont d'un palme de hauteur, dans une cave, qu'on a decouvert en batissant. Il y avoit aupres de cette pierre deux corps enchaisnès.* Continet ille Inscriptionem Sepulcralem, similem fere Puteolanæ tertiæ, nisi quod vocem ماحمد *Mohammedis* quæ ultima est lineæ tertiæ, statim linea quarta sequatur pericopa Alcorani كل نفس &c. eaque desinat in voce الموت quæ prima est lineæ quintæ, & dein هذا قبر De reliquis minus certus sum & ob absentiam punctorum pluribus conjecturis ea locum dant, quarum examen plus otii postulat, quam nobis nunc conceditur, aut forsan res ipsa meretur.

Denique ad Nummos Tabula nona exhibitos me confero, quorum delineationem hanc ad me transmisit Cl. *Gallandius*, cujus singularis humanitas satis a me prædicari nequit, una cum hisce literis, ex quibus patebit unde depromti sint, & quid idem vir doctissimus de quibusdam ex iis senserit.

Petitioni Tuæ, Clarissime *Relande*, ut satis facerem, ad Cl. *Oudinetum* Cimeliarcham Regium scripsi, statimque nummos Samaritanos novem, argenteos tres, æreos sex nempe, qui Thesaurum Regium ornant, perhumane transmisit. Ex argenteis duo erant sicli tetradracmi similes, quorum nitidiorem cum tertio, lyra, & uva signato, qui sicli quinta pars erat, rubrica delineari curavi. Ex sex æris, cum duo pariter essent similes, nitidiores etiam selegi, qui & rubrica cum reliquis duobus, delineati sunt. At cum in characteribus, seu literis, recte non processisset rubrica, alia ectypa, charta oleo imbuta, prioribus applicata, in quibus literæ literis exacte respondent, ipse expressi, quæ hic habes.

In quarto nummo notabis legi ΑΝΤΙΓΝΟΥ, corrupte, pro ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. Non es monendus, in nummo tertio, ea parte, ubi legitur ציון, literam Vav alio charactere ac in aliis exprimi, nempe hocce (*) nisi aliter Tibi visum fuerit.

Nummus Septimus æreus magnitudine su-

(*) Vide illius literæ Vav figuram in ipso Nummo *Tab. IX.* & confer cum his quæ suspicabamur de duplici figura literæ Mem. *pag.* 103.

ſuperioribus inſignior, Regius eſt etiam, quem tamen a Cl. *Oudineto* miſſum, aut potius omiſſum, non habui; ſed a D. Henrion, ex noſtris Academicis Numiſmaticis uno, nec non linguæ Syriacæ Profeſſore Regio, qui ectypum Stanneum ære admixto fuſum ante aliquot annos ex prototypo ſibi fecit. Dolendum eſt quod epigraphes literæ aliquot in utraque parte ſint detritæ.

Octavum nummum, & ipſum æreum, e Muſæo D. *Henrion* depromſi, in quo & literæ aliquot deſiderantur. Eum nihilominus, ob typum averſæ partis diverſum, mittendum cenſui.

Nummos ex Opere Bouteruano deſumtos ſi minus recte aut obſcure delineatos inveneris, exactiores mittam, ſtatim atque monueris, Teque hac in parte meæ operæ ne parcas rogo. Vale Eruditiſſime *Relande*, hiſque Reipublicæ literariæ bono utaris. Datum Pariſiis XXI. *Decembris*, *anno* MDCCVIII.

Primus Nummus ab una parte inſcribitur שקל ישראל *Siclus Iſraelis*, & שׁ׳ד *i. e.* שנת ד׳ per ראשי תיבות vel literas initiales, *anno quarto*; ab altera ירושלים הקדושה *Jeruſalem Sancta*. Hic ſatis notus eſt, & ab omnibus ferme repræſentatus, qui de Nummis Hebræorum egerunt. Addere tamen liceat mea, quamvis ipſe poſſideam & apud alios viderim, nullum unquam hujus commatis nummum conſpexiſſe indubiæ antiquitatis: ideoque omnes ad quorum manus ſimiles nummi pervenient, rogatos velle, ut eos bene examinent. Calicem ab una parte conſpicuum male pro receptaculo mannæ haberi, quippe qui nec ϛάμνος ſit uti *Hebr.* IX. 4. appellatur, nec צנצנת ſed כוס poculum; antea monui. Obſervandum porro eſt Inſcriptiones Nummorum qui eaſdem imagines cum hoc nummo repræſentant paulum differre, uti quod ירושלם ſine *Jod* in quibuſdam legatur, & קדשה ſine *Vav*. Dicitur etiam legi in quibuſdam חצי שקל ישראל *dimidium ſicli Iſraelis*. in aliis שלישית שקל ישראל, *triens ſicli Iſraelis*. Præterea quidem habent א, nonnulli ב ſupra calicem, indicem anni primi, & ſecundi. Meminerunt eorum *Caſpar Waſerus*, *& Stephanus Morinum*, & alii: ſed quia ipſes non vidi; nec conſtat mihi ubi aſſerventur, plura non addo.

Monendum tamen de hoc Nummo primo argenteo Lectorem duco, pondus ejus (tranſmiſſum enim ab illuſtri Oudineto fuerat pondus nummi e plumbo) exploraſſe Virum ingenio & doctrina præſtantem, *Johannem Caſparum Eiſenſchmidium*, in *Diſquiſitione Nova de ponderibus & menſuris veterum*, qua egregie meritus eſt de re literaria, *pag.* 56. eumque inveniſſe pendere paulum ultra grana Pariſienſia 267. quæ pondere conveniunt fere, uti experientia edoctus eſt, cum 320. granis hordeaceis mediocribus, quod pondus a veteribus Rabbinis ſiclo tribuitur. Quumque aliorum quoque nummorum Hebraicorum meminiſſet, quorum pondera æquabant 306, 268, 216, 108, 81. & 47. grana Pariſienſia, ita porro ſummam hinc efficit: *Ex his omnibus evinci nemo nun vider, Siclum Hebraicum ſtatuendum eſſe granorum Pariſ.* 268. *octo granis majorem ſemuncia Romana vetere, ſed* 64. *granis leviorem tetradrachmo Attico*. Deceptum proinde putat *Joſephum* & vulgari præjudicio abreptum quum *lib.* 3. *Antiqu. cap.* 9. ſcribit ὁ δὲ Σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus numiſma Hebræorum continet Atticas drachmas quatuor*. Concedit Autor doctiſſimus Siclum 4. drachmas cepiſſe, nam ex *Matth.* 17. 24. conſtat טבע ſive פלגות סילעא *ſemi Siclum* ab unoquoque Iſraelita quotannis ſolvendum Διδραχμον fuiſſe, quod & *Beniamin Muſaphia* ad Lexicon Aruch in voce דונר tradit משקל מחצית שקל הקדש שני דרכמין *Pondus dimidii Sicli ſacri eſt duarum drachmarum*. Sed negat drachmas Atticas debere intelligi. Bona tamen cum venia eruditiſſimi Scriptoris, ut lux aliqua difficili huic argumento & imprimis ſententiæ *Joſephi*, Siclum cum tetradrachmo Attico comparantis, affundatur, verba magni Interpretis Zuris Judaici *Moſis Maimonidis* adſcribam, quæ habentur in Jad Chazaka, *Tomo I. Hilcot Schekalim*. 1. 2. *fol.* 284. *edit. Amſtel.* מעיין בכף האמור בתורה באונס ובמפתה ובמוציא שם רע והורג עבד הוא שקל הנאמר בכל מקום בתורה׃ ומשקלו שלש מאות ועשרים׃ שעורה וכבר הוסיפו חכמים עליו ועשו משקלו כמשקל המטבע הנקרא סלע בזמן בית שני וכמה הוא משקל הסלע שלש מאות וארבע ושמונים שעורה בינונית׃ הסלה ארבעה דינרין והדינר שש מעין ומעה היא הנקראת בימי משה רבינו גרה׃ ומעה היא שני פונדיונין׃ ופונדיון שני איסרין ופרוטה אחת משמונה באיסר נמצא משקל המעה והיא הגרה שש עשרה שעורות ומשקל האיסר ארבע שעורות ומשקל הפרוטה חצי שעורה ועוד מטבה אחר היה שם שהיה שקלו שתי סלעים היה נקרא *Nummus argenteus*, והוא: דרכון כסף, *cujus in Pentateucho Moſis ſit mentio*, *ubi agitur de illo qui per vim compreſſerit aut ſeduxerit virginem*, *aut malam famam ſparſerit*, *aut ſervum interfecerit*, *idem eſt cum eo qui ubique in Pentateucho Siclus appellatur*. *Pondus autem hujus eſt* 320. *granorum hordeaceorum*. (Alibi idem autor tradit ſe audiviſſe a Parente ſuo illorum granorum hordea-

deaceorum unum convenire cum minimo ponderis genere, vel grano, quod Arabes appellant حبة: vide *Comm. ad Edvioth.* IV. 7.) *Verum postea stante Templo secundo, Sapientes auxerunt Sicli pondus, ita ut æquale esset nummo* סלע *dicto, qui ponderabat* 384. *grana hordeacea mediocria. Nummus autem* סלע *Sela complectitur quatuor denarios, & unus denarius sex* מעין. *Et* מעה *est eadem cum* גרה *Gera, uti appellabatur tempore Mosis, comprehenditque duo* פונדיונים. *Et pondion unum continet duo assaria. Perutæ autem octo efficiunt assarium. Sicut pondus* דמ׳ מעה, *sive* גרה *Geræ sit sexdecim granorum hordei; assarii, quatuor granorum; perutæ dimidii grani. Præterea erat alia moneta quæ pondere æquivalebat duobus Siclis, sive* סלעים, *& appellabatur Darcon*. Hinc multa illustrantur quæ ad Nummos veterum Hebræorum spectant, & monemur in examine Nummorum stante Templo secundo cusorum (quales omnes hi Nummi sunt de quibus agimus) pondus Sicli statuere par granis hordeaceis 384. non vero 320. Hoc ipsum quoque docet R. *Gedalias* in *Schalschelet Hakkabala fol.* 71. הסלע בזמן בית שני שקל ש׳פ׳ר׳ שעורות בינוניות Pondus Sicli, sive סלע דמ׳ fuit stante Templo secundo 384. granorum hordei mediocrium. Adde *Raschium* ad *Levit.* 22. 25. עשרים מעות כך היו מתחילה ולאחר מכאן הוסיפו שתות ואמרו רבותינו שש מעה כסף לדינר כ׳ ד׳ מעות לסלע. Viginti מעות faciebant Siclum olim: sed postea sextam partem addiderunt: *& hoc est quod dixere Doctores nostri; sex* מעת *argenteæ faciunt denarium*, 24. מעות *faciunt* סלע, sive *Siclum*. Adeoque Siclus Hebraicus, quem Clariss. *Eisenschmidius* scribit 64. granis (Parisiensibus scilicet) leviorem esse tetradrachmo Attico, isti tetradrachmo tantum non æqualis erit, etiam juxta pondus illud quod Cl. *Eisenschmidius* tetradrachmis tribuit. Quod si pondus granorum hordei, & granorum Parisiensium exacte conveniret, ne unius quidem grani differentia inter tetradrachmum Atticum & Sicli pondus, uti id Rabbini definiunt, intercederet. Quamvis etiam dici possit ad paucorum aliquot granorum differentiam, quæ fortassis inter hoc & illud fuit, & nullius fere momenti est, non adeo accurate *Josephum* respexisse, & Rabbinos diligentius tradidisse pondus Sicli, uti vere se habuit. Suspicari porro licet nummum maximi moduli, qui inter Regios Tabula IX. a nobis exhibitos, septimus est, pro דרכון habendum esse, cujus pondus fuit granorum hordeaceorum 768. i. e. duorum siclorum: quamvis non ignorem Judæos vulgo tradere Darconot nummos aureos fuisse; fuere tamen ex alio quoque metallo. Vide *Schekalim* II. 4.

Observari præterea meretur, ea quæ modo ex *Maimonide* allata sunt, non illius modo autoritate niti, quamvis vel illa sola magnum pondus habeat apud justos rerum arbitros, sed Talmudis ipsius, tum Babylonici in Gemara *Kiddufchin fol.* 12. *p.* 1. tum Hierosolymitani in ejusdem Codicis Gemara *fol.* 59. *col.* 4. *edit. Venet.* e quo utpote antiquissimo hæc adscribam (quæ & in *Bereschit Rabba f.* 348. *pag.* 2. leguntur) כל שקלים שכתוב בתורה סלעים *omnes Sicli* in Pentateucho memorati sunt סלעים. Et *fol.* 58. 4. וכמה היא האיסר אחד משמונה באיסר האיטלקי תני פרוטה אחד מעשרים וארבעה כדינר כסף דינר כסף אחד מעשרים וארבעה לדינר זהב׳ תני רבי חיה סילעא ארבעה דינרין. שש מעה כסף דינר שני פונדיונין מעה. מעה שני איסרין פונדיון שני מסומסין איסר שני קרדיונטס. מסומס שני פרוטות: *Quantum est Peruta*, sive λεπτὸν; *una ex octo partibus assarii Italici* (idem docetur in Misna *Eduioth.* IV. 7.) *Traditur Assarium unum esse ex* 24. *partibus denarii argentei, uti denarius argenteus vigesima quarta pars est denarii aurei. Sententia R. Chaia est* סלע (i. e. Siclum) *complecti quatuor denarios*, (ex *Terumoth.* X. 8. quoque liquet סלע Judaicum, qui duos Galilaicos continebat, 4. זוזים, sive denarios valere) uti denarius unus (qui alias זוז dicitur, ut *Baal Aruch* scribit, & æquivalet 96. granis hordeaceis) *continet sex* מעין *argenteas. Duo Pondion faciunt* מעה, & מעה *duo assaria*, (mox tamen *ibid.* שני איסרין פונדיון *duo assaria faciunt Pondion*, uti apud *Maimonidem*) Pondion (διπόντιον; ita explicat Mussaphia, דיפונדיון) *continet duo* מסומיסין: *assarium duos* קרדיונטס (videtur formatum ex voce Κοδράντης. *Marc.* XII. 42. in Gem. Babylonic. *loc. cit.* est קונטרונקין) מסומס *duas Perutas*. Paulo aliter ultima in Talmude Babylonico leguntur, uti *Pondion valere duo assaria*, quod ex Misna Bava Bathra *v.* 9. liquet, *assarium duo* מסמסין, *unum* מסמס *duos* קונטרונקין *& horum unum* 2. *Perutas*, sed diversæ fuere Doctorum de his sententiæ uti ex iis quæ his subjiciuntur in Gemara Hierosolymitana videre est: de quibus non adeo laboramus; credimusque *Maimonidem* opinionem illam quæ maxime recepta & probata est secutum fuisse, cujus singularis fuit diligentia in accurato examine ponderis Nummorum Hebraicorum, & collatione ejus cum ponderibus Ægyptiis, ac granis hordeaceis, uti cum ex iis quæ adduximus liquet, tum ex Commentariis ejus ad Misnam *Becoroth.* VIII. *Misn.* 7. quæ cum his omnino merentur conferri: uti

& quæ

& quæ habet in *Comm. ad Maaſer Scheni c.* II. *Miſn.* 9. quæ quia prima ſpecie videntur adverſa iis, quæ tum ex ipſo *Maimonide* tum Talmude adduximus, breviter cum iis concilianda ſunt ita ille: סלע הוא שני שקלים ודינר הוא רביע הסלע כי הסלע ארבע דינר ורביעיתו הוא רביע השקל והוא חצי דינר i. e. *Sela continet duos Siclos, & denarius eſt quarta pars* τȣ̃ סלע (ita quoque in Talmude Hieroſol. eſt, uti ſtatim vidimus) *nam* סלע *complectitur* 4. *denarios, & quarta pars Sicli eſt dimidius denarius*. Atqui mox dixit סלע, & Siclum eſſe idem, quomodo ergo סלע continet duos Siclos, uti hoc loco ſcribit, & in *Comm. ad Eduioth.* I. 10. ſcilicet ibi quidem eſt de *Siclo Pentateuchi* שקל של תורה, ſive illo cujus in ſcriptis Moſaicis fit mentio, qui & cum כסף צורי argenteo Tyrio convenit; hic vero de *Siclo Rabbinorum* שקל של רבון quales duo æquivalent Siclo Pentateuchi. Ita diſerte Scriptor Lexici *Aruch* ad vocem זוז, *fol.* 61. *col.* 4. שקל של תורה הוא סלע וכן תרגום שקל סילעא ויש בן ארבעה דינרין ודינר וזוז אחד הן. שקל דרבון והוא חצי סלע ויש בו ב׳ דינרין כגרסינן בב׳מ׳ בריש וגמרא דפ׳ הזהב וכו׳: *Siclus Pentateuchi eſt* סלע. *Sic transfert Chaldæus Interpres vocem* שקל per סילעא, ideſt סלע. *Continet ille quatuor denarios: denarius autem &* זוז *unum idemque ſunt. Siclus vero Rabbinorum eſt dimidium* τȣ̃ סלע, *continetque denarios duos, quemadmodum legere eſt in Gemara Codicis Bava Metzia cap.* 4. Hinc obiter nota recte legi apud Heſychium Σȣ̃σαι, δράχμαι, quum quatuor Zuzæ faciant סלע (uti eſt in *Gem. Kidduſchin fol.* II. 2. מאי סלע ארבע זוזי *Quid eſt* סלע? 4. *Zuzim*, & colligitur hoc ex ipſa Miſna in *Bava Bathra cap.* X. *Miſn.* 2.) i. e. τετράδραχμον, quatuor drachmas Atticas, uti & Chaldæus רבע שקל כסף *quadrantem Sicli argentei* transfert per זוזא חד דכסבא *Zuzum unum argenteum*.

Quomodo autem, dicet aliquis, hæc conveniunt cum iis quæ leguntur in *Maimonidis Comm.* ad *Pea* VIII. 7. ubi dicitur הדינר ו׳ זוזים *Denarius valet 6. Zuzim*. Et ibidem פונדיון חצי זוז *Podion eſt dimidium* τȣ̃ זוז. Vidit hanc difficultatem Cl. *Ligtfootus* in Notis ad *Marcum c.* 12. 16. additque, *nodo huic cuneum quærat cui vacat*. Scilicet nomen זוז aliquando idem valet quod denarius, i. e. quarta pars Sicli: & talis זוז *tempore Moſis quinque* מעות *tantum comprehendit, ſed poſtea ſtante Templo II. ſex*, השקל השלם ד׳ זוזים והזוז מתחילתו חמש מעות אלא באו והוסיפו עליו שתות והעלוהו לשש מעה כסף, uti ſcribit *Raſchi* in *Comm. ad Exod.* 30. 13. Aliquando זוז idem eſt quod ſexta denarii pars. Apud Samaritanos idem nomen latius ſumitur pro pecunia qualibet, quam זוזה appellant. Hi autem זוזים de quibus in *Comm. ad Pea* loquitur *Maimonides*, ſextam partem denarii conſtituunt, & *pondus* 16. *granorum hordei habent*, ומשקל כל זוז י׳ו׳ שעורים uti ipſe diſerte teſtatur in *Comm. ad Demai* II. 5. & ad *Pea* VIII. 5. והדינר ששה דרכמונים או זוזים מזוזי זמנם ומשקל הזוז מהם י׳ו׳ גרגרי שעורים דרכמונים *Denarius autem continet 6. ſive Zuzim, ex Zuzim, ſc. temporum illorum, & pondus Zuz iſtiuſmodi eſt* 16. *granorum*. Atque ita talis Zuzus pondere convenit cum מעה, quales ſex denarium efficiunt: & dicendum videtur idem illud, quod מעה vulgo dicitur a *Maimonide* זוז appellari in hoc loco, uti & in *Comment. ad Bava Kama* IX. 7. ubi quartam partem τȣ̃ זוז dicit pondere convenire cum grano ſiliquæ, quod nullo modo de זוז quatenus quarta Sicli parte dici poteſt. Ipſe tamen alibi, uti in *Comment. ad Bava Bathra* X. 2. docet זוזין quorum illic fit mentio eſſe דינרין *denarios*, & quatuor ex iis efficere סלע, ſive *Siclum*. Verum & aliis nominibus eadem quantitas, מעה, ſcil. ſine pars Sicli vigeſima quarta, in Miſna deſignatur, uti in *Bava Metzia c.* IV. *Miſn.* 3. ארבעה כסף מעשרים וארבעה כסף לסלע *quatuor nummi argentei ex viginti, & quatuor qui efficiunt* סלע, ſive *Siclum*. Tales Nummi idem valent quod מעה & זוז, eo ſenſu quo apud *Maimonidem loco cit.* legitur, ſcil. 16. grana hordei. Nec his tantum nominibus appellantur nummi hujus ponderis, ſed & אגורה & גרה. Vide *Gedaliam* in *Schalſchelet Hakkabala, pag.* 71. 2. & *Onkelos* tranſtulit גרה per מעה. Dictus etiam fuit ejuſdem valoris nummus in Gemara דנקא, Δανάκης, uti ab eodem R. *Gedalia* obſervatum fuit.

Alter Nummus ab una parte botrum uvarum, inſigne fertilitatis terræ Iſraeliticæ, habet & literas ש . . ון, quæ ita ſupplendæ ſunt שמעון *Simeon*. In pleriſque enim Simeonis Haſmonæi nomen exprimitur: & nummus ſimilis extat apud *Kircherum* in quo clare legitur שמעון, quamvis ille viſus fuerit ſibi nomen Samuelis in eo deprehendere. Conferatur delineatio *Kircheri* cum noſtro Nummo, nec credo aliquem de conjectura noſtra dubitaturum. Ab altera parte legitur לחרות רושלם. Adde ex Nummo Kircheriano *Jod*, quod ibi requiri vel cœcus videt, & Inſcriptio erit, ut aliorum quoque nummorum, *Libertatis Jeruſalem*. Tertius Nummus

mus idem ille eſt, quem Clariſſimus *Ottius* examinavit, & quum integer non eſſet, & conjecturis reſtituit. Tabula quinta hujus libelli eum exhibet *num.* 1. Qui ſi conferatur cum hoc nummo Regio, qui idem eſt ſed magis integer, non tantum videbit lector optima fide illum Nummum ab Cl. *Ottio* repræſentatum, ſed conjecturas Eruditiſſimi illius Viri firmatas: quum hic clare legatur שנה ארבע חצי *Anno quarto. Dimidium* . . . . Reliqua deſunt. Manipuli duo frugum hic conſpiciuntur, uti ab altera parte duæ menſuræ vel vaſa, vel modii frumento recipiendo deſtinati, & inter illos media palma cum hac epigraphe לנאלת ציון *Liberationis Zion*. Zionis nomine arcem quæ in monte Zion ſita erat, non intelligi, ſupra diximus. Poteſt illud apte Iſraelem vel populum Iſraeliticum ſignificare: quam notionem ipſi Talmudici agnoſcunt in Gem. Hieroſolymit. *Taanith. fol.* 68. *col.* 1. אמר רמי חיננה בר פפאא חזרנו על כל המקרא ולא מצאנו שנקראו ישראל ציון אלא זה ולאמור לציון עמי אתה: *Dixit Rabbi Chenna, bar Pappe: univerſum Codicem ſacrum perlegimus, & nullum locum invenimus quo populus Iſraeliticus appellatur Zion, præter hunc Jeſaiæ* 51. 16. *dicendo ad Zionem*, Tu es populus meus. Sed plura ni fallor loca inveniſſe potuiſſet, uti *Jeſaiæ* 51. 3. 52. 8. *Thren.* 1. 17. aliaque. Exhibetur idem Nummus a D. de *Bouterove* in libro Gallico, cui titulus eſt: *Recherches Curieuſes des monnoyes de France*, edito Pariſiis anno 1666. ex quo deſumta Nummorum Samaritanorum ἔκτυπα ad me miſit idem ille, cui hos Nummos debeo *Antonius Gallandius*. Hoc ideo noto quod Cl. *Ottius* (vide ſupra *pag.* 92.) crediderit hunc Nummum nuſquam literis conſignatum extare, & in ectypo *Bouteruvano* conſpiciatur inter duos frugum manipulos neſcio quid, quod pro malo citreo habuit Cl. *Ottius*.

Nummus quartus duplex Cornu copiæ præfert, quod & in aliis Nummis Samaritano charactere inſignitis conſpici docere poſſunt Nummi duo a nobis editi Tabula VI. *num.* 6. & 7. qui omnino cum his conferri merentur. Literæ quinque ſuperſtites רבע לח, ſi conferantur cum Inſcriptionibus aliorum Nummorum, videntur partem efficere vocum ארבע לחרות, ut ita integra Inſcriptio fuerit שנת ארבע לחרות ציון *Anno quarto Libertatis Zion*, nam pro Zione vox ישראל *Iſraelis*, vel ירושלם *Jeruſalem* non videtur hic ſubſtitui poſſe ob anguſtiam ſpatii in Nummo reliqui. Altera facies repræſentat coronam, cui quid inſculptum ſit non aſſequor, & hanc epigraphen ANTIΓNOT quem eſſe Antigonum Regem ex Nummo ſequenti liquet. At quis ille Antigonus, & quomodo in Nummis ejus legitur, *anno quarto Libertatis Zion?* Antigonum ſuſpicor eſſe Ariſtobuli filium, Judæorum Regem, cui cum multum negotii eſſet cum exteris Gentibus, & illarum ope in ſolio Regio collocatus fuerit, minus mirandum eſt Inſcriptionem Græcam ab una parte Nummis impreſſiſſe, a quo more familiam Herodianam, quæ ei in regno ſucceſſit non alienam fuiſſe Nummi oſtendunt. Qua ratione autem Inſcriptio faciei alterius Samaritana, quæ convenit Nummis anno Libertatis reſtitutæ per Simeonem cuſis, hic conſpiciatur, dicere nequeo. Suſpicor Antigonum typo Nummorum a Simeone cuſorum cum epigraphe *anno quarto Libertatis Zion*, & forte aliis, uſum, quod hi fortaſſe ad manum eſſent, & ad ſolvenda exterarum nationum, quæ ſub eo militabant, ſtipendia Nummis indigeret, nec res moram pateretur; utque animos militantium in certiorem ſpem victoriæ erigeret ſibique adjiceret illud ANTIΓONOT BACIΛEΩC una cum Corona illis inſcribi ab una parte curaviſſe. Conferantur in hanc rem quæ dicta fuerunt ſupra *pag.* 170. de Nummo Arabico Conſtantini, & illo, cui Inſcriptionem Arabicam impreſſere Turcæ.

Nota in hoc Nummo Græcum O *μικρὸν* non exile inſtar puncti, ut in Nummis plurimis antiquiſſimis, ſcribi, ſed eadem magnitudine cum literis reliquis, Σίγμα autem ac Ἐψιλὸν forma lunata. Scripſi ad Cl. *Gallandium* de hac re ut certus eſſem ita in Nummis ipſis hoc exhiberi, & hoc reſponſum tuli:

In nummo Antigoni, ab una parte Samaritano, ab altera Græco, O *μικρὸν, non inſtar puncti, ſed, circulo cæteris literis altitudine æquali, ſit,* O, *delineatum exhibetur. Literæ* C & Є, *ea figura etiam conſpiciuntur, quod intelligere potuiſti ex eo, quod Nummos iſtos Regios a Cl. Oudineto miſſos, eorumque ectypa ex typis a me ipſo deſumta fuiſſe, monuerim, ita ut ipſis fidem omnem, tanquam exacte expreſſis, adhibere debeas. Alii nummi in Judæa, ſeu Palæſtina, cuſi, me jam pridem adduxerant ut crederem has literas* C & Є, *ſic formatas, inde primam ſuam originem habuiſſe, atque ad cæteras Provincias ac Nationes, ubi Lingua Græca cum Literis in uſu erat, dimanaſſe. Hi Antigoni Nummi, ut in ea hæream ſententia, faciunt.* Quintus Nummus ejuſdem eſt Antigoni cum epigraphe ANTIΓONOT BACIΛEΩC. Ab altera par-

parte unum modo cornu copiæ conspicitur, & eædem literæ cum iis quæ in Nummo præcedenti erant, nisi quod ante primam litera quædam extet hujus figuræ ᗕ, quæ juxta nostram conjecturam א esse debebat, sed plane accedit ad figuram ה Samaritani. Ita tamen in Nummo ipso extat, ut mihi Cl. *Gallandius* rescripsit. Hoc quoque meretur notari, in hoc Nummo & præcedenti literarum Samaritanarum bases proximas esse margini exteriori Numismatis, & vertices respicere cornu copiæ sive medium Nummi, quum in aliis Nummis ita legantur literæ, ut partes supremæ margini sint proximæ. Ut verum fatear, in hoc Nummo mihi non satisfacio.

Nummus septimus egregius est, & omnium qui hodie supersunt, Nummorum ab Hebræis cusorum antiquissimus, qui Amphoram ab una parte habet, & has literas . . שנת אחת לגא. *Anno primo Liberationis Zionis*. Ita enim reliqua supplenda sunt ex aliis Nummis. Ab altera parte corollæ inscriptum fuit, uti ex literis superstitibus, & aliis Nummis colligitur שמעון נשיא ישראל *Simon Princeps Israelis*. Meminit ejusdem Cl. *Harduinus*, cujus verba vide supra *pag.* 102.

Eædem voces extant in Nummo, quem *Kircherus* ex Musæo *Francisci Gottifredi* delineatum dedit, ubi cithara ab una parte conspicitur, & ramus corollæ implicitus ab altera, & circa eam שמעון נשיא ישראל *Simeon Princeps Israelis*. Ni fallimur idem legitur in Nummo, quem æri incidi curavimus Tabula septima, sub palma.

Nummus octavus extat in Cimeliarchio Celeberrimi Viri D. *Henrion*, Jureconsulti Parisiensis, & Regii Linguæ Syriacæ Professoris, qui ejus delineationem Cl. *Gallandio* concessit, quod beneficium grati agnoscimus. Exhibet duas literas ון . . . quæ cum ultimæ sint vocis שמעון, & in Nummo hujus seriei secundo (quem vide) qui huic similis est, ון . . . . ש legatur, & in Nummo nono עון . . . in Nummo quoque ab Eruditissimo *Bouterove* depicto, collato cum Kircheriano ejusdem typi, שמעון *Simeon* extet, non videtur dubitandum illud quoque hic contineri. Notemus obiter nomen *Simeonis* שמעון etiam legi in Nummo Ludolfiano, quem Tabula prima *num. 6.* repræsentavimus. Contulimus eum cum delineatione Nummi similis ex opere *Bouterovano*, & illic clare legitur ab illa parte quæ legenti ad dexteram est שמ, & a sinistra שו, juncta nomen Simeonis efficiunt. Ab altera parte extat לחרות *Li-*

berationis . . . . Cithara hic conspicitur, instrumentum illud quo laudes Dei celebrari, & gratiarum actio pro acceptis beneficiis significari consuevere, uti ex plurimis locis Psalmorum patet. Hæc ante, dum a Gentibus premebantur, inter eos defecerat, uti in 1. *Mach.* 3. 45. legitur ἐξέλιπεν ὁ αὐλὸς καὶ κινύρα, quod Isaias diceret שבת משוש כנור *lætitia cytharæ quiescit*. Deinde per Hasmonæos redditus iis fuit usus citharæ, & occasio celebrandi favorem Nummismis. Κινύραν citharam verbo, quia a Hebræo כנור factum est indubie Κινύρα, & Interpretes Alexandrini כנור modo per Κινύραν, modo per Κιθάραν transferre solent, quamvis non ignorem aliquos Κινύραν & Κιθάραν distinguere, uti 1. *Mach.* 4. 54. Κιθάραις κινύραις καὶ κυμβάλοις. Nescio tamen an non τὸ Κιθάραις glossema sit, ad explicandam vocem minus notam κινύραις, statuendum esset alteram alterius speciem esse. Dolendum est veteres non tradidisse accuratius formas Instrumentorum Musicorum, qua in re Hebræi non fuere diligentiores Romanis & Græcis. Quicquid fere de forma Instrumentorum apud Hebræos licet colligere, ad hæc capita reddit: שופרות fuisse buccinas, incurvas, ex cornu plerumque arietino: חצוצרות tubas directas, ex metallo: נבלים *nablia*, quæ 12. chordas (φθόγγους *Josepho*) habebant, digitis pulsata fuisse, & quidem utraque manu, uti *Ovidius* docet hoc distichIo:

Disce etiam duplici genialia nablia palma
Plectere: conveniunt dulcibus illa modis:

Eadem a forma utris נבל fuere dicta (quod probabilius est, quam quod in Gem. Hier. *Succa fol.* 55. 3. *Edit. Venet.* legitur שהוא מלבין כמה מיני זמר) ad quam cavitatem alluditur in Codice *Kelim* xv. 6. quod Nummi in eam immitti possint: quale fere est instrumentum nobis a voce Arabica العود *een Luyt* dictum, qua voce nostri Interpretes נבל transferunt. Sic ut species fuerint Psalteriorum, ubi & *Origenes* in Lexico Νάβλεας ψαλτήρια. Glosæ Vet. Nablio, ψάλτης. Et Interpretes Alexandrini plerumque נבל, ψαλτήριον reddunt. כנורות κινύραι, citharas dicam decem chordis (נמין שבכינור appellantur in Gem. Hier. *Eruvin.* 26. 3.) constantes plectro fuere percussæ. חלילין, instrumenta lætitiæ significandæ destinata (*Gem. Hier. Moed. Katon* 73. 4.) cum tibiis; צלצל, quod æreum erat

erat & maximi ſoni (*Gem. Hieroſ. Succa* 55. 2. & 3.) & מצלתים cum cymbalis; תוף cum tympano, convenerunt. Reliqua fere conjecturis nituntur: & Judæi ipſi ſæpe dubitant an nomina Hebræa ſonos an vero ipſa inſtrumenta ſignificent, uti videre eſt in Commentario Kimchiano ad *Pſalm.* IV. Commode tamen mihi in mentem venit locus ex Codice Miſnico קינים, *cap.* III. unde lux aliqua accedit diſquiſitionis de forma horum inſtrumentorum אמר ר׳ יהושע זה הוא שאמרו כשהוא חי קולו אחד וכשהוא מת קולו שבעה כיצד קולו שבעה שתי קרניו שתי חצוצרות שתי שוקיו שני חלילין עורו לתף מעיו לנבלים בני מעיו לכנורות: *Dixit R. Jehoſua, hoc eſt quod dixerunt, quum vivit* (ovis ſcilicet כבש) *tunc vocem unam edit; quum mortua eſt, voces ſeptem. Quomodo hoc intelligi debet de vocibus ſeptem. Reſp. duo cornua ejus fiunt duæ tubæ* (nota, proprie dicendum fuiſſe שופרות *buccinæ*, quare & in Scholiis marginalibus כף נחת ea vox per שופרות explicatur: ſed frequenter confundunt Judæi *tubas* חצוצרות & buccinas שופרות, ſicut, quum homines illiterati עם הארץ rogant de buccina novi anni, quale ſit inſtrumentum, reſpondeant eſſe חצוצרות *tubas*, quamvis proprie buccina ſit, quia vulgus conſuevit eo nomine quoque buccinas comprehendere, uti ſcribit Rashi ad *Gemaram Schabbath* fol. 36.) *duo crura fiunt duæ tibiæ, pellis ejus tympanum, inteſtina ejus majora inſerviunt nabliis, minora citharis.* Solebant enim veteres ex inteſtinis ovium chordas conficere, unde *Homerus* chordam vocat ἐϋστρεφὲς ἔντερον οἰός. Hinc quoque intelligimus ſonum nabliorum graviorem fuiſſe ſono cithararum (quo ſpectat quod apud *Athenæum* Nablium λαρυγγόφωνον appelletur) quod & inde colligitur, quod in melodia quotidiana Levitarum duo tantum nablia fuerint adhibita, in qua novem erant citharæ & unum cymbalum: ne ſi plura fuiſſent, gravi illo ſono minor ſonus aliorum obfuſcaretur. Cymbalum enim, הצילצל, quia inter tria hæc quotidiana Levitarum (nam inflatio הצוצרות tubarum erat munus Sacerdotum) inſtrumenta Muſica maximum ſonum edebat, ideo unum modo erat. Et Præfectus inſtrumentis Muſicis Levitarum, ab hoc ſolo nomen gerebat ממונה על הצילצל *Præfectus cymbalo. Schekalim* v. 1. Propterea videtur etiam in Symphonia Muſica Cymbalum primum auditum fuiſſe: Scilicet Sagane indicium ſudario faciente libamen Vini in Simpulo altaris peragi, dicitur Ben Arza incepiſſe ludere בצילצל *Cymbalo*, in Gem. Hieroſ. *Schekalim* ad *cap.* v. 1. 2. Meminit ejus ſoni Gemara Hieroſolymitana Codicis *Succa fol.* 55. *col.* 2. *Edit. Venet.* ubi hæc hyperbolica leguntur ad indicandum omnium illarum rerum ſonum longiſſime fuiſſe diffuſum, ששה קולות היו נשמעים מיריחו מיריחו היו שומעין קול שער הגדול שנפתח מיריחו היו שומעין קול המגריפה מיריחו היו שומעין קול העץ שעשה בן קטין מוכני לכיור מיריחו היו שומעין קול גביני כירוז מיריחו היו שומעין קול החליל מיריחו היו שומעין קול הצילצל וי א׳ אף קולו של כ׳ ג׳ בשעה שהוא מזכיר את השם ביום הכיפורים: *Sex ſoni* (*Hieroſolymis editi*) *audiri poterant Hierichunte. Hierichunte audiebant ſonum portæ magnæ* (Templi ſcilicet. Erat porta Sancti, quæ licet major non eſſet reliquis Templi portis, ob ſpatium ingens in veſtibuli introitu ante eam ſcilicet 40. cubitorum in altitudine 20. in latitudine maxima apparebat) *quum aperiebatur. Hierichunte audiebant ſonum Magrephæ* (putatur fuiſſe inſtrumentum ſimile campanæ vel pelvi) *& machinæ lineæ quam filcus Catini Labro aptavit, & vocem Gabini præconis & ſonum tibiæ* (hac quotidie non utebantur, ſed 12. tantum diebus feſtis in anno) *& cymbali: & ſunt qui dicant, etiam vocem Pontificis Maximi nomen Dei pronunciantis die Expiationis uſque eo auditam fuiſſe.*

Nummus nonus (quem, uti & tres reliquos ex opere Domini de *Bouterove* delineatos damus, qui illos hauſerat e Cimeliis Illuſtriſſimi *Harlæi* in Parlamento, quod vocant, Pariſino Protopræſidis, ut reliquos illuſtrent, aut ab iis illuſtrentur) repræſentat botrum uvæ & tres literas שמע... nominis *Simeon*. Altera facies notatur hoc epigraphe לחרות ... רושלם *Libertatis Jeruſalem*. Conſpiciuntur in eo præterea duæ tubæ (eo loco, ubi in octavo Nummo huic ſimili aliud inſtrumentum Muſicum, cithara) חצוצרות dictæ *Num.* 10. 1. ubi Moſes duas facere jubetur ex argento. Diſcribit earum formam *Joſephus* ὁ ἀρχαιολογος *lib.* III. *cap.* 11. Μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγω λεῖπον. Στενὴ δὲ ἐςὶ σύριγξ αὐλȣ̃ βραχὺ παχυτερα, παρέχȣσα δὲ εὖρος ἀρκȣ̃ν ἐπὶ τῷ ςόματι πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος εἰς κώδωνα, ταῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελȣ̃ν. Ἄσωσρα καλεῖται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν. *Longitudinem cubiti fere habebat unaquæque. Tubus erat paulo craſſior tibia, cujus os patebat quantum ſufficiebat ad ſpiritum immiſſum recipiendum, deſinens eo modo quo σάλπιγγες. Appellatur Hebraicæ Aſſoſſa.* Juſſerat Deus tubas has inflare tempore lætitiæ communis *Numer.* 20. 9. Et quotannis in feſto Tabernaculorum

rum


Tab. III Amphoras h.e. Nummis.
Tab. IV. Amphoras h.e. Vasa ansata
ΔΕΡΚΥΛΟΣ
ΧΙΟΣ
Amphora Wildiana Capreis Effossa
Tab. V.
N. 1.
Idem Nummus ex conjecturis restitutus uti integer fuisse creditur.
N. 2
N. 3
Tab. VI.
Nummi Samaritani.
N. 1.
N. 2.
N. 3.
N. 4.
N. 5.
N. 6.
N. 7.
Tab. VII
Inscriptio Panormitana
Inscriptio Lapidis eruti in Delphinatu
Nummus Arabicus Constantini
Nummi duo Samaritani.
Tab. IX.
Inscriptio Puteolana
Nummus Arabicus Constantini Pogonati.

rum, quod tanta lætitia celebrabatur ut proverbio feratur, qui non vidisset hanc lætitiam בית שואבה *loci haustionis*, non vidisse ullam lætitiam, Sacerdotes quoque duas inflabant tubas, uti est in *Succa*. V. S. Quapropter jure ubi symbolum maximum gaudii post restitutam per Hasmonæos & vindicatam rempublicam Nummis impressæ sunt. Videmus similes tubas duas in Arcu Titi Vespasiani sculptas. Ejusdem formæ fuisse suspicor tredecim illa receptacula Nummorum quæ in Atrio mulierum collocata erant, שופרות dicta, & תיבות, quæ si conspiciantur tubis fuisse similia, ita ut una extremitas qua parte ori admoveri solent tubæ, angustior per foramen nummos intromiserit, altera latior solo affixa nummos continuerit, aptissima fuere ad illum usum & ornatu non destituta. Appellantur quidem ea a forma sua שופרות, *buccinæ*, unde conjicere quispiam posset, eas buccinarum potius figuram habuisse, quæ incurvæ & plerumque cornua arietis fuerunt. Sed præterquam quod illa figura nec satis apta ad illum usum, nec ornata videatur, & altera illa tubarum multo fuerit commodior, potuit nomen שופרות iis tribui quod frequenter חצוצרות & שופרות tubæ & buccinæ a Judæis confundantur, uti antea ostendimus ex *Massechet Kinnim* ubi cornua arietis apta esse dicuntur ad חצוצרות *tubas*: at illic buccinas potius incurvas intelligendas esse & res ipsa & Interpretes monent. Eatenus certe hæc receptacula cum buccinis convenerunt quod utraque *ab una parte fuerint angustiora, ab altera latiora, propter fraudulentos homines*, צרות מלמלען ורחבות מלמטן מפני הרמאין: uti scribitur in Gem. Hierosolymitana *Schekalim fol. 49. col. 3.* Quod si vel maxime dicamus ea similia fuisse buccinis שופרות & inde nomen sortita, non peccabimus, quamvis hanc curvaturam iis non tribuamus, quia cornu rupicapræ, יעל, vel si quod aliud animal eo designatur, appellatur שופר *buccina*, idemque fuit פשוט *rectum* non כפוף *incurvum*, ubi legere est in *Rosch Haschana cap. III. misn.* 3. שופר של ראש השנה של: *Buccina novi anni est* על פשוט *de rupicapra recta:* ubi פשוט & כפוף opponuntur, quemadmodum & apud *Rashium* ad Germaram Babylonicam Codicis *Schabbat*, *fol.* 35. 2. שופר לפי שכפוף ראשו ראוי לשאב בו מים ולשחות התינוק חצוצרות פשוטה ראויה אלא לתקוע שופר ואינה *Buccina*, (accepit eam vocem proprie pro instrumento incurvo, uti cornu arietino, quod eo nomine plerumque denotatur) *quia caput ejus incurvum est*) simili phrasi in *Succa IV.* 4. de Salicum ramis juxta altare dicitur ראשיהן כפופין (*& eo aquæ hauriri possunt, quæ infanti bibendæ dantur. Sed tuba est in rectum extensa, nec apta nisi ad edendum sonum.* Eadem fere verba de buccina leguntur in Gemara Hierosolymitana Codicis *Schabbat fol.* 7. *col.* 4.

Decimus denique (qui & a *Villalpando* depictus est) ab una parte phialam olei & ramum oleæ repræsentat, cum his literis לחרות ירושלם *Libertatis Jerusalem* ab altera corollam cui inscriptum creditur nomen שמעון *Simeonis*, transpositis literis, ita ut ע inter ו & ן medium cernatur. In aliis nummis, fateor, literæ nominis Simeonis, saltem uti a *Kirchero* repræsentatæ sunt, a vero loco parum sunt amotæ: sed in hoc nummo nulla causa fingi posse videtur, cur in tam paucis sc. quinque literis verus ordo non servaretur: adeoque dum nec ipsi nummum vidimus, nec ichthyocollæ aut alii aptæ materiæ impressam imaginem, malumus ἐπέχειν. Nummus undecimus & duodecimus conferri debent cum eo quem *Tabula VII.* repræsentavimus.

JOHANNIS GAGNIERII EPISTOLA DE NUMMIS SAMARITANIS.

Tibi mitto meas observationes de Nummis Samaritanis, quorum causa *Relandus* eruditam dissertationem edidit: Cum mihi non placeat celebrium autorum errores publicare, hac de causa ego volui Ill. *Spanhemio* meam sententiam communicare, qui non solum meam explicationem probavit, verum etiam inseruit in excellenti opere *de usu & præstantia Numismatum*, cujus nobis daturus est editionem, quæ maxime reliquas omnes antecellet. Cum *Relandus* cupiat, ut sine mora meam publicem explicationem, ego libenter hanc arripiam occasionem, qua mea, quæ mihi est de ejus doctrina, existimatio omnibus innotescere possit. Præterito anno cum in meas manus pervenisset *Relandi* dissertatio de Nummis Samaritanis, tum propter famam autoris, tuum propter meum pro literatura Orientali studium, eam tum voluptate per legi. Statim in ea singularem admiratus suam eruditionem tantaque in ea erat monumentorum authenticorum, quæ ex antiquitate sacra & profana derivata erant, copia, ut putaverim *Relandum* horum nummorum explicationem invenisse.

Tamen cum diligentius considerassem ejus lectionem, eamque comparassem cum characteribus, quos ipse nobis in principio suæ dissertationis repræsentat, ego deprehendi ejus systema funditus ruere, cum non recte legerit partem horum characterum, & inde consequatur, ejus lectiones partim esse falsas, atque etiam in re essentialis, uti ostendam.

Relandus recte observat, tres priores siclos, qui *pag.* I. suæ dissertationis repræsentantur, excepto aliquo discrimine, cum *Wilalpandio num.* V. convenire.

Confutat *pag.* 4. & *seq.* summo judicio *Wilalpandi* explicationem, qui persuasus de vetustate sui sicli in antica parte legebat שמואל נביא, & in aversa ננאלח לאום *Redemtus est jejunio*.

Summa doctrina respondet doctissimi *Schachi* objectionibus, qui contendebat nummos cusos apud Hebræos a temporibus Abrahami fuisse usitatos.

Videamus, utrum *Relandus* sit æque felix in sua confirmanda explicatione, ac fuerit in confutanda *Villalpandi* & aliorum sententia.

Hoc modo legit tres priores siclos, & consequenter V. qui est *Villalpandinus*; in antica parte *pag.* 5. *&* 6. שנתא דכר anno 124. Posthæc, priusquam suam confirmet explicationem, prolixe & erudite disserit de æra Alexandri M. quam contendit in inscriptione esse designatam; In aversa parte legit לנאלת מיון; *propter sive ad memoriam liberationis a Græcis*: Ostendemus hæc omnia esse inutilia. Tandem refert rationes, qua de causa ita legerit, sc. in antica parte *pag.* 22. & *seq.*, & in aversa *pag.* 36. Sed ne diutius his immoremur, ego quatuor vitia essentialia in ejus lectione deprehendo.

1. Quod Hebraico, Chaldaico, & Syriaco commixta sit, quod ipse fateatur, veruntamen ab eo rejicitur culpa in dialectum, quæ illis temporibus corrupta erat; quamvis post duas paginas ut satisfaciat illis, qui purum Hebraicum requirunt, fatetur posse legi, si placeat שנרת ארכר anno 1224.

2. Literæ דכר aut ארכר falso putantur esse ciphræ aut literæ numerales, quia hæc consuetudo recens est apud Hebræos, & nullum extat exemplum in textu Hebræo Scripturæ.

3. In hac constructione deprehenditur solecismus לנאלרת מיון, legendum esset לנלה absolute, non autem in regimine.

4. In eo maxima deceptus est *Relandus*, quod ignoraverit lectionem Samaritanam suorum nummorum, cum legerit ב pro כ, ע pro ד, & צ pro ם, contra evidentiam siclorum, & fidem veterum alphabetorum Samaritanorum, quæ nos habemus in principio Polyglottarum, quæ deducta sunt ex nummis Vaticanis, a R. *Azariah*, & ab aliis monumentis.

Facile demonstrabitur ex eo quod dixi, hoc modo legendas esse horum nummorum inscriptiones שנת ארבע *anno quarto*, & in aversa parte לנאלת ציון *Redem-*

demtionis Sion, ubi nullum ex vitiis lectionis Relandinæ deprehenditur: I. In ea reperitur commixtio dialecti Chaldaicæ, & Syriacæ cum phrasis sit mere Hebraica: 2. Ego non admitto ciphras neque literas numerales, sed naturaliter deprehendo vocem ארבע. 3. Evitatur mihi solecismus: cum nomen substantivum נאלה in regimine optime conveniat cum alio substantivo ציון. 4. demum lego has tres literas ב, ע, צ, juxta alphabetum Samaritanum: Mirum est virum doctissimum in hoc fuisse deceptum.

Quartus siclus ex iis, quos *Relandus* cudendos curavit, omnino meam explicationem confirmat. Fatendum tamen est, sicut repræsentatur in sua tabula, esse corruptissimum; hac de causa non miror *Relandum* fuisse deceptum, cum præoccupatus fuerit iisdem opinionibus, quæ propter præcedentes eum deceperunt. Repetit quoque *pag.* 40. Chaldæum suum שנתא, & ש pro 300. numerat. Aversam partem legere non audet, nisi alios his similes siclos inveniat; Qua in re in Anglia ego fui felicior; Etenim sex vidi ejusdem speciei, alteros minus, alteros magis integros, sc. tres ex Museo Loydi filii Episcopi Worcestrensis, tres reliquos descriptos ex Museo Comitis Pembrochensis; Sex omnes eandem inscriptionem præseferunt; ab altera parte legitur שנת שתים *anno secundo*, & in postica חרות ציון *Libertatis Sion*: Hinc quartus nummus Relandinus suppletur & explicatur; Etenim ego nullus dubito hunc eundem esse cum sex meis esse similem. Præterea certum hinc mihi eruitur argumentum, optime a me lectos tres primos, & quintum ארבע *quarto*, sic ut hoc loco lego שתים *secundo*, & in reliquis ציון non autem מיון *Javan* aut a *Græcis*.

Aliquid dicendum est tempore, quo isti nummi percussi fuerunt. Ego cum *Relando* convenio regnantibus Hasmonæis fuisse cusos, at fere ante centum annos quam ipse putat, sc. ipso Machabæorum tempore. Etenim constat fuisse percussos anno secundo & quarto post celebrem redemtionem & libertatem gentis Judaicæ parta ex victoria Judæ Machabei & ejus fratrum adversus Regem Antiochum & ejus duces. Postquam peracta fuit celebris dedicatio templi anno 148. Æræ Alexandri anno mundi 4549. ante natum Christum anno 161. maxime confirmat meam sententiam, sc. quod hæc dedicatio sit vera Epoca nostrorum nummorum, sextus & novissimus nummus tabulæ Relandinæ, ubi ex altera parte exhibetur templum cum imagine viri, qui videtur immundities gentilium expurgare cum hac inscriptione ..... שנת *anno*, & in aversa parte לחרות ירושלם *Libertatis Hierusalem*. Annus perspicue non designatur; posset referri ad annum secundum; de quo a me nihil definitur, nisi adsint majora argumenta.



HA-



HADRIANI RELANDI
EPISTOLA
DE
NUMMIS SAMARITANIS.

Licet ratio, qua *Gagnierius* legit nummos Samaritanos, nihil omnino differat ab ea, qua ab *Harduino*, & ab *Ottio* legitur; & nulla fuerit necessitas, ut ab eo divulgaretur; & cum a me rogatus esset, ne suas ederet conjecturas, nisi quando suæ ab horum autorum conjecturis differrent; Tamen, quoniam nova conamina molitus est, ut meam sententiam everteret, putavitque observasse quatuor præcipua vitia in ea ratione, qua hi nummi a me leguntur, ego curabo ut ea expendam, ut videam, utrum ullum sit ex his vitiis, quæ efficere possint, ut a mea sententia recedam.

Quod primum spectat, num vitium esse poterit, si fiat, ut loquatur numisma, eo modo, quo locutæ sunt gentes, qui illud percusserunt, quo tempore fuerit cusum? Nonne constat dialectum usitatam apud Judæos post captivitatem Babylonis lingua Syriaca & Chaldæa fuisse commixtam? Omnes qui legerunt veteres libros, qui propius accedunt ad hæc secula, & ad novum Testamentum, quod nobis argumenta præbet dubitare non poterunt. Hac de causa ego non video, quomodo in lectione vitium essentiale vocari illud possit, quod jure merito est argumentum, quod sit optima; Ego persuasus sum idem esse si legatur שנתא aut שנתא, eo quod dialectus lingua Hebræa & Chaldæa commixta poterit pati vocem tam Chaldæam, quam Hebræam.

Quod spectat secundum, satis esse potest, si dicatur, quoniam Judæi hoc tempore utantur, & saltem post aliquot secula usi fuerint literis numeralibus, *Gagnierium* rationes afferre debuisse, qua de causa credat hunc usum esse recentem apud Rabinos, præcipue si consideretur, Judæos suis antiquis moribus esse addictos, & difficile esse assignare tempus, quo hic usus fuerit inductus.

Argumentum, quod deducitur, nullum in textu Hebræo deprehendi exemplum, est infirmissimum; eo quod ex eo concludi posset, Gallos & Germanos nunquam usos fuisse literis numeralibus, eo quod in suis Scripturæ versionibus, numeros integros scribant, sc. quadraginta pro 40.

Ceterum negari non poterit, non inveniri literas numerales in *Misna*, in *Zobar*, in *Jezra*, *Seder Olam*, *Rabboth*, *Masora*, & in aliis vetustissimis libris, quorum tempus non longe abest a temporibus librorum Novi Testamenti. Quænam ratio afferri potest, ut credatur hunc usum non fuisse constitutum imperantibus Hasmonæis, quo tempore consentiente *Gagnierio* hæc numismata cusa sunt. Ego hic non insistam, licet hoc demonstrare facile possem, multas vocum explicationes,

quæ

quæ extant in paraphraſibus Chaldæis, non fuiſſe ſtabilitas niſi in valore literarum numeralium.

Quod aſſerit *Gagnierius*, nullum hujus uſus inveniri in ſcriptura exemplum, non adeo perſpicuum eſt, ſicut ille contendit. Etenim unde provenit, Deum, cum immutarit nomen Sarai, & Abrahami, abſtuliſſe *Jod* ex nomine Sarai, quæ decem æquivalet, eique *He* dediſſe, quæ dimidio æquivalet, ſcil. quinque Abrahamo, & unum Saræ? Hæc ratio tanti momenti *Altingio* viſa eſt, ut aſſerere non dubitarit temporibus veterum Patriarcharum literas numerales fuiſſe uſitatas.

Demum ſi conſideretur ſtatus populi Judaici in ſecundo templo, ordo feſtorum, annorum, intercalationum, notitia; quam habebat, architecturæ &c. poteſtne exiſtimare hæc omnia fieri potuiſſe ſine computatione, & ſine arithmetica, aut per congeriem literarum, quæ numeros deſignarent? Cum populi finitimi his temporibus uterentur literis numeralibus, uti conſtat ex epochis, quæ in nummis deſignantur, num probabile eſt Dei populum, cui præ ceteris hujuſmodi characteres numerales neceſſarii erant, iis de cauſis ſupra memoratis, non uſum fuiſſe inventu tam utili, aut potius neceſſario?

III. Tertio loco *Gagnierius* obſervat in hac conſtructione לגאלת מיון eſſe ſoleciſmum; dicendum eſſe contendit לגאלה abſolute, non autem in regimine. Si hoc verum eſſet, in hoc error eſſet, qui excuſari non poſſet. Verum tantum abeſt hunc eſſe ſoleciſmum, ut quinimmo in veteri Teſtamento deprehendantur conſtructiones huic ſimiles, quam ego putavi in nummo deprehendi. Dicendumne eſſet in ſcriptura ſancta eſſe ſoleciſmos, ubi legitur *Iſai.* LI. 21. שכורת מיון. Et *ibidem* VIII. 6. לובאי מלכם? *Gagnierius* num contendet, שכורה abſolute non autem in regimine legendum eſſe? Similiter deprehenditur מנת *Iſai.* XIV. 6. חית *Pſal.* LXXIV. 19. חכמת *Iſai.* XXXIII. 6. שפעת 2. *Reg.* IX. 17. & in plurimis locis quos *Kimchius*, & alii Grammatici tum Judæi, tum Chriſtiani collegerunt. Poterit ſimiliter legi ſine ullo ſoleciſmo נאלת מיון. Vel ſi conſentirem, quod non eſt neceſſe, regimen nunquam deprehendi inter duo nomina ſubſtantiva, quorum ſecundum habeat מ præfixam, dici non poterit ibi eſſe ellypſim ſecundi ſubſtantivi ירושלים aut ישראל, aut alius? Tum integra lectio eſſet לנאלת ישראל מיון. Hujuſmodi ellypſes ſcriptoribus ſacris ſunt uſitatiſſimæ, atque etiam ſunt ſtyli ornamentum. Præterea *Kimchius* princeps Grammaticorum Judæorum in ſuo commentario in עזרת מזר. *Pſal.* LX. II. obſervat ת pro ה quaſi extra regimen ſæpé deprehendi שלא בכסי כות; uti conſtat ex multis argumentis. Cum ſcriptores hujuſmodi conſtructionibus uſi fuerint, ego non video, quando ſimili ratione nummi inſcriptio legatur, ſit ſoleciſmus.


IV. Reliquum eſt, ut dicam de quarto vitio, quod *Gagnierius* contendit in mea lectione deprehendi; ſcil. quod legendi rationem linguæ Samaritanæ meorum nummorum ignoraverim. Mirabile profecto videtur, cum ſuſceperim explicationem horum nummorum, me ignorare lectionem characterum Samaritanorum, quod alterum pro altero legerim. At illi, qui vel mediocriter profecerunt in linguis orientalibus, præcipue in Samaritana, & in Arabica, non ignorant, ſemper eoſdem non inveniri characteres in nummis, in inſcriptionibus, & in literis; & ſæpenumero eandem literam tam diſſimili forma ſcriptam eſſe ut ignoretur, quænam illa ſit. *Gagnierius*, qui linguam Arabicam callet, ut ex fama mihi conſtat, periculum faciat in inſcriptione, quæ extat in libro *Hyde* de religione Perſarum *pag.* 517. *num.* 6. mihique dicat, quinam ſint iſti characteres; maximam, ut ego puto, difficultatem inveniet. *Hyde* jam profeſſus eſt ſe ejus lectionem ignorare. Verum iſtæ ſunt literæ Arabicæ, quarum multa extant alphabeta. Verumtamen ego non aſſeram *Gagnierium* Arabice neſcire. Idem dicendum eſt de Samaritano. *Tau* in nummis diſſimilem habet formam ab ea, quæ deprehenditur in libris, & in Alphabetis tam editis, quam manuſcriptis. Qua de cauſa nonnulli viri eruditi putarunt S. *Hieronymus* deceptum fuiſſe, quod ſcripſerit contra fidem Alphabetorum Samaritanorum, quæ extabant, *Tau* Samaritanorum formam crucis præſeferre. Tamen conſtat ex nummis formam crucis eſſe verum *Tau*. Num dicendum erit, omnes illos, qui non conſentiebant cum S. *Hieronymo*, qui merito recte ſenſit, ignoraſſe lectionem linguæ Samaritanæ, & turpiter erraſſe, alteram pro altera litera legentes? Ceterum conſtat hos nummos vetuſtiſſimos non ita eſſe perſpicuos, ut dubitari non poſſit de parte literæ, quæ corroſa aut conſumta nos cogat, ut pro altera eam legamus. Verum hujuſmodi res facilius oculorum viſu, quam multiplici obſervationum congerie definiri poteſt.

Poſtremo loco quamvis putem meam lectionem contra vitia, quæ in ea *Gagnierius* deprehendit, ſatis propugnaſſe, ut de reliquis nihil opus ſit, quod amplius diſſeram, tamen a me eſt admonendus, me

me vidiſſe quatuor integros menſes priuſquam legiſſem *Gagnierii* obſervationes, ut eo tempore teſtatus ſum *Sike*, *Maſſonio*, & reliquis meis amicis, ſex nummos in Muſeo *Ulembroche*, in quibus præciſe legebatur שנת שתים. Hac de cauſa tum putavi fuiſſe mihi immutandam meam lectionem מיון in ציון, uti aſſerunt *Harduinus* & *Ottius*, cum *Mem* ſatis ſit perſpicua, & conſequenter ארכר in ארבע ſicut profeſſus ſum in tertia diſſertatione *pag.* 99. his verbis. *Objicis mihi nummos duos, quorum unus expreſſe hæc verba referat* שנת שתים anno ſecundo, *alter* שנת ארבע anno quarto, *quæ ſi ita habent, fruſtra me tuæ ſententiæ oppono; ſed ne meus nec tuus nummus, in quo id exhibitum reris, integer eſt; aut omnes literas repræſentat*. De quo uberius diſſeram, & exhibebo formam nummorum in diſſertatione latina. Hæc immutatio meæ ſententiæ nihil prodeſt *Gagnierio*, niſi quod ego fatear, eum me fortunatiorem fuiſſe, quod præ me hos nummos inſpexerit, qui uni efficere potuerunt, ut a mea ſententia recederem. Licet mihi perſuadeam in mea prima lectione, quamvis eam deſeruerim, ex iis vitiis, quæ in ea *Gagnierius* inveniſſe aſſerit, nullum deprehendi.



COR-



CORNELII DIETERICI KOCH
DISSERTATIO
DE
NUMMORUM HEBRAICORUM
INSCRIPTIONIBUS SAMARITANIS.

I. CUM nuper *de re nummaria V. & N. T.* contra IO. *Harduinum sc.* I. ageretur, mentio facta est etiam nummorum, qui *Samaritanas inscriptiones* præseferrent, quique genuini judicarentur ab eruditis. Illos nummos atque eorundem *inscriptiones* nunc diligentius considerare animus est, quod non modo jucundum, sed etiam ad antiquitates sacras illustrandas utile institutum fore confidimus.

II. Ponimus autem in principio cum illustri *Conringio* nostro, *Paradox. de num. Hbb. cap. 9. pag.* 77. consentientibus hodie doctissimis nummorum & linguarum orientalium interpretibus (*J. B. Ottio*, *Relando* ipsoque *Hoettingero*, it. *Toinardo*, *Harduino*, *Gagniero*, *&c.*), nummos hos ætate Hasmonæorum principum procusos esse, partim ante, partim postea, quam Antiochus, filius Demetrii regis, bello Tryphonem persecuturus, Simoni Principi & Pontifici Judæorum inter alia jus cudendæ monetæ confirmarat literis, in quibus sic scriptum erat: „ Nunc ergo stabilio tibi omnes immunitates, „ quas attribuerunt tibi reges, qui an- „ tecesserunt me, & quæcunque alia do- „ na remiserunt tibi: " item quod concesserunt tibi *cudere proprium numisma* regioni tuæ. Et *Jeruschalaima* sanctumque locum esse *libera* (1. *Macc.* XV. 5. 6. 7.). Quæ verba in eum sensum accipimus, ut existimemus significare immunitates eas, quas Demetrius rex jam Simoni populoque Judæorum concesserat; de quibus 1. *Macch.* XIII. 41. 42. legitur: *Anno centesimo septuagesimo* (æræ scil. Alexandri) *sublatum est jugum gentium ab Israele: cœpitque populus Israelis scribere in Syngraphis & contractibus:* „ anno primo, Simone principe sacerdo- „ tum magno, & Imperatore ac Duce Judæorum " (*Ejusdem anni nummus est in Thesauro regis Gall. argenteus*, *æreus in Thesauro Mauroceni* pag. 14. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, *h. e.* Demetrii regis. *Aquila lauri ramum gerit*, *indicem victoriæ de Tryphone reportatæ*. ΣΙΔΩ Num-

Nummus Sidoniorum. OP. *Anno Græcorum* CLXX. *In cimelio Foucaultiano pariter argenteus, & vultu juvenili, habet monogramma Tyriorum, & Græcorum epocham*, OP. *Supperioris autem anni nummus itidem in Thesauro reg. Gall. est:* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Regis Tryphonis imperatoris. *Vid.* 1. *Macch.* XIII. 32. Harduinus *Chronologia Vet. Test. in operib. select. fol.* 601. *col.* 1. & 2. *edit. nuper. Amstelod.* 1709.). Ab eodem initio annos nummorum horum numerandos putamus: etiamsi videamus, anno ab hinc tertio demum confirmatam Simoni dignitatem principalem a senioribus populoque Judeorum fuisse, & tabulis ereis consignatam, quas columnis in monte Zionis in ambitu loci sancti, loco celebri, apposuerunt, uti 1. *Macch.* XIV. 26. 49. perscriptum legimus.

III. Hoc igitur fundamento ad inscriptiones nummorum rectius interpretandas posito, deinceps omnes eos, quos vel ipsos vel imaginibus expressos contemplari nobis licuit, in medium afferemus, & quidem secundum seriem temporis & annorum, quo cusi sunt, ordinem, dispositos. Primo igitur loco compareant illi, quos *anno primo* Simonis excusos esse apparet: cujusmodi tres forte habemus: unum majoris moduli uncialem, omnium, quos quidem viderimus, & magnitudine & forma & amplitudine inscriptionis prestantissimum. (NUM. I.) Cujus alterum latus figuram urne majoris habet vel *amphoræ*, & has literas forma Samaritanorum, vasi circumscriptas: שנת אחת לגאלת ציון, hoc est: *Anno primo liberatæ Sionis*. In his ee, quas minusculis formis hic expressimus, conspici in nummo aut legi non possunt, propter partem nummi eam vetustate detritam aut erosam. Nemo tamen erit facile, qui dubitet, jure a nobis restitutum ל in voce גאלת, cum reliquę ejus vocis literę omnes bene appareant, & in aliis nummis eadem vox integra plane legatur. Etiam vocem ציון, cujus omnes literę absunt nummo, recte restitutam judicabit, qui eandem in compluribus aliis hujusmodi nummis conspexerit, & hoc loco ad sensum inscriptionis absolvendum necessariam esse intellexerit. Possit quidem etiam esse vox ירושלים *Hierosolymæ*; (*Harduinus*, ישראל, *legit*, *Chronol. V. T. in oper. select. fol.* 602. *col.* 1. *fin.*) sed quod ea cum voce גאלת in nummis hujusmodi non construatur, uti quidem cum voce חרות construitur, placuit nomen *Zionis* restituere. Quo accedit, quod *urna* vel *amphora* in nummo, *sacrorum instaurationem* significare videatur; (*Nam ob vini in illo tractu ubertatem, inter dona, Deo offerri solita, amphora vini fuit, vid.* 1. *Sam.* 1. 24.) quo melius vox *Zionis*, quam Hierosolymæ facit. Tametsi enim mons Zion non erat locus templi, sed arcis regiæ, templum autem in monte Moria stabat, tamen erat mons Zion templo vicinus, & antequam templum extrueretur, tabernaculo arcæque fœderis sedem præbuerat, poteratque ideo utrumque & *templum* & regiam, rempublicam & *rem sacram* Judæorum significare, uti etiam sæpe in sacris literis revera significat. Videamus loca: *Psalm.* IX. 12. LXXVI. 3. CII. 22. *Esai.* XXXI. 9. XL. 9. *Jer.* VIII. 19. L. 5. *Thren.* II. 6. *Joel.* II. 15. III. 17. 21. *Mich.* IV. 1. 2. *Hebr.* XII. 22. Apprime huc quadrant verba privilegii Antiochi, cujus supra fecimus mentionem: *Et* (concedimus) *Hierosolymam sanctumque locum esse libera*. Quibus verbis rex civitatem Hierosolymitanam & templum vel rem sacram Judæorum, libertate immunitateque a tributis & oneribus donat. *Vid.* 1. *Macc.* XIII. 39. XI. 34. 35. Nam quod doctissimo *Relando Diss.* 3. *de numm. Samarit. in A. E. Lips.* 1705. *pag.* 284. *qua contendebat, non posse modo* ציון *legi, sed pro eo etiam* מיון, *h. e.* a Græcis, *in nummis Wildianis*, aliquando visum est, siquidem arcis, extra Sionem positæ, 1. *Macch.* XIII. 50. recuperatio in nummis signetur, illis nomen *Sionis* non convenire, id nec de hoc nummo quidem dictum intelligi potest: quippe quem ad expugnationem illam non referimus. Porro templum, & civitatem Hierosolymitanam eo tempore, quo cusus hic nummus est, libera fuisse, ex libro Maccabæorum primo nempe didicimus. Et libertatem Hierosolymæ eam intelligimus, quæ servituti opposita est. De qua servitute conquestus antea fuerat Mattatias, 1. *Macc.* II. 11. Omnis mundus ejus ablatus, *pro libera facta est ancilla*. Similiter græcæ quædam civitates libertatem suam in nummis signarunt; ut ΤΑΡΣΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡΑ, *Tarsus libera*, &c. Redeamus nunc ad uncialem nostrum, cujus aversa facies nihil habet nisi literas Samaritanas, corollæ sive coronæ querceæ ob cives servatos, quod *Harduino* placet, inscriptas, sed vetustate valde attritas, quæ sic, ni fallimur, restituendæ & legendæ sunt:

יונתאן	*Jonatan*
נשיא	*Princeps*
ישראל	*Israelis*.

Legit quidem Cl. V. *Adrianus Relandus Diss. de numm. Samarit. pag.* 208. in *A. E. Lips.* 1709. *pag.* 419., ut postea di-

didicimus, & *Harduinus Chronologia V. T. in oper. select. fol. 602. col. 1. fin.* pro Jonatane in hoc nummo *Simeonem*. Verum, si ductus literarum, præsertim primæ, contemplemus, quales in nummo apud *Eisenschmidium* V. CL. *disquisit. de ponder. & mens. nec non de valore pecuniæ vet. Argentor.* 1708. *in* 8. & ipsum adeo *Relandum* expressi leguntur, nequaquam prima litera pro ש (sch) sed pro י (j) quæ est prima in nomine Jonatanis, habenda videtur. Quo accedit, quod penultima earundem literrum, quæ sunt in prima linea & nomen exprimunt minime sit ו (v) sed א (a), quæ antiquitus nomen *Jonatan* una cum ן (n) finiebat. Quibus de causis in sententia nostra permanere, & a *Cl. Relando* tantisper dissentire licebit, dum nummus similis formæ alius proferatur, qui nomen principis hujus Israelitarum clarius expressum habeat. Neque enim non constat lectioni nostræ ratio, si pietas consideretur Simonis in Jonatanem fratrem dolo occisum, de qua 1. *Macch.* XIII. 25. *seq.* scriptum legitur sic: „ *Mittens Simon accepit ossa Jonatanis fratris sui, quem sepeliverunt Moddinis in civitate majorum suorum*. Et *plangentes* eum omnes Israelitæ planctu magno, luxerunt eum diebus multis. *Extruens vero Simon monumentum* - - navigantibus mari. “ Nam si tantum dedit honori & memoriæ fratris, etiam nummos ejus nomine insignitos procudisse credendum est. Qui nummi annum quidem primum liberatæ Sionis referrent, nomen autem Jonatanis, principis quasi in fratre resuscitati. Imago hujus nummi longe rarissimi & Hebræorum omnium forte antiquissimi, est apud *Eisenschmidium, tab.* 1. *pag.* 144. *num.* x. qui ex thesauro regis Gall. per *D. Henrion Jc.* a *Cl. Oudineto* accepit; apud *Reland. diss.* V. *de numm. Sam. pag.* 208. & *in A. E. Lips.* 1709. *pag.* 418. *fig.* 5.

IV. Hoc eodem anno procusi sunt sicli illi, si qui sunt genuini, qui una facie *calicem* ostendunt, cui litera א imminet, (Waltonus *male legit* אחרת alienum: *Kircherus* אחד unum: *Villalpandus* ארני dominum: *Hoettingerus* אהרון *Aronem*) significans annum *primum* שנת אחת, nempe liberatæ Sionis & impetratæ cudendorum numismatum facultatis. (MED. II.) Inscriptio siclos esse demonstrat: quippe habens שקל ישראל, *siclus Israelis*. Facie aversa ramulus vel pedunculus est tribus floribus ornatus, h. e. *lilium convallium* secundum *Harduinum Chronologia V. T. in oper. select. fol. 602. col. 1. fin.*; & inscriptio hæc: ירושלם קרשה, h. e. *Hierosolyma sancta*. *Calix* vel cyathus rem sacram significat, in qua multus erat ejus usus, *Exod.* XXV. 29. *Num.* IV. 14. & gratias Deo actas, (*vid. Psalm.* CXVI. 12. & 3. *Macch.* VI. 28.) *flos* autem regionem Hierosolymitanam quæ floribus fragrantissimis abundabat; *Cant.* II. 1. & *Plin.* XXI. 2. Quare & in nummo Herodis Ethnarchæ lilium est. *Siclus* valorem, *Israel* populum, *Hierosolyma* locum, *sancta* proprietatem vel titulum loci indicat. Horum duo exempla nobis repræsentavit doctissimus vir, *Andreas Mullerus Greifenhagius*, in selectiorum numism. consideratione, orationi dominicæ centies versæ, adjecta, unum majori modulo, qualis fuit *Claudii Menetii* argenteus, alterum minore, qualis fuit argenteus *Franc.* Cardin. *Barberini*. Qui tamen quod in altero isto minoris moduli, legit, חצי השקל *dimidium sicli*, ob literas partim extinctas, non ita modo, sed etiam perinde, ut in altero: שקל ישראל, legi posse videtur. Vid. etiam imaginem hujus sicli, nempe majoris illius, apud *Steph. Morin. p.* 280. *n.* V. *Walt. n.* I. Et minoris apud *Walt. n.* IV. Qui revera exhibet unum, חצי השקל & ורושלם קרשה inscriptum, cum figura א super calice, sed etiam suspectum. Verum de horum similibus §. XI. pluribus agemus.

V. Etiam hoc anno percussum putemus illum æneum, qui varia magnitudine & variis literarum figuris expressus hinc inde cernitur *A. E. Lips.* 1709. *Mens. Sept. p.* 418. *in tab. fig.* 1. Steph. Morin. *pag.* 280. *num.* 1. Muller. *loc. cit. fig.* XI. J. A. Schmid. *de re monet. Hebr.* §. 28. Walton. *num.* IX. (MED. III. MED. IV.) siquidem recte legit *Cl. Relandus diss.* 5. *pag.* 166. (*Imaginem ex cimeliis* Foucaltianis *per* Anton. Gallandium Relandus *accepit*) in una facie, שמעון נשיא ישראל, literas sub *palma* arbore, dispositas, id est *Simon princeps Judæorum*. Quæ quidem literæ sic sunt in aliquibus detritæ, ut ne quidem nomen Simonis integrum appareat, sed litera prima truncatum; unde olim מעבו *crassitudo* vel pinguedo *ejus*, item חצירה *dimidium*, & in altera facie שקל *siclum* legerunt. *Vid. Morin. pag.* 287. In altera facie *pampinus* esse videtur expressus seu uva, (*Sic in nummo Herodis Ethnarchæ* uva *est, ob vineas Engeddi, quæ Cant.* I. 13. *laudantur*), vel, ut aliis visum est, *radix balsami*, cum figuris literarum sic detritis, ut legere *Relandus* non potuerit. Quod si liceat nobis conjecturam capere, cum bene multarum literarum vestigia appareant circa pampinum vel uvam, scriptum fuisse videtur: שנת

:אחרת לגאלת ציון, *anno primo liberatæ Zionis*, (מול עת circumcisionis tempus, *hic male legerunt* Villalpandus *&* Kircherus: Hoettingerus, שמעין, *sincerum*: Morinus, מול עת *cæsus duplicatur*. Harduinus *tandem*..... לחר, *libertatis Jerusalem*) idem nempe, quod in illo, quem omnium primum posuimus & §. II. explicavimus. Nam quas *Relandus* ex opere Bouteriano (D. Bouterove *libro de monetis Gall. quem* Harduinus *quoque laudavit*, *fol.* 601. *col.* 2. *oper. sel. in Chronologia V. T.*) huic nummo restituit literas: לחרות ירושלם, *libertatis Hierosolymæ*, significantes, vel, ut in alio legisse sibi videtur: שב לח׳ ישראל, *anno secundo libertatis Judæorum*, minime sane nobis probavit. Nam in quo nummo legitur ex altera parte, לחרות ירושלם, *libertatis Hierosolymæ*, in ejus altera parte necesse est annum significari, qui quidem hic minime expressus est. Deinde in altero illo Bouteriano legendum omnino videtur idem, quod modo voluimus in Relandino fuisse: שנה אחת לגאלת ציון, h. e. *anno primo liberatæ Zionis*: sic tamen, ut in tribus prioribus vocibus literæ quædam desiderentur, vetustate nempe deletæ, vox autem ציון *Zion*, integra absit; ut in primo, Eisenschmidiano. Nam quas *Relandus* nobis facit nominum decurtationes vel abbreviaturas, sic ut ח, pro חרות, positum sit, probare non possumus: quippe quas a nummis & temporibus illis alienas opinamur. Porro si nummi hujus variæ imagines spectentur, ab initio non unius modi fuisse videbitur, sed alio atque alio modulo percussus. Qua de re eorum, qui plures hujusmodi spectarunt, esto judicium. Unum horum reverendissimus Loccensium Abbas *Gerardus* Hanoveræ contemplandum præbet, genuinumque judicat. Cui judicio uti L. M. Q. assentimur, sic omnes Samaritanos genuinos existimamus; præter aliquos eorum, qui *siclorum* nomen habent, in quibus non obscura sunt imitationis indicia, & recentioris manus vestigia. Quanquam eos sic commemorat *Harduinus*, ut pro genuinis videatur habere omnes (*Chronologia V.T. in operibus selectis nup. edit. fol.* 601. *&* *seqq.*).

VI. Jam ad eos veniamus Samaritanos, qui *anno secundo* liberationis hujus, quam diximus, provenerunt. Cujusmodi bene multos hinc inde expressos cernere licet: sed illum omnium maximum atque elegantissimum, splendidissimumque, quem Ludolfinum appellemus, (NUM. V.) nempe ex *Jobi Ludolfi* viri ill. & cl. cimeliis depromtum, & in *Hist. Samarit. pag.* 41. repræsentatum a doctiss. *Cellario*, a *Relando dissertat.* 1. repetitum in *tab. pag.* 1. *num.* 6. sed a *Mullero* quoque Greifenhagio *loc. cit.* bis redditum, nempe *num.* 14. & *num.* 12. ita tamen, ut horum tertius, qui *num.* 12. est apud *Mullerum*, alius moduli videatur. Imagines quidem & literæ in his omnibus eædem sunt; nisi quod Mullerianus ille alter, *num.* 12. expressus, minimo modulo, & sine literis est, illa facie, qua templum repræsentat, in qua facie saltem vestigia quædam literarum reperias, si cæteros duos nummos hujus similes inspicias. Nummus altera parte *templum* exhibet, cum literis, quas *Cl. Relandus diss.* 1. *de num. Sam. pag.* 45. 46. ex parte, doctissimus autem *Gagnerius* integras collegit, & שנת שתם, (*Hic male* Ottius *legit*, שמעון *h. e.* Simonis *nomen V. A. E. Lips. Jun.* 1705. *pag.* 283. *errans cum* Hottingero, B. Schraderus *noster quondam*: שם טוב, ibi bonum) *annum secundum*, significare docuit, secundum nempe dedicationis templi, æræ Alexandrinæ CXLVIII. ante N. C. CLXI. (*Vid. Nouv. de la Rep. des lettr. a.* 1705. *Jun. pag.* 659. 660.) Quanquam pro ea, qua est modestia nihil definire ausus. Verum, nihil prohibere videtur, quo minus annum secundum æræ illius conjectemus, cujus in principio mentionem fecimus, nec annum secundum dedicationis templi, sed liberationis ab oneribus & tributis tum templi tum civitatis, intelligamus in nummo signatum, prouti inscriptio aversæ partis indicat: לחרות ירושלם, h. e. *libertatis Hierosolymæ*, sive Hierosolymæ liberæ. In qua eadem parte nummi *palma* arbor est, non dubium scilicet Judææ monumentum etiam in nummis Romanorum Cæsarum. Eadem inscriptio, uti diximus, in tribus nummis est, etiam in illo Mulleriano minore expressa, in quo quæ absunt altera facie literæ, ex ceteris duobus nummis restituendæ & legendæ sunt: שנת שתם, id est *anno secundo*, prouti modo indicavimus.

VII. Reliquos hujus anni nummos persequamur. Et primum quidem illum, quem *Cl. Relandus* ex cimeliis Wildianis protulit, & *num.* 4. expressit in tabula *diss.* 1. *pag.* 1. (NUM. VI.) In cujus facie una est *urna* mannæ contecta, uti *diss.* 2. docte probavit idem (*V. A. E. Lips.* 1705. *pag.* 280.), cum literis, שנת שתים quę annum secundum significant, prouti primus *Gagnierus* recte legit, sex similium nummorum (*Quos in Anglia apud* Loydum, *Episcopi VVorcestriensis doctissimum filium*, *partim*, *partim apud illu-*

lustriss. Comitem Pembrocianum *vidit*, v. *Nouv. de la rep. des lettr.* 1705. *pag.* 658. 659.) ope adjutus, cui ipse tandem *Clariss. Relandus*, nempe ad eruditissimi *Ulenbrokii Cimeliarchium* admissus, post *Clariss. Ottium* (*Ottu epist. cum diss.* 2. Reland. *est in A. E. Lip.* 1705. *pag.* 281. *seqq. enucleata*) consensit, *diss.* 4. *de numm. Sam. in act. erud. Lips. sept.* 1709. Quod autem שתים שנת aliquando legerint doctissimi viri, *Relandus* & *Harduinus*, *vid.* Hard. *chron. V. T. in op. sel. fol.* 602. *cap.* 2. Rel. *diss.* 5. *act. erud.* 1709. *pag.* 417. factum est, quia ab alio loco, quam quo incipiendum erat, legere inceperunt. Facies aversa hujus nummi *pampinum* habet vel *folium* vitis, cum inscriptione: לחרות ירושלם, id est *libertatis Hierosolymæ*, vel Hierosolymæ liberæ. Hanc inscriptionem, *Relando* quidem intactam, (*vid. diss.* 1. *de num. Samuel. pag.* 40.) *Cl. Gagnierus* primus, ni fallimur, sic exposuit, ut חרות ציון legeret, (*Nouv. de la rep. des lettr.* 1705. *pagin.* 659.) h. e. *libertatis Zionis*, sive Zionis liberatæ. Verum, quod in aliis nummis, quos modo proferemus, vox חרות cum voce ירושלם constanter constructa appareat, non cum voce ציון, ideo a lectione *Gagnieri* recedendum existimavimus. Nec vero magis vox una quam altera, ירושלם quam ציון, in nummo expressa cernitur: cernuntur autem extremarum quarundam literarum pedes. Quod si *Gagnierus* vir Cl. sex nummos hujus ejusdem formæ nactus est, uti loco citato scribitur, & in omnibus his, modo in uno, nomen ציון *Zionis*, pro eo, quod nobis magis placuit, ירושלם *Hierosolymæ*, expressum legitur, non morabimur ejus sententiæ accedere, quippe qui in his nummis illustrandis longe omnium felicissime versatus fuit, meruitque, ut sua interpretatio immortali operi *Spanheimiano de usu & præstantia numismatum, edit. nuper in fol.* 2. *volum. vid. nouv. de la rep. d. lettr.* 1705. *Juin. pag.* 653. insereretur. Cujus operis illustrissimum scriptorem & ducem quasi quendam eruditorum, nuper vitæ finem attigisse, cum eruditorum orbe merito dolemus (*v. A. E. Lips.* 1711. *elogium* B. Spanheim.)

VIII. Ab hoc nummo Wildiano parum differunt duo illi, quos *Ottius* protulit, & acta quoque *erud. Lips. anno* 1705. *mens. Jun. pagin.* 278. in tabula *fig.* VII. & *fig.* VIII. conspiciendos dederunt. Nam in una facie *urna* est cum inscriptione: שנת שתים, *anno secundo*, in altera facie *folium vitis*, cum literis: לקרות ירושלם, i. e. *libertatis Hierosolymæ*, literis autem sic detritis, ac vetustate deletis, ut earum duæ tresve vix appareant. Videbunt autem illi, quibus nummorum horum copia est, rectene an secus vel legerimus vel restituerimus literas. *Vitis* signum, vini copiam significat, qua regio abundabat, *urna* ad rem sacram spectat. Nam quod *Cl. Ottius A. E.* 1705. *Jun. pag.* 282. *seq.* hic de vite aurea affert, ex *Josephi* XIV. 4. quam Pompejo Aristobulus donaverit; item de vita aurea, quæ in sancto sanctorum servata fuerit, ad rem non facit.

IX. Ejusdem anni nummus esse videtur Kircherianus ille, quem *Mullerus* in tabula *num.* 9. omnium minimum repræsentavit; cujus una facies *botrum* habet *suspensum*, cum literis, quæ שנת שתם, *annum secundum*, (Harduinus *pro eo male*, שמע ון *Simeon, legit, Chronolog. V. T. fol.* 602. *cap.* 2. *Oper. Select.*) indicare videntur: altera facies habet *suspensam lyram*, cum manifesta inscriptione: לחרות ירושלם, *libertatis Hierosolymæ*: uti etiam *Mullerus* recte legit. *Uva* Palæstinam significat, ex *num.* XIII. 24. *Lyra* laudem *Dei* in sacris. Nam quod *Mullerus miseriam Babylonicam*, *Psalm.* CXXXVII. 2. hoc instrumento indicari putat, non convenit inscriptioni conspicuæ *libertatis*. Profert etiam *Relandus* dissertatione v. duos, (*v. in Act. Erud. lips.* 1709. *mens. sept. pag.* 418. *fig.* 6. 7.) quos ad hunc annum pertinere putemus, quorum alter habet *citharam* vel nablium, & literas: שנת שתם *annum secundum* indicantes, una facie: altera vero *arborem* vel ramum erectum in corolla, cum inscriptione: לחרות ירושלם h. e. *Hierosolymæ liberæ*. Alter horum nummorum una parte habet *botrum* vel pampinum, cum literis: שנת שתם *annum secundum* signantibus: altera vero parte *duas buccinas* cum inscriptione perfecta: לחרות ירושלם h. e. *libertatis Hierosolymæ*. De instrumentis musicis, nablio & buccina, cithara & tibia, quibus Judæi frequenter usi leguntur, hic copiosius exponere non attinet: saltem locus, I. *Macc.* III. 45. est memoratu dignus: *Cithara & tibia defecerat*. Hæc instrumenta lætitiæ nunc denuo exaudiri, gloriantur illi nummi. Et vid. omnino I. *Macc.* XIII. 51. Nam anno hoc secundo deditio arcis facta est.

X. Supersunt alii duo nummi, quos quidem ad hunc annum libenter retulerimus, Samaritani nempe, hoc etiam studiosius a nobis considerandi, quod altera horum facie quæ sunt literæ, nondum aptam ullam interpretationem invenerint. Imagines amborum sunt apud Mul-

Mullerum in tabula, *num.* IV. & 10. Alterius etiam apud *Stephanum Morinum*, *loc. cit. pag.* 280. *num.* IV. item apud *Brianum Waltonum* theologum doctiss. apparatu ad biblia polyglott. section. 2. supplemento, *fol.* 38. *num.* X. Et de hoc quidem dicamus prius. (NUM. VII.)

Refert is ea parte, qua adhuc est ἀσερμήνευτος, *torquem* gemmis & unionibus conspicuum, secundum *Villalpandum* & 10. *Morinum*, sed *catenam* solutam, secundum *Hottingerum* (Steph. Morin. *exerc. cap.* 9. *pag.* 282. & 301.) & in medio torquis literas, quas legunt: שמן עת i. e. *tempus unctionis*, Villalpandus & Joh. Morinus; שמען h. e. *Simeon* Hottingerus & Harduinus; שמין i. e. *minutum* Steph. Morinus. Nemo anni ullam mentionem fieri putat; & *Steph. Morinus* hujus rei, tanquam manifestæ, etiam causam afferre conatur, nempe quod amuletum fuerit, uti ex foramine, quo ex collo suspendebatur, *Joh. Morinus* ostenderit contra *Villalpandum*, qui quadrantem sicli putarat. *Ut tandem funditus tota hujus nummi ad propositum adversariorum confirmandum autoritas extirpetur*, inquit *Steph. Morinus loc. cit. pag.* 301. *non negligendum, quod autores ipsimet pro amuleto habuisse comperiuntur: in amuletis autem nulla temporum ratio habetur, & nonnunquam a prima antiquitate arcessuntur, licet recentissima sint*. Hæc ille. Atqui esse in hac nummi parte anni notationem, convincit inscriptio aversæ manifesta sic ut nec litera deficiat: לחרות ירושלם hoc est, *libertatis Hierosolymæ*. Quæ quidem inscriptio ita cohæret cum scriptura faciei prioris, ut in hac annum signari necesse sit. Et ipsæ literæ hæ: שנת, quæ *annum* significant, satis in hac nummi facie compositæ apparent. Reliquæ autem quæ sunt literæ, *secundum* שתם an *quartum* ארבע designent annum, nondum liquet. Fatemur quidem aliquando venisse nobis in mentem, literas sic fuisse dispositas:

שנ
בעת
רא

ut *quartus annus* notaretur: sed illa conjectura nunc minus placet: placet autem magis *anni secundi* fieri mentionem, quod in reliquis nummis, quibus לחרות ירושלם, *libertatis Hierosolymæ* inscripta memoria est, annus secundus manifesto designetur. Sed hujus quidem inscriptionis enodationem petimus nobis ut aliquis *Gagnierius* elargiri velit. Altera nummi facies nihil habet, quod interpreti difficile aut obscurum videri possit. *Gutti* vel gutturnii figura rem & vasa sacra templo restituta significat, (*vid.* 1. *Macc.* XIV. 15. Simon sanctuarium glorificabat & *multiplicabat vasa* loci sancti) *ramus* autem *oleæ* appositus, Palæstinæ solum. Inscriptionem: לחרות ירושלם, sæpius expositam dedimus. Ad Simeonis principis Judæorum tempora & fortunas hunc quoque pertinere nummum vidit jam ille felix nummorum orientalium interpres *Hoettingerus*, philologus & polyhistor nostro major encomio. Jam alter nummus, a *Mullero num.* IV. majori modulo repræsentatus, (NUM. VIII.) qui *Francisci* Cardinalis *Bon Compagno* fuit, easdem prorsus ab utroque latere inscriptiones habet, ac ille, quem modo explicare studuimus, torquem autem, vas & frondem non habet, sed eorum omnium loco vacua spacia. Atque hi quidem duo nummi ab una tantum parte, at ille cum radice balsami, difficilem habet ab utraque parte literarum interpretationem. In qua ipsi nondum satisfacere potuimus nobis: facient autem, speramus ii, quibus rarissimæ hujus supellectilis uberior copia est.

XI. *Annum tertium* qui referrent, nummos nondum vidimus: sive quod pauci anno tertio libertatis cusi sint, eoque rariores in has oras pervenerint, sive quod nondum ex cimeliarchiis prolati. Nisi forte siclum illum huc referendum putemus, qui super calice figuram ד habet. Nam illa apud Samaritanos tertia litera est & ג Hebræorum respondet, tertiumque signare annum potest. Est ille nummus inter hos, quos apud *Stephanum Morinum* exercit. de linguis, *cap.* IX. *pag.* 302. in tabula *num.* VI. VII. VIII. expressos cernere licet (NUM. IX.)

Quorum primus circa *calicem* habet scriptum: חצי שקל ישראל h. e. *dimidium sicli Judaici*, supra calicem literam ב, quæ forte annum *secundum* libertatis signare debuerat (*idem est apud* Waltonum, *num.* V. *Et* Harduinus *nummum argenteum geminum perpulchrum ex gaza regia profert, in quo sunt literæ*, שב annum secundum *signantes*, *super calice*; *inscriptio*: siclus Israel; *in aversa*: Jerusalem sancta, *& lilium*. *Sed forte hic est idem Mullerianus* III. *de quo* §. XIII.) Secundus circa *calicem*: (NUM. X.) שלישי השקל ישראל h. e. tertia pars vel *triens sicli Judaici*, supra calicem literam ג quæ *tertium* annum denotet (*hic apud* Walton. *num.* VII. est). (NUM. XI.) Tertius habet: רבע שקל ישראל h. e. *quadrans sicli Judaici*: circa *calicem*, supra quem est litera ד, *quartum* significans (*& hic apud* Walton. *est num.* VIII.). Aversa facies horum eadem, habet *trifolium*, seu tres flores ex eodem caule provenientes, h. e. li-

lilium convallium, cum literis his: ירושלם קדשה quæ *Hierosolymam sanctam* significant. Sed in his tribus non obscura sunt recentioris operis vestigia.

XII. Ad eos revertamur, quos pro genuinis merito habent eruditi: & ordine sic jubente, nunc proferamus, qui *annum quartum* libertatis designant: quales tres æreos e cimeliarchio *Jacobi Wildii* spectatissimi apud Amstelodamenses viri, protulit *Adrianus Relandus*, Trajectinæ academiæ professor celeb. & singulari dissertatione illustravit. (Ejus *Dissertat. de inscriptione nummorum quorundam Samaritanorum, ad spectatiss. virum* Jacobum *de Wilde. Amstelodami* 1702. 8.) Quæ cum apparuisset, *Joh. Bapt. Ottius, l. s. prof.* Tigurinus, epistolam de nummis Samaritanis ad *Relandum* scripsit, qua inscriptiones horum nummorum paulo aliter legendas sibi videri ostendit. Quæ epistola una cum responsoria *Relandi* Ultrajecti 1704. 8. edita fuit. Accessit eo, quod illustriss. *Baro Ezechiel. Spanhemius* ser. Regis Borussiæ ad potentissimam magnæ Britanniæ Reginam, legatus, *Joh. Gagnierum, ante Canonicum Regularem S. Genovefæ in monte Parisino, nunc Ecclesiæ Anglicanæ Presbyterum & A. M. in Academia Cantabrigiensi, autorem* Josephi Ben Gorionis integri ex Hebræo latine conversi & notis illustrati. *Londin.* 1705. *item* Ecclesiæ Romanæ convictæ idololatriæ & Antichristianismi, *ad* Germanum Gagnierum, *fratrem, Ord. Præmonstr. Hagæ com.* 1706. *Gall.* Cl. virum Londini tum degentem, de nummorum horum interpretatione sententiam rogaret: qui eam brevi dedit sic dilucidam, ut *Illustriss. Vir* dignam judicaret, quam operi suo de usu & præstantia numismatum insereret. Interea cum *Cl. Relandus* optavisset hanc interpretationem videre, (*Nouv.* 1705. *Auril. pag.* 478.) missa ea ad *Jac. Bernardum* fuit, qui Nov. reip. lit. 1705. mens. Jun. inseruit, (*pag.* 653. & *seqq.*) Huic *Relandus* respondit epistola Novell. ejusd. anni mens. Aug. (*pag.* 145. *seqq.*) Gallice exposita, qua tandem *Gagnierii* lectionem probavit, sed eandem sibi ante menses quatuor in mentem venisse ostendit. (*pag.* 154. *loc. cit.*) *Ottius* etiam perinde ut *Gagnierus* legit. (NUM. XII.) Habet autem nummus primus facie altera *palmam* cum literis conspicuis: שנת ארבע h. e. *anno quarto*; altera facie *calicem* vel craterem, cum his: לגאלת ציון vindicatæ vel *liberatæ Sionis*. Quæ omnia quid significent, ex illis, quæ supra disputavimus, non potest esse obscurum. Nummus secundus & tertius Wildianus eandem prorsus & figuram & inscriptionem ac primus, habent: quare in his immorari non est necesse. (NUM. XIII.) Quintus, quem idem *Relandus* eadem tabula repræsentavit, omnium celeberrimus & antiquissimus quondam habitus, easdem prorsus & imagines & literas habet, ac tres illi priores, licet minus integras, frustraque a *Villalpando* & *Kirchero* ad *Samuelem Prophetam* relatus est, (*nec multo felicius nuper* Harduinus, שמעון h. e. Simeon, *legit, quam illi*, שמואל נביא Samuel Propheta) refragantibus merito jam *Conringio* & *Hottingero*, quos *Relandus* laudavit (*diss.* 1. *pag.* 42.) Eadem figura & inscriptio eadem est in nummo illo *Franc. Gualdi* equitis Ariminensis, de quo *Aleander* epist. ad *Morin. pag.* 145. scripsit: *Characteres adeo detriti sunt, ut nullum inde verbum exsculpi possit ..... Perspicies in utraque nummi facie literam Tau in similitudinem crucis effictam. Et mirum sane videri potest, quod cum antiquitus hoc modo scriberetur*, †, *posterioribus temporibus in eam N denegavit &c.* Imaginem hujus nummi vide etiam *ap. Muller.* tab. *num.* VI. it. ap. *VValtonum num.* XI.

XIII. Anno hoc eodem *quarto* libertatis judaicæ, cusi sunt illi sicli, si qui sunt genuini, qui literas שד, (Masius *male* שלומה מלך, *Salomo Rex*, alii, שקל דוד *siclus Davidis*; Villalpandus, שדי *Deus*) *annum quartum* signantes vel solam ד super calice positam ostendunt, quales hinc inde imaginibus expressos videre licet, ut apud *Steph. Morinum* in tabula *num.* III. *pag.* 280. item in tab. altera *pag.* 302. *num.* VIII. *vid. supr.* §. XI. apud *Mullerum num.* I. & III. altera facie referentes, שקל ישראל, *siclum Israelis*, cum *calice*: altera *palmam*, vel *trifolium*, ut apud *VValtonum. num.* II. cum scripto: ירושלם קדשה h. e. *Hierosolyma sancta*. Sed hos quidem siclos non immerito suspectus habent eruditi (*vid.* Reland. *diss.* I. *pag.* 47. Sperling. *de num. non cus. &c.*).

XIV. Celeberrimus *Ottius*, cujus identidem jam fecimus mentionem, epistola ad *Relandum*, protulit imaginem nummi ænei, (*vid. act. erud. Lips.* 1705. *pagin.* 282. & *in tab. pag.* 278. *fig.* 5. & 6.) cujusmodi duos nobilissimus *Fromont*, exul Gallus, cum ipso communicarat. Hæc (NUM. XIV.) imago & inscriptio docent, nummos hos ad *annum* nostrum *quartum* referendos esse. Nam una facies habet *duos botros* palmæ vel *duos cyathos*, cum balanis jacentibus, cumque literis: שית ארבע quarum una tantum, nempe נ, vetustate defecit. Hæ *annum quartum*, nempe liberatæ Sionis, significant. In aversa facie est *palma* arbor cum dependen-

dentibus utrinque botris, vel balanis, (βαλάνοις) ut in aliis (*modios frumenti duos* putat Harduinus *fol. 602. cap. 2.*) & literis his circumſcriptis: לגאלת ציון *liberatæ* vel vindicatæ *Sionis*. Ex his ſola prima ל liquido apparet, & nomen *Sionis*, reliquæ autem, גאלת, quaſi in ruderibus jacent, ex ſimilium nummorum inſcriptionibus colligendæ & reſtituendæ. Addidit quidem *Ottius* inſcriptioni primæ faciei vocabulum, חצי h. e. *dimidium*, (*perinde ut* Harduinus, *Chronologia V. T. in oper. ſelect. fol. 602. cap. 2.*) quaſi dimidium ſiclum indicaret; verum quod pace doctiſſimi viri dixerimus, inſcriptiones faciei utriuſque neque hanc vocem neque ullam aliam ferunt, præter eas, quas explicavimus: quomodo integræ ſibi egregie conſtant & reſpondent mutuo. Fructus autem palmæ decidui literis aliquibus, (nempe חצי,) fingendis occaſionem dediſſe videntur.

XV. Ex his, quæ hactenus diſputavimus de nummorum Hebraicorum inſcriptionibus Samaritanis, apparet, uberem eorum proventum anno *quarto* libertatis fuiſſe, anno *tertio* exiguum vel nullum, *primo* & *ſecundo* aliquem. Annum *quintum*, *ſextum*, & ſequentes qui præ ſe ferrent, nummi Samaritani nondum inventi in his oris, ſaltem nondum a quoquam publicati ſunt, quod quidem ſciamus. Hic ergo & nummorum & exercitationis hujus finis eſto.

CONSECTARIA.

I. Erravit *Stephanus Morinus* vir doctiſſimus Theologus, Philologus & Paſtor *Amſtel.* cum ſcripſit exercit. de linguis, *cap. 9. pag. 259. Quicunque exhibentur Samaritani nummi, nullum temporis indicium proponere comperiuntur*. Nam indicium anni quo cuſi ſunt, in pleriſque annotatur. *Reland.* diſſ. 1. pag. 45. *Harduin.* Chronol. V. T. oper. ſel. f. *602.*

II. Condonandum *Othoni Sperlingio*, viro celeb. judicium, quod in diſſertatione de nummis non cuſis, (*pagin.* 101. *edit. nup.*) tulit de nummis Hebraicis & Samaritanis, ita ſentiens: *Æſtiment hos nummos, quicunque velint, torqueant ſe viri doctiſſimi in illis explicandis, oleum & operam ſe penitus perdidiſſe tandem videbunt, ſpero, tam abſurdæ ſunt & inſulſæ inſcriptiones illæ omnes, ut nihil in re nummaria occurrat ſtolidius*, vid. contr. *Reland.* diſſ. 1. *pag.* 47.

III. *Tau* Samaritanum *cruciforme* fuiſſe, cum *Origenes* & *Hieronymus*, patrum doctiſſimi, olim aſſeruiſſent, id dubium antehac eruditis quibuſdam viris viſum, ſed hodie ex nummis evidens eſt. „ Maintenant il eſt certain par les medailles, „ que la figure d' une *croix* eſt un veritable *Tau*. " *Reland.* epiſt. *ad* Ganier. *de numm. Samar. in novell. reip. literar. an.* 1705. *m. aug. pag.* 153. *gall. a* Jac. Bernardo expreſſa. Cui add. teſtem unum, quem honoris cauſa nominamus, B. *Chriſt. Schraderum*, lumen illud academiæ Juliæ, epiſtola ſingulari ad Sereniſs. *Ferdinandum Albertum*, D. B. & L. an. 1654. perſcripta.



HEN-



HENRICI HOTTINGERI DISSERTATIO DE VARIIS ORIENTALIUM.

AD LECTOREM.

De variis Orientalium, Hebræorum cumprimis, inscriptionibus; incertis multorum conjecturis, & epicrisi nostra de iisdem, usu insuper hujus, de Cippis & Nummis Orientalium, materiæ, insigni.

GEminam hanc διατριβὴν nostram, alteram de *Sepulchris*, *Cippis*, seu *monumentis* Veterum Hebræorum; de *Orientalium nummis*, alteram; etsi brevem atque succinctam, Lectori tamen benevolo gratam fore non dubito. Et *illam* quidem, quia, quod sciam; hactenus a nemine fuit occupata. Reservatur inter Celeb. *Hospiniani* opera affecta, insignis de Sepultura tractatus, quem suo tempore lucem visurum speramus. Habet etiam *Gejerus* de *Hebræorum* luctu quædam, quæ hanc materiam illustrant; ea præsertim, quæ *capit. 6. §. 9.* de loco sepulchrorum refert. De *Persarum* Epitaphiis & Sepulchris nonnulla suppeditat Olear. in *Itiner. pag. 286. 287. 288. 335. 340. Mandelslo, Itiner. Ind. pag. 14. 15.* Hebræorum Epitaphia a quoquam hactenus aut delineata, aut tam prolixe descripta, non memini. *R. Benjamin* quædam refert; at secundario tantum & incidenter. De Amaziæ Ducis, in Hispania sepulti, monumento (cujus & *R. Moses Schem Tof* qui vixit 1480. in *Marpe Jaschon*, meminit) multa quidem Hebræi, traditione freti, blaterant; alii tamen νοθείας idem postulant. Non facile definio quicquam; certum tamen est non semel contigisse, ut veterum nomina cum recentioribus confunderentur, etiam ubi de sepulturis sermo est. Jobi sepulcrum Constantinopoli ostendunt, quia, ei ὁμώνυμος, Dux Militiæ Muhammedicæ ibi tumulatus est. *Thesaur. Philol. pag. 506.* Quod Clariss. *Walton. Proleg. III. pag. 22.* probabilem existimat D. Capelli con-

jecturam, *qui statuit, cum Mauri regnarent per Hispaniam multis annis, & Judæi ab Oriente expulsi, supra mille post Christum annos, illuc confluerent, Judæum hic sepultum fuisse servum, cujusdam Amaziæ, Maurorum Reguli*; magna laborat difficultate, eaque non una. Quæ enim Historia unicum Maurorum exhibet Regem, Mahammedanum, cui nomen Amaziæ? Hebraicum nomen est, & quidem compositum ex nomine Essentiali יה & אמץ: Sola hæc ratio aliud suadere deberet. Meminit hujus inscriptionis repertæ apud Saguntinos, *Villalp. Tom. II. lib.* 5. *pag.* 144. sed prorsus aliis, & iis quidem verbis, ut nullum, excepto ultimo, אמציה pure sit Hebraicum: Cætera mire torta sunt, & cum Arabismo facilius, quam Hebraismo concilianda, nisi aliter, exemplo R. *Joseph Schem Tof*, ea legeris. Ejusdem commatis est, quod ibidem, anno Christi 1480. repertum, aliorum probat authoritate, cujus inscriptio: זהו קבר ארנירם בר המלך השלמה שבא לגבת את המס ונפטר יום: *Hic est tumulus Adoniram, famuli Regis Solomonis, qui venit ut exigeret tributum, & mortuus est die, &c.* Novitatem quis non vel mediocriter Hebraice doctus subodoretur? Quis enim in V. T. unquam legit גבה vel נבא *exigendi* sensu? Recentius est verbum Chald. & Rabbinis usitatum: Num vel principia Grammatica ferunt השלמה, nomen proprium, cum præfixo ה notificante? Fumi sunt, quos miror venditioni exponi posse, tam liberaliter & libenter, aperte reclamante Scriptura. Annon enim S. Literæ testantur, Adoniramum a Rehoboamo, ad sedandos rebelles missum, lapidibus ab Israelitis obrutum fuisse, & in Sichem sepultum? Utrumque lapidem eundem esse, non male conjicit ex temporis circumstantiis *Waltonus*: idem lectio Schem Tof, cum characteribus a *Villalp.* expressis collata, haud difficulter largitur, quamvis ætate exesa aliam induerit faciem: Sic *verba Villalp.* שאון נכה פקור מרח facile legi possunt שאו קינה בקול מרה *Edite lamentum, voce amara.* Valde enim cruda est *Villalp.* expositio: *Sepulcrum* שאול אורן נבח פקור מרח *Sepulchrum Orani Nubathi; Præfecti, qui rebellavit.* Magna in explicatione ejusmodi ruderum committuntur χαροράματα, id quod merito in fidei suæ socio reprehendit *Athanas. Kircher.* Oedip. *Tom.* I. *Class. XI. pag.* 487. ubi monet, *Michaelem de Luna*, Medicum Granatensem, Linguæ Arabicæ peritissimum, quædam nimis confidenter, quasi Arabica transtulisse, quæ talia non sunt (*Confer Anal. nost. pag.* 332.) An vero idem ille author in analysi veterum inscriptionum parem cum industria Linguæ sanctæ probarit peritiam, operæ pretium fuerit, quia hanc semel ingressi sumus palæstram, obiter examinare. Et primo quidem *Kircherus*, tum in Prodromo Coptico, tum in Oedipo *Tom. II. Class.* 2. *pag.* 110. meminit inscriptionis antiquæ in monte Oreb, in rupe quadam; eo ipso loco, ubi Mosi in rubo apparuit Jehova, sculptæ vel incisæ. Scribit, vel eruditissimos fateri, locum pene esse inextricabilem; ut ergo cornicum hic configeret oculos, pronuntiat, I. Sensum scriptionis, miris meatibus confusæ & perplexæ, (quod eadem tamen sive confidentia, sive audacia tentat, qua Hieroglyphica, multis dissecta partibus, resolvit) reddit יי' עלמתה יבטן נחבטן בן *Deus virginem concipere sinet, & ipsa pariet filium.* II. Characterem esse antiquum, imo antiquissimum, multis ante Christi adventum seculis sculptum. Certe non deesse, qui senserint, ab ipso Mose fortassis hanc scripturam eo in loco, ubi Dux populi Dei primum fuerat declaratus, & in quo, sub visione, rubi incombusti, memorabili, mysteria Redemtionis humanæ cognovit, ut ad ea alluderet, incisam. Alios tamen, a Jeremia scriptam, velle. III. Scripturam, vel Dialectum potius, vocat antiquam Chaldaicam, quam Assyriam vel Targumicam alii, alii Aramæam, Libonæam seu Babyloniam nuncupant, eo quod tempore Regum Israel, & captivitatis Babylonicæ, ea passim & vulgo uterentur. Ego vero nego. I. Hanc scriptionem Hebræam esse, *a.* Nemo Hebræorum illud hactenus agnovit. Ipse largitur, Orientalium hucusque judicio, a nemine locum legi aut explicari potuisse. *b.* Figura characterum, prout in schemate illi exhibentur, similior est veteri Syriasmo seu Chaldaismo, quam Hebraismo. II. Ipsam analysin figurarum esse incertam. Eadem enim facilitate aliud quidvis, literarum distractione, eliciam, qua tantum Jesuita extudit mysterium; cui *Amatus Chezaud*, annum, quo hæc eventura essent, fuit ausus addere, nempe 1509. III. Stylus etiam sequiorem sapit ætatem. Chaldaicæ sunt voces & Syriacæ, eo tempore quo Moses in monte Horeb fuit, Judææ nondum cognitæ. IV. Nec חבטן est *pariet.* Nolim ergo hoc argumento contra Judæos certari. Habet & alias Inscriptiones a *Thoma Novariensi* suppeditatas, de quibus itidem audacter pronuntiat *pag.* 122. vel ab ipsis Israelitis, vel ab Hebræis, haud a Mosis temporibus longe dissitis, incisas eas fuisse; quod tamen nec literarum figuræ, nec etiam stylus admittere videntur, ut vel obiter inspicienti manifestum

est

eſt. Accipe, *φιλεβραῖε*, analyſin, & ipſe judica; מקום שנו ע' תמרים *Locus in quo* LXX. *palmæ* מטר מן *Plumia Man.* לתלמוד רשום רזות: *Locus doctrinæ inciſionis arcanorum deputatus* ט' נצבים *Novem tituli*. צ' שמותם כרת משה: *Nonaginta nomina*, ſcil. virorum, *quos excidit Moſes* מקום של צלה בו: *Locus ubi oravit Moſes*. Non commodius Moſis ætati hæc conveniunt, quam ſi quis hodiernam Dialectum Italicam, cum Latino eloquio Ciceroniano comparare ſuſtineret. Ex Perſico-Arabicis inſcriptionibus illa apud *Olear. pag.* 288. *Ittiner.* occurrit الله مفتح الابواب quod in Imperativo reddit *Olearius*, & vocativo caſu, *o Deus, haſce fores aperi*, quaſi ſcriptum eſſe الله افتح الابواب cum participium ſit, conjugat. 4. Epitheton Dei, cui ſoli tribuunt clavem aperiendi ſepulchra; quod ut multa alia, mutuarunt a Judæis: In *Tharg. Hieroſol. Geneſ.* 30. 22. ארבעה מפתחין דאינון מסירין ביד רבון כל עלמא יי' ולא מסר יתהון לא למלאך ולא לשרף מפתח מטרא מפתח פרנסה מפתח קבריא מפתח עקרתא: *Quatuor claves ſunt in manu Domini Mundi, quas non tradidit ulli Angeto, neque Seraphino, clavis pluviæ, clavis ſuſtentationis, clavis ſepulchrorum, clavis ſterilitatis*.

Neque feliciores Oedipi in ſolvendis ejuſmodi ænigmatibus ſunt Judæi ipſi, quæ ſive ſtudio oſtentandæ antiquitatis ſuæ, ſive deſiderio defendendæ *αὐτονομίας*, eas hinc inde obtrudunt inſcriptiones, quæ vel calculus annorum, vel ipſa etiam Grammatica refutat. Hujus exemplum exhibet Menaſſe ben Iſrael, qui ut aliis perſuaderet X. tribus Iſraelitica in Americanis adhuc ſupereſſe Angulis, ad inſcriptionem, quæ in Azoribus (longe illinc diſſitis) reperta ſit, provocat. Hanc, ut plures alias, grato hoc loco omnio acceptam ferimus doctiſſimo, & antiquitatis ſtudioſiſſimo viro D. *Theophilo Spizelio*, *Auguſtano*, Diſſert. *de Iſrael. Americ. pag.* 68. Mirum eſt Menaſſem, cætera eruditum non obſervaſſe, inſcriptionem hanc, ne quidem per Grammaticam Hebræam eſſe. Quid ſi Arabis, vel cujuſcunque alterius nationis, Hebræi manus fuerit, & ſententia Hebraicis quidem literis, ſed alia lingua exarata? Arabiſmum ad Azores ubi reperitur, vel pro fugi vel certis de cauſis profecti Judæi plus ſapit, quam Hebraiſmum. Explicatio vocum Hebraicorum, quam *Genebrardus*, ut Judæorum *διασπορὰν* in America oſtenderet, inſeruit *Chronol. lib.* 1. *pag.* 162. non felicius illi ceſſit, quam aliæ, de quibus *Hiſtor. Orient. pag.* 452. Verba Hebraica ab eo finguntur; מהטס שעלבין מת דעאל: *Quid volavit Deus? Schalbin mortuus eſt, ſcito Deum*. Num quid ineptius afferri potuiſſet? Quando verbum טע *volandi* ſignificatu veteribus Iſraelitis unquam notum fuit? *Chald. Samarit. Syri, Arab. Æthiop. Talmud.* illud habent, in Biliis non occurrit. Sed, quid ſi occurreret, quæ loquendi ratio: *Quid volavit Deus?* Mitto reliqua. Quid ſi Arabice legamus proverbialiter محطم الشغل يبين متعال *Qui labores frangit; magnum ſe oſtendit*. Quid hic difficultatis? Nihil tamen definio, niſi hoc, inſcriptionem illam ad quamlibet facilius aliam, quam Hebraicam revocari poſſe Linguam. De nothis quibuſdam Epitaphiis, aliis Viennæ repertis vide eundem *pag.* 70.

Hæc de *Cippis* cæteriſque, occaſione illorum, inſcriptionibus Orientis. De *re nummaria* haud iniquius mihi benevoli Lectoris polliceor judicium. Præterquam enim, quod Methodi facilitatem lucem quæſivi, inſcriptiones etiam veterum Hebræorum diligentius examinavi, eaſdemque, ubi opus fuit, reſtitui. De triplici utriuſque uſu, Grammatico, Hiſtorico, Theologico multa dicenda eſſent, ſed anguſti præfationis cancelli longius nos abire non ſinunt.

Breviter notandum, & nummos & Cippos abſtruſarum ſæpe rerum Magiſtros eſſe atque Dotores *ἀνεπαισχύντους*. Si ſiluerint homines, inquit Servator, *Luc.* 19. *v.* 40. *clamabunt lapidem*. Id ipſum certe de nummis etiam & Cippis dicere fas eſt. Viderunt (ut Europeorum etiam meminerimus) Majores noſtri nummos *Ludovici* XII. cum inſcriptione; *Perdam Babylonis Nomen*. Ubi Babylonis nomine Romam intellexit, ejuſque tum Præſidem, *Julium* II. contra quem bellum tum geſſit Neapolitanum. Meminit hujus nummi ipſe quoque *Thuanus lib.* 1. *p.* 6. & *Franciſc. Pith. Advocat. Cur pag.* 269. Talem ante biennium nummum ab Ampliſſimo, deque Republica noſtra hoc maxime tempore in Comitiis Badenis præclare merente, Baſileenſium Conſule, D. *Joh. Rudolpho Wettſteinio*, & nos, (quod grato hoc loco merito agnoſcimus animo) accepimus. Nec contemnendus nummus ille aureus *Alexandri* VI. in cujus altero latere ſunt Petrus & Paulus cum inſcriptione: *Principes Apoſtolorum*; uterque jam nummus in Sereniſſimo Electoris Palatini aſſervatur locupletiſſimo cimelarchio. Viderunt (videmus & nos, hodierno quoque die) nummos iis nonnunquam fabulis notatos, quorum eos etiam pudet, qui alias callum obduxerunt. Exemplum dedimus

tum in *Historia Ecclesiastica*, tum *Hodœ. Part. III. pag.* 41. Sed & Orientales nummi sua subministrant axiomata & porismata, quæ vel ad Historiam pertinent, vel Philologiam, id quod aliquoties in ipsa serie observavimus. *Cippi* vero, aliaque, quæ de iis & propter eos veteres tradunt, non ad unius tantum, obscuri etiam, Scripturæ loci faciunt explicationem. Certe luculenter ostendunt complementum illius, quod hypocritis Servator objecit, *Luc.* 12. *vers.* 7. *Væ vobis, quoniam ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem vestri interemerunt eos.* Quid enim Cippi isti, & monumenta sepulchralia sunt aliud, quam notoriæ illius hypocriseos certissima documenta? Deus quidem ipso teste *Josepho lib.* 2. *Cont. Apion. p. m.* 1074. *ita prospexit funeribus mortuorum, ut neque sumtuosæ ad sepeliendum celebrarentur exequiæ, neque insignium fabrica sepulchrorum; sed necessaria circa electionem funeris imperavit domestico adimplere.* 1. Cor. 15. *vers.* 29. legimus ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, id est ut eleganter reddit *Arabs* فلمدا يصنع الذين يصطبغون من اجل الاشخاص المايتة *Quid facient, qui, propter personas mortuas* (contactu videlicet earum polluti) *baptizantur*? De sensu hujus loci tot fore judicia, quot sunt capita. Aliquot peculiari, in locum Pauli, tractatu collegit D. *Sebastianus Schmidt*, Theologus Argentinensis. Ea mihi maxime placet, quæ vult, *Apostolum loqui de baptismo ceremoniali veteris Testamenti super mortuis, utpote qui propterea a Deo fuerit institutus, ut populus Israeliticus commonefieret resurrectionis mortuorum.* De baptismo illo etiam *Josephus* scribit loc. cit. *Purificari autem jubet etiam domesticos funere celebrato, ut longe procul sint, & videantur mundi esse.* Ad confirmationem hujus non parum facere videtur, quod alia etiam devotionis exercitia, ad sepulchra fuerint soluta, preces cumprimis, de quibus suo loco. Taceo hanc eandem de Cippis θεωρίαν diligentius paulo excussam, a Celeb. *Pocock. Not. Miscell. pag.* 82. haud obscure significare τάφους κεκονιαμένους οἵτινες ἔξωθεν φαίνονται ὡραῖοι, *sepulchra dealbata, quæ extra quidem apparent speciosa*, virente videlicet herba, *Matth.* 23. 27. alibi (*Luc.* 11. 44.) eodem scopo, & phrasi æquipollenti appellari μνημεῖα ἄδηλα *monumenta, quæ non apparent*, gramine videlicet seu musco vestita: contra quam *Hugo Grotius* sentit. Quæ *Gejerus* de locis sepulchrorum diligenter collegit, eaque vel in, vel extra urbem, in hortis, propriis ædibus ostendit, eadem Judæorum, sequiorum etiam, praxi non repugnare, hæc Cippographia palam facit.

Hæc sane omnia, & plura etiam (illud cumprimis, quod authoris nostri cum *Benjamino* collatio, tum alibi, tum pag. 53. de Hillelis & Schammai sepultura, instituta, jucundo spectaculo ipsos Judæorum Magistros in iis inter se committat, quorum αὐτόπτας se jactant) animum vel nobis, vel aliis addere possunt, ad hanc materiam, faventibus amicorum scriniis, plenius explicandam.

Quod *Villalpandi* paulo liberius examinavimus χεῖον, eodem nobis licuisse speramus jure, quo in fidei socium Stanislaum *Grsepsium*, Polonum ipse fuit usus: cujus de multiplici siclo & Talento Hebraico tractatus, dum hæc meditabamur, ab amplissimo *Camerario* oblatus nobis est. Multum & hic sibi blanditur, quasi primus ex Christianis saperet, cæteri, alienis tantum Rabbinorum oculis videntibus. Gregem eruditorum tantum duplicem admittere Hebræorum siclum. De Regio siclo, minimis item & maximis siclis nihil penitus nosse. Neque illud observasse, talentum auri & siclum, diversum esse a talento, & siclo argenti: sicut æris ferrique pondera diversa fuerunt a ponderibus argenti & auri. Quæ quidem omnia nata videntur ex homonymia vocis שקל quæ vel pro pondere sumitur, vel pro nummo ad pondus appenso. Siclos ferreos aut æreos posteriori sensu sumtos in Judæa obtinuisse, valde quidem mihi videtur dubium. De priori ne quidem quæstio est. Illi certe, qui extra dubitandi aleam ponunt, Judæos etiam ex ære percussos proprios habuisse nummos, fatentur nihilominus, *nullam* (vide *Brerewood.* in Appar. Bibl. πολυγ. *pag.* 30.) *eorum in Historiis, superesse memoriam, verum omnes, quorum in sacris fit mentio, esse externos.* Aurem nobis hæc de diversitate talenti, ponderibus, mensuris tam Arithmeticis quam Geometricis, &c. vellicarent, ut de ventilanda materia affini ponderibus videlicet & mensuris, cogitaremus: sed tranquillioris hæc sunt & liberalioris otii. Generalia quædam Hebræorum audiamus axiomata. 1. R. *Gedal.* Schalsch. Hakkabb. *pag.* 89. מנה והוא ד' דנר זהב או כ"ה סלעים כסף שוה י'ב דוקטי ככר כסף והוא ג' אלפים שקל בכסף שהם שקלי הקדש אלף ת"ק דוקטי ככר זהב שוה י"ב אלפים דוקטי: *Mana* (libra) *est* 4. *denariorum aureorum, aut* 25. *Selarum argentearum, æquipollentium* 12. *Ducati*, (nummus est Italicus) *Talentum argenteum est.* 3000. *Siclorum argenteorum, videlicet Sanctuarii*, 1500. *Ducat. Talentum*

auri

auri æquipollet 12000. *Ducat*. II. *De menſuris*, quarum menſurarum aliæ ſunt *aridorum*, aliæ *liquidorum*: De iiſdem autor ex Maimonidæ Hil. Erach. *cap*. 4. החמר הוא הכור והוא כ׳ לתכין הלחך ט״ו סאים נמצא החומר ל׳ סאה שהן ט״ו איסות כל נ׳ סאין היא איפה כל איפה ג׳ סאים והוא שעור הבת וכל אחד מהן עשירית החומר החומר אך האיפה היא ליבש והבת היא ללח וי׳ בצים הם א׳ חומר וכור הוא ל׳ סאה לתך הוא ט״ו סאין והוא חצי כור עומר הוא עשירית האיפה הומר הוא ל׳ גרבים בדברים הלחים במקום כור ביבש גרב בלח הוא במקום סאה ביבש וד׳ קבים הוא שעור משוי תרקב הוא חצי סאה והוא נ׳ קבין ואלה ב׳ מדות של גרב ותרקב תמצאם בפ׳ המוכר את הספינה אירדב הוא חצי סאה ויש לו רובע וחצי רובע עוכלא א׳ מהמשה ברובע וכן תומן סאה מדברית קמד בצים שהם קבין שהם כ״ד לוגין סאה ירושלמיח עורפת על של מדברית שתות והיא כמו ר״ז בצים ספל סאה ופלנא הקפל ק״כ ופלנא במדת הלה עושה אדם הין וחצי ההין ושלשית ההין לוג וחצי לוג ושמנות לוג וא׳ בשמנה בשמינית ונקרא קרטוב: Ex quo quidem teſtimonio, ut plenius illud explicemus, colligimus I. חומר & כור eſſe unum & idem; quod ipſum etiam ex Thalmude probat *Clariſſ. Buxt.* Lex. Bibl. R. חמר, & *Grſepſius* p. m. 104. *Hoc tamen intereſt*, inquit, *quod Gamor* (חמר) *eſt vox antiquior*, & *Hebræis uſitatior*. *Corus autem*, *quem Hebræi Cor dicunt*, *vox non perinde antiqua videtur*, *nec ita Hebræis uſitata*. *Non enim vel in Moſis libris vel apud Prophetas reperitur*, *præterquam apud Ezechielem*, *Eſram*, & *in libris Regum*, *ac Paralipomenon*, & *videtur ad Hebræos ab externis perveniſſe*, *quibus*, *ut apparet*, *magis uſitata*, *quam Hebræis fuit*. Non rejicienda plane hæc eſt obſervatio. Videtur omnino vox hæc vel a Babyloniis, vel Ægyptiis profecta. Etenim vel ab illis, vel ab his nomina aliqua ſive menſium, ſive menſurarum mutuata, cur dubitemus? Pleraque certe menſium nomina ex Babylonia in Judæam deportata eſſe ſuo, σὺν Θεῷ, probabimus loco. Ejuſdem originis cenſere videtur vocem כור Clariſ. *Golius*. Ita enim Lex. Arab. كر *Genus menſuræ aridorum Babylonicum*, *continens* 7100. *libras* Diſt. *aut* 40. أردب *Ardabas* Ca. *vel* 22. وسق *onera*, *quorum ſingulæ faciunt* صاع *Seas* 60. *eſtque* κόρος, *Luc.* 16. Sed & Ægyptiaca incunabula alii non ſine ratione voci aſſignant. Facit pro illis I. quod LXX. Interpretes, & *Joſephus*, hac voce crebro utuntur. Illic vero non eſt inſolens, voces, Ægyptiis uſitatiores, retinere. Utque taceamus, quæ hac de re diximus in *Primit. Heidelb. pag.* 139. ipſum alterum etiam menſuræ vocabulum *Epha* ex Ægypto acceſſunt. Idem *Grſepſius* pag. 112. *Duodecima Chori Hebræis*, *dicitur Epha*. *Ægyptiis autem Œphi*: *ſicut* LXX. *transferre ſolent*. *Ægyptia enim videtur hæc vox*, *non Hebraica*. *Unde Heſychius*: *Œphin*, *inquit*, *eſt menſura Ægyptia quatuor Chœnicum*. *Hinc diſcimus*, *Ægyptiis hanc vocem fuiſſe in uſu*, *a quibus*, *ut puto*, *ad Hebræos pervenit*. II. Quia vox πικορος recentioribus etiam Ægyptiis eſt uſitata. In Lexico meo Mſc. Copto-Arabico: πικρος Nσουο. Arab. الصاع الكر القمح أربعة أمداد فقط *Sea*, Cor, *farina*: *quatuor duntaxat modiorum*.

B. *Cor* & *Gomor* (melius Homer) duo facere לתכין *Lethacin*, de quo menſuræ nomine, *Hoſ*. 3. 2.

C. *Lethec* habere 15. Seas, quia Homor 30. Seis abſolvitur.

D. *Seam* habere 15. Iſoth.

E. Tres Seas conſtituere *Epham*. Eſt enim Sea ſatum, menſura aridorum, tertia pars Ephæ, menſuræ maximæ.

F. *Homor*, ſeu *Corum* in decem dividi partes; quam decimam cori partem vult *Grſapſius pag.* 106. dici pro ipſo Coro, ut decima talenti talentum.

G. *Epha* eſſe menſuram aridorum, ut בת eſt liquidorum: *Grſepſius pag.* 126. *Bathus inter liquidorum menſuras*, *quarum in Sacris libris fit mentio*, *maxima fuit*. *Bathus apud Hebræos*, *ſicut* & *Corus fuit major* & *minor*, & *præter hos etiam Bathus regius*, *eam proportionem inter ſe habentes quam pondera* & *menſuras inter ſe habuiſſe dicimus*. Paralip. lib. 2. cap. 4. *vas quoddam a Salomone rege factum*, *quod* & *mare ob capacitatem dictum eſt*, *ſcribitur ter mille Bathos capere*. *Regum autem Hiſtoria idem vas bis mille Bathos capere tradit*: *Unde manifeſte Bathi ad Bathi ſeſquiplam fuiſſe proportionem diſcimus*.

H. Decem בצים eſſe Corum, vel Homor.

I. Eandem eſſe rationem menſuræ *Cori* & *Bathi*; quemadmodum Bat in liquidis fuit trium Scarum, ita totidem Epha *Corus* in aridis. De pondere vero ביצה ſive ovi; vide *Schalſch.* pag. 89. b.

K. עומר *Omer* eſſe decimam partem *Ephæ*: quam Aben Eſa definit מאכל איש אחד ביום א׳: *cibum unius viri*, *uno die*.

L. *Homor* rerum liquidarum facere 30. *Gerabim*; tantundem nempe, quantum כור Corus in aridis. Reſpondet enim גרב Gareb

reb in liquidis, Sed in aridis. Vox נרב ab Hebræis Lexicographis, quod sciam, non exprimitur: sed neque Hebraica est, verum Arabic. Gol. جريب *Mensura seu certa quantitas frumenti & terræ, scil. pondus* 4. قفيز *seu* 348. مد Mud *modiorum*.

M. Quatuor Kabos esse onus, cui homo ferendo par est. Kabus alias definitur mensura quatuor Logorum, ד׳ לונין הלוג ד׳ הרביעיות *Logum autem continere quatuor quadrantes*; quadrantem autem ex aliorum supputatione, ait R. *Gedal. pag.* 89. b. esse אצבעיים על אצבעיים ברום אצבעיים וחצי אצבע וחומש אצבע ואצבע הוא רוחב הגודל ex sua vero שהרביעית עולה אלף חרפ׳ שעוני׳ בינוניים מגלילותינו ושוקים במשקל בולונייה שהיא עיר מטרופולין שלנו נ׳ אונ קי׳ פחות מעט: *quadrantem ascendere ad* 1680. *grana hordeacea mediocria provinciæ nostræ; & pendunt juxta mensuram Bononiensem Metropolitanam 3. uncias, paulo minus*.

N. *Tarkab* mediam esse Seam. seu 3. Kabos. תרקב quibusdam est, quasi תרי קבין *duo Kabi*; sed *Solomonis* glossa constanter habet תרי וקב *duo & unus* id est tres Kabi.

O. *Ardabum* esse mediam Seam. Hebræi in אדר, per Metathesin, ostendunt Radicem. Ita Gemaristæ. In *Aruch* tamen ponitur in ארד nec male. اردب & اردب est mensura magna aridorum apud Ægyptios & Syros 96. modiorum; cui apud Chaldæos respondet قفيز de quo in *Anal. P.* 1. *pag.* 327. Hebræi alias definiunt mensuram aridorum dimidium Letech.

P. עוכלא esse *unam quintam quartalis scil. Kabi.* Unde etiam in Baba Batra וכמה היא עוכלא אחד מחמשה ברובע: *Quantum continet ochla? Unam quintam quartalis scil. Kab.* Ovi nempe mensura est, & una quinta ejus.

Q. *Tumen*, Seam esse Sylvestrem, 124. ovorum sive 6. Kaborum, qui constituunt 24. Logos.

R. *Sol Jarchi* tamen in Bava Batra explicat dimidium Logi sive sextarii. Dicitur alias תומניתא mensura, quæ diversis temporibus major & minor (quod de aliis etiam, vel in eadem, vel diversis provinciis, ut supra in ארדב & נרב vidimus) esse solebat. In Gemara תסנייתה קרטיתא Mensura prisca, quæ fuit in Tiberia, major fuit hodierno quartario.

R. Seam Hierosolymitanam excedere Sylvestrem, sive deserti (i. e. qualis erat tempore Mosis in deserto) sexta parte. Id quod confirmatur in *Eruv.* Tradiderunt Rabbini, סאה ירושלמית *Sea Hierosolymitana amplior erat Sea deserti sexta parte; & Sea Tzipponensis Hierosolymitana sexta parte.* Alibi tamen: התודה היתה באה חמש סאין ירושלמיות שהן חמש מדבריות: *Sacrificium laudis veniebat ad quinque sata Hierosolymitana, quæ sunt quinque deserti*.

S. ספל esse Seam cum dimidia.

T. Mensuram liquidi esse *Hin*, quæ dividatur in medium & trientem: *Logum* in medium, & partem octavam. *Hin* continebat duodecim *Logos* sive sextarius, ut legitur in *Menach. cap.* 10. *Grsepsius p.* 142. *Est autem Hin mensura duorum congiorum, Gnomon mensurarum magnarum nempe minoris & majoris Bathi, & item regii.* Log vero vigesima quarta pars Seæ sive sati, sex ova continens, juxta *Kimch.* lib. Rad.

V. Octavam octavæ Logi, i. e. quartulam vocari קרטוב, unde *Rambam* & *Bartenora* scribunt esse partem sexagesimam quartam Logi.

III. De mensura longitudinis tam *temporis*, quam *loci* sive distantiæ idem R. *Gedalia*, tum ex *Maim.* tum ex propria observatione: הרמב״ם הלכות ס״ת האמה האמורה בכל השעורים הוא ו׳ טפחים וטפח האמור בכל מקום הוא ד׳ אצבעות בגידל וגודל האמור בכל מקום הוא בינוני באורך ב׳ שעורות בריות וברוחב ז׳ שעורות בינוניות זו בצד זו ברוחק ודע כי אצבע הראשון שהוא עב וקטון נקרא גודל ולו סגולה חוש הטעם השני הקרוב לו נקרא אצבע ולו סגולת חוש הריח הג׳ שסמוך לו נקרא אמה ולו סגלת חוש המשוש הד׳ שסמיך לו נקרא זרת ולו סגלת חוש הראוה הה׳ הסמוך לו והוא הקטן שבכלם ולו סגלת חוש השמע נקרא קמיצה אלו הסגולות נראה לפי שכל א׳ מהם נקל לו לעשות וללכת אל האבר הנתלה בו חוש שלו בלי שיכוין האדם על זה ואני הצעיר עמדתי על האמה זו ולהביאה אל שעור אמה מבולונייה אשר היא צבי לגלילות האלו ומצאתי כי זאת האמה שבגמרא היא ז׳ שמיניות מן אמת בולוניה פחות אצבע אחת וי״ד אצבעות הם חצי אמה בולונייה וג׳ אצבעות והצי הם שמנית אמה הנז׳ ה׳ אצבעות צרים מעט הם ששית אמה הזכ׳ וכלם הם מהאצבע קטון וגם הנקרא גודל כנ״ל ואלו הם שעור האמות שמצאתי מפוזרים בקונטריסים בלי מורה מקום אמה בינונית היא ו׳ טפחים טפח ד׳ גידלים ה׳ באצבע ו׳ בקטן זרת הנזכ׳ בתורה היא חצי אמה של ו׳ טפחים הסט הוא השיעיר שיש בין האצבע והגודל כשתפתח היד בכל האפשרות והוא ב׳ שלישיות מזרת ויש לרז״ל אמה בת ה׳ טפחים כנראה במעשה המשכן מחלוקת ראבי מאיר ודרבי יהודה ואמרו במסכת כלים ב׳ אמות היו במשכן חקוקות על שער מזרחי על קרן מזרחית צפונית והיתה יתרה על של מרע״ה חצי אצבע עדשה וגרים אשר ישוער בהן

בהן נגעין נגעים מקום הגריס הוא ט׳ ערשות ומקום ערשה ד׳ שעורות וראיתי בחולין גריס חצי פול והוא שעור טמאת לשחין ולמכות אגור סי׳ ש״ף שס״ז אומר שעור הגרי הוא כמו ט׳ ערשין וטעות סופר הוא מה שכתוב במרדכי ט׳ מעורות שא ט׳ ערשים על ט׳ ערשים שהם לו שעורות יהר׳ ציון פירש דברי הרמב״ם וסמג דהוו ט׳ ערשים כשהן ג׳ ערשין על ג׳ ערשין וכן נראה בסמג הלכות נגעים והערשה היא מקום ד׳ שעורות שהם שתים באורך ושתים ברוחב נמצאו לו שעורות בשהן קבועות בראש רחוקות זו מזו פרסה היא ד׳ מילין המיל ב׳ אלפים אמה ריס הוא חלק אחד משבעה חלקים וחצי שבמיל בית סאה היא חתיכת קרקע של נ׳ אמה על נ׳ אמה ותשבורת שלה אלפים ות״ק אמה ונזרע בו סאה קרפף הוא מקום מוקף מחיצות בלא קירוי כמו מצר תחום שבת אלפים אמה כל מקום שיש בו רע״ד אמות אורך על רע״ד אמות רוחב נקרא בית כור וזורעים בו בית כור זרע: *Rambam in Hilch. Sepher Torah; Ammah seu cubitus quoties in mensuris ejus mentio fit, est 6. palmarum; palma vero ubique est 4. digitorum, pollicis videlicet mensura æstimatorum. Pollicis autem ubique mensura mediocris est, constans longitudinis determinatæ spatio duorum granorum hordeaceorum, latitudine 7. granorum, mediocrium, arcte sibi adhærentium. Noris autem, digitum primum, qui crassus est & parvus, vocari pollicem* (in manibus nempe, ut בהן in pedibus) *cujus proprius est sensus gustus. Secundus, ei proximus,* κατὰ ἐξοχὴν *vocatur* אצבע *digitus; cujus proprius sensus odoratus. Tertius, ei contiguus, vocatur* אמה, *cujus proprius sensus tactus. Quartus, ei vicinus, vocatur* זרת, *cujus proprius sensus visus. Quintus ei proximus, omnium minimus, cujus proprius sensus auditus, appellatur* קמיצה. *Hæ proprietates ei tribuuntur, quia unusquisque digitus ad tale refertur facile membrum, a quo sensus pendet, etsi homo eo non tendat, vel illud attendat. Ego vero parvus me accinxi ad reducendam hanc mensuram cubiti ad mensuram Bononiensem, quæ Metropolis est harum regionum, deprehendique cubitum, cujus in Gemara est mentio, esse septem octavas partes cubiti Bononiensis, minus digito uno. Quatuordecim autem digiti faciunt medium cubitum Bononiensem: Tres digiti & medius sunt octava pars cubiti memorati, Quinque digiti paulo contractiores sunt sexta pars cubiti dicti. Qui omnes æstimantur juxta pollicem, ut supra diximus. Hæ autem sunt mensuræ cubitorum, prout reperi dispersa illa in quaternionibus, absque Indice. Cubitus mediocris est 6. palmarum: Palma quatuor pollicum, quinque indicum, sex digitorum auricularium, sive minimorum. Spithama in lege memorata est medius cubitus, sex palmarum* הסט *est mensura inter indicem & pollicem, cum quantum fieri potest, aperitur manus, suntque duæ tertiæ Spithamæ. Habent & Magistri nostri cubitum 5. palmarum, ut apparet ex fabrica tabernaculi, in controversia R. Meir & R. Jehuda. Dicuntque in Tractat. Celim: Duo cubiti fuerunt in tabernaculo exarati sive expressi ad portam Orientalem, super cornu Orientali, & Aquilonari, cujus redundantia supra cubitum Mosaicum fuit medium digiti.* ערשה *Lentigo &* גריס *faba, sunt mensuræ, quibus locus est in materia de plagis: spatium* הגריס *est 5. lentiginum. Lentiginis vero spatium 4. granorum hordeaceorum. Observavi autem in cholin* גריס *esse dimidium fabæ, quæ est mensura pollutionis ob ulcus & adustionem,* אגור *signo, seu pag. 367. vult Geris, esse mensuram quasi 9. lentiginum. Est ergo error scribæ, cum occurrit in Mardochai Historia, esse 9. grana hordeacea. Hæ novem lentigines super alias lentigines sunt 36. grana hordeacea. R. Zion autem explicat verba Rambam, & Seph. Mitz. Gad. novem lentigines, cum tres lentigines aliis tribus fuerint impositæ. Idem videtur in Seph. Mitz. Gad. Hil. Negahim. Hæc autem lentigo est spatium 4. granorum hordeaceorum, quæ sunt duo juxta longitudinem, & duo juxta latitudinem. Sic reperiuntur 36. grana hordeacea, cum fuerint in eodem fixa capite, alterum ab altero remotum. Parsa est spatium 4. milliarium: Milliare bis mille cubitorum. Ris pars septima & media milliaris.* בית סאה *est particula fundi 50. cubitorum supra cubitos.* תשבורת *2500. cubitorum, in qua seritur satum,* קרפף *est locus cinctus materia absque peribolo, prout districtus termini Sabbathici est 2000. cubitorum. Omnis locus, ubi est spatium 274. cubitorum in longitudine supra 274. cubitos in latitudine, vocatur* בית כור, *in quo etiam* בית כור *sementem faciunt.* Hæc vero obiter. Sed & aliud, antequam ad portum appellamus, restat expediendum. Diu est ex quo scripsimus, non esse verisimile, *Hieronymum* Codicem Samaritanum inspexisse; vix alias daturum; *Samaritanos Pentateuchum Mosis totidem literis scriptitare, figuris tantum & apicibus discrepare.* Assertioni meæ argumentum suppeditavit altera *Hieronymi* de litera ת, cruci simili, hypothesis: quam non nobis tantum, sed & Romano-Catholicis quibusdam suspectam esse, diximus *Exerc. Anti-Mor. pag.* 33. Sed defendi videtur *Hieronymus* vetustissimorum nummorum typis, in quibus litera ת ςαυροειδὴς luculentissime apparet. Vide *Typos* Tabulæ secundæ, in ipsis typis. Sed respondemus; nondum periclitati nostram antithesin. *Primo* enim certum est, nunquam scripturum

rum *Hieronymum*, *totidem literis exaratum esse Pentateuchum Samaritanum: quot est scriptus Hebraicus*, si utrumque contulisset. 2. Neque ex Pentateucho discere poterat universo, literam ת Samaritanorum esse cruci similem. Plane enim alia figura est hujus literæ in libris Samaritanorum sacris, alia in quibusdam eorum nummis. Non negant hoc discrimen, qui crucis figuram heic agnoscunt, *Rever. D. Walton. p.* 37. Apparat. *Ex his siclis plerasque literas Hebraicas antiquas, cum hodiernis Samaritanis easdem fuisse liquet: omnes quidem non exprimuntur, ex harum tamen convenientia cum Samaritanis de reliquis judicare licet.* Aleph *&* Tau *præ ceteris differre videntur, ablata enim linea inferiori ab* Aleph, *quod supra urnam imponitur* (*quæ linea unicum est discrimen inter* Aleph *&* Tau) *perfecta crucis figura relinquitur, quam figuram* Tau *olim retulisse testantur Origenes & Hieronym. in Ezech. 9. R. Azarias etiam in Alphabetho Hebraico duplicem dat figuram literæ* Tau *unam hodiernæ similem, alteram instar crucis decussatam; quam crucem S. Andreæ appellant, quam etiam in quibusdam siclis conspicere licet.* Non repugno, extare nummos, in quibus litera *Tau* crucis figuram refert, sed extra hunc usum, solennem illam aut usitatam fuisse, non observavi. Nullum certe, quod sciam, habet exemplar Pentateuchi Samaritani, quæ quidem ego inspexi, literam *Tau* cruci similem. Hinc ergo, quod *Tau* Samaritanorum σταυροειδῆ esse communiter statueret *Hieronymus*, colligere verisimiliter poteramus, Codices illos tantum Patrem non vidisse.

HENRICI HOTTINGERI
DISSERTATIO II.
DE
NUMMIS ORIENTALIUM.

Judæorum maxime & Muhammedanorum.

I. **D**E *Hebræorum acturi initio nummis, duas tractationis nostræ constituimus partes,* ὀνοματολογίαν *unam,* πραγματολογίαν *alteram.*

II. *Ad illam referimus nomina, quibus Hebræi tum generaliter divitias, possessiones, &c. tum specialiter nummos suos exprimunt.*

III. *Prioris generis sunt, multa & varia* (a) *quæ in* ἔγγραφα, *commode distingui possunt, &* (b) ἄγραφα.

(*a*) Illa sunt A. און quod *Robur, Vires notat*; Sic autem dicuntur facultates, quod homines robur suum in iis collocent; vel ab altera significatione *iniquitatis*, quod malis sæpe artibus acquirantur: Unde μαμμωνᾶ ἀδικίας; vel a notione tertia *laboris* & *molestiæ*; neque enim vel sine molestia parantur opes, vel etiam eædem conservantur. Unde Hillel. מרבה נכסים מרבה דאגה *Multiplicans opes, multiplicat curas*.

B. הון *Substantia*, prop. *commoditas*, quasi commoda vitæ tolerandæ subsidia dicas. Hoc sensu sumitur etiam apud Chaldæos. Arabes cumprimis, ut cum dicunt علي هونك *quod commodo tuo fiat*. Habet tamen hoc vocabulum annexam significationem vilipendii, & contemtus, ad denotandam opum vanitatem.

C. מקנה *Possessio*, ea proprie, quæ pecuaria aquiritur. Unde pro precoribus sumitur, *Jes.* 30. 23. Veterum enim possessio maxime in pecoribus consistebat. Unde specialius etiam, per *Synecdochen* חיל pro divitiis, opibus, quia *multitudinem caprarum* notat Arabibus, sumi videtur: quanquam ex significatione receptiori *virtutis*, *opulentiæ*, *&c.* & altera Arabum, *technarum*, *stropharum*, vel usus nummorum, vel modus corradendi non inepte proponatur. Eadem synecdoche occurrit tum in Arabum locutione proverbiali ماله امر ولاامره *neque agnum, neque agnam*, i. e. nihil plane habet; tum in voce أناله quæ ab أنل *Camelus*, deducta, pro *administratione opum*, quas Arabes

bes in Camelis fere collocant, accipitur. Talis quoque acquisitio videtur רכש a רכוש quod genus equi vel muli celeris significat, *Mich.* 1. 13. 1. *Reg.* 4. 28. Vide *Smeg. Orient. pag.* 122.

D. חסן *Robur*: itidem ab effectis, vel fine.

E. נכסים *Facultates*, juxta Rabbinos, nuncupatæ, quasi נכסים dicas, *i. e. absconditos thesauros*. In Tanchuma: למה נקרא שמם נכסין שהן נכסין לזה ונגלין לזה *Quare vocatur nomen earum* נכסים? *quia*. נכסין *occultantur ab hoc, & revelantur alii*. Sed hæc allusio est Rabbinica: An forte commodius a نكس *Invertit, pervertit*, a perverso facultatum usu? Opes enim & facultates male adhibitæ, facile flectunt & invertunt regium justitiæ cursum; Vide *Jus Heb. pag.* 114.

F. עשר *Divitiæ*; an a decimis, quibus res publica & privata, ut constat, crescere solet. Quanquam illius radicalis secunda sit ש hujus ש: Arab. tamen utrobique significatione decimandi agnoscunt ש, عشر:

G. ממונא *Mammona*, occurrit in N. T. *Matth.* 6. 24. Est vocabulum Chaldæo-Syriacum. Pænis etiam notum fuisse terminum, *Augustinus* observavit; *Mammona apud Hebræos divitiæ appellantur. Congruit & Punicum nomen: Nam lucrum Punice Mammon dicitur*. Lib. 2. de Serm. Domini in monte. Et Quæst. Evang. qu. 34. *Mammona divitiæ interpretantur*. Unde & *Suidas* μαμμωνᾶς, πλοῦτος γήινος, χρυσός, *Mammona significat divitias terrenas, aurum*. Isa bar Ali, Lex. Syr. Arab. Msc. ܡܡܘܢܐ ܕܝܢ ܥܘܬܪܐ *Mammona idem quod* ܥܘܬܪܐ עותרא (Heb. עשר) divitiæ. Unde Arab. reddit المال والفضة *Facultates, opes; argentum*. In quærenda Etymologia magna hic authorum varietas: De hac certe voce multi multa scripserunt. Vide *Cap. Waser.* de Nummis Hebr. cap. 2. *Lex. Buxt.* Talmud. R. ממן; alios. Quidam Hebræam arbitrantur; observat *Grotius*, sed corruptam, ex מטמון quod est *Thesaurus*. Id si verum est, optime hæc cohærent, cum superioribus περὶ τοῦ μὴ θησαυρίζειν. *Hesychius* certe Μαμμωνᾶ θησαυρόν interpretatur. Non longe abit vox Chaldæa, inquit idem, מכמי nam pro *thesauris* usurpat *Daniel* 11. v. 43. Imo radice differunt, adeoque longis passibus Grammaticis. *Drusius* propius accedit. Derivari is putat ab אמן facta contractione literæ א pro מאמונא ut ממרא pro מאמרא, & Heb. מזין pro מאזין, ut sic dicantur *divitiæ*, quod in iis, *fides* ponatur; sicut חיל robur vocantur. Unde & ipsa vox אמונה a LXX. πλοῦτος redditur, *Psal.* 73. *v.* 5. ad quem locum *Augustinus*, Episcopus Nubiensis: *Hebræorum verbum æque fidem sicut divitias significat, quo datur intelligi, divitias in hoc Mundo esse fidem Dei. Qui enim fide caret, pauperrimus & miser est*. Quidam affine ipsi faciunt מום *vitium*, quod Mammon dicatur de divitiis, per sordium lucrum acquisitis. Quidam adducunt Græcorum μαιμάω *solicite, vehementer cupio*, studiose flagito, quasi μαμμών sit pro μαιμών, quod pecunia avide desideretur & expetatur, quomodo Hebræis כסף *argentum* ab *expetendo* vocatur. Iterum aliis ממון est a מה אחה מונה אינו כלום מנה, quasi *Quod tu numeras, nihil est. Radix non est* אמן *ut volunt*; scribit Clar. *Bochartus* Geog. Sac. P. II. lib. II. p. 850. *multo minus* טמן *aut* כמן: *sed* מון *inusitatum, pro quo* מול *dicunt Arabes; N. & L. quod sæpe fit, permutatis*. מאל *Arabice est ditescere: Inde* מאל *plur.* אמואל *divitiæ*. Ingeniose, ut solet, acutissimus vir, neque tamen plane desperandum est de Etymologia Hebræo-Syriaca, sive *significationem* spectemus, sive *formationem*. Cur enim non ab אמן, quod non modo *credendi*, sed &, idque primario, *nutriendi* habet significatum, deducamus nomen, quod *divitiarum*, unde alimentum sibi acquirit homo, notionem obtinet? Facimus certe hoc exemplo LXX. quibus, ut diximus, אמונה est πλοῦτος. Sed & *formationem* non esse insolentem, exempla a *Drusio* citata probant. Quod si tamen Arabes in subsidium vocare placeat, non opus est, μεταστοιχειώσει, literarum ג & ל, quæ omnino in Orientali literatura frequens satis est. Duæ enim sunt radices, quarum utraque explicandæ voci ממון commode inservit. Prima est מון *prospexit suis de rebus ad vitam necessariis, curavit, sustentavit, aluitque eos*. Unde מונה *commeatus*: & ממון, quod participialiter, *est, cui de victu & amictu prospectum, curatus, sustentatus*; nominaliter vero, ad vitam sustentandam necessariam; plane ut ὁ βίος & *vitam* notat, & *vitæ subsidia*. *Secunda* est ימו opposita, τῷ שאם *potiri, felicem esse*; Unde ממון *fortunatus, felix, utens prosperitate*. Hinc jam nomen proprium Majemon, sive, ut aliter scribunt Arabes, ממין *Mamon* (nomen fuit Chalifæ XXVII.) *Eutychius*; *Felix*. Non operosa est ἀπόδειξις, cur felicitatis & divitiarum notiones ita conspirent. In aliis etiam linguis obtinet. Quis ignorat, Græcos una voce ὄλβιος & divitem exprimere, & felicem? Ut ut vero Criticorum censura vexetur vera

vera vocis Etymologia, uſu tamen ſatis nota eſt Hebræis, Syris, Pœnis, Chaldæis, qui in Targum ea utuntur pro Hebræorum בצע *lucro*, כפר *lytro pecuniario*; שחד *munere pecuniario*; הון *ſubſtantia*. In Talmude frequens mentio דיני ממונות *Judiciorum pecuniariorum*. Sed & cæteri Rabbini vocem hanc ſuam fecerunt: Unde מלח ממון צדקה *Sal divitiarum ſunt Eleemoſyna*; מלח ממון חסר *Sal divitiarum eſt defectus, vel diminutio ipſarum* ſc. per Elemoſynam; vel מלח ממון חסד *Sal divitiarum eſt beneficentia*, ſc. erga pauperes. Ethicum etiam habent monitum כל הנושא אשה לשום ממון הוין לו בנים שאינם מהוגנים: *Quisquis ducit uxorem propter divitias, erunt ipſi liberi, qui non ſunt futuri probi.*

b. Qualia ſunt Talmudiſtarum a. ני רסא, proprie יגיע עמל *labor moleſtia*. b. מרלא pro quo tamen alii מולא quod caſtigatius videtur; Arabicum nempe مال *opes, facultates*. c. מזל quod *ſidus* proprie notat; poſtea ad fortunam, & ſpecialiſſime ad *opes, facultates* transfertur. Unde Heb. הון reſpondet in Thargum, *Pſalm.* 112. 3. *Proverb.* 28. 8. eſt hæc ſignificatio vel Metonymica, vel petita ab Arabibus, quibus نزل eſt *copia, donum, proventus*.

d. Habent denique cum Bibliis commune etiam עשר unde רעת כלי עשר כרגלים בלא מנעלים: *Scientia ſine divitiis, eſt inſtar pedum ſine calceis.*

V. Poſterioris *generis nummos, & rem nummariam proxime attingunt.*

Huc pertinent 1. Nomina *monetam* ſignificantia, ut ſunt a. מטבע ab *imprimendo*, infigendo ſic dicta. b. זוז *Zuz*, quæ tamen Synecdochica eſt ſignificatio, inde deducta, שזז מזה וניתן לזה *quia recedit ab hoc, & illi datur*. c. מניטין מונטה *Moneta*; ſed hoc Latinum eſt. d. סלע *Sela*; ut in illo יוצאה בסלע שעל הציניה *Egreditur* (mulier in Sabbatho) *cum nummo impoſito plagæ*, puſtula ſcil. ſub pede. Ubi per סלע Gloſſa intelligit; מטבע חיש בה צ־רה: *Moneta, quæ figuram habet*. e. דינר *Denarius*: ut רב דינרי הוי ליה *Multum pecuniæ erat ipſi*. f. מעין *Oboli*; ut מעות רעות *reprobi Oboli*, böſe Münk. Chald. רצדקתא *Moneta Eleemoſynæ*. g. כסף *Argenteum*; Meton. *pecunia*, Gen. 31. 15. 42. 28. 2. Variæ *nummorum ſpecies*, de quibus alii prolixe; Ex *Judæis* quidem auth. Schalſch. Hakk. *pag.* 88. Pluresque alii, quorum ibidem ille meminit; ex *Chriſtianis Waſerus, Schikhardus, Waltonus, Arias Montan. Kircherius, Villalpand.* A. Eſt שקל *ſiclus*, a שקל *ponderavit, appendit, libravit*; Unde jam שקל nomen, quod vel *abſolute* ſumitur, vel *attributive*. *Abſolute* eſt moneta certi ponderis, & omnium ponderum regula, ſicut Græcis dicitur *ςατὴρ ab ἱςάναι*. Pondo autem dedit nummo illi nomen, quia veterum nummorum examen fuit non in numero, ſed in pondere. De pondere ante legem latam nihil certi videtur erui poſſe: Poſtea pro ut ſiclus vel ſacer fuit habitus, vel profanus, ita etiam vel major vel minor definiebatur. Generaliter alias ei tribuitur pondo ſtateræ, ſemunciæ, ſeu quatuor זוזים *drachmarum Atticarum*, דינרין *Denariorum Romanorum*, aut זהובים *aureorum Hungaricorum*. *Attributive* vero שקל cum numeris uſurpatur tripliciter. I. Ut numeratum argentum vel aurum addatur. *Gen.* 23. *v.* 16. וישקל *Et ponderavit Abraham Ephroni* את הכסף *argentum*, nempe ארבע מאות שקל כסף *quadringentos aureos*, quod alii de ſacrorum, alii de profanorum ſiclorum intelligunt pondere. Illi 200. Joachimicos ponunt, ut *Schindl.* alii 100. ut *Buxtorf.* II. Numeratum Metallum non adjungitur; & tunc ſemper כסף ſubintelligitur. *Exod.* 30. *illud dabunt omnes, qui tranſeunt per numeros* מהצית שקל *dimidium ſicli* ſcil. argentei i. e. quadrantem Joachimici. Vide *Jus Heb. pag.* 133. Unde *Schalſch. Hakkabb. pag.* 88. b. כסף האמור בתורה הוא השקל וחוא כ׳ מעות וחז״ל הוסיפו שתות ועשאהו במשקל מטבע שנקרא סלע בזמן בית שני ומשקלו כ״ד מעורה *Quoties argentum in Lege exprimitur, ſiclum notat i. e.* 20. (ſic enim corrigi debet) *Obolos. Addiderunt autem ſapientes noſtri ſextam partem, ut reſponderet monetæ, cui tempore Templi ſecundi, nomen Selah, cujus pondo* 24. *oboli.* III. Expreſſo cum numeris numerato argento vel auro שקל Siclus intelligitur. *Gen.* 20. 16. *Dedi* אלף כסף *mille argenteos fratri tuo* i. e. mille Siclos argenti, 500. Joachimicos. Diſtinguebatur autem Siclus I. Ratione *uſus* & *pretii* in *Sacrum* & *profanum*. *Illum* Hebræi vocant. שקל הקדש, conſtabatque apud Hebræos עשרים גרה viginti Gera; Chaldæos totidem מעין, qui faciebant 4. Drachmas Atticas. Unde & *τετραδράχμον* appellarunt. Ejus valor deſcribitur, *Exod.* 30. *v.* 13. *Num.* 3. 47. *Profanus* dicitur שקל של חול *communis*, vulgaris; item שקל המדינה *Provincialis*. שקל המלך *Siclus regius*. Pondere ad dimidium tantum ſicli ſacri pertigiſſe hactenus creditum eſt. Negat tamen *Villal.* hoc diſcrimen ex Scriptura probari poſſe, in Rabbinorum cerebro natum *Appar. urb. ac Templ. Par.* 2. de Ponderib. ex Num. *l.* 2. Diſp. 4. c. 28. II. Ratione *Efficientis* vel *communis*; ut cum mentio fit סלעים ירושלמיות *Siclorum* (poſtea enim audiemus,

mus, שקל idem esse quod סלע) *Hyerosolymitanorum*; vel *proprii*. Sic mentio fit *Sicli Davidici*, *Solomonici*; imo etiam סלע נרונית *Sicli Neronici*. III. Ratione *subjecti* loci, & personarum. Unde alius Siclus est *Judæorum*, de quo *Waser*. Tract. de Num. Heb. *p.* 58. alius *Ægyptiorum* & *Pesarum pag.* 83. qui Siclo Hebraico didrachmo fuit minor. *Synonyma* ejus sunt vel *Chaldaica* ut חקלא & מחקלא literis ש & ח pro more inter se permutatis; vel *Thalmudico-Chaldaica*, ut סלע, de quo tritum Rabbinorum: שקל האמור בתורה נקרא סלע במשנה *Siclus in Lege*, *vocatur Selah in Mischna*, δευτερώσει. Schalsch Hakkabb. *pag.* 89. Quanquam inter שקל & סלע alibi videatur discrimen. Talmudici: עין יפה בסלע עין רעה בשקל בינוניהא ברגיא *Oculus pulcher in Selah* (observatur) *malus in Siclo*, *medius in tridrachmo*. Id est; liberalis tetraerachmum dedit, avarus siclum communem, medius tres quadrantes. Nempe *vel* discrimen demum sub templo secundo inter duo illa monetarum genera est introductum, *vel* סלע pro Sacro Siclo a Judæis sumitur, ut fuse monstrat doctissimus *Waserus* de Antiq. Num. Heb. *p.* 99. & deinceps; & ex lib. *Chinn.* Schalsch. Hakkabb. *pag.* c. observat; כל המשקלים האמורים בדיני ערכים הם שקלי הקדש וידענו בקבלה שהוא משקל ש"כ גרעינין של שעורה מכסף צרוף וכבר הוסיפו עליו הז"ל ועשו משקלו כמשקל המטבע הנקרא סלע בזמן בית שני שהוא משקל שכ"ד שעורות בינוניות וסלע זה אמרו שהוא ד' מעין המעה היא הנקרא בימי מר"עה גרה וכן תרגם אנקלוס גרה דרה מעה ומשקלה י"ו שעורות: *Omnia pondera*, *quorum fit mentio in judiciis æstimationum*, *sunt pondera sacra. Novimus autem per traditionem*, *esse pondo* 320. *granorum hordei*, *argenti defæcati: Addentes vero sapientes nostri*, *p. m. fecerunt ut pondo ejus responderet monetæ cui nomen Selah*, *tempore templi secundi: estque pondo* 324. *granorum hordeaceorum intermediorum*. *Selah dicunt constare* 4. *denariis*; *Denarium* 6. *Obolis: obolum tempore Mosis Magistri nostri*, *p. m. fuisse appellatum Gerah. Atque sic etiam interpretatur Onkelosus Gerah per Maah*, *cujus pondus est* 16. *granorum hordeaceorum*. Et paulo sup. הסלע בזמן בית שני שקל ש"פר שעורות בינוניות *Selah*, *tempore templi secundi pondo* 384. (ita error supra, ubi 324. corrigendus) *granorum hordeaceorum mediocrium*. *Ralbag:* שקלים הם סלעים והסלע הוא ש"פר גרגירי שעורה מכסף נקי *Sicli sunt Selah*; *estque Selah pondo* 384. *granorum ex puro argento*. Ut autem Siclus cynosura erat, ad quam reliqui nummi examinabantur, ita idem ille proportionatam divisionem in partes admittebat. Unde habebant Semisses, Trientes, quadrantes. *Semissis*, sive Semisiclus Hebraice dicitur vel בקע *Gen.* 24. 21. *Exod.* 38. 26. vel חצי, aut מחצית שקל dimidius Siclus, *Exod.* 30. 13. 15. *Trientis* mentio fit *Nehem.* 10. *v.* 32. Ob necessitatem ædificiorum exacti *Quadrantem* Hebræi רבע vocant, cujus expressa mentio: *1. Sam.* 9. 8. ubi scribitur, famulum רבע שקל כסף *quadrantem Sicli argentei* in manu habuisse, ut eum viro Dei offerret, quod viam ad inveniendas asinas ei monstraret. Æquivalebat זוז vel זוזא, de quo jam.

B. זוז vel זוזא Chaldæorum & Syrorum vox, vel generaliter notat *pecuniam*, prout Germanis minime insolens est nomen denariorum, aureorum, bazionum, generaliter exprimere nummos; vel certam speciem, nempe, ut *Elias* expllcat רבע שקל הכסף *quadrantem Sicli argentei*. Unde *Kimchius* השקל ארבעה זוזיא *Siclus est quatuor Zuzim*. Hunc nummum *Cl. Waser. cap.* 20. cum Denario Romanorum, & Drachma Atticorum confert. Certe pro voce δραχμή, *Luc.* 15. 8. 9. Syrus habet זוזא. Pondere suo continebat 5. מעות *sive obolos* Hebraicos, qui sex obolis Atticis valore suo pares erant: quod ei pondo in Thalmude hinc inde tribuitur.

C. גרה *Gera*, usitatus in facris literis nummus. Æstimatur omnium fere Hebræorum judicio pondere 17. granorum hordei. Ita *Levi Ben Gersom*; *R. Jechajas*. At *Rambam* מעה שהיה בימי מר"עה גרה היא יו שעורות *Maah*, *quæ tempore Mosi Magistri nostri*, *p. m. vocabatur Gerab*, *constat* 16. *hordeis* (granis hordeaceis:) Ita in *Schalschel. Hakkabb. pag.* 88. 6. & 89. גרה נקרא בגמרא דנקא וכן נקרא בערבי והוא משקל ב' גרגירי חטה בינונית *Gerab vocatur in Gemara Dinka*; & *sic dicitur Arabice*; estque *pondo duorum granorum triticeorum mediocrium*. דנקא Arab. دانق Sexta pars Tȣ درهم seu Kiratia duo a Persico دانك *Danc*; in omnibus linguis a minuta forma, & vili pretio deducitur. Heb. vel a גרגרים *granis* desumunt, quod videlicet pondere minutissimorum Gerah æstimaretur; vel a גרר quatenus *recidere* significat aut *concidere*, ac si rem concisam, recisam, h. e. minutam argenti, unde hic nummus cusus fuit, portiunculam dicas. Arab. a دنق *Minutias rerum sectatus fuit*, *obolatim numeravit*. Accedit ad *Album*.

D. מעא & מעה voces Chaldæis Paraphrastis usitatæ. Respondent Heb. גרה & המעה היא הנקרא בימי מר"עה: unde אגורה גרה

גרה *Ma diebus Mosis Magistri nostri b. m. erat Gera & Rambam* in Maas. Haschenit סלע continet quatuor דינרים *Denarios*: Denarius sex מעין *obolos*; מעה quatuor אסרים *assaria*.

E. דינר *Denarius*. Vox hæc apud Hebræos varie accipitur. 1. Pro quolibet nummo meliori, post Siclum. 2. Pro nummo aureo vel argeneto. כל דינרין בנון אחרי יוד הם של כסף ובלי נון אחרי יוד הם של זהב *Denarii cum Nun post Jod, sunt argentei; absque Nun post Jod, aurei*. Si aureus sit, valet 25. denarios argenteos. כל דינר זהב הנזכר במשנה או בריתא הוא כ״ה זוז *Omnis denarius memoratus in Mischna aut Barietha est* 25. *Zuzim*. דינר של כסף אחר מעשרים וחמשה בדינר של זהב *Denarius argenteus est pars* 25. *denarii aurei*. Falso igitur statuit *Elias* זוז & דינר differre materia, adeo ut דינר pro aurea tantum sumatur moneta; ut זוז de argentea. Arabibus vox دينار ita nota est, Hebræis non item, prout درهم *nummus argenteus*. De valore denarii, & respectu ad alias monetas, loquitur author *Schalsch. Hakkabb.* ex aliorum relatione, *pag.* 88. 6. דינר וזוז הכל אחר *Denarius & Zuz unum & idem*; ad denos crucigeros hodiernos reducitur. Et postea ex lib. הפרדס Paradis. כסף הפריון שוה לזוז והוא ה׳ סלעים סלע ד׳ דינרין דינר ו׳ מעות מעה ב׳ פנדיוני׳ פנדיון ב׳ מוסימוסין מוסימוס ב׳ קונטריקון קונטריקון ב׳ פרוטות פרוטה חצי שעורה כסף זוז היא הפרוטה שאמרו ח״זל שהיא א׳ משמנה לאיסר האיטלקי *Pretium redemtionis accedit ad* 30. *Zuz, quod facit* 5. *Seblas; Selab* 4. *denarios* (argenteos nam בבנין הבית זהוב הוא דינר *Tempore extructi templi aureus dicebatur Denarius* (*Denarius* 6. *obolos; obolus duo Pondion*) est etiam oboli species, quem alias *Majem.* appellat חצי זוז dimidium Zuz) *Pondion duo Assaria, assarium duo Mosimosin*, (semisses) *Mosimos duos quadrantes; quadrans duas Perutas, Peruta dimidium granum hordeaceum argenti. Atque hæc illa est Peruta, de qua sapientes nostri, p. m. quod sit octava pars Assis Italici*.

F. דרכון vel דרכמון vel דארכון *Darcon, Darcemon, Adarcon*. Vox est ἔγγραφος, 1. *Paral.* XXIX. 7. *Esd.* 2. 69. expresse posita; de origine tamen ejus disceptatur. Darcon vel Darcemon dici vult *Brerewordus*, quasi Darii imagine signatus, vide *Apparat. Bibl.* πολυγλ. *p.* 31. de Ponderibus, &c. Atque sic Dracmon idem erit quod *Daricus*. Judæi agnoscunt monetam Persicam, Græcis favet affinitas cum voce δαρχμὴ, vel δραχμὴ. Quid si a Persis ad Judæos pariter & Græcos manasse dicamus, præsertim cum posterioris ævi Scriptores ejus demum meminerint? Communi quidem eruditorum calculo nummi hujus usus assignatur Davidis etiam ætati, argumento loci 1. *Paral.* XXIX. 7. ubi mentio Drachmarum myriadis: quia vero liber *Esræ* tributus, imperantibus Persis scriptus fuit, Persarum etiam pretium & æstimationem retinuisse videtur. Persis certe usitatum est درم *Hebr.* דרכמון, *Arab.* درهم general. *nummus*: special. *numisma argenteum*, qualia 20. (subinde 25.) valebant دينار *denarium*. Unde مدرهم *pecuniosus*; & درهم *folia nummis similia produxit malva*. Postea, idest, post exilium Babylonicum, numisma hoc usitatum fuisse, mirum est, reperiri qui negent, cum antea vix videatur usurpatum, & sequioris ævi scriptores ejus expresse meminerint. In *Talmud* Cod. מצרפין שקלין לדרבונות מפני משוי הדרך: *Conflabant siclos in Darbinoth* (sic vitiose Hebræi sæpe scripserunt) *propter onus viæ*; Glossa habet דרבון היה בו שני סלעים ואמר שמצרפין אותן השקלין שהם הכסף בדינרי זהב כדי שיקל משאם: *Derbon continebat duos Selahim, dicitque quod conflati fuerint isti sicli, qui fuerunt ex argento, in nummos aureos, ut levius fieret onus ipsorum*. De pondere etiam alii consentiunt. R. *Obadias* in *Schalsc. p.* 89. דרכון והוא שני סלעים שוה י׳ יוליאי *Darcon æquivalet duobus Selahim, qui faciunt* 10. *Julios*. Mutatio apud Judæos facta facilius conceditur, quia eadem & Græcis placuit. Drachmam certe appellarunt, quod tot oboli τῶν δράκα *pugillum* & manum complerent (ut *Eustathius* in *Homerum* observat) respondebatque proxime denario Romano, qui tantum continuit auri, quantum aureus Hungaricus. Reliqui vero Orientales, *Persæ* præsertim & *Arabes* Drachmarum nomen argenteis nummis constanter reservarunt; nisi quod postea obolus etiam æneus ita dici cœperit. Vide Clariss. *Waser. lib.* 2. *cap.* 16. Puto, hanc monetæ speciem normam non minus fuisse cæterorum nummorum argenteorum apud Persas, quam שקל apud Hebræos, quod proinde etiam, ut hoc ponderis nomen est, 12. قراريط *Ceratiorum*.

G. אסר *Assar, assarium, assis*; Nummus minutus, Syris & Rabbinis non infrequens. Argenteus fuit, tantum pendens, quantum pendunt quatuor grana hordei; unde מטבע קטנה *moneta parva*, appellatur. Prout & assis denarii tantum dextantem, hoc est, decimam partem constituerat, adeo ut deni asses denarium facerent. Hujus numismatis mentio fit,

Matth.

Matth. 10. 29. Ubi proverbialiter ſumitur, ut & alias apud Hebræos, pro *re minima*. Vide Lex *Talmud. Buxt. p.* 175. *Tremell.* ad loc. *Matth. Waſer. l.* 1. *cap.* 23. Æſtimium ejus ex mente Hebræorum ſupra dedimus, nempe duorum מוסמסין *Moſmeſin*.

H. פרוטה *Peruta*, vel *Pruta*; nummus viliſſimus, fragmentum aſſis אחד משמונה באיסר האיטלקי *æquivalens octavæ parti. Aſſarii Italici*. Et *Maim. cap.* 1. Hil. Schekal. פרוטה חצי שעורה *Pruta eſt dimidii grani hordeacei* (ponderis.) Idem Judicium de eo, aliorum eſt Rabbinorum, *Schalſch. Hakk. p.* 88. *b.* 89. a. Hebræi æquivalentem nummum ponunt Aſperum Turcicum. *Jore deah num.* 294. *S.* 6. פרוטה היא אחד מל"ב במעה כסף שהיא אש"פירו אוטמאני ששוקל יו' גרעיני שעורה: *Pruta eſt nummulus unus ex triginta duobus nummi argentei; Aſperi videlicet Ottomannici, qui ponderat ſexdecim grana hordei*. וזו היא הפרוטה שאמרו ח"ז שהיא משמנה לאיסר האיטלקי: *Eſt autem Pruta nummus, de quo dicunt ſapientes noſtri, p. m. quod octavam conſtituerit partem aſſis Italici*. Schalſch. Hakk. *pag.* 886. quod juxta Gloſſam Talmudicam intelligi debet, de פרוטה של נחשת *Pruta ærea*. Alias פרוטות de nummis æreis vel cupreis ſumunt Hebræi, & quidem de talibus, דליכא עליהו צורתא *in quibus nulla figura eſt impreſſa*.

I. שמין & שמון Syr. שמונא Nummulus Hebræorum antiquus, ſed minutus æreus, teruncius: Græce, λεπτὸν vocatur, *Marc.* XII. *verſ.* 42. & κοδράντης quadrans, *Matth.* V. 26. De pretio ejus R. *Schimeon ben Gamaliel*, dixit שלשה הררסין למעה שני הניצין להררס שני שימונין להניץ שתי פרוטות לשמין נמצא פרוטה אחת משש‍ה באיסר האיטלקי: *Tres hadreſin conſtituunt Maam, duo hanizin conſtituunt unum hadres, duo Scheminin conſtituunt unum hanitz, duo pruthot conſtituunt unum Schemin: Sic invenitur, quod pruta eſt una de ſex partibus aſſarii Italici*. Hæc Gemara. Supra tamen habuimus Prutam reduci ad unam octavam Iſſar, ſeu Aſſarii Italici. Nempe, inter ipſos Talmudicos de valore Prutæ erat diſputatio, quandoque ille augebatur, quandoque minuebatur. Hinc, juxta duplicem ejus ſupputationem, fuit vel octonarius, vel ſextarius Aſſarii. Unde nomen habeat, non ſatis conſtat. Clariſs. *Waſ. lib.* 2. *pag.* 206. *In ſpecie quodlibet eorum* (פרוטות) שמינא Arab. שומנת *dictum fuit ab Hebr.* שמונה vel שמיני *octo vel octavus, &c. tanquam dicas octonarium, a numero octonario, ut denarius a denario dicebatur Romanis, a denis videl. aſſibus*. Clar. *Buxt.* Lex Talmud. *Idcirco etiam* שמון *ut in Aruch ſcribitur, vel* שמין *ut Gemara ſcribit, vel* שמונא *ut Syrus habet, non eſt vocabulum ab Hebraico* שמונה *octo, derivatum, quod octo tales nummi unum integrum conſtituerint, ſed eſt ex nominibus, quæ tunc in uſu fuerunt, quorum certa originatio non habetur*. Cum aſſe vel aſſario quidam confundunt, quæ ſententia Clariſs. *de Dieu* ita placuit, ut erroris arguerit eo nomine *Tremellium* 1. *Erratum, inquit, videtur in commentario, quod Aſſir dixerit continere* 8. פרוטות *quum potius Aſſis &* פרוטה *idem fuerint*. Fatetur Aſſir id ipſum eſſe, quod *Matth.* X. 29. ἀσσάριον dicitur. *Ubi, proculdubio, exiguus nummulus intelligitur, cum duo paſſerculi dicuntur venire Aſſarin* Ἀσσάριον καὶ λεπτὸν ἔν εἰσι, *citatur ex Heſychio a Scalig. de re nummaria. Secundum Heſychium ergo duo* λεπτὰ, *quæ mulier injecit, duo ſunt Aſſaria*. Sed malim *Tremellii* relinqui notam ſartam & tectam, ex communi Judæorum traditione petitam, quæ, ut ſupra monuimus, vult, λεπτὸν ſive Schemunah, eſſe octavam demum partem Aſſarii. Unde & δύο λεπτὰ *Marcus* aſſerit idem eſſe, quod eſt Κοδράντης. Quadrans ſc. Romanus, qui quarta pars aſſis fuit, quem triuncem *Plinius*, & teruncium *Cicero* a tribus unciis appellant, qui primum ære cuſus fuit ab Imperatoribus, tum vero & plumbo. Pro *Tremell.* facit *Waſer. de Num. p.* 106. b. Et Clariſs. *Buxtorf.* Lex Talmud. R. שמן *Hic poſtremus numerus ſi dividatur per* 24. *aſſaria, invenitur unum aſſarium valere octo Prutas: quanquam alii ſex prutas Aſſarium æſtimarint*. Prior tamen ſententia præferenda mihi videtur, tum quod plerorumque nitatur calculo; tum etiam quod omnino exiſtimem שמונה *octavam* appellari partem ſive Aſſarii, ſive alterius monetæ uſualis. Notum eſt ſiclum diviſum eſſe aliquot partibus. Unde שקל, חצי, רבע *Siclus, dimidius; quadrans*, ſive *quarta pars*. Ita & Græci, δράχμα, δίδραχμον. Latinis, Aſſis, Semiſſis, quadrans, teruncius, &c. Accedit, quod quemadmodum antea Græcorum Perſarumque Judæis nummi adeo fuerint uſitati, ut Siclorum nomen pene evanuerit, ita Romanis, rerum potitis, & Publicanis per Provincias diſtributis, denarii, ceterique nummi Romani in uſu eſſe iiſdem cœperunt.

R. אגורה nummus, itidem minutus, fuit *argenteus*, cujus expreſſa fit mentio 1. *Sam.* II. 36. Æquipollet *Geræ*, ideſt duobus crucigeris Germanicis. R. *Sol.* אגורה ממשקולת עשרים גרה הוא *Agorah ejuſdem ponderis eſt, cujus Gera, quorum viginti Siclum conſtituunt*. Et R. *David* אגורה הוא כמו גרה *Agorah idem eſt, quod Gera*. Alii tamen aliter. Arabs habet مثقال

فضة

فضة *ſiclum argenteum*. Syr. [Syriac] *nummulus argenteus*. LXX. ὀβολὸν ἀργυρὶς; Chald. מעא דכסף *Maa argentea*. Nummus ſic dictus vel ab אגר Heb. *colligendo*; vel אגר *conducendo*. Nummo enim mercenarii auctorari ſolent.

L. קשיטה *Agnus*, vel *agna* proprie. Occurrit. *Gen.* XXXIII. 19. *Hoſ.* XXIV. 32. *Job.* XLII. 11. I. Locum LXX. vertunt ἑκατὸν ἀμνῶν; *Samarit.* uterque קשיטה Syr. [Syriac] *Centum ovibus*: Ita *Arabs* بما نعجة Chald. במאה חורפן *Centum agnis*. Unde nonnulli colligunt, Patriarcham Jacobum, cum portione illa agri, centum agnos vel agnas permutaſſe, cum tritum fuerit illis temporibus, ante pecuniæ uſum excogitatum, negotiationem pecudum permutatione exercere. Alii vero nummos, quibus agnorum ſive ovium inſculpta fuit figura, intelligunt; quibuſcum & nos facimus. Rationes 1. *Act.* VII. 16. expreſſe legitur, ὁ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρὶς *Emerat Abraham pretio argenti*. 2. Ex πραγματέια, & vitæ genere paſtoritio Jacobi. 3. Ex generali pecuniæ notione, quæ eſt aut a *pecudum* imaginibus pecuniæ impreſſis, ant a pelle, ſive corio earum, e quibus pecunia procuſa. 4. Ab exemplo aliorum etiam populorum, qui a figuris, nummis impreſſis nomina iiſdem impoſuerunt. Hinc Athenienſes & Romani boves & oves; Argivi lupos; Cephalenes & Theſſali habent equos. Hodie etiam noti ſunt in Helvetia *Corvi*, *Urſati*, Baken. &c. 5. Conſenſus Hebræorum quibus מטבע eſt מין מטבע *ſpecies monetæ*. 6. Uſus apud Talmud. כשהלכתי לאפריקי היו קורין למעה קשיטא למאי נפקא מנאי לפרושי מאה קשיטה דאוריתא: *Quando iter feci in Africam, audivi quod Maam vocarint Keſitah: Quid inde fructus provenit? ad explicandum id, quod in Lege dicitur:* Centum קשיטה i. e. Nummi. Vide *Bereſch. Rabb.* §. 79. *in fine*.

Sunt alia quædam nomina, Barbara tamen, & a barbaris mutuata; quæ ſuis exprimit nominibus *Waſerus* noſter, doctiſſimo ſuo de Nummis Hebræorum ſcripto, *lib.* II. *cap.* 24. quorum quædam jam adduximus, cætera obſcuritate ſua curſum ſiſtere non debent. Conferentiam, quæ de Hebr. Nummis habet *Ligtf.* Hor. Heb. *Cornel. a Lapid.* ſin Pentateuch.

V. *Atque hæc de voce; accedimus ad rem ipſam, in qua potiſſimum veniunt cauſæ examinandæ, tam externæ, Efficiens & Finis, tum internæ, Materia & Forma.*

VI. *Efficiens vel eſt communis, vel ſingularis.*

VII. *Communis nomine Statum intelligimus, cujus autoritate nummi ſunt cuſi.*

Sic E. G. habuerunt Judæi Nummos I. *Domeſticos*, i. e. domi cuſos, ſub ſtatu Theocratico, Ariſtocratico & Monarchico, ut poſtea ex inſcriptionibus, probabimus. II. De *Samaritanis* nihil quidem dubitamus; ſed utrum aliqui ex archetypis, Samaritice notatis, vindicari iis poſſint, nihil occurrit definire. Sed neque de origine hujus juris quidquam certi habemus; aut quum tamen ſatis, & inter Patriarchas uſitatum fuiſſe, alii probandum ſuſceperunt; *Villalpand. loc. cit. pag.* 387. Lamecho tribuit; diu etiam duravit, ad excidium uſque, & Templi ſecundi deſtructionem, ceu probat *Selden. de jure Gent. pag.* 224. *Waſ. de Num. Heb. p.* 66. III. Locum tandem Judæi dederunt nummis tam Chriſtianorum, quam Gentilium. De *Chriſtianorum* Principum nummis notum eſt illud ex *Toſeph. Abbod. Zar.* מטבעות שלנו שיש בהן צורת עבודה זרה שחי וערב שרו: *Numiſmata, quibus utimur, figuris cultus extranei ſtaminis & ſubtegminis* (ita ob analogiam crucem appellant) *inſignitis illicita non ſunt*. *Gentilium* vero numiſmata Hebræis fuiſſe uſitata, probatur ex Hiſtoria Evangelica, *Matth.* XXII. *verſ.* 17. mentio fit *numiſmatis cenſus*, cui *Marc.* XII. 14. *denarii* nomen: de quo quidem variæ ſunt autorum ſententiæ. *Baronius* an. Ch. 34. ſcribit: *Moris fuit apud Romanos, ut Numiſmata pro ratione tributi vel cenſus ab Imperatoribus cuderentur, nec uno ſemper modo eadem permanerent, ſed numiſmata tributorum a cæteris uſualis pecuniæ nummis in eo differrent, quod iſtorum pretium ſemper idem eſſet. Numiſmata vero cenſus* vel *tributi; cum mutaretur tributi quantitas, eadem ad rationem tributi noviter formaretur.* Accedit ei *Lucas Brugenſis* ad *Matth.* 22. qui vult, denarium fuiſſe ipſum tributi capitationis tunc modum. Facit cum iis *Camdenus*, autoritate *Heſychii* deceptus, qui Κῆνσον εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίε interpretatur. *Alii* tamen exiſtimant, fuiſſe Siclos, qui honoris cauſa, Judæis eſſent relicti. *Alii* denique ſimpliciter cenſus nummo nihil aliud intelligunt, quam id genus nummi, quo capitationis exactioni ſatisfieret, non certum & ſolutionibus peculiariter deſtinatum; ſed qualecunque, quod tributi nomine ſolvi poſſet. *Selden. lib. cit. p.* 225. *Numiſma cenſus a Romanis cuſum eſt, atque autoritate Cæſarea, Cæſariſque imagine inſignitum, eaque, juxta cudendi morem, protuberantiore.* Atque hæc ſententia tutiſſima eſt. 1. Quia duæ priores difficultatibus, laborant. 2. Quia verba Chriſti nihil aliud volunt, quam quod illud,

quod ex censu in tributum darent, census appellaretur, atque adeo pecunia quælibet, sive grandis ea esset, sive pauca. 3. Quia tales nummi censuales, distincti nunquam fuerunt reperti. Quia statim infinitos in orbe oportuisset haberi. 5. *Baronii* fundamentum petitum est ab instituto demum Alexandri Severi, adeoque ævo multo recentiori. *6.* Accedit consensus virorum magnorum *Lipsii*, *Freheri*, *Casauboni*, *Salmasii*, *Selden. lib. cit. pag.* 759. Alterum etiam afferunt nummum *Matth.* 26. *vers.* 15. *Penderunt ei* τριάκοντα ἀργύρια *triginta argenteos* scil. nummos. Gentilem fuisse nummum quidam duplici argumento probare conantur. 1. Ex antiquariorum scriniis, ubi ostendunt nummos Rhodios, quibus venditum esse Servatorem, traditio habet. Duo cumprimis celebrantur, *alter* Romæ, in Æde S. Crucis in Hierusalem; *alter* Parisiis in Ædæ S. Johannis Lateranesis. *Rhodii* vocabantur, ab Insula Rhodo, & inscriptione, ἔκτυπα hujus nummi hinc inde habentur; vidi Tiguri in Bibliotheca Civica, argentea, &c. Æri incisa habet, *Selden. lib. cit. p.* 229. *Waser. de Num. p.* 2. ἔκτυπον, & nos habemus ex D. *Feschii* Cheimeliotheca, quod a Seldenianis differt omnibus (Tab. VI. *num.* 2.) Autoritate eruditorum, *Baronii*, *Octavii Pancirolli*, *&c.* Alii limitant. Existimant nempe, aliquos tantum fuisse Rhodios; vel pretio, non figura, Rhodios. Alii prorsus negant Rhodios fuisse; Siclos Judaicos præferentes. 1. Ἀργύρια & Sicli sunt æquipollentia. 2. Quia Judæi suum adhuc tum temporis retinebant jus cudendi monetas. 3. Quia Græci fuerunt nummi, non Latini, Rhodii, minus proinde usitati. 4. Suspecti sunt antiquariis, ipsis etiam Romano-Pontificis. Certe fraudem subodoratus fuit *Antonius Augustinus*, Episcopus Taraconensis. Plures habet rationes *Waser. l. c. p. 66.* & deinceps. Satis sit, nomine ἀργυρίων absolute positorum Siclos intelligi. Vide supra *pag.* 89. *coll.* cum *Was. pag.* 64.

VIII. *Singularis nomine intelligimus certas personas, quibus vel cudendi monetas jus tribuitur, vel a quibus nummi illi denominantur.*

Sic 1. Judæi *Bereschb. Rabb. sect.* 39. ארבעה הם שיצא להם מוניטון בעולם: *Quatuor sunt, quorum moneta in mundum exiit, Abraham, Josua, David.* De Abrahamo, vide *Smeg. Orient. p.* 301. De Mardochæo infra, ubi de forma agendum: Jacobo etiam jus asserere videntur חורפן sive agni, de quibus supra: quanquam multis, sed non sufficientibus hanc impugnet sententiam verbis *Villal. l. c. pag.* 389. Sic meminerunt Talmudici דינרא חדרינא *Denarii Adriani*; דינרא טריינא *Denarii Trajani*; סלע נרונית *Sicli Neroniani*, *&c.* Placet, quæ de singularibus ejusdem nummis antehac celeberrimus quidam Antiquarius, Epistola familiari mecum communicavit; inserere. Accepi jam pridem editum a te novissime libellum argumenti rarioris & jucundioris de Cippis Hebræorum vetusti alicujus Hebræi, eruditis notis tuis illustratum, & aliquot locupletatum dissertationibus, de Nummis Hebræo-Samaritanis aliisque similibus Orientalibus. Quibus & Syllabum præmisisti doctissimarum editarum hucusque lucubrationum tuarum, quæ mire grata fuere omnia: Accepi quoque diebus his a N. N. icones cipporum & Numismatum libello inserendas, pro quibus gratias habeo ingentes: Et quia forte ad manus erat Nummus Salomonis argenteus missa quoque Tabella expressus, inter alia similia Lugduno missus mihi, cum jam extaret in alveolis meis, loco ἀντὶ δώρου eundem ad te mittere constitui, forte noctuam Athenas, ut ut vero, æqui bonique consulas rogo. De hujus autem Nummi veritate & autenticitate, ut ita loquar, nihil adhuc certi habeo & solidi: Dubium faciunt. I. Litera non Samaritana, sed nova quadrata, qui Nummi nescio sufficiens an inveniant testimonium in antiquitate, vel si inveniunt an literæ ejus ea sit antiquitas? II. Pondus drachmale, quod Denarium indicat Romanum: III. Facies, quæ M. Antonium accurate refert; Denique Corona Radiata; quod Coronæ genus an tempore Regis Salomonis jam fuerit in usu, valde ambigo, aut si fuit apud gentes, non verisimile tamen, Regem illum divinis adeo præceptis eruditum ei superstitioni paganæ, quam indicat illud coronæ genus, dare locum voluisse. Initium enim suum (paulo hæc ut repetam altius) nomenque ducit radiatum hocce coronæ genus ab ipso sole cujus Augustum caput (ut ludit, *Martianus Capella* in nupt. Philol. lib. 1.) radiis perfusum circumactumque flammantibus, velut auratam cæsariem, rutili verticis imitatur. Hinc in Deum cooptato Sole, ac specie humana, pro more, effigiato, caput ejus radiis ceu coronamento naturali redimitum dedit antiquitas: testes Nummi Græci, præsertim Rhodii a Colosso suo, Romani, Consulares, Augustales, ad Imperatores usque Christianos. Ad imitationem splendoris hujus cælestis solaris, & divinæ ejusdem imaginis, Reges quoque terreni, ceu Solis progenies, ut eleganter *Paschalius* in Tract. de Coronis, ut se redderent augustiores ca-

pita

pita sua, cum non possent ipsamet luce cœlesti, at ejus imitamentis, & effigie radiorum circumdederunt, e laminis, inquam, aureis ejusmodi gemmatis contexta corona, unde ad occursum Solis, ceu ex luce ipsa radii emicarent; Unde *Ovid.* 2. Metamorph. *Circum caput omne micantes*, *Deposuit radios*. Sic Regem Latinum coronatum inducit *Virgil. Æn.* XII.

> *Ingenti mole Latinus*
> *Quadrijugo vehitur curru; cui tempora circum*
> *Aurati bis sex radii fulgentia cingunt*
> *Solis Avi specimen.*

Quo coronamento etiam usus Antonius in Nummis, & quidem, quod sciam, primus, apud *Golzium* & *Fulv. Ursinum* rei Nummariæ scriptores, qui se, autore *Dione lib.* 10. Osiridem & Solem; Cleopatram vero suam Lunam & Isidem vocari voluit. Divinum suspicati traditione antiqua diadema hocce radiatum, Principes & Impp. Romani priores, Diisque proprium, religione quadam ab eo abstinuerunt, nec nisi post ἀποθέωσιν, qua recepti inter Divos credebantur, uti titulis, sic & divino hocce coronæ genere condecorati, prout videre in Nummis Julii. Aug. Tib. &c. unde *Plinius* in Panegyr. Trajani; *Horum unum*, inquit, *si præstitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, & media inter Deos sedes*, &c. Nero, ut sacris aliis omnibus, ita & hoc subverso, primus, quod scitur, vivus adhuc in Nummis suis corona usus radiata, Deusque appellari voluit, sicque paulatim profanari & usurpari promiscue ceperunt & vivis & mortuis coronæ radiatæ, prout videre in Nummis Vespasiani, Titi, Domit. & seqq. Impp. Horum vero radiorum (quod animi gratia solum adhuc addam) observationem antiqua & religiosa XII. agnoscunt scriptores prisci, ut videre ex præf. *Virg.* loco & *Artemidoro lib.* 4. *cap.* 11. ubi somnium refert cujusdam, qui sibi videbatur Sol factus; & XI. radiis in forum prodiisse conspicuum: qui exinde præfectus exercitui obierit undecimo Imperii mense, quod perfectum radiorum numerum non habuisset: Cujus etiam meminit *Mart. Capella* lib. 2. de Nupt. Philog. totidem in hoc nummo nostro, si recte dimetiamur, comparent radii, & in cæteris fere Romanorum Nummis, quotquot hujusmodi capitibus insigniti radiatis. Ut alius si sit, incuria id factum & imperitia sculptorum dicendum. Est sc. numerus hic XII. habitus semper perfectissimus, nec sine mysterio: Hinc XII. signa Zodiaci, menses XII. ut & bis duodenæ diei horæ: In sacris habemus XII. tribus Israel. XII. panes propositionis. XII. gemmas in veste sacerdotis. XII. Christi discipulos, & si quæ hujus generis plura. Hæc inquam inter cætera argumento mihi, Salomoni Nummum hunc, etsi maxime gerat nomen ejus, acceptum ferri non posse, sed vel in gratiam Antonii nomine Salomonis per assentationem ei tributo, vel a posteris demum Romanorum forte præfectis, in memoriam Salomonis & Templi ejusdem procusum: quod apud Romanos frequens erat: Sic in C. Marcii Censorini Nummis Consularibus apud *Fulv. Ursinum* capita visuntur & Nomina Regum Romanorum Numæ Pomp. & Anci Marcii. Ancum etiam Regem habeo in Nummo arg. eleganti L. Philippi consulis, qui Reges Annis sexcentis & ultra horum autores Nummorum præiverunt. Alium insuper possideo Nervæ Imp. Numm. in arg. cum inscr. *Divus Nerva* ad caput Nervæ radiatum: altera *Consecratio*. Cum Aquila, qui a Gallieno demum sicque 200. post annis in honorem Nervæ promulgatus, notante quoque *Occone* in suo Indice Numismatum *Roman. fol. m.* 192. & sic alios ab aliis quoque honoratos frequenter videmus. Hæcque ad Nummum Salomonis præsentem, argumentum ne deesset, pluribus tamen quam constitueram adnotare lubuit, tuum erit Vir Clariss. æqui bonique hæc ut consulas. Huic argenteo junxi Hebræum alium, forma maximum, ἔκτυπον plumbeum nonnisi, literas itidem quadratas, quem accipies a N.N. de quo tamen nihil habeo quod adferam, nisi similem, quoad paginæ utriusque, ut ita dicam, Iconem & inscriptionem, quod habeam Æreum, ab alio tamen Archetypo minore paulo, cujus interpretationem tibi committo. Habeo præterea Aureum, Nomine Davidis & filii Salomonis cum Templo, tetradrachmæ pondere, quem refert & explicat *Waserus lib.* 2. *cap.* 5. Itemque argenteum didrachmalem, cum literis, ex una parte Abrahamum & Saram designantibus nomine senis & vetulæ. Ex altera Isaacum & Rebeccam nomine Juvenis & Juvenculæ, quem nullus, quod sciam, recentiorum adhuc vidit, meminerunt ejus Rabbini vestri, teste Clarissimo Dn. *Buxtorfio*. Meminit quoque Nummi Hebræi alterius aurei, *Gabriel Simeon* Florentinus in libello Ital. eleganti, cui Tit. *Illustrazione degli Epitafi e Medaglie antiche*: Regis Davidis, Francisco I. Gall. Q. oblatus, cujus gratia Rex Hebræum quendam Emmanuelem Avenione ad se accersivit, illum ut interpretaretur, erat vero utrinque hæc in-

inſcriptio, notante Simeone: *Non erunt tibi Dii Alieni*, & *ego ſum Deus tuus, qui te eduxi de Ægypto*. Qui autor ibidem Iconem refert Nummi hujus noſtri Salomonis, quem magni æſtimat. Ita inſignis quidam antiquarius, fautor & amicus de nobis præclare meritus, cujus argumenta ex ipſa depromta antiquitate facile effecerint, ut nummo huic νόθέως poſtulato, antiquitatis larva detrahatur prout jam antehac *Villalpandum* de hoc judicaſſe nummo, recentius demum, ab Herode Agrippa, in honorem Marci Antonii, cujus effigiem optime referat, percuſſum; conſtat, quod ipſum tamen jam pridem Doctiſſimo *Schikhardo* diſplicuit; de quo conſul. *Diſſert. de Nummis Heb.* Ego de nummo hoc argenteo (Æneos enim etiam Hieroſolymis, qualem *Fulvius Urſinus Romanus* habuiſſe dicitur, effodi, *Schikh.* obſervavit) ſentio, nullum me hactenus vidiſſe Hebraicis notatum literis, qui certiorem præ ſe ferat, & veriſimiliorem antiquitatis ſpeciem. Non eſt; fateor, ἐπιγραφὴ *Samaritana*; ſed nullam ejus videmus abſolutam neceſſitatem, in nummis præſertim ſacris aut Symbolicis. *Ponderis* ratio ut diverſa fuit, ita nihil antiquitati detrahit, ſive drachmamale fuerit. *Facies* fallax eſt; præſertim æri inciſa. *Coronam radiatam*, etſi extra ſuperſtitionem, non video Judæis abjudicandam. Qui ex Orientalibus de origine coronarum aliquid monuerunt, tradunt, primam accepiſſe Nimrodum, & quidem in cælo oſtenſam (ut ex *Elmac.* & *Patricid.* indicavimus *Smegm. Orient. pag.* 272.) Radis, proculdubio, ſolaribus repreſentatam; quæ poſtea figura Orienti adeo non ignota fuiſſe videtur, ut etiam ſingulos radios, ſive apices radiorum inſtar emicantes, *coronas* appellarint. Notum eſt quoſdam apud Hebræos eſſe אחיות המתיוגות *literas coronatas*, coronis ſive apicibus notatas; ſuntque numero ſeptem nempe ש״ע טנז גץ, quarum quelibet tribus notatur apicibus; literæ tamen ש hoc tribuunt privilegium, quod *ſeptem* habeat ejuſmodi apices, *quod ſepties cadat juſtus, & reſurgat &c.* Harum coronarum ut obſervantiſſimi ſunt judæi in Pentateuchis puris Mſc. in quibus ubique obvii, ita eorum originem ad ipſum referunt Deum, ut ex *Ephodæo* tradit *Buxtorff. Lex. Talm. pag.* 2562. Eædem coronulæ alias זיינין appellantur, quaſi *ornamenta* literarum ab Arab. زين *Ornavi*. Et ut Perſicum cenſetur origine vocabulum, ita primaria & propria ſignificatione *tiarum* notat, Perſis propriam; qualis عما مه eſt Arabum; quæ & تاج العرب Corona Arabica dicitur. Hinc etiam *Perſarum* Rex متتوج vocatur, ut *Arabum* معمم Unde & quatuor ſibi peculiari Dei beneficio obtigiſſe Arabes jactabant, العمايم تيجا نها والخبا حيطا نها والسيوف سيجا نها والشعر ديوانها: *Ut nempe quod aliis coronæ & diademata, hoc Arabibus tiaræ & capitum faſciæ eſſent, quod aliis domus & muri, hoc illis tentoria, quod aliis ſepes, hoc illis gladii, quod aliis libri & pandectæ, hoc illis Poemata ſua præſtarent;* Ita Celeb. D. *Pocokius* ad finem ſui Tograi, nuper admodum cum verſione Arabica *Hugonis Grotii* de veritate Religionis Chriſtianæ editi, & heri demum ipſius mihi nomine cum Proſodia Arabica *Samuelis Clerici*, liberaliter oblati. Orienti, ſatis patet, coronas ejuſmodi radiatas uſitatas fuiſſe, etſi non vel ab eadem origine, vel eodem ſcopo receptas. Quod & numeri & figuræ ſuperſtitio alibi acceſſit, illud vero ſubſtantiæ rei nihil derogat. Omnino exiſtimo, antiquitatis hunc nummum non contemnendæ habere veſtigia; nec Aſſyriacis literis antiquiorem reperiri putem; ſiclis ſaltem, Hebraicis literis notatis, palmam præripit.

Alter ille nummus, cujus ἔκτυπον idem Cl. Vir communicare nobiſcum volui, æri inciſus ad calcem (*Tab.* VI. *num.* I.) rejectus eſt. Inſcriptionem habet ex altera parte: שקל דוד נשאר כלס באוצר ציון בבית המקרש: *Siclus Davidis, abſconditus in Theſauro Zionis, in Æde ſancta*; ex altera vero; יהוה שמר ישראל מלך כבור בירושלם: *Dominus cuſtos Iſraelis, Rex gloriæ Hieroſolymorum*. Sed nihil habet, nec pondus, nec ſtylum, nec artificium ſculptorium, quod antiquitatem videatur ſapere. Argentei didrachmalis, ubi Abrahami & Saræ, Iſaaci & Rebeccæ, cum Epithetis (זקן) & *vetulæ* (וזקנה) *Juvenis* (בחור) & *Juvenculæ* (ובתולה) ἔκτυπον ab eodem ſubminiſtratum in ectyporum tabella expreſſimus. *Tab.* VI. *num.* 3.

IX. *Finis vel ſacer* (a) *eſt & Eccleſiaſticus, vel Politicus* (b) *& civilis; vel* (c) *Kabbaliſticus; vel denique* (d) *Magicus & ſuperſtitioſus*.

a. De quo aliquid actum eſt *Jure Heb. pag.* 139. Inſtitutus nempe erat ſiclus ſacer ad res ſacras ſive Eccleſiaſticas, videlicet ad tabernaculi vel templi ſtructuram & ornatum, ad Sacri Miniſterii apparatum, & perfectionem, ad Numinis propitiationem, ſuique cujuſque redemturam. Profitebantur enim hac Sicli penſione, quot-

quotquot eam præstabant, ceu publico testimonio, Dei peculium se esse, neque alium habere Regem vel Dominum, præter Deum, qui totum se ipsis obstrinxerat, & ideo etiam קרוש ישראל *sanctus* vel *sanctum Israelis* dicebatur: quo ex usu postea כסף הפריום *pecunia redemtionis*, & & כסף הכפורים *pecunia expiationum*, aliisque nominibus est dicta. De hoc siclo quæritur 1. *Cur sic appelletur?* Respondimus jam, *a fine*. Alii tamen a subjecto loco *Villalp. loc. cit. pag.* 399. Ita nuncupatur, quod in sanctuario asservaretur unus atque idem siclus, ad cujus pondus omnes profani sicli exigerentur: prout apud *Jul. Capitolin.* de Maximo Patre scribitur; bibisse illum sæpe die vini Capitolinam amphoram, constat. Propterea enim in Capitolio Jovi sacrabatur amphora, ne a quoquam violaretur. *Walton.* ad Apparat. *pag.* 36. Cum mentio fit in Scripturis sicli sanctuarii, ideo dicitur siclus sanctuarii, quia in sanctuario asservata sunt ponderum & mensurarum exemplaria, hoc enim ad sacerdotum officium pertinebat, ut sint super omne pondus & mensuram, 1. *Chron.* 23. 29. & in Scripturis legimus, non tantum sacra, sed etiam profana Siclo sanctuarii appendi & æstimari. Atque sic *Sanctuarii* siclus aliud nihil est, quam nummus, siclus nomine, ad pondus sive πρωτότυπον in templo asservatum, appensus. II. *Utrum siclus sacer alterum tantum fuerit gravior? Alii* affirmant; negant *alii*. *Illorum* rationes sunt 1. Differentia, sive Character, quo siclus sacer a profano distinguitur. 2. Translatio LXX. Interpretum, qui vel σίκλον reddunt; vel δίδραχμον, quod sicli sacri mediam notat partem. Unde *Joseph. lib.* 3. Ἀρχαιολ. ὁ δὲ Σίκλος, νόμισμα ἑβραῖον ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσαρας, *Siclus, qui est nummus Hebræorum, Atticas capit drachmas quatuor*. 3. Consensus *Hesychii*, qui siclum sacrum appellat τετράδραχμον, Ἀττικὸν νόμισμα, id est *tetradrachmum, nummum Atticum*. 4. Consuetudo Hebræorum. *Schalsch. Hakkabb.* וידענו בקבלה שהוא שקל הקרש משקל ש״כ גרעניך של שעורה כסף צרוף: *Traditione discimus, siclum sanctuarii pendere* 320. *grana hordei in puro argento*. 5. Placuit etiam hæc sententia tum veteribus, *Hieronymo*; tum recentioribus, *Grsepsio*, quem ducem & antesignanum, hujus sententiæ vocat *Villalp. pag.* 397. loc. cit. *Waser. Kircher. &c. Negantium* argumenta sunt 1. Analogia ponderis & ponderati. Integri enim nummi semunciam pendunt. Provocat ad hoc, tanquam validissimum testimonium *Villalp. l. peg.* 397. *Ante aliquot annos appendimus siclum unum apud Fulvium Ursinum, & postmodum eos omnes quos præcedenti capite percensuimus, atque comperimus singulos argenti siclos ex æquo semunciæ Romanæ antiquæ respondere*, i.e. *quatuor drachmis*. 2. Stater Græcorum, sive semuncia Romana constituebant siclum, cujus in quotidiana conversatione, contractibus &c. erat usus: Vide 2. *Reg.* 7. *vers.* 1. & *vers.* 16. 18. 3. Non sacra tantum, sed & profana siclo sanctuarii appenduntur, & æstimantur. 3. Siclus sacer & profanus æstimatur viginti obolis; quod illi pretium adhuc fuit tempore *Hieronymi, lib.* 14. in *Ezech. cap.* 45. 4. Est Rabbinorum recens inventum. *Villalp. p.* 397. qui de re monetaria ambigue admodum loquuntur, modo enim siclum æstimant 320. granis ut ex *Schalsch.* monuimus modo 160. Vide *Jus Hebr. pag.* 134. & quanquam de sacro ille loqui videatur siclo, hic de profano, eundem tamen esse, ex collatione locorum paret. 5. Sicli dimidia pars nunquam vocatur Siclus profanus; sed inscriptionem habet חצית השקל *semi-sicli*. 6. Nullus unquam fuit visus profanus. 7. Vetustissimi scriptores illius non meminerunt. 8. Nihil fere de illo certi refertur, a doctissimis etiam, qui sententiam illam probant, Cl. *Waser.* de *Num. Hebr. pag.* 71. 6. *Hæc de communi siclo didrachmo; qui utrum effigiatus fuerit & quibus lemmatis, vel literis descriptus, si figuras & lemmata habuit, etsi in sacris literis & veterum monumentis non exprimitur, credibile tamen est, primis illis temporibus ante Legem ἄτιμον fuisse*, h.e. *non signatum; sed pondere duntaxat distinctum, non nota, ut Romanos quoque æs primum tale habuisse, supra dixi. Posterioribus deinde seculis, Lege jam lata, & Reipublicæ Israeliticæ forma constituta & confirmata, fieri potuit, ut sicli sacri figuras & lemmata adquisiverit, ita tamen, ut dimidiato pondere levior vel minor esset, quæ unica ratio ad utriusque distinctionem sufficiebat. Quod putant nonnulli magni viri, literam* Aleph *superpositam urnulæ distinctionem facere, illud non satis est. Nam quotquot siclos vidi (vidi autem perplures) ii omnes literam illam eo loci procusam habuerunt: & sacros non profanos fuisse, justum ipsorum atque legitimum pondus, dimidiæ scil. unciæ argenti puri, satis superque docet. Unde aliter distinctos fuisse necessario credi debet*. 8. Omnis æstimatio fiebat secundum siclum sanctuarii. 10. Nemo prudens diversa pondera, vel mensuras intra regnum suum admitteret. 11. Negant rationes, vel ex LXX. Interpretibus, vel *Josepho* promtas, sufficere. Ad LXX. viralem autoritatem varie excipiunt. *Arias Montanus* & *Masius* lapsos illos exi-

sti-

ſtimant in translatione: quod tamen tot locis factum fuiſſe, veriſimile non eſt, *Alii* ad librarios referunt, qui cum viderent literam δ, quæ quatuor ſignificat, drachmæ præpoſitam fuiſſe, inſerto (ι) δίδραχμα formarint: ſed neque hoc eſt probabile. Verior igitur aliis videtur ſententia, quæ vult LXX. verſionem ſuam Alexandriæ ſcripſiſſe, ubi unum drachma par erat duobus Atticis, unde apud eos δίδραχμον idem, quod apud alios τετράδραχμον; nam ut hodie, ita olim monetæ apud varias nationes varium habuere valorem. *Villalp.* poſtquam probaſſet LXX. didrachmo ſiclum intelligere ſanctuarii, concludit *eos*, *cum didrachmum pro ſiclo reddunt*, *non certam habuiſſe exæquandi ponderis rationem*; *ſed potius pro Hebraico alium Græcum ſubſtituere voluiſſe*, *qui illi in eo tantum eſſet ſimilis*, *quod magis in ore*, *& manibus omnium Græcorum didrachmum tunc verſaretur*, *haudſecus quam tetradrachmus ſiclus in oculis ac manibus olim Hebræorum*. Eadem reſponſione *Epiphanii*, *Iſidori*, teſtimonia conciliant. *Qua eadem ratione*, inquit *Villalp. Epiphanius quoque interpretandus eſt*, *qui eorundem LXX. Interpretum verſionem ſtaterem dixit unciæ fuiſſe dimidium*, *habuiſſeque duo didrachma*; *ſiclum vero quadrantem dici*, *quartam unciæ partem*, *dimidium ſtateris*, *habuiſſeque duas drachmas*. *Quod quidem Epiphanii teſtimonium veritati conſonum*, *nobiſque nulla ratione adverſum deprehendetur*, *ſi ubique ſicilicus legatur pro ſiclo*, *ipſeque de ſiciliu Romanorum locutus fuiſſe intelligatur*, *non de Hebræorum ſiclo*. Quod vero pro eo, ubi dicitur, *Cæſaries Abſolomis pendere ſiclos ducentos*, *pondere regio*, LXX. *centum ſiclos* poſuerunt, nolunt referi ad diſcrimen majoris & minoris ſicli. Agnoſcunt enim variam lectionem. In emendatioribus Exemplaribus habetur διακοσίυς σίκλυς; in Complutenſi; *centenarius* reperitur numerus. Quæ ex *Joſepho* proferunt, rejiciunt, tanquam a textu Græco aliena, & Latinorum Interpretum oſcitantia miſere corrupta. Hæc fere ſunt quæ in utramque partem diſputantur, & certe, niſi conſtanti Hebræorum conſuetudini & traditioni aliquid deferatur, poſterioris ſententiæ rationes priori videntur prævalere; præſertim cum *Maimonides* ſuo de ſiclis tractatu non intercedat.

b. De quo uſu *Gen.* 23. *verſ.* 14. 15. 16. ubi mentio כסף עבר לסחר *argenti tranſeuntis ad mercatores*, i. e. probatæ monetæ publicæ. Verbum autem עבר monetæ accommodatum, id proprie ſignificare videtur, quod Italica phraſis, *moneta corrente*, vel *Hiſpana*, *dela monada que corre*, inquit, *Villalp. pag.* 387. German. gangbahre Münz.

c. Reperiuntur tales hinc inde; vidi aliquando *Burgdorfii* in Helvetia nummum apud inſignem Antiquarium, D. *Hortinum*, loci nuper paſtorem νῦν ἐν ἁγίοις, nominibus Dei Kabbaliſticis variegatum, cujus ἔκτυπον, quia jam ad manus non eſt, alia occaſione poterimus communicace.

d. Sant nempe amuleta, Taliſmæ &c. & alia id genus, quibus Oriens ita ſcatet, ut Occidens non pauca κακοζηλία quadam ſua fecerit. Plerique enim tales nummi inſcriptionem habent ex Oriente mutuatam, etſi ſculptorum imperitia male tractatam. Vidi nuper Francofurti nummum aureum, cujus alterum latus verba in peripheria habebat: Effenon, Chad. (קדוש) (אלהי) Saday שדי, San Jacob. alterum vero; *Vincit Leo de tribu Juda*, *Radix David*; utrinque in medio Characteres erant Samaritanis non abſimiles. Cum his nummis magnam habent analogiam pittacia illa, quibus vel ex Veteri, vel Novo Teſtamento inſcripta dicta vulneribus, ictibus, telis opponuntur. Notum eſt Judæorum שמו ש תהלים. Habeo totum *Pſalm.* 67. eum, ut auguror, in finem artificioſiſſime, duriſſimo ſilici, ita inſculptum, ut literæ Hebraicæ protuberent, addita ſigilli Solomonici effigie, quod in Ducali antehac Italiæ Bibliotheca aſſervatum, noſtra ætate in Germaniam fuit illatum, & ab amico mihi quodam ante aliquot annos oblatum. Dignum quod ob ſolam ſculpturæ elegantiam, locum in Bibliotheca illuſtri habeat.

X. *Hæc de cauſis nummorum Hebraicorum externis*: *Internæ ſunt materia & forma*.

X. ב *Materia eſt vel* (a) *aurum vel* (b) *argentum*, *vel* (c) *æs*.

Octo potiſſimum nomina obſervata ſunt, quibus Hebræi, Chaldæi, Syri, aurum appellant; זהב generale; deinde פז vel מופז, כתם, חרוץ vel בצר, סגור, מכתם אופיר, de *Num. Hebr. lib.* 1. *cap.* 6. & deinde. Ex hoc metallo fuſi vel cuſi erant nummi I. זהבים *aurei* proprie ſic dicti, a זכה *aurum*. Ubi tamen notandum, vocem זכה vel γενικῶς, ſumi pro qualibet pecunia, cujuſvis materiæ vel formæ prout nos certam argenti ſummam, ſive argento, ære etiam pendatur, Gülden appellamus. Occurrit hoc ſenſu, 2. *Sam.* 24. 4. *Non agitur mihi cum Saule* לי זהב *de pecunia Eſ.* 46. *verſ.* 6. Prodigunt זכב *aurum* id eſt *pecuniam*. Hoc ſenſu frequens eſt Rabbinis, Græcis etiam, Χρυσῦ λαλῦντος πᾶς ἀπαρκτέιτω λογος, *Auro*, id eſt *pecunia loquente*, *ratio quævis irrita eſt*. Ita

Propter. *Auro pulsa fides, auro venalia jura*, vel ἰδικῶς pro certa monetæ ſpecie, ut in *Pirke Abh* Comparate זהבים *aureos nummos*. Ita *Kimch. Pſalm.* 34. 1. *Midraſch Pſalm.* 37. II. דינרים *Denarii*, qui & argentei eſſe ſolebant, ut ſupra diximus, vel aurei. Aureos enim etiam fuiſſe, extra controverſiam eſt. Qui quidem conſtituunt Ducatum vel abſolute poſiti; vel cum additione זהב ut in *Tharg.* 2. *Reg.* 5. 5. שיתא אלפין דדהב 6000. *denariorum*. Hæc duo, æquipollentia בצר & זהב, ſtatuuntur reſpondere drachmis duabus Atticis. III. Siclos etiam dari aureos id eſt didrachmum aureum, ex 1. *Chron.* 31. 25. obſervat *Brerewood*.

b. Ἐπίσημον cumprimis fuit Tyriorum argentum ἄσημον. Unde *Schalſch. Hakabb. pag.* 89. a. כל כסף האמור בתורה הוא כסף צור כל זוז או פלגא דזוזא הוא דינר צורי כסף צורי הוא הדינר והוא זוז והוא משקל כסף וחצי בקרוב והוא צ״ו גרעיני שעורים: *Omne argentum, cujus mentio fit in lege, eſt argentum Tyrium. Omnis zuz, aut dimidium ejus, eſt denarius Tyrius.* Ἀργύρειον (ſpecies nummi) *eſt denarius, æquipollens Zuzæ; pendens argenteum quaſi* (ſiclum) *cum dimidio, eſtque* 96. *granorum hordeaceorum*. *Talmudici* in Kidduſch. כל כסף האמורה בתורה כסף צורי ושל דבריהם כסף מדינה: *Argentum omne, cujus in Lege fit mentio, intelligitur argentum Tyrium, ſed Rabbinorum argenteum intelligitur commune provinciale*. Ubi R. *Solomo: Tyriorum nummi omnes erant argentei, nulli ærei, argento etiam puriori cudebant nummos* כסף מדינה *abſolute dictum ſumitur pro nummo octonario minimo Tyri argenteo*. Quando dicitur de ſiclo, intelligitur שמיני *octonarius* (nummus valens octavam) ſicli Tyrii: De דינר *denario* intelligitur octonarius denarii, Tyrii. Argentei autem nummi erant 1. Sicli, cum ſuis partibus. 2. Denarii: 3. Drachmæ, ut plurimum. 4. Zuzim. 5. Aſſaria. 6. Gera, &c.

c. Tales erant 1. Nummi quidam, *Villalpandi* opinione, a Samuele Propheta cuſi; *Tom. III. Appar. urb. Lib.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 27. 2. *Nummi Symbolici*, Samaritanis etiam literis ſcripti, de quibus ex Theſeo *Waſer. lib.* 2. *pag.* 62. 3. Sicli. *Semiſicli*, & *Quadrantes ſicli*, quorum typos habet *Villalp. l. c. p.* 378. *Walt. pag.* 33. 4. Prutæ R. *Sol.* ad *loc. cit. Pruta erat ex ære:* Hinc פרוטות של נחשת *minuta æris*, χαλκοί, aereola vocantur. Unde & in N. T. pro pecunia, per Metonymiam ſumitur, *Matth.* x. *verſ.* 9. *Marc.* XII. 41: Latinis cumprimis, & Græcis hæc loquendi ratio familiaris eſt.

XI. *Forma* vel *externa eſt*, vel *interna*. *Illa una fere eſt*, (a) *rotunda; hæc tum ex Scriptura* (b) *æſtimatur, tum ex vocibus* (c) *Scriptura expreſſis, tum* (d) *ex variis figuris*.

a. Alios enim nummos Hebraicos non vidi.

b. Scriptura in veterum Hebræorum nummis varia occurrit, ad duas tamen claſſes reducitur, *Samaritanam* & *Aſſyriacam*, ſive *profanam* & *ſacram*. *Profana* ſive Samaritana, a Charactere qui in Samaritanis conſpicitur, codicibus, non longe recedit, ſi quædam elementa; א (diverſis enim extat formis, in nummis, quarum aliæ propius, aliæ remotius abſunt a Samaritanorum modernorum literis. Vide *Villalp. l. c. p.* 378.) ב, י (quod τῷ א facilius reſpondet) צעס & ח (crucis figuram referens, quod in nullis Mſs. Codd. obſervavi) exceperis. Exempla hujuſmodi nummorum ex *Judæis* habet R. *Azar.* Meor. En. *pag.* 171. 6. *Chriſtianis*, *Villalp. l. c. Walton.* tum Introduct. ad Lect. Ling. Orient. *p.* 31. tum *Apparat. Bibl.* Polygl. *Morin.* Exerc. Sam. *Waſer. pag.* 59. & deinc. *Kirch.* Œdip. Habeo & ego (Tab. VI. *n.* 4.) ſiclum, antiquum ſatis, characteribus Samaritanis inſignitum, quem ex celeberrimi *Hottomanni*, ni fallor, ſuppellectili acceptum, Collegæ aliquando honorandi, D. *Caſpari Wiſſii*, Profeſſoris nuper Græcæ Linguæ apud Tigurinos, beneficio obtinui. Digna ſunt R. *Azariæ* verba, quæ ἱστορίας ἕνεκα, ordine hic inſerantur; Ea ex *Meor. Enajm. pag.* 171. ita habent:

נתחיל ללמוד צורת האותיות ולא בכתב שלנו אבל באותו שקראוהו ז״ל פ״ק דמגלה ופ״ב דסנהדרין כתב עברי היינו של בני עבר הנהר אשר תארוהו נכ״ כתב ליבונאה ופרשי אותיות גדולות כעין אותן שכותבין בקמיעות ומזוזות הנהוג אצל הכותיים שהם השומרונים גם הרמב״ם ז״ל בפרוש משנת ידים פ״ר כתב עליו שהוא הנהוג אצל העם הנקראים السمار היינו שומרון והנה לפי מה שראיתי בקונטריס איש אמונות מארץ הצבי אשר כתב מירו אל הרב ר׳ פתחיה ירא מספוליטי בלמדו אותו גם הלשון הערבי והר״ר משה הרופא בנו הראהו לי פה פירדה וגם לפי מה שאחר בן בעיר מנטובה המשכיל ר׳ שמואל מארלי הראה לי בקונטריס מהלך הגאון הרר׳ משה באסולה ז״ל לארץ הקדש והחרושים אשר ראה במהלכו ההוא כתיבת יד הגאון הנזכר ממש וכן עוד לפי מה שהראני שמה מנטובה המשכיל ר׳ ראובן מפירושה בנוסח מסר לו אחד מחכמי הנצרים בעיר בולונייא כפי מה שמצא בספר קדמון נאמן אצלם הטפא ביתא שמרונית זו היא צורתה וזה לשון הרר משה באסולה הנז׳ אותיות הכותיים אשר על המטבעות והנה תמצא להרמב״ן ז״ל אחר פרוש התורה שכתב וזה לשונו ברכני יי׳ עד כה שבאתי

שבאתי לעבי ומצאתי שם ביד זקני הארץ מטבע כסף מפותה פתוחי פתוחי חותם מצרו האחד כעין מקל שקד ומצרו השני כעין צלוחית ובשני הצדדין סביב כתב מפותח באר היטב והראו הכתב לכותיים וקראוהו מיד כי הוא כתב עברי אשר נשאר לכתיים כמו שנזכר הסנהדרין וקראו מן הצד האחד שקל השקלים ומן הצד האחר ירושלים הקדושה ואומרים כי הצורות הם מקלו של אהרן שקדיה ופרחיה והצורה השנית צנצנת המן ושקלנו אותו בשלחנות ומשקלו עשרה בכסף והם חצי אוקיא שזכר רשי וכן ראיתי מן המטבע ההוא בצורות ובכתיבה ההיא חצי משקלו ובו היו שוקלים חצי השקל שהיו שוקלים לקרבנות וגו׳ ואולם ברוך ה׳ גם אני הכותב ראיתי אחר מן השקלים הנזכרים מיד אמנת התגר החסיר יצחק האגרו ספרדי ז״ל אשר היה מתושבי פיררה ובכתר שם טוב הלך לירושלם ושם נפטר ויקבר בעמק יהושפט חוץ לשער ציון כשעור מיל וזאת האשה דתלו בה טפלי שכה אל כמ״ר טוב ז״ל בנה הגדול הנצב על כנסי אביו פה פיררה ובסביבותה מטבע הנז׳ ראיתי כתוב באותיות דלעילא שקל ישרא ובאמצעו צנצנת עם שד עליה אשר לדעתי ר״ל שקל דוד ומצד אחר ירושלים הקדושה או ירושלימה קדושה ובאמצעו מטה בעל שלשה פרחים כפי אלו הצורות משני עבריו ולבי אומר לי כי הרב נחמני ז״ל שכח וכתב שקל השקלים תחת שקל ישראל וכן עם כי אפשר לקרוא ירושלים הקדושה אפשר גם כן שיקרא ירושלימה קדושה שכן תמצא בירושלמי דמגלה פ״ק ר׳ סימון ור׳ שמואל בר נחמני תרויהון אמרין אנשי ירושלים היו כותבין ירושלים ירושלימה ולא היו מקפידין ודכותיה צפון צפונה תימן תימנה.

Incipiemus discere literas Scripturæ non nostræ; sed illius, quam appellarunt sapientes nostri b. m. in Megilla cap. 1. & c. 2. *Sanhedrin, scripturam Hebræam i. e. Transfluvialium, quam etiam vocarunt scripturam Libonæam (R. Schelomo Jarchi explicat literas magnas, cujusmodi sunt, quas inscribunt amuletis, & postium pittaciis) qua utuntur Chuthæi i. e. Samaritani. Etiam Rambam p. m. in explicatione Misch. Jadaim* cap. 4. *scribit ea de re, quod usitatus sit* (Character ille) *apud Samaritanos. Ecce autem vidi in quaternione viri cujusdam fide digni, e terra sancta, qui illud manu sua scripsit ad Raf, R. Petachiam Jada Mospolitem, cum eundem doceret Linguam Arabicam, quod R. Moses, Medicus, filius ejus, mihi hic Ferrariæ ostendit. Sed & postea Mantuæ vir prudens, R. Samuel Marli ostendit mihi in quaternione iter Excellentis Magistri Mosche Basula, p. m. in terram sanctam, & res raras, quas itinere suo observavit; manus Excellentis illius adhuc in solidum habetur. Insuper quod mihi Mantuæ sapiens R. Reuben, Perusinus, in exemplari, ostendit, quod ei Christianus quidam Bononiensis, prout illud reperit in antiquo libro; qui apud ipsos magnæ est fidei, dedit;* Alphabetum *Samaritanum, cujus hæc est figura. Atque hæc sunt verba R. Mosche Basula, supra memorati: Literæ Samaritanorum, quæ in monetis reperiuntur.* Totum postea exscribit Alphabetum, cui subjicit. *Ecce reperies ad finem commentariorum in Legem, R. Nachmanidis, quod sequentia scripserit verba: Benedixit mihi huc usque Deus, ut pervenerim in Acco, ubi reperi in manibus Seniorum monetam argenteam, sculptam cælatura annulorum, ab uno ejus latere est quasi baculus maturescens; ab altera parte paropsis quasi, ad utriusque lateris circuitum scriptura clara. Hanc scripturam ostenderunt Cuthæis, qui e vestigio eam legerunt, est enim scriptura Hebræa, quæ adhuc penes Cuthæos remanet, prout habetur in Sanhed. Legerunt autem ab una parte* שקל השקלים Siclus Siclorum; *ab altera vero* ירושלים הקדושה Hierosolyma sancta. *Dicuntque figuram illam esse virgam Aharonis, ejus amygdala, & flores; alteram vero urnam Aharonis. Libravimus autem eam in mensis* (Trapezitarum) *& reperimus ejus pondo* 10. *argenteorum, qui faciunt Semunciam, ut observat R. Schelomo Jarchi. Vidi etiam monetam eadem figura & scriptura insignitam, dimidii ponderis, quo librabant dimidios Siclos, quos in sacrificiorum usum appendebant, &c. Sed; & Benedictus Deus; ego qui hæc scribo, vidi unum ex siclis memoratis e manu viduæ Mercatoris benefici, Isaaci Hagio, Hispani, p. m. qui erat ex incolis Ferrariæ, & cum corona boni nominis iter fecit Hierosolyma, ubi & mortuus & sepultus est in valle Josaphat, extra portam Zionis, quasi milliaris distantia. Hæc vero vidua, quam sequuntur libri, rediit ad Excell. Jom Thof p. m. filium natu majorem, qui facultatum parentis sui hæreditatem adiit hic Ferrariæ: In circuitu autem moneta vidi scriptum literis, supra quidem:* שקל ישראל Siclus Israelis; *in medio urna, cum literis* שד *supra positis, quod meo judicio est*, Siclus Davidis. *Ab altero latere;* ירושלים הקדושה *Jerosolyma sancta; aut* ירושלימה קרושה, Hierosolyma sancta. *In medio virga, tribus floribus insignita; hac, ab utroque latere forma.* Ponit jam ἔκτυπον Sicli, nostris respondentem per omnia. *Dicit autem mihi cor meum R. Nachmanidem, p. m. oblivione scripsisse* שקל השקלים pro שקל ישראל *Sic quemadmodum legi potest* ירושלים הקרושה *ita legi etiam potest* ירושלימה קרושה. *Ita enim reperies in Hieros. Tal. Megilla* cap. 1. *R. Simeon, & R. Schemuel filius Nachmani, uterque dixit: Hierosolymitani scribunt* ירושלים & ירושלימה neque multum ea *de re sunt soliciti; ita eodem mo-*

do

do צפון צפונה תימן תימנה Hæc verba, quæ vitiose a *Blancutio*, Romano Presbytero translata *Villalp. Tom. III.* Operis sui in *Ezech.* inseruit; posteaque corruptius adhuc fecit *Morinus*, male contra antiquitatem scripturæ Assyriacæ facere, probatum dedit Celeb. *Buxtorfius diss. de Literar. Heb.* genuina antiquitate, *Sect.* 51. & 56. perspicue enim autor mentem suam ea de re aperit *cap.* 58. post longam disceptationem, ubi concludit. *Hæc & alia ad quæstionem hanc pertinentia, quæ attulimus, & quæ non attulimus, inducunt nos, ut concludamus in veritate & integritate, quod tabulæ & lex non alia, quam Assyriaco Charactere, data sint.*

Sacris characteribus extra siclos Hebraicos, multa antiquariorum docent monumenta; Typum dedit *Villalp.* & *Walton. l. c.* Ejusmodi nummum ipse quoque, superius memorati D. Collegæ benevolentia, possideo. Et *quamvis* (scribit *Villalp. p.* 392.) *hac fortasse ratione* (quod quadratis neotericis characteribus sit inscriptus) *suppostitius nummus aliquibus videatur, tamen quod ad ejus vel antiquitatem, vel veritatem spectat, liberum unicuique relinquitur, quod volet existimet: Nonnullis tamen ducti rationibus illum prætermittendum non fuisse existimavimus. Nam inprimis nummus hic, ut omnes alii* (Nota) *quos proponimus, initio percussum fuisse, non fusum aut incisum, ostendunt per plura signa, & conjecturæ, quas longum fuisset percensere. Tandem aliorum omnium quasi quædam interpretatio est, &c.* Hæc satis jejune de antiquitate ejusmodi nummorum. Apertius *Kircher. in eod. Tom. II.* d. 2. *pag.* asserit posteriores hos prioribus non cedere antiquitate; quin decidit, hos demum vere fuisse Siclos sacros. *Schickhard.* tum *Bechin. Happ. p.* 82. tum *Dissert. de nummis Heb.* testatur, effodi Hierosolymis æneos nummos antiquos cum Solomonis nomine regno adhuc integro procusos, & sic ipsa Samaritanorum origine, Esdraque multo antiquiores, qui ex una facie cultum Regis, ex altera templum, utrobique cum literis vulgaribus ostentant. Talem Fulvius Ursinus Romanus habuisse dicitur. Hunc *Villalpandus*, contra clarissimam inscriptionem, tantum ne præconceptam opinionem suam deperdat (verba sunt *Schickhard.*) recentius demum ab Herode Agrippa percussum esse dictitat, in honorem Marci Antonii, cujus effigiem optime referat. Locus apud *Villalp.* extat *l. c. pag.* 326. Quemadmodum igitur non omnes nummi, characteribus Samaritanorum notati, ultimæ sunt antiquitatis, & ævi Christo prioris (non certe illi, de quibus Theseus apud *Vvalser. pag.* 62.) ita male ex Assyriaca scriptura omnium nummorum nupera origo concluditur.

c. E. G. Habent alii nummi & pondus, & inscriptionem Sicli vel totius, vel partis. Siclorum inscriptio ex uno latere erat שקל ישראל *Siclus Israelis*; ex altero; ירושלם קדושה *Hierosolyma sancta*. Alii pro ירושלם habebant ירושלים *Jeruschalaim*, pro קדושה הקדושה, & in medio, supra urnam, duæ apponebantur literæ שד, quod שדי Schaddai *Villalp.* valere vult: alii שלמה המלך *Rex Solomo*; ut *Masius*, alii שקל דוד *Siclus Davidis*, ut *Morinus*, *Kircher.* explicant, quod a Davide, vel posteris ejus esset cusus. Idem *l. c. pag.* 101. alios nummorum sub Davide & Solomone cusorum, ponit typos; sed obscuriores. *Dimidii sicli* ex altera facie inscriptio erat ירושלם קדשה *Jerusalem sancta*; ex altera; חציה שקל *Dimidius siclus*; in medio, supra urnam, lit. א, vel quod forrassis (inquit *Vvalton. pag.* 36.) *Urbis nomen ab* א *incipiebat, ubi cusi erant, vel ad significandum* אחרת *sive urbem generaliter, quæ scil. diversa erat ab Hierosolyma; hoc enim frequens est numismatis loci nomen, ubi cuduntur, exprimere.* Aliis אחד *unum*, sive integrum scil. *Siclum Kircher.* alii priorem faciem; *Villalp. P. l. c. p.* 391. Pro Tetragrammato positum ארני notare vult: Quid si אהרון *Aharonem*, cujus urna subjicitur, notet? Præter Siclos hosce alii nummi ad Siclorum pretium æstimati, erant alii inscriptionibus Historicis insigniti. Habet *Villalp. l. c.* & post eum *Vvalton.* tum in *apparat.* Bib. tum *Introduct.* & *Kircher. Œd. T. II. Class.* 2. *p.* 93. Semisiclum æreum, cujus altera facies habebat מול עת *Tempus circumcisionis*; (*Tab.* III. *n.* 2.) altera מעבו *ejus pinguedo*. Argenteum, cujus facies prima שמן עת; *Tempus unctionis*; (*Tab.* III. *n.* 3.) altera: לחרות ירושלם *Ad scripturam Jerusalem*. Quartam (*Tab.* III. *n.* 4.) sicli partem, cujus inscriptio שמוא ב' נגאלת צום *Schemuel Propheta: Redemtus es jejunio*. Ita quidem hæc ænigmata solvuntur a *Villalp.* quem magno applausu hactenus reliqui fere omnes sunt secuti. Cum tamen circa translationem vocum istarum Hebraicarum aliquot occurrant difficultates, quæ dubios nos & plane incertos dimittant.

I. De siclis quidem (*Tab.* III. *n.* 1. & VI. 4.) & semisiclis, quæ habent ירושלם קדושה, vel ירושלים הקדושה res est in vado, nisi quod posterior hæc sit recentior, tum demum usurpata, cum in superiorem & inferiorem, urbs divideretur, *Amam. Antib. pag.* 475. quod vero observant, legendum esse ירושלימה קדושה quasi Dialecti esset Hierosolymitanæ, & menti quidem

dem nonnullorum Hebræorum, & Clar. *Vualtoni* sententiæ, *Introd. pag.* 36. convenit; minus tamen est verisimile.

II. Præsupponit hæc translatio *Rosche Thebeth*, quæ an usitatæ fuerint primis illis Schemuelis, &c. temporibus, valde dubito. Ita נ explicat per נביא; שמוא per שמואל, &c. שד pro שדי, א, pro ארוני.

III. Stylus insuper palato, puro Hebraismo, qui primis illis florentis Reipublicæ Judaicæ seculis floruit, imbuto, non sapit. Non dicunt Hebræi regulariter & ordinarie, מול עת *Tempus circumcisionis*: neque ננאלת צום *redemtus es jejunio*, neque שמן עת *tempus unctionis*. Præcedit enim apud Hebræos, regulariter, constructum. Et quibus, quæso, tandem ambagibus extundes מעכו *Pinguedo ejus?*

IV. Ipsa etiam explicatio satis est torta. מול עת *Tempus circumcisionis*. Vult *Villalp.* nummum esse cusum in memoriam circumcisionis secundæ, de qua *Jos.* 5. *vers.* 2. Ubi vero nummos in illius rei memoriam fuisse cusos, uspiam est observatum? Nummos certe Judæorum usuales aut plane ἀτήμους diu fuisse, aut ἐστήμους quidem, sed urna tantum & virga Aharonis insignitos, ipse observavit *Villalp. lib. cit. pag.* 389. At מעכו circumstantiis temporis convenit? Notat enim *pinguedinem ejus* regionis, quam ingrediebantur possidendam: Quæ vero hujus notionis ratio? Certe nec Grammatica favet, juxta quem מעכהו dicendum esset non מעכו: Neque Lexicon. Quod si conjecturæ sit locus, malim hæc ad Samaritanorum referre amuleta; hunc probabilius forte, quam *Morinus* alterum nummum, cujus inscriptio est לחרות ירושלם (quid enim Samaritanis cum Hierosolymis?) eo rejicere possumus. Samaritanorum esse monetam sive usualem, sive magicam, terminatio ו. quæ frequens est apud Samaritanos fæminini nota, conjecturam, quæ non plane est negligenda, suppeditat. Huc accedit, quod æreus hic nummus, non aureus, vel argenteus, meo proinde judicio, veteribus Israelitis vix tribuendus. Non felicior est στοχασμὸς in explicatione alterius nummi לחרות ירושלים *ad Scripturam Jerusalem*: quam etiam sequitur *Kircher.* nisi quod, ut *Villalp.* Josiæ; sic ille Davidis, quo Palæstina florentissima erat, tempore cusum esse statuat. At quid, obsecro, est hariolari, si hoc non est? חרות semel tantum occurrit in universo contextu Sacro. *Exod.* 32. 16. quod חקק Hebræi explicant plerumque; estque participium, *exaratum*, *insculptum* significans. Pone autem, חרות *scriptionem* notare, quæ loquendi ratio לחרות ירושלים *ad Scripturam Hierusalem?* Genealogiam esse vult *Villalp.* Leviticam, descriptam a Davide 1. *Paral.* 23. & 24. *vers.* 6. Rem non nego. Egregia distributionis ἐφημεριῶν constitutio, Davidi debetur, expresse etiam vocatur Scriptura Davidis Regis Israel; sed cur Jerosolymitana heic vocatur scriptio, & non Davidica? Quæ de torque addit, postea examinabimus. Quid si dicamus verba illius nummi, (quia literæ satis sunt perspicuæ) ex altera quidem parte legenda לחרות ירושלים *Liberationis, sive libertatis Hierosolymorum*, ex altera vero parte certum statuamus Epochæ terminum dimissæ captivitatis insinuari? Rationes sunt Quia vox חרות pro *libertate* Orienti, usitatissima est. 2. Quia hoc hoc signum esse poterat restitutæ αὐτονομίας Judaicæ. Nam cujus νόμος, ejusdem nummus. 3. Monile ex altera parte notat captam quasi, & monili vinctam Judæorum libertatem. Quis vero Epochæ terminus? *Villalp.* nimium hic sibi indulgens existimat, numerice literas solvendas ש 300. מ 40. Ego vero unicam vocem esse existimo, שמעון *Simeonem* exprimentem. Rationes 1. Sunt alii etiam nummi cusi, sub שמעון נשיא ישראל *Simeone, Principe Israelis*; *Kircher. Oedip. l. c. pag.* 110. 2. Erat nummus μνημονικός, redemtæ per Schimeonem, Matthiæ Chasmonæi filium, qui Jadda alias dicitur, ab Alexandro urbis. Ut enim Judæi in ejus rei memoriam Epocham receperunt מנין שטרות *Numerum contractuum*; & Sacerdotum filiis Alexandri nomina imposuerunt; ita & nummos illos *libertatis* indices extare voluisse, verisimile est. 3. Sensus & Phrasis pulchre fluit. 4. Literæ etiam recte inspectæ nihil habent difficultatis, quam quod ע in medio positum, utrinque ad latera habeat, ז & ו. Vau, inquam (quod *Villalpand.* sine exemplo ullius veteris nummi, majori cum difficultate pro ח agnoscit, quam Vau nos restituimus) transpositum est, ut fieri solet in Arabum nummis usitatissime. 5. Quæ quidem confirmantur ejusdem fere nummi typo, a celeberrimo *Buxtorfio* nostro, nobiscum (*Tab.* III. *num.* 5.) communicato. Habet altera nummi facies, porticum Templi cum literis Samaritanis, illis quidem שם lectu facilibus; his vero exesis, proculdubio, עון ut *Schimeonis* utrobique exprimatur nomen. Altera facies vasculum etiam refert, urnam præsentans; & florentem virgam; cum inscriptione Samaritice expressa לחרות ירושלם *Libertatis Hierosolymitanæ*, ea nempe de qua *Joseph. Antiq. lib.* 11. *c.* 8. Habet etiam sicli pondus. Patet hinc, judæos, etiam post Esræ tempo-

pora, ad usus politicos seu profanos, Characteres retinuisse Samariticos; distinctionem proinde illam, in literas sacras & profanas non rejiciendam. Atque hunc eundem plane puto esse cum nummo, (*Tab. VI. n.* 4.) quem a *Serenis*. *&* *Celsissimo Principe ac Domino*, *Domino Ferdinando Alberto*, *Duce Brunsuicensi* *&* *Luneburgensi*, acceptum, Clarissimus Vir, *D. Christophorus Schraderus*, Professor Helmstadiensis anno hujus seculi 54. interpretatus est. Extat interpretatio publice cum nummi utraque expressa facie, cujus, exemplar doctissimo autori, grato, hoc loco, acceptum fero animo. Placet eruditissimo viro lectio להרות ירושלם *ad descriptum Jerusalem*; ex altero latere; ex altero vero שם טוב *ibi bonum*: sed quia prior illa lectio suis, ut monuimus, urgetur difficultatibus, posterior ægre elici poterit ex tribus elementis, quorum primum cum Samaritanorum, ט postremum cum ב nihil habet commune; nondum video, ab asserta mihi recedendum sententia. Samuelis tandem nummo, cujus verba explicantur, *Samuel Propheta*, *redemtus es jejunio*; sensum affingunt, & literalem & mysticum, qui autori nummine in mentem quidem venit. Vult Villalpandus, *sensum esse, quasi exhortatorium, ad populum, hujusmodi, redemtus es, vindicatus, ereptus, a jejunio, hoc nempe manna cœlitus delapso. Totus igitur hic nummus a Samuele Propheta, ac totius Israelis judice, ad hoc tantum tamque singulare Dei beneficium in memoriam revocandum esse videtur. Hoc enim cœlesti cibo quadraginta annos pasti recreati* *&* *libertati fuerant Hebræi, non modo a famis,* *&* *indigentiæ incommodis, verum etiam amittendæ libertatis, salutis ac vitæ. In eo vero uno ac simplicissimo cibi frumenti, vini, olei, frugum ac fructuum omnis generis continebantur alimenta, dulcedines, commoda. Quæ omnia antiqua Symbola, quid nobis aliud ostendunt, quam sanctissimum* *&* *supercœleste Eucharistiæ Sacramentum, quod singulari Dei ac Domini nostri Jesu Christi beneficio, Spiritu Sancto edocta sancta Mater Ecclesia, sacra pyxide urnæ illi quam simillima Ecclesiis asservat, in memoriam quidem illius singularis beneficii, quo pridie, quam pateretur Jesus Christus Deus ac Dominus noster, Patres nostros sanctos Apostolos corpore suo sanctissimo pavit*. Quid enim sive *verba* spectes, sive *res*, sive *materiam* nummi, suspectum non est? In *verbis* desidero non unum. 1. Vox נאל in Niphal sumitur absolute, sine additione termini a quo; imo semel tantum nomen instrumenti adjungitur, sive pretii. Adeo ut plane insolens sit hæc phrasis, & cum Scstylo, ne per analogiam quidem, concilianda. 2. Qua fide ננאלתם לצו explicatur, *redemtus es jejunio*, vel a jejunio, cum ל notet proprie & usitate terminum ad quem, non a quo? 3. Nondum video, verba שמוא נ necessario vertenda, *Samuel Propheta*. Quod si tamen ad hæc nummus referri possit tempora, commodius verteretur altera facie, נאלת לצום *Vindicationis Israelitarum*, ab hostibus Philistæis, prævio *jejunio*, (de qua Historia prolixe 1. *Sam.* 7. *vers*. 6. & deinc.) concessæ, æræ. *Sensum* tam literalem, quam mysticum longe nimus petitum esse, quis non videt? Cur jam demum μνημόσυνον dederint Mannæ, cum inter Judæos non amplius cibus ille esset notus? Didicimus, nummorum mnemonicorum aliam esse rationem. Eadem referre ad κιβώτια sive ciboria Missatica, somniantium est. Quo ad *materiam*, viderint antiquarii, an usitati Schemuelis tempore hi fuerint sicli ærei.

d. Quædam habemus ex *traditione*, quædam ex *conjectura*, quædam ex αὐτοψία. De *illis* loquuntur Talmudici. Ita de Mardochæi nummo vel moneta refertur, illam ex una parte habuisse *saccum* *&* *pulverem*, ex altera *coronam auream*: At in Medrasch Esther: Moneta Mardochæi ivit per totum orbem ומה מוניטה שלו *Et qualisnam erat moneta ejus?* מרדכי מכאן ואסתר מכאן *Mardochæi erat ex una parte*; *&* *Esther erat ex altera parte*. Ad *istos* pertinet קשיטה quod *agnum* vertunt, a figura, nummo insculpta. *Villalpandus Steuchum*, (qui *Gen.* 33. ἀμνῶν legi vult, pro Μνῶν,) merito reprehendit, nullo contradicendi, pruritu; sed quod negat, קשיטה pro nummo, agno insigni, accipi, rationibus suis nondum evicit. *Horum* luculentissimi sunt sicli, semisicli, quadrantes, quorum emblemata ordinarie sunt, ex altero quidem latere *urna*, cui imposita manna ex Dei mandato; ex altero virga *Aharonis*. Samariticum ἐκτύπιον, cujus supra meminimus, præter suspectam inscriptionem נועבו, suspectam etiam habere figuram, vel ex continua veterum Judæorum praxi colligimus. Nummi certe, quotquot indubie Hebraicos agnoscimus, urnam & virgam ostendunt: Radices hinc balsami, inde palmæ, quas Palæstinæ proprias fuisse præter *Tacitum* alii observant; nummis propterea Judæorum insculptas, nullo exemplo probatum est. Sunt insuper nummi, qui referunt arcem Zionis. *Nummi reperiuntur* (inquit *Schikh.* Bech. Happ. pag. 82. *antiquiores* (siclis Samariticis) *cum quadam inscriptione tali, in uno latere* דוד המלך ובנו שלמה המלך *David Rex,* *&* *Filius ejus, Salomo Rex; in*

in altero, circa depictam arcem ירושלם עיר הקדש *Jerufchalaim urbs fancta*. Exemplum habet *Wafer. pag.* 72. additque: *Cæterum, Davidis quidem tempore & Solomonis, filii ejus, hæc ficli hujus argentei communis fignatura & infcriptio in ufu fuiffe vulgo creditur*. Habentur etiam, hinc inde aurei & argentei nummi, cum infcriptione, ex una parte, ישו *Jefus*; ex altera vero משיח מלך בא בשלום אלהים אדם עשוי *Meffias Rex venit in pace; Deus Homo factus eft*, ut *Thefei Ambrofii* habet infcriptio; Waferiana vero; אור מאדם עשוי חי *Lux de homine facta eft vita*; vel ut argenteus (*Tab. VI. n. 6.*) meus habet, אור מאדם עשוי *Lux, ex homine factus*.

Subjicimus tandem nummos illos æneos, quorum (*Tab. IV. n.* 2.) altera nobis facies, exhibet Mofen auribus tenus cornutum; torquatum infuper, cum infcriptione torqui addita; משה *Mofes*; altera vero verba primi præcepti לא יהיה לך אלהים אחרים על פני: *Non erunt tibi Dii alii coram me*. Nummus ejufmodi heri demum opportune mihi fuit oblatus.

XII. *Hæc de Hebræorum nummis: Chaldeorum propriis characteribus, Lingua, & emblematibus notatos, hactenus non vidimus: Ad cæteros ergo pergimus Arabicos, Æthiopicos, Syriacos, Perficos, Turcicos*.

XIII. *Nummorum iftorum primum* (a) *nomina quædam confiderabimus, tum etiam caufas*.

a. Cujufmodi funt 1. ARABUM درهم *Drachma*, Nummus proprie argenteus; deinde æreus. Vide fupr. *pag*. 72. 2. نمي Νόμισμα pecunia fignata *pecul*. inqua æs & ftannum eft. 3. ورق & ورقة Pecunia fignata, nummi, opes peculium; a ورق *opulentus fuit*. 4. خادع Nummus, accifus *prop*. jufto levior, quafi fallax. 5. دينار *Denarius*, Arabibus *pecul*. aureus, volgo Ducatus: a دنر *Aureis abundavit, pecuniofus fuit*. 6. ستوق *Moneta adulterina*; Perf. سته 7. مضرب Cufa & fignata Moneta; a. ضرب *Monetam cudit*. PERSARUM; vel *argentei* vel *cuprei* (raro in foro videri aureos, monet, *pag*. 425. *Olearius* Itiner. Perfic.) vel coriacei. Argenteorum nomina funt a. عباس *Abas*, ab authore شاه عباس *Schab-Abas*: quatuor faciunt Imperialem. b. خدابند *Chodabendæ*, itidem ab authore Schah Chodabende: pretio dimidia parte Abafis inferiores funt. c. *Lari*; filum argenteum in medio curvum, ubi quædam cufa leguntur verba. Refertur hæc Moneta ad Ifmaelem ג. d. *Schabi*, quarta pars Abafi; *Bifti*, quorum duo cum dimidio Schahi conftituunt. *Cuprei* nummi vocantur in genere *Pul*; in fpecie *Kasbeki*, quorum 4. funt Abas. Vide *Olear. lib. cit. pag*. 425. De Æthiopum nummis parum conftat: de quo defectu audire placet Nobilifs. & Amplifs. *D. Ludolfum*, rerum Æthiopicarum peritiffimum. Sæpe miratus fum, (fic familiari ad me fcripfit Epiftola) *Vir Clariffime* Abiffinis, cum auri fatis adfit pecuniam deeffe. Venas aliquot auri fæcundiffimas (nam argentum rarius eft) habent, quas nec fcrutantur, nec effodiunt. Aurum informe de fuperficie terræ legunt: vel cum radicibus arundinum, ex quibus domicilia fua ædificant, extrahunt; Idque rude & infectum, cudendi rudes, cum aliis mercibus permutant, aut pondere appendunt; adeo ut fi pecunia tantum bellorum & flagitiorum caufa effet, in nulla alia regione pacatius & honeftius viveretur. Si tamen nummorum aliquis cum finitimis eft ufus, ii peregrini funt, ficuti etiam pleraque ponderum vocabula. Quorum aliqua in Bibliorum verfionibus, fine intellectu ut videtur, retinuerunt, ut דרכם δραχμὴ, *Exod*. 38. 26. דידרכם δίδραχμον, *Jof*. 7. 21. חלכ ὁλκὴ, *Gen*. 24. 22. מננ Μνᾶ. Mna, feu mina, *Luc*. 19. 13. לטרא λίτρα, *Job*. 19. 33. Ufitata autem nunc funt וכח Uncia auri, quæ, fecundum Æthiopem meum, continet decem רדהם درهم Dimidium vero unciæ vocatur אלד: Cæterum quid מכלת; fic, quod in N. Teft. paffim pro Talento ponitur, non fatis explicuit Æthiops meus, putabat enim effe duodecimam partem τȣ̃ מננ Quæ interpretatio Talento convenire nequit, נמס: quod *Luc*. 12. 59. & 15. 9. legitur, annulum e cornu bubali proprie effe ajebat; Qui quoniam inter fricti ciceris & nucum emtores (ut ille loquitur) inftar pecuniæ fit, pro viliffima moneta, feu obolo accipiatur, טפלחת: autem drachmam fignificare. De TURCARUM nummis & nominibus Manguris, Afpris, fidero capfiis, Hyperpyris, Hyperpyrariis, Dramis, Schahis, Sultaninis, Seraphinis, Byzantiis, Chryfinis, Altumler; de Ægyptiæ, Syriacæque monetæ ratione videatur *Cotovic*. Itiner. *p*. 202. Joh. *Leuncl*. Pandect. Hift. Turcic. *pag*. 116. 117. Et illius quidem verba funt ex *Hieronymo Beck*; *Zibit ærei numu-*

numuli perexigui, signa potius sunt, quam moneta. Duo valent unum Direm, qui & ipse nummus est æreus. Duo direm valent Nuccarum unum, qui nummus est æreus major, cum literis Arabicis. Nuccari quatuor valent nummulum argenteum, quem Arabes Osmannum, Turci Ach, Græci aspron vocant. Nuccari sex faciunt nummum argenteum majusculum, quem Maidinum, vel Cuttam nominant; Maidinos vel Catta Osmannum num cum dimidio facit, & octo Marchettis Venetis æstimatur, vel octo Bezziis, sive nigris nummulis Germanicis, quorum tres conficiunt unum cruciatum. Hic vero refert, varia esse apud Turcos, Maurosque Syriæ indigenas monetæ genera, argenteæ præsertim & æreæ, unicum aureæ, quam Turcæ Altumler, Mauri Dahab, Itali Sultaninum indigetent. Argenteæ plura esse genera, vel enim Sajat, vel Maidini, vel aspra. Æneæ, Zibit, Mangurem, Direm & Nuccaros appellatos. Nuccaros sex Maidinum facere, Mangurem item sex, Asprum valere, unum Nuccarum duobus constare Diribus, duo item Zibitinum Direm facere. Quod pretium ipsi Syri Assario assignarint & stateri, placet ex Lexic. Msc. *Isa, bar Ali* addiscere:
ܐܣܪܐ ܡܘܫܚܐ ܐܝܟ ܠܒܢܝܟܘ ܡܡܠܐ ܕܐܡܪ
ܚܕܩܘܪܐ ܕܐܪܒܥ ܚܠܦ ܐܝܬܘܗܝ ܐܣܪܐ ܕܡܢ ܕܡܢ
ܐܣܪܐ ܐܝܬܘܗܝ ܐܣܪܐ ܕܡܢ ܕܐܪܒܥ ܦܠܓܐ ܐܣܪ ܕܡܢ
ܕܡܫܡܫܐ ܕܕܝܢܪܐ ܘܗܝ ܕܡܢܐ ܕܡܢ ܕܐܣܪܐ
ܕܐܣܐ ܕܪܒܥܐ ܙܘܙܐ ܐܝܬ ܕܐܣܪ Assarium. *Dubium mihi est de illo. Propterea, quod Syrus quidam dicat, duas valere Chabas (quod tamen* mensuræ nomen est) *Aliis unam Chabam; aliis duas Prutas; aliis pondo auri, idest, denarium; prout scriptum est;* Nonne emitur passer assario, &c. Fluctus ubique! De statera vero:
ܐܣܛܐܪ ܗܘ ܐܝܟ ܕܝܕܝܥ ܐܪܒܥܐ ܙܘܙܐ
Stater, ut notum est, quatuor æquivalet Zuzis.

XIII. *Efficiens principalis sunt Imperatores, Reges, &c.*

Id quod postea palam fiet ex inscriptionibus secuturis.

XVI. *Materia est* (a) *aurum*, (b) *argentum* (c) *cuprum vel etiam* (d) *corium; gemmæ, vel sigillorum, vel amuletorum inservire magis videntur usibus.*

a. Aurei enim sunt Arabum denarii. Unde in Schalsch. Hakkab. p. 88. והוא דינר זהב של ערביים *Estque denarius aureus Arabum.*

b. Ut sunt *Arabum* Drachmæ; *Persarum* Abas, Chodabende, Lari, Schahi, Bisti; *Turcarum* Aspri: album Græcis sonat, Weißpfennig; Acse Turcis.

c. Quales sunt *Persarum* Kasbekia, veterum item *Arabum*, Syrorum, Ægyptiorum tempore Mostanzeris Billa, Saladini, aliorum: quorum septem mecum communicavit ἔκτυπα Amplissimus *Camerarius* noster, de quibus infra.

d. Quales Persarum *Schebreva* i. e. voluntas Regis. Gent. *Rosar. pag. 602.*

e. Sigilla Muhammedanorum, sententiis potius, quam figuris aut insignibus sunt conspicua. Ita verbi gratia, refert *Elmac.* Hist. Saracen. *pag.* 10. Muhammedis sigillo insculptum fuisse, الشهادتين *In duplex testimonium*: quod etiam sigillum retinuit successor ejus, teste eodem, *pag.* 10. خاتمه خاتم النبي *Sigillum ejus, Sigillum Prophetæ.* Alis; لله الواحد القهار *Soli Deo forti dominium.* Plura vide in *Hist. Orient. pag. 276.* Huc refero gemmam illam, cujus inscriptionem Amplissimus Divionensium Senator, *D. De la Mare*, Nobiliss. *Ezechieli Spanhemio* nostro communicavit. Verborum, nisi fallor, expedita satis lectio esse poterit احسان لله كبر *Senecta* (potest etiam verti; *Majestas dignitas*) *est Dei beneficium.* Cætera votiva videntur, pro Ali, Persarum Propheta فيجلي امر علي *Et splendide appareat tanquam divinum, manifestetur, extollatur Imperium Ali.* Hæc mea de nummo conjectura; plures alias, & longe quidem a se invicem dissidentes, accepisse eruditorum solutiones, idem scripsit Senator, familiaribus ad *D. Spanhemium* literis. Non vidi: Putem tamen, nihil hanc nostram habere, quod non vel Grammaticæ conveniat, vel Historiæ. Scriptura satis est antiqua, & punctis Diacriticis plane destituta, ut cæterorum, quos vidi, antiquiorum omnium. Habent & Christiani sigillis suis ejusmodi insculpta symbola. Proximo ab hinc octiduo 13. Julii *1661.* Heidelbergæ fuit Mercator, natione Persa, religione Armenus (unde ei, ni fallor, *Johannis Armeni* nomen) cujus annulus signatorius, Constantinopoli sculptus, symbolum continebat; مقصر اللطف الا يعقوب *Optimum fortalitium Deus Jacobi*; ut ille: quanquam præferre videantur literæ. مقصر لطف الي يعقوب.

e. De quibus infra.

XV. *Forma partim consistit in inscriptionibus partim in figuris.*

XVI. Insciptiones *vel symbolicæ sunt, vel Historicæ, ut plurimum tamen conjunctæ,*

ctæ, cum voto, nonnunquam etiam anno nummi cuſi addito.

Id quod abunde probant Arabum nummi tum veteres, tum recentiores, quorum, quos mihi hactenus videre contigit, ſubjiciam.

Primus & antiquiſſimus eſt Haſeni, cui ex una facie inſculptum vocabulum الحسن *Haſenus* (de quo *Hiſt. Saracen. pag.* 44.) ex altera بن علي *Filius Ali*; يرفعه الله *quem Deus exaltet*; cupreus aut æreus eſt, quique antiquitatis ſatis habet manifeſta indicia. Huic proximus antiquitate *Monſtanziri-billah*, cujus vitam deſcripſimus *Hiſt. Eccleſ.* Sec. IX. *pag.* 646. adeoque anno poſt Hegiram 248. Chriſti 862. Inſcriptio tota eſt; لا اله الا الله محمد رسول الله المستنصر بالله امير المومنين *Non eſt Deus, niſi Deus, & Muhammed, Apoſtolus Dei; Moſtanzer billah, Imperator fidelium*. Altera facie, vultum habet, & thoracem ſemiluna, pectoretenus, cinctum. Nummus cupreus eſt, (*Tab. IV. n.* 3.) nullo diacritico apice, notatus. Sequitur alius, quem cum plurimis aliis χειμηλίοις Orientalibus habet Sereniſſimus Princeps Elector, D. CAROLUS LUDOVICUS, &c. Dominus noſter Clementiſſimus, cujus inſcriptio; محمود بن محمد شاه *Mahmudus ben Schah*, Idem ille videtur, qui jam anno Hegiræ 514. rebus præfuit, de quo in *Hiſt. Eccl.* Secul. XII. *p.* 208. Aureus eſt, (*Tab. IV. n.* 5.) denariis Arabum major. Ejuſdem ætatis ſunt *Saladini* i. e. nummi, nomine & authoritate *Zelacheddini*, vulgo *Saladini*, Hieroſolymorum occupatoris cuſi. Duos ejuſmodi nummos, alterum quidem dono, alterum mutuo accepi ab Ampliſs. *D. Camerario*, quorum uterque ejuſdem fere, eſt magnitudinis. Eadem etiam ἐπιγραφὴ, & figura. Carent nummi etiam iſti, non modo punctis vocalibus, ſed & Diacriticis omnes, difficiles proinde lectu. Quod propterea moneo, ne, quod multis hactenus ſolenne fuit, hinc quis concludat, hæc legendi ſubſidia per neceſſaria, nondum Arabibus fuiſſe uſitata, cum ne antiquiores ea Cufici reſpuerint, ceu diximus *Theſaur. Philol. p.* 403. Eruimus tamen ex utroque (*Tab. IV. n.* 8.) Schemate ſequentem inſcriptionem. ايوب الملك الناصر صلاح الدنيا الدين *Jobus*, (commune fuit familiæ nomen Jobitarum, de cujus origine & progreſſu ex Msc. Bibliothecæ eheu, quondam Archipalantinæ ἀνεκδότῳ, diximus Hiſt. *Eccleſ. ſec. XII. pag.* 214.) *Rex Nazirus Zelachus* (Reſtaurator) *Orbis & Religionis*. Circa marginem vero locus & annus cuſi nummi obſcuris & pene exeſis characteribus videtur exprimi. Ex altera parte caput eſt paſſo capillitio, ſolarium inſtar radiorum, ſculptum; cum inſcriptione, cujus alterum lemma lectu facile جاير الدنيا ſignificat, *Tranſit mundus*. De hoc Saladino conſuli poteſt *Hiſtoria noſtra Eccleſ.* Secul. XII. *pag.* 206. Eſt & *tertius*, qui difficiliori inſignitus charactere, Saladino deberi videri videtur. Inſcriptio (*Tab.* IV. *num.* 3.) hæc eſt: الناصر الدين امير المومنين المكلل كابوه *Naziroddinus, Imperator fidelium, coronatus ſicut pater ejus*: Unde & altera pagina geminum refert vultum, alterum viri adulti; Juvenis alterum: Orientali contectum utrumque paludamento. Ad antiquiores ſequentes etiam pertinent cuprei, *a.* ارل عاري الملك العالم الفاضل حساب الدين Rex *ſciens, beneficus Heſab-oddinus*: Alterum latus protuberantis tantum, more veterum Romanorum, capitis (*Tab.* IV. *num.* I.) habet effigiem. Cui alter fere ſimilis eſt, figura, inſcriptione & pondere, niſi quod paulo plenius proponantur Epitheta. *b.* Malec-Zalechi. Perſpicuum enim ſatis eſt. Primum lemma, الملك الصالح *Rex Zalechus*. Ab altera facie (*Tab.* IV. *num.* 5.) habet avem διχέφαλον, aquilæ Imperiali haud abſimilem, ſubjecta luna corniculante, & æra nummi cuſi *a.* H. 610. Hic *Malec-Zalechus* rerum fuit potitus in Ægypto, ſeculo XII. ut diximus *Hiſt. Eccl. ſ. cit. pag.* 206. Aureum habet in Keimeliotheca ſua Sereniſs. Elect. Palat. *Recentiores* nummi ſunt vel *Perſarum*, vel *Turcarum*. *Illorum* inſcriptiones petere licebit ex *Olear. pag.* 425. Adde *Leuncl. pag.* 652. ubi Schah Iſmaelis Schiſmatici Mugammedani, qui novæ Perſarum Aliſequorum, cum contemtu reliquorum trium Chalifarum, religioni ortum dedit, meminit, quod nummis ſuis ſive aureis ſive argenteis hæc ab uno latere inſcribi voluerit, لا اله الا الله محمد رسول الله *Non eſt Deus, niſi Deus ille; Muhammed Apoſtolus Dei*; ex altero vero اسماعيل خليفة الله *Iſmail Vicarius Dei*.

Horum aliquot exscribemus exempla, quia, quod sciam, a nemine hactenus præstitum est.

I. Tribuuntur quidam Sultano *Solimano*, *fil. Sultan Selim*, filio Sultani Selim, iique vel cusi, א *Haleli* cum hac inscriptione: سلطان سليمن بن سلطان سليم خان عز نصرة ضرب في حلب سنة Id est, *Sultan Solimam*, *fil. Sultan Selim*, *cujus augeatur victoria. Cusa Halebi anno* 926. vel 2. in Ægypto, eadem retenta inscriptione anno 926. vel 3. *Constantinopoli* سلطان سليمن بن سليم خان عز نصره ضرب في قسطنطينيه *Sultan Soliman fil. Selimi Chan*, *cujus præclara sit victoria*, *Constantinopoli*: *Anno eodem*. Prior nummus ab altera facie habet, ضارب النصر صارب النصر صاحب العز والنصر في البر والبحر *Victoriosus* (prop. verberando victor) *Potens*, *Munificus*, *terra marique*: vox النصر per antanaclesin repetita, & *victoriam* notat, & *donum*, *adjutorium*.

II. *Muhammedis*, fil. Moradi: سلطان محمد بن مراد خان عز نصرة ضرب في حلب سنة *Sultan Muhammed. fil. Morad Chan*, *cujus magna sit victoria*. *Halebi* a. 1002. Ex altero latere: سلطان خان بن السلطان بن السلطان في البر البحر Sultani Chan, fil. Sultani (Imperatoris) *terra marique*.

III. *Othmani*, fil. Ahmedis, سلطان عثمان ابن احمد خان عز النصر ضرب في دمشق *Sultan Otman*, *fil. Achmed Chan*, *&c. Damasci*. Ab altero latere, ut in superioribus ضارب النصر *Victoriosus &c.*

IV. *Ibrahami* سلطان خان ابراهيم بن سلطان عز نصرة ضرب في حلب *Sultan Chan Ibraim fil. Sultan*, *&c.* Halebi.

V. *Moradi*, fil. Selimi, سلطان مراد بن سليم خان عز نصرة ضرب في مصر سنة *Sultan Moradus*; *fil. Selimi Chan*, *insignis sit victoria ejus*. Cusus est in Ægypto, anno 982. Non hos numeros a Latinis mutuo accepterunt ab Indis, ut vult *Kircher. Tom. II. P. I. Class. 5. p. 372.* sed contra: Hunc nummum etiam habet, *Olearius pag. 425.* Cur vero vertat verba Arabica: عز نصرة *Deus detradices*, *vitam longam & victoriam*, non video. Ejusdem extat alius nummus, ضرب في قسطنطينيه *Cusus Constantinopoli*.

VI. *Ahmedis*, fil. Muhammedis. سلطان احمد بن محمد خان ضرب في ارض روم *Sultan Ahmed*, *fil. Muhammedis Chan*; *cusus in regione Romanorum*. Altera facies ضارب النصر Victoriosus, &c. Alius ejusdem ضرب في قسطنطينيه *Cusus Constantinopoli*, *&c.* Tertius ibidem cusus, addit annum 1012. Huc pertinent nummi, quorum *Philippus Paruta* meminit, in sua Sicilia. Tractatum hactenus ipsum videre non contigit, excepta tamen quædam ex Aurelianensis Ducis exemplari *Cl. D. Ericus Mauritius* Professor Tubingensis nobiscum communicavit. Pro ipso scripto obtinendo tanto major erit cura, quanto rariores pollicetur nummorum typos & inscriptiones, non Arabicos tantum; sed & ut ex literis *Celeb. D. Conrigii*, Doctoris & Professoris Helmstadiensis ad incomparabile Nobilitatis Germanicæ decus datis colligo, *Punicos* etiam, *Punicis* literis insignitos, quorum quosdam & ipse meritissimus *Conringius* in sua habet suppellectile; quorum ἔκτυπα nos, amicorum opera, a viro ad publica commoda nato impetraturos, confidimus.

XVI. *Icones in Muhammedanorum nummis* (a) *rarius reperiuntur*, *Idololatriæ metu*, *repertos tamen hodie non* (b) *minus tolerant*; *quam Judæi*, *quibus imaginibus siguatos nummos accipere religio non est*.

a. Dedimus supra in nummis quibusdam cupreis *pag. 157*.

b. *Leonclav.* Pandect. Hist. Turcic. pag. 139. *Causa vel prætextus causæ potius*, *cur Talismani*, *vel ut admodum religiosi & accurati Muhamedanæ legis observatores*, *usum nummorum veterum e medio tollendum censerent*, *explicationem minime difficilem habet. Quippe nota Lex Mahumetis*, *qua statuas*, *simulachris*, *sculptas & pictas imagines*, *ex interdicti divini præscripto vere prohibuit*, *notum quanto Zelo Musulmanni Christianorum in templis imagines mutilare*, *frangere*, *destruere soleant*. *Itaque cum Romanorum & Græcorum Imperatorum imagines in nummis & aspris* (imo & veterum Arabum & Ægyptiorum, forte ad Othmanidarum tempora) *expressæ conspicerentur*, *violari Prophetæ legem clamabant*,

bant, *&* *abolendæ monetæ veteris autores erant*. *Sed interim sub prætextu religionis impostores nequissimi quæstum faciebant*, *ut ipsimet Turci satis ingenue fatentur*. *Hodie non amplius animos Turcarum illa religio tantopere tangit*, *ut signatos Christianorum charactere nummos aversentur*. *Imo nummos sive Ducatos Venetos*, *quibus vetitæ Lege Mahumetis impressæ sunt imagines*, *Sultaninis suis*, *qui nihil habent legi contrarium*, *Arabicis duntaxat insigniti literis*, *longe præferunt*. *Thaleris autem Germanicis*, *præsertim quibus aut ipsius Imperatoris aut Ferdinandi Archiducis*, *aut septem viri Saxonis insculpti sunt vultus*, *usque adeo non infesti sunt*, *ut ex illis ipsis*, *sibi prohibitis adgnitos imaginibus expetant avidissime*: *nec dubitent*, *modo se pro mercibus suis eos habituros intelligant*, *de communi pretio trientem*, *vel quadrantem remittere*. *Ne pondus quidem horum explorant*, *quod tamen in Sultanis suis*, *cæterisque monetis usitatis*, *scrupulose facere solent*.

XVII. *Finis vel* (a) *Religiosus est*, *seu superstitiosus potius*, *vel Politicus* (b) *&* *Civilis*.

a. Extant enim varia monumenta, si non νομίσματα, iis certe analoga, quæ amuletorum vicem sustinent. Suntque 1. *Lapides pretiosi*, vel Talismarum figuris (de quibus prolixe egimus *Hist. Orient. pag.* 191. quibus addi possunt quæ habet *Kirche.* Oedip. *T. II. Class. V. pag.* 378. & deinc. *Olear.* Itiner. *pag.* 365.) insignes, vel inscriptionibus etiam ad devotionem compositis, conspicuæ: Duorum (ut de dubiis Judæorum qualis nuper ostensus, ubi gemmæ peripheria inscripta verba יוסף בר משה שלטא in centro vero tres pisces, decussatim sibi invicem implicati, nihil dicam) ejusmodi, meo judicio antiquissimorum, vetusto charactere, omnibus Diacriticis apicibus destituto, exaratorum ἔκτυπα ex Instructissima SERENISS. ELECTORIS PALATINI Keimeliotheca, habeo, ex quibus, post seriam indaginem, commodum elicuisse videmur sensum; Alterius (*Tab. V. num.* 2. ב.) quidem الله يقه من شا *Deus custodit*, *quem vult*; alterius (*Tab. V. n.* 2.) vero; الله يقه لمن طهر *Deus custodit eum*, *qui purum se præbet*. Posset tamen pro يقه, legi يفه *Remunerat*, *rependit*, quamvis prior lectio magis placeat. Est enim notissima Arabibus phrasis وقاه الله *Servavit*, *protexit cum Deus*. Habeo & ego lapidem preciosum a *Celeb. D. Buxtorfio* nostro donatum, quem ad hanc classem refero. II. *Aurei* etiam extant. Habet idem Sereniss. *Princeps* tum *nummos* quosdam, tum *laminam* auream, quæ ad hanc pertinent Classem. *Nummi* quatuor sunt, ejusdem fere figuræ (*Tab. V. num.* 1.) & ponderis. Trium eadem inscriptio, ab illo quidem latere, in medio; لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non est Deus nisi unicus*, *qui socium non habet*. Ab hoc vero literis in longitudinem, ternarum grallarum instar formatis, antiquo admodum Charactere absque apicibus vel vocalibus, vel Diacriticis محمد رسول الله *Muhammed*, *Apostolus Dei*. Quarti (*Tab. V.* א.) vero inscriptio altera; لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non est Deus*, *nisi Deus unicus*, *cui nullus socius*. Altera vero, الله احد الله الصمد لم يلد ولم يولد *Deus unicus*, *Deus æternus*, *neque gignit*, *neque gignitur*. Lamina unica est, eaque aurea τετράγωνος, cum sequentium literarum inscriptione, quæ per ראשי תיבות boerit explicanda: Ut enim vox ملك توحيد المترحم رحمان حنان facit ita sequens Schema videtur efficere ملك Rex, صديق *justus*, *verax*, ودود *amabilius*; رحمان *misericors*: Ita autem habet Schema:

ر	و	ص	م
ص	م	ر	و
م	ص	و	ر
و	ر	م	ص

Utrinque latus claudebant literæ aliæ Symbolicæ, expressis quibusdam Dei nominibus الباقي اللطيف والودود *Æternus*, *clemens*, *misericors*. Appensum erat sigillum iisdem variegatum characteribus addita securitate: وهو العلي العظيم ولايود حافظيها *Ille vero excelsus est &* *magnus*, *neque afficientur damno*, *qui hæc custodiunt*. Vel 3. *Argentei*. Cujusmo-

modi ante hac doctissimus Vir, D. *Laurentius Zolikhoferus*, V. D. apud Sangallenses Minister vigilantissimus, mihi dono dedit, cujus inscriptio, ex altera facie circularis, est Surata Alcorani 112. ex altera vero: لا اله الا الله واحد لا شريك له *Non est Deus, nisi unus, qui similem non habet*. In utraque etiam peripheria sunt brevia quædam Alkorani lemmata. Quemadmodum autem Hebræi contextum Sacrum ad Magicos abusus & superstitiones detorserunt, eademque vel metallo, vel pergameno inscripta variis calamitatibus, infortunio, incendiis, objecerunt, ita ut multa alia, Muhammedani eandem consuetudinem κακοζηλία quadam suam fecerunt. Specimine, ex Msc. a Reverendo admodum & Clariss. Viro D. *Van Dalen*, nuper communicato, dissertationem hanc claudemus. Proœmium ἐπῳδὸν ita habet: اللهم اني توكلت عليك وتفالت بكتابك الكريم فارني ما هو الكتوم من سرك المكنون في غيبك يا ذا الجلال والاكرام *Deus, ego confisus sum tibi, & augurium* (bonum omen) *capiam ex libro venerabili: Ostende mihi id quod absconditum est e secreto tuo, & repositum in sinu tuo, o qui præditus es Majestate & honore*. Sequuntur postea forma circulari nomina Suratarum viginti.

Hoc ordine 1. سورة البقرة *Surata vaccæ* inservit الملوك والولايه والعمل والسلطان *Regibus, administrationi, provinciæ, Imperatori*. 2. سورة ال عمران الولد ذكر ام انثي *Procreationi prolis, masculæ an fœmellæ*. 3. سورة النسا *Surat. mulierum*; والتزويج هل يصلح ام لا *Conjugio, prospere ne sit successurum, annon*. 4. سورة المايده *Surata mensæ*; الوفا والصدق فالعهد والخلافة *Liberalitati, Eleemosynæ, fœderi & successioni*. 5. سورة الانعام *Surata bestiarum*; العلم والحكمه والمعرفة هل يصلح ام لا *Scientiæ, Sapientiæ, notitiæ, successura ne sit nec ne*. 6. سورة الاعراف *Caput de Septo*; الجود والسخا والبخل والامساك 7. *Bonitati, liberalitati, avaritiæ, retentioni* سورة الانفال *Surata de Spoliis*. النصره والظفر والغلبه والمخالفه *Opitulationi, victoriæ & contentioni*. 8. سورة التوبه لتهمه حقيقتها ام نطالتها *Surata pœnitentiæ, Suspicioni, vera ne sit an falsa*. 9. سورة يونس *Surata Jonæ*; الحديث صدق كذب *Relationi, vera an falsa sit*. 10. سورة هود *Surata Hudi*; الفتح والنجاة والخوف السوء *Occupationi* (urbis, terræ) *& evasioni; terrori & malis*. 11. سورة يوسف *Surata Josephi*, الحب حقيقه ام البغضا *Amori, sit ne sincerus*, an odium. 12. سورة الرعد *Surata tonitrus*; ادراك المامول ام الياس *utrum, quod speratur obtineri possit, an desperandum sit*. 13. سورة ابرهيم *Surata Abrahami* السفر والحركة هل يصلح ام لا *Itineri & motui, prospere, an secus succedat*. 14. سورة الحجر *Surata Alhegher*: القايب تقدم سريعا ام لا *An qui se abscondidit, cito se debeat sistere, nec ne*. 15. سورة النحل *Surata Apum*; التجاره فيها الربح الخزان Artificium (prop. fabri lignarii) utrum in eo lucrum, an difficultas. 16. سورة بني اسرايل *Surata filiorum Israel*; المال يرزق ام لا *Opes, an suppeditaturus sit, nec ne*. 17. سورة الكهف *Surata speluncæ*: ام يكن ام لا *utrum fuerit, nec ne*. 18. سورة ال مريم *Surata populi Miriam*. السرقه والادبق هل يجد ام لا *Furtum & fugitivus, utrum reperiatur, nec ne*. 19. سورة طه *Surata Tah*; السلطان يعدل م لا *Sultanus, justus ne, annon*. 20. سورة الانبيا *Surata Prophetarum*; الخف والرخفي والقحط الغلا Inopia, tenuitas, fames, annonæ caritas. Atque hoc est, quod monuimus Comp. Theat. Orient. *pag.* 120. De hac Kabbala Arabum prolixius agitur in Œdip. *Kircher. Tom. II. Class.* 5. Adde quæ de usu & forma ejusmodi amuletorum Histor. Muselm. Leuncl. habet *pag.* 36. *Mos inolevit, ut in militaribus signis Muselmannorum Alis acinax, sive sulficar, velut inauspicatus Christianis, faustus ipsis exprimatur. Solent præterea quædam amuleta tam pro se, quam suis equis confecta per Hoz-*

za,

za, *& Talismanos sive sacerdotes, equorum collo appendere, cum in hostem ituri sunt: certo persuasi, se tutos iis adversus hostiles esse ictus. Schedæ oblongæ sunt, & instar rotularum, quas vocant, convolvuntur, precesque magicas & superstitiosas continent, & Alis mentione nunquam carent. Hujus generis amuletum (Hamaili & Nusca Turcis dicitur, Ludovico Bassano Jadrensi Chamalie) apud magnificum virum, Hieronymum Beck a Leopolstorf, Cæsari nostro a consilio, videre me memini, cui verba sequentia sermone barbaro erant inscripta*: Jafeta, Jafeta, illa Ali Jaseife illa sulficar, *quorum sententia est*: Prodire de vagina debere acinacem, qui Alis acinax sive sulficar fit. Quid si Arabica sint verba

لا فتحا يفتح الا علي لا سيف الا دوالفقار

Nemo vagina nudavit gladium (tanto cum successu) nisi Ali, nec *gladius alius*, *(tanti nominis) quam ejusdem Du-l-fikar*. De hoc gladio miræ sunt Arabum fabulæ. Nugantur, quoties eum eduxisset Ali, divisum fuisse, ut geminus efficeretur, cubitos 18. longus. Eodem Christianos utroque latere ceu fœnum fuisse demessos; quin & montes & scopulos eo dissecuisse; ut idem habet *Leunc. l.* 1. & *Pand.* c. 155. Dulficar Arabicæ voces sunt, دوالفقار forte *vertebratum* ejus *dorsum* indicantes. Muhammedis erat, inter octo alios vel hostibus ereptos, vel ab amicis oblatos primæ notæ, qui hæreditario postea jure ad alios devolutus est. Vid. *Not. in Ros. pag.* 547. *Lex Gol.* R. فقر. Memini me alias & acinacem vidisse in Serenis. Electoris Archæotheca scriptura Arabica notatum, & gladium Damascenum. Sed & poculum ante triennium Eslingæ ostendit Clar. Medicus, D. *Faber*, cum inscriptione Persica; مبارک باد سعادت باد مبارک باد سعادت باد مبارک باد سعادت باد *Benedictum sit; faustum sit; benedictum sit; faustum sit; benedictum sit; faustum sit!* Quibus verbis utrum vim σημαντικὴν tribuerint; συμβολικὴν, μνημονικὴν, an ἀμυ-τήριον, alias examinabimus.

b. Quales sunt, de quibus supra *p.* 156. & *Anton. August. de Numm. Vet. pag.* 10. *Arabicos nummos ipse aliquot penes me servo, hinc Arabicis, altera ex parte Græcis characteribus notatos; suntque a Christianis in Sicilia facti, unde eos accepi: quosdam etiam ibi reperi, ut & in Hispania, integre Arabicos, de quorum antiquitate nihil habeo quod dicam.*

XVIII. *Ad aliorum Orientalium sive* (a) Chatajorum, (b) Pœnorum, *&c. Sed &* (c) Gothorum *etiam*, *atque* (d) Hetruscorum *accedendum esset nummos; quando vero nondum iis, quæ necessaria sunt, ad pertractationem materiæ adeo difficilis, instructi sumus subsidiis, placet præsentem tractatum, docta, doctissimi viri, de re nummaria Orientali, claudere Epistola.*

a. De quibus *Gol.* addit ad Atlant. *pag.* 12. *Catajum, magni Chani legibus adeo erat obnoxium, ut pretiosi licet metalli copia non deesset, non alia, quam papyracea uti liceret moneta, quæ omne pretium haberet a solo Imperatoris impresso sigillo.* Id quod tum hoc ipso, tum aliorum probant exemplo, *Autores Dissert. de nummo Scorteo pag.* 12. Chartaceos ergo habebant nummos, prout alii *Scorteos*, sive *Coriaceos*: Alii *ferrum* adhibebant, *stannum*, *Orichalcum*, *testas*, *conchylia*, *piper*, *lutum*, *lapides*, *fructus arborum*, *ossa demortuorum*; & alia, de quibus monetarum materiis tuum iidem consuli possunt, tum *Cæl. Rhodig.* Antiq. *l. VI. cap.* 2. *Johannes a Ghokier* Tract. de re numar. prisci ævi *cap.* 3. *pag.* 16. 17.

b. *Anton. August. Archiep.* Tarrac. de Numm. veter. *pag.* 10. *Alia sunt Asiæ numismata, quædam etiam Africana, ut Cyrenarum. Peregrini vero idiomatis nummi extant Carthaginensium. Extant & Siciliæ Punicis Characteribus notati.*

c. Id. ibid. *Credo equidem extare Gothica numismata; sed quæ Gothorum Regum Italiæ & Hispaniæ legi possunt; ea Latinis literis nomina inscripta habent, demto aureo, quem mihi Alvarez Gomesius Toleto Græcarum Doctor literarum misit. Quamvis enim literas aliquot præferat, legi aut saltem intelligi non potest.* Certum est, Gothicum Alphabetum cum Latino magnam habere affinitatem. Sed & differentiam magnam reperio, ut postea monebo. Hos nummos, ceu abjectos, & contemtos, consideratione judicat indignos *Ludov. Savotus*, Discurs sur les Medalles antiques, *P.* 10. *cap.* 23. *pag.* 399.

d. *Archiep. Tarrac. l. c. Quia & Italici visuntur, ignotis characteribus insigniti, Linguæ fortassis Oscæ vel Etruscæ.*

e. Est hæc celeberrimi, & de Republica literaria optime meriti D. Conringii: *Hesterno die Redeckerus noster & salutavit me Tuo nomine, & simul obtulit priores aliquot plagulas cum Compendii Theatri Orientalis, tum Appendicis Compendii Theologiæ Judaicæ: Adjecit & Tabulas binas rei nummaria tum unam cipporum Hebraicorum, & denique si quid habeam Nummorum id generis, uti depingi curarem, tibique*

bique transmitti, rogavit. Ego vero magnas Tibi gratias habeo pro hisce omnibus: ante omnia Deum precatus, uti incolumem Te porro servet bono publico, rei litterariæ, quippe cui es profecto utilissimus, sive industriam spectem, sive Orientalis doctrinæ inusitatam peritiam. Et vero ipsæ illæ plagulæ mirifice in me incenderunt amorem pariter Tui & admirationem, qui me jam pridem occupaverant, &c. ut jam tum aliquoties publicis scriptis utrumque testatus sim. Vix sane fero desiderium utriusque Tui compendii: Sed & novam cipporum editionem avide exspecto. Utinam vicissim Tuo quoque desiderio satisfacere nonnihil, in mea sit potestate? Cæterum Nummorum veterum Hebraicorum, quod quidem ausim genuinum credere, nihil mihi est. Neque vero binos illos quos possideo Sicli titulo insignatos, alterum Samaritanis, alterum Hebraicis, hodie sic dictis, sive Assyriacis Esdræ characteribus inscriptum, arbitror vel vetustati, vel notæ bonæ esse. Uterque sane justo sicli pondere caret. Samaritanus manifesto recentior est, alioquin plane geminus illi, primo loco quem exhibet Tabula tua primæ editionis libelli de Cippis Hebraicis literis inscriptum nullum arbitror genuinum reperiri: multo minus ergo hunc meum laudaverim. Habet Serenissimi & vere Augusti Principis mei filius natu minor, paternæ autem virtutis æmulus, Ferdinandus Albertus in Cimelio suo, binos æneos: sed video alterius imaginem jam abs Te, fortassis ex Clarissimi Schraderi nostri opusculo, expressam nova illa Tabula, alterius, cum effigie Moysis, jam tum prima editione exhibitam. Est vero & ille Mosaicus indubie adulterinus, & a recente atque imperita manu. Habet etiam ὁ πάνυ Georgius Calixtus noster argenteum Samaritanis characteribus siclum, inscriptum haud parum vetustum. Verum & ille apud nos morari desiit: visus quoque mihi suspectus, cum quod magnitudine non nisi semisiclum æquaret, tum quod dumtaxat esset pondere drachmarum duarum, scrupulorum duorum & sex granorum, cum justus siclus fuerit τετράδραχμος. Erat cæteroquin plane similis siclo secundo & tertio Villalpandi sua inscriptione & figura. Habet amicus meus Lipsiæ Samaritanis literis inscriptum aureum: sed nec illius vel descriptio, vel figura ad manum est. Itaque quamvis pervelim, hac tamen parte juvare Te nequeo. Ut intelligas tamen animum desiderii tui explendi cupidum, en Tibi depictos aliquot nummos meos, optimæ quidem notæ, sed mihi ignotis characteribus insignitos. Priores duo argentei sunt quasi denarii. Punicos esse suspicor, idque quoniam Anton. Augustinus dialogo VI. itidem Chartagenenses duos aureos sibi esse testatur, in quorum parte altera facies fœminæ, altera equus sit expressus: unius etiam inscriptæ literæ videntur, isti quales Punicos expressit in Sicilia sua Paruta. Tertius aureus est sive potius inauratus: sed qui sit nescio, nisi forte Gothicus aliquis fuerit. Quartus pariter & quintus æneus est, & longe vetustissimus, incompertæ vero mihi gentis, nisi quod itidem Punici videantur. Sextus, nisi vehementer fallor, vetus est Hetruscus. Video siquidem hic signa Aguratus & Pontificatus, qualia ab Hetruscis acceperunt Romani. Ut autem jam fassus sum, quicquid horum affirmo, tantum levibus conjecturis nititur: certi quod asseram nihil habeo equidem. Malo igitur ab aliis doceri. Quod nisi tu possis, fortasse poterit nemo. Quis enim in similibus Te superet? Ut vero ad nummos Hebraicos redeam, non dissimulabo Tibi παράδοξα quædam mea. I. Est, nullum nummum Hebræorum olim sicli nomine dictum, qui non fuerit argenteus. II. Est, nullum nummum qui imaginem hominis refert genuinum esse: eoque illum Salomonis & Mosis effigie insignitum, & si qui alii sunt similes, cumprimis qui imaginem habet nostri Salvatoris, adulterinos omnes esse. III. Est, nullum nummum characteribus Hebraicis ornatum, esse bonæ notæ aut multum vetustum. IV. Est, non posse ullo certo indicio ostendi, nummos qui literas habent inscriptas Samaritanas captivitate Babylonica esse antiquiores. V. Est, nummos illos omnes esse cusos Hasmonæorum & Herodum temporibus, & quidem ab ipsis postquam cudendi nummi potestatem a Demetrio fuerint nacti, Samaritanos enim characteres fuisse in usu vulgari, Hebraicis autem solis sacris codicibus describendis quasi dedicatos. VI. Denique est, unum duntaxat fuisse sicli genus, non vero alium siclum sacrum, alium profanum. Hæc mea παράδοξα posse me arbitror non vanis argumentis, saltim vero perquam similia facere. Ast nunc quidem potius malo exspectare secundam editionem libelli Tui: idque quoniam fortassis adferes in medium rationes propter quas cogar mutare sententiam. Id quod facere sum paratissimus, sic ubi doceor certiora: utpote quum fatear, non constare hæc mihi certa ἀπόδειξει, sed tantum probabili quadam collectione. De Cippis Hebræorum velim audire sententiam tuam, num quem eorum censeas esse multum vetustum. Mihi videtur sane, aut ficta esse pleraque, aut cippos illos exstructos esse a Judæis postquam successit in Palæstina imperium Christianorum Europæorum. Et vero, etiam illi qui diligentissime (ut Burchardus) sunt per-

persecuti ex Christianis nostris res Palæstinæ, quales fuerunt ante hos trecentos amplius annos, vix unius & alterius cippi fecere mentionem.

Breve, ad hanc Epistolam responsum nostrum est:

CELEBERRIME VIR.

IN ære me Tuo esse, tanto fateor libentius, quanto me Tibi defæneraſti nominibus pluribus. Nec præmio suo fraudandus doctissimus D. Redeckerus, tum quod antehac sua me præsentia dignum æstimarit, tum quod ex Gallia nuper reversus, adeo prolixe sua mihi obtulerit officia. Occasionem præsertim, Te, per eum, salutandi, negligere nec debui, nec volui, hoc ipso tamen votis meis inferior, quod nihil esset ad manum, quo in tanti viri amicitiam me insinuarem. Humanitatis Tuæ singularis est, quod paucas, quas recenses, pagellas tanti fecisti; ut vel reluctanti, judicium Tuum, calcar addere, & ad pertexendam telam excitare me potuerit. Ego vero gratias, quas debeo, ago maximas, tum pro elaboratissimo Tractatu de Bibliotheca Augusta, & honorifica in eo mei mentione; tum pro missis nummorum, vel sola raritate commendatorum, typis, pro aliorum quorundam ἐκτυπωμάτων, communicatione, indicio denique facto, nummi Moguntiæ asservati, cujus altera facies *Absolomi Davidis filii*, habeat inscriptionem; quibus, jussu Incomparabilis Tui, ac vere Augusti Principis, filii secundo-geniti D. *Antonii-Ulrici*, Ducis Luneburgici, &c. (quem honorem Tibi gratissimo acceptum hic fero animo) meum de Orientalium nummis Tractatum auctiorem prodire voluisti. Quæ quidem omnia talia sunt, ut vel singula memorem mereantur animum; quem etiam tamdiu sincere spondeo atque candide, donec paria referendi blandiatur occasio. Sed quid de nummis Tuis? Non sum Œdipus. Plerosque quidem hactenus *Hebraicos*, *Samaritanos*, *Arabicos*, Cufico & vulgari Charactere notatos; vel explicui; hic tamen hæret aqua. Priores *duos* Punicos esse, libenter darem: si Punicæ literaturæ vestigia extarent. *Scal.* in Eusebianis suis *pag.* 110. Punicos characteres cum Samaritanis eosdem esse vult, nec dum ab aliis, meo judicio, ostensum perspicue satis est, cujusmodi veterum Pœnorum fuerint elementa. Tutius proinde & confidentius possum dicere, quid non sint, quam quid sint. Gothicis propius videntur accedere, tum quod equorum habeant figuram, tum quod una & altera inscriptionis litera a Gothicis non abludat. De *tertio* minus dubitationis. Gothicum esse, ex inscriptione colligo, cujus tamen literaturam facilius, quam sensum assequor. Ex Alphabetho enim *Gethico*, & annexa brevi institutione Grammatica, quam ex Seren. nostri Archivo, nuper magno meo commodo, amicus mecum communicavit, plane conjicio, vix ambigendum, quin ex Gothica nummus ille prodierit officina. *Reliquos* tres Elias restituat, non ego: nisi quod *sextus* eam plane referat figuram, qua ex Romanis nummis, Augustus, cum inscriptione *Cæsar Augustus, Divi F. Pater Patriæ*; quam habet *Jacobus Biæus* Antwerp. in Numismat. Imp. Rom. *pag.* 12. repræsentatur. Peregrina tamen iterum, & non Romana scriptura intercedit. Vides, quam nihil occurrat certi! Juvat tamen habere, ut ubi, suo tempore, aliorum accesserit collatio, solidius de iis edi possit judicium. Nunc ad παράδοξα, ut vocare placuit, & *primo* quidem tanto facilius accedere possemus, quanto usitatius in ipsa Scriptura siclus pro argenteo, & vicissim argenteus ponitur pro siclo, ceu diximus supra *pag.* 114. nisi disertus obstaret locus, 1. *Chron.* 21. *vers.* 25. ubi expresse legimus, *Davidem Arnano dedisse siclos aureos, pondere sexcentos*. Heb. שקלי זהב, quod *vulgat.* Siclos auri κατὰ πόδα reddit; Arab. مايتي استتير من الذهب *ducentos auri stateres*. Cur Syrus habeat ܚܡܫܝܢ ܐܣܬܐܪܝܢ *quinquaginta stateribus*; Cum staterem Syri quatuor zuzis, sive denariis Romanis (quorum quatuor siclum constituunt) definiunt, non video, nisi quod in re nummaria veterum Hebræorum hospites videantur & peregrini. Consul. sup. *p.* 153. Sed & LXX. (eidem forte ὑποθέσει δυλλόντες, Siclos tantum dari argenteos) transtulerunt σίκλους χρυσίου. Tutius textui inhæremus, qui Siclorum aureorum expresse meminit. Secundum paradoxum, κατὰ θέσιν consideratum ægre Judæorum admittere videtur praxis. Scio, magnos esse viros, *qui eo gravius fuisse* scribant *Judæis tributum Romanis præstitisse, quod ultra dispendium argenti, Cæsaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeo illi offerre cogerenter; cum memores ipsi divinæ Legis omne sculptile, omnemque imaginem detrectarent;* ab aliis tamen jam. *Seldeno* præsertim, *de Jur. Natur.* & *Gent. l.* 2. *c.* 8. *pag.* 232. &c. probatum est, Judæos a picturis & sculpturis tum animalium, tum hominis non abstinuisse absolute; imo ne nummos quidem Christianorum cruce signatos respuisse,

se, ceu supra *pag.* 111. monuimus. Nihil ergo obstare existimo, quo minus veteribus Judæis nummos tribuamus variis, hominum etiam imaginibus, insignes. In *hypothesi* tamen, qui Mosis & Servatoris præferunt figuram nummi, manifestæ nimis sunt suspecti, imo convicti, νοθείας; de Solomonis nummo judicium nostrum extat supra *pag.* 120. Nullum vero, *tertio* nummum characteribus Hebraicis ornatum, esse bonæ notæ, aut multum vetustum, hactenus animadvertere non potui. Quin potius, ex variorum didici collatione, neque scriptura Hebraica notatos; omnes fuisse Χθὲς ἢ πρώχθες cusos; non certe Solomonicos illos, de quibus paulo prolixius supra *pag.* 120. 139. nec Samaritica, omnes esse veteres, non illos, de quibus *pag.* 140. Nondum enim satis hactenus probata eorum est sententia, qui *quadratis* Hebræorum *literis* ultimam abjudicant antiquitatem, prout compendiose demonstratum a nobis est, *Centur. Quæst. Theol. pag.* 118. Vetustissimi Hebræorum Codices, *inscriptiones*, *&c.* satis abunde hactenus mihi eorum commendarunt sententiam, qui non statim, quod Samaritanis caret notis, aut elementis, ceu novum, rejiciunt. Non posse vero, *quinto*, ullo *certo indicio ostendi*, *nummos*, *qui literas habent inscriptas Samaritanas captivitate Babylonica esse antiquiores;* tanto facilius concedo, quanto difficilius est, de nummorum ejusmodi Samaritanorum, ob defectum adscriptarum Epocharum, judicare exacta antiquitate. Quemadmodum autem certi nihil de eorum pronunciari potest ætate *affirmative;* ita neque tutum satis videtur omnem nummorum, qui hinc inde in Cimeliothecis asservantur vetustatem infra captivitatis annos restringere. Cur enim aliud posteriorum quam priorum siclorum sit fatum, ut illi tanto numero, aut amissi, aut hostium metu absconditi, aut vastatione perditi reperiantur; hi reperti fuerint nuspiam? Unde, quod *sexto* affertur, *nummos illos omnes cusos esse Hasmonæorum & Herodis temporibus*, *& quidem ab ipsis Judæis*, *postquam cudendi nummi potestatem a Demetrio Nicanore fuerint nacti; Samaritanos enim characteres fuisse in usu vulgari*, *Hebræos autem solis sacris codicibus describendis*, *quasi dedicatos*, difficultate omni carere non existimo. Neque enim video, cur nullos Hasmonæorum temporibus vetustiores, in thesi saltem, agnoscamus nummos. Usus nummorum apud Hebræos, & antiquissimus fuit, & continuus. Quidni igitur, ex ruderibus Hierosolymitanis, vastatæ urbis, incensi templi, vel aliquos posteritati, studiose investiganti, relictos dicamus? De *Romanis* & *Græcis*, & antiquissimis quidem Antiquarii difficulter nos ambigere sinent; cur de solis desperemus Hebræis? Ipsæ nonnullorum inscriptiones qualis est Solomonis, cui nummo non parum tribuo, majorem sæpe præseferunt antiquitatem. Ab Hebræis autem cusos illos fuisse, in signum αὐτονομίας; literis, ut plurimum, vix tamen semper; Samaritanis non repugno. Unum *denique* fuisse, ratione ponderis, sicli genus, libenter dedi; confirmavi etiam supra *pag.* 124. Inscriptionum ἐπιταφίων adeoque cipporum Hebraicorum, de quibus sub finem mones, eadem, proculdubio, autoritas omnium non est. Quæ a nimia commendantur antiquitate, suspicione vix carent. Superesse tamen a mille & amplius annis genuinos & integros cippos, tam non dubito, quam certum est, Romanorum & Græcorum multa monumenta & Epitaphia, etiam antiqua, esse γνήσια. Ab iis, qui Orientem peragrarunt, non diligenter satis vel observata, vel annotata ea esse, non miror. Obstabat, utplurimum, curta literaturæ Hebraicæ supellex: quæ postquam Europæis familiarior esse cœpit, multas nobis inscriptiones Orientales, de quibus peculiaris nostra extat *dissertatio*, eruderavit: quamvis dispari, & infelici multorum, successu. Hæc omnia αὐτοσχεδιαστί. Prolixa enim & præmeditata commentaria hac vice a me occupatissimo expectari non poterant.



JACOBI RHENFERDII
PERICULUM PHŒNICIUM
SIVE
LITERATURÆ PHŒNICIÆ ERUENDÆ
SPECIMEN.

CUM ſuperiori anno *Periculum* ederem *Palmyrenum*, in quo veterum Syrorum, qui Palmyram incoluerunt, literas eruere & in lucem proferre ſum conatus; de literatura *Phœnicium* ſimile quiddam promiſi: Quod id ex nummis, quos cum apud *Aldreten* in *Antiquitatibus Hiſpanicis*, & Illuſtrem *Vaillantium* de *Regibus Syriæ* inveneram, tum vero Amſtelodami in Gazophylaciis Clariſſimorum Virorum, *Jac. de Bary* & *Jac. de Wilde*, videram, bonam partem præſtari poſſe confidebam. Ut itaque datam fidem exſolvam, & ſtudii mei in hoc genere literarum ſpecimen quoddam exhibeam: Viſum eſt quorundam nummorum, *Phœniciis* literis ſignatorum, inſcriptiones huc appingere, earumque interpretationem Viris doctis offerre examinandam.

II. Cum vero nummi illi non ejuſdem omnes ſint generis, & characteres pro locorum diverſitate, in quibus illi ſunt percuſſi, non nihil differant; non abs re fore arbitratus ſum illos in ipſo limine diſtinguere, quo facilius tandem diverſa hujus literaturæ alphabeta conficiantur.

III. Alii ſc. nummi a Phœnicibus in Hiſpania, alii ab iiſdem, vel ſi malis a Pœnis, in Africa, alii denique in Judæa, Phœnicia & Syria ſunt percuſſi: Quorum illos adeo *Hiſpano Phœnicios*, iſtos abſolute *Punicos* vel *Africanos*, hos denique *Judaicos* & *Syro Phœnicios* appellare licebit. *Siculos* quo referre debeam, vel an a reliquis omnibus diſtingui mereantur, hactenus ambigo.

IV. Ut vero ſit, ubi pedem figere, ubi ſiſtere detur; quædam præmittenda erunt, quæ nobis ad Literaturam *Phœniciam* in veterum nummis inveſtigandam aditum aperiant, viamque muniant. Primo itaque atque ante omnia ſupponemus:

Literas Samaritanas hodiernas maximam partem eaſdem eſſe atque veteres Phœnicias.

Secundo, *Origenem totius literaturæ Phœniciæ repetendam eſſe ex literatura Hebrea ſive Aſſyriaca, id eſt, charactere illo quadrato, quo Judæi in hunc uſque diem in Lege deſcribenda, Bibliiſque excudendis utuntur.*

Priorem hypotheſim ſic ſatis receptam arbitramur; utpote a ſummis Viris, *Sca*-

ligero, & *Bocharto*, aliisque jam pridem adoptatam: Posteriorem partim ipsi jam alibi probavimus, partim, quando institutum nostrum de *Literatura Phœnicum* absolvere dabitur, ulterius ex ipsa collatione cum *Hebraica*, dabimus demonstratam.

V. Tertio vero etiam petimus; *A nummis Gaditanis, aliisque a Phœnicibus in Hispania percussis, investigandi initium ducere liceat.*

Cum enim ipsi hos primos apud *Aldreten* observavimus, in iisque primum periculum fecimus: tum vero illius commatis complures elegantissimos & integerrimos in Musæo *Jac. de Bary*, manibus atque oculis usurpavimus, ut de vitio vel fraude nulla suspicio esse possit, & dubia omnia, quæ ex rudiori sculptura apud *Aldreten* oboriri poterant, penitus tollantur. Accedit, quod Vir ille Amplissimus eosdem jam fida manu, perquam eleganter & accurate, æri incidi atque excudi curavit, & erudito commentario illustratos brevi est editurus: quando nobis quoque in illis interpretandis aliquid loci relictum iri speramus. Porro, quod summum est, & caput rei, characteres illis impressi ejusmodi sunt, ut de plerisque illorum, saltem quos in præsenti exhibebimus, dubium nullum restet; cum Viri Docti, qui eosdem apud Virum Ampl. versarunt, interpretationi a nobis datæ hactenus adstipulentur. Ex quo denique id commodi nobis, Lectorique nostro, oriturum speramus, ut ab his, tanquam notioribus, ad alios minus cognitos & forte controversos, tuto & inoffenso pede pergere possimus.

VI. Ne vero Viro Amplissimo prævertere, aliisve præjudicium creare velle videamur; missis omnibus aliis, inprimisque Solis, Lunæ & Telluris Symbolis, quæ in illis nummis occurrunt; nudas tantum duorum triumve nummorum literas, ex tabulis, quas Vir Ampl. jam pridem humanissime nobiscum communicavit, rudi quidem Minerva, sed fide quanta possumus maxima, delineatas, considerabimus & exponemus.

VII. En itaque tibi, B. L. characteres Phœnicios nummis illis impressos, cum nostra eorundem explicatione Hebraicis literis & Latinis, quam mox pluribus conabimur probare. Quod dum facimus, illud adhuc petemus; Liceat nobis in re nova atque insolita, ad quam Typographia non est instructa, alios cujuscunque linguæ characteres adhibere, qui ad Phœnicios similitudine quadam proxime accedant.



II. & I.

חבעל קנק

KNK LHBT

IV. III.

RDGV LHBT -- RDGV ZLHB

בעלז ונדר -- חבעל וגדר

Quæ si quis integra & Latine legere velit, sic, salvo aliorum judicio, legenda censeo:

ToBHoL*icum*, K*a*N*a*K*a*. B*a*H*i*LoZ V*e*G*a*D*i*R. ToBHoL*icum* V*e*G*a*D*i*R.

VIII. Cum vero non ignorem alios Viros Doctos esse, qui illud חבעל aliis vocalibus animatum legere malint, T*e*B*a*H*e*L; hactenus illud, ne cui morosior videar, lubens concedam: cum quæcunque etiam vocales addantur, literæ tamen, de quibus solis hactenus quæritur, eædem esse agnoscatur.

IX. Sed hæc horum characterum explicatio plenius probanda erit. Figuram itaque hanc decussatam, X, pro ת, vel *Tau* accipimus, *Hieronymi* autoritatem secuti, qui ad *Ezech.* IX. 4. ita commentatur: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema* Thau *littera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Præluserat illi jam olim, teste Illustriss. *Scaligero*, *Origenes*, ad loc. cit. Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων, Σημειώσεις τὸ Ταῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα. Ἑβραίων δέ τις τῶν εἰς Σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε, τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἔχειν τὸ Ταῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι προσεμφερές. *Aquila & Theodotio; Signabis* Tau *super frontes. Sed Hebræorum quidam, ex illis qui in Servatorem crediderunt, vetus Alphabetum* Tau *habere ait simile figuræ crucis.* Præclara sane, de figura *Tau* Samaritici, testimonia. Sed horum autoritati vehementer recla-

reclamat *Scaliger*, aliique illum ſecuti Viri Docti. Sed illi nummorum horum fide facile & valide refutantur, quemadmodum infra pluribus oſtendemus. Nunc, ne demonſtrationis ſeriem interrumpamus, ad ſequentem literam pergemus.

X. Eſt ea), quam Hebr. ב, vel B, reſpondere, ex eaque derivatam & contractam eſſe exiſtimamus. Quemadmodum enim Syri Maronitæ ex eodem Heb. ב, vel majuſcolo Neſtoriano, ܒ, ſuum ܒ latiori ductu incurvarunt; & hodierni Samaritani ࠁ, ſuperiori linea recta in circulum curvata: ita veteres Phœnices Hebræum ב, Syriacumve ܒ, plane contraxerunt & diminuerunt in); imo aliqui illorum tandem tantum non in lineolam rectam, oblique a dextra ad ſiniſtram deſcendentem, hoc modo, vel J.

XI. Tertia litera eſt O, Hebr. ע, & ex eadem derivata: qua figura illam jam olim Cadmus in Græciam intulit; uti ex ſerie literarum apparet. *Men*, *Nun*, *Samech*, *Ajin*. ע. ס. נ. מ. eodem ordine M. N. Ξ. O. Sed quid a Græcis argumenta petimus, cum nummi Simonis, P. M. & Ethnarchæ Judæorum, rem extra omnem dubitationis aleam collocent; in quibus τὸ ע aliquoties per O Gr. Romanumque eſt expreſſum? Sic certe ſub *Palma*, in *Torque*, & in omnium Judaicorum numiſmatum primo, quod ita habet:

שמעון נשיא ישראל:
שנת אחת לגאולת ישראל:

Simon Princeps Iſraelis:
Anno primo (recuperatæ) *libertatis Iſraelis*.

XII. Τὸ ʎ, eſt Samarit. *L*, quomodo etiam in alio nummo ſculptum legitur. Sed hæc litera tam varie in eiſdem nummis expreſſa invenitur, ut aliquando nativum ל Hebr. quam accuratiſſime repræſentet, aliquando etiam λ Græcum. Ita ut ex hoc ſolo charactere & origo literarum Hebræa, & earundum derivatio per Phœniciam in Græciam ad oculum cuivis conſtare poſſit:

ל, ʅ, ﬥ, *L*, ʎ, λ.

XIII. In voce KNK literæ omnes adeo Hebraicæ ſunt, ut neminem tam ſtupidum credere poſſim, qui non illico primo intuitu illud obſervet. Sive enim ק ſcribas utrinque apertum; ſive ſupra claudas ꝑ; ſive denique utrinque, P P: negabit. Τὸ y pariter *Nun* Hebræum aperte præ ſe fert, נ inquam, niſi quod ſuprema lineola tranſverſa hic paulum inclinetur, ut oblique in lineam perpendicularem incidat.

XIV. Sed quid illa barbara nomina, *ToBHoL & KaNaK*, ſibi velint? Optarem equidem multis modis ea dicere, quæ ſua ſeſe evidentia cuivis Lectori probare poſſint; ſed vehementer vereor, ut nobis liceat eſſe tam beatis, ut ſine aliorum offenſione, quam in re nova atque difficili maxime vitare velimus, defungi queamus. Animi tamen ſententiam modeſte proponere quid vetet, קנק, igitur, ſive *KaNaK*, veteris urbis nomen eſſe ſtatuimus, quam Ptolemæus ad flumen *Anam*, hodie *Guadi-Anam*, locat. Cujus numquæ hodie veſtiga ſuperſint, Hiſpanis ipſis inquirendum relinquo. Locum tamen veluti digito monſtrare non verebor. Exonerat ſe in Anam, a ſiniſtra, amnis, qui hodieque *Rio Chanque* in tabulis Geographicis appellatur: Quod quid aliud ſit, quam *Flumen Kanaka*? Ex quo fit, ut *Kanakan* noſtram ad *Anæ* & *Canacæ* confluentes ſitam fuiſſe exiſtimem; ſive amnis oppido, ſive oppidum amni nomen dederit. Conferatur ſitus *Canacæ* apud Ptolemæum, & locus ubi *Rio Chanque* ſeſe in Anam exonerat, & res, credo, liquido patebitur.

XV. Quid vero de prima voce, תבעל, *TBHL*, fiat, quam alii Docti Viri תבעל *TeBaHeL*, legere velint; ego ſupra *ToBHoL*, id eſt *ToBHoLicum* ſum interpretatus? Eloquar, an ſileam, neſcio. Quod ſi tamen aliorum bona venia, meam ſententiam paucis dicere liceat; nomen itidem urbis alicujus vicinæ, in Bætica, vel forte Luſitania, fuiſſe exiſtimo, ab uberrimo argenti, vel alius cujuſcunque metalli proventu, appellatæ. Conjecturæ fidem facient alia in Celtiberia, non procul Pompelona, loca, *Tritium Metallum*, & *Tritium ToBoLicum* (vel, ut alii, nullo noſtræ cauſæ detrimento, legunt *ToBoRicum*) *Tubal*, Japheti F. a quo *Tybareni*, Chalybes, nomen & originem ducunt; & denique ærariorum & ferrariorum, imo metallicorum omnium Princeps *Vulcanus*, ſive *Tubalkainus*, Gen. IV. 22. Sed hæc verbo indicaſſe ſufficiat, quæ alias, Deo volente, fuſius dabimus declarata.

XVI. In voce ʌ לס), quæ in tertio nummo, tres primæ literæ notæ ſunt, ut ſola quarta quærenda reſtet. Hanc *Zajin* eſſe contendo, ortam ex Hebræo ז. Quod ſi enim inde ſiniſtram lineolam decutias, remanebit ʅ, quod eſt ipſum noſtrum ʌ. Alibi etiam hoc modo ſcalptum invenitur, ʅ, ʃ, ſ. Unde adeo urbis nomen

men esse credo, בעלץ, *BaHiLoZ*, Βαί-λων, *Balon*, in freto Herculeo sitæ; Τῷ Z a Græcis Latinisque in N mutato, quia illud in fine non admittunt.

XVII. Altera vox *Gadir*, *Gaddir*, vel Γάδειρα, nobis exhibet, & quidem cum copula *Et*. Τὸ ꟻ enim (sic defectu aliorum typorum literam exprimimus, cujus genuinum ductum, B. L. in nummo ipso, *pag.* 5. *num.* 3. accuratius contemplabitur) nihil nisi purum putum *Vau* est Samaritanum, Pœnicium, jam olim hac ipsa figura a Cadmo in Græciam illatum; quod, si invertas, est ipsum Digamma Æolicum, Βαῦ ἐπίσημον, vel F nostrum Latinum. Porro τὸ 7 est ג *Gimel* Samaritanum, unde, si invertas, Græcum quoque Γ fit. Nihil certius, nihil facilius. Ultimum (q) nemo *Res* Samaritanum esse negabit, a quo nullo modo differt, & ex quo inverso Græcum P, Latinumque R, fluxerunt.

XVIII. Huic porro (q) proxime antecedens figura (q) simillima est, nisi quod minor sit q q. Et notatu dignum est, in omnibus nummis *Gaditanis*, etsi diversissimi sint commatis, hanc differentiam constanter observari, quod penultima semper minor sit. Cum itaque *Res* apud Samaritanos, Syros, Hebræos, sibi similem agnoscat, quartam sc. literam *Daleth*; angulo saltem, vel punctulo, differentem:

ר ד, q 4, ד ד, ; ?.

confidenter hanc nostram quoque (q) *Daleth* esse pronuncio. Unde sequetur, q q ר ꟻ esse ונדר *VeGaDiR*, *Et Gadir*, *Gades*.

XIX. Atque huic nostræ horum characterum explicationi neminem facile adversaturum arbitror, nisi forte Τὸ ꟻ adhuc dubium maneat. Age igitur, ut rursus liberales simus, sit maneatque τὸ ꟻ tantisper dubium & incertum, donec alius quivis modius quiddam comminiscatur. Sit itidem incerta figura, quæ ante vocem *Gadir*, vel *Gaddir*, Num. IV. occurrit. Facilis nobis hactenus unius alteriusve literulæ jactura erit, cum de reliquis illis præcipue laboremus; quas nemo eorum, qui easdem viderunt, nobis, quantum quidem sciam, hactenus controversas fecit. Præferant ergo nummi illi TBHL, KNK, BHLZ, ∴ GDR. Quibus inventis & recte cognitis, facilis & plana ad alios nummos explicandos via erit.

XX. *Aldretes* itaque præter tres *Hispano-Phœnicios*, quatuor alios exhibet, quos characteribus *Africanis* signatos existimamus: Quibus denique, unum addit in *Sicilia* cusum, a quo initium facere lubet. Hic altera parte *dimidium equum* præfert, supra quem *victoriola coronam* exhibet; pone illum *tria crura* videntur, cum *ramo palmæ*, denique etiam *spica*: inscriptio est ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ. Altera facies *Palmam* habet, & ad ejus latera hos characteres,

⚘ q h--p q ⚘

quos legimus *SyRaK HaDaS*, id est, *Syracusam novam*. Duas posteriores literas in voce שרק jam sic satis notas esse supponimus, neque quenquam, qui literas Phœnicum vel in *Samaritanorum* libris aut Alphabeto, vel nummis *Judaicis*, quos vulgo perperam *Samariticos* appellant; vel denique in nummis *KaNaKanis* & *GaDdi Ranis* modo explicatis; non dicam *sedulo attenteque* consideraverit, sed leviter saltem & fugitivo oculo inspexerit, ignorare posse arbitramur. Sc. (٩) est ר vel R; P vero ק, vel K. Cum itaque sic syllabam *RaK* habeamus, & pars adversa nummi *tribus conjunctis cruribus* Trinacriam sive Siciliam designet; quin ipsum regis *Syracusani* nomen præfarat, ΔΙΟΝΥΣΟΥ: quis adeo stupidus sit, cui non illico *Syracusarum* in mentem veniat? quis, nisi in Orientalibus plane hospes & cœcus, *SyRaCusam* non videat? Nempe huc prima litera ⚘ nos ducit, quam nemo, credo, paulo humanior *Sin* vel *Schin* esse negabit, quæ Hebræis hoc modo ש, vel in nummis *W*, ש, Samaritanis ש, Syris charactere majusculo vel Nestoriano ܫ, Arabibus denique ش, vel ش pingitur. In quibus omnibus quemadmodum tres (apud Syros etiam fere quatuor) dentes eminent, a quibus etiam Literæ nomen est; ita iidem in hac quoque figura occurrunt, sed extremi, ad floris vel lilii instar, extrorsum curvati. Unde non dicam a viro Literato, sed vel a Literione aliquo, facile, & primo intuitu, *Sin* esse agnoscatur. Ex quo adeo tuto legere licebit, שרק, SRK, SyRaK, *Syracusa*.

XXI. Quibus sic positis fieri non potest, quin altera vox illico pariter intelligatur. Recurrit enim primo eadem litera ⚘, S, tum (٩), quæ, uti ex nummis Gaditanis constat, vel (R) esse debebit, vel (D.) Faciamus itaque τὸ q hic esse Daleth, & habebimus ⚘ q, דש, DAS, ut tertia litera (h) quæ hic primo

mo loco occurrit, ſola inquirenda reſtet. Quod ſi ergo cogitemus, quod res eſt, *Syracuſam Tetrapolin* fuiſſe, ſeu ex quatuor diſtinctis coaluiſſe oppidis; non difficile erit neque abſurdum cogitare, illorum unum *Novum* fuiſſe appellatum, quemadmodum noviſſimæ urbium acceſſiones vulgo, & paſſim hoc nomine appellantur, Belgice de Diewſtad, vel de Dieuwe Appleגging. Sed quid conjecturis agimus in re clara & manifeſta? cum plurium Scriptorum teſtimoniis conſtet, Syracuſarum unam urbem dictam fuiſſe *Neapolim?* Unus inſtar omnium eſto Cicero in Verrem, Act. V. de *Syracuſis: Ea*, inquit, *tanta urbs eſt, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur. Quarum una eſt ea, quam dixi. Inſula . . . Quarta autem eſt urbs, quæ, quia poſtrema ædificata eſt*, NEAPOLIS *nominatur*. Unde adeo ſequetur, primam illam literam (h) pro ח venire, ut integra vox ſit חרש *Nova*; & ſic *Syracuſa Nova*; ἡ Νέα πόλις, vel Νεάπολις, in qua hic, de quo agimus, nummus cuſus ſit; & quia forte cives ejus magnam partem origine & lingua Pœni fuerint, non tantum Græcis literis in nomine regis exprimendo, inſignitus, ſed & Punicis in memoriam civitatis. Vel forte in memoriam ingentis cladis, quam Pœni ad hunc maxime locum acceperant, quam cum aliis ſymbolis, tum propria quoque & vernacula literatura Carthaginenſibus perpetuo voluerint refricare.

XXII. Sin vero quiſpiam mediam literam [q] pro ר, vel R, accipere malit, nihil equidem repugnabo, ſed ſalvis reliquis hypotheſibus lubens legam חרש, HaRaS, quæ vox apud Orientales non tantum ſignificat *Arare*, ſed & *exarare, ſculpere, in ære, ferro*, vel alio quovis metallo *laborare*, quemadmodum vel ex *Geneſ.* IV. 22. liquet, ubi *Tubalkajin*, Vulcanus, ferrariorum & ærariorum omnium Magiſter, appellator לטש כל חרש נחשת וברזל *erudiens omnem fabricantem æs & ferrum*. Ex quo rurſum ſequetur, verba hæc שרק חרש commode reddi poſſe *Syracuſa ſculpſit, fabricavit, excudit*: quemadmodum nunc vulgo legimus, *Moneta nova argentea* hujus illiuſve Civitatis.

XXIII. Quicquid ergo horum ſit, ſive חדש legatur, ſive חרש, nobis res eodem redit, & oculato cuivis conſtare poſſe arbitramur: Nummum hunc ultimum Aldretæ literas *Punicas* nobis exhibere, non *Celtibericas*, non alias quaſcunque ignotas. J. Q. E. D.

XXIV. Sed quærat forte aliquis, quid ſibi Symbola illa altero latere expreſſa velint. Ego etſi me minime hiſce ſacris initiatum eſſe ſentio atque agnoſco; nedum me aliis myſtagogum offerre auſim: tamen quia alibi quoque ad ejuſmodi ænigmata explicanda ſum invitatus, de hoc quoque nummo ſententiam dicere, & ingenii periculum facere, non verebor. Scilicet præter *Dionyſii* nomen, Τρὶς κελὸν nobis exhibet, ſive *tria conjuncta crura*; tum προτομὴν, ſeu *anteriorem partem equi*, ſuper cujus capite *victoriola coronam* extendit: denique etiam *ramus palmæ* occurrit cum *ſpica*. Sunt itaque, qui nummum his ſymbolis percuſſum exiſtiment *in memoriam victoriæ, quam aliquis Dionyſiorum virtute & fide equitatus ſui reportarit*. Uter vero Dionyſius ille ſit, & quæ ejus victoria, nondum declaratum vidi; nedum illi aſſentiar, quod de *fide equitatus opera* conjicitur. Quin potius illam *Equi* προτομὴν de Carthaginenſium R. P. accipio; cujus exercitum Dionyſius Pater tantum non ad internecionem fudit, totaque Sicilia, cujus ante maximam partem obtinebat, exegit.

XXV. Sed hæc paullo fuſius explicanda erunt. Quemadmodum itaque *tria crura* Siciliam deſignant, *Trinacriam* illam & *Triquetram*, ex quibus quandoque etiam tres *ſpicæ* enaſcuntur, inſignis illius, qua agri Siculi florebant, fertilitatis ſymbola; unde in hoc quoque noſtro nummo ultimo loco *Spica* cernitur: Ita *Caput equi*, vel *dimidius equus*, Carthaginis ſymbolum eſt, ab effoſſo *equi capite* deſumtum, cum primum Tyrii urbem illam molirentur. Virgilius Æneidos v. 445.

> *Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbra;*
> *Quo primum jactati undis, & turbine Pœni,*
> *Effodere loco* Signum, *quod regia Juno*
> *Monſtrarat*, Caput acris equi: *ſic nam fore bello*
> *Egregiam, facilem victu per ſecula gentem.*

Ad quem locum omnino videndus eſt *Servius*. Ab hoc ergo læto omine, Carthago *Dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli*, *bellatoris equi* caput vel προτομὴν inſigne adoptavit; quemadmodum cum ex aliis nummis liquet, tum ex illo quem infra ex *Aldrete* proferemus, cujus altera pars caput mulieris oſtentat, altera vero *caput acris equi*, cum inſcriptione Punica, *ingreditur ad prædam*.

XXVI. Cum itaque Dionyſius Carthaginienſes inſigni clade affectos, terra marique victos, tota Sicilia ejeciſſet; *Victoria* in hoc nummo *coronam* protendit, non ſuper Dionyſii *equitatu*, ſed *Rei Publicæ* Car-

Carthaginienſis, quam Sicilia ejecerat, *inſignibus*. Sic alibi quoque *Victoria lauream* ſupra *tropæum* oſtentat, non cujus virtute victoria parta, ſed quod de devictis hoſtibus erectum erat. Si quis de inſigni & incomparabili hac Dionyſii victoria plura cognoſcere deſideret, *Diodorum Siculum* conſulat, Lib. XIV. & digniſſimam fuiſſe facile intelliget, cujus memoria non tantum æreis, ſed & aureis argenteiſque monumentis, æternitati conſecraretur. De *Palma*, cum Afrorum, tum etiam Siculorum quorundam inſigni, vel verbum addere ſupervacaneum exiſtimo; cum Vir Illuſtris, *Ez. Spanhemius*, jam pridem de illa egerit, de *Præſt. & Uſu Numiſmatum*, *Diſſert.* IV. Ad quem adeo Lectorem lubens merito remitto.

XXVII. Sed exſpectabunt forte quidam, & quodam quaſi jure ſuo etiam poſtulabunt, ut nominis quoque *Syracuſarum* originem, & ſignificationem exponamus. Clar. *Boucbartus*, *Chanaanis Lib.* I. *cap.* 28. ingenioſe ſane conjicit, urbi nomen datum a vicina palude *Syraco* vel *Tyraco*, a malignis exhalationibus, quibus vicinum aerem inficit, ſic appellata, ab Hebr. סרח *Sarach*, quod eſt *putreſcere*, *computreſcere*. Quæ etymologiæ etſi naturæ loci ſic ſatis reſpondet; tamen vehementer vereor, ne ingenioſior ſit, quam ſolidior. Cum enim litera ultima in noſtro nummo non ſit ח, ſed ק; & Neapolitani illi genuinam ſcribendi rationem non potuerint ignorare: alia res aggredienda erit via. Excutienti itaque ſignificationes vocum שרק & שרק, triplex præcipua ſignificatio occurrit. שרק *Sorek*, Hebræis *vitem* ſignificat, eamque *generoſiorem*, ut vulgo notum: שרק *Sarak* vero Arabibus valet, *furari*: & denique שרק *Scharak*, iiſdem de *Ortu Solis* uſurpatur. Horum vero quodnam potiſſimum adſciſcamus, hactenus incertum eſt; ſed tamen experiamur.

XXVIII. Illuſtris Scaliger a medio שרק, *Saracenos* derivat, utpote λῃϛειкὸν hominum genus. Id Cl. *Pocockius* refutat, cum שרק non ſignificet *latrocinium*, quod virtutis eſſe, & aperti belli ſpeciem præ ſe ferre exiſtimatur; ſed furtum clandeſtinum, quod apud illos infame habetur. Sic ergo forte locus primum a Phœnicibus dictus ſit, quod ſive latrones, ſive fures, illum infeſtum haberent; maxime Cyclopes.

XXIX. Sed, ut verum fatear, facilius nomen derivari videatur a שרק, quod *Oriri* ſignificat; unde משרק *Ortus ſolis*, & *Oriens*; & *Saraka*, oppidi nomen in Arabia apud Ptolemæum, cum reſpectu ad alium certum locum in *Occidente* ſitum; & id genus alia complura, quæ apud Lexicographos videri poſſunt. Cum itaque *Syracuſa* ſit in latere Siciliæ *Orientali*: & ſi quis ex Lilybæo recta in *Orientem* pergat, tandem *Syracuſas* perveniat: non improbabiliter dici poſſit nomen urbi primum impoſitum eſſe a ſitu ejus, qui eſt in *Oriente*, maxime in oppoſitione ad Lilybæum, angulum Siciliæ maxime *Occidentalem*.

XXX. Sed neque τὸ שורק hic loci adeo importunum eſt, quin commode admitti poſſit; & forte ſuperioribus multis modis ſit præferendum. *Circa Syraco paludem* (verba ſunt Clar. *Bocharti*) *exit ANAPUS amnis. . . . Videant peritiores, annon ab* ענב anab, *ideſt ab* uva, *deducatur ANAPI nomen. Uvis certe fertiles agros fuiſſe Syracuſanos circa Anapum, vel ex Theocrito colligere eſt, qui cum in Homero legiſſet, terram Cyclopum ferre vinum* ἐειϛάφυλον magnis uvis, *putavit agi de ſolo circa Anapum, quia utrobique par fertilitas*. Hactenus *Bochartus*. Quo fit, ut quemadmodum *Anapus*, paludi *Syraco*, & ipſi urbi *Syracuſarum* proximus, ab *uvis* dictus ſit; ita pariter & paludem & Urbem a *generoſis vitibus*, quibus vicini agri colleſque conſiti erant, a שורק *Sorek*, inquam, dictas eſſe exiſtimemus. Sed per me ſuo quiſque ſenſu abundet, &, quæ magis arriſerit, ſententiam eligat. Nobis hactenus ſatis eſt, noſtras qualeſcunque conjecturas modeſte proferre, ad quarum unam ſaltem amplectendam Lectoris animum facilius inclinari ſperem, quam ad illam *Bocharti*, in qua plane alia litera, quam in noſtro nummo, occurrit.

XXXI. Age vero tandem ad principia redeamus, & nummum illum apud *Aldreten* contemplemur, qui in adverſa parte *Jubæ* faciem & nomen oſtendit, JUBA REX. In averſa parte ad latera templi vel regiæ, hæ literæ occurrunt,

OXXϽC J 2 ○ / X 2

quas itidem vere *Punicas* eſſe non conjicimus, ſed affirmamus. Ad quod demonſtrandum apud homines non difficiles minime multis verbis opus eſſe confidimus. Nam qui libros *Samaritanos*, vel nummos *Judaicos* temporibus Simonis P. M. percuſſos, vel denique Amſtelodami *Gaditanos* & *Kanakanos*, ſedulo atque attente verſaverit, ſponte ſua, credo, agnoſcet mihique concedet, pleraſque literas, quæ hic occurrunt, manifeſto *Punicas* eſſe. Recognoſcat Lector, quos ſupra exhibuimus, nummos *Hiſpano-Phœnicios* eſſe agnoſcet.

Quamobrem in præſenti nummo confidenter legendum aſſerimus,

OXX-

OXXƆC J LO / XL

לובעל בקרתחע

De L. X. & O, nihil difficultatis reſtare arbitror, cum in *Hiſpano-Phœniciis*, notæ habeantur; neque vero de [X] vel Vau, quæ in Gaditanis, uti conſtat, ſuperne duplici lineola ornatur, ſed in Africanis & Phœniciis ſæpius unam tantum habet, ut adeo furcam erectam nobis exhibeat [X] tantum non ipſum Græcum Y, cujus etiam valorem quandoque obtinet.

XXXII. De C & כ forte major difficultas alicui oboriri poſſit, cum illæ alibi, uti modo oſtendimus, hoc modo ſculptæ videantur [R] & [q]. Sed quis adeo moroſus cenſor ſit, ut diverſis diverſarum regionum moribus nihil libertatis relictum velit? Quis item adeo ignarus, ut unas eaſdemque literas, non tantum pro regionum diverſitate, ſed iiſdem etiam in locis, pro ruditate vel etiam elegantia & luxurie ſcribentium, ſæpiſſime ita diverſimode pingi, neſciat, ut a multis, qui non ſatis ſunt exercitati, vix ac ne vix quidem agnoſcantur? Alii erectas pingunt, alii dextrorſum vel ſiniſtrorſum inclinant, pronas ſupinaſve proſternunt, alii eaſdem acuunt & quadrant, alii etiam rotundant, dilatant, contrahunt.

XXXIII. Sed hæc generalia ſunt; rem potius ipſam agamus. Incipiamus itaque a כ, quam R noſtram valere contendimus. Ex ר ſcilicet Hebræo, ſi ſuperiori extremitati ſpinula addatur, & ad corpus literæ dextrorſum producatur, fit 4. quod Samaritanis itidem R valet. Id vero in nummis Simonis P. M. Judæorum in rotundam figuram detortum eſt, in [q] quo pacto etiam in Gaditanis ſculptum cernitur. Sed iidem Gaditani, vel neſcio qui alii; magis etiam eandem incurvant, in hanc formam, [9] quemadmodum in nummo quodam D. *de Barii* videre erit, qui hanc inſcriptionem præfert, 99O quod עדר valet, & forte ipſum *Gaddir*, ex ſono illo literæ y, quæ non tantum apud Arabes in hunc uſque diem *Gajin* valet ſeu G, verum etiam apud Hebræos G ſonuit, uti ex nominibus propriis עמורה, *Gomorra*, רעו *Ragu*, רעואל, *Raguel*, aliiſque infinitis liquet. Ex quo [9] tandem nemo mirabitur apud Pœnos ortum eſſe τὸ כ, ſuperiori illa curvatura vel circello plane omiſſo.

XXXIV. Quo magis res pateat; ex hodierno uſu exemplum capiamus. Idem Phœnicium [9] ſive (R) quod a Cadmo ad Græcos eſt perlatum, & ab his dextrorſum ſcribentibus eodem quoque eſt inverſum; inde ab antiquiſſimis temporibus in hunc uſque diem ſcriptum ſculptumque eſt, [P] vel minuſcule [ρ] tum celeritatis gratia, & ad nexum cum ſequenti elemento, vulgo etiam hoc modo ℓ pingitur. Eadem itaque ratione & facilitate ex Hebræo ק utrinque aperto, apud Phœnices, Afros, Hiſpanos, natum eſt, ut ex nummis Simonis P. M. Tyriorum, Canakanorum & Pœnorum liquet, R, P, ℓ, & denique C, imo aliter adhuc P & H.

XXXV. Unde tandem ſic ſatis evidens eſſe putamus, has Afrorum literas ƆC eaſdem eſſe atque 9 P, ſive valere K & R. Cum itaque ſequantur OXX, literæ jam ex ſuperioribus notæ; integra vox erit קרתחע *KaRTeTaH*, vel potius KiRTeTaH, ideſt *Cirta*, nobilis Numidiæ urbs, & Regum quandoque ſedes.

XXXVI. Sed quid hoc nominis ſit, קרתחע? Viri docti, qui Muſas Orientales vel a primo limine ſalutarunt, vel me tacente facile obſervabunt, occurrere hic nobis vocem *Karta*, קרתא, quæ Chaldæis, Aſſyriis, aliiſque Orientalibus *Urbem* notat, & compoſitionem ſæpe ingreditur, ut in *Tigranocerta*, *Artaſigarta*, aliiſque. Unde adeo ſequetur, hanc Numidiæ metropolin, & quorundam Regum ſedem nomen *Urbis* meruiſſe, ut κατ' ἐξοχὴν *Carta*, *Certa*, & Numidarum dialecto *Cirta* diceretur.

XXXVII. Sed unde duplex ח, & tum porro y, cui quidem in fine dictionis nihil videtur relictum loci? Sed reſpondemus; ſi quæ numiſmata ſint, quæ duplex X, vel ח, clare & evidenter exhibeant, id vel dialecto Numidarum, vel ſculptoris liberalitati ignoſcendum eſſe. Atque illi Numidarum ſingulari dialecto, & aſperiori eorundem ori, illud O vel y finale omnino adſcribo, loco τῦ א, quod in קרתא, *Karta* Chaldaico occurrit; cum in hunc uſque diem Afri graviſſimis adſpirationibus gaudeant, maximeque ex gutture loquantur, quemadmodum ipſe Amſtelodami ſum expertus, ubi cum Judæos Germanos, Polonos, alioſque, facile intelligerem; tamen unius inter illos Doctiſſimi Viri, *Orano*, quod Africæ littoralis oppidum eſt, oriundi pronunciationem difficulter vix ac ne vix quidem aſſequebar.

XXXVIII. Nequid tamen dissimulem, novum & fidum hujus nummi ectypum desidero, vel potius, sicubi in vicinia nostra inveniatur, nummum ipsum videre velim. Est enim penes me, ex Musæo *Gulielmi Cutirii*, Viri Clarissimi, Collegæ atque amici conjunctissimi, nummus argenteus, πολυγώνιος, drachmæ pondere, qui adversa parte caput barbatum & crispum, plane tanquam Mauri, exhibet, diademate arcte adstricto alteque impresso, simillimum per omnia illi, quod *Aldretes* nobis sistit. In altero latere similiter templum, vel regia, conspicitur, additis ad latera literis, sed, quod dolendum, partim minime integris, ob incertum & aberrantem ad latus ictum, partim etiam diversis & plane fugientibus. Ex Regis nomine tantum superest ⊲ *L*, לו, initium *Jubæ;* in altero X semel atque iterum occurrit, sed initium vocis a OXXϽC plane est diversum, nam ab R inverso incipit, hoc fere modo

∴ ∴ X ᴚ ∴ ∴

ut lateris aversi aliud comma fuisse videatur, quam in eo, quem *Aldretes* exhibet. Cum vero fidem & diligentiam *Aldretæ* in dubium vocare nobis religio sit, in data responsione tantisper acquiescam, donec alius ex alio nummo nos certius quid edoceat. *Patinus* eundem exhibet in Not. ad *Suetonium*, sed altera parte itidem mutilum, ut nos nihil juvet.

XXXIX. Lineolam denique [ ] quæ ante hanc vocem cernitur, B valere statuimus. Quemadmodum enim Syri Maronitæ *Beth* quadratum Hebræorum, ב, supra & ad latus, servata tamen longa basi, incurvant, in hunc modum ב ; ita Gaditani, & procul dubio alii Phœnices, magis contrahunt, ut fiat, (quemadmodum ex nummis Kanakanis & Gaditanis liquet, *L* O) X R ⅃ R, *KaNaKa*, *TuBa'aL*, vel *ToBo'oL*, q q ⅂ ∴ LO) ⅀ *SeBa'aL VeGaDiR*. Sed cum Afri suum (q) vel R, hoc modo incurvassent [)] *Beth* suum, quod aliis sic [)] scribitur, differentiæ causa magis directum fecerunt, ita ut, quemadmodum in hoc nummo apud *Aldreten* videre est, infer ne levissime tantum inflexerit, [J] & tandem etiam obliquaverint, hoc modo [.] Unde tandem integre legimus, OXXCϽ/ 2 0 J X 2 לובעל בקרתחע *LVBaHaL BeKiRTeTaH.*

XL. Sed, inquiat quispiam, non sic *Juba* ex his literis enascitur, quem alterum nummi latus exhibet, sed *Luba*, quod nomen nihili est, neque usquam occurrit. Respondeo; Sic tamen non tantum apud *Aldreten*, sed & *Patinum*, legi, imo literarum 2 & X vestigia satis adhuc agnosci in nummo *Cutiriano;* ut lectio illa minime veniat sollicitanda. Quid ergo, inquies? Ego a sculptore aberratum existimo, qui vel *Jod* omiserit, sculpendo 2 0 J X 2, לובעל / pro 2 0 J X 3 *L*, ליובעל / *LuBaHal*, inquam, pro *LeJVBaHaL;* vel literam *Jod* [3] imperite in *Lamed* [2] mutarit. Quod si cui durius videatur sculptorem negligentiæ vel imperitiæ accusare; videant peritiores, annon contractionem statuere liceat, similem illi Syrorum, qua *Olaph*, & *Jod* initiale *Chebhaza* notatum, vocales suas rejiciunt in locum *Schevatis* antecedentis, & in antecedente vocali quiescunt, ut אתילד pro ⁄ אתילד לאלהא pro, לאלהא ⁄ ליובעל pro ליובעל ; quomodo ויתב pro ויתב, & *Jod* quiescente plane eliso, לובעל, *Jubæ*. Simile quiddam etiam apud Hebræos observare licet, in nominibus divinis אלהים & ארני, quoties præfixa וכלב adduntur, uti vel tyronibus notum est.

XLI. Quicquid vero de his conjecturis sit, cum in hoc *Jubæ* nummo rursum *Tau* occurrat, ad formam crucis sculptum, X, æque ac in nummis *Tobolicis*, supra allatis; non intempestivum erit, neque, spero, Lectori nostro ingratum, si ad *Origenem* atque *Hieronymum* redeamus, eorumque fidem adversus *Scaligerum* defendamus. Dixerant illi, Patrum omnium doctissimi, & quidem primum ex ore Judæi ad Christianismum conversi; literam *Tau in veteri alphabeto figuram habere similem cruci*. Id Vir Illustris minime ferendum existimat, & multis modis exagitat. Operæ pretium erit audire Viri Illustris confidentiam. *Viderit* (inquit, Animadversionum in *Eusebii Chronol. p.* 117.) *Origenes, qui dixit Tau Samaritanum simile esse cruci, aut T. Latino, vel Græco quo nihil falsius dici potuit*. Tum, verbis *Origenis* allegatis, sic pergit: *Non vidit igitur illa ἀρχαῖα σημεῖα Origenes, sed ex fide aliena recitat;* (homines sc. Hebræi, sed ad finem Christianam conversi:) *Nos vero negamus Tau Chananæum alia forma fuisse, quam qua hodie legimus apud Samaritas. Persuasit tamen doctissimo Hieronymo, qui in illum locum.* (Ezech. IX.) *Origenem fere ad verbum transtulit.* (Vide verba supra §. IX.) *Si Hieronymus Samaritanorum consuluisset Alphabetum, aliter pronunciasset, neque secutus esset fidem illius, qui neque ipse viderat, sed aliena fide*

fide id ſcribebat. Dixerit aliquis, Hieronymum vidiſſe & legiſſe Codicem Samaritanum. Nam ſecundo commentario in Epiſt. ad Galat. in principio ait, ſe conſuluiſſe librum Samaritanorum ſuper illo loco: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. *Verum quidem. Sed reſpondemus, eum non conſuluiſſe Samariticum exemplar, quum commentarium ſuum in Ezechielem ederet, ſed fidem Origenis ſecutum ita de Tau Samaritano pronunciaſſe. Hoc non poteſt defendi. Viſuntur quidem hodie Sicli, qui quotidie Hieroſolymis effodiuntur, & ſub regibus Juda in uſu fuerunt. In illis nummis eædem literæ inciſæ ſunt, quæ in ſcriptis Samaritanorum leguntur, ſine ulla vel exigua mutatione: & putare veterum Hebræorum alias literas fuiſſe, quam quæ in illis Siclis viſuntur, & quæ ſub Regibus Juda in commercio erant, extremæ & inſaniæ & imperitiæ eſt.* Hactenus Vir Summus & de re literaria, ſi quiſquam, præclare meritus; ſed audacior nonnunquam, quam prudentior. Omnia vero, quæ tanta confidentia inculcat, ad vivum reſecare, & ad ſingula reſpondere, noſtri non eſt inſtituti, noſtraque in Virum Illuſtrem veneratio vetat. Illud ſaltem obſervare liceat, quod præſens argumentum ſuggerit, olim antiquiſſimis temporis literam *Tau* & in Hiſpania, & in Africa, *Crucis formam* habuiſſe. Sed quid dico in Africa & Hiſpania? In ipſa Phœnicia non aliter pingebatur. De Phœnicum, vel forte Syrorum, more hanc literam ſcribendi, argumentum omni exceptione majus nobis præbet nummus Antiochi, apud *Vaillantium* de *Regibus Syriæ pag.* 200. ubi curioſus harum rerum lector in eodem nummo bis *crucem* inveniet, X. De Judæis vero ipſis, quorum nummos Scaliger jam ante exilium Babylonicum cuſos eſſe ſibi aliiſque falſo perſuaſit, quid dicemus? In quorum nummis toties *crux* occurrit. In uno illo, quem jam ſupra laudavimus, quique *anno primo* recuperatæ *libertatis* cuſus eſt, Xלגאול Xאחא Xשנ ישראל, ter *crux* occurrit. Neque vero minus in aliis a Clar. *Relando* editis, ubi † ɟ ש & Xהריג *Tau* non aliter quam *crucis* forma ſculptum habent. Quo fit, ut ſuſpicari ſubeat, Virum Summum *Siclos Samariticos qui Hieroſolymis*, ut ait, *quotidie effodiuntur*, magis jactaviſſe, quam vidiſſe. Quod ſi enim vidiſſet, qui fieri potuiſſe exiſtimemus, ut in hiſce nummis *Tau forma crucis* ſculptum non obſervarit? Quicquid vero horum ſit, ſua ſic ſatis nunc *Origeni* & *Hieronymo* fides conſtat, addo & illi ex Judæo Chriſtiano, qui *Origenem* docuerat; in *Veteri Alphabeto* Judæorum, (quo in civilibus negotiis temporibus Simonis Ethnarchæ utebantur) *Tau literam habuiſſe formam crucis*.

XLII. Sed & illud ex his nummis liquido & ſole meridiano clarius eluceſcit; Judæos etiam poſt captivitatem Babylonicam (poſtquam, jugo Seleucidarum excuſſo, ſui juris eſſe cœperant, & ſumma libertate fruebantur, ſuis legibus & juribus vivebant) etſi in Sacris, atque iis omnibus, quæ ad vernaculam eruditionem pertinebant, quod nemo, quantum quidem ſciam, hactenus negare ſuſtinuit, quadrato charactere utebantur: tamen in civilibus negotiis Phœnicum literas adeo non eſſe averſatos, quin eoſdem etiam nummis publica autoritate ſculptis voluerint impreſſos. Quæ obſervatio, etſi ad præſens inſtitutum forte minus videbitur pertinere, eo faciet, ut ſua conjecturæ *Buxtorffianæ* fides conſtet, quando Vir Clariſſimus, etiam ante captivitatem, duplicem characterem inter Hebræos obtinuiſſe ſtatuit, alium Phœnicium, ſive Samaritanum, in civilibus negotiis, commerciorum cauſa; alium vero, Hebræum, in Sacris. Quod ſi enim Judæi tot annis poſt reditum ex captivitate Babylonica non tantum ſcriptura *Aſſyriaca*, ſed & *Phœnicia* uſi ſint; quid obſtat, quo minus idem etiam ante captivitatem feciſſe exiſtimemus? Cum vicinis Tyriis, Phœnicibus, Syris, aliiſque populis, frequentia illis commercia erant; unde adeo eorundem charactere uti potuerunt, non obſtante eo, quod in Bibliis S. deſcribendis, aliiſque ejus generis, quadrato charactere, quem alias *Aſſyrium* vocant, uterentur. Quo ſolo obſervato, corruit quicquid characteris quadrati hoſtes *Sicli* ſuperſtruunt, literis Samaritanis notatis, quoſque temporibus Samuelis, Davidis & Salomonis cuſos ridicule exiſtimant: quandoquidem, quod poſt captivitatem Babylonicam inter Judæos obtinuiſſe certo novimus, idem quoque iiſdem de cauſis ante captivitatem fieri potuerit.

XLIII. Sed longius digreſſi ſumus, quam quidem ipſi conſtitueramus. Neceſſarium tamen exiſtimavimus, ut uſum aliquem oſtenderemus illorum nummorum, quos hactenus explicare inſtituimus, & pretium operæ atque otii, quæ illis hactenus impendimus. Hinc jam ſua ſc. *Origenis* & *Hieronymi* teſtimoniis illibata fides aſſeritur atque autoritas de *Tau* veteri *Samaritano*, quod in omnibus Phœnicum nummis, per Aſiam, Africam, Europam, non alia, quam *crucis* figura, ſculptum obſervatur.

XLIV. Sed, dicat forſan aliquis cum

Scaligero, *Tau* Samaritanum hodiernum non habere formam *crucis*, ſed proxime accedere ad figuram literæ [N,] adeoque neque veteres Samaritas habuiſſe literam *Tau* figura *crucis* pictam. At enim negamus aperte illam conſequentiam. Præterquam enim quod jam in ſuperioribus ad oculum demonſtravimus, & alias, ſi Deus voluerit, pluribus oſtendemus, *Tau* Phœnicium per omnes orbis partes, ubi unquam Phœnices ſunt dominati, hanc *crucis* figuram obtinere; quod nemo jam niſi cœcus, vel ſtultus, negaverit: non valet illatio ab hodierno charactere ad antiquum, cum tot ſeculorum lapſu vetus Samaritarum character degenerare potuerit, & in illum, qui nunc obtinet, facili negotio mutari; quemadmodum in omnibus aliis characteribus in hunc uſque diem fieri videmus.

XLV. Quod ut ad oculum omnibus liqueat, age, de novo periculum faciamus, & oſtendamus, qua ratione ex Hebræo, *Tau* [ת] nata ſit *crux* Phœnicia, & quondam etiam Samaritana; & denique [N] hodiernum Samaritanum.

XLVI. Nempe, qui *Tau* Hebræum pingere inſtituit, primo literam [ר] pingit; cui mox pedem ſive fulcrum a ſiniſtra ſubjicit [נ] Quibus conjunctis mox naſcitur [ת] Hebræum; qua figura ultimam literam inde ab antiquiſſimis temporibus, & primis literaturæ Orientalis initiis, pictam contendimus. Cum vero ductus literæ [ר] ſupra ab initio apiculum habeat ſupra lineam tranſverſam non nihil eminentem; hoc petam, liceat mihi apicem illum paullo altius elevare, & loco τῆ [ר] adhibere [ר]; quod nemo, credo, paullo humanior mihi negabit. Huic ergo [ר] ſi fulcrum a ſiniſtra ſupponere debeam; liceat mihi rurſum fulcrum illud paullulum ſurſum producere, & ſupra lineam tranſverſam, quæ in *Tau* Hebræo obſervatur, erigere, [J], & mox naſcetur figura X. Quo pacto quivis *Tau* illud Phœnicium naſci videt, quod etiamnum cernitur in nummis *Tobolicis* Theſauri Bariani, quorum ectypum nos ſupra bona fide, & diligentia, quanta per ſculptorem licuit, exhibuimus maxima. Sed & hoc conſtat, quam facile ex hac figura ת, ex primævo, inquam, *Tau* Hebræo, tandem ſit enatum N, *Tau* hodiernum Samaritanum; quod quamquam omnium noviſſimum ſit, ut ex formatione liquet, a *Scaligero* tamen pro veteri genuino fruſtra venditatur. Conf. ת X, X, N, N.

XLVII. Sed de hac litera ſatis. Tempus eſt ut ad nummos redeamus. *Aldretes* alium Punicum exhibet, cujus antica caput laureatum & barbatum oſtendit, a cujus fronte hæ literæ ſunt.

2 Y O | X.

a cervice *L* O Y q ב ñ

quas aliquando legimus יפסועל--חבעול. In priori voce nihil difficultatis occurrit; cum literæ omnes jam ex ſuperioribus notæ ſint. In altera plus negotii, propter tres novas literas, quæ hactenus non occurrunt. Eaſdem tamen omnes Punicas eſſe, tres poſtremæ oſtendunt, quæ manifeſto Phœniciæ; ut de tribus quatuorve reliquis, tantum ſit laborandum.

XLVIII. Harum primam pro *Jod* accipimus, quod in nummis Syrorum apud *Vaillantium*, nota numeri noſtri ternarii exprimitur, [3] quemadmodum & in monumentis Palmyrenis [3, 3, vel Σ] quod poſterius ſi pronum cubet, habemus [M], quod proxime accedit ad figuram Samaritanam, a qua noſtrum [ñ] paululum ſaltem abludit.

XLIX. Secunda litera [ב] ſimilis eſt Syriaco [ܦ], quod ortum eſt ex Hebraico [פ]. De tertia, fateor, me aliquando conjecturæ nimium induſiſſe, legendo [B] quanquam apud *Aldreten* vix aliud quam [q] occurrebat. Illud tamen ꓭ, ſi genuinum eſſet, non immerito accipi poſſet pro *Samech* Syriaco [ܣ], ſed quod a Pœnis ſit erectum; ꓭ, inquam, pro [ܣ]. Quarta, ſi *Aldretæ* delineationem preſſe ſequamur, quam nos pro *Vau* hactenus accepimus, non ſimpliciter [X] pingitur cum una tantum lineola ſuperna cernitur; quanquam & hoc ex Samaritanis & Judaicis characteribus defendi poſſit.

L. Quæ noſtræ conjecturæ ſi cui non plane abſurdæ viderentur, legeremus JePhSUHaL, & ex frequenti permutatione literarum B & M, vel adoptione literæ N, ante P, ejuſdemque neceſſaria mutatione in M, ob ſequentem cognatam, JeMSUaL, vel certe JeMPSUaL, HIeMPSUaL, HIeMPSAL, *Vau* litera ore Romano extrita. Quæ mira forte quibuſdam mutatio & derivatio videri poſſit: ſed nihilo difficilior vel abſurdior, quam ſi ex *Jabbok*, *Hieromax* fiat. *Jabbok*, *Jarbok*, Syraice *Jerbak*, & ore Græco Latinoque JEROBAK, Ἱεροβαξ, Ἱερομαξ, *Hieromax*.

LI. Sit ergo hoc tantiſper ex veteri conjectura Regis vel Principis *Hiempſalis* no-

nomen; quid altera vox חבעול ſibi velit? Illam dignitatis eſſe arbitror, ut ſuorum lingua non tam *Rex* vocaretur, quam *Tabhul*, id eſt, *Dominatio* die Herſchafft/ a Rad. בעל *dominum eſſe*, *dominari*, unde notiſſimum בעל *Baal*, *Domini*, nomen. Neque tamen etiam *Baal* dicebabatur, *Dominus*, voce concreta, ſed abſoluta חבעול (formæ חפקוד, ut חלמוד *Talmud*) *Dominatio*; eadem ratione, qua hodie apud Orientales Reges & Principes & Principes *Sultani* appellantur, id eſt, *Dominationes*.

LII. Hactenus *Aldreten* ſecuti *Hiempſalem* eruere conati ſumus; ſed fruſtra, cum alii nummi inveniantur, qui literas non paulo aliter exhibeant. Vir Ampliſs. *de Barii* duos nummos edet, quorum uterque uno latere caput Auguſti cum lituo præfert, altero vero caput laureatum & barbatum, cum inſcriptione barbara,

I O ^ q 9 ñ 2 R o J X

LIII. Mox primo intuitu maximam partem eædem literæ occurrere videntur; certe in voce חבעול, niſi quod quarta nonnihil variet, & propius ad *Koph* accedat, quam *Vau*.

LIV. Sed in altera voce rurſum major labor eſſe videtur; eaque nihil minus, quam *Hiempſalem* præ ſe ferre. Literæ enim illæ, ſi hypotheſin noſtram ſequamur, exhibebunt,

I O ^ q 9 ñ
∴ י ר ד ז ע IRDZH.·.

Quod quid verbi ſit, hominiſne an loci nomen, libens equidem fateor me ignorare. Literas tamen omnes Punicas eſſe contendo, & jam in ſuperioribus omnes explicui, excepta ultima [I] quæ mihi quidem, ſi integra ſit, pro *Beth* veniret, ב,), J, I. Sin vero eandem nonnihil corruptam exiſtimare liceat, vel *Lamed* valebit, 2, uti apud *Aldreten* pingitur, vel ex *Zajin* erit deformata, alias ſimilis antepenultimæ.

LV. Quicquid vero horum ſit, B. L. non niſi pro meris conjecturis habebis, a nobis tamen neceſſario afferendis, ut fidem liberaremus alibi de *Hiempſale* oſtendendo datam: quod etſi minus ſucceſſit, poſtquam meliora ex aliis nummis edocti ſumus, ſententiamque mutavimus; tamen fatendum exiſtimavimus, ut B. L. intelligat, quanta diligentia, ſollicitudine, fide, in hoc genere ſtudiorum verſemur, ceu qui nihil aliis perſuaſum velimus, quod non ipſi ante plane perſpectum habeamus. Hoc tamen jam ad minimum liquet, ſive *Aldretæ*, ſive *Gallandi* fidem ſequamur, literas huic nummo impreſſas vere *Punicas* eſſe, non *Celtibericas*, vel quaſcunque alias. Quod ſi quis vero *Hiempſalis*, *Hannonis*, aliorumve commentarios de *Rebus Africæ*, nobis inventos dederit, nummum hunc in ſolidum explicare promitto recipioque.

LVI. Sed miſſis his incertis, certiora ſectemur. Eſt alius apud *Aldreten* nummus, cujus pars adverſa *caput muliebre* exhibet; cum corona ſpicea vel herbea, & inauribus, circa quod delphines aliquot ludunt; pars altera *caput acris equi*, & ſub eo has literas, quas audacter lego,

Ǫ L Ħ L L O
ע ל ל ה ל ס

& verto, *Prædator* Equus.

LVII. Literæ O & *L* ex ſuperioribus notæ ſunt pro צ & ל Tò Ħ, quod apud *Parutam* ſimpliciter ut ה Hebræum ſculptum cernitur, & in Judaicis nummis undique clauſum 日, a qua figura character Samaritanus levi apicum quorundam additione eſt formatus; hic quoque proculdubio *Chet* Hebræum valebit.

LVIII. Ultima vero Ǫ, quam *Paruta* plane more Græci Φ ſculpendam curavit, mihi pro *Samech* venit, ob convenientiam cum *Samech* Hebræo & Samaritano. Id quod hac ratione oſtendimus. *Samech* Hebræum [ס] ita pingitur, ut initium fiat a ductu literæ [ר], cui ſi aliud *Res* inverſum annectatur, [ר], inde oritur [ס] quod ad ſiniſtram ſuperne habet apicem eminentem; a plurimis vero etiam ita pingitur, ut ad dextram inferne etiam apex emineat, [ס] id quod jam proxime ad noſtrum [Ǫ] accedit, ſi paululum invertas, & apiculos illos perpendiculares facias; quod quivis tentando melius experiri poterit, quam nos prolixis verbis explicare. Nec multum abludit *Samech* Samariticum, quod eſt juſtum quadratum parallelum, cum duobus itidem lineolis ſupra & infra eminentibus, hoc modo ⌑. Unde facile derivatur ⌑, ⌑, Ǫ. Quid quod neque hodiernum Judæorum *Samech* ab hac figura abludit, cum ſcribunt ∞, ∞, &c.

LIX. Literis ſic expeditis, ſequitur ut voces quoque explicemus. Hæ vero duobus modis legi poſſunt, vel עלל חלס, vel על לחלס; utrumcunque amplectamur, *Præ-*

Prædatorem vel *Acrem equum* inveniemus. Vox עלל Hebræis *moliri* ſignificat, *operari efficere*; Chaldæo-Syris *ingredi*, *intrare*, *&c.* חלס vero Arabibus, ſi per *Ha* ה ſcribatur, *aſſiduum eſſe*, rei *incumbere*; unde חלס, *vir fortis & ſtrenuus*: Si vero per *Cha*, ח, *rapere*, *deripere*, *deprædari*; unde varia nomina, quæ *ſpolia*, *deprædationem &c.* notant. Quemadmodum itaque, ταῦρος ἀρωτὴρ *Taurus arator*, & *Equus Bellator*, (Virg. Æn. x. 191. *Bellatoris equi*) Græcis Latiniſque dicuntur, ita Carthaginienſes adſcito, ex omine, ut ſupra diximus, *capite acris equi*, illud hic quoque oſtentant, & uſum ejus commendant, עלל חלס *prædam agens*, vel *ſpolia præbens*; vel ſi malis, על לחלם, *incedit*, *procedit*, *ad prædam*. Sin vero ex *Ha* explicandum ſit, עלל חלם, *incedit ſtrenuus*; & quæ id genus alia dici poſſunt, quæ *caput acris equi* decent. Quæ paucis monere ſatius eſſe arbitror, quam ad eruditionis oſtentationem prolixe probare; cum alia adhuc dicenda reſtent.

LX. Reſtat, inquam, apud *Aldreten* nummus itidem Punicus, quem etſi in ſolidum ipſe exponere nequeam, aliis tamen facem præferre conabor. Caput criſpum, gracile, diadematum, hæ literæ cingunt:



Literas has *Punicas* eſſe, ſimiles quædam in ſuperioribus obſervate, *L*, 3, C, Ɔ, ſatis evincunt. Quid igitur?


Leg. ∴ מליקרטקרעקצנצ

Lat. SGSKHRKΘRKILM

LX. Prima Ψ, ſatis manifeſto ſe M eſſe prodit, ex Phœnicio Samaritanoque ﬨ. Tres ſuperne apices habemus, cum linea deſcendente, varieque ad ſiniſtram reducta. Quod ſi literam [*m*] ſumas inverſam [*w*] ſive primæ lineæ appendicem [I] adjicias, ſive ſecundæ, res eodem redibit: ſive inquam ﬨ ſumas, ſive Ψ; quivis Samariticæ ſcripturæ non plane ignarus, facile *Mem* eſſe agnoſcet; inprimis ex quo Cl. *Caſtellus* in Alphabeto Samaritico eandem literam hoc modo in MSS. pictam exhibuit.

LXI. Sequente, 2 & 3, pariter notæ ſunt pro ל & י; ut ſit *MeLI*--- Tò C, valet ק, *Koph*, & Ɔ, eſt ר, *Reſch*; ut ſic facile legere liceat, MeLIKaR. Sed quid ſequens  ſibi velit? Non dies pauculos, nec ſeptimanas, ſed menſes huic contemplandæ impendimus, donec tandem in mentem venit ſuſpicari, imo vero nunc etiam aſſeverare, eſſe illam literam *Teth*, ט, & ex Hebraico charactere detortam. Fiat enim hujus literæ quædam dilatio, & ex ט facili negotio fiet  Quemadmodum enim ex (Ɣ) vocali Phœnicio natum eſt Græcum (Y) *Ypſilon*, & hinc (V) Latinum; idque multis modis variatum (U, *U*) & hinc tandem Belgis & adeo frequens dilatatum (ᔕ) Ita pariter contendimus, ex primo Hebræorum (ט) nata eſſe, quæcunque in Oriente & Occidente hujus literæ vim habent.

LXII. Fiat periculum.



Experiatur, quicunque hac noſtras conjecturas examinare volet, adhibitoque calamo naturalem literæ Hebraicæ dictum ſequatur; & mox intelliget atque perſpiciet, & primæva litera Hebræa, in ſe retorta, facile naſci reliquas, quantumvis etiam alias diſcrepare videantur. Sed qui noverit, quo progreſſu, per varios caſus & tot diſcrimina formarum, tandem ex Hebr. (ד) Græcum, Latinum, Germanicum, Δ, D, d, ꝺ, & aliæ, complures figuræ naſcantur, quas ob typorum inopiam hic repreſentare non poſſumus, is non difficulter nobis largietur, ex ט Hebræo, ſi paululum dilates, facillime naſci noſtrum illud, ᔕ *Teth* Punicum.

LXIII. His itaque poſitis vel MεΛI-KαPΘ vel MεΛIKPαΘ legere licebit, *Melicerta* vel *Melicrates*. De illo procul dubio prima Lectori ſuſpicio erit nomine *Herculis*, qui מלך קרתא *Melech* vel *Melich Karta* dictus exiſtimatur, id eſt, *Rex* vel *Conſul Civitatis*. Et hic litera *Caph* ſequenti *Koph*, quæ ejuſdem organi eſt, inſerta videri poſſit. Sed neſcio quo pacto hæc ſententia mihi minus probabilis videtur. *Melicratem* potius aliquem hic latere ſuſpicor, hominem natione vel ſaltem nomine Græcum, qui vel in Cyrenaica, vel in Sicilia alicubi, & forſitan *Ægeſtæ*, quæ & *Segeſta* dicebatur, rerum olim ſit potitus. Cujus ſuſpicionis hanc cauſſam habeo, quod in ſequentibus *Segeſtæ* nomen latere videtur.

LXIV. Sequuntur enim literæ CՈƆC, quæ nobis exhibent ק∴קר. Tertia litera ignota eſt, niſi forte vitium fecerit, & ᑌ, parte inferiori temporis antiquitate eroſa, hic pro O vel *Ajin* occurrat. Quomodo eſſet קרעק; quæ vox quid ſibi velit, lubens meritoque confiteor,

teor, me nullo modo aſſequi. Reſtat vox **ƐƧ𐤋**, quam ∴ צנצ *Seges* ∴ legi poſſe nemo non videbit, qui *Sade* Tyrium & Palmyrenum norit, quod eodem plane modo ſculptum deprehenditur.

LXV. Quid ultima **Ɛ** cum cauda ſibi velit, rurſum ob literæ illius inſolentiam, quæ in Punicis hactenus nuſquam occurrit, ingenue fateor me ignorare: niſi forte ex charactere Palmyreno ſubſidium petere liceat, in quo *Tau* hunc in modum (Θ) aliquoties ſculptum invenitur. Quomodo ſane naſceretur SeGeST, quod eſſet ipſum nomen SeGeSTa.

LXVI. Cum vero non ignorem, literas, quæ in hæc inſcriptione occurrunt, multis modis aliter diſtrahi & combinari poſſe; facile patior, alios aliam viam inire vera nomina eruendi. Hoc ſaltem mihi concludere liceat, literas has eſſe vere *Punicas*, & hoc modo legendas.

MLIKPΘKR ∴ SGS ∴

quarum quæ hactenus incertæ ſunt, poſſint eſſe *Ajin* & *Tau*: quanquam hæc poſtrema, uti ſupra oſtendimur, apud reliquos omnes Phœnices figuram crucis habet. Eruat alius quivis, quod poteſt, & probabile videbitur: nos melius conjicienti lubentes applaudemus.

LXVII. Iis ergo, quæ *Aldretes* protulit, utcunque enucleatis, in uno adhuc & item altero nummo *Tyrio* periculum faciemus.

LXVIII. Eminentiſſimus *Noriſius*, & III. *Vaillantius* duos nummos Antiochi IV. exhibent, diverſi quidem commatis, ſed cum iiſdem ſymbolis, triremis, eademque inſcriptione Græca, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. Sub triremi.

Vaillantius habet ד 7 4 p ≷ r -- 3 r Ƨ

Noriſius ꟽ י q p ∴ X -- q k ƅ

Nos literas haſce utrobique eaſdem eſſe ſtatuimus. Cum enim nummi hi ab iiſdem Tyriis, eidem Antiocho, eodemque ſymbolo, ſint percuſſi: Et, quod majus, duplex utrobique literarum verſus; idem in utroque characterum numerus; & quod maximum, eadem in pleriſque figura, occurrat, ſed vel temporis injuria, vel ſculptorum negligentia variata & corrupta: Quotuſquiſque animum non inducat credere, eadem omnino nomina iiſdem literis eſſe expreſſa? Quid ergo, inquiat aliquis? Confidenter legimus, צור ומקדנס, ideſt, *Tyrii & Macedones*, ſive, una voce, *Tyria-Macedones*, ſive *Syro-Macedones*.

LXIX. Sed hæc nobis demonſtranda veniunt. Quam in rem illud in anteceſſum monendum eſt, nummum *Vaillantii*, ſive temporis vitio, quod quidem arbitror, ſive etiam ſculptoris ignorantia, deficere; *Noriſii*, ſculptoris negligentia redundare; utrumque in quibuſdam literis non nihil eſſe mutatum. Ex utriuſque vero collatione ſic legendum eſſe ſtatuimus,

ꟽ ח q p ꟽ X -- q X S

vel ſic quoque

ꟽ ח q p ꟽ X -- q X ƽ

LXX. Prima litera, ſive s, ſive ƽ, eſt nobis *Sade*, corruptum ex Hebræo [צ] cui ſi ſiniſtrum apicem decutias, remanet [ƽ] quemadmodum in Palmyrenis quoque oſtendimus; quod [ƽ] angulatum ab aliis, detritis angulis, facile in [Ƨ] mutari potuit; quemadmodum in antecedente nummo *Sade* pariter ut [Ƨ] ſculptum occurrit.

LXXI. Tò (r) *Vaillantii*, ſatis clare *Vau* Punicum exhibet [X] ut ſupra vidimus; pro quo *Noriſii* ſculptor liberaliori (an illiberali?) manu (R) vel ſimile quiddam nobis depinxit.

LXXII. Denique (3) *Vaillantii*, partim eſt detritum, partim etiam, uti arbitror, a ſculptore incurvatum: pro quo genuinum characterem Hiſpanicum, Syracuſanum, & Judaicum, *Noriſius* nobis ſiſtit (q, R) quemadmodum ex ſuperioribus abunde liquet.

LXXIII. His ergo evictis, nemo dubitabit quin q X ƽ, vel q X S, legendum ſit צור *Sur*, vel *Sor*, i. e. *Tyrus*.

LXXIV. Age ergo & alteram vocem ſpectemus. Quod ſi τὸ (r) apud *Vaillantium* hactenus *Vau* valuerit, hic quoque idem valere neceſſe erit. Id quod *Noriſii* typus probat, ſed liberalior ille, (X) pro (X) poſito; ſculptore lineolam ſecundam, quæ in obliquam incidere debebat, deorſum plus juſto deprimente, ita ut alteram decuſſatim ſecet. Quod etſi erroneum eſt, nobis tamen argumento eſt evidentiſſimo, *Vau* Tyriorum pictum fuiſſe omnino ſimiliter illi, quod Pœni in Africa uſurpabant.

LXXV. Figura [**M**] *Vaillantii* deficit ſupra & infra; quemadmodum (ꟽ) *Noriſii* redundat. Quiſquis *Mem* Samaritanum noverit, vel nunc ſaltem inſpexerit, minime poterit dubitare, quin verum dicamus. Quod ſi quid diſcriminis in primis typis fuerit, in *Noriſii* nummo ſic ſculptum fuiſſe contendo (ꟽ,) in *Vaillantii* [ꟽ·] Sed ſive conveniant, ſive differant, Lector facile rem eodem redire videbit eodemque modo ſeſe rem habere agnoſcet, quo apud hodiernos Italos,

los, Belgas, Germanos, quando hi M literam ſcribunt, quorum alii nexum linearum, ſive ſupra ſive infra, acuunt vel obtundunt. Qua in re illud, ut ego miratus ſum, ita Lectori non injucundum accidet, ſi & apud Latinos quoſdam, & Germanos Belgaſque, literas M, & N, per tot mutationes, ad priſtinam formam rediiſſe obſervet, W & h, quemadmodum & in impreſſis quibuſdam, & MS. codicibus, videre licet.

LXXVI. Quod ſequitur [p] jam pro *Koph* ſatis notum eſt; ut & 4. *Vaillantii*, Noriſiique [q] pro *Daleth*. Quomodo jam habemus מקד, MaKeD. Unde nemo dubitabit, quin mox *Macedones* ſint orituri. Et ſane huc ducit nos *Noriſii* nummus, in quo lit. N. occurrit, etſi infra paulum mutilata [h] pro [p], quemadmodum in nummis Judaicis Simonis Ethnarchæ ſæpius comparet. Cui ſi addamus ultimam literam ip, integrum habebimus מקדנם, *Macedones*, & denique, *Tyrio-Macedones*, vel *Syro-Macedones*; literas ſane voceſque Phœnicias, eaſdemque digniſſimas, quas Eminent. *Noriſius*, eruditiſſimo libro, de *Epochis Syro-Macedonum*, præfixiſſet, ſi literas has voceſque intellexiſſet.

LXXVII. Priuſquam vero huic *Periculo Phœnicio* finem imponamus, addere lubet inſignem nummum, cujus ectypum Vir Cl. *Hadrianus Relandus* ad nos tranſmiſit. Figura nuda, ſi recte video, columellæ innitens, a fronte habet q *NNNN*-- a tergo, q P 4 ш Cum vero nulla vox ſit, quæ eandem literam toties continuo repetat, ſuſpicari ſubit, *N* illud toties repetitum numero denotare, & quidem æræ illius civitatis, ubi nummus percuſſus. Sed quales illi numeri? Si conjecturæ locus ſit, τὸ *N Tau* eſſe dixero, ad modum *Tau* Samaritani ſciens volens ita ſcribo, non oblitus eorum quæ ſupra contra Scaligerum diſputavi de Tau Samaritano: cum facile fieri potuerit, ut & alii olim X Punicum in *N* detorſerint, quemadmodum hodierni Samaritani. Cum vero [ת] apud Judæos Rabbinos 400. valeat, & *Reſch* 200, enaſceretur ex his notis annus MDCCC. Sed hæc mera conjectura eſto.

LXXVIII. Certius alterum nomen loci exiſtimo, quod ex ſuperioribus jam cuivis ſatis notum arbitror, cum literæ omnes omnino cognitæ ſint. Lego itaque מדקר, i. e. MeDiKKaR, *Mediccara*, quæ Africæ urbs apud Ptolemæum, haud procul Thuniſa, ſi quis hinc verſus auſtrum pergat.

LXXIX. Sed ſatis hactenus conjecturarum in *Phœniciis*; de quibus ſi quis alius melius docuerit, dociles nos præbebimus: & quicquid ex charactere Hebræo, ſive Aſſyrio; Judaico item, qui in nummis occurrit, Samaritano hodierno, vel denique Phœnicio antiquo; aliqua ſaltim rationis ſpecie probari poterit; lubenter ambabus ulnis amplectemur, neque cum ullo contentionis ſerram reciprocabimur. Quam proclivis lapſus ſit in re hactenus aliis intentata, nulli ignoramus. Quo faciliorem nobis veniam a Benivolo Lectore promittimus, certi fore, ut candidi atque æqui Lectores noſtris, ſicubi occurrent, erroribus ignoſcant.

LXXX. Quod ſi vero Viri Illuſtres & Clariſſimi, qui hujus generis nummos, *Phœnicios* inquam, ubicunque terrarum, in Aſia, Africa, Europa, cuſos, vel poſſident, vel cuſtodiunt, ex præſenti ſpecimine de conatibus noſtris ſpem aliquam concipere poſſint; hos per communia Muſarum Sacra etiam atque etiam oratos velimus, ad reſtituendam veterem literaturam Phœniciam ſymbolas benevole & liberaliter conferant, & fida nummorum ectypa ad nos tranſmittant, maximeque, quoad ejus commode fieri poſſit, ichthyocolla expreſſa. Viri Illuſtres, *Noriſius*, *Spanhemius*, *Vaillantius*, aliique, qui proximis abhinc annis hiſtorias ſacras profanaſque eruditiſſimis commentariis illuſtrarunt, in Theſauris Regum, Principum, aliorumque Illuſtrium Virorum, inſignem id genus nummorum multitudinem aſſervari teſtantur; ſed qui magnam partem minoris uſus erunt, quamdiu occurrentes in illis inſcriptiones latent atque ignorantur. Ill. *Vaillantius* in *Hiſtoria Regum Syriæ* aliquoties *Œdipum* aliquem deſiderat, qui barbaras literas interpretetur. Ego vero Davus ſum, non Œdipus: Nihilominus tamen, pro meo in his literis proficiendi, & de publico bene merendi ſtudio, operam meam fidemque offero atque addico, cum Viro Ill. tum aliis quibuſcumque, qui literarum myſteria in iſtis nummis cognoſcere geſtiunt. Quod ſi nobis contigerit eſſe tam beatis, ut Viri Clariſſimi noſtræ penuriæ ſuccurrere velint, & debita ſubſidia ad hanc rem ſubmittere, præter *Samaritanum* & *Judaicum* tria quatuorve diſtincta Alphabeta *Phœnicia* promittere auſimus; *Tyrium* ſive in ſpecie *Phœnicium*, *Africanum*, *Siculum*, & *Hiſpanicum*. Quibus omnibus inter ſe, & cum *Hebraico*, vel *Aſſyriaco* collatis, mirum ni jucundiſſimum conſpectum habituri ſimus, & certiſſima indicia, quibus quaſi veſtigiis primævum Alphabetum, ex quo reliqua omnia ortum du-

ducunt, indagemus & eruamus. Cujus rei quo magis fidem faciamus, lubet etiam, priusquam manum de tabula tollamus, *periculum* facere in Celtibericis.


LXXXI. Vir Amplis. *de Bary* inter plurimos nummos veteri charactere Hispanico signatos, unum describendum dedit, in quo septum barbari characteres conspiciuntur.

1 2 3 4 5 6 7





quos legimus, S U H E S S A.
vel . . G . . .

Narrabat Vir Ampl. numisma inventum esse *Sanguesæ*, Navarræ oppido in finibus Arragoniæ, quod olim *Suessa* vel *Sugessa* dicebatur. Unde minime dubito, quin literæ istæ ejusdem oppidi nomen referant. Nullus equidem ignoro, quam infirmum & fallax argumentum sit, quod ex loco ducitur, ubi nummi effodiuntur; si scil. illud solum sit. Sed & hoc certum est, si complures ejusdem commatis alicubi inveniantur, præsumtionem aliquam inde nasci posse; ad quam si alia argumenta accedant, rem faciant probabilem. Quod si vero nummum quæramus, qui SUHESSA vel SUGESSA referat, in eo tres similes characteres inveniri necesse erit, & quatuor alios dissimiles. Similes autem esse debebunt 1. 5. *6.* quia in nomine oppidi ter [S] habemus, & quidem, *num.* 1. 5. *6.* Atqui vero his locis 1. 5. *6.* eadem litera ter recurrit: reliquæ vero omnes sunt dissimiles. Ergo nulli dubium esse potest, quin illi characteres nobis exhibeant nomen loci SUHESSA, vel SUGESSA.

LXXXII. Quid quod idem ex-ducto liqueat literarum? Tò  enim quid aliud quam *Sin* Hebr. Judaicum, Samaritanum, Phœnicium, Arabicum, sed ex jacente erectum? Græcum item, & tantum non Latinum?

Hebr. Jud. Sam. Phœn. Ar. Gr.



LXXXIII. Tertia  pariter *Chet* Judaicum & Samaritanum refert, quod ab aliis lenius profertur, ab aliis asperius, unde duplex oppido nomen, *Suhessa*, Græcis Συεσσα; & *Suchessa*, vel *Sugessa*. De reliquis idem judicium esto; quas quisquis cum Phœniciis contulerit, utrarumque convenientiam facile observabit.

LXXXIV. Sic ergo ex hac hypothesi, cui eventus respondet, jam quinque literas Celtibericas inventas dedimus; & illud discimus, veteres Hispanos hodierno more scripsisse a sinistra dextrorsum. Possemus & aliud specimen dare. Sed vela contrahenda sunt. Hoc *Celtibericum* eo protulimus, ut Viri Docti existiment, ecquid de nobis spei esse possit. Quod ingenio deest, quod novimus quam sit exiguum, id studio, labore & assiduitate, longa contemplatione, meditatione sedula, & accurata omnium collatione, operam dabimus ut compensemus.

LXXXV. Biennium abhinc Monumenta *Palmyrena* excussimus, *Scaligero* & *Bernardo*, at quantis Viris! desperata. Unum in solidum explicuimus, duo alia ex parte. *Odænathi* nunc quoque integrum repræsentare possumus. Neque vero de tertio *L. Aurelii Heliodori* desperamus, si quando accuratiorem ejus delineationem a Viro Clarissimo, *Thoma Smitho*, qui nobis jam humanissime illam promisit, nacti fuerimus. Quartum quoque, *Soli Sanctissimo Sacrum*, quod Lipsienses, Viri Clariss. ex *Fabretto* majusculis literis ediderunt, jam maximam partem expedivimus, idque verbis Syris conceptum, literis tantum non Hebraicis sculptum esse ostendemus. Initium ita habet:

שלמא ∴ ה למלכבל ∴ לאלה דתדמר

Eucharisticum hoc Malachbelo Deo Tadmoræ &c. Conferant Viri Docti literas Palmyrenas cum Hebraicis, & hoc principium cum inscriptione Latina, *Soli Sanctissimo Sacrum*, ... *votum solverunt*: & judicent, quantum a scopo, & sensu Inscriptionis Latine aberremus.

LXXXVI. Fuerunt in primitiva Ecclesia *Marcosii* quidam & *Heracleonitæ*, dicti atque habiti hæretici. Hi peculiarem quandam formulam habebant, barbaris verbis conceptam, quam & proselyti illorum cum baptizarentur, & ægroti, recitare debebant, quamque *Redemtionem* appellabant, idest confessionem de Jesu Nazareno Redemtore Mundi. Veteres & recentiores quidam Christiani formulam illam magicam esse putarunt, qua hæretici illi dæmonas orco evocarint, & saltantes Satyros induxerint. Nos jam undecim ab hinc annis ex triplici editione, & tribus item versionibus, illam *Symbolum* fideî Christianæ esse ostendimus, si non ipsum *Apostolicum*, at certe non multum ab eo diversum: Quod hic loci repetere non abs re fore arbitramur.

LXXXVII. Formulæ hujus verba hæc sunt, pro eo atque in impressis *Irenæi* & *Epiphanii* codicibus leguntur:

Iren.	„ Meſſiau,	Far, mag-no, in-ſe-	en-chaldia,
Epiph.	Μεσσια,	Ουφαρεγ, Ναμεμψαι	Μαν, Χαλδαιαν,
Idem.	Μεσια,	Ουφαρ, Εγναμεμψα,	Μενχαλδια,
Iren.	„ Moſomeda, ea	acha, faronepſeha,	Jeſu Nazarene.
Epiph.	Μοσομη δα εα,	Αχφραναι, ψαυα,	Ιησυ Ναζαρια.
Idem.	Νοσσομη, Δα εκ,	Αχφαραν, Εψευυα,	Ιησυ Ναζαρια.

LXXXVIII. Hæc vero barbara verba, quid ſibi velint, vertus *Irenæi* interpres, & *Epiphanius* ita explicant: „ Chriſti „ non divido ſpiritum, cor & ſupercœ- „ leſtem virtutem miſericordem, fruar no- „ mine tuo, Salvator veritatis. [Χριστȣ] Οὐ διαιρῶ τὸ πνεῦμα, ϗ τὴν καρδίαν, ϗ τὴν ὑπερȣράνιον δύναμιν, τὴν οἰκτίρμονα. ὀναίμην τȣ ὀνοματος σȣ, Σωτὴρ ἀληθείας. Ubi procul dubio in Græco *Epiphanii* textu vox Χειστȣ in initio excidit, quemadmodum *Petavius* recte obſervat.

LXXXIX. In hac vero verſione cum nulla Hebraicorum verborum, qualia quidem *Irenæus* illa eſſe exiſtimavit, id eſt Syriacorum, veſtigia cernantur, ſequens quoque formula apponenda erit, quæ utcunque ſenſum aliquem exhibet:

„ *Iren.* „ Confirmatus ſum & redem- „ tus ſum, & redimo animam meam ab „ æone hoc & omnibus quæ ſunt ab eo, „ in nomine IAO, qui redimit animam „ ejus in redemtionem in Chriſto vivente.

„ Epiph. Ἐστήειγμαι ϗαὶ λελύτρωμαι, ϗ λυτρȣ̃μαι τὴν ψυχήν μȣ ἀπὸ τȣ αἰῶνος τȣτȣ, ϗ πάντων τῶν παρ' αὐτȣ̃, ἐν τῷ ὀνόματι τȣ̃ ΙΑΩ, ὃς ἐλυτρώσατο τὴν ψυχὴν αὐτȣ̃ εἰς ἀπολύτρωσιν ἐν τῷ Χειστῷ τῷ ζῶντι.

XC. Hæc vero ita reſtituenda & vertenda cenſemus:

משיחא ופרוקא דפרק נפשן (.שי) מן עלמא חנא
ανα αλεμα Μεν (.ψι) Ναψαν Δεφαρέγ Ουφαρυγα, Μεσια,
ומן כל דבה בשמה דיהוה וכפרז בפורקנא
Βυεφρανα Ουκαφραν ȣ ΙΑΩ Βασμη Δεβη, χυλ Ου μεν
דנפשה הו ישוע נצריא
Ναζαραια Ιησυ Ου vel ȣα Δεναψη

Meſſias vel Chriſtus, & redemtor, qui redemit animam noſtram (meam) ab hoc ſeculo, & ab omnibus quæ in eo ſunt, in nomine JAO. & expiavit nos pretio, *vel* lytro animæ ſuæ, hic eſt Jeſus Nazarenus.

XCI. Ita, inquam Græce & Syriace ſcribendum, ita Latine reddendum exiſtimamus; Cui lectioni & verſioni acceſſuros arbitramur, quotquot mediocriter Chaldaice vel Syriace docti ſunt; ut verba illa Syriaca, & cum Græca *Epiphanii* Latinaque Interpretis Irenaici lectione, & cum noſtra illa verſione conferre poſſint. Noſtra ſane lectio veſtigia illa, quæ in Epiphanio & Irenæo ſuperſunt, religioſe ſequitur, & manifeſtas lacunas ex verſione, quam iidem autores exhibent, ſupplet; ad eandemque verſionem proxime accedit; & denique commodum per omnia ſenſum fundit.

XCII. Cum itaque dicti Hæretici jam ſeculo ſecundo viguerint, & ſermone Syro, qui idem Judaicus erat, uſi ſint: Cum item confeſſio ipſa Chriſtiana ſit, & per omnia orthodoxa, ſimillima illi, quam catechumenus reddit ad Quæſtionem primam Catecheſeos Palatinæ; *Quod corpore & animo pariter non meus, ſed fidiſſimi Servatoris mei Jeſu Chriſti proprius ſim; qui pretioſo ſuo ſanguine pro omnibus peccatis meis pleniſſime ſatisfecit, meque ex poteſtate Diaboli liberavit* &c. Concludimus, Marcoſios illos & Heracleonitas minime Hæreticos fuiſſe, ſed *Nazarenos*, ſive Chriſtianos ex circumciſione; & *Redemtionem* illam eſſe antiquiſſimum Symbolum fidei Chriſtianæ, & forte ipſum Apoſtolicum, (*Conf. Act.* VIII. 37. 38. XVIII. 28.) quod Chriſtianorum Gentilium craſſa ignorantia, & odium in *Nazarenos*; quos & *Ebionitas* appellabant, in carmen magicum mutavit.

CXIII. Ex his itaque ſpeciminibus, *Marcoſiano*, *Palmyreno*, & præſenti *Phœnicio*, ſi Viri docti de conatibus noſtris bene ominari poſſint; favorem illorum & auxilium publice hiſce implorare non veremur. Conferant benevole ſymbolas, ſubmittant nobis fida numiſmatum *Phœniciorum* ectypa; & viciſſim a nobis gratum animum, omnia officia, ac denique ſummam in omnibus diligentiam & fidem exſpectent.

J. C. HAREMBERGII

OBSERVATIO CRITICA

In voces דרכון, דרכמון, אדרכון I. *Paral.* XXIX. 7. *Esdr.* II. 69. *Nehem.* VII. 70. 71. 72.

SYNOPSIS.

I. *Voces peregrinæ constituunt bonam partem linguæ Hebraice?* II. *Docetur id exemplo vocis* דרכון, *Daricus, cujus Darius Medus fuit Autor.* III. IV. *Darici metallum, pretium, usus.* V. *Metallum ejus porro probatur, simulque figura & Icon designatur.* VI. *Darcon est Daricus,* δαρεικος.

I. UT omnino conatus eorum sua laude privandi non sunt, qui vocum Ebraicarum etymologias & natales, unde in derivatas colonias quasi deductæ sunt, ex ipso fonte Hebraico indagant: ita id tamen infitiandum est, vocum omnium, quæ in Hebraico V. T. codice obviæ sunt, origines esse Hebraicas. Nam si reliquas gentes respexeris, quæ Judæos cingebant, Judæi popellum magis quam vastam nationem præbebant. Nihil tamen frequentius est, quam quod exiguæ regiones & nationes voces civitate donent, quæ a celebrioribus ac numerosioribus gentibus finitimis ore calamoque teruntur. Hispani multas voculas Phœnicibus, Græcis & Saracenis debent: Galli Romanis, Germanis, Græcis: Itali Romanis, Græcis, Gothis: Angli Germanis, Romanis, Brittis, Danis, Gallis: Germani Græcis, Slavis, Gallis. Turci multa trahunt ex Turchestan, Slavis, Arabibus, Græcis. Tartariæ minoris (*a*) incolæ & ipsi Persæ Germanicas terunt voces, ex Scythia susceptas & Arimanica expeditione. Lingua Medica ex Hebræa, Græca & Teutonica multas hausit voces. (*b*) Cur igitur dubitamus de lingua Hebraica? Ægyptias, Arabicas, Syriacas, Medicas & Persicas illa indubie præfert voces, quarum notitiam maxima ex parte nox & monumentorum interitus premunt. Præstabilis est conatus Celeb. Alberti Schultens, ex Arabica lingua radices & voces protrahendi bene multas. In præsens vocem דרכון ex Persico Δαρεικος درقان eruere animus est, unde ortum fuisse Arabicum درهم *nummus, numisma argenteum*, Græcum δραχμα videtur.

II. Darius Medus Cyro & Dario Hystaspide prior nomen huic pecuniæ sorti dedit. Scholiastes in Aristophanis Ἐκκλησ. p. 741. Εἰσι μὲν χρύσοι οἱ Δάρεικοι. οὐκ ἀπὸ Δαρείου τοῦ Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ᾽ ἀφ᾽ ἑτέρου τινος παλαιοτέρου Βασιλέως οὕτως ὠνομάσθησαν. *Sunt quidem aurei stateres Darici. Non a Dario Xerxis patre, sed ab alio quodam vetustiori rege ita adpellati sunt.* Quis ille fuerit Darius, ex sacris literis, Daniele puta, nobis utique constat, qui est Xenophontis Cyaxares, Esteræ Ahasverus. Meminisse illius Darii Suidas in voce Θαλῆς videtur, quippe quem primum ait γεγονέναι πρὸ Κροίσου, at dein ἐπὶ Δαρείου. (*c*) Numus autem hic forsan, ut Perizonius l. c. judicat, ortus est ex tributo provinciis per Darium hunc imposito. conf. Esth. X. 1. Dan. VI. 2. 3. Herod. L. III. c. 89. pag. 199. Polyæn. L. VII. 11. 3. quorum tamen uterque ultimus id tribuit Dario Hystaspidi, sed errore certo & inde orto, quod antiquiorem illum Darium non norant. Abulpharagius (*d*) de Dario Medo: *Darius Medus. Adpellant illum Græci Nabonidem. Regnavit autem*

(*a*) Vid. Busbequii Ep. IV. de rebus *Turcicis* pag. 386. 387.

(*b*) Vid. Th. Hyde de *religione veterum Persarum* c. 35. p. 428. Gulielmi Burtoni λειψανα *Veteris linguæ Persicæ*, M. Z. Boxhornii Epistola de *Persicis Curtio memoratis*.

(*c*) Marshamus in *Canone Chronico* ad Sæc. XVIII. p. 609.

(*d*) Marsham. l. c. p. 604. unde sua hausit Perizonius in *Notis ad Aelianum* V. H. L. I. c. 22. p. 32. (Ed. 2. 1701. Lugdun. Bat. 8.)

tem annum unum, vel, ut dicitur, novem annos, ab eo ſublatum eſt regnum Nabatæorum, Chaldæorum, translatum ſcilicet ad Perſas Magos.

III. Agnoſcunt Judæi antiqui, quod דרכונים fuerint numi aurei, quos ex Babylonia ſui detulerint peregrinos. Miſchnicus Tr. de *ſiclis* c. II. §. 4. שכשעלו ישראל מן הגולה היו שוקלים דרכונות חזרו לשקו׳ סלעים יחזרו לשקו׳ כבעי׳: *poſtquam Iſraelitæ adſcenderunt ex exſilio, ſolverunt darconoth, ceſſarunt ſolvere ſiclos & ſemiſiclos*. Et ibidem §. 1. מצרפין שקלים דרכונו׳ מפני משוי הדרך: *Qui permutarunt ſiclos Daricis ob onus viæ*. Gloſſa addit: דרכון היה בו שני סלעים ואמר מצרפין אותן השקלין ישהם הכסף בדינרי זהב שיקל משאם: *Darcon continebat duos ſiclos, dicitque quod permutaverint hos ſiclos, qui fuerunt ex argento, in numos aureos, ut levius fieret onus eorum*. *R. Obadias* in שלשלת pag. 89. דרכון והוא שני סלעים שוה י׳ יוליאי: *Darcon æquat duos ſiclos, qui faciunt 10. Julios*. Pollux L. IV. ὁ δὲ χρύσυς ϛατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. *Aureus vero ſtater duas æquabat drachmas Atticas. Joſephus* porro ſiclum auri comparat Darico, acerram decem ſiclis æſtimatam Lev. VII. 14. δαρείκυς δέκα δυναμένην *Daricos decem æquantem* pronuntiat. Quia igitur ſiclus aureus didrachmum aureum fuit & viginti drachmas Atticas argenti valuit (*a*) Darici pondus & pretium ſiclo auri Hebræorum par fuit. *Harpocratio*: Εἰσὶ μὲν χρύσοι ϛατῆρες οἱ δαρεικοί. ἠδύνατο δ᾽ ὁ εἷς τοῦτο ὅπερ καὶ ὁ χρύσυς παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενος λέγυσι δέ τινες τὸν δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς εἴκοσι, ὡς τὺς πέντε δαρεικὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίυ. *Sunt equidem aurei ſtateres Darici. Valebat vero unus idem ac Aureus ab Atticis vocatus -- tradunt vero nonnulli, quod Daricus æquet argenteas viginti, ita ut quinque Darici valuerunt minam argenti*. *Perizonius* l. c. de Daricis: *Numi hi ſunt aurei, reſpondentes Atticorum XX. drachmis argenteis, noſtratibus 6. florenis.*

IV. Perſarum præterea ritus obtinuit in imperio Perſico, rerum pretia in Daricorum ſummam conligendi, uti ex *Æliano* (*b*) diſcimus, & multum Reverendus notavit M. *Georgius Raphelius*. (*c*) Mos ille jam ante Darium Hyſtaſpidem invaluerent adeoque ab Eſra ſervatus eſt, qui c. VIII. v. 27. crateras aureos viginti ad mille Daricos computat. *Xenophon*. L. VII. Αναβ. Κύρυ pag. 415. col. 2. ἵππον ὢν ἐν Λαμψάκῳ ἀπέδοτο πεντήκοτα Δαρεικῶν. Erat & ſicli genus Perſis uſitatum, quod valebat ſeptem obolos Atticos & ſemiobolum. *Xenophon*. Αναβ. *L. I. p.* 254. *col.* 2. ὁ δὲ σίκλος δύναται ἑπτὰ ὀβόλυς καὶ ἡμιωβόλιον. Obolus vero valebat octo unciis vel beſſe, hemiobolium igitur quatuor unciis, (*d*) Siclus igitur ejusmodi æquavit ſexaginta uncias ſeu lothones i. e. XXX. thaleros, vel potius ubi uncia XVI. groſſis Miſnicis valet, XXXV. thaleros ſeu Joachimicos. *Xenophon*. l. c. p. 260. col. 2. Ἐνταῦθα Κῦρος Σιλανὸν καλέσας τὸν Ἀμβρακιώτην μαντὶν, ἔδωκεν αὐτῷ δαρεικὺς τρισχιλίυς. ὅτι τῇ ἑνδεκάτῃ ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ἡμέρας πρότερον πυθόμενος, εἶπεν αὐτῷ, ὅτι βασιλεὺς ὐ μαχεῖται δέκα ἡμέρων. Κῦρος δὲ εἶπεν, ὐκ ἄρα ἔτι μαχεῖται, εἰ μὴ ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις μαχεῖται, ἐὰν δ᾽ ἀληθεύσῃς, ὑπισχνῦμαί σοι δέκα τάλαντα. *Cyrus arceſſito Silano Ambraciota vate, Daricis eum ter mille donavit, quod ab Cyro interrogatus, die ante eum diem undecimo, dixiſſet, regem diebus decem proximis prælium non commiſſurum. Quo tempore Cyrus reſpondit, non ſubiturum ſe aleam prælii, niſi iis diebus præliaretur. Quod ſi tu verum dixeris, decem tibi talenta polliceor*. Tria millia igitur Daricorum valuere decem talenta ad ter mille Daricos, ita unum talentum ad trecentos Daricos. (*e*) Intelligit *Raphelius* (*f*) talentum non Atticum, ſed Babylonium. At meliora doceri potuiſſet a *Gronovio* l. c. ſi is ei fuiſſet ad manus. Talentum enim Babylonium ſeptuaginta duas minas Atticas conficit; (*g*) Talentum vero Atticum Sexaginta minas, mina quinque Daricos ſeu ſtateres. Id enim ex *Arriani* IV. liquet, ubi τριακόσιοι δαρεικοὶ ultimo adſcendenti Aornon ab Alex. M. promittuntur, i. e. talentum, ut *Curtius* habet. De Daricis tres alii loci *Xenophontis* ſunt apud *Raphelium*, qui apud eum, ſi cui neceſſe viſum fuerit, evolvi queunt. Ut ſummatim dicam pretium Darici, id duobus philippeis valuiſſe adjungendum eſt.

V. *Daricus* ille fuit *numus*, *ex auro* conflatus. Id non ſolum Græci ſcriptores ſed Judæi etiam largiuntur & teſtatum faciunt. *Aben-Eſra* ad Esdr. II. 69. דינרי זהב *denarios aureos* fuiſſe perhibet *darchmonim*. *Raſchi* ad eundem locum דרכמונים interpretatur שם מטבע של זהב per *nomen monetæ aureæ*. Idem ad Esdr. VIII. 27. מין מטבע אלף דרכונים היו בעשרים כפורי זהב

(*a*) *Dyn*. VII. p. 72. (113.)
(*b*) Vid. Jo. Frid. Gronovius pater de *pecunia vetero* L. III. c. 7. p. 360. ſeqq.
(*c*) *Var. Hiſt*. L. I. c. 22.

(*d*) In *Annotationibus philologicis in N.T. ex Xenophonte* p. 363.
(*e*) Gronovius de *Pecunia vetere* L. III. cap. 2. pag. 263.
(*f*) Eadem ratione conligit Gronovius l. c. cap. 7. p. 366.
(*g*) L. c. p. 361.

זהב הללו: *Species numismatis. Mille darconim erant viginti talenta auri.* Ex ipso codice sacro liquet, si hæc loca ex I. *Par.* XXIX. 7. *Neh.* VII. 10. *seq.* evolverimus, *Darcon*, seu *Daricum*, uti ego quidem interpretor, aureum fuisse numum. *Ezbachajim* in commentario ad Tr. Mischn. de *Siclis* cap. II. §. I. בני חעיר ששולחין שקליהן לירושלים מצרפין אותם וליקחין מהם דרכונות היו זהובי' טבועים דרכונות אין שאר זהב לו שאינו טבוע ובמש שקלים מפרש טעם שמא תיזול מרגליות וכו' והה לכל שוה כסף שמא יזול ונמצא הקדש מפסיד אבל טיבעא לא. זייל יפי"ר מ' דרכון חוא ב' סלעים: *Oppidani, qui mittebant siclos suos Hierosolymam, eos permutabant collybo & capiebant pro illis Daricos, qui fuere aurei cusi. Non erat reliquum aurum ei urbi, quod non esset conflatum. De mole siclorum prægravante jententiam explicant, ne vilescerent margaritæ* &c. *Illud ipsum est omnino æquale argento, ne vilius fieret & deprehenderetur templum damno adfici, sed moneta non vilius caperet pretium. Exponit* R. *Maimonides : Darcon est duplex siclus.* Videtur de siclo profano aureo loqui, ex errore communi & qui diu inhæsit, statuens, siclum sacrum esse duplum profani. Sed ne sic quidem omnia satis constant, quia סלע *Sela* in Talmude idem est quod siclus sacer. (*a*) Sufficit in præsens, ex Judæorum testimoniis patescere, quod *Darcon* fuerit numus aureus. *Xenophon.* confirmat Ἀναβ. I. *pag.* 260. *col.* 2. subjungens loco supra excitato : τῦτο τὸ χρυσίον τότε ἀπέδωκεν, ἐπεὶ παρῆλθον αἱ δέκα ἡμέραι. *Hoc ipsum aurum tunc* Cyrus minor vati Ambraciotæ *dedit, ubi exacti fuere illi decem dies.* Restat, ut figuram numismatis impressam recenseamus, quam docte & concise *Thomas Hyde* indicat, (*b*) *Quia*, inquiens, *Persæ erant sagittarii optimi, ergo apud Mausoleum Persepolitanum in Regum manibus tenetur* (*c*) *Arcus, cui innituntur, ut Persarum insigne. Et apud* Strabonem *in Darii, forte Hystaspis, sepultura ponitur Epitaphium: Amici, fui* ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος, *venatores fugavi & omnia facere potui. Et dicente Plutarcho in Moralibus* p. 211. persarum numisma Daricum sagittario signatum fuit. *Talis nummus vel apud* Spanhemium *vel apud* Golzium *videri potest, ubi Rex altero genu flexo jaculatur. Et si recte memini,* Svetonius, *in Caligula, ponit in Parthorum vexillo draconem & in eorum vexillo regio Arcum.* Ipse Tabula II. adjecta iconem nummi exhibet.

VI. Ut igitur Daricum & Darcon pro uno eodemque nummo habeamus, sequentes non impellunt rationes. (1) *Esra* qui Paralipomena scripsit, (*d*) & *Nehemias*, vixere post Darium Medum. (2) Ex exsilio Babylonico origo Daricorum repetitur, itidem Darconim, ob שקלים *c.* II. §. 4. (3) Tum Darcon, tum Daricus fuit numus aureus ob §. 5. (4) *Josephus* Daricos Græce adpellat, quos ceteri Judæi darconim. (§. 3.) Persæ (5) summam conligebant Daricorum, si de majori pecuniæ multitudine sermo esset, quare Darici fuere nummi vulgatissimi. Id & de Daricis & de Darconim (§. 4.) ostensum est. Tum (6) adfinitas soni favet inter voces דרכן & Δάρεικος. Tandem (7) terra Babylonica, dominatus Persicus, & licentia Judæis ademta, quæ percussionem nummorum indulsit demum sub Demetrio Syrorum rege, sententiam corroborant nostram. Accedit (8) quod aurea δραχμὴ sub Dario Medo, Esra & Nehemia nondum fuerit inventa vel trita. Quare non possum, quin Darconem & Daricum pro uno eodemque nummo habeam.

(*a*) J. H. Hottingerus de *Nummis Orientalium* §. V. pag. 98.

(*b*) De *Religione Veterum Persarum eorumque Magorum* c. 23. p. 307.

(*c*) Id non adeo certum est, quia videtur esse serpens, cujus caudam Rex manu tenet, uti *Cornelius de Bruins* in Reizen c. 39. p. 221. Ipse quidem c. 40. p. 232. de arcu explicat, sed alibi, ubi de Thau Ezechielis agerem, dubitationem meam proposui.

(*d*) Du Pin dans la *Dissertation preliminaire sur les auteurs des Livres de la Bible* §. 1. p. 23. col. 1. T. I. Bibliothequ. nouv. des Auteurs Ecclesiastiques.

JO. BENEDICTI CARPZOVII
DISPUTATIO
DE NUMMIS EFFIGIEM MOSIS CORNUTAM EXHIBENTIBUS.

CAPUT I.

Occasio differendi de Nummis Mosaicis. Summa dicendorum. Hottingeri, Bartholini, Seldeni, Gejeri Nummi Mosen cum cornibus Arietinis exhibentes quales? In quo conveniant differantve? Conjectura nostra circa Torquis Inscriptionem. Aliud Numisma, quod FACIEM MOSIS CUM CORNIBUS RECTIS IN FRONTE REPRÆSENTAT, describitur. Qualis Lansi moneta? Nostra de his nummis ἐπίκρισις. Numismata Bangi cum Nomine יהוה *& Waseri cum imagine Salvatoris quæ?*

PErvenerunt ad manus nostras his diebus Celeberrimi Viri *Jo. Henrici Hottingeri*, *Cippi Hebraici*, Libellus mole quidem exiguus, elegantissimus tamen pariter & eruditissimus, quo Judæi cujusdam Hebræam Monumentorum tum intra, tum extra terram sanctam observatorum descriptionem Latina donavit civitate, additis doctissimis Notis, & Dissertatione *de Nummis Orientalium*. Offendimus in hac *pag.* 136. adde *Schema ibid.* æri incisum, inter alios Nummos, quos exhibet, æreum quendam, faciem Mosis Cornuti repræsentantem, quem statim ut primum vidimus, suppositititum esse suspicabamur, non in veteri Judæa cusum, quod verborum *Steuchi*, Episcopi Xisamensis, vid. *D. Jo. Ad. Scherzer. de Mosis Morte & Sepultura cap.* I. *Sixt. Senens. lib.* 5. *Biblioth. sacr. annotat.* 116. *Sixtin. Amama Antibarb. Bibl. lib.* 2. *cap.* XXXIV. *Exod. pag.* 571. recordabamur, ridere nos atque execrari Judæos, quoties Mosen in templis nostris Cornuta facie depictum videant, quasi nos esse eum putemus diabolum quendam. Quare in animum induximus materiæ jucunditate illecti, meditari aliquid de eo, præsertim cum Dissertationem aliquam flagitare videbatur promissum, quod Amplissimæ Nostræ Facultati Philosophicæ stipulata nuper manu fecimus. Cui singularis accessit Benevolentia summi Viri, plur. Reverendi Dn. D. *Martini Gejeri*, qui binos id genus Nummos nobis exhibuit, quos simul cum *Hottingeri*, hujus Dissertationis materiam selegimus, spe freti non dubia, nos veniam impetraturos, si non omnia ad Lectoris palatum erunt. Neque enim ex anguibus, ut ille ait, Andromachen concinnare animus est, sed quæ brevi hoc temporis spatio sponte se offerrent, arripiemus, & ut aliud ex alio in mentem nobis incidet, ita quidque persequemur. Quod ipsum tamen ne prorsus extra ordinem fiat, ad hæc quasi summa Capita respiciemus: AD NUMMORUM DESCRIPTIONEM: deinde AD EORUM REJECTIONEM: Tum AD NATALES: & demum AD OCCASIONEM, qua factum est, ut CORNUA in EFFIGIE MOSIS expressa sint.

A descriptione ergo ordiemur, quo constet, quales sint hi Nummi, quos innuimus: Schemata enim oculis subjicere cum alia prohibent, tum inprimis festinatio. Quem Cl. Hottingerus *in de Numis Dissertatione*, quam diximus, proponit eum etiam nobis sistunt *Th. Bartholinus*, qui se Romæ eum accepisse ait libello *de Unicornu cap.* I. & *Joh. Seldenus*, qui Schenæ, in agro Surrejensi circa nonum a Londino lapidem, inter rudera repertum ad se pervenisse scribit in reconditæ Eruditionis opere *de Jure Naturali & Gentium juxta disciplinam Hebræorum lib.* 2. *cap.* 6. *fol.* 791. In eo tamen aliquantum differunt, quod *Hottingerus* in schemate Voci משה Punctum (.) sive πλεῖαν στιγμὴν, ut Græcis dicitur, addiderit, in cujus locum a *Seldeno* & *Bartholino* Crucis signum, seu ejusmodi figura, qua veteres Romani numerum denarium (*a*) expresserunt, surrogatur. Ab his nummis nihil fere discrepat eorum alter, quorum nobis copiam fecit D. *Martinus Gejerus*, quippe in hoc, ut in illis ex una parte facies Mosis Barbata apparet, cum Arietis Cornibus auribus tenus circumflexis, cum torque insuper sive collari, cui addita inscriptio:

משה

Ex

Ex altera verba Primi præcepti hoc modo:

לא יהיה לך
אלהים א
חרים ע
ל פני

Id tamen nobis non constat, quid ultimum illud post vocem משה sit in collari, in quo Hottingerus, & Seldenus ac Bartholinus discrepant, cum protuberantes literæ in hoc & in sequenti Nummo Vetustate sint nimium deletæ. Apparet tamen aliquo modo, quantum suspicari possumus, prima Alphabeti litera א Aleph, quam per Raschne thebos, more Hebræis usitato positam arbitramur, & notare idem, quod אמר DIXIT. Unde iste promanaret sensus & cohærentia: אמר משה MOSES DIXIT. Quid vero dixit? nempe Præceptum illud, quod jam in altera Nummi facie sequitur: לא יהיה לך אלהים אחרים על פני: *Non erunt tibi Dii alieni coram me*. Judicet ipse imbecillium conatuum nostrorum judicium benignus Interpres. Meræ enim sunt conjecturæ, quæ liberam cuique divinandi potestatem relinquunt. Quod si tamen Seldeni Nummus expresse crucis exhibuit icunculam in collari, sicuti testatur ipse, non veremur, & huic Numismati, si quis allatam opinionem impugnare velit, adscribere idem crucis signum, quippe suppeditaturum postea argumentum contra ejus Autoritatem. Alterum Numisma *Cornutum Mosen* representans, quod Venerando Dn. D. *Gejero* debemus, nos nullibi hactenus fatemur vidisse. Exhibet hoc una parte faciem Mosis barbatam, caput capellatum & crispum, ita tamen ut in fronte e capillis *Cornua recta antrorsum* protendantur, cum Inscriptione in collari משה parte altera eadem ipsa præ se verba fert, & eandem ipsissimam scriptionis formam, quæ in præcedenti Numismate. Ejus fere figuræ Monetam quidem ex antiquaria Cl. *Viri Thomæ Lansi* piæ recordationis supellectile depromsit *Guilielmus Schickardus*, Vir raræ dum viveret eruditionis, e cujus *Proœm. ad Tarich. Regg. Pers. pag.* 33. 34. Doctiss. Joh. Seldenus suo *de Jure Naturali & Gentium* oper *loc. cit. fol.* 190. eam inseruit, mutuatusque est Illustris Claudius Salmasius *Epist. de Cesarie Viror. & Mulierum coma pag.* 79. Id tamen discriminis habet a nostro, quod caput cornibus plane destitutum exhibeat, solum capillatum & crispum, qualiter in cœlesti Visione Mohammedi apparuisse refert Rodericus Ximenez *Hist. Arabic. c.* 5. vid. Schickard. *loc. cit.* & Hottinger. *Hist. Arab. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 57. Atque hæc sunt illa Numismata, quæ cum Mosis facie *Cornuta* videre contigit; de quibus tamen affirmare nulli dubitamus, esse supposititia, barbara & recentia, cujus generis pluria circumferuntur. Qualis moneta v. g. Thomæ Bangio, Professori Hafniensi, oblata est, vario characterum Hebraicorum, quibus πετραγράμματον יהוה constat, schemate pulchre ornata, de qua quid ipse statuat, videre unacum Schemate poteris *in Cœlo Orientis, & Prisci Mundi Exerc.* 2. *pag.* 195. Eundem nummum vidimus Ulmæ Svev. ap. Chr. Weickmann. Patrit. cujus materia erat orichalcum. Vid. & Hottinger. *de Num. pag.* 114. Qualem etiam Caspar Waserus *lib.* 2. *de Num. antiq. Hebr. cap.* 3. *pag.* 62. *col.* 2. exhibet, & ex eo postmodum Crinesius *Babel. cap.* 2. *memb.* 1. *pag.* 23. 24. in honorem Servatoris nostri cusam, in cujus una facie imaginem Servatoris vultu placido, venusto & amabili cum voce ישו videre est: in altera talis inscriptio:

משיח
מלך בא ב
שלם ואור
מארם עש
וי חי.

h. e. MESSIAS REX VENIT CUM PACE
ET LUX DE HOMINE FACTA EST VITIA.

Quos nummos quemadmodum nemo Judæorum manu formatos adfirmabit, ita verisimile non est, istos, quos dedimus, Judæorum esse, ut in sequentibus ostendemus.

CAPUT II.

Judicium Schickardi, Salmasi, Seldeni, de Nummo Lansiano. Primum Argumentum contra Numismatum cum Mose Cornuto Antiquitatem & Autoritatem. Qui literarum characteres primigenii? Recensentur utriusque sententiæ defensores. Laus Buxtorfii. Nostra de hac controversia opinio. Argumentum secundum: Voces an, & quomodo sub lineæ finem dividant Hebræi? R. Maimonidis & R. Alphesi Regulæ. Apices literis impositæ Hebræis quid indicent? Tertium Argumentum. Judæorum odium erga sanctam Crucem. Quomodo eam circumloquantur. Convitium R. Lipmanni de nigra Asinorum cruce. Quid R. Bechai notet per Movere digitos hinc inde. *Seldeni de suo Nummo judicium. Argumentum quartum. Judæorum quorundam superstitio circa Imagines.*

nes. R. Barzelonitæ, R. Abarbenelis, R. Menaſſeh ben Iſrael expoſitio Loci Exod. XX. 3. *Hiſtoria ex Miſchna de Proclo, & Gamliele in Veneris balneo ſe lavante. Imagines in Judæorum Minhagim ſive ritualibus. R. Gamlielis picturæ Lunæ ex Talmude Maſſ. Roſch haſchanna, Diſtinctio Hebræorum inter imagines* בולטות & שוקעות *R. Mikozi, & R. Maimon. de ea. De Annulis ſcultoriis quid ſentiant Hebræi? Opinio Baal arba Turim & R. Mikozi de hominis figura integra & mutila. Deciſio ex opere Talmudico.* Ὀνόμισμα κήνσου, Matth. XXII. 17. 20. *in quo Cæſaris effigies, quale, & num Judæis eo uti licuerit.*

DE Lanſiano ære, quod Schikardus, & ex eo Seldenus, & Cl. Salmaſius depromunt, ante omnia monemus, nihil nos certi pronunciaturos, quibus conſtitutum, de iſtis ſolum agere Nummis, qui *Moſis faciem cornutam* exhibent. Nolumus pugnare cum iis, ubi contradicendi labore ſuperſedere poſſumus, quos Ἰσοθέους dudum crediderunt Eruditi. Viderint ipſi qui Antiquitatem & Autoritatem Nummi ſive aſſeverant ſive negant. In illis Schickardus, qui antiquiſſimum vocare, nil dubitat, & ab illius gentis artifice quodam formatum, cui per Kabbalam plus de Moſis Perſona conſtare potuerit, quam nobis tempore multo poſterioribus. Et Salmaſius: Crediderim facile, inquit, cum ipſo Schickardo, non ab ipſo Moſe cuſum hunc Nummum fuiſſe, nec a Bezaleele ejus juſſu; ſed eum antiquiſſimum eſſe conſtat, & illo tempore formatum, quo Judæi non ignorabant, qualem ſibi tonſuram uſurpare licitum eſſet, ipſique adeo Moſi, qui legem condidiſſet de capillo in circuitu non deradendo. Vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. ad Cl. Salmaſ. Diſſ. de Latere Chriſti aperto affixa*, pag. 346. *loc. cit. fol.* 190. & 196. Videri tamen poterit, quid in contrarium afferat Seldenus *loc. cit. fol.* 190. & 196. Nos quæ de noſtris Nummis diximus, non Judæorum manibus formatos, ſed barbaros eſſe & ſuppoſititios, probare jam decet, quod breviſſimis, quantum fieri poteſt, expediemus.

Primo: Itaque, ſi eorum ſubſcriberemus opinioni, qui Samaritanos literarum characteres Moſis tempore uſitatos, & hanc quadratam elementorum Hebraicorum figuram longe demum poſt Moſis tempora introductam aſſerunt, id firmiter adſtruere poſſemus, non cuſum hunc nummum eſſe ante Babylonicam captivitatem, ne dicam Moſis ævo a Moſe ipſo aut Bezaleele, cum iis literis, quibus hodie utimur, utriuſque Nummi faciei inſcriptio appareat. Quod fieri non potuerit, ſi vel Eſræ vel alius cujuſdam eſſent inventum, quod præter Rabb. Joſephum Albo *Sepher Sekarim. fol.* 81. *col.* 2. & Moſen Gerundenſem *in fine Commentar. ſuper Pentateuch.* magni Viri confirmant, ut Joſephus Scaliger *Adnimadverſ. ad Chronic. Euſebii p.* 103. 109. Benedictus Arias Montanus *lib. de Menſur. & Ponderib.* Robertus Bellarminus *Gramm. Hebr. ſub fin.* Gilbertus Genebrardus *lib.* 2. *Chronol. ad A.M.* 3603. Joh. Druſius *cap.* 57. *Commentar. ad diff. Locc. Exod. pag.* 223. 224. Caſpar Waſerus *lib.* 2. *de Numiſm. Antiqu. Hebr. cap.* 3. *pag.* 61. *col.* 2. Joh. Seldenus *lib. de Jur. N. & G. juxta Hebræor. diſciplin. cap.* 6. *fol.* 198. Bartholomæus Majerus *part.* 2. *Philol. ſacr. cap.* 2. *pag.* 130. & alii Hieronymum ſecuti, qui Samaritanas literas *Præfat. in Libb. Regg. Tom.* 4. *op. pag.* 7. ſcribit antiquiſſimas, certumque eſſe, Eſram ſcribam Legiſque Doctorem poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem Templi ſub Zorobabele alias literas repeiſſe, quibus nunc utimur, cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Enimvero alii contra non vilioris Nominis Viri docti hanc Literaturam, quæ ad nos pervenit, primigeniam cum B. Luthero noſtro defendunt, e quibus ſaltim nomino Jo. Gerhardum *Exeg. Loc. de Script. Sac. cap.* 6. *pag.* 128. *ſeqq.* Abrahamum Calovium *Critic. ſacr. Tract.* 2. *diſſ.* 2. *memb.* 3. *pag.* 325. 326. Nicolaum Fullerum *lib.* 4. *Miſcell. Sacr. cap.* 4. *p.* 430. *ſeqq.* Guilielmum Schickardum *de Jure Regio Hebr. cap.* 2. *pag.* 39. 40. Chriſtophorum Crineſium *Babel. ſ. de confuſ. Lingg. cap.* 2. *pag.* 19. Joh. Leuſdenium *Jon. Illuſtr. Diſſert.* 1. *de Text. Hebr. & Ling. num.* 6. & Thomam Bangium *Cœl. Orient. Exerc.* 3. *pag.* 209. *ſeqq.* qui peculiarem nuper ea de re Exercitationem Hieronymo oppoſuit, plura adverſus Scaligerum & Bartholomæum Majerum promittens. Sed & præ reliquis unus omnium inſtar nominandus erat Joh. Buxtorfius *Pecul. Diſſert. de lit. Hebr.* at quantus Vir! Surgite quotquot bonas literas amatis, & venerandum Nomen dignis mactate laudibus. Hic ille eſt, qui ſacroſanctam linguam Chriſtianos docuit, & Judæorum Talmudiſque arcana, quæ multa jam ſecula ignorarunt, primus prodidit. Quæ poſterior ſententia, cum & nobis videatur probabilior, & rationibus numero plurimis, pondere graviſſimis ſit munita, nihil nunc quidem ex hoc capite adverſus iſtam Monetam urgemus, præ-

præſertim cum inficias ire nequeamus, poſterioribus Iſraelitarum temporibus, ſub Templo ſecundo, cudi eam potuiſſe.

Quare *Secundo* ſuſpecta in hoc Nummo eſt barbara Inſcriptionis diſtinctio, quod vitii a Vetuſtate contrahere non potuit. Quis enim Hebræorum unquam voces ita dividit, ut una vox lineam alteram claudat, alteram inchoet,

לא יהיה לך
אלהים :א
חרים ע
ל פני:

qualiter heic in Nummo diviſas cernimus, ubi in litera א vocis אחרים deſinit ſecunda Inſcriptionis Linea, tertia in ſequentibus חרים incipit, quæ rurſum ע clauditur, ultimæ lineæ reſervato ל Lamed, ut particulam על conſtituat? Certe Voces ſub lineæ finem ita dividere non ſolent Hebræi, quemadmodum Græci, Latini, Germani aliique; Sed vel literis dilatalibus linæ hiatum ornatus gratia explent, vel exarandæ vocis aliquas literas apponunt, etiam, ut recentiores nonnulli, inverſo ordine, quas in ſequenti linea repetunt. Quod pueris Hebraizantibus vel ex Grammatica conſtat. Ipſe R. Majemonides in Opere ſuo *Jad Chaſaka Halacha Tphillin cap.* 7. hoc præcipit, cum ait: לא יכתוב שנים בתיר בזרטנה לו בחוך ונ חוץ תיבת בתחמש אותיוה הוף ושלש חרוץ לרף אלא כיתב השיטה כדי לכתיב נ׳ מניח המקים פנוי ומתחיל מתחילה לא כשאר מן: *Si adeſt vox quinque literarum non ſcribat duas intra columnam, tres extra, ſed tres intra ſcribat, & duas extra. Sin vero tantum non ſupereſt ſpatii in linea, ut tres ſcribi poſſint, relinquat locum vacuum, & inchoet novam.* Quæ circa Vocem אחרים obſervanda fuiſſent. De particula על vero non minus huc quadrat, quod R. Alphes monet *in Talmudis compendio Hilcoth Sepher Thora p.* 348. *col.* 1. נזר מכה לו תיבה כת נ יזרקנה ניך הרפיז לא יחזיר לתחלק אותיית לא השיטה: *Vocem duarum literarum non diſpergat in paginas, ſed integram transferat ad frontiſpicium alterius lineæ.*

At longe heic aliter, quod ſatis arguit, minime Judæorum opus eſſe, ſed alius, qui Latinos Græcoſque in ſcribendo imitatus eſt, queis ipſis tamen datur vitio, ſi duarum literarum particulam, veluti A-D ME, diſpeſcant. Præterea Virgulæ illæ, ſive Apices literis א & ע impoſitæ, a Latinis, Græcis &c. quibus in uſu, ut diviſam vocem his connectant, mutuatæ ſunt, quæ longe aliud Hebræis notant, ceu incomparabilis Joh. Buxtorfius docet *de Abbreviaturi pag.* 7. 8. *ſeqq. Edit. Noviſs.*

Tertio, ſi crucis Icuncula in collari Moſis eſt expreſſa, ut ex Seldeno ſupra adduximus, quis delirabit adeo, ut Nummos iſtos Judæis tribuat? qui tanto flagrant ſanctiſſimæ Crucis odio, ut non modo non ſcribant, ſed ne nominent quidem. Unde occulta appellatione, quando vocare volunt, circumloquuntur per שתי ערב Stamen & Subtegmen. *Vid.* Buxtorfii *Lexicon Chald. Talmud. Rabbin.* Exemplum eſt in Talmudis *Maſſecheth Avoda Zara* & in R. Lipmanni *Sepher Nizzachon*, qui propterea nos, prout ſolet Satanæ proles, deridet, ob nigram Aſinorum Crucem, quaſi ideo Servatorem noſtrum ſeſſorem aſini vocemus, nam ad Zachariæ quendam locum ſic inquit: רים הנוצרים מפרשים את זאת על הנזצר וסמכו לדבר יהם שעל בחפות החמור נראות כשתי וערב: *Chriſtiani textum hunc* (Prophetæ, Ecce Rex Tuus venit inſidens aſino, pullo, filio aſinarum) *Zachar.* IX. 9. *de Nazareno exponunt, & probant ſuam ſententiam inde, quod in ſcapulis Aſini* Crux *quodammodo appareat.* Et quibuſdam interpoſitis hanc ſententiam a ſeipſo nobis affictam his impugnat: גנוא גדול להם שיסאו ראייה מץ יצירת הרות שהרי כל ארם המונח על פושט רגליו נראה סתי וערב לפני אהורו: *Magna ipſis ignominia eſt, quod argumentum petant a figura creatorum. Ecce enim quivis homo incumbens faciei, & paſſis pedibus repræſentat crucem poſt ipſum conſiſtenti.* Similiter R. Bechai *in Kad hakkemach pag.* 144. expoſiturus vocem המתקדשים לנענע עצבעותיהם קרשים *qui ſe ſanctificant*, *Chriſtianos ea notari*, dicit: אלו ארום שרנילין לכאז ילכאז: *Illi ſunt Edomæi, qui ſolent movere digitos ſuos hinc inde.* Movere autem hinc inde digitos, nil aliud Judæo eſt, quam cruce ſe ſignare, quod *publicis ad Lipmannum Lectionibus fol.* 20. *col.* 1. *ſuper* Eſai. LXVI. 17. erudite obſervavit D. Jo. Adamus Scherzerus. Quare ob hanc crucis formam a Chriſtiano quodam formatum Nummum ſuum ſuſpicatur Seldenus *loc. cit. fol.* 192. *Deliteſcere*, inquit, *in Moſis hujus collari crucis videtur icuncula nomini ſubjecta, adeo demum, ut Chriſtiani alicujus opus eſſe ſuſpicere, fortean ideo ante ſecula aliquot factum, ut officioſi Muneris vice inſerviret ad Judæos aliquos ſive demerendos, ſive ad Chriſtianiſmum civiliter invitandos. Nam quanquam a faciendis ornatus animive cauſa hujuſmodi imaginibus protuberantibus ex more eis abſtinendum erat, factis tamen, modo in venerationem neutiquam fierent, ex diſciplina ſua uti, adeoque dono accipere, rite potuere.* Hactenus Seldenus.

cher, & R. Mardochai affirmant, nempe licitum eſſe Capitis humani protuberantem figuram, cur non ejus Commentatores R. Iſaac Steinius, & R. Iſaac ben Moſis Kremnitii Moſaicos hos Nummos, aut ſimiles ipſi objecerunt, ſiquidem ita deciſa lis eſſet. Nimirum nunquam fuerunt tales Judæis. Mittimus id vero, & finem imponemus moleſtiſſimæ diſceptationi. Evolvamus opus Talmudicum quod rem nobis ita decidet *loco ſæpius citat. fol.* 42. *col.* 2. כל המזלות מותרין חוץ ממזל המה ולכנה וכל הפרצופופין מותרין חוץ מפרצוף אדם וכל הצירת מותרות חוץ מצורת דרקין וגו׳: *Licita ſunt omnia ſidera excepto ſole & Luna, Licitæ ſunt effigies omnes, præterquam hominis*, (Gloſſa לא קרו פרצוף ט׳א צירה) *& omnes figuræ denique licitæ ſunt, præterquam Draconis &c.* ſequitur jam prolixa de hac re Tanaim ſive Doctorum Talmudicorum diſſertatio, quæ ita tandem concluditur *fol.* 43. *col.* 2. *princ.* ש׳ם תניא כל הפרצופו מותרי חוץ מפרצוף אדם: *Quare ſit traditio, conceſſas eſſe effigies* (mutilas) *omnes ſola hominis excepta*. Præponderat igitur Hebræorum Magiſtrorum ſententia de protuberante in Nummis alibive Hominis figura non efformanda, quod argumentum nobis *κατ' ἄνθρωπον* ſufficit. Sed quid dicendum de illo Numiſmate erit, quod Servatori noſtro obtulere Phariſæorum Diſcipuli, cum percontarentur eum: Liceret ne cenſum dare Cæſari nec ne? *Matth.* XXII. 19. 20. τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; Quærit Jeſus. Cui illi: Καίσαρος, reſpondent. Erat ergo in altera Numiſmatis parte Cæſaris imago abſque omni dubio protuberans. Dicendum eſt, non a Judæis cuſam monetam; ſed a Romanis autoritate Cæſarea. Ea tamen quanquam Cæſaris Imagine inſignita uti licuiſſe Judæis, præſertim, ubi cenſus erat erogandus. Unde meritiſſimus Servator τὸ τοῦ Κήνσου νόμισμα ſibi oſtendi juſſit, ejuſmodi videlicet, quale in erogando cenſu potiſſimum offerre tenebantur. Ab aliis proinde factæ imagines ipſis non interdicebantur, quemadmodum nec murium anorumque figuras cum *Arca Fœderis* a Palæſtinis oblatas recuſarunt I. *Samuel.* VI. Tantum autem abeſt, ut ipſi tales figuras expreſſerint, ut potius eum, qui fecerit, flagellis adjudicarint, Hotting. *Jur. Hebræor. Leg.* 29. *pag.* 41.

CAPUT III.

Argumentum ultimum contra Nummos Moſaicos, a Cornibus. *Moſes num cornua habuerit? Homines unicornes & bicornes. Fabula Rabbini de oſſibus Moſis inſtar cornuum prominentibus. Liber Arabicus idem cum Moſe. Cur Cornua ipſi affinxerint Veteres, & ſocium Canem dederint?* Cornua *ferre &* Cornuti *qui hodie dicantur? Unde mos imponendi* Cornua *promanarit? Uxor Moſis adſpectu pulchra juxta R. Schelomonem & Baal hath Turim. Cornu in ſacris literis & Autoribus ſecularibus Excellentiæ, Gloriæ & Imperii ſignum. Cur Alexander M. a Mohammede in Alkorano vocetur Dulkarnaim*, i. e. δικέρεος. *Aſtane cum capite Taurino. Genuti Cippi Cornua. Jupiter Ammon cum cornibus Arietinis olim formatus. Ejus oraculum a Gellio Arietinum dictum. Vejovis ſimulacrum. Cornuta Venus in Ægypto culta. Quare Bacchum cum cornibus olim pro poculis utebantur. Judæis tribuunt Moſi* קרני ההור *cornua Magnificentiæ. Fabula ex Rabbos & Anonymo de Moſe Sammuelis oculos cornibus Gloriæ ſuæ excœcante. Quomodo ea exponenda? Mythica & Parabolica Vett. Romanorum Theologia. Moſes moriturus cornua ſua Joſuæ impoſuit. Vetus Hebræorum traditio ex Madraſch Echa rabbati de decem Iſraelitarum Cornibus. Concluſio. Conjectura noſtra de Autore Nummorum Moſaicorum, & cornuum in iis origine.*

QUintum, idque ultimum Argumentum, quo Moſaicorum Nummorum antiquitatem impugnamus, expediendum reſtat, quod de induſtria in peculiare Caput conjecimus, quia inſtituto noſtro commodiſſimum videbatur. Eſt illud a *Cornibus* deſumtum, ſive jam reflexis, ſive protenſis. Talia enim Moſi nunquam fuerunt, licet illud negare nequeamus, ſi hiſtoricis habenda fides, fuiſſe aliquando homines & Unicornes & Bicornes, quorum exempla Cl. Viri, uterque *Bartholinus*, Parens & filius paternæ eruditionis hæres, ejuſque Nominis laudatiſſimus Defenſor, *de Unicornu cap.* I. memorant. Sed monſtra fuere hominum, quod nomen de Moſe prædicare, quis ſanæ mentis audebit? Præterea irridendus ſtolidus ille Rabbinus eſt, qui, ut *Toſtatus* refert, (ſuſpicor *Toſtatum* hæc ex *Aben Eſra* ſumſiſſe *Biblior. Baſileenſ. fol.* 107. *col.* 3.) ob XL. dierum jejunium, oſſa faciei Moſis, velut acuta cornua, prominuiſſe exiſtimavit. Credat Judæus Apella, non ego. Contemnimus has nugas, quibus de facie Moſis venuſtiſſima, ſimulque excellentiſſima autoritate abunde conſtat, certiſſimi in eo, nunquam ipſum aut Cornutum fuiſſe, aut adeo macilentum, ut corporis quælibet apparuerint oſſa. Neque nobis Bacchi Cornuti obeſt hiſtoria, quem

quem Poetæ & alii in Liberi expeditione Indica deſcribunt, & magnum antiquitatis lumen columenque *Gerardus Joh. Voſſius Lib.* I. *de Idololat. pag.* 425. *& ſeq.* eundem cum Moſe eſſe eruditiſſime per omnia oſtendit, quæ hic repetere nimis tædioſum foret. Ea ſiquidem opinio, qua Liberum illum Arabicum, ſive tertium, ut *Voſſius* appellat, Oſiridem, ταυρόκερον, κερασφόρον, βέκερον (Tauricornem) Cornigerum) (Bicornem) crediderunt, vel profecta ex eo eſt, quod radii de Moſis vultu relucentes cornuum præberent imaginem, vel ex male ipſis Gentibus etiam intellecta. Voce קרן quæ a קרן quæ Cornu Latinis, Græcis κέρας, unde Vulgata Bibliorum Verſio, de qua infra dicendum fuſius erit, errandi occaſionem ſumſit: quemadmodum eidem Libero ſocium Canem dederunt, quod unde natum, videre non eſt difficile. Canis enim Hebraice כלב *Kaleb* dicitur; at כלב *Kaleb* vocabatur fidelis Moſis ſocius, qui ſolus cum Joſua cæteris terræ ſanctæ exploratoribus populum turbantibus ſe opponebat, ſolus etiam cum Joſua terram Chanaam ingreſſus. Quod ſi ergo nulla Moſi fuere Cornua, quis perſuadebit nobis, ut credamus, ea ipſi appicta a Judæis, e quorum Apologis *Druſius* probat, effingi ſolere talia iis, quos Cuculos veteres dicebant, hoc eſt aves pigras, & nidi ſui obliviſcentes. Vid. *Horat. l.* I. *Serm. Sat.* 7. *Plaut. Aſinar. Act.* V. *ſc.* 2. *verſ.* 73. *&* 84. Hinc verbum cuculitare *Alciati*, pro quo in I. *ff. Quibus mod. Feud. amitt.* conf. Cl. *Ditherr. Tom. I. Diſput.* XI. *pag.* 349. cucurbitare legitur, quod a Gallorum proprio cucurrire, & antiquo bitere. Certe & hodiernum in convitium abiit, ut illi, qui Conjugii hortum aliis irrigandum elocant, & conjuges ſuas ſive malitia, ſive injuria adulterari permittunt, Cornua *ferre & Cornuti* dicantur. Quam quidem conſuetudinem ab Andronico, Imperatore Conſtantinopolitano in nos & alias gentes non paucas promanaſſe, opinatur Cl. Vir *Henricus Salmutius* ad *Panciroll. deperdita, cap. de fibula p.* 373. Imperator enim, ut *Nicetas* autor eſt *lib.* 2. *de Imper. Andron.* cervorum, quos venatus erat, cornua in poſtibus fori ſuſpendebat, ſpecie quidem oſtentandæ magnitudinis ferarum quas cepiſſet, cum revera civitatis mores, & uxorum, quas ipſe corrumpebat, laſciviam notaret. Num igitur Moſis matrimonii ſui forſitan incurioſi uxor nimis familiariter atque impudice ſecum agi permiſit, quippe forma præſtans, & quod R. Schelomo פי *ad Numer.* XII. I. *Biblior. Magn. Baſileenſ.* & Baal hath Turim פי *ad eund. loc. ibi in marg.* ex voce כושית Æthiopiſſa per Gematriam (utrunque enim in numeris valet 736.) probant, יפה מראה pulchra adſpectu? vel quod ab ea maritus propter quotidiana colloquia cum Deo, & ſimul ad ſanctificandum nomen, ut putant Rabbini, vid. R. Sch. Jarchi *loc. c.* & *Devarim Rabba fol.* 302. *col.* I. Gilbert. Gaulmyn. *lib.* 5. *Notat. cap.* 3. *ad Autor. Jud.* Anonym. *de Moſis Morte pag.* 396. 397. abſtinuerit? חס ושלים Abſit obſcœna opinio, in qua vel nugaciſſimi Judæorum nunquam fuerunt. Liberandus ab hac injuria Vir Divinus eſt.

Sed ſurgit tamen difficultas, quæ noſtræ adverſari ſententiæ videtur. Concedamus enim neceſſe eſt, Dæmona ἐπιχαιρέκακον execrandam *Cornua imponendi* conſuetudinem plantaſſe, ut quemadmodum Deo ſemper eſt contrarius, ita heic etiam Cornua pro infamiæ ſigno venditarit, quæ in ſacroſanctis literis Autoritatis, Excellentiæ, Majeſtatis, Gloriæ etiam, Potentiæ, atque Imperii nota ſunt. Sic Hiob, cum Gloriam ſuam evanuiſſe dicit עללתי בעפר קרני inquit, *cap.* XVI. 15. *Redegi in pulverem cornu meum.* Sic Hanna in oratione ſua I. *Sam.* II. I. & 10. רמה קרני ביהוה *Exaltatum eſt Cornu meum in Domino.* Et rurſum: וירם קרן משיחו *Et exaltavit Cornu Chriſti ſui*: ſic David *Pſal.* LXXV. 10. כל קרני רשעים אגדע תרוממנה קרנות צדיק *Omnia Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti.* Sic apud *Danielem cap.* VII. 20. decem Cornua decem Regna demonſtrant. Et pluria id genus loca ſunt, de quibus conſulantur Concordantiæ. Videantur etiam, ſi placet, *Jo. Pierius in Hieroglyphicis lib.* 7. *cap.* 19. *pag.* 87. *Jo. Druſius Comment. ad diffic. loca* Sam. *p.* 402. P. Ravanellus *Bibliotheca Sacr. fol.* 381. *col.* I. & alii, qui hanc Cornuum ſignificationem fuſius demonſtrant. Sane & in ſecularibus Autorum ſcriptis *Cornua* notare Gloriam & Majeſtatem videmus. In Alkorano *Surata* 28. *p.* 165. Mohammedes Alexandrum M. דואלקרנין Dulkarna invocat, h. e. δικέρατον ſive bicornem, cujus appellationis rationes varias afferunt, ex Arabibus Beidavi, Keſſæus, Elmacinus, ex recentioribus Illuſtris Scaliger, Conſt. L' Empereur, Jacobus Chriſtmannus, Giggæus, Schickardus, quos apud celeberrimum Hottingerum *in Hiſtoria Orientali lib.* I. *c.* 3. *pag.* 73. 74. 75. videre licet, qui ipſe tamen, ut & Cl. Ludovicus de Dieu *Animadverſ. in Exod. pag.* 83. ita nuncupatum ab Impoſtore ſtatuunt, ob duplicem Gloriam, Imperium videlicet Orientis & Occidentis: cum & Talmudicis קרני מלחמה Cornua belli ſint ipſi belli Duces. Ita

Tau-

Taurinum ſibi caput, tanquam Regni inſigne, impouiſſe dicitur Aſtarte Sidoniorum Dea, uti videre eſt apud Doctiſſimum Seldenum *de Diis Syris Syntagm.* 2. *cap.* 2. *p.* 243. Neque aliter reſponſum eſt Genutio Cippo, Prætori Romano, portam egredienti, poſtquam in capite ejus ſubito veluti duo Cornua emerſiſſent, quam Regem eum fore, ſic habes in *lib.* XV. *Metamorphoſeon fab.* 49. ab *Ovidio*, itemque Plinio *lib.* 2. *Nat. Hiſt. cap.* 37. Valerio Maximo *l.* 5. *factor. Memorabil. c.* 6. P. Gregorio Tholoſano *lib.* 26. *de Repub. cap.* 1. *num.* 13. aliis. Quod ſi itaque Gloriæ, Autoritatis atque Majeſtatis indicium ſunt Cornua, cum in ſacris literis, tum Autoribus profanis, quid abſurdi ſubeſt, quin Moſi talia affiĉta a Judæis ſtatuamus, qui Iſraelitarum Rex erat, vid. Jo. Druſ. *cap.* 103. *comment. ad diffic. loc.* Gen. *p.* 426. 172. qui Deo familiaris, vid. Jo. Hotting. *l.* 1. *Hiſt. Orient. c.* 3. *p.* 54. qui communi mortalium omnium conditione ſuperior? Nihil abſurdi eſſe, ſi Moſis Majeſtatem & Autoritatem nominaturi *Cornu* per Metaphoram dicamus, ſponte fatemur, nam & Judæi, ut paulo poſt indicabimus, ita locuti ſunt; ſed num Cornutus propterea Moſes vocandus, & Cornua in Icone ejus exprimenda, id demum *μέγα λίαν αἴτημα*. Gentiles quidem Idololatræ Jovi Ammonio non Cornua modo ob divinam Majeſtatem, & potentiam Regiam tribuebant, ſed in ipſius etiam ſimulacro & oraculo repræſentabant, quod pluribus Autorum locis oſtendi poſſet. Martianus Capella *lib.* 2. *pag.* 39. notante illuſtri Caſparo Barthio *l.* 25. *Adverſ. cap.* 1. *fol.* 235. Ammon, inquit, apparuit cum cornibus Arietinis, & veſtimento lanitio, ac ſitientibus undam fonti exhibuit.
M. Annæus Lucanus *lib.* X. *Pharſaliæ verſ.* 514. *ſeqq.*

> *Ventum erat ad Templum, Lybicis quod Gentibus unum*
> *Inculti Garamantes habent: ſtat* COR-NIGER *illic*
> JUPITER, *ut memorant; ſed non aut fulmina vibrans,*
> *Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.*

Ita Silius Italicus *lib.* III. *bell. Punic. verſ.* 8. *ſeqq.*

> *Priſca fides adytis longo ſervatur ab ævo,*
> *Qua ſublime ſedens Cyrrheis æmulus antris*
> *Inter anhelantes Garamantes Corniger Hammon*
> *Fatidico pandit venientia ſecula luco &c.*

Idem alibi *lib.* IX. *bell. Pun. verſ.* 295.

> *Contra cincta latus ferro Saturnia Juno,*
> *Et Pallas Libycis Tritonidos edita lymphis*
> *Ac patrius flexus per tempora cornibus Hammon.*

Et Phæſtus inquit, indice Schedio *Syntagm.* 3. *de Dii Germanor. c.* 3. *p.* 405.

> Ζεῦ λιβυῆς Ἄμμων κερατηφόρε, κέκλυπ μάντο.
> *Jupiter Libyæ Ammon,* CORNUTE, *audi Vates.*

Et quis ſingula Autorum loca recenſebit, quæ adduci poſſent? Unum Alexandrum ab Alexandro addimus, qui de hoc Jovis Ammonis auguſtiſſimo (ita ipſe loquitur) & antiquiſſimo apud Garamantes Oraculo videatur *lib.* 6. *Genial. dier. cap.* 2. *fol.* 308. 309. & Gerardum Jo. Voſſium *l.* 1. *de Idololat. c.* 27. *p.* 201. 202. qui cauſas Ammonis cornuum adfert. Sed nec A. Gellium præterire poſſumus, reconditæ literaturæ Parentem, qui in *l.* 3. *Noct. Attic. c.* 3. oraculum hoc, forſan ob idem hircinum caput, quo Jupiter conſpiciebatur, *Arietinum* vocat; cum ejus reſponſum magnis ludis dici ſolitum:

> PERIBO SI NON FECERO,
> SI FAXO VAPULABO;

ex Plauti Freto exſcriberet. Meminit idem *Gellius* alibi *l.* 5. *Noct. Attic. c.* 12. Vejovis ſimulacri, quod Romæ erat in æde inter Arcem & Capitolium ipſi extructa: Ejus vero caput eodem modo cornibus ornatum refert laudatus Alexander ab Alexandro *lib.* 4. *Gen. dier. cap.* 12. *fol.* 104. e cujus Genialium dierum eruditiſſimis libris *lib.* 3. *Gen. dier. c.* 12. *fol.* 136. etiam Venerem Cornutam apud Tuſſas in Ægypto cultam fuiſſe diſcimus. De Baccho quoque dicendum verbum eſt, ſive Dionyſio, aut Libero Patre, non cujus ſupra meminimus; ſed de altero illo, Vini inventore, quem ſimiliter cum duobus cornibus in fronte effingebant. Sic enim Ovid. *Epiſt. Heroid. Epiſt.* 21. Sappho Phaoni, *verſ.* 13.

> *Sume fidem & pharetram, fies manifeſtus Apollo.*
> *Accedant Capiti* CORNUA, BACCHUS *eris.*

Unde

Unde *Horatius*, cum *Bacchi* laudes canit *lib.* 2. *Carm. Od.* 19. in Bacchum:

> *Te vidit inſons Cerberus* AUREO
> CORNU DECORUM, *leniter atterens*
> *Caudam, & recedentis trilingui*
> *Ore pedes tetigitque crura.*

Superſedemus plura adducere teſtimonia, quæ paſſim in Poetis invenias, præſertim *Ovidio*, qui *de Arte Amandi Lib.* 1. *verſ.* 231. *ſeqq.* etiam rationem, cur Baccho cornua affigantur? his verſibus reddit:

> *Sæpe illic poſitis teneris abducta lacertis*
> *Purpureus Bacchi* CORNUA *preſſit Amor;*
> *Vinaque cum bibulas ſparſere Cupidinis alas,*
> *Permanet, & capto ſtat gravis ille loco.*
> *Ille quidem pennas velociter excutit udas:*
> *Sed tamen & ſpargi pectus Amore nocet.*
> *Vina parant animos faciuntque caloribus aptos:*
> *Cura fugit multo diluiturque mero.*
> *Tunc veniunt riſus, tunc pauper* CORNUA *ſumit,*
> *Tunc dolor & curæ rugaque frontis abit.*

Fere in eandem ſententiam Horatius *lib.* 3. *Carm. Od.* 21. *ad Amphoram.*

> *Tu ſpem reducis mentibus anxiis,*
> *Vireſque, & addis* CORNUA *pauperi,*
> *Poſt te neque iratos tremonti*
> *Regum apices, neque militum arma.*

Nimirum tribuebant ipſi Cornua Veteres ad indicandi vini naturam & ebrietatem, quæ potatoribus animum addit eoſque ad ferociam & pugnacitatem, qualem in beſtiis Cornibus præditis deprehendimus, impellit, adeoque, ut idem *Horatius* recte ait, *Lib.* 1. *Ep.* 5. *ad Torquatum*, ad prælia erudit inermem. Deinde etiam, ut vini eum inventorem eſſe oſtenderent, quippe antiquitus vina in cornibus miſcebant, iiſque loco poculorum utebantur. Unde κρατὴρ quaſi κερατὴρ ἀπὸ τῶν κεράτων dictus. Quare Athenæus *in Dipnoſoph. lib.* 2. apud *Voſſium* de Idololatria *lib.* 3. *tot. c.* 2. *p.* 3. qui propter hunc Cornuum uſum τὸν Διόνυσον, inquit, κερατοφυᾶ πλάττεσθαι ἔτι δὲ ταῦρον λαλεῖσθαι ὑπὸ πολλῶν ποιητῶν. Ἐν δὲ Κυζίκῳ καὶ ταυρόμορφος ἵδρυται. Conferantur præter laudatum Athenæum & Voſſium Stackius *lib.* 3. *Antiq. conviv.* Roſinus *lib.* 5. *antiq. Roman. c.* 28. *fol.* 215. Dempſterus *Paralip. ad* Roſin. *Antiq. Rom. p.* 847. 842. alii. Ita inquam Gentiles in Idolis & ſimulacris formabant ſibi talem perſonam, qualem a Satana edocti prius finxerunt, ut divinis poſtea honoribus afficerent. At longe aliter Judæi, quorum inſtitutis, uti probavimus, contrarium erat talia repræſentare, quanquam pluria id genus fingebant. Quorum alii duo Cornua Moſi tribuebant, alii unum, quod inter ipſius oculos eſſe in fronte aſſerebant, nuncupabantque קרן ההיר *Cornua Magnificentiæ*, quo Angelum Mortis Sammaelem, cum ad eum occidendum miſſus a Deo eſſet, occœcaſſe legitur in *Debarim Rabba*, quem librum ipſo Talmude antiquiorem putant. Ibi namque, poſtquam diuturna Sammaelis cum Moſe contentio deſcripta eſſet, ſubjungitur *fol.* 302. *col.* 4. *Edit. Amſtelod. An.* 1641. אמר לו הקבה לסמאל נא והבוא נשמתר של משה מיר שלף חרבו מתערו ועמד על משה מיה קצף עליר משה נטל את חמטה כירו שהקוק בו שם המפורש רפנע כו בסמאל בכל כחו ער שנס מלפניר ירץ אחריו בשם המפורש רנטל קרן הירו מבין עיביו ועיור את עור בכר: *Dixit Sanctus ille Benedictus ad Sammaelem: Egredere & adduc animam Moſis. Tum ſtatim evaginavit hic gladium ſuum, & ad Moſen acceſſit. At confeſtim Moſes iratus accepit baculum, in quo ſcripſerat Schem hamphoraſch, & percuſſit Sammaelem totis viribus, uſque dum fugit, & ab ipſo cucurrit retrorſum propter Schemhamphoraſch. Poſtea accepit Moſes Coruu gloriæ ſuæ, quod inter oculos ſuos erat & excœcavit oculum Sammaelis*, &c. Eadem habentur *in libro* פמירת משה רבינו עה, quem *Pariſiis* cum Notis & Verſione edidit *Gilbertus Gaulmynus*, ubi poſt alia Deus ad Sammaelem *pag.* 32. *col.* 1. לך וחבא נשמתו מה עשה סמאל כאזחה שעה שלף חרבו כחמה וקצף ועסך על משה מור עסך משה עליו בחמה וקצף ועסך מנטל מטה הטהים בידר שהיה הקיק נו שם המפורש רפנע בסמאל ינער כד בנעדה עד שרצל פניו יהוא רץ אחריו נשם המפורש יתפשו והכהו במטה ועיר פניו בקרני הודו: Quæ verba ita *Gaulmynus* vertit, reſpectu non tam ad phraſin hebræam quam ſenſum habito *pag.* 85. 86. *Modo atque animam ejus* (Moſis) *corpore eductam huc mihi ſiſte, nihil cunctatus* (Sammael) *educto vagina gladio Moſen petit. Iratus Moſes invadentem virga Dei cui ineffabile increpitum fugere cogit, dumque perſequitur arcani Nominis poteſtate, percuſſum virga cœpit, captique oculos lumine gloriæ excœcavit.* Recte Gaulmyn: *Lumine Gloriæ*, licet utique in Hebræo ſit בקרן הירו. Non enim literaliter, & ut He-

Hebræi loquuntur על דרך פשיט fabula hæc exponenda est; sed על דרך משל hoc est, Allegorice & Mystice, quemadmodum intelligenda ea omnia sunt, quæ in Mythica & Parabolica, sive ænigmatica Theologia Vet. Rabbinorum & Talmudistarum traduntur, e. g. de Pisce Leviathan, de Tauro בהמות *Behemot*, de ave בר יוכנה *bar Juchne*, de horrendo Leone in sylva Ela, & innumera ejusmodi prima fronte incredibilia, & ridicula quæ magnam partem *in Sepher hammasah* (vulgo vocant das Maasebuch, *liber Hebræo-Germanicus impressus Basileæ*,) collecta videas. Non enim hæc putamina suo nucleo carent, quippe his fabulis mysteria sua involvunt, quo Christianis occultentur, ceu erudite prolatione publica ad Lipmannum nuper docuit Clar. noster *Jo. Adam. Scherzerus*, promisit etiam de his Rabbinorum allegoriis ante hos tres & viginti annos peculiarem tractatum Rabbi seculi nostri doctissimus, Menasseh ben Israel *lib. 2. de Resurrectione Mortuorum cap. 19. p. 225.* verum in hunc usque diem nondum videre contigit. Consulere interim potest, qui plura volet, Celeberrimos Jo. Mich. Dilherrum *lib. 1. Elector. c. 24. pag. 150.* & Theodoric. Hackspanium *in Tractatu de scriptorum Judaicor. in Theologia usu, affix.* R. Lipman. Nizzach. *c. 2. n. 26. seqq. pag. 345. seqq.* Per Mosis igitur *Cornua* hoc loco nonnisi Majestatem ejus & splendorem innuunt. Unde autor ejusdem Libri, quem *Gaulmynus* edidit, postquam Josuam Regem descripsisset, & Regia jura a Mose ipsi tradita narrasset, addit *p. 26. col. 2.* לסיף לא הביתי ליהושע עך שישב על סילין של זהב כרדר מלכי הארץ דעל כרחר דכו כרחד לו ימשמשי על כרחר כל צדכו יעל כרתר כל צרכו קרני החיף למעלה: *Denique non destitit Moses, usque Josuam invitum Regio ritu in solio collocavit, ipse stans reluctanti non modo ministravit, sed & Gloriæ, quæ a Deo sibi tradita habuit*, Cornua concessit, *h. e. eandem Majestatem, & Autoritatem, & Gloriam concessit, quam ipse ex Dei singulari gratia antea acceperat*. Quæ omnia manifesta sunt ex Veterum Hebræorum traditione, de decem Israelitarum cornibus, quæ quoniam nobis visa est non esse memoratu indigna, subjungimus, prout offendimus eam in *Medrasch Echa rabbati*, magnæ Autoritatis apud Judæos libro, *fol. 72. col. 3. circ. fin.* נדעכחי אף כל קרן ישראל עשר קרנות הן קרנו של אברהם קרנו של יצחק קרנו של יוסף קרנו של משה קרנו של תורה קרנה של כהינה קרנה של לויה קרנה של נבואה קרנה של בה קרנו של ישרא׳ ריא קרנו של משיח קרני של אברהם שנאם כרם היה לידידי בקרז בן שמן קרנו של יצהק אמר נאחז בקרניו קרנו של יוסף שנא וקונו ראם קרניו קרנו של משה דכתיב כי קרן עיד פניו קרנה של תורה דכתי קרנים מיר לו קרנה של כהינה דכתיב קרנו תרים כנביד קרנה של לויה שנא כל אלה בנים להימן חוזה המלך בדברי האלהים להרים קרן קרנה של נביאה דכתיב רמה קרני נה הקרנו של נה דכתיב רם קרני ראמים עניתני קרנו של ישרא׳ שנאמר דירם קרן לעמו ויש אימרים קרנו של משיח שנאמר ויתן עוז למלכו ויום קרן משיחו יכילז היר נתינות נראשן של ישרא׳ יביון שחמאו ניטלו מטלו מהז חרא וכתיב גרעכחרי אף כל קרן ישראל וביתנו לאומות העולם ההר ועל קרביא עשר דו כראשה ואתרי די סלקת ובפלרת מן קרמירה חלרת וכתיב בתוריה יקרביא חרן יקוה מלכיתא נשרה מלכין יקמוז יאחרן יקום אחריהין יהיא ונשישרא׳ עישין תשיב הקבח מחזידן למקומס ההר וכל קרני רשעים אגרע תכונן קרנות צדיק הקרנות שנידע צדיקי של עולם אימתי הוא מחזירי למקים לבשירומם הקבה קרן עוז משיחו דכתיו ויתן למלכו וירם קרן משיחו:

Sensus verborum hic est: *Amputavit Deus in ira furoris omne* Cornu Israelis. (Hæc sunt verba Textus *Thren. 2. v. 3.* quæ in sequentibus exponuntur.) *Intelliguntur heic decem Cornua, nempe Cornu Abrahami, Cornu Isaaci, Cornu Josephi*, Cornu Mosis, *Cornu Legis, Cornu Sacerdotii, Cornu Leviticum, Cornu Prophetiæ, Cornu Sanctuarii, Cornu Israelis: sunt etiam qui dicunt: Cornu Messiæ*. Cornu Abrahami *indicatur, cum dicitur* Esa. V. 1. *Vinea fuit dilecto meo in Cornu filii olei*. Cornu Isaaci, *cum dicitur* Genes. XXII. 13. *Retentus in perplexu Cornibus suis*. Cornu Josephi, *cum dicitur* Deut. XXXIII. 17. *Et Cornu Monocerotis Cornu ejus*. Cornu Mosis, *quando scriptum est* Exod. XXXIV. 29. *quod in modum Cornuum radiaret cutis faciei ejus*. De Cornu Legis *scriptum est* Hab. III. 4. *& duo Cornua de manu ejus*. *De* Cornu Sacerdotii Psal. CXXII. 9. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*. De *Cornu Levitico dicitur* 1. Paralip. XXV. 5. *Omnes isti filii Heman videntis Regis in Verbo DEI ad exaltandum Cornu*. *Prophetiæ innuitur, cum scriptum est* 1. Sam. II. 2. *Exaltatum est Cornu meum*. Cornu Sanctuarii, *quando scriptum est* Psal. XXII. 22. *Et de Cornibus Unicornium respondisti mihi*. Cornu Israelis, *cum dicitur* Psal. CXLVIII. 14. *Et exaltavit Cornu populi sui*. *Qui vero Messiæ cornu addunt, allegant dictum* 1. Sam. II. 10. *Et dabit fortitudinem Regi suo, & exaltabit Cornu Messiæ sui*. *Cæterum omnia illa Cornua imposita sunt capitibus Israelitarum; at postquam peccaverunt, ablata sunt ab istis juxta hoc quod dictum est: Amputavit in ira furoris omne Cornu Israelis. Data tunc autem sunt Gentibus Mundi, quemadmodum dicitur* Dan. VII. 20. *Et*

de

de Cornibus decem, *quæ erant in capite ejus*, *&* *ultimo quod ſuccrevit cadentibus a conſpectu ejus tribus*. Et ibidem paulo infra verſ. 24. ſcriptum eſt: *Et cornua decem ex illo Regno*, *decem Reges exſurgent*, *poſt quos exſurget poſtremus*, *qui erit diverſus a prioribus*, *&* *tres Reges deprimet*. *Quod ſi vero Pœnitentiam egerint Iſraelitæ*, *tunc reſtituet ea Deus S. B. in locum ſuum*, *ſecundum illud*, *quod prædictum eſt* Pſalm. VII. 10. *Et omnia Cornua Peccatorum confringam*, *&* *exaltabuntur Cornua Juſti*. *Cornua inquam*, *quæ Juſtus Mundi abſcidit*. *Ecquando reſtituet*, *quando exaltabit Cornu Meſſiæ ſui*; *quemadmodum vero reſtituet*, *eo tandem Deus S. B. in locum ſuum*? *Tunc dum dictum eſt* 1. Samuel. II. 10. *Et dabit fortitudinem Regi ſuo*, *&* *exaltabit Cornu Meſſiæ ſui*. Hucuſque Rabbinorum Vetus Traditio ex *Echa rabbati*, quæ ſæpe in Medraſchim Judæorum repetitur. Quemadmodum autem nec Abrahamo, nec Iſaaco, nec Joſepho Cornua appingunt Judæi, licet utique in Mythica ſua Theologia tribuant, ita profecto fruſtra eſſent, qui ab hac Judæorum traditione patrocinium Nummis noſtris *Cornutum Moſen* exhibentibus quærere velint. Quare tandem concludimus, Barbaros hos Nummos eſſe, & non a Judæis cuſos, ſive in honorem Moſis, ſive, ut Magnus quidam Vir affirmat, in Chriſtianorum opprobrium. Quis igitur Autor denique illorum? Arbitramur, a Chriſtianis factos eſſe ſuperioribus ſeculis bono animo, ac pia intentione, non ut Numiſmatum quotidianorum, quibus in emtione & venditione utimur, vices obirent, neque ut inſervirent ad Judæos aliquos ſive demerendos, ſive ad Chriſtianiſmum civiliter invitandos: nam neque hoc probabile; Sed ut χαμήλια quædam eſſent, qualia Amicis olim & Hoſpitibus donabantur, amoris & hoſpitii monumenta. Cujuſmodi Nummi etiam hodie V. G. in S. Baptiſmatis recordationem non raro cuduntur, qui baptiſterium exhibent, & Verba inſtitutionis Sacramenti hujus, &c. quos improprie monetam dixeris, quippe qui cuilibet, etiam privato, formare conceſſi. Ita non abſimile vero videtur, factos olim a pio Patrefamilias uno alterove Nummos, qui & Moſis faciem repræſentarent, & verba primi Præcepti, ut aut filiis ſuis, aut aliis, queis bene vellent, loco nobilis alicujus χαμηλια offerrent, ne præceptorum divinorum, quæ Moſes Dei juſſu conſignaſſet, obliviſceremur. Deceptos autem eoſdem eſſe putamus vulgata Bibliorum Interpretatione, quæ Locum *Exod.* XXXIV. כי קרן עור פניו perperam reddidit, *quod Cornuta eſſet Facies ſua*. Unde ortum ut crediderint, Moſen habuiſſe Cornua, unus quidem, cui priorem Nummum adſcribimus, *Arietina*, qualibus Jovem olim, ut oſtendimus, formabant; alius, cui alterum, in recta anteriora protenſa, qualia Baccho fuerunt.

CAPUT IV.

Hodierni Pictores Moſen Cornutum *pingunt*. *Vulgatus quomodo R. Schelomoni vocetur*? *Verba Authentica* Exod. XXXIV. 29. 30. 35. *Eorum vera* παράφρασις. *Locus* Actor. XI. 3. *Illuſtratus*. *Quid* γλῶσσα πυρὸς *Græcis*, *&* לשון אש *Hebræis*?

QUid ſtatuendum de Nummis his Moſaicis? diximus hactenus, nempe non a Judæis cuſos, ſed manibus formatos Chiſtianorum, qui, cum vulgatæ adhæſerint verſioni, non potuerint niſi *Moſen Cornutum* fuiſſe credere, quemadmodum hodierni etiamnum pictores in picturis ſuis eidem Cornua affingunt. Nunc ergo ordo poſtulat, ut interpretem hunc vulgatum, quem R. Schelomo Jarchi non immerito מפרש טיעה vocat, *vid.* Theod. Hackſpan. *Aſſert. Paſion. Dominic. contra Judæos*, *&* *Turc. pag.* 19. erroris conviucamus. Enim vero, cum ſub manu, hoc quicquid diſſertatiunculæ eſt, creverit, & præterea diei quartæ deſtinatum diſceptandi tempus ſic, plura addere prohibemur. Erit alia forſitan, utut tarda, occaſio, ea de re dicendi, ſi *Deus* voluerit, & nos ſereno hæc vultu abs *Te*, ſi quis nobis contingectes, Lector, adſpici deprehenderimus. Quare nunc non niſi veram ſolum παράγρασιν ſunbjungimus verborum Authenticorum *Exod.* XXXIV. 29. 30. 35. quæ ita ſonant: ויהי ברדת משה מהר סיני ושני לחת העדת ביר משה ברדתו מן ההר ומשה לא ירע כי קרן עור פניו בדברו אתו וירא אהרן וכל בני ישראל את משה והנה קרן עור פניו וייראו מגשת אליו וראו בני ישראל את פני משה כי קרן עור פני משה וגו׳: Hoc eſt: *Et fuit*, *cum Moſes de monte Sinai deſcenderet*, *ferretque in manu ſua duas Tabulas fœderis*, *cum*, *inquam*, *deſcenderet de monte*, *ignorabat*, *quod ſplenderet ac radiaret cutis faciei ſuæ*, *in loquendo cum ſecum*. (ita ad verbum, ſenſus vero eſt, quod ipſe ſcil. Dominus locutus eſſet ſecum) *Adſpexerunt autem Aharon omneſque filii Iſraelis Moſen* *&* *ecce ſplendebat ac radiabat culis faciei ejus*, *&* *timebant accedere ad eum*. *Et videbant filii Iſraelis faciem Moſis*, *quod cutis ejus radiaret aut fulgeret*. Nimirum aliter nobis imaginari non debemus faciem Moſis fuiſſe, quam

adeo ſplendidam, ut & frons & naſus, & os, & mentum radiarint, adeoque undique viſæ fuerint γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, quemadmodum in Actis de Apoſtolis dicitur *cap.* II. 3. quos Spiritus Sanctus jam repletos, eadem modo, quo Moſes radiaſſe arbitramur. Ut enim ab Hebræis לשון אש pro flamma ignis adhibetur *Eſai.* v. 21. vid. Cl. Jo. Buxtorf. *Lex. Talm. Rabb. fol.* 1102. ita γλῶσσαι πυρὸς nil aliud ſunt, quam flammulæ quædam ſcintillantes, a pyramidali ignis forma ita dictæ, quia extrema ignis flamma inſtar linguæ projecta eſt. Quod more ſuo, hoc eſt, eruditiſſime ad *Horatii* quendam locum docet *Prælect. Public. ad lib.* I. *Serm. Satyr.* 5. æternum Philologiæ atque univerſæ Literaturæ decus & ornamentum *Fridericus Rappoltus*, Patronus & Præceptor noſter, quem a primis incunabulis veneramur, veneraturi quod vixerimus.

SEBASTIANI SCHMIDT
DISPUTATIO
DE
DIDRACHMIS a CHRISTO SOLUTIS.
Matth. XVII. 24. *ſeqq.*

I. De *Didrachmis a Chriſto ſolutis. Matth.* XVII. *verſ.* 24. *ſeqq.* cum bono Dei aliquid acturi ſumus. Ubi ante omnia præmittimus ex Evangeliſta, qui ſolus habet, ipſa hiſtoriæ verba: *Poſtquam autem veniſſent illi* (Chriſtus & diſcipuli ejus) *in Capernaum, acceſſerunt* οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, *ii qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt:* ὁ διδάσκαλος ἡμῶν οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα, *Magiſter veſter nonne ſolvit didrachma? Dicit: Ita. Et quum ingreſſus eſſet in domum, prævenit ipſi Jeſus, dicens: Quid tibi videtur Simon?* οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη, ἢ κῆνσον; *Reges terræ a quibus accipiunt vectigalia aut cenſum?* ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων; *a filiis ſuis, an ab alienis? Dicit ipſi Petrus: ab Alienis. Dicit Jeſus: Ergo liberi ſunt filii. Ne vero ſcandalum ponamus iis, ubi abiveris ad mare, ejice hamum, & primum aſcendentem piſcem tolle, & quum aperueris os ejus, invenies ſtaterem. Hunc ſume, & da iis pro me & te.*

II. Variæ circa hanc hiſtoriam naſcuntur Quæſtiones. Præcipua facile eſt, cujuſmodi fuerint didrachma, quæ a Chriſto exactores exegerint, & de quibus Chriſtus cum Petro tam multa collocutus, tandemque ſolverit? In qua quæſtione etiam præcipue ſolvenda verſabimur; de reliquis breviter, antequam ad illam principalem perveniamus, nonnulla dicturi.

III. *Quæſtio prima eſt de Tempore, quando hæc hiſtoria contigerit? Lightfootus Hor. Hebr.* in Evangelium Matthæi ad *cap.* XVII. *verſ.* 24. putat fuiſſe prope Feſtum tabernaculorum, & aliis, qui ſtatuunt, prope Feſtum Paſchatis contigiſſe, exiſtimat, naſci hinc objectionem non facilem admodum reſponſu. *Occurrit hic*, inquit, *non facilis admodum reſponſu, hæc objectio. Tempus ſolutionis didrachmorum, erat circa feſtum Paſchatos* (Schekalim cap. I. hal. 3.) *At longe jam elapſum erat id temporis, appropinquavitque feſtum Tabernaculorum. Reſponderi poſſet* 1. *Matthæum qui hanc hiſtoriam recitat, ſeriem & ordinem temporis non obſervaſſe, quod ei non inſolitum: quippe qui inter omnes Evangeliſtas maxime hiſtoriarum tempora dislocet. At concedatur, ordinem hiſtoriæ apud eum rectum hic & proprium; Reſpondetur.* 2. *Aut Chriſtum ad paſcha proxime elapſum vix affuiſſe, aut, ſi afforet, ob impendens illi periculum ab inſidiis Judæorum non potuiſſe ſolutionem hanc præſtare, eo modo, quo oportuit. Animadverte ea, quæ dicit Johannes Paſchate proxime elapſo* cap. VI. 4. *Prope erat Paſcha feſtum Judæorum; &* cap. VII. I. *Poſt iſta Jeſus ambulavit in Galilæa, noluit enim amplius ambulare in Judæa, quia ſtudebant Judæi eum interficere.* 3. *Non inuſitatum erat, ſolutionem didrachmorum hujus anni in annum ſequentem prorogare; illud urgente aliqua neceſſitate.* Hactenus Lightfootus. Sed non video, quare adeo ſe torqueat Vir doctus alioqui. Matthæum or-

ordinem historiæ hic observasse, ex antecedenti bus & consequentibus apparere facile potest; maxime si reliquos Evangelistas conferamus. Incipit caput decimum septimum a clarificatione Christi in monte. Subjicitur bono ordine, quid circa Lunaticum puerum & patrem ejus contigerit, quando Dominus de monte descendit. Sequitur *verf.* 22. prædictio passionis, mortis & resurrectionis Christi, quum versarentur in Galilæa. Et tandem finito itinere per Galilæam, narratur, quod Dominus cum discipulis suis Capernaum venerit. Non video, quid hic in ordine desiderari possit. In capite decimo octavo subjungitur quæstio de majori inter discipulos, dicunturque discipuli ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, *in illa hora*, accessisse ad Jesum. Plane consentit *Marcus cap.* IX. licet nostram historiam non habeat. Postquam narravit historiam Clarificationis Christi & pueri Lunatici, *verf.* 30. subjicit; *Et inde exeuntes pertransiverunt per Galilæam*. Pergit verf. 33. *Et venit in Capernaum*. Eodem versu subjicit, quod, cum Dominus ibi esset, in domo, in qua etiam fuit jux ta narrationem Matthæi, quum didrach ma peterentur, Dominus quæsiverit, quid locuti essent in via, & fuisse ait quæstionem, quisnam maximus esset; quam Dominus solverit, ut est *Matth.* XVIII. *verf.* I. *seqq.* Eundem plane ordinem observat Lucas *cap.* IX. a *verf.* 28. & deinceps. Qui idem Evangelista refutat quoque *verf.* 51. opinionem Lightfooti, & quorumcunque præterea est, quasi procul abfuerit a Paschate, & propius festo Tabernaculorum, quando Dominus Capernaum ingressus est. Postquam namque in antecedentibus narravit disceptationem discipulorum de primatu, pergit, *Factum vero est, quum complerentur dies assumtionis ejus, & ille faciem suam confirmavit, ut abiret Hierosolymam*. Quæ verba sane ii quoque, qui de istante Passionis tempore non interpretantur, de uno ex paschatis Christi tamen accipiunt. Sed decipitur, ut apparet, Lightfootus per hoc, quod putat hoc pertinuisse ad tempus, de quo *Johannes cap.* VII. *verf.* I. loquitur, quando Christum in Galilæa circumambulasse dicit: tum namque prope fuisse festum Judæorum, scenopegiam. Nam non fuit tempus illud ante scenopegiam, sed post scenopegiam. Post festum namque scenopegiæ rursus in Galilæam concessit, & ex Galilæa in Judæam trans Jordanem, ubi prius Johannes baptizabat, reversus, *Matth.* XIX. *verf.* I. *Marci* X. *verf.* I. *Joh.* X. *verf.* 40. Ibi commoratus est, donec a sororibus Lazari vocaretur *Joh.* XI. *verf.* 3. & Lazarum resuscitaret. Post quod vicinio paschate paulisper Ephraimi commoratus, *ibid. verf.* 54. 55. Bethaniam rediit, & Hierosolymam sub ultimum Pascha ingressus est *Joh.* XII. *verf.* I. 12. Ex his omnibus concludimus, paucas septimanas ante Pascha fuisse, cum didrachma a Christo peterentur: ut inciderit momentum temporis in illas ipsas septimanas ante Pascha, quibus extra Hierosolymam sicli in usum templi sacrum colligi soliti sunt.

IV. *Quæstio secunda* est; *quare Exactores didrachmorum ad Petrum potius, quam ad Christum, aut alium ex Apostolis accesserint?* Quod prius, quam ad Christum, accesserint? Apud Patres, *Chrysostomum*, *Hieronymum*, *Theophylactum*, *Bedam*, duæ deprehenduntur sententiæ: prior, quod reverentiæ causa non ausi sint ad Christum accedere: quæ quidem reverentia ex miraculorum magnitudine apud eos orta fuerit: posterior, quod malitiose potius ad Petrum, quam ad Christum accesserint, ut ex eo facilius discerent, num Christus tributum Cæsari solveret, & si negaret, occasionem caperent accusandi. Ex quibus prior *Maldonato* probatur. Fatemur, posteriorem sententiam nobis etiam parum placere. Nam non legimus in Historia Evangelica, quod ejusmodi insidias Christo struxerint. Præterea non dubitamus, quin Exactores isti noverint, Christum quotannis solvere. Quod vero quærunt, non est ignorantium, sed affirmantium. Notum enim est, quod interrogatione negativa affirmare soleant. Et eædem usurpantur, quando cum aliquo in colloquium venire volumus. Dicere itaque ad Petrum volunt; Magister vester solet, ut scis, didrachma solvere; quandoquidem itaque iterum tempus solvendorum advenit, idem ab eo expectamus faciendum. Quis namque nescit eos, qui tributa aut pecuniam quamcunque capitationis exigunt, consignata habere nomina, ut quærere illis plane non sit necesse, quisnam dare debeat; Licet vero res sic se habeat, non tamen opus est, ut dicamus, reverentiæ causa propter miracula Christum non accessisse, sed Petrum. Textus namque aliud nobis monstrat, nimirum Petrus erat extra domum; Christus autem intra domum: quandoquidem Petrus in domum abiit, cum, quid peteretur, nuntiare illi vellet: & intra domum quoque Dominus cum illo collocutus est. Quanquam non negamus, quod ex civili quoque honestate potius ministrum, quam Doctorem & Dominum accedere debuerint. Certe enim Christus in Capernaum & tota Judæa autoritatem Doctoris habuit, & ab his ipsis

Exactoribus διδάσκαλος, Doctor seu Magister appellatus est: qui titulus in magno honore apud Judæos fuit. Christus vero etiam cum Exactoribus istis nonnisi per discipulum suum, h. e. Petrum egit, cui dixit: *Accipe eum*, (staterem) *& da illis pro me & pro te*. Quod non ex arrogantia fecit, nec sic interpretari poterat, quisquis modo communem aliis Doctoribus autoritatem illi concedere voluit. Non itaque nobis displicet, quod Exactores bonis & amicis verbis cum Petro egerint, & per Petrum cum Christo. Hinc vero nonnulli concludunt; Ergo non exigebatur census Imperatoris Romani, quem imperare solebant. Quod argumentum nullius momenti est. Nam Imperator quidem imperando imposuit: Voluit autem sine dubio, quod etiam humanitas communis omnium terrarum exigit, ut Exactores humaniter tractarent eos, a quibus exigerent. Neque enim si Imperator imperat, infimorum ministrorum officium est, ut imperiosis, &, ut sic dicam, Imperatoriis verbis utantur. Et quasi non eadem ratione contra hemi-siclum templi argumentari possim. Nonne enim hic ab ipso Deo, qui Imperatore non tantum major, sed pro quo etiam Judæi majori Zelo utebantur, impositus & imperatus est? Jam ad posterius quod attinet, quare ad Petrum potius quam alium ex discipulis accesserint Exactores; brevis nobis est responsio; quia Petrus foris extra domum fuit, non alius quis: Ut alium aliquem non præsentem compellare nequiverint. Inepti sunt Romani-Catholici, quando aliquem Petri primatum hinc excudere conantur, quasi propterea ad ipsum accesserint Exactores, quod eum nossent principem discipulorum. Sed *Maldonatus* h. l. coactus est fateri, alios ex discipulis Christi non adfuisse. Longe etiam modestius *Jansenius* in h. l. scribit; *Tributi autem hujus receptores pro magnitudine signorum Dominum reverentes non audebant ab eo repetere, sed discipulum conveniunt, idque Petrum, vel quod is tum solus adesset Domino, vel quod viderent illum Domino magis familiarem.*

V. Quæritur *Tertio*: *Quare Christus pro se & solo Petro, non autem pro reliquis discipulis didrachma solverit?* Ex Romanis-Catholicis sunt rursus, qui aliquam Petri præ reliquis discipulis prærogativam emendicari cogantur. Et frustra in subsidium vocant quosdam ex Patribus, qui referant factum, quod Petrus Apostolorum caput esset. Nam Patres licet Petrum non raro etiam alias Apostolorum caput dicant, & Principem: ejusmodi tamen potestatem, cujusmodi illi inde a Petro in Pontificem Romanum derivare conantur, nuspiam assignarunt. Præterea referunt potius Patres sententiam, quam ut suam faciant. Ipse etiam *Maldonatus* non audet, plus quam probabilitatem sententiæ adscribere: *Quare*, inquit, *pro Petro potius, quam pro aliis Apostolis dari tributum jusserit* (Christus) *solet hic disputari. Chrysostomus & Euthymius respondent, tributum illud in solis primogenitis fuisse solvendum, Petrum autem primogenitum fuisse. Quæ opinio præterquam quod versu præcedente refutata est, ex eo etiam refutari potest, quod inter alios etiam Apostolos aliquos fuisse primogenitos dicendum est. Melior est altera illa ratio, quam iidem Autores & Hieronymus adferunt, propterea Christum pro se & Petro solvisse, quod Apostolorum caput esset. Scio hanc rationem nostris hæreticis non placere, sed multo profecto est, quam illa, quam ipsi adferunt, probabilior, ideo pro Petro solvisse Christum, quod in illius domo versaretur. Jansenius* tandem judicium tantum excellentiæ Petro deputatæ invenisse se putat. *Quare autem*, inquit, *Dominus statere invento, id est, duobus didrachmis, jusserit reddi pro se, & Petro, & non etiam pro aliis Apostolis suis didrachmum solverit, aliquam ingerit quæstionem. Non enim ea potest dici fuisse causa, quam reddit Chrysostomus, quia scilicet etiam Petrus fuit primogenitus, ut supra ostensum est. Nec ea, quam reddit Lyranus, quia scilicet Dominus Petrum jam fecerat veluti Capitaneum suorum Apostolorum, & tributum hoc tantum per capita familiarum esset solvendum. Ostensum enim superius viritim fuisse pensitandum. Ex quo etiam patet, esse plane vanam Titelmanni suspicionem & opinionem, putantis, tributum hoc exigi solitum a transeuntibus civitatem Capernaum, & simplex quidem didrachmum solvendum, cum quis solus transiret; duplum autem, dum cum aliquo comitatu. Dictum est enim, non a transeuntibus, sed ab habitantibus Capernaum solvendum fuisse, & Dominus staterem non pro se & suo comitatu jussit dari, sed pro se & Petro. Quod ergo pro se & Petro jussit dari, vel ob id potest videri factum, quod tunc solus Petrus Domino adesset, vel potius ob id, ut Petrum hujus negotii mediatorem, & miraculi executorem, pro ejus fide simplici, obedientia & opera, & veluti mercede quadam honoraret. Proinde sicut in hoc facto observanda est simplicitas fidei in Petro, nihil dubitante de novo & inaudito Domini præcepto: Ita similiter observandum in ipso Domino, quo modo rursum Petrum præ aliis honoraverit prærogativa nova, cum eum tanti miraculi voluit esse*

esse executorem & participem, indicans satis etiam ipsum secum a Tributi debito jure debere esse liberum, propter peculiarem excellentiam ei deputatam. Mirum est, doctos viros etiam ejusmodi ineptiis indulgere. Christus jussit dari staterem pro se & pro Petro, antequam Petrus simplici fide obediens fuisset, & operam suam Domino præstitisset. Quare ergo non potius dicitur, quod Christus hoc præmio ad simplicem fidem, obedientiam, operamque præstandam invitaverit? Cætera inhumanum & quodammodo ignominiosum fuisset, si Christus executioni miraculi alium quam Petrum, ad quem casus, & compellatio Exactorum negotium devolverat, deputasset. Visus enim sane fuisset Petrum repudiasse, & indignum judicasse, quin etiam ei succensuisse, quod Exactoribus gratificatus negotium apud Dominum agendum in se suscepisset. Si modo tum alius aliquis ex discipulis adfuit, & non solum Petrus: quod etiam *Jansenium* non improbasse visum est. Quis vero etiam tam audax fuerit, ut reliquos Apostolos didrachma nondum solvisse dicat? Quod si solverunt omnes præter Petrum, non opus fuit, ut Dominus præter Petrum pro ullo solveret. Observandum tandem & hoc est omnibus, quod, quorum certam rationem Scriptura non reddit, certam earum dare nemo possit.

VI. *Quarto* quærunt: *Quare Christus miraculum potius facere, quam ex loculis, in quos, quæ mulieres religiosæ & alii in necessarios usus suppeditabant, conjiciebantur, tributum solvere voluerit? Hieronymus* hanc rationem reddit, quod Christus bona pauperum in tributum vertere noluerit. Quam a paucis probari asserit h. l. *Maldonatus*. Rationem quoque non invalidam subjungit; Nam quæ in loculis erant, ad omnia necessaria mittebantur: at tributum solvere, quando alias Christus volebat, unum erat ex necessariis. Aliam rationem ex *Chrysostomo* & *Euthymio* idem recenset, ita Christum solvere tributum voluisse, ut nec publicanos offenderet, nec suum perderet privilegium, dum non ex suo, sed ex invento solveret. Non parum placet hæc ratio *Maldonato*. Sed sine ulla, quam quidem videam, ratione. Quomodo enim Dominus non ex suo numeravit tributum, si ex invento? Num ergo inventum non erat ipsius? Sane quando quis in invento tantum juris acquirit, ut possit inde debitum tributum solvere, negare nemo poterit, quod proprietatem & dominium in eodem acquisiverit. Et si stater inventum fuit, non suum, respectu Christi; quid de pisce dicemus, in cujus ore stater inventus est? Num hic quoque inventum aliquod fuit, non proprietas? Quod si piscis fuit proprietas; ut quid non stater in ore ejus? Porro quodnam fuit privilegium, quod Christus perdere noluit? Nos sane nullum Christi hic privilegium agnoscimus; sed dominium. Nonne enim dominium est, quod liberat Filios Regum a tributo? Sane: nam Filii Regum jam sunt Domini: licet regnum non administrent. Nec Dominus aliquod tantum sibi privilegium arrogare voluit, sed verissimum dominium, quod ipse Deus habet super omnia. Sed & ipsi *Maldonato* hactenus placuit isthæc ratio, ut subjecerit: *Quanquam ego veram suspicor esse rationem, quod tunc alii discipuli, qui loculos gestabant, non adessent, & cum nollet publicanos offendere, ad solvendum tributum miraculum fecerit.* Suspicio hæc, quod discipuli, qui loculos gestabant, non adfuerint, nihil offendit. Sed si utique adfuerint, non tam diu procul dubio, nec tam procul adfuerunt, ut expectari adventus eorum non potuerit, si Christus expectare voluisset, & paulisper morari exactores. Nam venerunt exactores, antequam Christus cum suis discipulis de primatu loqueretur in regno cœlorum. Atqui cum discipulis in iisdem ædibus de primatu hoc egit, mox, postquam ex itinere venit, & domum ingressus est: quod ex his verbis *Marci* IX. vers. 33. *Et venit in Capernaum, & quum in domo esset, interrogavit eos; Quid in via inter vos disceptastis?* manifestum esse puto. Oportet itaque discipulos reliquos non procul, & non diu abfuisse. Et quis scit, annon citius adfuerint, aut tam cito, quam Petrus a mari reversus est? Ergo non multum tribuimus huic *Maldonati* rationi. Probari potius debuisset ratio *Chrysostomi* & *Euthymii*, *Maldonato*, quam improbavit. Et hæc est; Christum ostendere voluisse, se etiamsi tributum solveret, & terræ & maris Dominum esse, quandoquidem ex mari ipse tributum acciperet. Nos sane hanc rationem, tanquam optimam probamus. Nec dubitamus, quin Petrus Exactores secum ad mare duxerit, & miraculi Spectatores fecerit. Nimirum Christus illorum infirmitatem, aliorumque hominum, offendere noluit, tributum non solvendo: ad cognitionem tamen majorem de se deducere voluit, ostendendo, se in mare quoque possidere Dominium; si quomodo discerent, non ipsum ex necessitate infirmitatis suæ tributum solvere, sed quia spontanea sui humiliatione legibus, quibus homines obligantur, se legum Dominus subjecisset.

VII. *Quinta* succedit *Quæstio*; *Num Christus staterem in ore piscis creaverit verbo suo;*

suo; an præscientia sua præcognoverit tantum; & sua omnipotentia piscem hamo Petri affixerit? B. Hieronymus dubitat. Certum est, quod argumentum divinitatis Christi sufficientissimum sint, omni scientia & omnipotentia ejus. Utriusque actus cum manifestissimus sit in hoc negotio, non dubium esse debet, quin suffecissent, si soli fuissent. Itaque non reprehendendus est *D. Hunnius*, quasi argumentum ex facto Domini pro Domino sumendum penitus enervasset, quando scripsit: *Si ad absolutam Dei omnipotentiam confugiamus, cui scimus non esse impossibile omne verbum, potuit ipse talem monetam vel de novo condere, & fundere; aut fieri potuit, ut numisma illud quocunque tandem modo in aquam illapsum deglutiretur a pisce, idque nutu Christi, qui etiam maris est Dominus, ut reipsa comprobavit. Quemadmodum Dei nutu Balæna seu cete deglutivit Jonam, & eundem rursus in littus, jubente Domino evomuit; Et hoc posterius priori est verisimilius.* Interim prius, creasse Christum staterem in ore piscis longe videtur probabilius. Non dubito, quin Dominus voluerit ex suo tributum solvere, hoc est ex eo, de quo ipsi inter homines conversanti nemo jure movere litem posset, ullo modo & casu. At certe si qui staterem amisit, cognovisset in ore piscis inventum esse, movere litem juxta legem saltem Mosaicam potuisset. Quandoquidem itaque Domino miraculum hoc facere placuit, existimo observare istud voluisse. Præterea non video, quandoquidem Christus miraculum insigne facere voluit, quare non optime & perfectissime facere voluerit. Perfectius autem & excellentius fuisse, si non tantum inveniri & deglutiri a pisce staterem fecit, & in ore etiam ejus creavit, extra controversiam positum puto. Sic in aliis multis miraculis Christus se creatorem probavit: ut, quando panes creatoria virtute auxit, *Matth.* XIV. & XV. non aliunde omnipotenter adduxit; quando ibidem virtute creatoria restituit & reparavit in visu cœcorum, & membris claudorum, atque in corporibus ægrotorum mortuorumque quæ illis deerant. *Maldonato* hoc quoque videtur probabilius. Sed rationem addit hanc: *Quia non solent pisces, si quando staterem aut aliam pecuniam deglutiunt, eam in ore habere, sed in ventre. Itaque ille piscis, si staterem illum ipse accepisset, non in ore, sed in ventre habuisset.* Quæ ratio parum est valida. Nam qui dicunt, quod piscis deglutiverit staterem, dicunt hoc etiam, ut ex *D. Hunnio* apparet supra, quod Dominus piscem ad deglutiendum paraverit. Ubi non respiciendum ad id, quod natura alias suggerit, sed quid, qui deglutire jussit, voluerit. Nam alioqui etiam piscis, atque alia animalia, quando in ore aliquid sentiunt, in ventrem deglutiunt. Ergo si naturæ instinctum res secuta fuisset, postquam Christus staterem in ore piscis creavit, sine dubio piscis eum deglutivisset. Sed qui supra naturam in ore creavit, supra etiam naturam, ut in ore retineretur, fecit.

VIII. Quæri etiam distincte posset, quid didrachma & stater fuerint: sed quia in principali quæstione commode & sufficienter de iis agi potest, ad ipsam VI. *principalem quæstionem* accedimus. Illa vero hæc est: *Cujusmodi fuerint Didrachma, quæ a Christo exactores exegerint, & de quibus Christus tam multa cum Petro collocutus sit, tandemque solverit?* Didrachmum ratione nominis ignotum non est: duas nimirum drachmas valens. Sed si Hebræorum aliorumque populorum monetas contuleris, non adeo certum est; quid valuerit. *Maldonatus* in h. l. *Didrachmum*, inquit, *argenteæ monetæ genus erat, idem prorsus valens, atque duo Hispanica Regalia, duo Italici Julii, decem solidi Gallici hoc quidem tempore. Nam Regale Hispanicum drachmam unam argenti pendit. Didrachmum duas, ut nomen indicat, drachmas continebat, sicut tridrachmum tres, tetradrachmum quatuor, idest siclum Hebraicum. Siclus enim Hebræorum tantum pendebat, quantum quatuor Hispanica Regalia, & quantum Francus Gallicus, quem Henricus III. his annis cudit. Est hæc sententia plerumque Lyranus in collatione ad monetam Gallicam dissentit, post alios refutatus etiam propterea a* Maldonato h. l. *qui, ut diximus, scribit, tetradrachmum, idest quatuor drachma siclum efficiebant; unde sequitur, didrachmum; idest, duas drachmas dimidium sicli effecisse, quod singuli Judæi majores viginti singulis annis pendere jubentur. Ex eo autem* Exodi loco (cap. XXX. vers. 13.) *Lyrani opinio a multis refutata aperte convincitur. Putat enim didrachmum solidum fuisse Ballicum, idest, duodecim, ut ipse vocat, parvos Turonicos; Cum Moyses dicat, siclum viginti obolos habuisse. Constat autem obolum unum idem fuisse, atque solidum Gallicum. Nam ut diximus, ipse pondere certum est, Francum unum siclum pependisse, sicut quatuor Hispanica Regalia & Francum viginti solidos sicut siclum viginti obulos habere. Itaque didrachmum, quod Lyranus unum tantum solidum habuisse putat, decem solidos habeat.* Hanc suam sententiam cum *Budæo* lib. de asse, qui didrachma septem solidos tantum valuisse scripsit, sic conciliat

liat, quod tempore *Budæi* Hispanicum Regale, quod drachma argenti eſt, tribus ſolidis cum ſemiſſe æſtimatum ſit, ſuo autem (h. e. *Maldonati*) tempore, quinque. In comparatione autem ad monetam Hebraicam aliud plane deprehenditur in LXX. Interpretibus. Hi namque *Exodi* XXX. *verſ.* 13. Siclum ſacrum vertunt δίδραχμον, atque adeo duas tantum illi dederunt drachmas. Verum *Lightfootus* conciliat, quod quemadmodum ſiclus communis vocatus ſit δίδραχμον, ſic illis placuerit ſiclum ſacrum vocare δίδραχμον. Septuaginta, inquit, *quidem interpretes in* Exod. XXX. verſ. 13. ἥμισυ τȣ͂ διδράχμȣ *reddunt, aſt inſuper hoc addentes,* ὅ ἐςι κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον. *Eſto; totus ſiclus fuit* δίδραχμον ἅγιον: *Hemiſiclus tunc eſto* δίδραχμον δημόσιον. Prolixius autem de hoc agit *Ludovicus de Dieu* Append. ad Evang. *Matth.* cap. XVII. *Drachmam*, inquit, *Syrus vertit* זוז δίδραχμον *duo* זוזין. *Eſt autem apud Magiſtros* זוז *quarta pars* τȣ͂ סלע *ſive* שקל *ſicli ſacri. Adeo ut duo* זוזין *ſive* δίδραχμον *dimidium ſicli ſanctuarii, quantum quiſque Iſraelitarum ex lege pendebat Deo.* Exod. XXX. verſ. 13. *Ubi tamen non diſſimulandum, non medium, ſed integrum ſiclum ſanctuarii vocari* δίδραχμον. LXX. *Interpretibus,* &c. *Quo circa altero plus ejus, quod dari ſolebat Deo, dederunt Cæſari, ſi hic apud* Matthæum *tantundem valet* δίδραχμον, *quantum ibi apud* LXX. *Seniores. Negat id Joſephus de Captivitate Judaica* lib. 7. cap. 26. *Ubi in alteram ſententiam de Veſpaſiano his verbis* ait: φόρον κ̀ τοῖς ὅπȣ δήποτ᾽ ȣ̓͂σιν Ἰȣδαίοις ἐπέβαλε, δύο δραχμὰς ἕκαςον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐς τὸ καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλȣν. *Tributum autem Judæis ubicunque degerent, indixit, duas drachmas juſſis ſingulis in Capitolium quotannis conferre; ſicut antehac Hieroſolymitano templo pendebant. Dicendum itaque ambiguum eſſe* τὸ δίδραχμον, *dicique non tantum de ſiclo communi, ſed etiam de ſacro. De communi proprie, quippe qui dimidium exiſtens ſacri, duo* זוזין, *duas drachmas, vel quod idem, duo* דינרין *duos denarios comprehendebat. Atque illud eſſe* δίδραχμον *apud* Matthæum. *De ſacro autem, cur & quomodo a* LXX. *Senioribus uſurpetur, non adeo liquet. Quippe qui* τετράδραχμον *melius, quam* δίδραχμον *vocaretur; quatuor enim* זוזין *drachmas, ſive* דינרין *denarios ipſum continere, non tantum ex communi Hebræorum ſententia conſtat (vide Aruch in voce* סלע, & *Thesbi Eliæ in* זוז) *ſed &* Joſephus lib. 3. c. 9. *Antiquit. Judaic. id confirmat,* ὁ κ̀ σίκλος, inquit, νόμισμα ἑβραῖον ὢν ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Hinc & quinquaginta ſicli, quæ* Levit. XXVII. verſ. 3. *æſtimatio erat maris voto Deo conſecrati, dicuntur apud* Philonem *de voti ſatisfactione voluiſſe* δραχμὰς διακοσίας νομίσματος ὁλαργυρείου *drachmas ducentas e ſolido argento. Si ducentæ drachmæ valent* 50. *ſiclos, ergo quatuor drachmæ ſingulos. Cur ergo hic ſiclus* δίδραχμον *vocatur? Non aliam conjectare cauſam poſſum, quam quia communis ſiclus conſtabat drachmis duabus, ſiclum in genere vocatum fuiſſe translatum, etſi is quatuor conſtaret.* Æthiopicum Evangelium *Matthæi* δίδραχμον, accepit pro Denario, h. e. drachma. Ubi *Ludovicus de Dieu* exiſtimat, ſumſiſſe hoc ex *Matth.* XXII. Ubi Numiſma cenſus vocatur denarius. *Sed nullius*, inquit, *momenti eſt. Etſi enim duobus denariis abſolveretur cenſus, recte tamen numiſma cenſus dicitur fuiſſe denarius, quia ea moneta erat, quæ in cenſu ſolvendo adhibebatur.* Idem miratur, quod Evangelium Hebræum *Matthæi* utriuſque editionis pro didrachma habeat דרכמון, quod drachma unam denotat. *Theophylactus*, & alii putarunt didrachmum facere quinque ſiclos ſacros.

IX. *Stater* quantum valuerit, magis quidem certum eſt Autoribus, ſi verbum ſpectaveris; æque tamen incertum, ſi rem conſideres. Nam communis in hoc videtur conſenſus eſſe, quod ſtater duo δίδραχμα fecerit. Sumunt ex hoc, quod Chriſtus juſſerit Petrum, ut pro ſe & Petro daret ſtaterem. Ubi ſine dubio voluerit plus non dari, quam quantum duo deberent viri. Jam vero ſingulos viros unum δίδραχμον debuiſſe, & ſolviſſe. Ut adeo, quod dictum, ſtater duo δίδραχμα præciſe exæquaverit. Verum enimvero, utut in hoc conſentiant Autores; nihilominus omnis diſſenſus de διδράχμοις, in hanc vocem ſimul influit. Si namque cum LXX. Interpretibus δίδραχμον feceris ſiclum ſacrum, ſtater erunt duo ſicli ſacri. Si cum Æthiopico δίδραχμον dixeris denarium; Stater efficiet duos denarios. Si cum pleriſque didrachmum fuerit tibi ſiclus communis; Stater erit ſiclus ſanctuarii. Si cum *Chryſoſtomo*, *Theophylacto*, & aliis didrachmum putaveris eſſe quinque ſiclos ſacros, ſtater faciet decem ſiclos. Et ſic porro, ſi in aliorum populorum moneta didrachma & ſtaterem convertere conabimur. Eorum ſententias, qui apud *Theophyl.* vel pro margarita, vel pro tributo, vel pro quarta parte numiſmatis accipiunt, non probatum iri puto.

X. Equidem in hac re non parum obſcura judicium mihi temere non ſumam de doctiſſimis viris, non tantum quos nominavi, ſed quos non nominavi etiam, qui plures: dicam tamen, quid mihi videa-

deatur. *Primo;* nisi ipse fallor, falluntur doctissimi plurimi in sua de זוזים *Susim* Hebræorum sententia, quando eos simpliciter idem cum drachmis etiam ratione valoris esse volunt. Doctiorum hic esto judicium. Ego namque invenio, quod, ut distincti fuerunt sicli, sic distincti etiam fuerint זוזים *Susim;* perpetuum autem hoc fuerit, ut quilibet siclorum haberet quatuor Susim, sive esset siclus sacer, sive civilis, sive magnus, sive parvus. Siclum sacrum habuisse suos Susim, certum est: Qui fuerunt Susim sacri. Atqui fuisse זוזי מרינה non minus certum est. Nam Tract. *Kethuboth* cap. V. *Mischn.* 8. scriptum est: *Et vasa quinquaginta Susorum.* Ubi *Gemara* fol. 65. 2. *Dixit Abai, hi sunt quinquaginta Susim* פשטי *simplices:* Ubi *R. Salomo* annotat; *Susi simplices sunt susi provinciæ* (h. e. Provinciales seu Politici) *qui habent octavam partem* (argenti,) *quod est in Susim Tyriis* (qui iidem sunt sacri.) *Nam omne argentum provinciæ habet unam partem octavam de argento Tyrio: Sicut supra diximus. Siclus provinciæ est dimidius Susus, qui est octava pars sicli* (sacri.) Sic *ibid.* cap. VI. *Mischn.* 5. scribitur: *Qui elocat filiam suam simpliciter, non diminuet* (dotem ejus) *infra quinquaginta Susim.* Ubi *Jom Tob; Expositum est in Gemara, quod sit argentum provinciale.* Confer. ibid. *R. Salomonem.* Porro Tractat. *Bava Bathra* cap. X. *Mischn.* 2. ita habetur; *si scriptum fuerit* (in obligatione:) *Susim centum, qui faciunt siclos viginti, non debebuntur illi nisi viginti* (sicli.) *Sin Susim centum, qui faciunt siclos triginta, non debebitur illi, nisi libra.* Ubi *Glossa R. Salomonis; si scriptum fuerit in ea* (sc. obligatione mutuo dantis,) *Susim centum, qui faciunt viginti siclos, mutuo accepit N. ab N. Tum etiamsi centum Susim alias faciunt viginti quinque* (siclos,) *tamen non debebitur mutuo danti, nisi libra octoginta Susorum. Nam manus Domini obligationis succumbit. Et contra exigentem a proximo suo valet exceptio, quod forte sic explicanda sit* (obligatio?) *Susim centum minuti & deficientes, qui non valent nisi viginti siclos.* Et ad verba: *Sin Susim centum, qui faciunt triginta siclos,* ita habet: *Non debebitur illi, nisi libra centum Susorum. Potest enim ita exponi; Susim centum, qui faciunt triginta siclos leves, qui non faciunt, nisi viginti quinque siclos* (bonos.) Conf. *Bartenoram* ad h. l. Hic habemus contractus civiles, in quibus usitati erant sicli civiles. Et præterea juxta Gemaristas & Glossatores; Sicli, qui in verbis Rabbinorum (Mischnicis) occurrunt, sunt sicli provinciales. Atqui nihilominus horum siclorum quilibet habet quatuor Susim. Præterea habemus hic siclos graves, & siclos leves; Susim graves, & Susim leves. Et Susim leves quinque siclos faciunt singulos. Contra sicli leves singuli Susim bonos ternos cum triente continent. Sicli autem boni singuli quaternos Susim bonos. Itaque verum quidem est, quod siclus provincialis valuerit tantum duos Susim sacros: in argento autem tantum habuerit octavam partem sicli sacri, reliquas septem partes in ære. Interim tam siclus politicus, quam siclus sacer habebat suos quatuor Susim, qui viginti quatuor obolos habebant omnes, singuli sex. Quin verisimile mihi fit, quod pondus unum idemque plane fuerit utriusque sicli, tum sacri, tum profani; nisi quod materia ex qua discrimen faciebat. Nam sicli sacri ex puro erant argento, cum in siclo profano seu civili non esset ex argento nisi pars octava; reliquis septem ex ære existentibus. Et hæc quoque ratio videtur, quod siclus Tyrius, & sacer Hebræorum plane conveniebant. Nam & Tyrius ex puro argento fuit. Habeo vero etiam hic consentientem *Rambamum* Tract. *Bechor.* cap. VIII. *Mischn. 6.* ubi inquit: *Omnia hæc, quæ hic commemorantur, sunt argentum Legis: quæ vero in Thalmud, e. g. de dotibus mulierum & mulctis habentur, sunt argentum provinciale, h. e. quod habeat idem æstimationis cum Darkemonim monetæ Hierosolymitanæ, qui fuerunt octava ex parte ex argento, cum septem partes essent ex ære. Et hic etiam est traditio in manu mea, a patre meo, qui accepit a Præceptore suo p. m.*

XI. Jam, *Secundo* quod collationem ad monetas aliorum populorum attinet, ipsis Hebræis ignotum est, quodnam pondus verum siclorum fuerit: ad traditiones valde incertas decurrunt. Audiamus *Rambamum* ad Tract. *Bechoroth* cap. VIII. *Mischn. 6. Pridem,* inquit, *exposuimus aliquoties, quod siclum, cujus in lege fit mentio, Deus benedictus vocaverit* שקל *siclum. Idem vero dicitur etiam* כסף *argenteus; quemadmodum dicitur: Quinquaginta argentei & centum argentei. Iterumque dicitur: Argentum triginta sicli. Cæterum fuit pondus ejus 24. Darkemonim; Pondus autem Darkemon 16. grana. Atque hæc ipsa sententia Talmudis, de qua dubitandum non est. Porro Traditio est in manibus nostris, a Patre meo, Domino meo, p. m. qui accepit a Patre suo, ab avo suo, alter ab altero p. m. quod granum hoc, quo existimant pondus hoc, sit granum hordei. Cujus tamen rei ego nullam scio causam.* Præterea ex iis, quæ paulo ante dicta sunt,

pa-

patet, quod ne ipsæ quidem monetæ Hebræorum ejusdem ponderis fuerint. Erat namque præter distinctionem sicli in sacrum & profanum, qui ratione materiæ distincti erant, ut ille ex puro argento esset, hic octavam tantum partem argenti haberet, adhuc sicli distinctio alia, tum Ecclesiastici, tum Politici, in gravem seu bonum, & in levem seu deficientem; quorum ille 384. grana, hic grana 320. habebat. Sic Susim erant graves seu boni, qui *96.* grana, & leves seu deficientes, qui tantum grana 80. pendebant. Sicli graves & Susim graves, si Hebræis credimus, facti & constituti sunt a sapientibus, sub templo secundo; leviores ab ipso Mose traditi. Cujus rei causa nulla inventa est ab iisdem, nec forte invenietur, nisi hæc, quod Mosis sicli & Susim purius argentum habuerint, adeo, ut, sub templo secundo, sicli grana 384. tantum argenti purissimi habuerint, quantum tempore Mosis habuerunt grana 320. & Susorum sub secundo templo grana *96.* tantum, quantum Susorum Mosaicorum grana 30. Verosimile namque est, quod sub templo secundo ars cundendi argenti purissimi sine additamento æris, quam Mosaica & sequentia, usque ad Captivitatem Babylonicam tempora habuerunt, amissa sit. Itaque sapientes sub templo secundo, cum nihil de quantitate argenti purissimi diminutum vellent, ne a Mosaica traditione discessisse viderentur, maluerunt siclos & Susos augere. Nec credi fere potest, quod homines alioqui traditionum observantissimi, in siclis ipsis sacris aliquid discriminis & mutationis introducturi fuissent, nisi deprehendissent, non tam esse mutationem, quam exæquationem.

XII. *R. Salomo* comparationem instituit siclorum & Denariorum, cum aureis nummis sui seculi, dixitque, denarium idem fuisse atque aureum. Unde cum siclus quatuor habuerit denarios, consequitur, siclum valuisse quatuor nummos aureos. Sed corrigit eum *Moses Nachmanides* ad *Exod.* XXX. *vers.* 13. Verba hujus translata adscribam. *Scripsit*, inquit, *Raschi*, *quod sicli pondus sint quatuor aurei, qui faciunt semunciam, juxta justum pondus Coloniæ. Nimirum invenit Rab expressum in Gemara, quod siclus quatuor habeat denarios. Traditione autem edoctus est, de pondere denariorum, quod æquale esset ponderi aureorum. Sic namque scripsit in glossa sua ad Gemaram tractatus Baba Kamma; Denarii pondus est aureus, & sic vocant Constantinopoli aureum denarium. Quæ omnia quidem sunt verissima. Verum enimvero accepit Rab de aureis, qui inventi sunt in ipsius seculo, & in seculo nostro, quorum pondus exæquat semunciam, ut commemoravit. Quod faciendum non est. Nam Reges gentium diminuerunt aureos. Pridem scriptum invenimus in verbis Autoris Constitutionum Magnarum, & Geonim priorum, quod Denarius, cujus per totum Talmud mentio fit, sit Denarius Scheschdenag, qui denarium Arabicum sexta parte excedit. Itaque juxta quantitates, quæ in verbis eorum inveniuntur, denarii, de quibus Talmud, majores sunt, quam aurei, qui inveniebantur & usuarii erant tempore illius* (Raschi) *tertia prope parte. Ut siclus habuerit tres partes quartas unciæ, juxta pondus terræ hujus, quæ eadem est cum uncia, quam Rab p. m. commemoravit.*

XIII. Siclos sacros cum communiter comparent ratione valoris, dicantque, sacrum habuisse quatuor denarios, profanum duos: id etiam in dubium vocat *Moses Nachmanides* ad Exodi 30. v. 13. *Scito*, inquit, *quod sicli legis sint ejusmodi sicli, quorum singuli sicli habeant quatuor denarios: sed siclus, qui in verbis sapientum* (Talmudicorum) *memoratur, e. g. quando legimus siclum mutuo dedisti mihi, qui exæquat Sela: Sela mutuo dedi tibi, qui exæquat siclum, habent*, (tantum) *duos denarios, h. e. dimidium sicli sacri. Cujus rei ratio est inde, quod populus siclos vocaverit dimidios istos siclos, quos quotannis* (templo) *pendebat. Id quod similiter in usum venit stylo sapientum in Mischna. Atque inde factum, ut aliquis diceret proximo suo siclum mutuo dedisti mihi; q. d. pondus, quod Israelitæ pendunt* (templo). *Factum tamen esse potest, ut templi secundi tempore cuderint monetam argenteam duorum denariorum, ut commoda esset, quæ daretur Exactori sancti Thesauri, ne indigerent Collybio: quam monetam vocaverint siclum; siclum autem Mosis, qui est siclus Legis, vocaverint Sela, juxta Targum. Equidem est, qui dicit, quod ratio inde sumenda, quod dixerint* (sapientes:) *Libra sancta gemina fuit. Atque sic* (geminas) *fuisse quascunque monetas: quod verum non est.*

XIV. Cum se ita res habeat, apparet quam difficile & laboriosum sit, monetas istas Judaicas in monetas aliorum populorum transmutare. Nos certe hic laborem istum non suscipimus. Observamus *Tertio*, quod ad nostrum institutum magis pertinet, Comparationem cum drachmis Atticorum. Habet noster textus δίδραχμον: habent LXX. Interpretes. Invenimus duas drachmas vocari a *Josepho* dimidium siclum sacrum, qui quotannis in usum templi colligebatur. Legimus, *Philonem* unicuique siclo sacro dare quatuor drachmas. Repetantur enim hic, quæ supra ex *Lightfooto* & *Ludov. de Dieu* ad-

duximus. Conciliatio potissima *Josephi* cum LXX. fuit, quod quum siclus vulgaris duas tantum drachmas habuerit, & inde illi διδράχμυ nomen datum, mox nomen ad siclum sacrum translatum sit. Sed ista conciliatio fundamentum nimis incertum habet. Supponit namque, quod tempore LXX. Interpretum siclus communis jam appellatus fuerit δίδραχμον. At unde hoc probabitur? Potius dicendum videtur, quod LXX. Interpretes, qui omnium maxime & primi forte monetas & alia Judæis peculiaria consuetudinibus Græcorum conferre coacti sunt, deprehenderint, siclum sacrum accedere proxime ad drachmas duas Atticas. Quid ergo, si hinc dixerimus nomen ad communes siclos translatum: quemadmodum nomen siclorum a sacris ad profanos venit? Sane hoc longe nobis videtur probabilius. Et commodissime maxime factum est, si siclorum communium seu profanorum pondus exacte idem fuit, cum pondere siclorum sacrorum: quod nobis ex fundamentis Talmudicis, quæ supra produximus, magis probatur. Nam tum, si pondus respexerimus, tam vere siclus Politicus erat δίδραχμον, quam siclus Ecclesiasticus. Interim quando non ad pondus, sed ad valorem communiter in contractibus & permutationibus receptum, spectaverimus, dimidius siclus sacer seu Ecclesiasticus, qui ratione ponderis una erat δραχμή, valebat duas drachmas politicas. Integer autem siclus sacer valebat quatuor drachmas politicas. Atque δίδραχμον sacrum, ratione ponderis sic dictum, erat τετράδραχμον seu τέτραδραχμον politicum ratione valoris. Unde recte dixit *Philo*, quinquaginta siclos maris per votum Deo consecrati fuisse δραχμὰς διακοσίας drachmas ducentas, sed νομίσματος ὁλαργυρὲς, numismatis pure argentei, cujusmodi fuerunt sicli sacri, non autem in pondere, i. e. valuisse tantum in puro argento, quantum ducentæ drachmæ in pondere argenti non puri. Recte etiam *Josephus Antiquit. Jud. lib.* 3. *cap.* 9. de siclo sacro loquens, ait, quod fuerit moneta Hebræorum continens quatuor drachmas Atticas in valore, quem drachmæ quatuor Atticæ habebant, in pondere siclorum communium. Idem etiam recte semisiclum sacrum a Vespasiano impositum, vocavit δύο δραχμὰς, duas drachmas, respiciendo valorem, qui cum διδράχμῳ politico idem erat. Forte etiam hoc accessit, quod drachmæ Atticæ cum drachmis vulgaris monetæ Judaicæ tempore *Philonis* & *Josephi* coinciderint.

XV. De statere *Quarto* observamus, quod non possit esse idem in nostro loco cum אסתירא *Isthera*, quam staterem Lexicographi vocant. Nam invenimus in Talmude, quod Isthera ista fuerit octava pars monetæ Tyriæ, quæ fuit ὁλαργύριος ex puro argento: Ut dimidium etiam tantum Susi pondus habuerit. Non itaque dici potest, quod ratione ponderis idem fuerit cum siclo profano, & continuerit quatuor Susim, quos drachmas fuisse putant: atque adeo pependisse quatuor drachmas, sicut stater Atticus. Per errrorem dici eum staterem puto, vel ob affinitatem vocabuli, vel quia *R. Salomo* eum dicit siclum provincialem, seu profanum. Quod *R. Salomo* tamen non dixit, nisi in respectu ad argenteum, de quo tantum Isthera, quantum siclus provincialis habebat. Puto namque id dicere voluisse, quod habetur in *Gemara Kiddušchim* fol. 11. 12. *Noli, dicere; Cujusmodi siclus est? Utique quatuor Susorum* (Tyriorum) *sed* (dic) *quid est siclus? dimidium Susi* (Tyrii:) *quem faciunt homines, qui dimidium Susi vocant Isthera*. En! hi homines octavam partem sicli sacri vocant Isthera: non autem siclum ipsum, quem faciunt. Præterea valde dubium est, num Isthera sit factum ex statere: malim ex Græco ἀςέρα, ἀςηρ, deductum. Et sane sunt, qui Asthira legunt non Isthera; quibus assentire malo, sive quod moneta figuram stellæ habuit, qui dimidium Susi valuerit, sive ratio alia fuit. Cæterum staterem Atticum quatuor continuisse drachmas, in controversiam non voco. Sed in hoc sita est quæstio, quomodo stater continens tot drachmas, ad monetam Hebræorum applicandus sit? Cum de ipsis drachmis maxime res dubia sit, ut supra diximus. Staterem valuisse siclum sacrum, & duos profanos, video sententiam esse omnium ferme interpretum. Sed firmius argumentum non video quam ex eo, quod Christus dixit; *Eum da pro me & pro te*. Nimirum Christum non voluisse, ut Petrus plus daret, quam quantum uterque deberet. At quemque illorum debuisse dimidium siclum sacrum. Ut necessarium sit, staterem duos dimidios siclos seu duos integros profanos, h. e. unum integrum sacrum valuisse. Verum enimvero hoc argumentum pro se fecerit facile, quisquis aliter de debito Christi, quod sponte suscepit, & de Petri obligatione statuerit, atque aliam de drachmis, atque didrachmis sententiam foverit. Ita Æthiopicus, cui δίδραχμον est denarius, dicet staterem valere duos denarios. *Theophylactus* & alii, quibus didrachmum est siclorum quinque sacrorum moneta, staterem dicent valere decem siclos sacros. Ut supra §. 8. jam indicavimus.

XVI. Ut nostram *Quinto*, de istis sen-ten-

tentiam exponamus plenius, dicimus I. *Nobis maxime probari, quod ſicli apud Judæos, ut & Suſi, ratione ponderis, fuerint diverſi, alii quidem graviores, alii vero leviores, ita tamen, ut quilibet ſiclus, ſive magnus, ſive parvus fuerit, nihilominus habuerit ſuos quatuor Suſos, reſponderintque ſiclis parvis Suſi parvi, & ſiclis magnis ſeu gravibus Suſi graves.* Hoc namque nimis manifeſtum, & firmiter fundatum eſt in tractat. *Baba Bathra* fol. 165. 1. quem locum ſupra citavimus. Originem hujus diſcriminis *Maimonides* adſcripſit ſapientibus ſub templo ſecundo: quod libenter admittimus, & adhuc nobis non diſplicet ratio; quam indicavimus, quod argentum tam purum, quam ſub templo primo, & tempore Moſis, cuſum eſt, non cuderint in monetas poſt captivitatem Babylonicam, amiſſa arte, quam Majores habuerint, uſi tum laudatiori Tyria. Ubi vero quum argento aliquid additum ſit, de cæteris metallis, pondus augere coacti ſint. Confirmor in hoc, quod *Maimonides* ad Cap. II. Miſchn. 4. Schekalim annotat, Judæos poſtquam ex captivitate Babylonica aſcenderunt; aliquandiu monetam Darbonoth duplorum ſiclorum, ſacrorum habuiſſe; poſt cepiſſe demum ſiclos ſacros cudere; & tandem ſiclos ſacros dimidios, h. e. שקלים ſiclos, ut vocat. Dicimus II. *Non invenire nos ullum fundamentum, propter quod dici poſſit, ſiclum profanum ſeu Politicum minus vel dimidium habuiſſe pondus reſpectu ſiclorum ſacrorum: Ut adeo conſentiamus illis, qui unum idemque pondus ſiclorum ſacrorum profanorum faciunt.* Non tantum movet nos hic autoritas *Rambami* & *Raſchii*, quos ſupra in hanc rem produximus & allegavimus, ſed maxime Talmudicorum. Nam *Rambamus & Raſchius*, cum aliis, tribuunt ſiclo profano ſeptimam partem ſicli ſacri ex argento, & ſeptem partes ex ære. Quomodo idem utriuſque pondus fuiſſe oportet. Talmudici vero non tantum ſiclo ſacro, qui in rebus Scripturæ habetur, quatuor Suſim aſſignant, ſed profanis quoque ſuis: quod haud obſcurum puto per exemplum, quod ex Baba Bathra adduximus. Nam non video, quare dubitandum ſit, quin iſtic ſermo ſit de ſiclis civilibus, cum ibi non tantum ſermo ſit, de dotibus ſponſalitiis, in quibus, exceptis ſaltem pauperibus, ſiclum ſacrum locum habere, quidam etiam ex Rabbinis contra *Rambamum* alioſque ſtatuunt, ſed de contractibus civilibus in genere: quod de §. 9. egimus. Sententia *Moſis Nachmanidæ*, quam in §. 10. adduximus, mera conjectura videtur, quando ſcil. putat dimidios ſiclos cuſos eſſe illos, qui vulgariter ſicli vocati, quod templo dantur, & vulgo dicerentur colligi, aut dari ſicli. Certe fundamentum rei non invenimus: quæ alioqui forte non abſurda foret. Nec *Nachmanides* ullum adfert. Contra autem *Nachmanidem* eſt, quod jam Moſes *Exodi* XXX. *verſ.* 13. ſuo tempore indicat diſcrimen fuiſſe inter ſiclum profanum & ſiclum ſacrum. Quid enim aliud vult, quando ibi dicit: *Dabunt dimidium ſicli, in ſiclo ſanctitatis ſeu ſancto?* Quid opus fuit hoc dicere, ſi alius ſiclus tum non fuit niſi ille ſacer, ut vocatur? Putarim itaque diſcrimen fuiſſe antiquiſſimum, ut in ſacris ob honorem Dei & rerum ſacrarum, puro uterentur auro, licet alias in civilibus monetæ ex puro auro non eſſent. Ita alias quoque in cultu ſacro optima quæque danda & ſacrificanda erant; ne quis videretur Deum defraudare velle. At diſcrimen, vel potius diverſus vocis uſus, quem indicat *Nachmanides*, diu poſt Conſtitutionem Moſaicam introductus fuiſſet. Alioqui dimidios ſiclos cuſos eſſe, qui & neceſſarii in datione ſiclorum dimidiorum, ut, ſi quis dimidium non haberet, permutare cogeretur cum collybio, non negamus, & docet tractatus Talmudicus *Schekalim*. Dicimus III. *In materia autem diſcrimen fuiſſe, inter ſiclum ſacrum & profanum, tantum non firmiſſime nobis perſuademus: & adſtipulamur iis, qui dicunt, ex Hebræus maxime, quod ſiclus ſacer ex puro & ſolido argento fuerit, profanus autem non niſi octavam partem ergenti, reliquas ſeptem æris habuerit.* Hæc rectiſſime etiam dicta eſt moneta provincialis, quemadmodum & nos monetam materiæ minus probæ, & quæ autoritate potius Magiſtratus, quam materiæ nobilitate, valet, provincialem vocare ſolemus, Land-Münge. Non video, quid *Philo* ſibi velit, ſi hoc non vult, cum dicit, quod 50. ſicli hominis voto conſecrati faciant ducentas drachmas νομίσματος ἐλαργυρέȣ, *monetæ pure argenteæ*. Sane diſtinguit monetam in eam, quæ eſt pure argentea, & in eam, quæ non eſt pure argentea. Non etiam video, qui apud Talmudicos poſſit aliquis סלע ſiclus eſſe, ut illi loquuntur, פלגות דזוזא *dimidius ſuſus*, niſi materiam ſpectemus, quod ſcil. de argento dimidium Suſum tantum habuerit, reliquæ ſeptem partes ex ære fuerint. Dicimus IV. *Omnino probabilius eſt, quod pondus ſicli fecerit duas tantum drachmas, ſive de ſiclo ſacro, ſive de profano loquamur; Ut duo Suſi una fuerint drachma: ratione valoris poſtmodum ſiclus ſacer dimidius* δίδραχμον, *& integer ſacer* τετράδραχμον *vocatus ſit; ideo quod dimidius tantum valuerit, quantum duæ drachmæ ſeu integer ſiclus provincialis, integer autem qua-*

tuor drachmas in ficlis profanis, *h. e. duos integros provinciales valore æquaverit*. Sane longe probabilius est, quod ficlus sacer integer & dimidius a profano denominationem aliquam acceperit, quam ut profanus a sacro. Ratio est, quia in ejusmodi rebus os vulgi & consuetudo loquendi populi prævalere solet. Quis vero dubitet, quin longe frequentiores fuerint ficli provinciales, qui in Politicis contractibus usitati fuerunt, quam sacri, quorum in templo præcipue usus? Quæ etiam necessitas, ut suos semper haberent Trapezitas, a quibus populus, ficlos templo soluturus, dimidios ficlos aut integros sacros acciperet, non sine collybio, si ficli sacri sive integri, sive dimidii apud vulgum frequentes? Facile itaque apparet, qui factum, ut, licet ficlus sacer pondus tantum haberet duarum drachmarum, cum tamen valeret duos ficlos profanos, vocatus sit τετράδραχμον, & dimidius δίδραχμον. Nam quando in contractu politico, in quo drachmæ provinciales usitatæ, conventum est ab emtore & venditore in quatuor drachmas, emtor autem dedit ficlum sacrum, tum quatuor suas drachmas accepit venditor, & emtor dicere potuit, habes hic τετράδραχμον. Sic si conventum fuit in duas drachmas provinciales, vel δίδραχμον: Emtor, si forte habuit dimidium ficlum sacrum, eum dans dicere potuit, hic habes duas drachmas vel δίδραχμον. Ita vulgo invaluit consuetudo, ut dimidius sacer ficlus δίδραχμον, inter τετράδραχμον appellaretur. Accessit alterum, quod quando dimidius ficlus sacer exigebatur & colligebatur a populo, hic vero rarissime, saltem in specie, ut loqui solemus, haberet (hinc namque Collybistæ & Collybium, de quibus multa in tract. Schekalim) factum sine dubio est, ut δίδραχμον politicum a populo exigeretur, non tantum in specie, sed etiam in obolis (confer Schekalim *cap.* II. *Mischn.* 3.) solvendum, unde mox & hic usus obtinuit, ut dimidius ficlus, sacer vulgo diceretur δίδραχμον. Hoc si statuerimus, non mirum erit, quare septuaginta Interpretes ficlum sacrum vocaverint δίδραχμον, duas drachmas? revera namque pondus duarum drachmarum erat: necesse autem simul habuerunt, dicere δίδραχμον ἅγιον, didrachmum sacrum, ut ab altero vulgari διδράχμῳ, quod profanum, distinguerent. Non tam promptum mihi est credere, vulgo etiam ficlum fuisse nominatum δίδραχμον, etiamsi esset revera & ratione ponderis & ratione valoris τετράδραχμον, quia ficlus politicus dictus sit δίδραχμον. Qui namque factum est, ut non minus dimidius ficlus sacer appellaretur δίδραχμον? Et quam turpis hæc confusio? Jam autoritatem LXX. Interpretum, qui ipsis Talmudistis longe vetustiores, hoc in negotio contemnere non possumus. Eadem ratione factum puto, ut dimidius sacer ficlus diceretur שקל ficlus, quod fit per totum tractatum Schekalim, nimirum quod æquipolleret integro profano: & distinctionis gratia ficlus sacer סלע sela appellaretur. Vide *Schekal cap.* I. *Mischb.* 6. & confer Maimonidem ad *lib.* II. *cap.* II. *Misch.* 4. Hanc comparationem ficlorum cum drachmis si obtinuerimus, contenti sumus, & nostro instituto sufficit, nec ad alias monetas, de quibus comparatio nimis incerta & difficilis, accedimus. Pergimus potius, & dicimus V. *Quid jam de statere sentiendum sit*, *in promtu erit*: *nimirum cum ficlus sacer duas habuerit drachmas*, *sicut provincialis*; *Stater autem Atticus fecerit quatuor drachmas Atticas*; *Sequitur*, *quod apud Hebræos staterem fecerint duo ficli sacri*, *vel quatuor provinciales*. Existimo autem, quod, licet δίδραχμον duplex Judæis fuerit, ut hactenus dictum, Stater tamen duplex nunquam fuerit, nec τετράδραμον appellatus sit. Ratio, quæ movet, hæc est: quod stater apud Atticos integra monetæ species fuerit: sicut ficlus Hebræorum apud Hebræos. Jam Hebræi non habuerunt duas species, quæ stateris pondus haberent, aut staterem singulæ valerent; sed unicam tantum, eamque auream. Hæc moneta aurea non infrequens illis erat in provinciis etiam, dicebaturque Hebræis דרבון *Darbon*, vel דרכון *Darkon*. Utroque namque modo in Talmude legitur. Hæc moneta faciebat duos ficlos sacros, atque adeo quatuor drachmas bonas, seu solidi ergenti: unde optime stater Græca voce dici potuit. Nam & alia nomina monetarum argentearum ad aurum transsumebantur. Sic denarius non tantum erat argenteus, idem cum Suso, quarta pars ficli; sed etiam aureus denarius, qui viginti argenteos valebat, & apud Talmudistas non infrequens est. Hunc Darkonem seu Darbonem in collectione ficlorum ita admittebant, ut collectoribus didrachmorum seu dimidiorum sacrorum, omnia didrachma collecta in eos commutare, & sic Hierosolymam deportare, licuerit, ut diminueretur onus, & commode portari possent. Ita namque tractat. Schekal. *cap.* II. *Mischn.* I. *Conflant ficlos in Darbonoth propter onus viæ*. Ubi *Rambamus*: *Darbon continebat duos* סלעים *ficlos sacros*, *Dicitur itaque*, *quod conflati sint ficli*, *qui ex argento erant*, *in denarios hos aureos* (denarius aureus etiam usur-

usurpatur pro quavis moneta aurea) *ut levius esset onus eorum*. Dicimus VI. *Hujusmodi Darbonem aureum credo fuisse staterem, quem Christus in ore piscis creavit, & Petrus inde extraxit: δίδραχμα autem a Christo exacta fuisse* שקלים *siclos, qui etiam Hebræis in hoc negotio dicti, quod plerumque numerarentur in siclis profanis non sine pretio permutationis (cum etiam integer siclus sacer permutatus Collybum debuerit) & siclo profano æquivalerent, h. e. dimidios siclos sacros in valore, si non in specie; cujusmodi quatuor didrachma fecerunt staterem*. Quod de statere hic diximus, ipsi rei gestæ valde congruum est, & statutis Hebræorum. Rei gestæ; nam non probabile est, quod Petrus tam magnum piscem hamo extraxerit, ut monetam argenteam, quæ aliquot δίδραχμα valeret, in ore suo contineret, & tamen cibum ex hamo pendentem captare, & captatum cum hamo tenere posset. Neque enim hamo tam magni capiuntur pisces. At si moneta aurea, Darbon fuit, nemo dubitaverit, quin id fieri potuerit. Statutis vero etiam Hebræorum: Juxta quæ hac ratione nec Christus, nec Petrus ad Collybum tenebatur. Non tenebatur ratione monetæ, quæ optima & gratissima collectoribus, ut permutare siclos opus non haberent. Nec tenebatur, quod in uno nummo pro duobus darentur sicli seu δίδραχμα, nam Petro Christus donabat partem, non mutuo dabat, in quo casu nullum debetur Collybum, vi *Mischn. 7. cap. 1. tract. Schek.* in qua constitutum est: *Qui siclum exsolvit pro paupere, aut pro vicino suo liber est* (a Collybo:) *quod si mutuo illis dederit, tenebitur*. Petrus itaque si Darbon unum porrigens, dixit; Hoc darbon est pro me & pro Magistro meo, qui mihi partem donavit alteram, nullum plane debebat Collybum. Ideo etiam in textu nostro nullius Collybi mentio fit, nec Christus plus Petrum dare jussit, quam præcise staterem. Posterius de didrachmis quod attinet, neminem video dissentientem. Equidem *Ludovicus de Dieu* annotavit, quod si δίδραχμα sumerentur in eo usu, qui fuit LXX. Interpretum, notatura essent siclos sacros integros. Sed annotavit tantum, non asseruit. Non dubito, quin *Matthæus*, si Hebraice loqui voluisset, dicturus fuisset; Accesserunt, qui שקלים siclo accipiebant: qui sicli per totum tractatum Schekalim nihil aliud sunt, quam sicli profani, aut dimidii sicli sacri, ratione valoris: sive siclus dimidius sacer in specie daretur, sive in æquivalente cum Collybo.

XVII. Hæc de didrachmis hactenus & statere. Sed jam considerandum venit: *Quid sibi velit, quod Matthæus non in singulari δίδραχμον scripsit, sed in Plurali δίδραχμα?* Ita namque habent verba ejus: *Et accesserunt* οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, *qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt; Magister vester nonne solvit* τὰ δίδραχμα *didrachma?* Ubi bis habemus δίδραχμα pluraliter. Si priore loco tantum, non posteriori, plurali usus fuisset, res facile expediri potuisset: Sed in posteriori loco difficultas major est. *Ludov. de Dieu* ita solvere nodum conatur; *Accesserunt ad Petrum, qui accipiebant* τὰ δίδραχμα, *in plurali, habita ratione multorum, a quibus accipiebatur, quorum unusquisque pendebat unum didrachmum. Similiter; an Præceptor vester non solvit* τὰ δίδραχμα? *In plurali rursus, ut non tantum Christi, sed & discipulorum intelligatur. Syrus tamen intellexit secus, qui vertit, Magister vester non dat* חרין זוזוהי *duas drachmas suas? id est,* τὸ δίδραχμον αὐτȣ̃. Alii, quos vidi, non multum curant: prætereunt enim. Verum non leve hoc esse puto. Quod *Ludovicus de Dieu* hic dicit, non videtur satisfacere. Nam I. diversimode unam eandemque phrasin interpretatur in continuo contextu: ut priori loco multi homines, h. e. tota multitudo, quæ ad Capernaiticam collectam pertinebat, intelligatur, posteriori certi quidam homines. Atqui hoc in casu potius dicendum fuisset: Magister vester annon solvit δίδραχμα ὑμῶν, didrachma vestra? Sic namque non amplius absolute, ut priori loco, sed de certis quibusdam personis accipi potuisset. II. Posterioris loci interpretatio, quam de *Dieu* dat, est contra veritatem historicam. Nam Petrus concessit, quod illi volebant, dicens; *Etiam*. Atqui mens Petri sine dubio non fuit, quod Christus pro omnibus suis discipulis solveret. Christus vero etiam non solvit, nisi pro se & Petro; ostenditque, quod pro Petro solveret, ex abundanti esse. Quare illud admittere non possumus. Arbitror, quod Syrus Interpres observaverit istud ipsum, atque ideo suffixum pro nomen addiderit, *duas drachmas suas*. Sed idem Syrus cum pluralem numerum non capere posset, vertit, quasi esset singularis: cum tamen priori loco in hanc mentem transtulisset; qui accipiebant binas drachmas, h. e. duas a quolibet viri capite. *Piscator*, quasi desperans credo, annotat breviter, videri sibi utroque loco legendum esse τὸ δίδραχμον, *didrachmum*. Arabs vero vocem mutavit, & vertit, *Tributum*.

XVIII. Quod plerique negligunt Commentatores, & isti eo, quem dixi, modo aut vertunt, aut exponunt, inde mihi

hi videtur factum, quod pro certissimo habebant, a Christo plus postulatum non esse in caput ipsius, sicut alias quoque a quolibet capite, quam unum didrachmum. Atqui hoc certum non est. Quid enim? si forte tempore Christi adhuc factum fuisset, quod post captivitatem Babylonicam institutum fuisse, legimus Tract. *Schekal. cap.* II. *Mischna* 4. *Quum ascendissent Israelitæ ex captivitate Babylonica, nomine siclorum, dederunt Darbonoth, hoc est duos siclos sacros: postea nomine siclorum dederunt Selaim, hoc est siclos sacros integros: deinde vero dederunt* טפעין *dimidios siclos sacros*. Quæ verba *Maimonides* ita interpretatur; *Quum ascenderunt e captivitate* (Babylonica) *nomine siclorum dederunt Darbonoth, h. e. duos siclos sacros? Vult dicere, quod monetæ eorum* (usitatæ) *fuerint Darbonoth* (duos siclos sacros valentes,) *& tum nomine sicli dederit quilibet homo pro dimidio siclo sacro, integrum siclum sacrum &c.* Nam non alligati erant ad dimidium siclum (quod citata Mischna vult) sed potuerunt plus imponere pro necessitate temporum & templi egestate. Quid ergo? inquam: si forte tempore Christi idem factum. Et nos sane simile quid factum esse, vel ex nostro ipso loco, collata temporum historia, quam in scriptura habemus, statuimus, & infra pluribus exponemus. Ut quid enim non in litera Scripturæ manebimus, ubicunque possumus? Possumus autem hoc loco; ut explicabitur. Retinemus itaque pluralem numerum δίδραχμα, & ratione formæ, nec mutamus in δίδραχμον cum *Piscatore* & *Syro*, & ratione significationis, ut plura δίδραχμα denotet: quæ quidem a singulis personis accepta sint, & a Christo etiam exacta. Observamus autem simul regulam, quæ etiam Hebræis in explicatione verborum recepta & usurpata est, quod quando pluralis numerus absolute positus sit, & multitudo tamen aliqua indicetur, de duobus accipiendus sit: nam si major numerus intellectus fuisset, is procul dubio additus fuisset. Exempl. habebis *tract. Kerith. cap.* I. *M. ult.* Sic ergo jam etiam nostro loco; *Accesserunt qui bina δίδραχμα accipiebant, ad Petrum, & dixerunt; Magister vester nonne solvit bina didrachma?* Ut sensus hic sit: accessisse ad Petrum eos, quorum pro more & officio ipsis commisso erat, ut a singulis virilibus capitibus bina didrachma exigerent, & acciperent, eosdemque ad Petrum dixisse, nonne Magister vester solvere hactenus solitus est, & hac etiam vice soluturus est pro suo capite bina didrachma, quæ quilibet virilis ætatis pro suo capite pendere debet?

XIX. Sed jam tandem etiam exponendum est, cuinam & quo nomine δίδραχμα bina data fuerint; Deone, an Cæsari? in usum templi, an in tributum? ubi diversæ sunt Interpretum sententiæ: Omnes quidem in hoc fundatæ; quasi quodlibet virile caput unicum tantum didrachma solverit, nec plus exactum sit. *Prima est sententia Chrysostomi, Euthymii, Theophylacti*, qui statuunt, didrachmum esse illam pecuniam, quæ exacta sit a ducentis septuaginta tribus illis primogenitis, qui numerum Levitarum excesserant, de quibus ita scriptura *Num.* III. *vers.* 46. 47. *Quod autem ad redimendos illos ducentos septuaginta tres, qui redundant supra Levitas ex primogenitis filiorum Israelis, accipies quinos siclos pro quoque capite: prout est siclus sacer accipito, viginti obolorum est siclus ille*. Hanc pecuniam existimant illi insecutis etiam temporibus a primogenitis quibusque datam esse, & hoc loco non tantum a Christo, sed etiam a Petro, qui solus ex Apostolis primogenitus fuerit exactam esse. Sententiam hanc *Theophylactus* breviter his verbis complexus est: *Deus pro primogenitis Hebræorum voluit consecrari sibi tribum Levi, viginti duo millia. Primogeniti autem chiliades viginti duæ, ducenti & septuaginta tres. Pro his igitur, qui erant extra tribum Levi, & primogeniti erant, decrevit Deus dari didrachmum sacerdotibus, quod est quinque sicli, hoc est, ducenti oboli. Unde, quia Dominus primogenitus erat, & ipse pendebat*. Hac vero de sententia *Maldonatus* ita judicat; *Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus, existimant, hoc fuisse tributum, quod Judæi jussi sunt Domino dare* Num. III. vers. 46. 47. *propter eos primogenitos, quibus cœteræ tribus Leviticam excedebant. Quod ne probabile quidem est. Illud enim tributum, non nisi semel, & non nisi a primogenitis, & non nisi a ducentis septuaginta tribus, solutum est, quibus tum inventæ sunt reliquæ tribus Levitarum tribum superare*. Et post; *Chrysostomus & Euthymius respondent, tributum illud a solis primogenitis fuisse solvendum. Petrum autem primogenitum fuisse. Quæ opinio etiam ex eo refutari potest, quod inter alios etiam Apostolos aliquos etiam primogenitos fuisse credendum est*. Non inepta sunt *Maldonati* argumenta: nec video alios hodie illi sententiæ subscribere; quin pluribus etiam argumentis impugnari posset. Unde enim probabitur: *Quod uspiam apud Hebræos didrachmum fecerit quinque siclos sacros?* Unde, quod stater decem siclos? Unde, quod

quod quinque sicli sacri habuerint ducentos obolos? Sed nolumus prolixe refutare.

XX. *Sententia II.* est, quod didrachmum fuerit quotannis solutum Capernaumi pro portorio. Quandoquidem enim sæpius lacus Genesareth, sive mare Galilææ ibi trajiciendum per annum fuerit, ne, quoties trajiceret quis, solvere aliquid cogeretur, constitutum didrachmum in annum; quo soluto, quivis per annum liber fuerit, quotiescunque etiam trajiceret. Sententiæ hujus meminit *Calvinus* h. l. & breviter perstringit; *Erat*, inquit, *non vectigal, quod exigi soleret in trajectu, sed annuum tributum Judæis impositum in singula capita.* Sane non video, qua ratione sententia hæc se tueri possit: potius videtur mera esse conjectura, cui quicquam non tribuendum.

XXI. Restant duæ sententiæ potissimæ, Tertia & Quarta. *Tertia* est, didrachma a Christo exacta esse siclum sacrum, qui tempore paschali solvendus fuerit omni masculo a viginti annis usque ad quinquaginta; primo Tabernaculo Mosaico, deinde Templo Hierosolymitano: quo de in Talmude integer Tractatus *Schekalim* dictus, habetur; & cujus sive fundamentum, sive præceptum habetur *Exodi* xxx. vers. 12. 13. 14. cum dicitur: *Quum recensebis summam filiorum Israelis per numerandos eorum; tum dabunt quisque redemturam vitæ suæ Jehovæ, numerando eos: ut non sit in eis plaga, quum numerabis eo. Hoc danto, quisquis transit in numeratos, dimidium sicli, prout est siclus sanctus: Viginti obolorum est hic siclus: dimidium sicli oblationem Jehovæ. Quisquis transit in numeratos a nato viginti annos, & supra, dato oblationem Jehovæ.* Hunc dimidium siclum vocatum esse διδραχμον, & hunc a Christo pro se & Petro solutum. Multi sunt, qui huic sententiæ subscribunt: alii tamen aliis modestiores. Et ex Pontificiis quidem *Baronius Tom. I. ad an.* 33. *num.* 31. Habent eam etiam ex *Calvinianis Glossa Belg. h. l.* & *Deodatus h. l.* qui existimat, sub Imperio Romano Judæos religiosos voluntario didrachma templo dedisse. *Lightfootus Hor. Hebr.* ad *h. l.* eam rationibus duabus confirmat. *De Hemisiclo*, inquit, *annuatim penso in ærarium templi hoc esse intelligendum duo suadent.* 1. *Ipsum vocabulum, quo census hic vocatur,* διδραχμα *&c.* 2. *Responsio Christi satis arguit de hoc censu agi, cum se dicit esse filium istius Regis, in cujus usum pensio ista exigebatur &c.* Subjungit tamen; *Si vero cuiquam libet hoc de tributo Romanis pensando intelligere, nos non contendimus.* Adscribitur eadem hæc sententia ex veteribus *Hilario*; cujus in h. l. hæc sunt verba: *Dominus didrachmum solvere postulatur: hoc enim omni Israeli lex pro redemtione animæ & corporis constituerat in ministerio templi servientium.* Illud, quod dicit pro redemtione animæ & corporis forte desumtum esset ex eo, quod apud Mosen dicitur: Ut non sit in eis plaga; nisi additum esset hoc; in ministerio templi servientium. Forte dicere voluit; in ministerium templo servientium; quanquam nec hoc subsisteret. Contra impugnatur hæc sententia. 1. Quod non fuerit tempus Paschatis, quo sicli templo solvendi fuerint. 2. Nec decimus quintus dies mensis *Adar*, quo sicli colligi cœperunt. 3. Christus expresse de Regibus terræ Petrum quærat: atque adeo de censu Regis terræ, h. e. Cæsaris locutus sit. 4. *Matthæus* utatur voce Romana κῆνσος, h. e. census. 5. Didrachmum templi non in Capernaum, sed in templo Hierosolymitano solvendum fuerit.

XXII. *Quarta* vero *sententia* est, quod διδραχμον hic sit intelligendum Cæsari solvendum: atque adeo Christus Magistratui Politico tributum dederit. Sententia hæc est *Hieronym. in h. l.* qui annotat: *Post Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, & omnes censi capite ferebantur. Unde & Joseph cum Maria Cognata sua professus est in Bethlehem. Rursus quoniam nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galileæ Capernaum ubi subjacens: ex more poscunt tributa.* Eandem sententiam habuit etiam *Irenæus*, *Hieronymo* longe vetustior lib. v. de Hæres. cap. 24. *Propter hæc*, inquit, *& tributa præstatis (potestatibus secundum homines:) ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Hoc autem & Dominus confirmavit, non faciens quidem, quod a Diabolo suadebatur, tributorum autem exactoribus jubens pro se & pro Petro dare tributum.* Ex hac etiam sententia disputat *Augustinus* qu. Evang. lib. 1. qu. 23. *Quod dixit* (Dominus) *ergo liberi sunt filii; In omni regno intelligendum est liberos esse filios, idest, non esse vectigales. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ.* Subscribit huic sententiæ *Maldonatus* h. l. *Multo*, inquit, *verior est Hieronymi, & Bedæ sententia, qui existimant, hoc vectigal illud esse, quod Augustus Judæis imposuit, cum jussit, ut universus orbis describeretur*. Luc. II. 1. *Vero similis ejus rei conjectura est, quod Vespasianus expugnatis postea Hierosolymis tantum Judæis imposuerit tributum, quantum antea templo solvebant, ut* Joseph. l. 7. de bell. Jud. c. 26. *Autor est, & est credibile, Vespasianum illud ipsum*

ſum tributum, quod Auguſtus imperaverat, & a quo ſeſe Judæi rebellando exemerant, illis ubicunque, ut ait Joſephus, terrarum eſſent, repoſuiſſe. Sequitur etiam *Janſenius* Harm. Evang. c. *69*. *Barradius* l. 10. Harm. cap. 32. *Salmeron* tom. *6*. tract. 37. *Bellarmin*. etiam in hac ſententia fuit in *edit. in Octav. lib*. 1. *de Cleric. c*. 28. ubi inter alia ad *Matth*. 17. reſpondet: *Dico Dominum loqui de ſeipſo tantum; facit enim hac argumentum: Filii Regum liberi ſunt a tributis, quia nec ſolvunt parentibus ſuis, cum ſint communia parentum & filiorum bona; nec aliis Regibus, quia eis non ſubſint; At ego filius ſum primi & ſummi Regis, igitur nulli hominum tributum debeo*. Eadem hæc eſt ſententia noſtratium communis. *D. Hunnius* in h. l. *Didrachma fuit moneta valore ſuo æquans quadrantem floreni, & ſolvebatur Romano Imperatori, cujus nomine erant conſtituti, qui exigebant*. Conf. *Lyſer*. in Harm. ad h. l. *D. Gerhard*. Tom. *6*. *LL. CC*. §. 443. Conſentiunt ex Calvinianis plerique, *Calvin*. Harmon. h. l. *Aretius* in h. l. *Pellican*. in h. l. *Beza* in h. l. *Fr. Jun*. ad *Tremell*. Verſ. Syr. *Piſcat*. ad *h. l.* Et præfert etiam *Parcus* ad *h. l.* Objicitur huic ſententiæ; 1. Quod Cæſari tempore Chriſti non fuerit ſolutus niſi denarius. *Matth*. 22. verſ. *19*. 2. Everſo demum templo didrachmum a Veſpaſiano Judæis impoſitum ſit, teſte *Joſepho* l. 7. bell. Jud. *cap*. *26*. 3. Quod cenſus Auguſti *Luc*. II. fuerit bonorum, & ſemel dandus.

XXIII. Verum enim vero duarum harum ſententiarum neutri Autores adverſantes ſibi ſufficienter refutant. Nam argumenta, quæ priori de ſiclis templo ſolutis objiciuntur, infirma ſane ſunt omnia. Nam ad 1. non fuiſſe tempus Paſchatis, propter quod ſe non parum torquet Lightfootus, reſpondemus, ſufficienter demonſtratum ſupra ad *Quæſt*. 1. de tempore hujus hiſtoriæ, quod omnino tempus Paſchatis. Ad 2. ſiclum colligi cœptum a decimo quinto die menſis *Adar*, reſpondemus, verum iſtud eſſe de provincialibus urbibus, & hanc hiſtoriam poſt iſtum diem contigiſſe, antequam Dominus Hieroſolymam aſcenderet: quatuor namque ſeptimanas ab iſto die ad Paſcha uſque numerabant. Falſa itaque eſt præſumtio, quaſi alio tempore hæc hiſtoria accidiſſet. Ad 3. quod Chriſtus Regum terræ filiorumque eorum meminit, non concludit ad onera Regum terræ tantum, ſed ad quodvis onus ſubjectionis, quod filii non tenentur ſuſtinere a patre impoſitum. Diligenter itaque argumentatio Chriſti obſervanda, quæ hæc eſt; Si filii Regum hujus terræ liberi ſunt a cenſu & tributo, quod Patres eorum ſubditis imponunt: quanto magis ego filius Regis cœlorum naturalis liber ſum a quocunque cenſu, tributo, onere, quod ille ſubditis ſuis, hominibus inprimis, imponit, ſive velit Magiſtratui Politico aliquid dari, ſive Templo, h. e. ſive in ſpiritualibus fuerit, ſive in ſecularibus. Unde 4. etiam reſponſio ad quartum de cenſus vocabulo Romano patet. Inſuper hoc poſitum eſt in antecedente, de filiis Regum hujus ſeculi, non in conſequente de Chriſto filio Dei. Nec ſolum poſitum eſt hoc vocabulum, ſed additum, τέλος, *tributum*, quo etiam *Joſephus* uſus eſt de ſiclo, qui templo ſolvebatur *lib*. 7. *B. J. cap*. *26*. *Quemadmodum*, inquiens, *prius pro templo in Hieroſolymis* συνετέλουν, *contribuerunt*. Ad 5. quod Salmeronis eſt, in templo Hieroſolymitano tantum, non in Capernaum fuiſſe ſolutos ſiclos templi, reſpondemus, Salmeronem forte iſtud ſcripturum non fuiſſe, ſi legiſſet *Miſchn*. 3. cap. 1. *Schekalim: Die decimo quinto* (menſis) *Adar*, *menſe* (colligentium ſiclos) *ſunt poſitæ in provincia* (extra Hieroſolymam:) *ſed die vigeſimo quinto demum ſunt poſitæ in ſanctuario* (Hieroſolymis.) Si forte etiam objiciatur, in Galilæa, & alibi per tributum Romanum ſolutos, ſeu liberos factos a tributo Templi: nolumus cum *Diodato* reſpondere, religioſos tamen ſponte dediſſe, ſed dicimus, eſſe meram conjecturam, ex eo deſumtam, quod Collectores quaſi libertati Chriſti rem permittentes dixerint, *Nonne Magiſter veſter ſolvit didrachma?* Per quod vero enervatur Chriſti de filiis Regum dictum; quo opus non fuiſſet, ſi quivis Judæi fuiſsent liberi, nec quicquam niſi ſponte dediſsent. Si quis pro *Diodato* forte allegaverit, quod in Tract. *Nedarim* cap. 1. *Miſchn*. 4. habetur; *Viri Galilææ non agnoſcunt Thrumam conclavis:* ablegandus erit ad Gloſſam *R. Salomonis*, ubi longe alius ſenſus oſtenditur. Jam quod alteri ſententiæ objicitur, 1. Cæſari tempore Chriſti nonniſi denarium ſolutum eſſe, bene ſolvitur, non de quantitate cenſus, ſed de moneta ejus ſermonem ibi eſſe. Sapientiſſime Chriſtus petit oſtendi, cujuſmodi eſſet moneta cenſus, ut convinceret inde, Cæſari non dari rem divinam aut Deo conſecratam, ſed profanam, quæ alias ad Cæſarem pertineat, & a Cæſare originem habeat. Itaque Chriſtus non loquitur de quanto, ſed de quali. Quod 2. objicitur, everſo demum templo didrachmum, quod alias templo ſolutum, a Veſpaſiano, ut in Capitolium conferretur, impoſitum eſſe: id majorem ſane habet ſpeciem. Communiter autem reſpondent, cum *Maldonato*

nato supra, Vespasianum non imposuisse novum tributum, sed vetus, per rebellionem non solutum, renovasse: Vel, extensum esse, ut antea in Judæa tantum solutum, tunc a Judæis, ubicunque terrarum essent, solveretur. Quod num satisfaciat, dubito. Nam *Josephus* id vult, quod prius, templo solutum, a Vespasiano in Capitolium translatum esse. Forte hoc coegit *Diodatum*, ut statueret, per didrachmum ab Augusto impositum, & tempore Christi adhuc datum, liberos factos Judæos a siclis templi, ut non solverent, nisi qui ultro vellent. Sed hoc factum non esse, supra jam ostendimus. Nos ad hanc objectionem de tributo Vespasiani respondemus (1.) omnino novum fuisse, & prius Judæis inauditum, summeque ignominiosum; dum illud ipsum didrachmum, quod usque ad Vespasianum e Romanis Imperatoribus, stante Templo Hierosolymitano, Templo relictum, a Vespasiano post eversum Templum Jovi Capitolino donatum datumque est. Expresse hoc habet *Xiphilinus* in Vespasiano ex *Dione*, cum scribit; καὶ ἐπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια ἔτη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίνῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν: *Ab eodem Tito* (ut Blancus vertit) *jussi quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino ii, qui patrias eorum leges tuerentur*. Hoc bene nobis *Josepus de B. J. lib. 7. c. 26.* exponit, quod idem δίδραχμον fuerit, cum eo, quod olim pro templo Hierosolymitano contribuebatur: sed quando simpliciter dixit, εἰς τὸ Καπιτώλιον, *in Capitolium* delatum, videtur pepercisse famæ populi sui, quod rem Deo vero alioqui destinatam Idolo gentium dare cogerentur. Nec sine causa hoc fecisse puto. Nam argumentum est cultus Vet. Testamenti plane destructi & abrogati. Alioqui Deus non permissurus fuisset, ut Idolo sibi debitum consecraretur, & a populo suo cultus Idololatricus quodammodo adjuvaretur; Cum Belsacer impune non tulerit, quod vasa templo consecrata in convivio adhibuisset: *Dan.* v. Sed (2.) census seu tributum quod tempore Christi datum fuerit, non tantum ex historia profana notum est, sed infallibiliter habetur *Matth.* XXII. ut negari non possit. Hoc tributum impositum fuit, non loco siclorum templi, sed ad exemplum siclorum templi. Quemadmodum nimirum populus Judaicus alias liber, quasi in recognitionem, quam vocant, dominii cœlestis siclos dabat: sic in recognitionem dominii terrestris tantundem dare debebat. Digitum in hoc intendisse videntur ipsi Pharisæi, quum *Matth.* XXII. quæsiverunt, liceret censum Cæsari dare nec

ne? Nam, ut ex responsione Christi, *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei*, colligere datur, argumentum dubitandi eorum hoc fuit, quod Deo darent tanquam subditi siclos suos; cum quo non consistere posse videatur, juxta Deum se subjicere per similem censum Cæsari. Tributum hoc valde exiguum videtur, ab Augusto propterea ad exemplum siclorum templi impositum, ut hoc æquius appareret Judæis, & æquiori animo ferretur. Quandoquidem enim de Tyrannide conqueri non solebant, quod tantum a Deo ipsis impositum: pro tyrannide ab iisdem haberi non poterat, quando tantundem a Cæsare peteretur. (3) Hoc tributum seu census vetus videtur mihi plane cessasse everso templo. Ratio est, quod non impositum nec datum fuit, nisi tanquam ab incolis terræ Chanaan a Cæsare subactæ: quemadmodum in aliis terris incolæ, tanquam incolæ, suum pendebant Romanis tributum. Itaque postquam Judæis urbs & terra ademta, tributum hoc illis non amplius incumbebat. Hæc causa quoque esse videtur, quare *Josephus* post templum eversum non nisi tributi a Vespasiano impositi mentionem fecerit, & ab eo hoc a Vespasiano impositum distinxerit, quod Judæis, ubicunque terrarum essent, impositum scribit. Sane hoc velle videtur, quod Vespasianus novum tributum imposuerit, quod non in terra tantum Israel, ut vetus, solveretur, sed ubique terrarum a Judæis penderetur, essetque non ad exemplum siclorum, sed loco eorum injunctum. Quod 3. objicitur censum Augusti *Luc.* II. fuisse bonorum, non capitum, & semel tantum, non quotannis, solvendum: ad id respondemus, non refutare sententiam ipsam, sed sententiæ tantum circumstantiam. Certum namque est, quod tempore Christi *Matth.* XXII. tributum adhuc dandum fuerit, sive fuerit unum idemque cum eo, quod *Luc.* II. habetur, sive diversum. Et si utique diversum fuit (de quo nolumus contendere,) probabile tamen est, quod eodem tempore, quo descriptio bonorum facta, & census de iis sumtus, in postera tempora census capitum annuus simul indictus, & usque ad eversionem templi continuatus sit.

XXIV. Cum itaque sic se res habeat, & utraque sententia cum verbis textus consistere queat: nos non videmus, quare non sit utraque conjungenda. Argumentum 1. quod suadet, ex isthoc ipso sumitur. Nam scriptura tam late accipienda est, quam late potest: quæ alias est regula bonæ interpretationis. Atqui, ut

 osten-

ostensum, scriptura hujus historiæ utramque istam sententiam admittit. Ergo. Addimus 2. argumentum, quod duo ista, quæ in duabus his sententiis dicuntur, alioqui per consequentiam tamen sequerentur. Nam si posueris, agi in historia de tributo Cæsaris, promtum est concludere; si filius Dei, etsi filius esset, ex hoc fundamento non voluit se liberum facere a tributo Magistratui civili pendendo: utique ex isthoc quoque fundamento a legibus & oneribus Ecclesiasticis se liberare & eximere noluit. Atqui prius verum est. Ergo & posterius. Ratio consequentiæ est, quia qui ejus conditionis, ut uni generi legum sit subjectus, alteri quoque subjectus erit. Si leges Ecclesiasticæ ab ipso Deo fuerint ordinatæ, major debetur illis subjectio, quam legibus humanis. Contra si posuerimus, Christum per hoc, quod filius Dei esset, non voluisse se liberum facere a legibus Ecclesiasticis, sequitur, quod nec a legibus politicis. Fundamentum idem est: nemo namque negaverit, quod non tantum legibus Ecclesiasticis, sed & politicis obediendum sit: nec quisquam hic eximi possit, nisi ex singulari ratione, privilegio, jure: quo vero Christus uti noluit. Sed & 3. argumentum ipsa verba historiæ subministrant. Postulabant exactores non δίδραχμον unum, sed δίδραχμα, ad minimum duo. Atqui soli templo non solvebant duo, sed unum didrachmum. Nec Imperatori Romano plus. Quis namque crediderit, plus impositum fuisse, cum nondum rebellassent, ab Augusto & cæteris Imperatoribus, quam, postquam rebellaverant, a Vespasiano impositum est? Literæ itaque historiæ tum demum satisfit, quando & siclum templi, & siclum Imperatori Romano solutum conjungimus, & utrumque a Christo tum postulatum, tum datum esse dicimus.

XXV. Atque hæc *nostra* quoque est *sententia;* nempe venisse exactores non tantum sicli Templo solvendi, sed & census Imperatori Tiberio dandi ad Petrum, & de utroque siclo seu didrachmo quæsivisse, annon Dominus Jesus solveret: qui a Domino jussus, ut ejecto hamo captum piscem traheret, & inventum staterem, δίδραχμα continentem vulgaria, vel duo sacra, pro utroque Christo & Petro, solveret. Hanc nostram sententiam declaramus. Et 1. quidem annotamus, censum Imperatoris Romani non per Publicanos, aut per alios Imperatoris ministros exactum aut collectum esse, sed toti populo Judæorum indictum, ut hic viritim conferret atque colligeret, atque tota census collecti summa præfecto Imperatoris aut ministris ejus, quos constitueret ad hanc rem, exhiberetur. Non videbitur hoc absurdum ei, qui consideravit descriptionem *Luc.* II. factam. Hanc namque ab Augusto edictam & mandatam fuisse, Judæos tamen eam executos esse per suos ἄρχοντας seu principes populi, ut Imperatori nomina numerumque descriptorum, & descriptionis censum exhiberent, aut præfecto Imperatoris, ex eo constare puto, quod descriptio ex consuetudine Judæorum, qua quævis familiæ in suis civitatibus, e. g. familia Davidica Bethlehemi, convenirent. Sane ut convenirent, ab Imperatore imperatum: ut hac ratione convenirent, non nisi instituto & consuetudini ipsorum Judæorum adscribere possum. Nam sine dubio Romani de hoc conveniendi & describendi modo apud alias gentes inusitato nihil sciverunt. Quod si hoc in negotio gravissimo tantum permissum fuit Judæis; quanto ergo magis deinceps consueta annui census collectio illis relicta est? Jam 2. existimamus, Judæorum Principes & Pontifices commodius tempus colligendi census Romani deprehendere non potuisse, quam istud ipsum tempus, quo sicli Templi colligebantur. Fieri namque tum poterat, ut sine omni majori labore, & sumtu collectio fieret ex parte colligentium, quippe qui alioqui siclos Templi tum Hierosolymis, tum in provincia per aliquot septimanas colligebant; & populus Judaicus assuetus erat, ut in istud tempus nummos seponeret, quos templo tribueret: collectores insuper siclos paschali tempore ex tota provincia Hierosolymam deportabant, & Templo offerebant; sic una fidelia, quod dicitur, duos parietes dealbare poterant. Forte nemo negabit, hac commoditate Judæos in colligendo censu Romanorum usos esse: maxime cum Hierosolymis esset Præfectus Romanus, cui statim census a collectoribus allatus, dari poterat. Videtur mihi hæc fuisse occasio Pharisæis & Herodianis, *Matth.* XXII. quam arripuerint ad tentandum Christum circa censum Romanis dandum tempore Paschali: nimirum id ipsum tempus erat, quo ex more census dandus erat; ut, si Christus, censum dandum negasset, per totum annum majoris scandali & periculi esse non potuerit, quam isthoc ipso tempore. Unde accusandi Christi homines nequam occasionem optimam habuissent. Forte vero etiam Judæorum Principes, qui censum Romanum inviti agnoscebant, eludere, aut populo saltem, qui libertatem suam mordicus tenebat, persuadere voluerunt,

runt, & hoc intenderunt, ut dicerent, non vere se censum dedisse, & suam libertatem amisisse, sed duplos siclos, quod olim (ut supra ex Tract. *Schekal.* annotavimus) Patres sui etiam fecerint, populo in usum templi collegisse, quorum partem Romani per sacrilegium ad se rapuerint. Quid? si dicamus ad hunc prætextum digitum intendisse *Johan.* VIII. vers. 33. *Semen Abraham sumus, & nemini servivimus unquam.* Nam si censum Romanorum pro vero subjectionis censu agnoverunt, & non quodammodo eludere voluerunt, insaniverunt, dum se nunquam servivisse affirmarunt. Sunt, qui putant, censum per publicanos collectum, qui non parum falluntur; longe enim aliud publicanorum officium erat. 3. Isthæc duo si observaverimus, plana erit nostra historia. Nimirum (1.) Christus paulo ante pascha venit in Capernaum, ubi suum habebat domicilium, relicta Nazaretha. *Matth.* IV. vers. 13. & quoniam sicli per urbes isthoc tempore ab incolis colligebantur, solvendus ibi erat siclus cum censu simul collecto. Neque enim probo, quod quidam putant, ideo a Christo exactum siclum & censum, quod Nazareth ad Capernaum pertinuerit. (2.) Collectores, qui non tantum suas mensas ponebant in urbibus, juxta cap. I. *Mischn.* 3. Tractatus *Schekalim*, ut accederent ad ipsos, qui siclos dare vellent, sed potestatem etiam habebant exigendi, imo pignus capiendi, juxta eundem Tractatum cap. I. *Mischna* itidem tertia, accesserunt ad Petrum, & monuerunt per eum Christum de dandis duobus διδράχμοις: quorum unum erat revera Templo Hierosolymitano, alterum censui Romano; sive nomina collectores distinxerint, sive non distinxerint, quod utrumque jure Templo cedere deberet, alterum a Romanis raperetur. (3.) Petrus, rei non ignarus, sciebat, Dominum suum promte semper numerasse δίδραχμα; ideoque affirmative collectoribus interrogantibus de Domino respondit, nec Domino, qui intra domum erat, indicare dubitavit. Dominus (4.) Petro quidem, se non debere de jure quicquam, ostendit, ad vitandum tamen scandalum jubet hamum in mare jacere, cum promissione, fore, ut in ore primi extracti piscis, inveniat staterem, h. e. quatuor didrachma, in moneta aurea Darbon & Darkon dicta, quam dare deberet pro Domino ipso, & pro Petro. Petrus (5.) tanta tamque liberali promissione magis instigatus, suscipit Domini jussum, & fiunt, quæcunque Dominus dixerat.

XXVI. Postquam hæc ita sunt exposita, videndum nunc porro est, cujusmodi sit Domini Jesu argumentatio; pro suo immunitatis jure, quo liber, tam a siclo templi, quam a censu Romanorum. Antequam Dominus argumentetur, suæ omniscientiæ coram Petro edit specimen. Nam cum Petrus in ædes intraret, nec dum quicquam dixisset, Dominus gnarus omnium, quæ foris dicta & gesta sunt, cum nec humano more vidisset, nec audivisset, incipit de re colloquium cum Petro. En! Dominum omniscium. Interrogat autem Petrum, dicitque: *Quid tibi videtur, Simon?* De jure quærit potius, quam de facto. Nam de factis tentatur scientia potius, non sententia. Christus autem exquirit hic sententiam Petri. Ergo si utique aliter alicubi factum fuisset, argumentationi Christi non obstaret, quam ille hic super jus fundat. Sed tamen idem in facto apud gentes deprehendebatur. *Reges terræ*, pergit Dominus, *a quibus accipiunt tributa, aut censum? a filiis suis, an ab alienis?* Ubi extra dubium erit, quod Dominus de filiis Regum proprie sic dictis, non metaphoricis loquatur, & per alienos non intelligat eos, qui extra regnum & subditi non sunt, sed qui extra domum, & non filii proprie sic dicti, subditi tamen. De voce ἀλλοτρίων multa hic habet *Erasmus Schmid* ad h. l. si videre placuerit magis, quam nobis exscribere. Quoniam etiam Dominus non tantum census, sed etiam τελῶν, tributorum quorumcunque meminit, haud obscurum erit, quod in genere de quibusvis subditorum oneribus, quocunque nomine veniant, loquatur. Respondet Petrus; *Ab alienis. Ergo*, infert Dominus, *liberi sunt filii*, nimirum ab omnibus ejusmodi subditorum oneribus, & quidem jure filiationis, seu propterea, quod filii sunt. Antecedens hic habemus, quod hoc erit: Reges terræ de jure tributa quævis & censum ab alienis, seu subditis suis, qui filii proprie dicti non sunt, tantum accipere debent; filii autem eorum proprie dicti, de jure ab omnibus ejusmodi oneribus liberi esse debent. At consequens, per *Ergo* inferendum, monstratur tantum per verba; *Ne scandalizemus eos.* Nam per hæc verba Dominus satis planum facit, inferendum, quod ipse de jure liber ab omni-

omnibus oneribus esse debeat, tanquam filius Regis. Ubi quando nonnulli de carne Domini cogitant, quæ ex Regis Davidis semine: enervare mihi videntur omnem argumenti vim. Nonne enim promtum fuisset excipere, antecedens loqui de Filiis Regum, qui regnent, non qui sub jugum redacti: Nam si Patres sub jugum redacti, quomodo filii liberi esse poterunt? Non itaque Filii possunt esse liberi, nisi ab omnibus, quæ Patres imponunt. Nec licebit respondere, ad domum David, tamen adhuc dum pertinuisse de jure regnum mundanum. Nam non video, quomodo consistere possit, vel cum eo, quod Christus censum Cæsaris tanquam justissimum approbavit *Matth.* XXII. Vel cum eo, quod ad Pilatum dicit, potestatem illi ex supernis datam esse *Johann.* XIX. Quare dicendum, quod Christus se Filium Regis cœlestis, h. e. Dei Patris faciat. Quod etiam ex hoc constare potest: Non dixit Dominus Petro, cujus Regis Filius esset, ideo, quia Petrus jam habebat cognitum, essetque non necessarium ipsi exponere. At Petrus Christum agnovit pro Filio Regis cœlestis, *Matth.* XVI. vers. 16. *Tu es Christus Filius Dei viventis*. Unde nobis hoc nascitur consequens; Ergo multo magis ego, qui sum Filius Regis cœlestis, & summi, Dei viventis, ut tu nosti & confessus es, Petre, pridem, liber sum de jure ab omnibus oneribus, quæ Pater meus subditis suis, sive angeli sint, sive homines, imponit, & nominatim quidem, quæ Judæis, meis secundum carnem consanguineis, imposuit, partim quando voluit siclos Templo dari, partim quando vult Cæsari subjectos esse, eique censum suum dare: atque sic de jure optimo, vi filiationis meæ summæ, his exactoribus tam siclum Templi, quam censum Cæsaris negare possem; sed memor sum spontaneæ meæ exinanitionis, qua me nemini scandalo, & aliis hominibus similem futurum esse, suscepi; ideo dabo ad vitandum scandalum &c. In hac argumentatione Christi nihil desideratum iri, & nihil desiderari posse confido.

XXVII. Unde jam gravissima *Pietatis puncta* ex nostra de Didrachmis a Christo solutis sententia discere possumus & debemus: præcipua saltem subjiciemus. I. *De persona Christi* habemus ex nostra historia, quod Christus non tantum homo verus sit, sed ipse etiam filius Dei naturalis & consubstantialis, æqualis Patri suo, non inferior, ut præceptis, tanquam subditus legari nequeat. Asserit Christus, filium se Regis esse. Ostendimus autem, non loqui ipsum de ea origine, juxta quam filius Davidis, Regis Judæorum omnium maximi, erat, sed de ea origine, quam habeat per generationem a Rege Regum, Deo Creatore omnium. Libertatem namque juxta carnis suæ originem ex Davide Rege prætendere non potuit, cum Imperii Romani potestas jam confirmata esset divinitus super universam Judæam; Et ejus Regis, hoc est, Tiberii, cujus nomine census petebatur, Filius, ne quidem secundum carnem fuit; ut contra censum ejus ad jus Filii provocaret, non se censum illi debere, quod, Filium Regis, Patri suo Regi censum solvere, iniquum esset. Quare alius alicujus Regis Filium se affirmavit, ex cujus autoritate tum census Imperatoris, tum siclus Templi postulabatur. Is vero alius non fuit, nisi summus omnium Creator & Gubernator, qui omnem, qui in mundo est, Magistratum ordinavit, *Rom.* XIII. & Judæis eam, cujus vigore siclum petere poterant, tulit legem. Hujus se Filium Dominus dicit, utique naturalem & consubstantialem: sicut de Regum hujus mundi filiis sine dubio naturalibus & proprie sic dictis quæsivit; *Reges terræ a quibus accipiunt tributa aut censum, a filiis, an ab alienis?* Ne quidem de filiis adoptivis hic cogitabit, qui legerit: quippe qui gratiæ debent omnia, & sub variis conditionibus adoptari possunt. Et nos sane, qui credimus, summi Regis etiam adoptivi Filii sumus: neque tamen ex nobis quisquam dicere potest aut prætendere, jure a mandatis & oneribus Patris hujus nostri nos esse liberos. Æqualis vero etiam Patri est, non inferior: nam mandatis Patris, quum dixit; *Omnis anima potestatibus subdita sit*, & quando præcepit, ut omne viri caput penderet Templo Hierosolymitano, ligatus esse non vult. Ergo oportet ipsum esse Filium, qui cum Patre mandata Patris facit, non autem mandatis Patris obstringitur. Egregium itaque hoc argumentum est, quod Jesus sit Filius Dei Patri suo æqualis. II. *De Statu Exinanitionis* docet nostra historia, quod Christus non de jure, sed ex mera libertate & voluntate, juxta quod homo est, humiliatus sit. O quanta humilitas illa fuit, quæ non tantum sub Deum se submisit, sed Romano quoque Imperatori subjecit! Intolerabile etiam Judæis hoc posterius visum est: nec tamen Filius Dei ab eo abhorruit. Sed ostendit tamen, eum se esse, qui non ex juris necessitate, sed ex vo-

voluntatis libertate adeo se humiliaverit; quando ne mandatorum quidem Divinorum subditum de jure, sed Dominum cum Patre esse asseveravit, & tantum ut scandalum non præbendo hominibus, hominum salutem operaretur mereretùrque, legibus tum de Ecclesia, tum de politia a Patre latis subjectum esse docuit. De natura Divina, secundum quam ab æterno a Patre genitus est, hoc minus mirum est. Mirum magis nostræ videtur infirmitati, quod de carne quoque, quæ in tempore demum assumta, & secundum quam Filius factus est, idem tamen credi voluit. Caro namque fuit, a qua census & siclus exigebatur, & cujus libertatem Dominus Petro proposuit. Natura itaque illa, quæ extra personam Filii Dei serva est, in persona Filii Dei summam libertatem possidet, etiam quando ea non utitur. Et in natura eadem Filius Dei salutem nostram merendo operatus est, non tantum quando pro hominibus passus, sed etiam quando Patris sui mandatis obedivit. Assumserat enim eam, ut in ea humilis esse posset, non quod in ea humilis esse cogeretur. Et licet hic homo quando naturæ suæ originem considerat, non possit non se Deo inferiorem agnoscere: quando tamen personæ, in quam assumta humilis natura est, sublimitatem cogitat, non potest non de jure cum Deo æqualitatem sibi vendicare, ne personæ injuriam inferat. Vide III. *Omnium hominum debitum*. Salvator quando se jure, quod ut Filius Dei habet, exinanivit, obligatum statim se agnoscit, ut & siclum Templo, & censum Cæsari solvat, nec quenquam non solvendo scandalizet. Ergo si hominem inveneris, qui Filius Dei naturalis non est, obligatum eum divinis humanisque legibus credas. Si namque, qui Filius Dei est, quando jus filiationis quodammodo seposuit, Deo hominibusque potestatem habentibus obediens esse debeat, & revera subesse & obedire potuerit: quanto magis, qui nullo gaudet jure filiationis, per naturam & personam obedire & subesse cogitur. Tunc ergo, Pontifex Romanus, non se tantum ipsum, sed & clericos suos a Magistratibus & ipso Romano Imperatore liberos facies, & jus Divinum jactitat. Sed audio vociferantem *Maldonatum*, *, Inepti hic hæretici sunt, qui Romani Pontificis primatum refellunt, & Ecclesiæ immunitatem tollunt, quod Petrus tributum solverit. Nam isthac quidem ratione nec Christus quidem Ecclesiæ caput esset: solvit enim tributum. At solvit, cum non debebat. Et non considerant, Petrum si nunc inter Christianos Reges in vivis esset, Ecclesiamque gubernaret, soluturum non fuisse*. Qui idem, Petrum non debuisse tributum, hoc modo docuit; *Videtur mihi Christus significare voluisse, nec se, nec discipulos suos tributum debuisse: se quia filius Dei erat: discipulos suos, quia ipsius familias & domestici censebantur. Et non solum Regum filii, sed eorum etiam domestici a tributis liberi sunt*. Ita ille: sed clamor est. Concedamus, Petrum, omnesque Apostolos domesticos Filii Dei fuisse. Atqui non magis Filii Dei, quam ipsius Patris cœlestis domestici erant. Ipse inprimis Filius Dei Patris sui domesticus erat omnium dilectissimus; & magis, quam Apostoli erant Filii. Quare ergo non argumentatus est Dominus? Reges terræ a quibus tributa & censum accipiunt? a domesticis ne, an ab extraneis? Ita manifeste & se & discipulos suos liberos ostendere potuisset. Sed hoc non fecit, quia scivit, istam libertatem de jure neminem habere posse, nisi qui Filius naturalis est. Itaque de jure divino Petrus omnesque discipuli obligati erant; & si inter Christianos Reges hodie Petrus in vivis esset, debiturus esset. Si ad privilegium gratiæ confugietur: id nobis probandum est postea supervenisse, cum hoc tempore nullum fuerit. Sin doceri non potest, ut non potest: jus urgebit perpetuum. De primatu Papæ hic disputatur, quatenus se supra Magistratus & Constitutiones Ecclesiæ datas factasque extollit; quoad cætera validioribus admotis arietibus dejicitur. IV. *Magistratus* vero *autoritas* hic non infirmo stabilitur fulcro. Nam huic Christus omnes subjicit, imo seipsum, ubi usu juris, quod filiatio dat, se voluntario, exinaniverit. Non itaque Christianorum merentur nomen, qui Magistratus autoritatem non agnoscunt, contemnunt, pedibusque conculcant. Cujusmodi novimus esse Anabaptisticas & his affines sectas: quarum furorem rectissime Augustana, Confessio pridem condemnavit, & nos cum eadem adhuc condemnamus. Neminem exceptum a jure subjectionis Magistratui debitæ docuit Dominus, nisi quem jus Filii eximeret. Ubi neminem juvat, quod Filius Dei adoptione est, cum de eo solo, qui Filius generatione est, Dominus locutus sit, Equidem non negamus, fieri posse, ut in terris Regum ter-

terrenorum etiam adoptivi Filii a tributis censuque liberi sint: sed ejusmodi adoptio nihil aliud est, quam privilegium, non jus naturæ. Simile Deus privilegium concedere posset Filiis suis adoptivis: sed concessisse nuspiam legitur, nec probari potest. Quin potius, non concessisse, Dominus in nostra historia docuit, quando jus solum in natura & generatione fundatum ursit, atque hoc solum urgenda privilegia non agnovit. Possemus de scandalo, unoque atque altero puncto plura addere, nisi tempus esset hic subsistere, & gratias agere debitas Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, cui sit laus, honor & gloria in seculorum secula, Amen.